SUMMA UNIVERSAE PHILOSOPHIAE. CUM QUAESTIONIBUS...

Balthazar Telles, Joan Ballest, Agostinho Soares Floriano

Digitized by Google


14.7.F.25

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

48. 2. 20.

48
f.
20.

Digitized by Google



SVMMA VNIVERSÆ PHILOSOPHIÆ

Autore

P. M. BALTHAZARE TELLEZ

Vlyssiponensi,

SOCIETATIS IESV.

In Conimbricensi Academia Publico quondam Philosophiæ, nunc Theologiæ Vlyssipone Primario Professore

TOMVS VNICVS.

Vlyssipone, apud Paulum Craesbeeck, et eius sumptibus An. 1641.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA. VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

SVMMA VNIVERSÆ PHILOSOPHIAE:

CVM QVÆSTIONIBVS THEOLOGICIS, QVÆ HODIE inter Philoſophos agitantur.

AVCTORE

P. M. BALTHAZARE TELLEZ,
LVSITANO, VLYSSIPONENSI,
E SOCIETATE IESV,
PRIMARIO VLYSSIPONE Theologiæ Profeſſore.

SOC. IESV BIBL. SEC. COLL. ROM. — IHS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TOMVS VNICVS,

Qui in vtilitatem ſtudioſorum in duplex volumen ſecari poteſt, vtrũque ſuo peculiari indice notatur. Primũ volumen cõtinet duas partes: In prima agitur de Logica: in ſecunda de Phyſica, de libris de Cælo, ac de Meteoris. Secundum volumen continet tertiam, & quartam partem: In tertia agitur de Metaphyſica: in quarta de libris de Ortu, & Interitu; nec non de libris de Anima.

NVNC PRIMVM PRODIT.

IOAN...

VLYSSIPONE.

Cum omnibus facultatibus.

Ex Officina. Laurentij de Anueres. Anno Domini 1642.

Digitized by Google

Cenſura P.M. Franciſci de Amaral in Collegio D. Antonij Societatis IESV Theologiæ Primarij quondam Profeſſoris; & modò Bracharenſis Collegij eiuſdem Societatis Rectoris.

DE mandato Reuerendiſſimi Patris Simonis Aluares Societatis IESV, in Prouincia Luſitana Prouincialis, vidi librum, qui inſcribitur SVMMA Philoſophiæ, à Patre Balthazare Tellez eiuſdem Societatis in Academico Diui Antonij Collegio Theologiæ Profeſſore accuratiſſimè elaboratum. In eo nihil inueni, quod fidei, aut bonis moribus contradicat: imò multa, quæ fidei propugnandæ, & bonis moribus inſtituendis maximè conducant: multa, quæ & quæſtionum varietate, & ſtyli breuitate legentium animos poſſint mirificè recreare. Quapropter opus dignum cenſeo, quod in ſtudioſorum vtilitatem typis quàm citiſſimè procudatur. Olyſſipone in Collegio Hybernorum, die 30. Ianuarij anno 1639.

Franciſcus de Amaral.

Iudicium P. M. Cornelij de S. Patricio Societatis IESV Sacræ Theologiæ Profeſſoris.

LEgi ex mandato R. P. Prouincialis hanc Philoſophiæ SVMMAM, in qua eius Author P. M. Balthazar Tellez Societatis IESV Sacræ Theologiæ primarius Profeſſor breui, & clara methodo, periucundo ſtylo, & magna eruditione quæſtiones ad Logicam, Phyſicam, & Metaphyſicam, & ad libros de Cælo, & Mundo, Ortu, & Interitu, & de Anima in vtroque ſtatu pertinentes, & hac ætate in ſcholis agitatas, acutè tractat, & ingenioſè reſoluit. Nihilq; contra fidem, aut bonos mores in hoc tam præclaro opere inueni. Quapropter illud typis dignum, & Philoſophiæ, Theologiæq; Candidatis, & profeſſoribus valde vtile iudico, ipſumq; Authorem de re literaria benemeritum cenſeo. Vlyſſipone in Collegio Hibernorum, die 25. Ianuarij anno Domini 1639.

Cornelius de S. Patricio.

Facultas Prouincialis Societatis IESV.

SImon Aluares Prouincialis Societatis IESV in Luſitania, poteſtate mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Generali Mutio Vitelleſchio, facultatem concedo, vt SVMMA Philoſophiæ à P. Balthazare Tellez eiuſdem Societatis compoſita, & ab aliquibus huius Prouinciæ Patribus grauibus, & doctis viris recognita, & approbata, typis mandari poſſit. Vlyſſipone, 15. Iulij, anno 1639. Simon Aluarez.

APPROBATIONES, ET FACVLTATES Sanctæ Inquiſitionis, & Ordinarij.

Cenſura Doctoris Adriani Petri Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis.

HVnc librum, qui SVMMA Philoſophiæ nominatur, à R. P. M. Balthazare Tellez Societatis IESV compoſitum, & à ſupremo rerum fidei Senatu mihi commiſſum, quanta potui ſedulitate euolui, & expendi, nihilq; in eo ſugillatione, & cenſura dignum offendi, quin potiùs ingenij miram claritatem, doctrinæ copioſam exuberantiam, antiquorum Philoſophorum concinnam interpretationem, recentiumq; Auctorum incredibilem eruditionem inueni: quibus opus ipſum indefeſſi propè eſt laboris partus, & grandis Sapientiæ incrementum. Quapropter dignum iudico vt in publicam lucem proferatur. Vlyſſipone, in Conuentu Sanctiſſimæ Trinitatis, die 28. Ianuarij, Anno 1639.

O Doutor Fr. Adrião Pedro.

Digitized by Google

Cenſura Doctoris Fr. Antonij Bottado Ord. Eremitarũ S. Auguſtini.

HVnc librum à Sapientiſſimo Magiſtro Balthazare Tellez Vlyſſiponenſi Societatis IESV Philoſophiæ, ac ſacræ Theologiæ emerito profeſſore, elucubratum, diligenter euolui. Merito SVMMA Philoſophiæ nuncupatur, opus ſumma induſtria elaboratum, feliciter inuentum, varia, noua, & propria eruditione refertum. Nihil habet alienum à veritate fidei, morumq́ probitate; laudatorem potiùs, quàm cenſorem poſtulat; nam ſi plures de hoc argumento ſcriptores Auctori ademere quòd non ſit ſolus, nullus quòd ſit primus. Opus planè dignum quàmprimùm poſteris dari, nec nobis diutiùs denegari. Ita cenſeo. In Collegio Vlyſſiponenſi, die 19. Februarij, anno 1639.

Doctor Fr. Antonius Bottado.

FACVLTAS SANCTÆ INQVISITIONIS.

VIſtas as informaçoẽs podeſſe imprimir o liuro intitulado SVMMA Philoſophiæ, Author o P. Balthazar Tellez da Companhia de IESV, & depois de impreſſo tornarà ao Conſelho peraſe conferir com o Original, & ſe dar licença pera correr, & ſem ella não correrà. Lisboa 25. de Feuereiro de 1639.

Pero da Sylua. Diogo Oſorio de Caſtro. Sebaſtiaõ Ceſar de Meneſes.

FACVLTAS ORDINARII.

POdeſe imprimir. Lisboa em 20. de Mayo, 639.

O Biſpo de Targa.

Cenſura P. Fr. Emmanuelis ab Spe Magiſtri emeriti, Ordinis S. Franciſci, qui iuſſu Regij Senatus hunc librum perlègit.

COmmiſſam mihi à Supremo Regio Senatu SVMMAM Philoſophiæ in quatuor partes diſtributam, Auctore Sapientiſſimo Magiſtro Patre Balthazare Tellez Societatis IESV, magna cum voluptate, & non ſine admiratione perlegi, magna eſt enim huius Doctoris præſtãtia, mira ſapientia, ingenioſa doctrina, verè Scriba doctus (vt ait Seruator noſter) qui noua, & vetera de theſauro ſuo proferens, nouitatem cùm vetuſtate, & veritatem cum nouitate amico fœdere cõpoſuit: aureamq́ SVMMAM, in qua prædiuites ſapientiæ opes in promptu habeant Theologiæ, ac Philoſophiæ cultores, præclaro ordine contexuit, ſermonis elegantia ornauit. Omnia ſacræ fidei, ac bonis moribus concordant, & à Regijs decretis non diſſonant. Dignum planè opus quòd typis in æternum duraturis commendetur. Sic iudico. Vlyſſipone in Conuentu Seraphici Patris noſtri Franciſci, die 9. Maij, 1639.

Mat. 13.

Fr. Emmanuel ab Spe
Lector Emeritus.

FACVLTAS REGII SENATVS.

VIſtas as licenças do Sancto Officio, & Ordinario podeſe imprimir eſte liuro, & não correrà ſem primeiro tornar a eſta Meſa pera nella ſe taixar. Lisboa 17. de Mayo, 639.

Ioaõ Sanches Baena. Thome Pinheiro da Veiga.

HIc liber in omnibus cohæret cum ſuo originali. Vlyſſipone. In Conuentu Sanctiſſimæ Trinitatis. 2. Decemb. an. 1631.

Doctor Fr. Adrianus Petrus,

Viſto eſtar conforme com o Original pòde correr. Lisboa 19. de Dezembro de 1641.
Fr. Ioaõ de Vaſconcellos. Pero da Sylua. Franciſco Cardoſo de Torneo. Sebaſtiaõ Ceſar.

Taixaõ eſte liuro em mil & duzentos reis em papel. Lisboa 11. de Ianeiro de 642.
Ceſar. Fialho. Meneſes.

Com Priuilegio Real.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO VIRO ANTONIO Gomezio de Matta Coronellio: in Luſitaniæ regnis Regio, & maximo Curſorum Præſidi, &c.

EA demum, Illuſtriſsime vir, exoptata quondã, per opportunè nuper ſe ſe mihi obtulit opportunitas, vt tibi vni, qui pluribus dona plurima tribuis liberalis, donũ aliquod offerrẽ officioſus; ſed nõ ea me ſolummodò vota fatigabant; ardẽbat nimirũ tota Luſitana Societatis Prouincia gratificandi tibi deſiderio, quid tamen tribueret non habebat; neque enim tua fortuna remunerandi deſiderat vicem, nec noſtra ſuppetit retribuẽdi facultatem: quid enim poſſent inopes diuiti præſtare? quid humiles viro excelſo? quid arrogarent paruuli, & exiles magno, & liberaliſſimo heroi exhibere? enim verò quis locus eſt in tota Luſitania, quod templum Vlyſſipone, qui Religioſorum hominum cœtus, qui me tanti viri clementiæ, & libertatis non admoneat? quem nõ fatigat propria largitio, niſi quando ceſſauit aliena indigentia: quem non egenorũ grauat multitudo, niſi quandiu illorum nõ alleuatur neceſſitudo. Quid quæ Societati quotidiè magna impendis, heros maxime? quæ redigo in ſilentium, non ingratus beneficijs, ſed oppreſſus multitudine.

Quòd ſi *Homo homini*, vt eſt in veteri paræmia, *liberalitate ſit Deus*, nemo mihi iure poterit ſuccenſere, ſi tanti viri Clementiam, ac Liberalitatem, diuinam potiùs dixerim, quàm humanam: humanum quidem eſt, ſi homini indigenti, opemq; exigenti opituleris; at diuinum planè eſt, ſi indigentiam præuenias, ſi gratiam, antequàm rogeris, erogaueris: Regia quidem virtus eſt lapſis ſuccurrere, & erigere cadentem; at diuinum propè eſt ante lapſum accurrere titubanti, & minitantem ruinam longè à ceruicibus propulſare; hæc qui præſtet non illũ ego cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo auſim adiudicare: nec mea peculiaris audacia iſta fuit, *Eſt enim* (vt de Clemẽtia Clemẽs dixit Alexand.) *homo benefaciens Numinis imago:* huc tua te liberalitas euexit, vt vota præcurras indigentium; hàc te cælo intulit tua clementia, vt diuina planè benignitate diuini Numinis referas ſimulacrũ; Quid ni? — *Nam cum vincamur ab omni*
Munere, ſola viros æquat Clementia Diuis.

Pietas Deo hominẽ aſſimilat.

Clem. orat. adhortatoria ad Gent.

Claud. in 4. Cõſu. Honorij.

Quid ſi reliquas, præclaras quidem animi tui dotes proſequar? Quid ſi tua-

tuarum virtutum numeroſam enumerem ſuppellectilē? Quid ſi parētum gentilitia decora? Quid ſi primarias affinitatum neceſſitudines, quibus te nemo in Luſitania ſuperat, euoluerem? Quid ſi æquabilem illam, tranquillamq́; per tot annos ſenilis prudentiæ grauitatem? vt meritò in te ornando affluentem Dei gratiam videam apertā, quia tu nunquàm pauperi manum clauſiſti tuam. Quid ergo Viro maximo amicorum minimus, quid pauper diuiti largietur? profectò occurrit nihil. Sola igitur ea fuit Philoſophiæ audax felicitas, vt ſola te peteret animoſa, ſuis te diuitijs ornatura. Neque ideò minùs tibi gratum, & idoneum erit hoc munus, quòd nunquàm Philoſophiæ aris alūnus litaſti, ſic enim omnibus ex æquo conſtabit, te nūquàm Philoſophiæ opibus indiguiſſe, cùm te, quaſi tui indiga, libenter quærat Philoſophia: teque Philoſophorum præcepta addiſcere potuiſſe, exempla referre malluiſſe; minùs enim eſt quod illi verbis docent, quàm quod tu factis exprimis: ſicut de Patriarcha Sanctiſſimo Ambroſium nectar

Ambro. de Abraham. lib. 1. c. 2. inſtillauit, *Quem votis*, inquit, *ſuis Philoſophia non potuit æquare: minus eſt quod illa finxit, quàm quod iſte geſſit: maiorq́, ambitioſo eloquētia mendacio ſimplex veritatis fides &c.* At enim non tibi pars aliqua offertur Philoſophiæ, quia tu per partes munera conferre neſcis: tota igitur tibi liberaliter funditur, quia totus in benefaciendo liberaliſſimè te effundis.

Accipe igitur, heros magne, paruā hanc Philoſophiæ SVMMAM, quam mihi labor ſummus extudit; & diuturnior cura biſſenos per annos inuigilatam, purgatum ad vnguem ſæpius caſtigauit. SVMMA eſt, ſummum deſiderat Patronum, & ſcientiarum maxima virū maximum poſtulabat. Tuis auſpicijs, tuis largitionibus è tenebris ad præli, ac cæli lucem euocatur, ſic etiam feliciter tibi deſinet, ſi coronidem, immò coronam noſtro imponas operi Coronellius. *Vale.*

Amicorum addictiſſimus.

Balthazar Tellez.

Digitized by Google

R. P. M. BALTHAZARI TELLEZ SOCIETATIS IESV;
PRÆCLARÆ PHILOSOPHIÆ Scriptori præclariſsimo.

P. LAVRENTIVS DE AGVILAR in eâdem Societate Primarius Rhetorices Magiſter, & eiuſdem R. P. in Philoſophia diſcipulus percharíſsimus.

O. E.

CErne opus ingenij, Lector, mira arte politum:
Mirandum Sophiæ cerne micantis opus.
En pretium ſtudij, vigilatorúmque laborum
Excuſſus morſo iactat ab vngue labor.
Docta laboratum commendat pagina librum,
Pagina Olympiaci vertice digna Iouis.
Accipe ſudoris monumenta inſignia opimi:
Accipe Apollinea dona parata manu.
Depoſitum mentis, Lector, tibi credimus altæ,
Et Sophiæ totas pandimus artis opes.
Authoris primùm tanti tibi tradimus aurum:
Diteſcit cultu litera quæque ſuo.
Quot verba inuenio; tot gemmea munera noſco,
Inuidioſa tuis India diuitijs.
Abdita monſtrantur Sophiæ miracula: gaudet
Illa ſuos ſolito plus radiare faces.
Quàm ſplendent actæ clara hæc ad munera noctes!
Gratior haud toto riſit in orbe dies.
Nullæ fulſerunt luces conſpectiùs illis,
Queis data tam pulchris tempora pignoribus.
Tu teſtis viridi ſurgens Collimbria colle:
Ieſuadæ ad numeros tendite, quæſo, meos.
Hùc ades ò Sophiæ prædulce cubile, beatum
Hoſpitium, & tanto cognita cella viro:
Quos illum ſolidos vidiſti condere ſoles!
Quas ſtudijs noctes adſociare ſuis!
O quoties libris dum incumberet altiùs, ille
Eſt feſtinantes queſtus abire dies!
O bene felices horæ, ſpatia aurea, quæ te
Quàm fauſtæ ſcriptis applicuere moræ!

Indulſere tibi cæleſtia numina: mentem
Sol roſeæ nitido contigit igne comæ.
Sæpe etiam curſum iuſsi, cùm poſceret vndam,
Axis anhelantes continuiſtis equi.
Vtque auida his poſſet depaſcere lumina curis;
Diſtulit amplexus Doris amata ſuos.
Hîc ſibi nequa moræ tantì diſpendia fiunt:
Dum Sophiæ Tellez ditia tela vibrat:
Dum vibrat, & pulchro ſibi pectora ſauciat ictu:
Et quis non telis optet obire ſuis!
Sed quid ego? hæc vitam, dant hæc tela aurea Tellez:
Dum rapitur ſenſis ſenſus ad aſtra tuis.
Sic te ſic decuit partu inſudaſſe ſuperbo:
Otiaque ad fœtus addere longa tuos.
Vt tali micuiſſet opus ſpectabile cultu,
Et Sophiæ tantas exhibuiſſet opes.
Hîc Sophiam Pallas complectitur: enitet vnà
Eloqij grauitas, & rationis apex.
Rhetoricis Sophiam veſtitam floribus offert
Authoris, multa non ſine laude, manus.
Quàm pulchros luſus verborum admiſcuit! oris
Cum Sophia Latij conciliauit opes.
Ergo ſi Ariſtotelem Sophiæ præſtantia præſtat:
Tellius, eloquio Tullius alter adeſt.
Ordo operis. *Adde liber miro, quod conditur ordine: pulchra*
Quæq; aptas ſeruant in ſtatione vices.
Logica in prima parte. *Ingreſſus Logicæ gratiſſima dogmata miror:*
Enitet obſcuris clarior ille locis.
Qualia conſpicio argumenta exurgere! proh quos
Conditos Logica cum grauitate ſales!
Vniuerſalia. *Hic rerum ſpecies ſpecie exornantur; & ipſa*
Amplexu excipiunt inferiora ſuo.
Prædicamenta. *Diſpoſitos rerum diſtinguunt ſcrinia cœtus:*
In claſſes ſeries diditur ampla ſuas.
Doctrina ſignorum *Deinde tibi ex æquo partitur ſigna: notantur*
Diuiſa in geminum ſigna creata caput.
Denique quidquid adeſt Logico ſubtile theatro
Pagina præclaro ſtructa labore refert.
Additamẽta ad Logicam. *Protinus occurrunt Logicæ ornamenta: niteſcit*
Hoc nullum Logicæ clarius artis opus.
Libri de Phyſico auditu in ſecunda parte. *En nudata artis natura effulget amictu:*
Spectantur proprijs ditia quæque locis.
Materiæ iacet hic rudis, & ſine imagine imago:
Eſt deſiderio plus nihil illa ſuo.
Dẽ Materia, & Forma. *Incubat hinc formæ; neque eam ſatiatur habendo,*
Cuius ad eximias pauper abundat opes:
Vnde venuſtatem ſortitur, & arrogat artem:
Ingratæ turpi dedecoranda nota.
De Motu. *Adſpice quàm celeri tibi mentis acumine, motus*
Panditur aſſuetas impiger ire vias.

Huic

Digitized by Google

Huic operi Princeps imponit Cauſa coronam:
Primaque Cauſarum Cauſa coronat, opus. De primo Motore.
Nec procul hinc ſuperi conſurgit machina Cæli:
Emoritura ſuis ignibus aſtra micant. Libri de Cælis.
Influxus Solis varios circumſpice: Lunæ
Quas ſoleat tacita currere nocte vias.
Vtque ſinum Phœbus telluris, & impleat auro
Diuitijs multum viſcera auara ſuis.
Iamq; Planetæ ſuos aperit fulgentior ignes:
Sydera Olympiacæ ſplendidiora plagæ.
Frigida Saturni primùm ſtella enitet: inſtat
Iuppiter; & grato Mars furit enſe minax:
En ſolare iubar duodena per aſtra ſuperbit:
Bella Ven[illegible] exerit inde faces:
Gaudet Mer[illegible]dum ſplendoribus æther:
Gaudet po[illegible] Luna præire loco.
Quò rapis [illegible] Sapientia vatem:
Per ſummas rerum cognita cauſa vias. In tertiâ parte de Metaphyſica.
Doctrinæ ſtupeo monumenta feracia: mentis
Hîc ſe præcipitant pulchra fluenta tuæ.
Æternæ dotes veneratur Pagina mentis:
Materiâ ſcriptis conueniente ſuis.
Quin etiam Interitus rerum oſtenduntur, & Ortus:
Alternátque ſuas vitáque, mórſque vices. In quartâ parte. Libri de Gener. & Corrupt.
Inde animam triplicem, non queis Feronia natum
Haud profectura munijt arte ſuum:
Extremo ſub fine locat. Quâ creſcitur, & quâ Libri de Anima.
Res ſenſu poſſunt, quâ ratione frui.
Quid mens corporeo iam libera càrcere poſſit; De Anima ſeparata.
Vltima conſpicui meta laboris adeſt.
O Sophiæ grati, felicia tempora, curſus!
Parſq; animo vitæ non peritura meæ!
Dum licuit tanto ſub præceptore mereri:
Audire, & notos reddere voce ſonos.
Ingenio qualis mirabar ſurgeret! ille
Eloquio quantus, dum loqueretur, erat!
Illius ad famam mirata Academia, ſæpe
Hos clara fertur voce tuliſſe ſonos:
Lyſica Ariſtotelem contemnant gymnada; quandò
Hic magno maior ſurgit Ariſtotele.
Hic ille eſt, quem fama locat ſuper æthera: virtus
Quem beat, & pulchro pulchrior ore ſedet.
Ieſuadæ celebratus honos, & gloria gentis:
Hic & Vlyſſeæ gloria rara plagæ eſt.
Hoc partu Vrbs felix, hac prole ſuperbit Vlyſſes,
Grandior & ſcriptis ambitioſa, ſuis.
Mantua Virgilio, quin Smyrna triumphet Homero:
Et iactet partus illa, vel illa ſuos:
Neſcio Vlyſſeis quid maius naſcitur oris!
Quid vet rum titulos occulit ingenium!

Nam

Nam licèt hic Sophiæ ſe totum impenderit; ingens
At decus,& Clarij eſt maxima cura Dei.
Verſibus eximius vates ſi quæritur; hic eſt,
Dum grandi Heroas perſonat ore, Maro.
Nec Flacco Lyricis, Elegis nec mollibus ille
Inuidet ingenium, Naſo poeta, tuum:
Et Tragicis Senecam, præfert Epigrammate Marcum:
Orator roſtris dum tonat, hic Cicero eſt.
Brachara te dulcis vernantem flore iuuentæ,
Flauaq́, cùm primus pingeret ora viror:
Digna fuit clarum te roſtra ad Prima Magiſtrum
Accipere,& gratum poſcere ab ore melos.
Hìc luſtrum elapſum eſt: digreſſo hinc Ebora gaudet,
Primaq́, dat meritis debita roſtra tuis.
Iamq́, exoptato petitur Collimbria paſſu:
Rhetoricæ hìc etiam tradita cura tuæ.
Deerat Vlyſſeæ Primæ tibi cura paleſtræ;
Viribus incubuit protinus illa tuis.
O quales,& qui tantum obtinuere magiſtrum!
Quàm præceptoris cætus ad inſtar adeſt!
Proh' quanta ſurgit fæcundum Pallade pectus!
Quàm micat ingenij gloria rara tui!
Te Sophiæ inde tuæ, te te vocat aula Mineruæ:
Læta ſit vt dubites illa, vel illa, magis.
Tuq́, adeò ò ſupero ſacrata ſcientia Regi:
Fax ſemper ſplendens,& ſine nocte dies!
Notitia ò rerum humano ſublimior auſu,
Pande tuo Telles quantus ab igne calet!
Doctor Vlyſſæa tua cùm Primarius vrbe
Explicuit ſenſis abdita ſenſa nouis.
Sed quid ego exili oceanum trabe currere tento!
Carmine quid laudes proſequor vſque tuas!
Ipſa mihi, licèt auguſtas, det Mantua lauros,
Et Smyrna: ad titulos vix tamen aptus ero.
Cedat Ariſtoteles tibi Telles, maior ab illo
Famæ magnificis ore ſerere ſonis.
Te ſolùm tua ſcripta queunt venerarier; atque
Promerita ingenio præmia ferre tuo.
Carmine vos Elegi ſignati hoc dicite: TELLEM,
Quæ diuiſa omnes gloria, iuncta beat.

Digitized by Google

ADMONITIO CIRCA ERRATA.

ALiquot orthographiæ errores hîc emendo, nã omnes corrigere perdifficile foret, quos vltrà repereris mihi non imputes, Lector, irrepſere enim reclamãte authographo, Authore ingemiſcẽte aduerſùs typographos iſtos non minùsmendoſos, quàm mendaces.

Errata Primi voluminis ſic corrige.

PAg.76.n.11.lin.6.prædicamentũ, prædicamentorum.p. 297.n.11. lin,3.contra,intra. p,296.n.5.l.4,proportionem, propoſitionem. In lib.de Cælo,diſp.40.ſect.2.vbi in pag.legitur 318.corrige 328.& ſequenti pag.335.corrige 329.pag.ſequenti 120.corrige 330.p.351. incli nare,inclinari.p.359.n.21.lin.1.cælum,aſtrum. p.125.n.6.fine, arpes, Alpes.p. 105.n.11.in titulo,enuntiationibus,enuntiationis.In Indice verbo Agens,lin.1.vbi eſt 104.corrige 204. In Indice verbo Deus lin. 2.vbi eſt.3.lege 41.

Errata ſecundi voluminis ſic corrige.

PAg.70.in capite diſp.gloriæ,dic gloria.p.135.n.15.lin.10. enitatis,entitatis.ibi.lin.18.conutari,confutari.p.51.n.9.lin.11.intelligibile, inintelligibile. p.53.n.5.malignantiæ,malignantis. p.58.n.1. lin.1.ſubſtantiæ,ſubſiſtentiæ.p.80.n:7.creat,creatæ.p.217.n.11.lin.8 intrinſecum, extrinſecum. p.224. n.13. repetitionum, repetitionẽ. p. 199.n.7.fine,Mulùm,Multùm,p.38.n.1.lin.5.ſubſtantia,ſubſiſtentia, p.368.n.3.multos,malos.p.234.n.24.quibus,qualis.p.247.n.7.lin.18. dele *eſt*. p.335.n.4.lin.2.impreſſas,expreſſas. p. 347. n.20.lin.3.materialis,formalis.p.370.n.12.lin.3.ſubſtantiæ,ſubſiſtentiæ.p.242.n.4. in aliæ,in alijs.p.326.n.12.dicto,ductu.p.133.n.5.lin.11. aduerſo,ex aduerſo. p.71.n.8.lin.6.non materialem, non poſſe materialem. p.115. in cap.diſp. negatio,nugatio.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆLOGIVM
LECTORI MEO.

EN tibi, Amice Lector, immenſam Philoſophiæ ſyluam exiguo ſub faſce colligatam, & in quatuor partes diſtributam tomus vnicus breuiter indicabit. Ne mirere; in gemma annuli ſui tres, de tribus orbis partibus, ampliſsimos triũphos Magnus Pompeius, magno ingenio, artificioſè incluſit.

Sed quorſum hæc ſcribo, præcipuè hoc temporis, cum ſcribentium de Philoſophia multitudo, & legẽtes obruat, & deterreat componentes? adeò, vt inacceſſum prope quondã Philoſophiæ ſpinetũ videas hodie, vel diſcalceatis pedibus (quis crederet?) proculcari: Imò hæc eadem hærentem, ac labantem animum impulit, & erexit cogitatio; enim verò, *Iuuen. Sat. 1.*

—— Stulta eſt clementia, cum tot vbique
Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.

Quarè quæ olim in alma Conimbricenſi Academia, per indefeſſum lucubrationum tormentum, meis auditoribus publicè dictaui, iam tandem in lucem promere, non tenebris diutiùs premere audentem animum induxi: ita tamen, vt inutiles quæſtiones falce amputem; faciles leuiter deguſtem; difficiles verò improbo, ac lento examine ad trutinam pluſculum caſtigem.

Sic verò breuis eſt via, qua pergo ad Philoſophiæ veritatem, vt ſit etiam via Regia, & Conſularis: animus enim eſt non impugnandi, vel innouandi, ſed, ſi potuero, quæ fuerint obſcuriora, nouo ſtyli ordine, per ſingulas concluſiones, primo vultu illuſtrandi: placet enim maximè aureum illud oraculum Vincentij Lyrinenſis, *Intelligatur,* inquit, *te exponente, illuſtrius, quod anteá obſcurius credebatur: per te poſteritas intellectum gratuletur, quod anteà vetuſtas non intellectum venerabatur: Eadẽ tamen, quæ didiciſti, ita doce, vt cũ dicas nouè, non dicas noua. &c.*

In libello aduerſus profanas hæreſũ nouat. ad mediũ.

Digitized by Google

At enim quoniam, per prophanum Ariſtotelem, iter ad ſacram doctrinam præmunio, tamquàm Theologiæ alumnus, de Philoſophia diſputabo,

——— Alterius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

Quod vt conſequi feliciùs valeam, Diuum Thomam ducem, ac lucē, quoad potuero, auſcultabo; cuius ſanctiſsimi viri veſtigia præcipuè colimus, ac reuerēter adoramus; ea tamē lege, atque omine, vt rigidiores eius, & aſperiores aliquot huius ætatis interpretes (qui tūc magnificè, ac Thomiſticè loqui præſumunt, cum negotium cōuicijs agunt) omnino auerſemur. Antiquam igitur, modeſtam, ac ſacram Angelici Doctoris viam aggredior: quòd ſi aliquando extra communes, ac ſtabiles Antiquorum metas proſilio, atque

Horat. Epiſt 1. lib. 1.

Quo me cumque rapit tempeſtas, deferor hoſpes:

Horat. in arte Poetica.

Hoc mihi iuris, cum venia dabis, Lector, nam vt arbores pronos in annos nouo foliorū apparatu innouantur, ita nonnūquā opinionū,

——— Vetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modo nata, vigentque.

Sed iam Numine adflante Virgineo, cui omnes labores noſtros dicatos volumus, feliciter ordiamur.

Vale, Lector, & interim ſume hanc SVMMAM Philoſophiæ, dū tibi aliam vniuerſæ Theologiæ Summam ſummo labore meditamur.

Digitized by Google

PRIMA PARS IN LOGICAM ADNOTATIVNCVLÆ PROŒMIALES.

QVia Philoſophia ſciẽtia eſt, quæ deſcribitur, *cognitio rerum per ſuas cauſas*, hinc fit, vt vel ipſa Metaphyſica, quæ potiùs Sapientia, quã ſcientia nuncupatur, quia tamen per cauſas, (quamuis altiſſimas) procedit, ſub Philoſophiæ nomine comprehendatur: Quarè meritò tomus hic vnicus, qui in quatuor partes diuiditur, complectens Dialecticam, Phyſicam, Metaphyſicam, libroſque de Generatione, ac de Anima, ſub vno tantùm nomine, Philoſophiæ Summa nuncupatur.

Sed quia ordo doctrinæ poſtulat, vt priùs de Dialectica diſſeramus, quia facem veluti præfert ad reliquas huius Summæ partes illuſtrandas, & quia aliqui dubitarunt, Vtrùm Dialectica ſit vera ſcientia, & quodnam ſit eius obiectum? ideo circa Proœmiales Dialecticæ rixas, breui quadam velitatione, antequàm iuſtum pugnæ tempus adueniat, præludendum eſt.

Vtrum, & qualis ſcientia ſit Dialectica?

PRima concluſio. Dialectica eſt vera, & propria ſcientia: Hæc eſt communis, & certa concluſio, quam, præter Ariſtotelem, & Platonem, tenent communiter Auctores cum D. Thoma, quæſt. 4. Met. lect. 4. & Scoto in Prædicabilibus, q. 1. Probatur, quia ſcientia, vt conſtat ex eius definitione, *eſt notitia habitualis certa, & euidens, per demonſtrationem acquiſita*: ſed Dialectica eſt notitia certa, & euidens, per infallibilem demonſtrationem acquiſita: ergo eſt vera ſcientia. Confirmatur, quia illa eſt vera ſcientia, quæ de ſuo ſubiecto proprias paſſiones demõſtrat: ſed Dialectica ita ſe habet, demõſtrat enim de ſuo ſubiecto, (qui eſt modus diſſerendi, vt oſtendam) quod ſit idoneum ad ſcientias comparandas: Deinde de ſyllogiſmo demonſtratiuo oſtendit, quod gignat ſcientiam: de Probabili, quod pariat opinionem: ergo &c.

Ariſtot. Plato. D.Thom. Scotus.

Eſt verò Dialectica ſcientia practica, vt oſtendunt Soarius in Met. diſp. 39 initio. in cap. diſputationis. Fonſ. lib. 3. Met. cap. 2. quæſt. 2. ſect. 4. & alij communiter contra Sotum, quod breuiter ſic probatur, quia præcipuus Dialecticæ finis eſt operatio; tota enim Dialecticæ cura eò tendit, vt modos conſtruat diſſerendi; ergo cum denominatio artis ex eius fine deſſumatur, inde eſt, quod Dialectica, cuius finis eſt hæc operatio, ſiue hæc praxis, dicatur ſcientia operabilis, ſiue practica

Soar. Fonſeca. Scot.

Vtrum, & quo pacto diuidatur Dialectica in docentem, & vtentem?

SEcunda concluſio. Dialectica rectè diuiditur in docentem, & vtentem. Hæc etiam concluſio recipitur ab vniuerſa ſchola Peripatetica; quæ vt probetur, aduerto, duplex eſſe Dialecticæ officium, primum eſt tradere, ſiue docere regulas bene diſſerendi: Secundum officium (ſine quo primum poteſt exiſtere) eſt vti ipſis regulis conficiendi modos diſſerendi. Dialectica igitur, ratione primi officij, rectè dicitur docens, ratione ſecundi, dici aliquando poteſt vtens, quia iuxta primum docet regulas; & iuxta ſecundum regulis vtitur: & conſequenter patet, quod bene diuidatur in docentem, & vtentem.

Aduertendum tamen eſt primò, Dialecticam ſecundùm ſe totam dici docẽtem, quia nulla pars eſt Dialecticæ, in qua ipſa

 more

Digitized by Google

more ſcientiæ, non doceat ſyllogiſmos efficere; vndè etiam pars Topyca, in qua agitur de Probabilibus, Dialectica eſt docens, quia etiam ſecundùm eam partem, docet modos conficiendi ſyllogiſmos in materia probabili, immó demonſtrat, tales ſyllogiſmos gignere opinionem.

Aduerto ſecundó, Dialecticam ſolùm dici vtentem, ſecundúm partem Topicã, ideſt, ſecundúm eam partem, quæ conficit diuiſiones, definitiones, & argumentationes in qualibet materia probabili: Probatur, quia Dialectica in tantum dicitur vtens, in quãtum ad illam pertinet vſus differẽdi in materia probabili: ſed hic vſus in materia probabili ſolum pertinet ad Dialecticam ſecũdúm partem topicam: ergo ſolúm, ſecundũ partem Topicam, eſt vtens.

Hic eſt primus ille Dialecticæ nodus, quo iuniores ad primum Dialecticæ limen laborioſé implicantur, nequeunt enim ita facilè percipere, cur Dialectica, ſecundúm ſe totam ſit docens, & ſolùm dicatur vtens, ſecundùm partem Topicam; cum enim Dialectica, ſecundùm ſe totam, habeat vſum conficiendi ſyllogiſmos, cur ſecundùm ſe totam, non dicatur vtens? Quod vt percipiatur, aduertat Lector, quæſtionem hanc meritó ab aliquibus de vocabulo iudicari; vt tamen facilè intelligatur, quid Auctores ſub his terminis ſignificent:

Aduerto tertió, vſum differẽdi in materia neceſſaria, pertinere ad eã ſcientiã, cuius eſt illa materia: v. g. ſyllogiſmus, qui fit in materia neceſſaria Metahhyſicæ, pertinet ad ipſam Metaphyſicam; & ratio eſt, quia quælibet ſcientia habet propria principia, & ſpeciales concluſiones, quarum notitia ad nullam aliam ſcientiam pertinere poteſt, nam ſi vna ſcientia; v. g. Dialectica, omnes efficeret demonſtrationes, ea ſolùm Dialectica foret ſcientia, omneſque alias ſcientias comprehenderet, quia ſcientia conſtat ex demonſtrationibus, quas conficit, quarè ſi ſola Dialectica efficeret omnes demonſtrationes, ſola Dialectica comprehenderet omnes ſcientias, quod eſt falſum.

Aduerto quartò, omnem vſum differendi in quauis materia probabili pertinere ad ſolam Dialecticam, vt docet Ariſtoteles lib. 1. Topicorum, cap. 1. Probatur, quia in ſimili vſu nihil ſcientificum reperitur, præter formam, cum materia probabilis, per ſe ipſam, ad nullam ſcientiam poſſit pertinere: ergo cum talis vſus, ratione formæ, ſit ſcientificus, meritò ad ſolam Dialecticam ſpectabit, cuius eſt proprium munus, talem ſciẽtificum vſum reliquis ſcientijs præcipere, & tanquàm famulam miniſtrare. *Ariſt.*

His animaduerſis, non nego, Dialecticã ſecundùm ſe totam, habere vſum differẽdi, cum enim ſit practica ſcientia, cuius finis eſt operatio, neceſſariò, ſecũdùm ſe totam, debet efficere modos differendi, & ſecundùm hunc ſenſum rectè dici poterat tota Dialectica vtens, quatenus etiam vtitur regulis efficiendi ſyllogiſmos: Quia tamen Auctores non loquuntur in hoc ſenſu, ſed ſolùm vocant Dialecticã vtentem eam, quæ vtitur materia probabili, & cum prout ſic, ratione materiæ, non ſit ſcientia, ideo ſolùm vocant Dialecticam vtentem eam partem Topicam, in qua agitur de materia probabili: & hinc eſt, quod vſus ipſe differendi in materia neceſſaria non dicatur Dialectica vtens, ſed docens, quia cum talis vſus ſit ſcientificus, & ſola Dialectica docens dicatur ſcientia, meritò talis vſus dicitur Dialectica docens, ſiue vſus Dialecticæ docentis: è contra veró, cum vſus Dialecticæ in re probabili non ſit ſcientificus, & cum Dialectica vtens non dicatur ſcientia, meritò talis vſus dicitur Dialectica vtens, ſiue pertinere ad Dialecticam vtentem, non vero ad docentem: & ecce quomodo nodus ille Dialecticæ docentis, & vtentis, qui in ſolo vſu loquendi conſiſtit, ad quem miſeré impingunt iuniores, extricatus, & enodatus relinquitur.

De Obiecto Dialecticæ.

TErtia concluſio. Modus differendi. (*qui eſt oratio, qua ignotum ex notis aperitur, diuidendo ſcilicet, definiendo, & argumentando*) eſt adæquatum, & proprium Dialecticæ ſubiectum. Hæc eſt hodie communis meliorum Philoſophorum ſententia, vt videre licet apud Conimbricenſes in Logica, quæſt. 5. Proæmiali, artic. 3. & apud Rubium in Logica, quæſt. 6. num. 42 §. Poſtrema, & Soarium in Met. diſputat. 1. ſect. 4. num. 25. Murſia, quæſt. 2. Proæmiali. Fonſ. 2. Met. cap. 3. quæſt. 1. ſect. 5. Hurtad. diſputat. 1. Logicæ, ſect. 4. §. 17. Probatur, quia tota Dialectica occupatur in tradendo modo inueſtigandi ignotum ex notioribus: ſed hoc per modum differendi obtinetur, vt patebit: ergo differendi modus eſt proprium, & adæquatum obiectum, ſiue ſubiectum Dialecticæ. Confirmatur, quia modus differendi eſt aliquo modo vnus, & ideò omnia, *Conimb.* *Rubius.* *Soar.* *Murſia.* *Fonſ.* *Hurtad.*

quæ

Digitized by Google

quæ in Dialectica tractantur, ad ipſum referri poſſunt.

Qui modus differendi, quamuis formaliter ſit ens rationis, quatenus intellectus conſtruit ſyllogiſmos, nihilominus fundamentaliter importat reales intellectus operationes; & in eo reperitur fundamentalis quidã ordo, ex quo reſultat realis poteſtas aperiendi ignotũ ex notioribus: immò ſermo internus, de quo agit Dialectica, eſt quid reale. Vnde quamuis Dialectica dicatur ſcientia ſermocinalis, adhuc tamen verè ſcientia realis eſt.

Quare quoad hæc, placere mihi non poteſt communis Thomiſtarum ſententia aſſerentium ſolum ens rationis, quã tale, & nullo modo ens reale, eſſe adæquatum, & proprium Dialecticæ obiectum, ſiue ſubiectum: cùm enim Dialectica ſit realis ſcientia, nequit pro obiecto vendicare ſolum ens rationis: eſſentia enim cuiuſque ſcientiæ ab obiecto petenda eſt: & præterea, quia vt bene aduertunt noſtri Conimbricenſes ſupra, §. Non placet: Dialectica non explicat, ſaltem ex proprio munere, naturam, & principia entis rationis, ſed veluti ex accidenti, vt ſatis liquet. *Conim.b.*

Gallego. Fruſtra igitur in fruſta diſſecatur Gallego in ſuis Controuerſijs artium, circa Proœmialia, Controuerſia 8. §. Dico ſecundò. Quatenus aſſerit, nullo modo ens reale, ſed ſolum ens rationis, eſſe adæquatum Dialecticæ obiectum: addit que contra Patrem Soarium, *Ieſuitam iſtum immodeſtè ſatis loquutũ eſſe, & vehementer erraſſe, dum negat ens rationis eſſe obiectum Dialecticæ*; ſed (vt ego modeſtè ſatis reſpondeam, ne ſimiliter errem in hoc errore) profectò in modo differendi, ſine modo differit iſte Gallego, neque vnquam, vt opinor, probabit immodeſtiam viri religioſiſſimi ac modeſtiſſimi: Quare licet pro hac Thomiſtica opinione multos coaceruet Auctores, hi tamen non tam rigidè, ac ſeuerè loquuntur, vt omnino excludant ab obiecto Dialecticæ modum differendi, quatenus ſaltem fundamentaliter importat ens reale, vt patebit ex eorum contextu: ne ergo ſententiam D. Thomæ, cui præcipuè auſculto, in ipſo veluti limine videar reprobare, mitiori interpretatione rigidam Thomiſtarum ſententiam emollio, aſſeroque cum Rubio citato. §. Poſtrema aſſertio: Obiectum Dialecticæ eſſe modum differendi, qui ex ente reali, & rationis coaleſcat, ita vt formaliter ſit ens rationis, fundamentaliter verò ſit ens reale, vt ſupra dixi. *D.Thom.* *Rub.*

De Neceſſitate Dialecticæ ad reliquas ſcientias.

QVarta concluſio. Dialectica artificialis eſt ſimpliciter neceſſaria ad quamcumque integram ſcientiam perfectè comparandam: ita cum alijs Doctoribus Rubius in Logica. q. 1. proœmiali. n. 9. § Quibus explicatis. Probatur, quia in quauis ſcientia ſunt multæ concluſiones, quarum aliquæ, etiamſi certò ſine Dialectica cognoſci poſſint, nihilominus vt certò omnes cognoſcantur certitudine reflexa, & quæ vſque ad vltima prima principia pergat, neceſſaria omnino eſt Dialectica. Quod ſic probatur, quia qui perfectè tenet aliquam ſcientiam, debet etiã eſſe certus de infallibilitate talis ſcientiæ: hoc verò fieri non poteſt, niſi ſciat deducere tales concluſiones ad vltima principia: ſed ſola Dialectica docet hanc deductionem: ergo eſt ſimpliciter neceſſaria ad perfectè comparandam aliquam integram ſcientiam. *Rub.*

Vbi aduerto tria. Primum eſt vnam, vel alteram concluſionem poſſe imperfectè comparari ſine Dialectica artificiali. Probatur, quemadmodum lumen naturale ſufficit ad penetrationem alicuius principij, ita etiam ſufficere poteſt ad cognoſcẽdam aliquam concluſionem facilem, & valde coniunctam primis principijs. Aduerto ſecundò, ſermonem eſſe de Dialectica artificiali; nemo enim dubitat naturalem Dialecticam omnino ad quamuis ſcientiam, vel concluſionem, neceſſariam eſſe. Aduerto tertiò, cum dico, Dialecticam eſſe ſimpliciter neceſſariam, intelligendum eſſe tã ad melius eſſe, quàm de neceſſitate ad eſſe: Vnde quoad hoc non adprobo ſententiam Patrum Conimbricenſium in Proœmialibus Logicæ. q. 6. art. 2. quatenus perparcè nimis Dialecticæ attribuentes docuerunt, neceſſitatem Dialecticæ ſolùm eſſe ad melius eſſe; cum tamen, meo iudicio, ſimpliciter ſit neceſſaria ad eſſe, vt ex dictis conſtat. Hæc paucula pro quæſtionibus Proœmialibus ſufficiat prælibaſſe. Parce interim, Amice Lector. *Patres Conimb.*

—— Iam iamque animo maiora paranti
Da veniam, & teneres ne dedignare Camænas. *Sannaz. Ecclog. 6.*

TRACTATVS PRIMVS, IN VNIVERSALIA PORPHYRII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PROŒMIVM.

SVppoſito, quod Dialectica ſit vera ſcientia inter practicas numeranda, primum eius tractatum inſtituo, in quo de Vniuerſalibus mihi agendum eſt, iuxta eam, quam promiſi, breuitatem, ſub qua compendiariam viam non ſolùm arripiam, verum etiam corripiam. Porphyrius ergo, vt Chryſaorium nobilem auditorem inſtrueret, aditumque patefaceret ad prædicamenta Ariſtotelis meliùs percipienda, breuiſsimam de Vniuerſalibus inſtituit Iſagogem. Vnde nobis ad diſputationes aliquot materiam ſuppeditauit.

DISPVTATIO I.

De Eſſentia, Vnitate, & Aptitudine Vniuerſalis.

VNiuerſale cõmuniſſimè ſumptum, eſt *vnum aliquod ad res plures pertinere potens*; hoc vel poteſt eſſe complexum, vt eſt commune aliquod effatum, vt *de quolibet verum eſt affirmare, aut negare*, quod multis rebus poteſt accommodari; vel poteſt eſſe res aliqua particularis, quæ res plures cauſet, aut ſignificet, qualis eſt Sol; de his nobis non eſt ſermo, ſed de Vniuerſali logico, ac ſimplici, cuius definitionem exploramus.

SECTIO I.

Quid ſit, & in quo conſiſtat vniuerſale.

1 PRima concluſio. Vniuerſale logicũ *eſt id, quod prædicatur, ſiue quod aptum eſt prædicari de multis.* Hæc definitio colligitur ex Ariſtotele multis in locis, (*Ariſt.*) vnus ſufficiet, lib. 1. de Interpretatione, cap. 5. eſtque omnium Philoſophorum communis, quæ proinde magis explicatione indiget, quàm probatione. Per particulam igitur *id quod* intelligitur, vniuerſale debere eſſe vnum, non ſolùm nomine, ſed etiam ſignificatione, ideſt, ratione, & eſſentia: Quapropter ab Vniuerſalium prærogatiua longè exulant, tam æquiuoca, quæ non vnã tantùm habent eſſentiam, quàm etiam complexa, quæ non vnum tantùm habent nomen. Per particulam *aptum prædicari* facilè intelligitur, nõ requiri ad vniuerſale, quod actu prædicetur, ſed ſatis eſſe, quod aptum ſit prædicari; contingit enim vniuerſalem naturam in vno tantùm ſingulari reperiri, atque adeò de eo tantùm ſecundùm actualem prædicationem dici, vt exemplo Solis, manifeſtum erit; & tamen Sol eſt vniuerſalis, reſpectu multorum Solium poſſibilium, de quibus aptitudinaliter poteſt prædicari, prædicatione ſcilicet directa, vera, & affirmatiua.

Eſt

Digitized by Google

Quid ſit prædicatio.

2 Eſt autẽ prædicatio directa ea, in qua id, quod eſt forma, vel quaſi forma, prædicatur de eo, quod eſt materia, vel quaſi materia, vt cernitur in hac prædicatione, *Homo eſt albus*, in qua albedo, quæ eſt forma, prædicatur, ideſt, affirmatur de homine: & in hac *Petrus eſt homo*, quia homo, cùm ſit quoddam totum, eſt veluti forma ſuarum partium. Vnde propter hanc particulam, reijciuntur à legibus Vniuerſalium Dialecticorum ea, quæ prædicãtur indirectè, falsò, aut contra, vel præter naturam.

3 Cùm verò Vniuerſale, vnum ſit multis commune, ea eius eſt ratio, vt in iiſdem ſit, quibus eſt commune; immò ex eo cõmune dicitur, quia in omnibus reperitur; & propterea, quia in illis eſt, verè de illis prædicari, ſiue affirmari poteſt. Quapropter ab hac Vniuerſalium regula excluduntur ſingularia, quæ de vno tantùm affirmãtur. Illa verò plura, in quibus ſit, & de quibus vniuerſale prædicetur, debent eſſe plura ſecũdùm idem nomen, & ſecundùm eamdem rationem: & ideò natura diuina non eſt vniuerſalis ad tres diuinas perſonas, quia in illis non multiplicatur. Debent denique illa plura participare naturam communem eâdem ratione: vnde coloratum non eſt vniuerſale reſpectu huius albi, & reſpectu huius cygni, quia de albo prædicatur eſſentialiter, de cygno verò accidentaliter.

In quonam conſiſtat formalis ratio vniuerſalitatis.

4 SEcunda concluſio. Ratio formalis Vniuerſalis, ſeu vniuerſalitas ipſa cõſiſtit in quadam aptitudine, ſeu in quadam capacitate, quam natura cõmunis habet, vt ſit in multis inferioribus. Ita Fonſ. in Iſagoge Philoſophica, qui hãc doctrinam omnium Doctorum communẽ dicit: quam multi nobiles Recẽtiores amplexi ſunt.

Fonſeca.

5 Vt hæc cõcluſio intelligatur, ſupponẽdum eſt ſecundùm doctrinam D. Th. 7. Met. lect. 13. duo præcipuè reperiri in quolibet vniuerſali. Primum eſt natura ipſa ſubſtrata, quæ dicitur vniuerſalis materialiter, v.g. homo, qui denominatur vniuerſalis: Secundum eſt vniuerſalitas ipſa, quæ eſt quædam veluti forma, quæ denominat hominem vniuerſalem: de hac igitur vniuerſalitate dubitatur, in quonam conſiſtat. Cũ igitur vniuerſale, ex eo quòd ſit vnum, habeat vnitatem, & ex eo quòd ſit aptum eſſe, & prædicari de inferioribus, habeat etiam aptitudinem quandam ad eſſendum in ipſis inferioribus: & cùm prætereà in hac aptitudine ad eſſendum in inferioribus, fundetur quædam relatio ad ipſa inferiora, quæri meritò ſolet, vtrùm hæc vniuerſalitas formalis, quæ denominat vniuerſalem naturã aliquam ſubſtratam, vtrùm, inquam, conſiſtat in vnitate, vel in aptitudine, vel in relatione.

D.Thom.

6 Imprimis igitur certũ eſt, vniuerſalitatem non conſiſtere in vnitate, quamuis hæc requiratur: & ratio eſt, quia poteſt aliquid habere veram vnitatem, & non eſſe vniuerſale, vt patet in quouis ſingulari: ergo hoc, quod eſt eſſe vnum, non eſt ipſa formalitas vniuerſalis.

7 Deinde probabilius exiſtimo, vniuerſalitatem non conſiſtere in relatione, quam habet natura cõmunis ad inferiora, quãuis hæc ſententia valdè probabilis ſit, & ideò multi eam abſolutè ſequantur, quos citat, & ſequitur M. Serna in ſua Logica. diſp. 1. de Vniuerſalibus, q. 7. art. 5. à §. His non obſtantibus. Ratio noſtræ reſolutionis eſt, quia ſi per impoſſibile tollatur relatio à natura communi ad inferiora, & adhuc natura iſta concipiatur capax ad eſſendum in multis, adhuc concipietur in ea ratio formalis vniuerſalis: ergo non in relatione, ſed in aptitudine, ſeu potentialitate ad eſſendum in multis, conſiſtit formalitas vniuerſalis. Antecedens probatur, quia ſi à qualibet cauſa tollatur relatio prædicamentalis ad effectum, ſi adhuc in ea perſeueret eius virtus, adhuc denominabitur vera cauſa: ergo ſimiliter, &c.

Serna.

8 Cõfirmatur, quia Vniuerſale, & Particulare opponuntur, atque adeò quando datur vniuerſale, adhuc non dantur particularia, quia natura eſt indiuiſa, & quando dantur particularia, iam non datur vniuerſale, quia iam natura communis eſt diuiſa. Relatio verò cùm dari non poſſit, niſi inter extrema actu exiſtentia, non poteſt dari relatio, niſi quando dantur inferiora; cùm verò dantur inferiora, iam non datur Vniuerſale, ſiquidem iam natura in illis eſt diuiſa: ergo tantùm abeſt, vt vniuerſalitas cõſiſtat in ea relatione, vt immò potiùs relatio tollat vniuerſalitatem; niſi fortè ad diuerſos naturæ ſtatus recurratur.

9 Neque obſtat, quod vniuerſale explicetur per ordinem ad inferiora; enim verò non ſola relata prædicamentalia, vel quaſi prædicamentalia, explicantur per ordinem ad aliud, ſed etiam relata tranſcendentia, vt

Patet in potentia aliqua, cuius eſſentia non conſiſtit in relatione ad effectum, ſed in fundamento eiuſdem relationis, & tamen eſſentia potentiæ explicatur per ordinem ad actus, ſiue ad effectus.

10 Quapropter ſtatuendũ eſt, vniuerſalitatem conſiſtere in ea aptitudine, ſiue in ea capacitate, quam habet natura communis ad eſſendum in ſuis inferioribus, ac de illis prædicandũ: atque adeò vniuerſale formaliter ſumptum, eſt quoddam ens abſolutum, & relatum quidem tranſcendens, non verò prædicamentale, ſiue ad modum relati prædicamentalis.

Quid ſit vnitas?

11 Sed quia circa vnitatem, & aptitudinem vniuerſalis, multæ ſunt Logicales quæſtiones neceſſariò pertractandæ, antequàm in ſequentibus ſectionibus ventilentur; aduerto primò, vnitatem idem eſſe atque indiuiſionem: nam eo ipſo quod res eſt vna, habet negationem diuiſionis; vel aliter, eo ipſo quod res eſt vna, non eſt plures res: hæc vnitas, aut eſt per ſe, aut per accidens. Vnitas per ſe inuenitur in entibus vnius eſſentiæ: Vnitas verò per accidens, in entibus, cuius partes non habent nexum phyſicum, quo pacto aceruus lapidum dicitur vnus: vel etiam dicitur vnum per accidens id, cuius partes ſunt entia completa, & licèt habeant nexum phyſicum, ſunt tamen pertinentia ad diuerſum ordinem, vt potentia, & actus. Aduerto ſecundò, vnitatem formalem communiter dici illam, quæ reperitur in natura communi; vnitatem verò numeralem, eſſe illam, quæ reperitur in inferioribus.

SECTIO II.

In quo conſiſtat vnitas formalis, & quo pacto à numerali diſtinguatur?

Soar. D.Thom. Caiet. Durand.

1 PRima concluſio. Vnitas, ſeu vnũ addit ſupra ens ſolùm aliquid negatiuum. Ita Soar in Met. diſp. 4. ſect. 1. n. 6. cum D. Thom. Caietano, Durand. & alijs, quos allegat: & probatur breuiter, quia quamuis aliquis tollat ab ente per intellectum omne poſitiuum, ſi tamen adhuc relinquatur ens, adhuc ſimiliter relinquetur vnum: ergo &c.

2 Eſt igitur vnitas formalis negatio, per quam res ita conſtituitur vna, vt ſit indiuiſa in ſe, teſte Ariſtotele lib. 10 Met. cap. 5. vbi ait, *vnum eſſe ens indiuiſum in ſe*: & probatur, quia ſicut per diuiſionem intelligimus, vnũ ens fieri plura, ita per vnitatem concipimus negationem in plura. Vnitas ergo formalis non ſolùm negat diuiſionem rei in ſe, ſed etiam diuiſionem à quouis alio; v.g. homo per vnitatem formalem non ſolùm ita eſt vnus in ſe, vt neget diuiſionem in plures homines, ſed etiam diuiſionem in alias naturas diſſimiles. Ariſtot.

3 Quæſtio eſt, in qua negatione formaliter conſiſtat ratio formalis vnitatis formalis? Reſpondeo conſiſtere in ſola priori indiuiſione, vt docet Gil. lib. 2. tract. 3. De Vnitate Dei, cap. 5. n. 4. Probatur, quia poteſt res concipi perfectè vna per vnitatem formalem, cum ſola indiuiſione in ſe, quin concipiatur diuiſa à quouis alio: ergo formalis ratio vnitatis formalis non includit negationem diuiſionis à quouis alio. Probatur antecedens, quia in primo ſigno, in quo, noſtro modo concipiendi, intelligimus Deum ante omnia poſſibilia, illum concipimus vnum perfectè in ſe, per vnitatem formalem, & tamen illum non intelligimus diuiſum à quouis alio. P. Gillius.

4 Explicatur verò hæc formalis ratio vnitatis formalis per indiuiſionẽ rei in ſe, ideſt, per indiuiſionem rei in alias res ſimiles. Secunda verò negatio, quæ additur vnitati formali, explicatur per negationem diuiſionis in alias res diſſimiles. Probatur primò, rationem formalem vnitatis formalis non conſiſtere in indiuiſione à quouis alio, quia hæc ſecunda negatio nihil in re addit enti, ſed per ſolam reflexionem rationis cõſideratur, vt ait Soar. in Met. diſp. 4 ſect. 1. n. P. Soar.
13 Confirmatur tandem, quia indiuiſio in alias res diſſimiles æquè conuenit enti per ſe, & enti per accidens; nam aceruus lapidũ tam eſt indiuiſus in alios, quàm homo, quia tamen in ſe non eſt indiuiſus, non eſt etiam propriè vnum ens.

5 Obijcis contra hanc vltimam confirmationem. Aceruus lapidum eſt indiuiſus in alios aceruos ſimiles: ergo habet indiuiſionem in ſe, ac proinde vnitatem formalẽ. Reſpond. negando conſequentiam, quia licet explicemus vnitatem formalem per indiuiſionem in alias naturas ſimiles, debet tamen hæc indiuiſio ita intelligi, vt per eam conſtituatur ens omninò in ſe vnum, ideſt, vnius eſſentiæ; cùm verò aceruus lapidum habeat plures eſſentias, non eſt formaliter vnus, proindeque non habet vnitatem formalem, eſt tamen indiuiſus in alios aceruos per

Digitized by Google

per ſuam vnitatem per accidens, quæ etiam ſuo modo dicit indiuiſionem.

6 Ex quibus patet, rationem formalem vnitatis formalis conſiſtere in ea prima negatione, ſeu indiuiſione rei in ſe, quod non tollit quominùs vnitas formalis includat, ſaltem ſecundariò, ſecundam negationem, ſeu indiuiſionem entis à ſe, ſeu in alias eſſentias diſſimiles. Probatur, quia res, quæ eſt indiuiſa in ſe, conſequenter eſt indiuiſa in quoduis aliud; vnde hæc ſecunda negatio rectè dicetur proprietas vnitatis formalis.

7 Quæſtio hic eſſe poterat, vtrum hæc ſecunda negatio ſit multiplex, an vna tantùm? videtur enim eſſe multiplex, quia negationes diſtinguuntur per formas negatas, quæ hic ſunt multiplices, homo enim v.g. per hanc ſecundam negationem, habet diuiſionem ab equo, leone, &c. Nihilominus tamen probabile eſt, ſufficere vnam negationem, quæ neget omnem omnino diuiſionem in reliquas naturas diſſimiles, ſicut vnitas præciſionis, cum ſit vna tantùm negat diuiſionem in omnia particularia.

Quo pacto vnitas formalis diſtinguatur ab vnitate numerali?

1 SEcunda concluſio. Vnitas formalis non diſtinguitur ex natura rei ab vnitate numerali, ſed tantùm virtualiter. Ita Soar. in Met. diſput. 6. ſect. 1. n. 9. Probatur prima pars, quia natura communis non diſtinguitur ex natura rei ab entitate ſingulari: ergo neque vnitas formalis diſtinguitur ex natura rei ab vnitate numerali. Probatur ſecunda pars, quia negationes diſtinguuntur per formas negatas; ſed diuerſa forma negatur per vnitatē formalem, & numeralem: ergo ſaltem virtualiter diſtinguuntur. Probatur minor, & declaratur, quia vnitas formalis, cum ſit vnitas eſſentiæ, ſolùm negat diuiſionem eſſentialem, v.g. vnitas formalis communis, quæ eſt in homine, negat primò diuiſionem in alios homines, & ſecundariò in alias naturas diſſimiles: vnitas formalis ſingularis, quæ eſt in Socrate, negat diuiſionem eſſentialem, nam Socrates per ſuam vnitatem formalem ſingularem, ita habet vnam eſſentiam hominis, vt non habeat plures eſſentias hominum, ac proinde negat diuiſionem in eſſentias ſimiles, & ſecundariò negat diuiſionem in alias eſſentias diſſimiles, nempe in eſſentiam Bucephali, &c.

P. Soar.

9 At verò vnitas numeralis cum non ſit vnitas eſſentiæ, ita facit Socratem hunc numero, vt neget primò diuiſionem in alios Socrates; ſecundò in ſingulares homines intra eandem ſpeciem, v.g. in Petrum, & Paulum, non quà homines ſunt (quia in homine conueniunt cum Socrate, per vnitatē formalem, ſicut conueniunt in homine cōmuni) ſed quà ſingulares ſunt, & ſimiliter eadem vnitas numeralis negat diuiſionem in alia indiuidua ſingularia diuerſarum ſpecierum, quà ſingularia ſunt; ſed hæ formæ negatæ ſunt diuerſæ, vt patet ex dictis: ergo & negationes formalis, & numeralis, ſaltem virtualiter diſtinguentur.

10 Confirmatur, quia quemadmodùm eſſentia communis, & differentia indiuiduans in concreto virtualiter diſtinguūtur iuxta communem ſententiam, quæ gradus Metaphyſicos virtualiter tantùm diſtinguit, (de qua opinione, infra dicemus:) ita vnitas formalis, quæ eſt vnitas eſſentiæ, & vnitas numeralis, quæ eſt vnitas differentiæ indiuiduantis, ſeu ſingularitatis in cōcreto, virtualiter tantùm diſtinguentur.

Soluūtur contraria argumenta.

11 Obijcis primò. Negationes diſtinguuntur per formas negatas; ſed forma negata per vnitatem formalem diſtinguitur realiter à forma negata per vnitatem numeralem: ergo & negationes diſtinguuntur realiter. Probatur minor, quia vnitas formalis in Petro, negat diuiſionem Petri in Bucephalum, & vnitas numeralis negat diuiſionem Petri in Platonem; ſed Plato, & Bucephalus diſtinguuntur realiter: ergo & negationes formalis, & numeralis. Reſpōd. negando minorem, quia vnitas formalis, & numeralis adhuc, ratione ſuorum obiectorū non diſtinguuntur realiter, quia obiecta, nempe natura communis indiuiſa in ſe, quæ eſt obiectum vnitatis formalis, & differentia indiuiduans in concreto, quæ eſt obiectum vnitatis numeralis, non diſtinguūtur, niſi tantùm per rationem: ergo ſimiliter vnitas formalis, & numeralis.

12 Inſtas: Saltem illa ſecunda negatio, quæ reperitur in vnitate formali diſtinguetur realiter ab vnitate numerali, quia obiecta realiter diſtinguuntur, nam vt probat argumentum, vnitas formalis in Petro negat ſecundariò diuiſionem Petri in Bucephalū, & vnitas numeralis negat diuiſionem Petri in Socratem, quæ obiecta realiter diſtinguuntur, vt patet. Reſp. negando inſtantiā: quia hæ negationes, licet dicant ordinem

ad

Digitized by Google

ad obiecta, & per ea ſpecificentur, non tamen, ex eo quòd obiecta realiter diſtinguãtur, diſtinguuntur; probatur à ſimili, idem enim numero conceptus poteſt habere obiecta realiter diſtincta; & ratio à priori eſt, quia hæ negationes, quamuis habeant obiecta realiter diſtincta, ſumuntur tamen in eodem ſubiecto, quod à ſe ipſo non diſtinguitur realiter.

13 Obijcis ſecundò. A parte rei Socrates eſt diuiſus à Bucephalo, & à Platone: ergo á parte rei habet vnitatem formalem, & numeralem diſtinctas. Reſpōd. negando conſequentiam, quia etiam Socrates habet à parte rei animal, & rationale, & tamen animal, & rationale ſunt idem à parte rei cũ Socrate, & ſolùm per rationem diſtinguuntur: ſic etiam vnitas numeralis, & formalis à parte rei ſunt idem in eodem Socrate, licet ſecundùm inadæquatos conceptus, habeant diuerſos effectus formales.

14 Neque obſtat, quod vnitas cōmunis inueniatur in natura cōmuni, ſine vnitate numerali, nam etiã natura communis, prout ſic, non includit differentias contrahentes; & tamen ab illis non diſtinguitur ex natura rei, ſecundùm ſententiam, quæ diſtinguit tantùm virtualitèr gradus metaphyſicos.

Vtrùm vnitas formalis reperiatur in indiuiduo?

15 TErtia concluſio. Vnitas formalis accommodatur rebus, in quibus inuenitur. Hæc concluſio vera, & communis eſt, & facilè colligitur ex dictis. (Quamuis contra nos, & Soar. fruſtra delaſſetur Serna in Logic. diſp. 1. ſect. 4. quæſt. 6. art. 2.) declaraturque in hunc modum; dicimus enim vnitatem formalem, quæ eſt in natura in primo ſtatu, (de quibus naturæ ſtatibus ſtatim nobis loquendum eſt) non eſſe vniuerſalem, neque ſingularem, ſicut natura in eo ſtatu non eſt abſtracta, neque contracta: Probatur, quia ſi ſemper eſſet communis v. g. cum vnitas formalis ſit proprietas conueniens neceſſariò, & deſcendens ad inferiora, etiam in inferioribus eſſet communis, quod falſum eſt, vt patet. Similiter vnitas formalis conueniens naturæ in ſtatu abſtractionis communis eſt, vt docet Fonſ. 5. Met. cap. 28. q. 3. ſect. 4. Probatur, quia omnes proprietates, quæ conueniunt neceſſariò naturæ communi, ſunt etiam communes, vt patet in riſibilitate, quæ conuenit homini in communi, & idem cernitur in ſubſiſtentia, &c.

Serna.

P. Fonſ.

16 Cōfirmatur primò, quia vnitas formalis deſcendit cum natura ad inferiora: ergo quemadmodùm natura multiplicatur, ita etiam & vnitas, quæ ſecundariò contrahitur per differentias indiuiduorum. Confirmatur ſecundò, quia, ex eo quòd vnitas formalis ſit proprietas negatiua, non tollit quominus poſſit concipi in communi, quia, (vt dicemus cap. de Genere diſp. 6 ſect. 2 n. 3.) negationes poſſunt eſſe propria, & accidentia. Si verò vnitas formalis ſumatur, prout eſt ens rationis, tunc non eſt dubium, quòd poſſit contrahi per ſe, cum ſit verum genus, vel ſpecies, vt patebit ex dicendis.

17 Obijcis. Ea, quæ conueniunt neceſſariò naturis communibus, conueniunt etiã neceſſariò particularibus: ſed naturæ communi conuenit neceſſariò vnitas communis: ergo & particularibus. Reſpond. diſtinguendo maiorem; Ea, quæ conuẽniunt neceſſariò naturis communibus, ſecundùm ſe, conueniunt etiam inferioribus; concedo maiorem: Ea, quæ conueniunt naturæ communi, ratione ſtatus, conueniunt particularibus: nego maiorem: nam naturæ communi, ex ſuppoſitione quod ſit communis, cōuenit vnitas præſciſionis, & aptitudo, quæ non conueniunt inferioribus: cum ergo natura accidentaliter ſit communis, accidentaliter tantùm habet vnitatem formalem communem, & ſolùm ex ſuppoſitione neceſſariam: Quare vnitas formalis, quæ eſt in inferioribus, communis non eſt, ſed particularis, ſicut ipſa natura facta eſt ſingularis.

SECTIO III.

De Vnitate præſciſionis, eiusque diſtinctione á formali.

1 PRima concluſio. Præter vnitatem formalem requiritur ad vniuerſale vnitas præſciſionis. Ita Logica Conimbric. q. 2. Vniuerſalium in Genere, art. 1. §. Tertia ſententia. Fonſ. 5. Met. cap. 28. q. 3. ſect. 4 §. Ex his. Soar. in Met. diſp. 6 ſect. 3. n. 10. Vbi vnitatem præſciſionis appellat vnitatem numericam. Probatur concluſio, quia natura Vniuerſalis præter indiuiſionem in alias naturas, habet etiam indiuiſionem in ſua inferiora: ſed hæ negationes ſunt diuerſæ: ergo præter vnitatem formalem, quæ negat diuiſionem in

Patres Conimb.
Fonſ.
Soar.

Digitized by Google

in alias naturas, datur vnitas præſciſionis, quæ negat diuiſionem in inferiora: Conſequentia eſt bona, quia negationes multiplicantur, & diſtinguuntur per formas negatas. Probatur minor, quia diuiſio, quam negat vnitas formalis, eſt diuiſio eſſentiæ, & impoſſibilis, etiam per diuinam Omnipotentiam: at verò diuiſio, quam negat vnitas præſciſionis, eſt accidentalis, & poſſibilis.

2 Vnde colliges, vnitatem formalem eſſe negationẽ, quia eſt in ſubiecto omnino inepto ad diuiſionem; Vnitatem verò præſciſionis eſſe priuationem, quia eſt in ſubiecto apto ad diuiſionem.

3 Obijcis primò pro contraria ſententia quam tenet, præter Scotum, & aliquos eius diſcipulos Hurt. in Met. diſp. 5. de Vnitate Vniuerſalis. ſect. 7. in qua nullam agnoſcit vnitatem præſciſionis, imò §. 64. affirmat, Vnitatem Vniuerſalis conſiſtere in actu intellectus, & in hanc ſententiam intentat adducere D. Thomam, & Soarium, quam dicit eſſe in Societate IESV communiorem, ac tandem in indice Verbo, *Vnitas vniuerſalis*, apellat elegãtem hanc explicationem Vnitatis Vniuerſalis: quæ quidem conformis eſt Nominalium ſententiæ, de qua diſſero in ſequenti diſp. interim contra communem doctrinam,

Scotus. *Hurtad.* *D. Thom.* *P. Soar.*

4 Obijcis, inquam, primò. Vnitas præſciſionis non datur in natura: ergo ſufficiet vnitas formalis. Probatur antecedens, quia vnitas Vniuerſalis nihil eſt aliud, quã vnus actus intellectus, quo plura inter ſe ſimilia cognoſcuntur in aliquo gradu: ergo nulla datur vnitas præſciſionis ex parte obiecti, ſed tota vnitas Vniuerſalis prouenit ex parte potentiæ, quæ per vnum actum cognoſcit ſimul illa plura. Reſp. negando antecedens, datur enim aliqua vnitas ex parte obiecti, non quidem realis, & materialis, ſed quam intellectus cum fundamento in re fingit in natura, quæ meritò dicitur vnitas præſciſionis, ſiquidem conuenit naturæ præſciſæ ab inferioribus, & quæ eſt propria rei vniuerſalis, quà vniuerſalis eſt.

5 Obijcis ſecundò. Homo, qui concipitur, vt indiuiſus in inferiora, eſt à parte rei diuiſus, eſt enim v.g. Socrates, & Plato: ergo ſi concipitur, vt indiuiſus, prouenit hæc indiuiſio à conceptu intellectus, ſiquidem in ſe nullam aliam habet indiuiſionem: ergo præter vnitatem formalem, quæ datur in quolibet indiuiduo, nullam aliam habet, niſi à conceptu. Reſp. hominem præſciſum ab inferioribus nullam aliam habere vnitatem materialem, habere tamen aliam, ſi formaliter accipiatur, quam ſcilicet intellectus format in homine ipſo, cum fundamento in re, quando illum abſtrahit ab inferioribus: Vnde in ipſa natura abſtracta datur vnitas intrinſeca, præter eam vnitatem extrinſecã, quam natura Vniuerſalis habet à conceptu, ſicut dicemus de entibus rationis, quæ præter vnitatem extrinſecam, quam vendicant effectiuè ab intellectu, (quatenus ſcilicet intellectus efficit cõceptũ, in quo repræſentatur ens rationis) habẽt etiã ſuã intrinſecã exiſtẽtiã. In natura igitur repræſentata in conceptu datur vnitas præſciſionis intrinſeca, quæ non dependet à conceptu, niſi tantùm effectiuè; ſicut idem conceptus dependet ab intellectu effectiuè, nõ tamen ſecundùm repræſentationem formalem, hanc enim habet ab obiecto.

6 Obijcis tertiò contra eandem concluſionem. Negatio eſt malignantis naturæ: ergo ſufficit vnitas formalis communis, quæ neget vtramque diuiſionem. Confirmatur, quia eadem negatio negat motum in tempore, & in inſtanti. Reſp. negando conſequentiam; quia licet negatio ſit malignantis naturæ, ſolùm remouet formam ſibi pertinentem, alioquì non daretur in Socrate, niſi vna tantùm negatio ad omnes omnino formas negatas, quas habet, quod tamen eſt falſum; cum ergo natura abſtracta dupliciter ſit vna, nempe per ordinem ad alias eſſentias, & per ordinem ad inferiora, neceſſariò requirit duas vnitates, ſeu duas negationes, quæ negent tales diuiſiones: hinc patet ſolutio ad inſtantiam, qui enim negat tempus, conſequenter negat inſtans, ſed nõ omne, quod habet vnitatem formalem, habet etiam præſciſionem, vt patet in quouis indiuiduo.

7 Obijcis quartò Vnitas propria Vniuerſalis non debet deſcendere ad inferiora; ſed ita ſe habet vnitas formalis communis: ergo hæc ſufficit ad Vniuerſale. Probatur minor, quia vnitas formalis communis non reperitur in inferioribus. Reſp. ad maiorẽ, vnitatem propriam Vniuerſalis nullo modo debere deſcendere ad inferiora: at verò vnitas formalis, licet, quà communis eſt, non deſcendat ad inferiora, deſcendit tamen ſecundùm ſe, quà vnitas formalis eſt, quemadmodùm dicimus naturam communicare ſe inferioribus ſumptam ſecundùm ſe, non tamen quà communis eſt, quamuis non habeat potentiam ad hanc communicationẽ, niſi quà communis eſt. Hæc doctrina procedit ſecundùm communem ſententiam

Realium

Digitized by Google

Realium Philoſophorũ, de qua ſtatim agẽdum eſt diſputatione ſequenti.

Quomodo Vnitas præſciſionis diſtinguatur à numerali?

Solũ virtualiter diſtinguũtur. *Rubius.*

8 SEcunda concluſio. Vnitas præſciſionis diſtinguitur tantùm virtualiter ab vnitate formali. Ita Rub. in Logica, q. 3. Vniuerſalium, n. 44. Hæc concluſio imprimis certa eſt de vnitate formali, & præſciſionis, quæ dantur in natura communi, quia ſunt in eodem ſubiecto, & non poteſt eſſe vna ſine alia; eadem enim natura, quæ habet vnitatem præſciſionis, habet etiam vnitatem formalem, & quãuis ſit diuerſa forma, quam negat vnitas præſciſionis, à forma, quam negat vnitas formalis, hoc ſolùm probat, has negationes differre eſſentialiter, non verò probat diſtingui pluſquàm virtualiter, ſicut animal eſt vna eſſentia, & alia eſt rationale; & tamẽ in eodem Socrate virtualiter tantùm diſtinguuntur, vt probabo cum communi Thomiſtarum ſententia.

9 Si verò abſolutè comparetur vnitas formalis cum vnitate præſciſionis, cõcluſio erit magis dubia, quia poteſt vnitas formalis reperiri in Socrate, ſine vnitate præſciſionis, quod videtur ſufficiens ſignum diſtinctionis ex natura rei. Nihilominus probabilius videtur adhuc abſolutè loquendo diſtingui tantùm virtualiter, quia illud ſignũ diſtinctionis ex natura rei ſolum valet inter res, quæ habent realem exiſtentiam; vel inter res, quæ identificantur cum ſubiectis, quæ ſint diſtincta inter ſe, & habeant realẽ exiſtentiam: cum ergo vnitas formalis, & vnitas præſciſionis ſint in eodem ſubiecto à parte rei, (nam Socrates, qui habet ſolam vnitatem formalem, & homo communis, qui habet vnitatem præſciſionis, ſunt idem à parte rei, vt cum communiori ſententia ſtatim explicabo) & cum vnitas præſciſionis in ſe non habeat aliquam realem exiſtẽtiam, non diſtinguetur realiter ab vnitate formali. Et declaratur, quia etiam Socrates datur à parte rei, & homo in communi nõ datur à parte rei, & tamen Socrates non diſtinguitur à parte rei ab homine communi, quia homo communis non habet aliquam realem exiſtentiam extra Socratem: ergo cum vnitas præſciſionis non habeat aliquã exiſtentiam realem ſeparatam ab vnitate formali, non diſtinguetur ab ea realiter.

10 Obijcis. Ens reale, & ens rationis pluſquàm virtualiter diſtinguuntur: ergo vnitas formalis, quæ eſt negatio realis, & vnitas præſciſionis, quæ eſt negatio rationis, pluſquàm virtualiter diſtinguentur. Reſp. permiſſo antecedente, negando conſequentiam; & maior ratio eſt, quia ens reale habet in ſe vnde ſumat diſtinctionem ab ente rationis; negationes verò nullam in ſe habent entitatem, niſi ratione ſubiectorum, & formarum negatarum; quæ duo cum non diſtinguantur realiter, vt patet ex dictis, neque negationes realiter diſtinguẽtur.

11 Ex dictis colliges primò, vnitatem formalem diſtingui eſſentialiter ab vnitate præſciſionis. Colliges ſecundò, vnitatem formalem, & præſciſionis diſtingui etiam eſſentialiter ab vnitate numerali. Probatur, quia vnitas formalis, & præſciſionis habent formas negatas eſſentialiter diuerſas ab vnitate numerali: ergo &c. Colliges tertiò, vnitatem formalem, & præſciſionis diſtingui virtualiter ab vnitate numerali. Probatur, quia ſubiecta, in quibus ſunt hæ negationes, virtualiter tantùm diſtinguũtur, vt ex dictis patet; formæ etiam negatæ non diſtinguuntur realiter, quia vnitas formalis negat diuiſionem in alias naturas communes, at verò vnitas numeralis negat diuiſionem in alias entitates numericas; ſed natura communis non diſtinguitur realiter ab entitate ſingulari: ergo neque hæ negationes; quod cum proportione accommodandum eſt vnitati præſciſionis. Hanc doctrinam ex parte ſequitur Rub. quæſt 3. Vniuerſalium à n. 36. fol. 149. *Rubius.*

SECTIO IIII.

De Aptitudine naturæ communis ad eſſendum in inferioribus.

1 PRima concluſio. Aptitudo Vniuerſalis eſt quædam indifferentia, ſeu non repugnantia ad eſſendum in inferioribus. Hæc concluſio cõmunis eſt, eam, præter D. Thom. & alios antiquiores, ſequuntur Soar. in Met. diſput. 6. ſect. 4. n. 6. & n. 10. Rub q. 4. Vniuerſalium, n. 71. §. Aſſertio poſtrema, à pag. 81. pro qua n. 63. §. Quo ſuppoſito, citat Scotum, & Caiet. Probatur breuiter, quia eiuſdem ad ſe ipſum non datur potẽtia realis poſitiua; ſed Vniuerſale eſt idem cum inferioribus: ergo &c. Cõfirmatur, quia hæc aptitudo *D. Thom. Soar. Rub. Scot. Caiet.*

Digitized by Google

tudo eſt ad diuiſionem, ad quam ſufficit potentia, quæ non ſit realis.

2 Obijcis primó pro contraria ſententia, quæ docet aptitudinem Vniuerſalis eſſe potentiam quandam poſitiuam realem, vel (vt docet Fonſ. 5. Met. cap. 18. q. 4. à §. Sed tamẽ) eſſe modum quendam potentialem, & poſitiuum. Obijcis, inquam, primò. Res habet ex ſe poſitiuam inclinationem ad perfectionem ſibi debitam: ſed naturæ Vniuerſali prouenit noua perfectio coniunctione cum inferioribus: ergo habet poſitiuam inclinationem, ſeu aptitudinem poſitiuam ad inferiora: Confirmatur primó exemplo materiæ primæ, quæ habet poſitiuam inclinationem ad formam, tanquàm ad ſuam perfectionem. Confirmatur ſecundó, quia ſublata illa non repugnantia, adhuc natura cenſetur cum potentia ad diuiſionem. *Fonſ.*

3 Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Res habet poſitiuam, & realem inclinationem ad perfectionem à ſe diſtinctam ex natura rei, concedo maiorem: ad perfectionem non diſtinctam, nego maiorem. Ad primam confirmationem patet reſponſio ex diſtinctione tradita: mirum enim non eſt, quòd materia habeat poſitiuam propenſionem ad formam, à qua realiter diſtinguitur. Ad ſecundam confirmationem, negandum eſt, ſublata non repugnantia, ideſt, aptitudine, adhuc naturam eſſe aptam formaliter, ſicut, ſublata albedine, ſubiectum non manet album. Quamuis propter vnitatem formalẽ, adhuc ſubiectum dici poſſit aptum fundamentalitèr.

Aptitudo eſt potentia poſitiua. 4 Aduerto tamen, explicari, hanc aptitudinem per non repugnantiam ad eſſendum in inferioribus, nihilominus tamen non negari à me aptitudinem eſſe quandam potentiam logicam poſitiuam rationis, cuique annexa ſit illa non repugnantia ad eſſendum in multis; & ratio eſt, quia hæc aptitudo eſt propriè ad eſſendum in inferioribus; cum veró natura eſſe, non poſſit in inferioribus, niſi per diuiſionem, inde eſt, quòd habeat annexam illam negationem repugnantiæ, ſeu illam non repugnantiam ad diuiſionem; ſicut intellectus, quamuis ſit potentia poſitiua, & realis, habet annexam negationem repugnantiæ ad intelligendum; cum hac tamen diſtinctione, quòd intellectus ſit potentia poſitiua realis, hæc veró aptitudo ſit potentia poſitiua rationis, neceſſaria enim non eſt potentia realis, ſiquidem natura communis non diſtinguitur realiter ab inferioribus, & eiuſdem ad ſe ipſum non requiritur potentia realis, erit tamen potentia poſitiua logica, quia eſt ad actum poſitiuum, nempe ad eſſendum, per identitatem in inferioribus.

5 Confirmatur hæc opinio, quia aptitudo ab omnibus appellatur potentia logica, vt videre eſt apud Ferrar. 4. contra gentes, cap. 55. ergo ſi aptitudo eſt potentia, non eſt pura negatio, aut priuatio: Quia diuerſum conceptum formamus de aliqua potentia, ac de aliqua negatione, vel priuatione: ex quibus conſtat aptitudinem eſſe quandam potentiam logicam rationis, quæ fundetur in vnitate formali ipſius naturæ, & ſit quoddam ens rationis non negatiuum, ſed poſitiuum. *Ferrar.*

6 Quam opinionem faciliùs poterit defendere, qui dixerit aptitudinem Vniuerſalis formaliter ſumptam non eſſe potentiam realem, nec modum aliquem potentialem, qui ſaltem modaliter diſtinguatur, (vt volebat Fonſ.) ſiquidem datur per intellectum; ſed eſſe potentiam logicam poſitiuam virtualiter diſtinctam; ad eum modum, quo actus Vniuerſalis formaliter ſumptus dependet ab intellectu, vt docet Logica Conimbricenſis in præfatione Porphyrij, quæſt. 4. art. 3. ſect. 4. §. Ad quartum; & tamen ille actus, ſeu idẽtitas, etiam ſecundùm eam formalitatem, quæ pendet ab intellectu, eſt poſitiuus. Sed qui ita dixerit, conſequenter negabit ens rationis adæquatè diuidi in negationem, priuationem, & relationem, ſiquidem datur quædam potentia logica poſitiua, quæ eſt ens rationis, & tamen non eſt propriè negatio, nec priuatio, nec relatio, licet dici poſſit reuocari ad priuationem. *patres Conimbri.*

7 Obijcis primó contra aptitudinem poſitiuam. Hæc potentia eſt ad diuiſionem: ſed ad diuiſionem nullo modo requiritur potentia poſitiua, vt patet in tabula, quæ per nõ repugnantiam eſt apta ad diuiſionem: ergo aptitudo non eſt poſitiua. Reſp, negando minorem, quia potentia tabulæ ad diuiſionem eſt aliquid poſitiuum diſtinctum, ſaltem virtualiter, ab ipſa tabula, imó eſt aliquid reale, nẽpe ipſius tabulæ cõtinuitas, & integritas, & quãuis tabula habeat annexam non repugnantiã, vt diuidatur, per illam tamen non redditur formaliter, & poſitiuè apta, vt diuidatur, ſed tantùm negatiuè, vt patet.

8 Obijcis ſecundò. Ex ente poſitiuo, & negatione, non fit vnum per ſe; ſed illa potentia logica poſitiua habet annexam negationem repugnantiæ, vt dixi: ergo non eſt vnum per ſe, ac proinde ſingula Vniuerſalia ſumpta pro aptitudine non erunt vniuoca, contra id, quod dicemus, diſp. 7. Vniuerſalium, ſect. 2. §. Aduertendum autem: Confirmatur, quia eiuſdem ad ſe ipſum nõ datur

B po-

Digitized by Google

quia idem eſt, naturam eſſe communem, atque eſſe aptam ad diuiſionem: Neque obſtat, quod diuiſio non poſſit fieri in eodem ſtatu, ſufficit enim in eo eſſe Vniuerſalem, quod non habet in ſecundo ſtatu.

1 Quæ ſententia vera eſt, ne dicere teneamur, naturam in tertio ſtatu non eſſe Vniuerſalem, ex eo quod in tertio ſtatu non habet particularia, quæ neceſſariò poſtulat, ſiquidem Vniuerſale & Particulare ſunt relata; ſufficit igitur (vt dicit Logica Conimb. *Patres Conimbr.* quæſt 4. in præfationem Porphyrij, art. 5. §. Huic argumento.) Quòd natura obtineat in tertio ſtatu conditiones, quæ requiruntur ex parte ipſius Vniuerſalis, *Neq; enim eſt neceſſarium, vt natura habeat in eodem ſtatu actum, & aptitudinem*: ergo ſimiliter neceſſarium non eſt, vt natura in eodem ſtatu habeat aptitudinem, & diuiſionem; & nihilominus ſemper dicetur ſubiectum aptum ad diuiſionem, per ordinem tantùm ad ſecundum ſtatum. Confirmatur, quia vnitas præſciſionis eſt priuatio; & tamen negat formam, quam ſubiectum non habet in eodem ſtatu, in quo datur vnitas præſciſionis, negat enim diuiſionem, quam non habet, niſi in ſecundo ſtatu: ergo ſimiliter bene poteſt aptitudo eſſe priuatio, licet neget ſingularitatem, quam natura non poteſt habere in eodem ſtatu, in quo eſt vniuerſalis, nempe in tertio ſtatu.

16 Obijcis tertiò. Vnitas formalis eſt negatio: ergo etiam aptitudo. Reſpondetur negando conſequentiam, quia vnitas formalis negat formam omnino impoſſibilem, & ideò datur in ſubiecto inepto: at verò aptitudo negat formam poſſibilem, negat enim ſingularitatem, quæ poſſibilis eſt in ſecundo naturæ ſtatu; & propterea aptitudo eſt priuatio, vnitas vero formalis eſt negatio.

Vtrùm aptitudo, quæ eſt in natura Vniuerſali, ſit ſingularis?

17 Tertia concluſio. Aptitudo Vniuerſalis communis non eſt, ſed ſingularis. Probatur, quia hæc aptitudo non conuenit naturæ Vniuerſali ratione ſui, *P. Soar.* (vt docet Soar. in Met. diſp. 6. ſect. 4. num. 6) ſed ratione ſtatus: & propterea hæc aptitudo non deſcendit cum natura ad inferiora, nec ab illis abſtrahitur: ergo quemadmodùm vnitas præſciſionis ex hoc capite eſt vna tantùm, & ſingularis, ita etiam aptitudo; Vnde ex omnibus aptitudinibus numero diſtinctis, quæ afficiunt naturas genericas materiales poteſt abſtrahi prima ſpecies Vniuerſalis, quæ eſt genus eſſentiale, vt dicemus diſp. 5. ſect. 2.

18 Obijcis primò. Natura communis dicitur Vniuerſalis, quia dicit ordinem ad plura, ſed ita ſe habet aptitudo: ergo erit Vniuerſalis, & non ſingularis. Reſpondeo ad maiorem, naturam communem non ſolùm eſſe Vniuerſalem, quia dicit ordinem ad plura, ſed etiam quia eſt, vel poteſt eſſe in pluribus: at verò aptitudo Vniuerſalis, licet ſit ad plura, nō eſt in pluribus, neq; in illis poteſt eſſe, quia eſt proprietas ſtatus, non verò naturæ.

19 Obijcis ſecūdò. Quælibet natura ſingularis habet ſuam aptitudinem ſingularem ad eſſendum in ſe ipſa, v. g. Socrates habet vnam aptitudinem ad eſſendum in ſe ipſo, & Plato habet aliam: ergo ex his aptitudinibus ſingularibus, poteſt abſtrahi aptitudo communis, quæ ſit propriæ naturæ communis, proindeque aptitudo Vniuerſalis, non erit ſingularis. Reſpōd. concedendo antecedens & partem conſequentiæ, poſſe nimirum abſtrahi illam aptitudinem in communi: Nego tamen eam eſſe propriam Vniuerſalis, quia quamuis ſit communis, & dicat ordinem ad inferiora, hoc tamen eſt illi accidentale, quia talis aptitudo adhuc in communi ſumpta, eſt eſſentialiter ad vnum: at verò aptitudo propria Vniuerſalis, debet eſſe eſſentialiter ad plura: exemplum eſt in indiuiduo, quod quamuis ſit accidentaliter Vniuerſale ad quatuor ſpecies, eſſentialiter tamen etiam in communi eſt indiuiduum, & de vno tantùm prædicatur.

10 Obijcis tertiò. Aptitudo Vniuerſalis, eſt ipſa Vniuerſalitas, (nam vt dixi ſupra ſect. 1. formalis ratio Vniuerſalis conſiſtit in aptitudine): ſed vniuerſalitas non eſt ſingularitas: ergo aptitudo Vniuerſalis communis eſt, & non ſingularis. Reſpondeo diſtinguendo maiorem. Illa aptitudo eſt Vniuerſalitas formalis, concedo maiorem; eſt Vniuerſalitas fundamentalis, nego maiorem: nullum verò eſt inconueniens quod Vniuerſalitas formalis ſit aliquid ſingulare, ſuppoſito, quod Vniuerſale fundamentaliter ſit aliquid commune; quæ magis patebunt, cum oſtendero diſp. 5. ſect. 2. hominem v. g. eſſe vnam numero ſpeciem ab vna aptitudine, vel relatione.

21 Obijcis quartò. Illa aptitudo eſt ſingularis, vt diximus: ergo non poteſt efficere Vniuerſalitatem. Reſp. negando conſequētiam, quia cauſa formalis non exercet ſuum effectum formalem circa ſe ipſam, ſed in ſubiecto. Albedo enim non eſt alba, vt quod, &

& tamen facit ſubiectum album: ita ſimiliter aptitudo Vniuerſalis, licet in ſe ſit ſingularis, reddit tamen ſubiectum Vniuerſale: atque hinc eſt, quod quamuis hæc aptitudo ſit in ſe indiuiſibilis, reddit tamen ſubiectum, in quo eſt, diuiſibile in inferiora; non enim poterat reddere ſubiectum diuiſibile in duo, vel plura, niſi priùs illud faceret vnum aptum, vt diuideretur: quamuis igitur aptitudo ſit ſingularis, poteſt dici vniuerſalis vt quo, ſiquidem eſt id, quo mediante natura manet vniuerſalis.

21 Obijcis quintò. Relatio, quæ datur in natura communi ad inferiora, eſt multiplex: ergo etiam aptitudo non erit vna ſingularis, ſed multiplex. Probatur antecedens, quia quando vnum relatum poſtulat contingenter plures terminos, habet ad ſingulos, ſingulas relationes; ſed Vniuerſale contingenter poſtulat plura, vel pauciora particularia, quæ ſunt eius termini: ergo &c. Reſpond. negando antecedens, quia Vniuerſale vnam tantúm habet relationem ſingularem ad inferiora, quæ poſtulat neceſſariò. Ad probationem dicendum eſt, quòd quamuis per accidens ſit habere Vniuerſale plura, vel pauciora particularia; tamen, ſuppoſito quòd illa habeat, neceſſariò ad illa refertur, ſicut ſpecies contingenter poſtulat genus, ſuppoſito tamen, quod habeat genus, neceſſariò refertur ad illud.

23 Aduertendum verò eſt, quód ſicut per coniunctionem intrinſecam, ſeu per identitatem amittitur vnitas præſciſionis, & aptitudo ad eſſendum, ac proinde natura deſinit eſſe Vniuerſalis, quia manet coniuncta, ita etiam amittitur relatio, quia tunc non datur eius fundamentum, quamuis enim identitas in vno ſit actus inadæquatus, tollit tamen à natura Vniuerſalitatem; ſicut rationale eſt pars inadæquata Socratis, qui verò tolleret á Socrate rationale, deſtrueret totum Socratem: ſed quemadmodúm aptitudo ad prædicandum non deſtruitur per actus prædicandi, quia per ſimiles actus extrinſecè determinatur natura ad inferiora, ita ſimiliter poteſt manere relatio Vniuerſalis, quia per alium conceptum, vel per eundem poteſt natura concipi communis, ad eum modum, quo poteſt concipi aptitudo ad prædicandum, quin deſtruatur per ſuos actus, ſicut enim actus prædicandi eſt extrinſecus, ita, & relatio.

(:2:)

Vtrum, præter aptitudinem ad eſſendum, detur alia ad exiſtendum.

24 QVarta concluſio. Præter aptitudinem ad eſſendum in pluribus, datur alia ad exiſtendum in pluribus; ſed prima eſt propria Vniuerſalis. Probatur prima pars, Quia negationes diſtinguuntur per formas negatas: ſed actus identitatis diſtinguitur virtualiter ab actu exiſtendi: ergo &c. Confirmatur, quia in quatuor primis Vniuerſalibus poteſt reperiri identitas ſine actuali exiſtentia. Probatur ſecunda pars, quia quemadmodúm exiſtentiæ actus eſt per accidens, & non eſt proprius actus Vniuerſalis, ita etiam iudicandum de potentia, ſeu non repugnantia ad inexiſtendum Confirmatur, quia ille eſt proprius actus Vniuerſalis, quo poſito poſſumus affirmare, *hoc eſt hoc*, ideſt, naturam communem de inferioribus, ſed id præſtari non poteſt, niſi per identitatem: ergo ſicut identitas eſt proprius actus Vniuerſalis, ita etiam aptitudo ad hanc identitatem eſt ſola aptitudo ad eſſendum.

Identitas eſt proprius actus Vniuerſalis.

25 Imó aduertendum eſt, aptitudinem ad eſſendum etiam in quinto Vniuerſali, eſſe priorem aptitudine ad inexiſtendum, quia aptitudo ad eſſendum eſt formalis ratio Vniuerſalis, aptitudo veró ad inexiſtendum eſt proprietas eiuſdem Vniuerſalis, ſemper autem formalis ratio alicuius rei, eſt prior ſua proprietate Neque obſtat, quod in Logica Conimbricenſi præſupponatur exiſtentia accidentis, ſeu quinti Vniuerſalis ad actum identitatis, quia tunc ſermo erat de exiſtentia materiali, quam requirit accidens reale, & intrinſecum, quatenus accidens eſt, non veró quatenus Vniuerſale eſt, vt patet ex dictis.

Patres Conimb.

26 Aduertendum tamen eſt, actus huius potentiæ, ſeu identitates eſſe multiplices, quãuis potentia ſit vna tantúm; bene enim poteſt vna numero potentia habere plures actus, vt patet. Confirmatur, quia idẽtitates materiales ſunt multiplices, ſed nihil eſt aliud actus Vniuerſalis, quàm eadẽ idẽtitas materialis, prout ſubiacet noſtro intellectui (vt docet Logica Conimbric. q. 4. Vniuerſaliũ in Genere, art. 3. ſect. 4. §. Ad quartum; ſicut idem actus Voluntatis propter diuerſos reſpectus, modó liber, modo neceſſarius eſt:) ergo ſicut hæc idẽtitas eſt multiplex, ita ſimiliter actus Vniuerſalis.

Logica Conimbr.

Quiſnam

Digitized by Google

Quiſnam ſit actus huius aptitudinis?

27 ATque ex his tandem conſtat, quiſnam ſit actus huius potentiæ, ſeu huius aptitudinis, cum enim hæc potentia ſit ad eſſendũ in inferioribus, eius actus neceſſariò eſt ipſum ineſſe in inferioribus, ſicut actus potẽtiæ ad videndum, eſt ipſe actus videndi; nec alienus eſt ab hac doctrina D. Thomas in cap. 13. lib. 7. Met. quamuis Patres Conimbricenſes illum interpretentur de actu exiſtẽtiæ: eſt igitur identitas naturæ communis cum inferioribus, ipſe actus Vniuerſalis, quia poſita hac identitate inter ſuperius, & inferius, poſſumus affirmare, *Petrus eſt homo, Petrus eſt animal.*

D. Thom. Patres Conimb.

28 Obijcis primò. Albedo non poteſt prædicari de Socrate, priuſquàm ſit in illo: ergo ſaltem in quinto Vniuerſali, exiſtentia eſt eius actus primarius. Reſpond. diſtinguẽdo conſequens: eſt primarius in executione, concedo conſequentiam; in intentione, nego conſequentiam: eſt enim exiſtentia per accidens prior in accidentibus intrinſecis, (nã in extrinſecis identitas poteſt eſſe prior; verè enim modò iam Antichriſtus prædicatur cognitus) vnde ſi à quinto Vniuerſali per impoſſibile tolleretur exiſtentia & adhuc daretur identitas, adhuc daretur ibi verus, & proprius actus Vniuerſalis.

29 Obijcis ſecundò. Quartum, & quintum Vniuerſale non habent identitatem cum inferioribus: ergo ſaltem in his non eſt identitas proprius Vniuerſalis actus. Probatur antecedens, quia hæc Vniuerſalia plerumque ſunt accidentia, vt intellectus, & albedo reſpectu Socratis, Socrates autem non eſt idem cum aliquo accidente. Reſpondetur; diſtinguendo antecedens; non habent identitatem eſſentialem, concedo antecedens: non habẽt identitatem accidentalem; nego antecedens: accidentia enim non in abſtracto, ſed in concreto, habent veram identitatem accidentalẽ cum inferioribus; hæc enim eſt vera, *Socrates eſt riſibilis*, & hæc *Socrates eſt albus.* Quod idem valet, ac dicere Socrates habet identitatem accidentalem neceſſariam cum riſibilitate, & habet identitatem contingentem cum albedine.

DISPVTATIO II.

Vtrùm Vniuerſalia ſint in rebus à parte rei, an ſolum per operationem intellectus?

COnſtitutis iam veluti in genere eſſentia, & proprietatibus rei vniuerſalis; in ipſo adhuc veluti limine ſedulò eſt inueſtigãdum, vtrùm Vniuerſale detur citra operationem intellectus, an non, niſi eo operante, fiat? Quæ doctrina eſt veluti baſis, ac fundamentum ingenioſæ Vniuerſalium fabricæ; cum verò deciſio huius quæſtionis maximè pendeat ex duplici celebri contentione, quæ verſatur inter Philoſophos Reales, ac Nominales: priùs breui quadam excurſione pro vtraque parte digladiandum eſt: Deinde agendum de diſtinctione inter gradus Metaphyſicos, ac demum facta pariter pace, ad reſolutionem quæſtionis reuertemur.

(:)

SECTIO I.

Quomodo detur Vniuerſale in ſententia Realium Philoſophorum, & in ſententia Nominalium?

1 QVamuis aduerſùs Nominales iam penitus conclamatum fuiſſe videatur, & pro Philoſophis Realibus victoria iam diu celebretur, iubet tamen, ne viros ingenioſiſſimos, indicta cauſa, temere damnemus, hoc in loco vtriuſque ſcholæ rationes lentiori examine ad trutinam caſtigare. Circa hoc igitur punctum, certũ exiſtimo, Nominales non diſſentire omnino à Realium opinione, vt bene obſeruat Soar. in Summ. tom. 1. tract. 1. lib. 1. de Eſſentia Dei, cap. 13. num. 2 ad medium, ſola enim loquendi ratione à communi ſententia dif-

Soarius.

Digitized by Google

differunt; in eâdem ſententia perſtat idem Soar. in Met. tom. 1. diſput. 6. ſect. 5. num. 4. in fine. vbi ait. *Nominales non multùm à Realibus differre*; & ſect. 2. n. 1. dum ait, *Nominales abuti quibuſdam modis loquendi, in re autem fortaſsè à vera ſententia non diſſidere.*

2 Imó ſi curioſè, ac ſine tædio legantur eorundem Nominalium commentaria antiquatis, & rudioribus characteribus putidè exarata, facilè erit aduertere illos præcipué negare dari aliquod Vniuerſale, & commune Vniuocum realiter exiſtens extra animam, vel ſaltem modaliter, ſeu formaliter diſtinctum, (ſicut volebat Scotus) vt patet ex Ochamo in 1. diſt. 2. quæſt. 6. 7. & 8 cui ſententiæ fauet Gabr. in 1. diſt. 2. quæſt. 8. dicens conceptum Vniuerſalium abſtrahi à conuenientia ſingularium, quam conuenientiam Philoſophi Reales appellant fundamentum in re. Tota igitur quæſtio eſt de modo loquendi, qui in rebus logicis, vbi agitur de ſcientia ſermocinali, eſt maximé faciendus; iuuat igitur vtroſque audire.

Scotus. Ocham. Gabriel.

Proponitur ſententia Realium Philoſophorum.

3 SEntentia Realium, hæc eſt, à parte rei nihil dari, niſi ſingulare; intellectum tamen noſtrum virtutem habere partiendi per ſuos actus obiectum impartibile à parte rei, illudque diuidendi cum fundamento in re in varias formalitates: vt quando intellectus noſter in eodem Socrate conſiderat rationem hominis, veluti diſtinctam á Socreitate, ita vt formalitas hominis, licet à parte rei ſit formalitas Socreitatis, talis tamen non ſit per rationem, ſeu formaliter: iuxta quam ſententiam ratio hominis eſt vna formalitas abſtracta, & præſciſa ab omni ſingularitate, quæ non ſolùm habet vnitatem extrinſecam à conceptu abſtrahentis, ſed etiam in ſe ipſa, & ratione obiecti habet aliam vnitatem intrinſecam, per quã eſt vnum quid in communi: atque hunc cõceptum obiectiuum dicũt Vniuerſale formaliter, ſeu Naturam communem: Quod ſi hæc natura præſcindatur à differẽtijs, vel cognoſcatur natura, relicta differentia, tunc temporis talis natura obiectiua repræſentata, vel in cognitione intellectus, vel in ſpecie intelligibili, dicitur vniuerſalis negatiuè: Si verò natura obiectiuè exiſtens comparetur cum ſuis particularibus, tanquàm vnum quid potens eſſe in inferioribus, vel tanquàm vnum quid reſpiciens inferiora, tunc dicitur Vniuerſale poſitiuum.

4 Fit autem hæc vniuerſalis conſtructio per intellectum, qui naturam communem ſeparat ab inferioribus, illamque, veluti abſtractam ab illis, conſiderat. Quod, vt percipiatur, aduertendum eſt, in nobis, præter ſenſus externos, dari ſenſum quẽdam internum, qui dicitur Phantaſia: dari prætereà in anima duas potentias intellectiuas, nempe intellectum agentem, cuius munus eſt eleuare, ſiue ſpiritualizare ſpeciem corpoream, quam Phãtaſia mittit in intellectum patientem, vt intellectus, qui eſt ſpiritualis, recipere poſſit hanc ſpeciem: Qui intellectus patiens eſt ſecunda potentia ſpiritualis, quæ recipit in ſe ſpecies, cognoſcitque tam res ſingulares, quàm vniuerſales: de quibus potentijs ago in lib. de Anima, diſp. 83 ſect. 1.

Quo pacto fiat abſtractio vniuerſalium?

5 His ſuppoſitis, ingenioſa pariter, ac laborioſa Vniuerſalis abſtractio ſic peragitur in ſententia Realium Philoſophorum, qui hos labyrinthos non perhorreſcunt: Offertur oculo indiuiduum aliquod, Socrates v. g. qui ſuam ſpeciem imprimit in oculo, qua informatus oculus elicit viſionem; ex hac viſione dimanat alia ſpecies in phantaſiam (neque enim agnoſco ſenſum communem, vt in lib. de Anima, diſp. 82. ſect. 1. oſtendo quæ ſpecies dicitur phantaſma impreſſum; & hac ſpecie phãtaſia informata producit ſuam cognitionem, quæ dicitur phantaſma expreſſum; ab hoc phantaſmate expreſſo prodire debebat ſpecies quædam impreſſa in intellectum; ſed cũ ſit corporeũ, immittere nõ poteſt ſpeciem ſpiritualẽ, quæ recipi poſſit in intellectu, qui eſt potẽtia ſpiritualis: hoc igitur negotiũ peragit intellectus agẽs, qui ſpeciẽ illã corporeã eleuat, redditque ſpiritualẽ, vt in intellectum patientem admitti poſſit; qua tandem ſpecie adiutus intellectus patiẽs elicit cognitionem actualem obiecti habitualiter repræſentati in tali ſpecie, quod obiectum repræſentatum, vt vnum, eſt natura Vniuerſalis libera à differẽtijs contrahentibus, ſiue homo cõmunis v. g.

6 Quod ſi illa ſpecies repræſentat rẽ cõmunem, vt volunt Thomiſtæ, tũc prima Vniuerſalis abſtractio relucet in ſpecie intelligibili; illa tamẽ Vniuerſalitas negatiua tantũ dicitur, quia repræſentatur ibi natura communis, cum nõ repugnãtia ad eſſendũ in pluribus: in ſpecie verò expreſſa, ſiue in cõceptu repræſẽtatur iam Vniuerſale poſitiuũ, ideſt, vnitas, & aptitudo, imò & relatio, prout ſunt entia rationis; quia per ſolam operationẽ intellectus poſſunt fieri ſimilia entia, vt videbimus.

7 Hæc eſt illa pulcherrima Vniuerſalium naturarum abſtractio, hæc illa operoſa, ac lubrica

Digitized by Google

lubrica Realium Doctorum ſubſtructio circa Vniuerſalitatem philoſophantium; quam cõmuniter ſequũtur Authores D. Thom. Albert. Magnus, Capr. Caiet. Soncin. Durand. Ægid. Rom. quos citat, & ſequitur Soar. in Met. tom. 1. diſp. 6. ſect. 5. n. 1. Fonſ. 5. Met. cap. 28. q. 2. vbi contra Nominales. Conimbricenſes in præfatione Porphyrij, q. 1. Vniuerſaliũ, art. 2. 3. & 4. Rub. in cap 1. Porphyrij, columna 114. Tolet. in Log. q. 2. de Vniuerſalibus, à §. Fuit ergo. Vall. 1. p. de Vniuerſalibus in cõmuni, q 1. à cap. 7. quibus accedit quidam Araujo Dominicanus antiquæ metaphyſicalis doctrinæ (vt ipſe ait) defenſor, tom. 1. lib. 3. q. 3. art. 4. item Serna in Log. d. 1. ſect. 4. & alij. Rationes quibus nititur hæc ſententia patebunt ex progreſſu huius ſectionis.

D. Thom. Albert. Magn. Capreol. Caiet. Soncin. Durand. Ægidius. Soar. Conimb. Fonſ. Rub. Tol. Vallius. Araujo. Serna.

Proponitur ſententia Nominalium.

9 NOminales vero affirmãt dari quidem Vniuerſalia in repræſentãdo ſpecies ſcilicet, conceptus, & nomina; negant tamen Vniuerſalia in eſſendo, vel in prædicando in eſſe obiectiuo, quia dicunt conceptui formali hominis immediatè correſpondere Indiuidua, vt obiectum repræſentatum, ad eum modum, quo conceptui entis analogici non correſpondet ex parte obiecti aliqua ratio abſtracta ex entibus particularibus, ſed immediatè correſpõdent ipſa entia ſingularia: Negant igitur Nominales vnitatem illam intrinſecam obiectiuam, affirmantque Vniuerſalitatem conſiſtere in actu confuſo intellectus, quo concipio homines ſingulares v. g. conuenientes inter ſe in natura hominis.

10 Concedunt tamẽ gradum hominis in Socrate diſtingui à gradu Socrceitatis, non quòd conceptui formali hominis reſpondeat conceptus obiectiuus hominis communis, vt volunt Reales Philoſophi, ſed dicunt, illud omnino obiectum, quod denominatur, *animal*, denominari etiam, *rationale*, *hominem*, & *Socratem*, per diuerſos actus intellectus in ordine ad diuerſos effectus, quos in Socrate cauſat animal, rationale, &c. nam intellectus noſter conſiderat animal ſecundùm rationem gradus ſentiendi, rationale verò ſecundùm rationem gradus differendi: Quare quando Vniuerſale dicitur à Philoſopho, *vnũ in multis*, intelligitur vnum vnitate extrinſeca, quæ ſe tenet ex parte intellectus, ex parte verò obiecti vnitate ſimilitudinis, & conuenientiæ inter plura ſimilia, quæ plura ſimilia in ſententia Realium, ſunt naturæ ſubſtratæ.

11 Atque in hac opinione ſpecies v. g. eſt homo non præſciſus, & obiectiuus, ſed quatenus complectitur omnia indiuidua cõfusè cognita per cõceptum, Petrus autem eſt vnũ ſolum cognitum particulare: quaré hæc prædicatio, *Petrus eſt homo*, vera eſt, non quod prædicem de Petro vocem, vel conceptũ, vel omne illud aggregatũ indiuiduorũ copulatiuè, ſed diſiũctiuè, (nam Petrus aut eſt hic homo, aut ille, ſicut qui promittit equum alicui, nõ promittit equum in communi, neque vocem, neque aggregatum equorum, ſed aliquem equum: Vnde etiam talis ſpecies Vniuoca eſt, quia ſignificat plura ſingularia æquè primò, & eãdẽ ratione prædicatur de omnibus particularibus, vel homo ſecundùm ſe, vel aliqua ratio hominis, vel aliquis homo.

12 Sic philoſophãtur Nominales, in quorum ſententia ſequitur dari Vniuerſale à parte rei, non ſolùm fundamentaliter (vt datur in opinione Realium) ſed etiam formaliter; quia ſecundùm hos Philoſophos, Vniuerſa itas conſiſtit, non in vnitate, & aptitudine, ſed in conceptu mentis reali, per quem concipio confusè illam multiplicitatem hominum ſingularium; niſi quis liberé velit dicere adhuc in hac opinione dari Vniuerſalitatem per intellectum, quia exiſtentia illius conceptus, quamuis ſit realis, effectiuè pendet ab intellectu. Neque Philoſophis Realibus nouum videbitur, quod hæc Vniuerſalitas ſit quidam conceptus ſingularis, nam etiam in ſua opinione Vniuerſalitas, ideſt, aptitudo, aut relatio, eſt quid ſingulare, vt dixi: Eatenus verò ille conceptus dicitur Vniuerſalitas, quatenus vniuerſalis eſt in repræſentando confusè plura obiecta ſimilia, ſicut aptitudo dicitur Vniuerſalitas formalis, quamuis ſit ſingularis, quia facit naturam aptam, vt diuidatur in plura. Ex quibus patet Nominales ſentire cum Philoſophis Realibus in Vniuerſalibus formaliter: diſſentire verò in forma Vniuerſalium: nam reales ponunt vniuerſalitatem in conceptu obiectiuo: Nominales veró in conceptu formali.

In hac opinione datur Vniuerſale à parte rei.

13 Hanc ſententiam Nominalium infeſto adeò, & exulcerato animo inſectantur aliqui, vt Fõſ. 5. Met. cap. 28 q. 2. ſect. 1. in initio Nominales vocet importunum Philoſophorum genus; & ſect. 2. initio, indignos iudicet Philoſophorum choro: Rub. quæſt. 1. Vniuerſal col. 123. §. Nominales, ait, eos à rebus ipſis, & Vniuerſalia, & ſcientias abſtuliſſe: & columna 124. § Vniuerſalia; affirmat, eorum opinionem, iam prorſus ab ſcholis eſſe relegatam; & in Proæmio Prædicamentorum num. 11. queritur, quod Nominalium ſen-

Fonſeca. Rubius.

ſententiam iam in ſcholis ſepultam moderni quidam ab Orco intenderint reuocare.inclementius loquitur Anſel. lib.de Incarnat. Verbi, cap. 2. qui eos vocat Philoſophiæ hæreticos. Sed parcius iſta viris grauiſſimis Nominalibus, quin minùs Reales totidem audient, atque

Anſel.

Reſpicere ignoto diſcent pendentia tergo.

Horat. Satyr.lib.2, Satyr. 3.

Et propterea Hurtad. Nominalium defenſor acerrimus grauiter, & iniquè ferens tot maledicta diſp. 5. Met. ſect.10. §.114. ad finem, præſciſionem Vniuerſalis Realium Chymæritiam dicit, & ſect. 11. §. 145. rationes Realiũ inermes vocat ad propugnationem tam inſignis figmenti.& eàdem ſect.§. 138. naturam communem, quam fingunt Reales,appellat monſtroſam quandam Chymæram Bellerophontis equo debellandam.

Hurtad.

14 In eandem Realium fabricam feſtiuè iocatur quidam non ignobilis Author Oduard. lib. 1. de Triplici hominis officio, cap. 15. his verbis: *Aliquorum*, inquit, *Philoſophorũ pedes non ſunt à laqueis liberi, nec oculi à præſtigijs, ſiquidem vniuerſalem quandam confingunt naturam, quæ vna,eademq; ſit in omnibus cælo,terra, inferno ad inuicem ſecluſis, quæ agentium varijs conatibus rapiatur; nunc ab hoc ſingulari, poſtmodùm ab alio,ita vt intereunte hoc indiuiduo,minimè pereat, ſed ruinam mortis præſagio quodam præſentiens, exuuijs alicuius Socratis à tergo relictis, ſe in fugam conijciat.* Hæc ille.

Oduard.

15 Hanc Nominalium ſententiam primus inſtaurauit Guillelmus Ochamus Scoti diſcipulus argutiſſimus, & ingenioſiſſimus difficultatum diſquiſitor, in 1.ſentent.diſt.2. à q.78. & 1 p.ſuæ Logicæ, cap. 14. 15. & alijs in locis, qui quia nouam philoſophandi viã, vel inſtaurauit,vel incepit,venerabilis inceptor appellatus eſt, vt teſtatur Fonſ. 5. Met. cap.28.q 2. ſect.1.§.Huius opinionis: Ochami veſtigijs multi poſteà inſiſtére,inter quos præcipuè incorruptiſſimus eius interpres, illiuſque doctrinæ beneuolus æſtimator Gabriel Biel,dictus acutiſſimus,atque profundiſſimus Theologus in 1.diſt.2.q.7 & 8. qui in Prologo ſententiarum Ochamum ſuum, honoris cauſa, nominat inceptorem venerabilem, & veritatis acerrimum indagatorem; quam ſententiam ſequitur etiam grauiſſimus Author Gregorius de Arimino in 1.diſt.1.art.2.§. Pro quarto dubio: & alij Nominales.

Ochamus *Fonſeca.* *Gabriel.* *Gregor. Arimi.*

16 Hanc tandem philoſophandi viam defendit ingenioſus P. Hurtad. in Met. diſp. 5. per totam, & ſect.10.ſubſect.2. probat hãc eſſe ſententiam D.Thomæ: fauet etiam Soar. in Met.diſp.2.ſect.2.num.8 vbi ait conceptui formali entis reſpondere vnum conceptum obiectiuum, qui nec eſt ſubſtantia, nec accidens expreſsè, ſed hæc omnia per modum vnius, quatenus ſunt ſimilia. Idem Soar. de Anima lib 4. cap. 5. dub. 5. à medio dicit, naturam denominari vniuerſalem extrinſecè ab actu intellectus, quemadmodùm res dicitur viſa,vel amata denominatione extrinſeca. Clariùs tamen loquitur in Met. tom.1. diſp. 6.ſect.7. n.1. ad finem, lit. B vbi etiam pro hoc modo explicandi Vniuerſale,adducit Sot. in Log q.3. Vniuerſalium,art. 1.dub.2. Qui præterea citat Scotum,& D. Thomam Hãc denique ſententiam ſequuntur è noſtra Societate neque pauci, neque indocti, quos tacito nomine allegat Hurtad. cit. ſect. 10. §. 101. quam tamen acriter impugnat Serna in Log. diſp, 1. ſect.4. q.5.art.6 ſed fruſtra defatigatur.

Hurtad. *D.Thom.* *Soarius.* *Sotus.* *Scotus.* *D.Thom.* *Serna.*

Proponuntur aliqua argumenta pro ſententia Nominalium.

17 PRæter argumenta, quibus ſententiã ſuam tutantur Nominales,quæ afferunt Ochamus, & Gabriel citati; & præter eà, quæ adducit Hurtad. cit. diſp. 5. ſect 10. ſubſect. 3. proponam ego alia contra Realium Philoſophorum ſententiam.

18 Argumentor primò. Nulla datur neceſſitas ponendi res communes,quæ obiectiuè habeant vniuerſalitatem: ergo non ſunt admittendæ: Conſequentia rectè infert,quia res non ſunt multiplicandæ ſine neceſſitate. Probatur antecedens:ſi daretur aliqua neceſſitas foret ad ſaluandas ſcientias, diuiſiones, & definitiones, quæ debent eſſe de rebus vniuocis,&communibus in eſſendo;ſed ad hoc non ſunt neceſſariæ res communes, & vniuocæ obiectiuè: ergo &c.Maior communiter admittitur à Realibus, vt patet ex Fonſ. 5. Met. cap.28. q. 2. ſect. 1. §. 1. poſt medium,& ſect.2. §. 1. Minor probatur, quia de analogis,& compoſitis per accidens, quæ non habent conceptum vnum obiectiuum, & vniuocum, dantur veræ ſcientiæ, & ſufficientes definitiones; quod probatur primò;nam modus differendi eſt compoſitus per accidens; & tamen eſt obiectum Dialecticæ, habetque proprias paſſiones,vt docet Log. Conimb. in Proæmio q.4 art.4. §. Reſpondendum, ad finem. Probatur ſecundo; nam Reſpub. eſt obiectum Politicæ.

P. Fonſ. *Curſus Conimbr.*

19 Probatur tertiò eadem minor; nam ens,prout comprehendit Deum,& creaturas, tam ſubſtantiales, quàm accidentales reales eſt obiectum Metaphyſicæ, vt cum communi ſententia docet Soar.tom.1,Met. diſp.1. ſect.1. n.24.

P. Soar.

Digitized by Google

n. 24. Sed nihil datur Vniuocum ad Deum, & Creaturas; ad ſubſtantiam, & accidens ergo ens analogum eſt obiectum Metaphyſicæ; atqui analoga nō habent vnam eſſentiam abſtractam ab inferioribus, (ſiquidem non præſcindūt ab illis, neque analoga ſunt aliud, præter membra analogata, vt eſt communis ſententia; imó vt fatetur Soar. in Met. diſp 2. ſect. 2. n. 8. conceptui formali entis reſpōdet vnus conceptus, qui nec eſt ſubſtantia, neq; accidens expreſſé, ſed omnia entia ſingularia in confuſo quatenus ſunt ſimilia:) ergo bene poſſunt ſaluari ſcientiæ quin dentur res communes vniuocæ, & abſtractæ obiectiuè, ſed ſufficiet, quod ens v. g. ſit vnum & nomine, & conceptu formali extrinſeco. & confuſo, in ſe autem ſint omnia entia realia ſingularia, ſecundùm conuenientiam in ente reali.

20 Et quidem Fonſ. efficaciam huius argumenti ſubodorans, 5. Met. cap. 28. quæſt. 2. ſect. 3. vltimo §. fatetur Nominales, non omninó male ſentire circa analoga, ſed re vera argumentum habet eandem vim in non analogis, nam ſi poſſunt dari veræ ſcientiæ ſine præſciſione perfecta obiectiua in analogis, iam datur vera ratio ſcientiæ ſine tali conceptu obiectiuo, ac proinde neceſſaria nō eſt talis præſciſio, ſeu talis res communis in eſsēdo ad ſaluandas ſcientias.

21 Neque effugiet vim argumenti, qui dixerit obiectum Metaphyſicæ eſſe vniuocū ex eo quod ſcibilitas, ſeu abſtractio ab omni materia ſenſibili, & intelligibili, re, & ratione, ſub qua Metaphyſica conſiderat ens, eſt vna in ſpecie; non, inquam, effugiet, quia hæc ſcibilitas non eſt obiectum, quod, Metaphyſicæ, ſed eſt ratio formalis, ſub qua, talis obiecti, ſicut intelligibilitas reſpectu intellectus, non eſt eius obiectum, quod, (tale enim eſt Verum) ſed eſt ratio, ſub qua; Quod non tollit quominùs obiectum ipſum Metaphyſicæ, ideſt, ens ſit analogum in ſe; ſicut nemo negabit, modum diſſerendi eſſe compoſitū per accidens, quamuis à Dialectica conſideretur ſub ratione detegendi ignotum ex notis. Quaré ratione illius ſcibilitatis non habet ens vnum cōceptum vniuocum obiectiuum, ſiquidem adhuc eſt analogum quod nō præſcindit à membris analogatis: alioqui daretur aliquod ens vniuocum ad decem prædicamenta, quod omnino negant omnes Philoſophi. Additur, quod Metaphyſica primò, & immediatè tendit ſeu fertur ad ſingulas partes materiales entis, nempe ad Deum, ſubſtantiam, &c. vt admittit Logica Conimbr. de Specie, art. 1. §. Ad ſecundum, fine. Quapropter obiectum Metaphyſicæ eſt analogum, ſeu potius ſunt ipſa membra analogata, ſine alia præſciſione ex parte conceptus obiectiui, imò noſter Barthol. Amicus in Log. tract. 27. in lib. Poſt d. 4 q. 2. dub. 4. art. 2. à § Tertia concluſio, probat de ente per accidens materialiter ſumpto dari veram ſcientiam.

Patres Conimbr.

22 Atque hinc colligo, ſcientias in ſcientia Nominalium non eſſe de re ſingulari, nec de Vniuerſalibus per rationem, ſed quod potiùs eſt, de Vniuerſalibus á parte rei, ideſt, de rebus ipſis ſecundùm ſe in ſuppoſitione abſoluta, quæ tamen habent Vniuerſalitatem extrinſecam ab actu intellectus, iuxta ſupradicta: Vnde ſcientia, quæ habetur de homine, non eſt de homine aliquo ſingulari, nec de homine communi præſciſo, ſed de homine, ſecundùm ſe, & indeterminaté ſumpto: ſicut quando dicitur à Philoſopho, obiectum ſenſus eſſe Vniuerſale, non intelligitur Vniuerſale in eſſendo, ſed ſingulare aliquod indeterminatum: ſic color abſoluté, & non hic color tantùm, dicitur obiectum oculi: & hoc poſito ſcientiæ rectè dicuntur eſſe de Vniuerſalibus.

Barthol. Amicus.

23 Et quamuis ille conceptus formalis ſingularis ſit, iure tamen dicitur Vniuerſalis in repræſentando, nō quod repræſentet Vniuerſale eo modo, quo fingitur á Philoſophis Realibus, ſed quod repræſentet plura particularia ſicut ſpecies ſcientiæ per ſe infuſæ dicuntur Vniuerſales, non quod repræſentent Vniuerſalia (ſiquidem hæc non abſtrahuntur per hanc ſcientiam, vt dicemus,) ſed quia repræſentant plura particularia, vt colligo ex Soario tom. 1. in 3 p. diſp. 8. ſect. 2. §. Dico tertio: cum hac tamen diſtinctione, quod ſpecies ſcientiæ per ſe infuſæ repræſentāt obiecta ſingularia diſtinctè: at veró conceptus ille Vniuerſalis in repræſentando cōfuſè. Ex dictis etiam colligitur, fieri poſſe ſufficiētes diuiſiones, & definitiones de analogis, quòd probatur infinitis exemplis; Conſtat etiam Nominales Philoſophos falſó argui ab aduerſarijs, neque enim dicunt, ſcientias ſolùm eſſe de Nominibus, neque præterea ſola nomina de inferioribus prædicari, verè enim fatētur, naturas Vniuerſales fundamētaliter ſumptas non interire, nec gigni, more nominum, quæ renaſcentur, caduntque,

Soarius.

—— *Si volet vſus*
Quem penes arbitrium eſt, & ius, & norma loquēdi.

Horat. in Arte Poet.

24 Argumentor ſecūdò. Propterea Ideæ Platonis reijciuntur, quia ex illis ſequuntur aliquæ implicationes in Philoſophia: ſed eædem implicationes ſequūtur, ſi dētur res cōmunes per intellectum: ergo nō ſunt admittēdæ. Probatur minor, ſequitur enim, talem rem eſſe communem, & nō eſſe communem; eſſe, quia ita ſupponitur: nō eſſe, quia concipitur,

pitur, vt aliquid vnum, & vt exiſtens extra inferiora, atque adeo ſi rectè conſulatur, intellectus, & Reales Philoſophi ingenuè loquantur, concedent concipi, vt aliquid ſingulare, ſiquidem aptitudo, ſiue Vniuerſalitas ſingularis eſt; ergo ſequitur, talem rem eſſe communem, & non eſſe communem. Item ſequitur, talem naturam eſſe, & non eſſe de eſſentia inferiorum: eſſe, quia ita ſupponitur, & quia componit inferiora; non eſſe, quia intelligitur abſtracta, & ſeparata ab inferioribus, id verò, quod eſt ab aliquo ſeparatum, non poteſt componere eius eſſentiam.

25 Neque infringet argumentum, qui dixerit, tales implicationes ſequi ex Ideis Platonis in re ipſa: at verò in ſententia Realium non ſequi, niſi per intellectum, & cum talis natura communis non detur à parte rei, nullã etiam dari implicationẽ à parte rei. Sed contra eſt, quia ita ſe habent Ideæ Platonis reales ad implicationes à parte rei, ſicut ſe habent ideæ per intellectum ad implicationes per intellectum: ergo qui admittit res communes, vel ideas communes per intellectum, etiam admittit tales implicationes per intellectum. Caueat igitur Philoſophus Realis, ne

Incidat in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

26 Argumentor tertiò. Diſtinctio virtualis debet fieri cum fundamento in re, & per analogiam ad aliqua realiter diſtincta (vt patet quando in Deo diſtinguimus virtualiter eius attributa per ordinem, & proportio-
Suárius. nem ad noſtras proprietates, quæ realiter diſtinguuntur, vt docet Soar. in ſum. lib. 4. de Trinitate, cap. 4. n. 16. ad finem) Sed nullum datur fundamentum in re ad faciendum illum hominem in communi diſtinctum ab homine ſingulari: ergo nõ datur fundamẽtum in re, vt detur homo communis. Probatur minor, quia à parte rei nihil datur, quod ſit fundamentum fingẽdi illum hominem communem, ſiquidem nihil datur commune in eſſendo à parte rei.

27 Reſpondebũt fortaſſe Reales, à parte rei nihil dari commune, tamen dari à parte rei gradum hominis v. g. & gradum Socreitatis non diſtinctos, cum tamen intellectus videat aliquem hominem, qui à parte rei nõ eſt Socrates, inde eſt, quod habeat fundamẽtum ad diſtinguendum gradum hominis, à gradu Socreitatis; & cum ille gradus hominis conueniat etiam Platoni, inde fit, vt conci-
D. Thom. piatur communis; nam, vt bene ex D. Thoma
P. Soar. aduertit Soar. in ſum. lib. 1. de Eſſentia Dei, cap. 13. n. 9. ad finem, duæ conditiones ſufficiunt ad faciendam diſtinctionem rationis: prima eſt, quòd non cõcipiamus rem, prout in ſe eſt: Secunda eſt, vt concipiamus illam rẽ per comparationem ad res alias diſtinctas à parte rei. Quæ ſecũda conditio coincidit cum illa, vt ſcilicet ens rationis habeat fundamentum in re.

28 Non negant tamen Nominales habere intellectum virtutem ad faciẽdam diſtinctionem virtualem inter gradum hominis, & gradum Socreitatis, negãt tamen habere fundamentum ad faciendum illum gradum hominis communem: Nam licet in hac fictione obiectiua Realium, abũdè ſeruetur prima illa cõditio Soarij, quod ſcilicet nõ concipiatur res prout eſt in ſe; non tamen rectè ſeruatur ſecunda conditio, quod ſcilicet habeat fundamentum in re, ſiquidem nihil datur in rerum natura, quod ſit commune à parte rei: alioqui etiam intellectus diſtinguet Socratem in prædicatum, & ſubiectum cum fundamẽto in re, imò cum maiori fundamẽto, ſiquidem datur à parte rei aliquod prædicatum, quod realiter diſtinguitur à ſubiecto: nulla verò datur res communis realiter, in opinione Realium, ad cuius imitationem, per rationẽ fingatur homo cõmunis: Quare talis res cõmunis fiet per rationẽ ratiocinãtẽ, id eſt ſine fundamento in re. Neque obeſt, quod Socrates, & Plato omnino conueniant in homine, nam hæc conuenientia fundamentalis eſt, & in conceptu formali, non verò obiectiua, & formalis; ſicut in cõceptu entis cõtingit, nam Socrates, & Plato etiam cõueniunt in ente, & tamẽ nullus datur cõceptus entis obiectiuus, & vniuocus.

Proponuntur alia argumenta.

29 Argumentor quartò. Ideò cogeremur dare naturas Vniuerſales obiectiuas in eſſendo, quia audita hac propoſitione, *Socrates eſt homo*, cum homo ex parte prædicati, non ſupponat perſonaliter pro aliquo ſingulari, vel pro aliquo aggregato, neceſſariò debet ſupponere pro aliquo homine communi, qui verè prædicetur de Socrate. & Platone: & idem probatur ex hac definitione, *Homo eſt animal rationale*: ſed hæc ratio nulla eſt: ergo &c. Maior ita proponitur à Philoſophis Realibus, vt patet ex Logica Conimbricẽſi in præfatione *Patres*
Porphyrij, q. 1. art. 2. Minor probatur, quia *Conimbr.*
illa propoſitio, *Socrates eſt homo*, non verificatur de illo homine præſciſo, & ficto per intellectum in ſuppoſitione ſimplici, ſiquidem Socrates non eſt ille homo fictus, ſed eſt homo verus: ergo neceſſaria non eſt illa natura præſciſa

Digitized by Google

præſciſa, vt verificetur propoſitio.

30 Reſpondebunt Philoſophi Reales, repræſentari quidem illum hominem præſciſum, & communem, vel in prima operatione intellectus, vel in repræſentatione iudicij, ſed non verificari in ſuppoſitione abſoluta; Vnde idem eſt dicere, *Socrates eſt homo*, atque Socrates habet naturam humanam: ſed iam volentes, aut nolentes concordant cum Nominalibus, qui hoc ipſum affirmant circa veritatem propoſitionis, negant tamen dari illum hominem præſciſum, ſeu obiectiuum. Quæro igitur, ſi propoſitio verificatur de homine ſecundùm ſe, ad quidnam neceſſarius eſt homo ille fictus per intellectum ad veritatem illius propoſitionis, ſiquidem obiectum actus intellectus, vt dicunt Nominales nouiores, poteſt eſſe homo verus ſecundùm ſe, & non homo fictus non ſecundùm ſe? Reſpondebunt, non poſſe illam propoſitionem habere pro obiecto aggregatum hominum ſingularium, vt dicunt Nominales, & ideo neceſſariò recurrendum ad hominem communem. Sed contrà, poteſt illa propoſitio habere pro obiecto hominem præſciſum, & fictum per intellectum, & tamen verificari in ſuppoſitione abſoluta: ergo poteſt eadē propoſitio habere pro obiecto aggregatum hominum ſingularium, & tamen verificari in ſuppoſitione abſoluta: neque vnquàm aſſignabitur maior ratio.

31 Argumentor quintò his confirmationibus; quia Deus, vel ſaltem Angeli poſſunt facere hanc prædicationem, *Socrates eſt homo*: & tamen homo ex parte prædicati non repræſentatur præſciſus, & communis, ſiquidem nec Deus, neque Angeli in re tam euidenti poſſunt facere diſtinctionem rationis. Deinde, quia non eſt dicendum, quod homo ex parte prædicati ſolùm ſupponat pro homine præſciſo, quia propoſitio erit omnino falſa; non eſt etiam dicendum, quod ſupponat etiam pro omni homine ſecundùm ſe, quia tunc conceptus repræſentans hæc obiecta, eſſet æquiuocus: ergo ſolùm ſupponit pro homine ſecundùm ſe, ſeu pro aliquo homine.

32 Argumentor ſextò. Angeli habent veras ſcientias; & tamen illorum ſcientiæ ſūt de ſingularibus: ergo bene poſſunt ſaluari ſcientiæ, quin dentur res communes in eſſendo: Maior eſt omnino certa: minor in noſtra ſententia facilè probatur, defendo enim in hoc tractatu diſp. 3. ſect. 2. n. 9. Angelos circa euidentia, quales ſunt naturales ſcientiæ, non poſſe fingere ens, vel diſtinctionem rationis: & eadem minor docetur, & probatur à Soar. de Angel. lib. 2. cap. 8. n. 6. quia Angeli cognoſcunt res, prout in ſe ſunt. Confirmatur, quia Angelorum ſpecies non repræſentant Vniuerſalia, vt docet idem Soar. cit. n. 3. imò, quamuis ſpecies Angelorum ſint ſpirituales, poſſunt repræſentare rem ſingularem materialem directè, & propriè, vt docet D. Thomas, 1. p. q. 57. art. 2. ad 2. & conuincit optimè exemplo diuinarum idearum, quæ ſpirituales ſunt, & repræſentant res materiales.

P. Soar. *D. Thom.*

33 Reſpondebunt Angelum, propter luminis perfectionem, non abſtrahere Vniuerſale, nobis verò non repugnare hunc modum cognoſcendi. Sed contra, quia modò non quærimus, vtrùm poſſimus efficere illum modum abſtrahendi Vniuerſale, ſed Vtrùm ſit hoc neceſſarium ad rationem ſcientiæ? Quod tamen vt vidimus neceſſarium non eſt, ſiquidem datur perfecta ſcientia, & perfecta cognitio totius eſſentiæ rei, ſine tali abſtractione, vt docet Soar. lib. 2. de Angel. cap. 8. n. 6. in fine. *P. Soar.*

34 Argumentor ſeptimò. Si daretur talis homo communis, haberet ſe veluti potentia, & differentia indiuiduans veluti actus ad faciendum vnum per ſe, ſed non ita ſe habet: ergo &c. Maior eſt certa, Conſequētia rectè colligit: Probatur minor; quia vnum per ſe nō fit, niſi ex actu, & potētia proportionatis: ſed differentia ſingularis & homo communis nō ſunt proportionata: ergo &c. Probatur, quia ex potentia remota, & actu ſingulari, v. g. ex animali, & Socreitate non fit vnum per ſe, vt docet Logica Conimbricēſis, q. 1. de Specie, art. 1. §. Ad primum: ergo neque ex potentia communi, & actu ſingulari fiet vnum per ſe, quia cum proportione philoſophandum eſt. *Patres Conimbr.*

35 Reſpondebūt, bene poſſe fieri vnum per ſe ex actu ſingulari, & potentia communi proxima, qualis eſt ſpecies. Sed contra, Compoſitio Metaphyſica fit per analogiam ad phyſicam: ſed ex materia communi, & ex hac forma ſingulari non fit vnum per ſe: ergo neque ex natura communi, & differentia ſingulari. Reſpondebunt, fieri vnum per ſe ex differentia ſingulari, & natura ſecundùm ſe, ideſt, cum natura quæ aliunde formaliter communis eſt, ſicut ſcientiæ non habent pro obiecto Vniuerſalia formaliter, ſed fundamentaliter; ſed hoc ipſum dicunt Nominales, qui illud Vniuerſale formaliter rectiùs appellant plura ſingularia ſimilia. Ego tamen quæro, ſi ſcientiæ non ſunt de Vniuerſalibus formaliter, neq; Socrates facit vnū per ſe cum tali homine formali, quia, vt ſic, eſt ens rationis; ad quid per Deum immortalem, neceſſarius eſt ille conceptus obiectiuus?

Argu-

Digitized by Google

36 Argumentor octauo. Vel ille homo communis habet proprietates hominis, vel non: neutro modo poteſt dari: ergo ſimpliciter non datur, neque cum fundamento in re. Probatur minor: Inprimis non habet proprietates; quia, ſi cum riſibilitate ſumatur, iam non eſt Vniuocus; nam homo riſibilis eſt cõpoſitum per accidens. Deinde, ſi concipiatur ſine proprietatibus, non eſt homo; vel quia non habet proprietates hominis; vel quia qui tollit ab homine riſibilitatem, conſequenter tollit hominis eſſentiam. Reſpondebunt, cõcipi hominem ſecũdùm ſe, qui, prout ſic, nec habet proprietates, neque eas reijcit. Sed cõtra, quia homo ſecundùm ſe nõ eſt ille homo communis in tertio ſtatu, qualiter admittitur à Realibus.

37 Confirmatur primò Quia vel natura Vniuerſalis ſumitur cum aptitudine, vel nõ: ſi cum aptitudine, eſt compoſitum per accidens, quia ex ente rationis, vel ex negatione, & ente reali, qualis eſt natura cum aptitudine, non fit vnum per ſe; ſi verò ſine aptitudine ſumatur, non eſt Vniuerſalis, ſiquidem nõ habet formam Vniuerſalis: ergo nullo modo datur.

38 Confirmatur ſecundo. Quia vel homo communis includit exercitè partes integrantes, v.g. caput, manus, pedes, &c. quibus ſingulares homines componuntur; vel non includit: primum non eſt dicẽdum, vel quia partes integrantes non pertinẽt ad eſſentiam hominis ſecundùm ſe, vel quia efficiunt vnum per accidens: ſi veró adimantur partes integrantes ab illo homine, iam ille conceptus obiectiuus nõ erit conceptus hominis perfecti, ſed monſtroſi cuiuſdam, ac informis embrionis; alioqui extorqueatur á Philoſophis Realibus, vt fideliter exprimãt, quibus delineamentis ille homo communis cõponatur.

39 Reſpondebunt hominem illum communem habere quidem illas partes integrantes in actu ſignato, ſed non ſumi cum illis exercitè, & reduplicatiuè, ſicut natura in primo ſtatu habet quidem inferiora, ſed non ſumitur cum illis; nam, (vt ipſi Reales fatentur) ſi ille homo ſumatur reduplicatiuè cum illis partibus, iam non eſt Vniuocus; ſi veró ſumatur reduplicatiué ſine illis partibus, cum multæ illarum partium neceſſariò conueniãt, ſi auferantur, conſequentèr aufertur eſſentia: ac proinde ſumendum eſſe ſimpliciter, nec cum partibus reduplicatiuè, nec ſine partibus reduplicatiué. Sed contra, quia Socrates eſt homo ſine iſtis reduplicationibus.

40 At enim non poſſum nõ mirari communem illum hominem adeò meticuloſum eſſe, adeoque delicatuli, peregriniqúe temperamenti, quem nec cum manibus, nec ſine manibus potes attingere, & tanquàm parcere ſacris cogeris. Quem ſi pedibus velis apprehendere, ſine pedibus elabatur: Si iterùm caput quæras, caput inuenies ſine capite. De quo etiam homine mirabiliora, & ſecum pugnantia pergunt affirmare, idem enim per ſe, nec viuit, nec moritur; nec tacet, nec loquitur; nec corrumpitur, nec generatur; & tamẽ eſt homo verus, & verè Peripateticus: Ità profectò Realium Philoſophorum ſuorum Vniuerſalium,

——— Velut ægri ſomnia vana
Finguntur ſpecies, vt nec pes, nec caput vni
Reddatur formæ.

Horat. in Arte Poet.

SECTIO II.

Explicatur ampliùs hæc doctrina.

Corollaria ex hac doctrina.

1 IVxta hanc opinionem ita à me explicatam, colligo primò, nullam dari naturam communem Vniuerſalem, quæ habeat Vniuerſalitatem, vel exiſtentiam intrinſecam obiectiuè, & quæ ſimul ſit Vniuerſalis in eſſendo, & prædicando, ſed totam Vniuerſalitatem prouenire ab extrinſeco, ideſt, à conceptu v.g. qui facit illa plura obiecta ſingularia, & ſimilia eſſe vnum quid. Colligo ſecundò, triplex dari Vniuerſale in repræſentando nimirum Nomina, Species, & Conceptus; Quæ tria faciunt obiecta vnum quid: nam hoc nomen, *homo*, ex inſtituto, & in confuſo homines omnes particulares, per modum vnius, ſignificat: Species verò, & conceptus ſignificant eoſdem homines formaliter, & naturaliter; Sol autem v.g. licet plura ſignificet, nam

Triplex datur Vniuerſale.

Cæruleus pluuias denuntiat, igneus Euros,

Virg. Georg. 1.

Nihilominùs tamen Sol non repræſentat hæc omnia formaliter, ſed virtualiter, nec ſignificat æquè primò plura ſimilia, vt hæc vox, Homo, quæ licet formaliter non ſignificet, ſignificat tamen æqué primò, quare Sol v.g. non dicetur Vniuerſale doctrinale in repræſentando: homines enim in tradendis doctrinis ſolùm vtuntur his tribus Vniuerſalibus in repræſentando, nempe Nominibus, Speciebus, & Conceptibus.

2 Et quemadmodùm dantur tria Vniuerſalia doctrinalia in repræſentando, ita etiam tres dantur Vniuerſalitates, nempe, Nomina,

Digitized by Google

Nomina, Species, & Conceptus, quæ dicuntur vniuerſalitates reſpectu cuiuſque naturæ: nam ſicut aptitudo, in ſententia Realium, eſt forma, quæ reddit hominem Vniuerſalem, ita conceptus v. g. qui repræſentat plures homines ſimiles, præſtat illis Vniuerſalitatem repræſentationis, cum vnitate in ſimilitudine: Vnde homo v. g. eſt vniuerſalis fundamentaliter tantùm.

3 Colligo tertiò. Vniuerſalia logica in prædicando ſolùm, & non in eſſendo obiectiuè, eſſe quinque nępe Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens, quæ dicuntur prædicabilia, & de his Vniuerſalibus loquitur Ariſtoteles, & Porphyrius, & reliqui antiqui Philoſophi; Quæ Vniuerſalia nihil aliud ſunt, quàm ipſæ naturæ particulares ſecundùm ſe repræſentatæ in conceptu, vel in ſpecie, vel ſignificatæ per nomen (Homo) v. g. quæ prædicari poſſunt de ſingularibus modo infra explicando.

4 Et ſicut Philoſophi Reales tria requirunt ad Vniuerſale, nempe naturam ſubſtratam, vnitatem, & aptitudinem, ita ad hoc Vniuerſale in prædicando tria requiruntur, nempe natura ſubſtrata, ideſt, illud aggregatum ſingularium, quæ vagè, & in confuſo repræſentantur: Secundum quod requiritur, eſt conceptus, vel ſpecies, vel nomen; nam quodlibet horum trium ſufficiens eſt ad præbendam hanc Vniuerſalitatem. Tertiò requiritur aptitudo, quam habet homo ſecundùm ſe, & à parte rei ibi repræſentatus, vt prædicetur de ſingularibus hominibus clarè cognitis, & prætereà admittenda eſt relatio, non quidem rationis, ſed realis, quam habet homo, qui datur à parte rei ad alios homines; & quã habet homo repræſentatus, nempe conceptus realiter repræſentatiuus ad homines ſingulares, à quibus formaliter, & exemplariter dependet. Vniuerſalitas tamen non conſiſtit, niſi in conceptu, vel in ſpecie, vel in homine, ſuppoſito conceptu: & ſicut in ſententia Realiũ, Vniuerſale non eſt ſolùm natura ſubſtrata, ſed natura cum vnitate, & aptitudine; ita in hac ſententia, Vniuerſale eſt illud aggregatum ſingularium cum conceptu, in quo repræſentatur.

5 Eſt igitur genus aggregatum quoddam animalium ſingularium, ſeu graduum animalium ſingularium in concreto, prout repræſentatur in conceptu. Species eſt quoddam aggregatum hominum ſingularium. Differẽtia eſt quoddam aggregatum rationalium ſingularium in concreto, &c. Quamuis enim ſingularitas non ſit de eſſentia hominis, vt eſt communis ſententia, & probat Hurt. in Met. diſput. 5. ſect. 5. nihilominus tamen in conceptu ſingulares homines, & reliqui gradus etiam ſingulares repræſentantur, quia in conceptu repræſentantur rés, prout ſunt in ſe, nihil autem eſt, quod ſingulare non ſit. Ex quibus etiam patet admitti in hac ſententia diſtinctionem virtualem, quia habet intellectus fundamentum ad illam faciendam, vt patet ex dictis.

P. Hurt.

6 Colligo quartò, dari in hac opinione Vniuerſale à parte rei, ſeu realiter, quia ſaltem ſpecies, & conceptus, quæ ſunt vniuerſalitates, dantur à parte rei, & deinde natura ſubſtrata datur à parte rei: ergo ſicut in ſententia Realium propterea non datur Vniuerſale á parte rei, quia Vniuerſalitas datur per intellectum, ita in hac ſententia dabitur Vniuerſale realiter, quia Vniuerſalitas, conceptus v. g. eſt aliquid reale. Quare non loquitur conſequenter Hurt. in Met. diſput. 5. ſect. 6 & 7. dum ait, Vniuerſalitatem conſiſtere in conceptu, negat tamen dari Vniuerſalitatem à parte rei, niſi intelligat illud (à parte rei) ideſt, ex parte rei ſubſtratæ, vel ex parte conceptus obiectiui, qui quidem nõ datur in hac opinione, ſiquidem nihil datur cõmune in eſſendo.

In hac opinione datur Vniuerſale à parte rei.

P. Hurt.

7 Obijcis. Si Vniuerſale conſiſtit in cõceptu, vel ſpecie repræſentante plura indiuidua, etiam in opinione Realium, dabitur Vniuerſale à parte rei, quia in eorum ſententia ſpecies, & conceptus ſunt repræſentatiui realiter naturæ Vniuerſalis. Reſpõd. negando ſequelam, quia licet ſpecies, & conceptus ſint realiter repræſentatiui, nihilominus Philoſophi Reales non conſtituunt Vniuerſale in conceptu repræſentatiuo, ſed in re, quæ in conceptu repræſentatur, quæ ſolùm per rationem habet eſſe: at verò in hac ſententia Vniuerſalitas conſiſtit in cõceptu realiter repræſentatiuo.

8 Duo ſunt aduertenda, Primũ, Vniuerſale reale ſolùm dari in ſpecie, & conceptu, quia nomen non eſt Vniuerſalitas realis, ſiquidem nomen eſt ſignum ex inſtituto, nec habet ſignificationem à parte rei, ſed tantùm ex voluntate imponentis, & ſub relatione rationis tam ad potentiam, quàm ad rem: ergo ſicut Vniuerſale, in ſententia Realium, dicitur dari per intellectum, quia vniuerſalitas pẽdet ab intellectu, ita *nomen* erit ſignum, & Vniuerſale rationis, & non à parte rei, quia impoſitio, ſeu relatio, per quam ſignificat, eſt rationis.

9 Aduertendum ſecundò, cum dicimus Vniuerſale conſiſtere etiam in ſpecie, non intelligẽdam ſpeciem intelligibilem, ſed ſpeciẽ memoratiuam relictam ex cõceptu, quia cum

nullum detur Vniuerſale in eſſendo obiectiuè ſingulæ ſpecies intelligibiles, propter ſuam limitationem, repræſentant ſingula inferiora, non verò plura, quod requiritur ad hãc Vniuerſalitatem.

10 Colligo tandem, Vniuerſale formaliter ſumptum diſtingui realiter ab inferioribus. Probatur, quia in hac opinione, Vniuerſale eſt idem, quod homo ſecundùm ſe, ſeu plura indiuidua repræſentata in conceptu, & ſimul ſumpta cum conceptu; homo autem, & conceptus diſtinguūtur realiter à ſolo homine, vt patet; ſi verò Vniuerſale fundamentaliter ſumatur, non diſtinguitur realiter ab inferioribus: quia fundamentaliter ſunt ipſa inferiora.

Soluuntur aliqua argumenta contra hanc doctrinam.

11 OBijcis primò. Vniuerſalitas non poteſt conſiſtere in ſpecie impreſſa: ergo ſaltem ex hac parte hæc doctrina falſa eſt; Probatur antecedens: Species impreſſa non eſt formaliter repræſentatiua: ergo in ea nõ repræſentantur particularia: Vnde etiam ſequitur non dari tria Vniuerſalia doctrinalia in ſignificãdo. Hoc argumentum tangit illam quæſtionem, Vtrùm ſpecies intentionalis ſit formaliter, an virtualiter tantùm repræſentatiua? Probabilius exiſtimo eſſe formaliter repræſentatiuam. Ita Mol. 1. p. tom. 1. quæſt. 12. art. 2. diſp. 1. §. Quia tamen, & §. Quartò quoniam. Vaſq. 1. p. diſput. 202. cap 2. §. Hinc etiam ſoluitur. Fr. Ægyd. de Beatitud. lib. 8. q. 2. art. vnico, §. 2. & 3. Conimbr. lib. 1. Periherm. quæſt. 2. cap. 1. art. 3. ſect. 1. vbi §. Ariſtoteles, alios pro hac ſententia citant.

Species intentionalis eſt formaliter repræſentatiua. *M. Moli.* *M. Vaſq.* *Fr. Ægid.* *Patres Conimbr.*

12 Probatur ratione primò. Quia ſpecies manifeſtat obiectum potentiæ: ergo habet aliquam proportionem cum obiecto, hæc proportio non eſt in eſſendo, quia obiectum poteſt eſſe naturæ diuerſæ: ergo eſt in repræſentando. Probatur ſecundò: Quia obiectum non ſolùm effectiuè concurrit cum potentia, mediante ſpecie, ſed etiam exemplariter illam ſpecificando, ſed hoc præſtare nõ poteſt, cum nõ ſit præſens potẽtiæ: ergo indiget ſpecie, quæ ipſum obiectum repræſentet, quæ ſpecies, quamuis accidẽs, ſubſtantiam repræſentabit, illique erit ſimilis in repræſentãdo, non in eſſendo, quia datur à natura propter repræſentationem.

13 Confirmatur, nam ſpecies expreſſa, ſeu cõceptus ſpiritualis repræſentat rem materialem, vt probauimus ex Ideis diuinis, quæ repræſentant obiectũ materiale; neque enim reperiri neceſſe eſt ſimilitudo in natura ad rationem imaginis, vt in imagine Cæſaris patet: imò neque omnis ſimilitudo in natura eſt imago; nam in diuinis Filius, & Spiritus Sanctus conueniunt omninò in eàdem natura cum Patre: & tamen Filius, & non Spiritus Sanctus, dicitur imago Patris Æterni, vt docet fides, & Soar. probat de Trinit. lib. 9. cap. 8. imò etiam Filius, licet habeat eandem naturam cum Spiritu Sancto, non eſt imago Spiritus Sancti, vt oſtendit idem Soar. cit. cap 9. n. 8. *P. Soar.*

14 His prænotatis, cum probabilius ſit, ſpeciem eſſe formaliter repræſentatiuã, probabilius etiam eſt, ſpeciem tribuere Vniuerſalitatẽ repræſentationis obiectis. Iam verò in conceptu repræſentari hanc Vniuerſalitatẽ, probat etiam Soar. in Met. diſp. 6. ſect. 7. n. 1. ad finem: certum enim eſt conceptũ, ſeu obiectum mentis, ſeu ſpeciẽ expreſſam eſſe formalem repræſentationem obiecti; vt docet D. Thom 1. p. q. 27. & q 34. art 1. & D. Auguſt. lib. 9. de Trinit. cap. 8. Ex quibus patet ſolutio argumenti. *D. Thom.* *D. Aug.*

15 Obijcis ſecundò. Iuxta hanc nouam Vniuerſalium explicationem, nullum datur Vniuerſale: ergo falſa eſt. Probatur antecedens; non datur Vniuerſale, vbi non datur contractio, & abſtractio; ſed hìc nulla datur abſtractio, ſiquidem omnia ſunt ſingularia: ergo &c. Reſp. negando antecedens; dantur enim quinque Vniuerſalia, vt dixi: eorum tamen abſtractio diuerſo modo ſe habet à cõtractione, & abſtractione Realium: Tunc igitur fit hæc abſtractio, quando in cõceptu repræſentantur confuſè, & vagè plura inferiora, quia tunc cognoſco hominem ſecundùm ſe, & ſecundùm ſuam eſſentiam, non cognoſcẽdo inferiora in particulari; tunc verò fit contractio, quando in eodem, vel diuerſo cõceptu cognoſcò aliquod, vel aliqua inferiora determinatè, & diſtinctè, quia tunc cognoſco particulare, ſeu ſingulare, quà tale, quæ cognitio, non eſt cognitio Vniuerſalis, licet enim per hanc cognitionem attingam hominem, prout exiſtit, non tamen cognoſco hominem ſecundùm ſe, quia homo ſecundùm ſe, neque eſt ſingularis, neque communis.

16 In ſpecie igitur memoratiua datur illa abſtractio, ſeu ſeparatio veluti habitualis, vt dicunt Reales de abſtractione ſui Vniuerſalis in ſpecie intelligibili: abſtractio verò, & contractio actualis datur in actu intellectus comparatiuo. Itaque hæc abſtractio noua. & hæc noua contractio conſiſtit in maiori, vel minori expreſſione conceptuum, ad

eum

Digitized by Google

eum modum, quo Perſona diuina determinatur ad Paternitatem, non per aliquam differentiam, ſed per maiorem conceptus expreſſionem, vt eſt communis ſententia, & docet Soar. de Trinitat. lib. 7. cap. 3. num. 16.

17 Vnde colligo, Deum non poſſe facere hanc abſtractionem, ſiquidem in Deo non datur cognitio confuſa obiectorum; imò idē de Angelis dicendum eſt, ſaltem circa res euidentes; quia licet quælibet ſpecies repræſentet plura obiecta, vt docet Vaſq. 1. p. diſp. 202. ſect. 2. illa tamen repræſentatio obſcura non eſt, & confuſa, ſed clara, & diſtincta. *P. Vaſq.*

Soluuntur alia argumenta contra eandem doctrinam Nominalium.

18 Objicis tertiò. Conceptus formalis habet totam ſuam eſſentiam, & vnitatem ab obiecto: ergo ſi conceptus formalis, qui tribuit Vniuerſalitatem, ſit vnus, neceſſe eſt, vt tendat in obiectum vnum: ergo non tendit in plura particularia, ſed in naturam Vniuerſalem in eſſendo, quæ ſit obiectiuè vna. Hæc ratio proponitur à Soar. in Met. diſp. 2. ſect. 2. n. 2. & propterea eàdem ſectione n. 8. & 14. concedit vnum conceptum obiectiuum entis, & præſciſum ab omni ente particulari. *P. Soar.*

19 Reſpondetur tamen, vt conceptus formalis ſit vnus, ſatis eſſe, quod tendat in obiecta ſingularia, quæ ſint inter ſe ſimilia: ſic actus videndi eſt vnus, & tendit in plura obiecta, nempe in album, & nigrum ſimul, quatenus viſibilia; & intellectus noſter poteſt ſimul apprehendere pro libito plura obiecta, vt docet Logica Conimb lib. 1 Periherm. cap. 4 q. 4. art. 1. §. His prænotatis: & nos etiam 1. p. Sum. tract. 3. circa doctrinam Poſt. diſp. 18. ſect. 2. dicemus, probabile eſſe, poſſe dari vnū actum, qui formaliter cadat ſupra totam demonſtrationem. *Patres Conimbr.*

20 Cum igitur ille conceptus repræſentet confusè plura obiecta ſimilia, per ea, vt ſimilia, ſine alia præſciſione à differentijs, vel Vniuerſalitate obiecti in eſſendo, ſpecificatur: atque ita de conceptu entis philoſophatur Fonſ. in Met. lib. 4. cap. 2. quæſt. 2. ſect. 4. Nec diſſentit Soarius cit. diſput. 2. ſect. 2. num. 8. & 15. ſi attentè legatur. Cùm verò dixi, dari quinque Vniuerſalia in prædicando; non nego dari aliquam naturam in eſſendo, quæ prædicetur, priùs enim eſt rem eſſe, quàm prædicari: ſed ergo dari illam naturam in eſſendo communē obiectiuè præſciſam à differentijs, vt patet ex dictis. *M. Fonſ. M. Soar.*

21 Objicis quartò. Vniuerſalia non corrumpuntur, nec generantur; ſed nomina, & conceptus corrumpuntur, & generantur, vt patet, & vel ipſe Gabr. concedit in 1. diſt. 2. quæſt. 8. ad finem, & quidem circa nomina ſæpe *Gabriel.*

—— Verborum vetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modo nata, vigentq. *Horat. in Arte Poet.*

Ergo non ſunt Vniuerſalia. Vt ſoluatur hoc argumentum, aduertendum eſt, Vniuerſale eſſe quoddam concretum ex natura ſubſtrata, & ex Vniuerſalitate, quæ eſt quædam forma, vt omnes admittunt; dicimus ergo Vniuerſalitatem, ideſt, formam Vniuerſalitatis conſiſtere in conceptu: non dicimus tamen naturam ſubſtratam Vniuerſalis conſiſtere in conceptu: quod verò iſte conceptus, ideſt, iſta Vniuerſalitas generetur, cum realiter producitur ab intellectu, & corrumpatur, quia eſt diſpoſitio, ſeu terminus cognitionis, nihil obſtat, dummodò natura ſubſtrata perſeueret: nam etiam in opinione Realiſt. Vniuerſalitas, ideſt, aptitudo, ſiue relatio, cū ſint entia rationis, quæ dependēt à conceptu, corrumpuntur, & generantur; quarè in opinione Realium, eadem eſt difficultas digluttenda; eædem ſyrtes euitandæ; eadem breuis pertimeſcenda,

—— Hàc lupus vrget, & hac canis angit: *Hor. Sat. 2. lib. 2.*

Quapropter, ſi ringuntur Reales Philoſophi, caueant ne vrgeant Nominales.

22 Inſtas: Natura ſubſtrata particulariū corrumpitur, & generatur; Vniuerſalitas ſimiliter: ergo in hac opinione totum Vniuerſale corrumpitur, & generatur. Reſp. naturam ſubſtratam particularium determinatam corrumpi, & generari quoad exiſtentiam, quod per accidens eſt, non verò quoad eſſentiam; cum igitur ſemper maneat aliqua natura ſubſtrata indeterminata, & ſecundùm ſe, quoad exiſtentiam; & quoad eſſentiam ſemper ſit æterna, ſemper etiam manet Vniuerſale. Hæc ſolutio eſt de mente Soar. in Met. diſp. 6. ſect. 7. n 6. propè lit. B. vbi affirmat, Vniuerſalia dici perpetua ſecundùm eſſe eſſentiæ. Quod prætereà patet in ſciētia Angelorum, quæ eſt de rebus ſingularibus, vt docet Soar. lib. 1. de Angel. cap 8. n. 6 Non datur itaque ſcientia de vna tantùm re ſingulari (ſi Deum excipias) ſed de pluribus ſingularibus ſimilibus, quæ, prout ſic, veras habent proprietates, & paſſiones, quæ demonſtrari poſſunt, vt dixi ſupra. *P. Soar.*

23 Objicis quintò. Hæc prædicatio eſt falſa, *Socrates eſt gradus animalis*; & ſimiliter

 falſa

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

falſa eſt, *Socrates eſt gradus ſingularis rationalis*: ergo non dantur talia Vniuerſalia in prædicando. Reſp ad antecedens illas propoſitiones eſſe falſas in ſuppoſitione ſimplici; eſſe tamen veras in ſuppoſitione abſoluta, in qua gradus animalis ſumitur in concreto, & facit hunc ſenſum, *Socrates eſt animal*. Itemque genus eſt illud aggregatum animalium ſingularium, prout repræſentantur in conceptu, vel ſpecie; & quamuis animal ſingulare dicat ſolùm expreſsè gradum animalis, confusè tamen dicit totum Socratem, quia prædicari vt partem, eſt, nullo modo dicere totum id, quod eſt in ſubiecto; cùm verò animal ſit concretum, aliquomodo dicit totum Socratem. Ita in ſimili ſoluit Logica Conimbr. cap. de Genere, q.1.art.1. §. Ad hoc argumentum. *Patres Conimbr.*

24 Obijcis ſextò. Vniuerſale debet eſſe aliquod Vniuocum: ſed illud aggregatum non eſt vniuocum, ſiquidem non præſcindit â differentijs, nec dici poteſt de inferioribus eâdem ratione, vt patet: ergo &c. Reſpond. negando minorem; nam imprimis in opinione aliquorum Realium, datur verum vniuocum, quod tamen non præſcindit verè à differentijs inferiorum, vt de Perſona diuina in communi docet Soar. lib. 1. de Trinit. cap. 3. num 8. & Rub. in Log. cap 3. de Specie, quæſt. 6. num. 138. aſſerit primam ſubſtantiam eſſe aliquid reale Vniuocum; & tamen prima ſubſtantia non præſcindit ab inferioribus, alioqui eſſet ſecunda ſubſtantia; & pro hac ſententia affert Caietanum, & Canterum. Sunt igitur hæc Vniuerſalia Vniuoca, quia repræſentantur æquè primò, ideſt, eâdem ratione in conceptu; Vnde ſubſtantia, & accidens non erunt Vniuoca, quia non repræſentantur æquè primò in conceptu aliquo. *P. Soar. P. Rub. Caietan. Canter.*

25 Obijcis ſeptimò. Illud aggregatum hominum, vel continet homines ſingulares determinatos, vel indeterminatos, & vagos: ſi primum: hæc propoſitio, *Socrates eſt homo*, erit identica, idem enim erit ac dicere, Socrates eſt hic homo, vel Socrates eſt Socrates, non eritque proinde prædicatio directa, quæ requiritur ad Vniuerſale: Si ſecundum, cum indiuiduum vagum non ſit ens per ſe vnum, vt docet Logica Conimbr. in Præfatione Porphyrij. q. 7. art. 1. § Ad quartum, affirmabo in illa propoſitione, Socratem eſſe indiuiduum vagum, ſiquidem illa propoſitio facit hunc ſenſum, *Socrates eſt aliquis homo*. Reſpond. illum cóceptum repræſentare plures homines ſingulares indeterminatos, non præſciſos à differentijs, (ſicut quando definitur prima ſubſtantia, non definitur ſubſtãtia, quæ præſcindit à ſingularibus, vt docet Logica Conimbr. cap. 5. de Subſtantia art. 3. §. Argumenta;) qui homines ſingulares, quamuis in modo ſe obijciendi intellectui, ſint indiuidua vaga, & entia per accidens: tamen â parte rei ſunt entia per ſe, & verè aliquis illorum affirmatur de Socrate; nam, (vt bene ait Logica cit. eodem §. ad finem,) Plato veré eſt quidam homo. *Patres Conimbr.*

26 Neque propterea dicendum eſt, hanc propoſitionem, *Socrates eſt homo*, eſſe particularem, ex eo quod faciat hunc ſenſum, *Socrates eſt quidam homo*: licet enim ita explicetur, propoſitio tamen eſt indefinita ex parte prædicati: Ex quibus etiam patet Nominales non dicere, Socratem eſſe hanc vocem, *Homo*, vel conceptum hominis, nam in eorum ſententia, ſola vox, vel conceptus eſt Vniuerſalitas, non verò eſt Vniuerſale, ſicut Philoſophi Reales non prædicant de Socrate Vniuerſalitatem, ideſt, aptitudinem, ſed conceptum ſuum obiectiuum, ideſt, hominem communem, ita Nominales prædicant cõceptum obiectiuum, ideſt, aliquem hominem, ſub illo conceptu.

27 Obijcis vltimò: Illi plures homines, qui repræſentantur in conceptu, ſunt ſimiles in aliquo vno; ſed illud vnum non eſt ſingulare, ſiquidem omnibus conuenit: ergo datur aliquid commune, in quo ſunt ſimiles. Reſpond. tales homines dici imprimis ſimiles extrinſecé à cõceptu, à quo habent vnitatem vniuerſalem, & in quo repræſentantur æqué primò: dicuntur deinde ſimiles intrinſecé à ſimilitudine formali, propter quam poſſunt conuenire æquè primò in aliquo conceptu ſingulari; ſicut omnia entia ſimilia in ente, cum tamẽ illud ens, in quo ſunt ſimilia, nõ ſit aliquid commune Vniuocum, & præſciſum ab inferioribus.

EPILOGVS.

28 HÆc ſint ſatis pro opinione Nominalium, quæ quamuis non ita claré, & ſub his terminis ab ipſis proponatur: Exiſtimo tamen hãc ſententiam ita à me explicatam facilé ab ingenioſis defendi poſſe, nam valde probabilis eſt, vt ex dictis conſtat: Non ideò tamen deſerenda à nobis eſt Realium Philoſophorum doctrina, quam, & antiquitate, & authoritate ſatis veneratione dignam iudicamus; Quare argumenta, quæ collegimus contra Realium ſentẽtiam ex dictis facilè ſoluentur. Hæc tamen à me diſputata ſunt, vt ab iniurijs Nominales Philoſophos liberaré,

& vt

Digitized by Google

& vt in vtrâque ſententia conſtaret, quo pacto daretur Vniuerſale.

Côciliatur hæc ſentẽtia cũ Philoſophis realibus.

29 Vtramque tamẽ doctrinam bene côciliabit, qui aſſeruerit, dupliciter poſſe dari Vniuerſale, vel extrinſecè ex denominatione conceptus, vel intrinſecè ex intrinſeca Vniuerſalitate, quam res habet obiectiuè, etiam in eſſendo, & in vtrôque ſenſu loquitur Soarez in Met. diſp. 6. ſect. 7.. Ex quibus tandem conſtat in ſententia Realium non, niſi per intellectum, dari Vniuerſale.

SECTIO III.

Quomodo in ſententia Realium Philoſophorum diſtinguatur natura communis ab inferioribus, & in quo ſtatu detur Vniuerſale?

1 Sit vnica concluſio. In ſententia Realium Philoſophorum (quæ communior eſt) natura communis ſolùm per rationem diſtinguitur à ſingularibus, vnde à parte rei nihil datur, niſi ſingulare. Hæc reſolutio gemella eſt illius, quæ tenet gradus metaphyſicos virtualiter tantùm diſtingui, de qua diſputo in Met. lib. 5. diſp. 51, ſect. 5. vbi cito D. Thomã & reliquos Thomiſtas, qui pro hac ſententia tela tenẽt: Illam, præter eos Authores, quos ibi latè cito, tenet Rub. in Logica, q. 3. vbi n. 22. citat Soncin. Sot. Venet. & alios plures: eandem ſequitur, & latè probat M. Serna in ſua Logica, diſp. 1. ſect. 4. de Vniuerſalib. q. 5, art. 3. Eſtque hodie communis, ac certa: pro eâdem ſententia ſtant Heru. Greg. Gabr. Capr. Caiet. Durãd. Tolet. quos citat præterea Rub. in Logica, cap 4. de differentia, q. 6. n. 136. Idem tenet Soar. in Met. diſp. 6. ſect. 3. Item Murſia in Log. tract. de Vniuerſ. diſp. 1. q. 4. Idem tenent Patres diſcalceati, (tamquã fideles Thomiſticæ doctrinæ defenſores) in Logica, d. 3. q. 1.

D. Thom. P Rub. Soncin. M. Sotus. M Serna. Heru. Gregor. Gabriel. Capreol. Caiet. Durand. Tol. Soarius. Murſia. Patres Diſcalceati.

Quotuplex ſit diſtinctio?

2 Quæ, vt breuiter probetur, aduertendum eſt duplicem eſſe diſtinctionem; altera dicitur ex natura rei, quæ inuenitur in rebus ante operationem intellectûs: ſecunda dicitur diſtinctio per operationem intellectus, quia ſolùm eius operâ inuenitur: Diſtinctio ex natura rei diuiditur in realem, & modalem: diſtinctio realis datur inter res, quæ ſeparatæ poſſunt exiſtere (quo pacto diſtinguitur deus ab ore): Vel inter res, quarum vna eſt principium alterius, quo pacto Pater in diuinis realiter diſtinguitur à Filio, quia eſt illius principium. Modalis diſtinctio datur inter rem, & eius modum, vbi res poteſt exiſtere ſine hoc modo, modus autem non poteſt exiſtere ſine re, vt quantitas, quæ poteſt eſſe ſine hac figura; figura tamen non poteſt exiſtere ſine quantitate. Diſtinctio rationis, vel eſt rationis ratiocinantis, quæ nullum habet fundamentum in re: vel rationis ratiocinatæ, quæ habet aliquod fundamentum in re, quo pacto diſtinguuntur diuina attributa, & hæc diſtinctio dicitur virtualis.

3 His poſitis probatur concluſio. Quia natura communis non diſtinguitur realiter ab inferioribus, quia non poteſt exiſtere ab illis ſeparata, (alioquin darentur celebres Platonis ideæ): Deinde, quia natura communis non eſt cauſa realis, vel reale principium naturæ ſingularis, vt patet: Præterea non diſtinguitur modaliter, quia neutra eſt alterius modus: ergo non diſtinguuntur ex natura rei. Quòd veró virtualiter diſtinguantur, ſic probatur: Quia tunc datur diſtinctio virtualis, quando datur fundamentum, vt res, quæ eſt vna, concipiatur vt multiplex per inadæquatos conceptus, (vt patet in Deo, quem modò cognoſcimus, vt iuſtum, modó, vt miſericordem, &c.) ſed de natura communi, & ſingulari poſſumus formare diuerſos conceptus: ergo hic datur diſtinctio virtualis. Minor probatur, quia natura ſingularis habet differentiam indiuiduantem, quam non vendicat natura communis: ergo habet intellectus fundamentum ad formãdos diuerſos conceptus, & conſequẽter datur diſtinctio virtualis, ſeu rationis ratiocinatæ inter naturam communem, & ſingularem: Quæ virtualis diſtinctio ſufficit, vt hæc propoſitio non ſit identica, *Socrates eſt homo*, vt enim eſſet identica, debebant eſſe ſynonimi conceptus, quos formarem de prædicato, & ſubiecto, quod tamen hîc aliter contingit.

4 Obſtas primó. Indiuiduum addit aliquid reale præter naturam communem: ergo indiuiduum realiter diſtinguitur á natura communi. Reſpond. indiuiduum addere aliquid reale, ſed non realiter diſtinctũ, quod latè probat Soar. in Met. diſput. 5. ſect. 2. num. 9. ſicut intellectus diuinus eſt aliquid reale, ſed non realiter diſtinctum à voluntate diuina. P. Soar.

5 Obſtas ſecundo. Proprium, & Accidẽs diſtinguuntur realiter à ſubiecto: ergo ſaltem proprium, & accidens ſunt Vniuerſalia à parte rei. Reſpond. argumentum eſſe æquiuocũ; aliud enim eſt diſtingui à ſubiectis, aliud

 veró

Digitized by Google

verò diſtingui ab inferioribus. Proprium igitur, & Accidens, quatenus ſingularia ſunt, realiter diſtinguuntur à ſubiectis, in quibus ſunt, de quo non eſt quæſtio, ſed de proprio, & accidente, quatenus communia ſunt, vt v. g. de albo in communi, quatenus abſtrahitur ab homine, & á cygno, quod album in communi, ſolùm per rationem diſtinguitur ab inferioribus, nempe ab homine, & à cygno.

Corollaria ex præcedenti concluſione.

Solum per intellectũ datur Vniuerſale.

6 EX hac concluſione ſequitur primò naturam non eſſe Vniuerſalem, niſi in tertio ſtatu, & per intellectum: Quando ſcilicet concipitur abſtracta à differentijs ſingularibus, quæ abſtractio fit per intellectum in ſpecie intelligibili, vel in conceptu, ibi enim repræſentantur, vt vnum quid commune, aptumque ad eſſendum in multis, ac de illis prædicandum: Quamuis autem intellectus non poſſit tribuere obiecto vnitatem formalem, (quia hæc vnitas eſſentialis eſt, poteſt tamen illi tribuere vnitatem præſciſionis, ſicut etiam tribuit aptitudinem, quæ ſunt entia ficta per intellectum, vt videbimus, cum igitur Vniuerſalitas ſolùm detur per rationem, ſolùm etiam in tertio ſtatu datur Vniuerſale.

7 Obſtas: Diſtinctio virtualis ſufficit, vt vnum prædicatum competat vni à parte rei, & non alteri, (vt patet in Deo, in quo productio Verbi conuenit á parte rei intellectui, & non Voluntati diuinæ, quamuis intellectus, & Voluntas Dei virtualiter tantùm diſtinguantur): ergo ſimiliter Vnitas, & aptitudo conuenient à parte rei naturæ communi, & non conuenient naturæ ſingulari, quamuis natura communis, & ſingularis virtualiter tantùm diſtinguantur, & conſequenter dabitur Vniuerſale in tertio ſtatu à parte rei, & non per rationem. Reſpond. negando antecedens; diſtinctio enim virtualis inter duo, ſolùm ſufficiens eſt, vt vnum cõpetat vni, & non alteri per intellectum ſolum, & non à parte rei, vt patet in adducto exemplo, quia cum intellectus, & voluntas in Deo ſint idem, quidquid conuenit vni á parte rei, conuenit alteri, & ſolùm per noſtrum intellectum cum fundamento in re fit illa diſtinctio, & diuerſa conuertendi formalitas; ſic etiam per intellectum, & non à parte rei conuenit vniuerſalitas naturæ communi, & non conuenit naturæ ſingulari.

8 Colligitur ſecundò, in primo ſtatu naturæ, (qui tunc datur, quando natura concipitur ſecundùm ſe, & ſecundùm ſua prædicata eſſentialia, nec quatenus abſtracta, neque quatenus contracta) non dari Vniuerſale formaliter. Probatur, quia non poteſt dari vera ratio Vniuerſalis logici ſine vnitate præſciſionis, & ſine aptitudine: ſed natura ſecũdùm ſe in primo ſtatu, ſiue à parte rei, non habet vnitatem præſciſionis, nec aptitudinem: ergo in primo ſtatu non eſt Vniuerſalis. Probatur minor, quia Vnitas præſciſionis, & aptitudo ſunt entia rationis, & ſunt prædicata contingentia, natura autem in eo ſtatu ſolùm habet prædicata eſſentialia.

Proponitur, ac reijcitur ſententia Scoti.

Scotus cũ tota familia tenet dari diſtinctionẽ ex natura rei inter gradus metaphyſicos.

9 OBijcis pro contraria ſententia, pro qua ſtat vniuerſa Scoti familia. Natura communis ſecundùm ſe eſt prior, quàm ſingularia, ſiquidem eſt eorum veluti cauſa; omnis autem cauſa eſt prior ſuo effectu prioritate naturæ: ergo cum in ea prioritate non ſit natura contracta cum ſuis inferioribus, erit ab illis abſtracta, & conſequenter erit Vniuerſalis. Reſpond. negando conſequentiam; primò, quia ea prioritas non eſt ſufficiens, vt natura dicatur eſſe ſine inferioribus, vt patet in ſole, qui eſt prior natura, quàm lux, & tamen dici non poteſt quod fuerit aliquando ſine luce; cum igitur natura in eo priori nunquàm ſit in aliquo inſtanti ſine inferioribus, in nullo fuit Vniuerſalis, quia Vniuerſale debet eſſe vnum commune à multis abſtractum.

10 Nego ſecundùm eandem conſequentiam, quia dato quòd natura in eo priori poſſit concipi aliquando ſine inferioribus, nihilominus eſſe non poterit Vniuerſalis ex defectu ipſorum inferiorum (nam Vniuerſale, & particulare relatiua ſunt, & vnum dari non poteſt ſine alio), atquè adeò debet particularia intelligi in ſecundo ſtatu, à quibus natura abſtrahatur, & ſit vniuerſalis in tertio ſtatu.

11 Inſtas: Natura in primo ſtatu non eſt contracta: ergo eſt abſtracta. Reſpond: naturam in primo ſtatu, neque eſſe cõtractam, neque abſtractam, ſed eſſe naturam ſecundùm ſe, quod eſt medium inter abſtractum, & contractum: quamuis autem ſemper natura à parte rei ſit cum differentijs, ac proinde contracta, tamen in primo ſtatu non ſumitur reduplicatiuè, quà contracta eſt, ſed ſecundùm ſe, ſicut licet Sol ſit cauſa lucis à parte rei,

Digitized by Google

rei, poteſt tamen ſumi ſecundùm ſe, nō quatenus cauſa eſt lucis.

Corollaria ex præcedente doctrina.

Nō datur Vniuerſale in ſecundo ſtatu.

12 Colligitur tertiò, Naturam nō eſſe Vniuerſalem in ſecundo ſtatu (qui tunc datur, quando eſt contracta cum inferioribus.) Probatur, quia Vniuerſale conſiſtit in aptitudine, vel in potentia logica ad eſſendum in multis: ſed natura in ſecundo ſtatu iam non habet hanc capacitatem ad eſſendum in multis, ſiquidem illam amiſit per contractionem: ergo natura in ſecundo ſtatu non poteſt eſſe Vniuerſalis; cum enim hæc potentia Vniuerſalis ſit ad eſſendum in inferioribus, per diuiſionem, deſtruitur per ſuum actum, vt patet in potentia, quam habet tabula, vt diuidatur, quæ per diuiſionem amittitur.

13 Colligitur quartò, Vniuerſalitatem poſitiuam, ideſt, vnitatem, & aptitudinem, & ſimiliter relationem, quatenus entia rationis ſunt, non exiſtere, niſi in conceptu intellectus patientis. Ratio eſt, quia entia rationis non exiſtunt, niſi quando finguntur; ſed per ſolum conceptum finguntur: ergo in ſolo cōceptu repræſentatur Vniuerſalitas: imò relatio Vniuerſalis non exiſtit, niſi in conceptu comparatiuo formaliter; datur enim duplex conceptus comparatiuus: alter materialiter comparatiuus, vt quando duo, *Socrates eſt albus*, comparo materialiter Socratem cum albedine; alter formaliter comparatiuus, vt quando concipio relationem, quæ datur inter Socratem, & albedinem, in conceptu igitur formaliter comparatiuo exiſtit relatio Vniuerſalis, quando ſcilicet formaliter comparo hominem communem cum homine ſingulari.

14 Quapropter in ſpecie intelligibili producta per intellectum agentem, & in ſententia, quæ aſſerit repræſentare res vniuerſales (de qua ago in lib. de Anima, diſp. 83. ſect. 2.) nō relucet Vniuerſale poſitiuum, ideſt, quatenus eſt ens rationis, ſed ſolùm repræſentatur Vniuerſale negatiuum, ideſt natura illa communis præſciſa à differentijs indiuiduantibus, cui, vt ſic, non repugnat eſſe in inferioribus, & huic naturæ ita repræſentatæ conuenit quidem relatio, licet actualiter non detur. Probatur, quia quoties dantur requiſita ad aliquam formam, iam talis forma debetur, ſed in tali natura ita repræſentata datur Vnitas, & aptitudo, quæ ſunt fundamenta relationis: ergo debetur relatio rationis: Quæ relatio licet nihil ſit reale, eſt tamen aliquid rationis formaliter ſumpta, & deberi poteſt neceſſariò alicui enti reali, vt patet in relatione viſi, & intellecti, quæ conueniunt neceſſariò rei alicui à Deo productæ, licet talis relatio ſit rationis; & idem cernitur in relatione dextri, vel ſiniſtri reſpectu columnæ, quæ quamuis rationis ſit, neceſſariò poteſt conuenire. Ex quibus concluditur Vniuerſale poſitiuum non fieri per intellectum agentem, ſed requirere intellectum patiētem, de quibus latè Rub quæſt. 5. Vniuerſalium à n. 94. P. Rub.

Datur Vniuerſale in actuali prædicatione.

15 Colligitur quintò, Naturam Vniuerſalem conſeruare poſſe Vniuerſalitatem ipſam, etiam in actuali prædicatione, vt contra Scotum, quæſt. 9. in Porphyr. & quæſt. 16. ad 8. tenet communior Thomiſtarum ſententia. Probatur, quia poſſum concipere naturam per vnum conceptum abſtractam, & per alium, vel per eundem, eam extrinſecè determinare ad aliqua inferiora: tunc verò, vt patet, non amittitur Vniuerſalitas, ſiquidē licet natura determinetur extrinſecè ad vnū, adhuc in conceptu conſeruare poteſt ſuam Vniuerſalitatem, ac præſciſionem.

16 Ex quibus tandem conſtat, quo pacto reſpondendum ſit ad titulum diſputationis, cuius cauſa hæc omnia ſunt ventilata: Cōſtat enim in ſententia Nominalium dari Vniuerſale à parte rei: In ſentētia verò Realium Philoſophorum non, niſi per intellectum patientem fabricari; licet ipſum Vniuerſale negatiuè reluceat in ſpecie intelligibili, quam produxit intellectus agens, ac proinde ad vtrumque intellectum ſuo modo pertinet hæc abſtractio, dummodò ſpecies illa repræſentet res communes, vt volunt Thomiſtæ, qui audiendi ſunt in libris de Anima, diſp. 83. ſect. 2. à n. 6.

(*)

DISPVTATIO III.

Quid ſit ens rationis, & à quibus potentijs fiat.

SÆPE nobis in præcedentibus diſputationibus recurrit ſermo de entibus rationis, quarè ratio ipſa per ſe exigit, vt de ente rationis diſſeramus, cuius entis cognitio multum conducit ad prædiuitem hanc Vniuerſalium ſupellectilem præparandam.

SECTIO I.

Quænam ſit eſſentia, cauſa, & diuiſio entis rationis?

1 PRima concluſio. Præter entia realia, dantur entia rationis. Ita cum communi ſententia Soar. in Met. diſp.54.ſect.1.n.4. Vaſq. 1.p. diſp. 115. Hurtad. in diſp.19. & alij cum Rubio in Log. tract. de Natura entis rationis à num.1. Probatur, quia multa à nobis finguntur per rationem, per modum entis veri, quæ à parte rei nullum habent eſſe, vt patet in cæcitate, quæ concipitur à nobis quaſi forma expellēs viſum: ergo hoc ens, cum per ſolam rationē fiat, erit ens rationis, quod rectè definitur, *Id, quod à ratione cogitatur, vt ens, cum tamen in ſe nullam habeat entitatem, præter obiectiuam in intellectu.*

P.Soar. P.Hurt. P.Vaſq. P.Rub.

2 Obijcis pro contraria ſententia, quæ immeritó tribuitur Durando in 1. diſt. 19. q. 5. Nam ibi ſtat pro noſtra ſententia: Veriùs citari poteſt Arrub. 1. p. tom.1 ad q.14. diſp. 34. cap. 7. vbi pro ſe alios adducit. Nullæ dantur in noſtro intellectu ſpecies entis rationis: ergo intellectus nequit effingere entia rationis. Reſp. negando conſequentiam; ſatis enim eſt dari ſpecies earum rerū, ad quarū imitationem formatur ens rationis; ſicut format intellectus conceptum montis aurei, cuius ſpecies per partes tantùm habuit. Et hoc pacto ſufficit, quod fundamentaliter, ideſt, ſecūdùm eſſe rei, ad cuius imitationem fingitur, ſupponatur ens rationis, tanquàm obiectum, quod debet eſſe prius quàm potentia, quamuis quoad exiſtētiam formalem effectiuè pendeat ab intellectu.

Durand. Arrub.

3 Ex dictis colligo eſſentiam entis rationis conſiſtere in capacitate ad habēdum exiſtentiam ſolùm obiectiuam. Probatur, quia ſicut eſſentia entis realis conſiſtit in capacitate ad exiſtendum realiter; ita eſſentia entis rationis conſiſtet in capacitate ad exiſtendum ſolùm obiectiuè, & per ſuam intrinſecam exiſtentiam. Eſt autem exiſtentia intrinſeca entis rationis ea, quæ conuenit tali enti rationis ſecundùm ſe, & intrinſecè, quam exiſtentiam habet omne ens, ſiue ſit reale, ſiue ſit rationis, quamuis ens reale habeat hanc exiſtentiam intrinſecam realiter: at verò ens rationis, per rationem: exiſtentia verò extrinſeca entis rationis eſt illa, per quam exiſtit conceptus, in quo repræſentatur ens rationis.

4 Hic conceptus, ſi fuerit primarius, ideſt ille, per quem primariò fit, & repræſentatur ens rationis, ad eius multiplicationem, multiplicatur ens rationis. Probatur, quia ab eo conceptu immediatè pendet ens rationis; ſi verò ille conceptus fuerit ſpeculatiuus tātùm, & ſecundarius, ideſt, ille, per quem attingitur ens rationis iam fabricatum à priori conceptu, non multiplicabitur ens rationis ad eius conceptus multiplicationem. Probatur, quia ille ſecundus conceptus nihil de nouo addit enti rationis, quia iam per primum conceptum acquiſiuit ſuam exiſtētiam. Quando dicimus ſecundum conceptum ſpeculatiuum nihil addere enti rationis, intelligimus nihil addere intrinſecum: atque ex his ſequitur,

5 Secunda concluſio. Intellectus eſt cauſa efficiens entis rationis. Ita cum communi Soar. in Met. diſp. 54. ſect. 2. num. 4. Probatur, quia ens rationis habet totum ſuū eſſe ab intellectu obiectiuè: ergo eatenus dicetur fieri, quatenus intellectus efficit conceptum, in quo repræſentatur, qui cōceptus eſt ille, in quo apparet per modum entis, id, quod in re ipſa non habet entitatem, vt patet: Erit autem hic conceptus aliquo modo reflexus, quia plerumque ad conceptum entis rationis præſupponitur alius conceptus entis realis, ad cuius imitationem formatur ens rationis. Dixi (plerumque) quia ad entia fictitia neceſſaria non eſt noua reflexio, ſeu cog.

Soar.

Digitized by Google

cognitio, quæ aliam ſupponat, poſſum enim primariò fingere Chymæram, quam nũquàm antea cognoui; quamuis etiam tunc illa cognitio ſit aliquo modo reflexa, cadit enim ſuper Leonem, & Equum, quæ ſunt entia realia, quibus conſtat Chymæra.

6 Tertia concluſio. Solus intellectus format propriè entia rationis. Ita cum communiori Soar. cit. n. 13. Probatur, quia imprimis ſenſus externi, & communis (ſi datur) nõ ſunt reflexiui, vt poſſint concipere per modum entis id, quod non eſt ens; & eadem eſt ratio in voluntate, cuius prætereà obiectum nõ eſt ens, quá ens, ſed bonum; quamuis enim voluntas poſſit tendere in obiectum vniuerſale, & in bonitatem fictam, ipſa tamen non fabricatur ſimilia entia rationis, ſed ſupponit ea fabricata per rationem, ideſt, per intellectum. Eſt igitur ens rationis id, *cuius eſſe dependet ab operatione intellectus obiectiuè*, quamquàm ſecundarió dependeat effectiué, quatenus intellectus facit conceptum, in quo repræſentatur.

7 Aduertendum verò eſt, Noſtrum intellectum per omnes tres operationes, poſſe
Rubius. formare entia rationis. Ita Rub. in Log. tract. de Natura entis rationis, n. 36. §. Nos verò. Probatur imprimis in iudicio; quia ſæpe per iudicium falſum aliquod ens fictitium fabricamus, cui aſſentimur per modum entis veri, quamuis neceſſe non ſit omne iudicium, in quo repræſentatur ens rationis, eſſe falſum, vt aliqui contendunt, quia non ſemper intellectus fallitur, quando format ens rationis, ſed potius iudicat eſſe ens rationis id, quod format ad modum entis veri; & eatenus dicitur dari ens rationis in iudicio, quatenus in eo iudicio, quo affirmo *Socrates eſt cæcus* repræſentatur cæcitas tanquam forma remouens viſum. Probatur deinde in tertia operatione, ideſt, in diſcurſu: quia ſyllogiſmus formaliter eſt ens rationis; & prætereà quando in concluſione aliqua extrema ſunt rationis, ipſe etiam diſcurſus eſt rationis.

8 Probatur tandem in ſimplici apprehenſione, nam vel per primam poteſt intellectus apprehendere id, quod tale non eſt à parte rei, vt tenebras v. g. inſtar formæ poſitiuæ; imò etiam relatio rationis, quamuis requirat conceptum comparatiuum formaliter, poteſt fingi per ſimplicem apprehenſionem. Probatur, quia vel per ſimplicem conceptum poteſt concipi natura communis, vt ordinata ad inferiora, quin intellectus aliquid iudicet, affirmet, vel neget. Oppoſitũ
Hurtad. tamẽ de prima operatione defendit Hurt. in Met. diſp. 19. de Ente rationis, ſect. 1. §. 1.;
Murſia. ſed pro nobis pugnat Murſia de Vniuerſal, diſp. 2. quæſt. 2.

9 Quarta concluſio. Phantaſia humana non poteſt entia rationis propriè effingere. Ita generaliter loquẽdo de Senſibus Soar. in *Soarius.*
Met. diſp. 54. ſect. 2. n. 17. & Hurt. in Met diſp. *Hurtad.*
19. §. 18. Probatur, quia, vt diximus, vt formẽtur entia rationis, requiritur aliqua reflexio potentiæ: ſed phantaſia nequit reflectere ſupra ſuos actus, cum ſit potentia materialis: ergo &c. Quare non obſtat, quod arguitiuè poſſit phantaſia cognoſcere ſubſtantiam corpoream, & diſcurrere circa ſingularia materialia, quia obiectum adæquatum Phantaſiæ eſt ens ſenſibile ſingulare, non verò inſenſibile, quale cenſetur ens rationis, quia eſt maximé ſeparatum á materia.

10 Poterit tamen Phantaſia humana effingere entia rationis impropria, & chymærica. Probatur, quia ex cognitione ſeparata aliquorum obiectorum, v. g. ex cognitione montis, & ex altera cognitione auri, poteſt effingere montem aureum. Verùm tale ens rationis improprium eſt, & ſine fundamento in re, nec requirit reflexionem, ſicut eam poſtulant entia rationis propria: ita Soar. cit. n. 18.

11 Quinta concluſio. Ens rationis adæquatè diuiditur in negationem, priuationẽ, & relationem: Ita cum D. Tho. Soar. in Met. *D. Thom.*
diſp. 54. ſect. 3. à n. 1. Rub. ſupra à n. 3. Pro- *Soarius.*
batur breuiter, quia vt detur verum ens ra- *Rubius.*
tionis debet habere fundamentum in re, & aliquo modo ad ſcientias inſeruire, alioquin in infinitum dabuntur chymæricæ fictiones, ſed his tantùm tribus modis poteſt fingi verũ ens rationis, vt patebit: ergo &c.

12 Obijcis. Datur relatio rationis: ergo dabitur ſubſtantia, quantitas, & qualitas rationis, & ſic de cæteris prædicamentis. Probatur conſequentia; quia v. g. in qualitate poteſt aliquis concipere famam tãquam diſpoſitionem rationis conuenientem perſonæ honoratæ: Quod faciliús probatur in quantitate in ijs, qui negant indiuiſibilia, qui neceſſarió ea concipiunt tanquám entia rationis quando negant dari indiuiſibilia realia: ergo &c.

13 Reſpondetur primó, in ſubſtãtia, vel quolibet alio accidente abſoluto nullum dari fundamentum ad excogitandum in eis imprimis aliquid relatiuum ad aliud, quod tamen fundamẽtum datur in relatione, quæ non ſolùm habet (eſſe in) ſed etiam (eſſe ad) ſeu (reſpectum ad aliud) quód ſi finigatur ibi, in quantitate v. g. aliquis reſpectus prædicamentalis, iam reducetur ad relationem, cum ſit reſpectus ſuperadditus. Vnde *Fama* non eſt ens rationis, ſed clara notitia alicuius cum laude,

Digitized by Google

laude, quæ realiter eſt in alio, ſicut honor eſt in honorante, quod ſi hinc ſumatur occaſio fingendi ens rationis, reducetur ad relationem, quia videlicet refertur ille honor ad obiectum honoratum; & ſic de reliquis prædicamentis proportionatè dicendum eſt; in quibus præterea nullum datur fundamentum fingendi negationes, & priuationes, quia prædicamenta debent eſſe entia realia.

14 Reſpondetur ſecundò. Omnia illa entia rationis, quæ fingi poſſunt in ſubſtãtia, quantitate, &c. reduci ad negationem, quia eo ipſo, quod concipio ſubſtantiam rationis, nego ſubſtantiam realem, ſicut qui concipit chymeram, concipit quandam negationem diſtinctionis eſſentialis, quæ datur inter hominem, & Leonem, &c.

SECTIO II.

Vtrùm Deus, & Angeli poſſint effingere entia rationis?

P. Soar. P. Vaſq. P. Rub. P. Hurt. P. Ruic. P. Alarc.

1 PRima concluſio. Deus non poteſt efficere entia rationis. Ita Soar. in Met. diſp. 54 ſect. 3 n. 20. Vaſq. 1. p. diſp 115. cap. 2 n 5 §. Hinc fit. Rub. in Log. tract. de Natura entis rationis, n. 34. §. Mihi tamen. Hurtad. in Met. diſp 19 ſect. 4. & alij plures cum P. Ruicio quem citat, & ſequitur P. Diego de Alarcon, 1. p. tract. 1. d. 1. cap. 6. n. 2. Probatur, quia ens rationis tunc primariò fit, quando concipitur per modum entis id, quod tale non eſt; ſed Deus, propter ſuam perfectionem, non poteſt cognoſcere rem aliter, atque eſt: ergo non poteſt effingere primariò entia rationis. Confirmatur, quia omnis diuina cognitio eſt perfectè iudicatiua: ergo ſi Deus efficeret aliquod ens rationis, iudicaret eſſe ens id, quod tale non eſt à parte rei, ac proinde falleretur Deus, quod dicendum non eſt.

Gillius. Arrubal.

2 Obijcis primò pro contraria ſentẽtia, (quam tuetur Gil. lib. 2. tract. 6. cap. vlt. & Arrubal. 1. p. t. 1. quæſt. 14. d. 34. ſect. 7. cum alijs, inter quos immeritò numerat Soar.) Deus cognoſcit Verbum diuinum procedere per intellectum, & non per voluntatem: ſed intellectus, & Voluntas in Deo ſolùm per rationem diſtinguuntur: ergo cognoſcit, & format diſtinctionem rationis. Reſp. negando conſequentiam. Deus enim cognoſcit id, quod eſt à parte rei, nimirum procedere Verbum per intellectum, qui intellectus à parte rei eſt idem cum Voluntate; ſed cognoſcit, ſuum intellectum, & voluntatem diſtinguibiles eſſe per noſtros conceptus, quia videt Deus huius diſtinctionis fundamentum; hoc tamen non eſt efficere ens rationis, ſed cognoſcere illud ſpeculatiuè, iam factum à nobis practicè.

3 Obijcis ſecundò. Carentia formæ, quæ non eſt in ſubiecto cognoſci non poteſt, niſi conſideretur, vt ens poſitiuum ad quod terminetur cognitio: ergo, vt Deus cognoſcat carentiam alicuius formæ, debet illam attingere, vt ens rationis. Reſp. negando antecedens quia carentia formæ non ſolùm cognoſcitur directè in ſe, per modum entis poſitiui, ſed etiam indirectè per formas negatas, & hoc modo cognoſcit Deus, quia perfectior modus cognoſcendi eſt cognoſcere negationem, vt eſt in ſe, ſed negatio non habet eſſe, niſi per abſentiam formæ negatæ: ergo ita à Deo cognoſcitur.

4 Obijcis tertiò. Quando aliquis homo efficit ens rationis, non decipitur, iudicat enim eſſe ens rationis, quod iudicium verum eſt: ergo ſimiliter Deus non decipietur formando ens rationis, quia iudicabit illud verè eſſe ens rationis. Reſp. negando conſequentiam, & maior ratio eſt, quia in homine ſemper datur aliquis actus reflexus, quo iudicat illud, quod apprehendit, vt ens, non eſſe verum ens; at verò in diuina cognitione cum nõ detur apprehenſio, non datur actus reflexus, qui cadat ſupra hãc apprehenſionem, ac proinde ſi Deus primariò efficeret ens rationis, primariò iudicaret illud eſſe ens verum, & primariò falleretur.

5 Inſtas. Viſio beata eſt reflexa, vt docet Soar. lib. 2. de Attributis, cap. 8. n. 9. ita vt, nequeat Beatus videre Deum, quin videat, ſe videre, eſt enim participatio diuinæ cognitionis, quæ reflexa eſt ſupra ſe ipſam eminentiſſimè: ergo nullam imperfectionem arguit actuum reflexio. Reſp. nos nõ negare hãc reflexionem, ſed illam, quæ fit ex indigentia, qualis neceſſariò datur in eo, qui fingit ens rationis, ne alioquin decipiatur, quæ reflexió arguit imperfectionem, & cadit ſupra apprehẽſionem: at verò reflexio illa, quæ fit ex redũdantia, qualis datur in actu diuinæ cognitionis, qui virtute eſt multiplex, (& ſimiliter in viſione beata ex participatione diuinæ cognitionis) arguit perfectionem, cum non ſit ex indigentia, neque cadat ſupra apprehẽſionem. P. Soar.

6 Obijcis quartò. Formatio entis rationis non prouenit ex imperfectione potentiæ, ſed ex defectu obiecti: ergo reſpectu Dei, nulla erit imperfectio. Reſp. negando antecedens

cedens, prouenit enim ex imperfectione potentiæ, quæ non poteſt cõſiderare obiectum, vt eſt in ſe, ac proinde vtitur illo modo cognoſcendi per entia rationis.

7 Secunda concluſio. Intellectus diuinus cognoſcit entia rationis à nobis iam facta. Ita cit. Soar. n.23. Hurt cit. diſp. 19. ſect. 2. §.27. Rub. in Logica, tract. de ente rationis, n. 54. Probatur, quia diuinus intellectus attingit quidquid cognoſcibile eſt, ac proinde neceſſariò cognoſcit omnes actus noſtri intellectus, & quidquid in illis repræſẽtatur; neque hinc ſequitur formare Deum entia rationis, nam hæc cognitio diuina eſt ſecundaria, & ſpeculatiua, quo pacto cognoſcit noſtrum mendacium, quin mẽtiatur, & cognoſcit noſtrum diſcurſum formalem, quin formaliter diſcurrat. *Soarius. Hurtad. Rubius.*

8 Obijcis pro contraria ſententia, quam tenet Vaſq. 1. p. diſp. 115. n. 11. Ens rationis dependet ab intellectu obiectiuè: ergo ſi obijcitur diuino intellectui formabitur ab illo. Reſp. ad antecedens, ens rationis quando fit, dependere ab intellectu humano non ſolùm obiectiuè, ſed etiam practicè, & primariò, cum verò diuino intellectui non obijciatur primariò, & practicè, ſed ſecundariò, & ſpeculatiuè, ab illo non formatur, vt patet ex dictis. Imò ſi Deus alicui viatori oſtenderet aliquod ens rationis, per illam cognitionẽ ſpeculatiuam ſolùm cognoſceretur non formaretur ens rationis. Aduertendum verò eſt hãc diuinam cognitionem ſpeculatiuam eſſe ab æterno, neque proinde ſequi entia rationis ab æterno exiſtere, quia diuina cognitio actualiter fertur in entia rationis, vt futura, & vt formanda ab intellectu creato. *Vaſq.*

9 Tertia concluſio. Intellectus Angelicus ſpectatus ſecũdùm ſuam naturalem perfectionem poterit efficere entia rationis circa res ſibi ineuidentes. Probatur, quia licet Angelorum cognitio circa euidentia, ſemper ſit iudicatiua, tamen circa ineuidentia, eſt etiã apprehenſiua, ne ſcilicet temere iudicet id, quod euidẽter non intelligit, vt docet Soar. lib. 2. de Angelis, c. 11. n. 17 & tum temporis in apprehẽſione repræſentabitur ens rationis. Cõfirmatur, quia intellectus Angelicus circa ineuidentia, poteſt formaliter diſcurrere, vt videbimus. Per viſionem verò beatam, neque intellectus Angelicus, neque humanus poſſunt efficere entia rationis. Probatur, quia per viſionem beatam attinguntur res verè, & vt ſunt in ſe. Confirmatur, quia viſio beata eſt perfectè iudicatiua, ac proinde daretur deceptio, ſi ab Angelo, vel ab alio Beato formaretur ens rationis, vt patet ex ſuprà dictis. *P. Soar.*

SECTIO III.

De ſpecie repræſentante ens rationis, & de primis, ac ſecundis intentionibus.

1 PRima concluſio. Ens rationis in nulla ſpecie intelligibili poteſt exiſtere, tamen repræſentari poteſt habitualiter in ſpecie rememoratiua, quæ in intellectu relinquitur à conceptu entis rationis. Hæc concluſio habet duas partes: Secunda probatur facilè, quia in ſpecie rememoratiua repræſentatur idem obiectum, quod in conceptu illuxit, ſed conceptus poteſt eſſe alicuius entis rationis, ergo &c. quæ tamen ſpeciei repræſentatio non eſt practica, & primaria, vt patet. Probatur prima pars, non exiſtere ſcilicet formaliter ens rationis in ſpecie intelligibili, quia ens rationis tunc exiſtit formaliter, quando id, quod à parte rei non eſt ens, concipitur per modum entis ab intellectu vitaliter operante: ſed per talem ſpeciem non fingitur per modum entis id, quod non eſt ens; ergo &c. Hæc ratio à fortiori militat in habitu, qui præterea non eſt repræſentatiuus. *Ens rationis repræſentatur in conceptu.*

2 Confirmatur, quia ab intellectu agente ſolùm producitur ſpecies eius rei, cuius indiuiduum phantaſia cognoſcit: cum ergo Phantaſia non percipiat ens rationis proprium, neque in ſpecie producta ab intellectu agente repræſentabitur.

3 Obijcis primò. Ab intellectu agente producitur ſpecies, in qua repræſentatur natura communis, iuxta probabilem opinionẽ: ſed natura communis non datur à parte rei: ergo repræſentatur vt ens rationis, ac proinde in ſpecie intelligibili datur ens rationis. Reſpondeo negando vtramque conſequentiam, quia in illa ſpecie non repræſentatur natura communis poſitiuè, ſeu qua ens rationis eſt, ſed tantùm negatiuè, quia ſcilicet illi naturæ non repugnat Vniuerſalitas poſitiua, quamuis habeat Vniuerſalitatem negatiuam, dicẽda tamen non eſt ens reale, ſiquidem datur per intellectum agentem, neque dicenda eſt ens rationis ſiquidem non datur per intellectum patientem, ſed dicetur ſecunda intentio, vt mox videbimus.

4 Obijcis ſecundò. Ab intellectu agente producitur ſpecies naturæ communis, quæ non percipitur à Phantaſia: ergo etiam producitur ſpecies repræſentãs ens rationis, licet phan-

phantaſia illud non percipiat. Reſpõdeo negando conſequentiam; & maior ratio eſt, quia phantaſia percipit rem ſingularem, in qua communis continetur, & tamen neque in communi, neque in ſingulari percipit aliquod ens rationis proprium.

5 Inſtas. Phantaſia percipit fundamentum aliquod entis rationis, quia percipit rem aliquam ſingularem, & realem, quæ eſt fundamentum entis rationis: ergo ſi propterea intellectus agens poterit producere ſpeciem rei communis, quia hæc continetur in ſingulari, quam percipit phantaſia, etiam poterit producere ſpeciem entis rationis, ſiquidem ens rationis continetur in re aliqua reali, quam percipit Phantaſia. Reſpond. negando cõſequentiam, & maior ratio eſt, quia res communis continetur in ſingulari, à qua nõ diſtinguitur: at verò ens rationis non cõtinetur in re aliqua reali, imò ab illa diſtinguitur, & vlterius dependet à conceptu.

6 Inſtas iterum. Res communis eſt ens rationis: ergo ſi res communis continetur in ſingulari, iam in re ſingulari continebitur ens rationis, proindeque bene poterit phantaſia illud cognoſcere, & producere ſpeciem, quæ repræſentet ens rationis. Reſpõdetur diſtinguendo antecedens: Res communis, ſi ſumatur formaliter & poſitiuè ſeu relatiuè, eſt ens rationis, concedo antecedens: ſed tunc non continetur in fundamento, ſeu in re ſingulari, vt patet ex dictis: ſi verò res communis ſumatur fundamentaliter, ſeu negatiuè, eſt ens rationis, nego antecedens: Quare conſequẽtia nihil colligit.

7 Secunda concluſio. Nulla poteſt dari ſpecies corporea impreſſa, vel expreſſa, quæ repræſentet ens rationis negatiuum, priuatiuum, vel relatiuum (nam entia fictitia corporea bene poterunt à Phantaſia effingi.) Probatur concluſio, quia nulla datur potentia corporea, cui talis ſpecies poſſit inſeruire; ſi enim aliqua daretur, eſſet phãtaſia humana: ſed hæc, vt dixi ſect. 1. §. Quarta concluſio, non poteſt efficere entia rationis: ergo &c. Confirmatur: ſpecies, & potentiæ requirunt proportionem; ſed nulla datur proportio inter ſpeciem corpoream, & potẽtiam ſpiritualem: ergo ſi talis ſpecies non poteſt dicere ordinem ad potẽtiam corpoream, neque etiam dicet ad potentiam ſpiritualem.

Soluũtur oppoſita argumẽta.

8 Obijcis. Illa ſpecies corporea repræſentans ens rationis proprium, poterit eleuari à Deo, vt ſuppleat cõcurſum ſpeciei ſpiritualis: ergo tunc habebit proportionem cum intellectu. Reſpõdeo argumẽtũ ſupponere falſum in antecedente, quia ſuppoſito quod nõ detur potentia, ad quam dicat ordinem talis ſpecies, cenſetur omnino impoſſibilis; quia ſpecies habent ſuum eſſe eſſentialiter ordinatum ad operationem potentiarum; quia ſunt ſigna primaria; Vnde eſt optimum argumẽtum deductum ex impoſſibilitate potentiæ, ad probandam impoſſibilitatem ſpecierum. Si verò, per impoſſibile, admittatur corporea ſpecies, & à Deo ponatur in potentia ſpirituali, (de quo dicemus alibi) tũc dico quòd per eam non intelliget talis potentia, ſed habebit ſe intellectus cum ea ſpecie, eo modo, quo ſe haberet lapis, ſi in eo poneretur à Deo gratia, qui ſicut nõ diceretur gratus, ita etiam intellectus nõ diceretur intelligens per illam ſpeciem; quare concurſus illius ſpeciei corporeæ ad productionem ſpeciei ſpiritualis, peculiaris non eſt tali ſpeciei, ſed communis cuicumque inſtrumento, quod eleuatum à Deo producere poteſt effectus miraculoſos.

9 Obijcis ſecundò. Poteſt dari ſpecies impreſſa, quæ Deum repræſentet, vt eſt valde probabilis ſentẽtia, & dicemus in Met. diſp. 49. ſect. 1. à num. 6. ergo ſimiliter dabitur illa ſpecies corporea, quæ repræſentet ens rationis. Probatur conſequentia, quia magis diſtat Deus clarè cognitus ab intellectu humano, cui illa ſpecies poteſt repræſentare, quã ens rationis à phantaſia: ergo ſi dari poteſt ſpecies, quæ poſſit repræſentare Deum, etiam dabitur ſpecies corporea, quæ poſſit repræſentare ens rationis. Reſpondeo negando cõſequentiam, & ad illius probationem dicendum eſt, Deum clarè cognitum magis diſtare ab intellectu creato in ratione nobilitatis, & entitatis infinitæ; non verò in ratione obiecti, & proportionis; nam adhuc Deus clarè cognitus continetur ſub *Ente*, quod eſt obiectum intellectus, ac proinde illa ſpecies Deũ repræſentãs diceret reſpectum ad intellectum creatum eleuatum.

10 Inſtas. Etiam ſpecies corporea repræſentans ens rationis diceret reſpectum ad phantaſiam eleuatam: ergo ſimiliter &c. Reſpond. negando ſequelam, quia potentia non poteſt eleuari, vt feratur extra ſuum obiectũ, propter implicationem; ſed obiectum phantaſiæ eſt ens materiale, & ſingulare: ergo non poterit à Deo eleuari, vt cognoſcat ens rationis quod eſt extra obiectum phantaſiæ, quia eſt maximè ſeparatum à materia.

11 Obijcis tertiò. Intellectus poteſt percipere rem corpoream: ergo etiam poterit vti ſpecie corporea, quæ repræſentaret ens rationis. Reſpondeo negando conſequentiam, quia ſpecies corporea eſt improportionata, vt intellectus ſpiritualis poſſit ea vti; Vnde quando intellectus cognoſcit rem corpoream, vtitur ſpecie ſpirituali, quæ quamuis ſit

ſpi-

Digitized by Google

ſpiritualis, poteſt repræſentare rem corporeã, ſicut ſpecies expreſſa, quamuis ſit accidens, poteſt repræſentare ſubſtantiam.

12 Inſtas. Species ſpiritualis poteſt repræſentare rem corpoream: ergo & ſpecies corporea poterit repræſentare rem ſpirituale, & à fortiori aliquod ens rationis, proindeque talis ſpecies diceret ordinem ad potentiã ſpiritualem. Reſpond. negando conſequentiam, quia ſpecies ſpiritualis, licet repræſentet rem corpoream, dicit ordinem ad potentiam ſpiritualem, cui de facto poteſt inſeruire: at verò ſpecies, quæ repræſentaret rem ſpirituale, quæ eſſet ſpecies corporea, eſſet omnino impoſſibilis, quia nulli potentiæ diceret ordinẽ, vt patet ex dictis.

An poſſit infundi à Deo ſpecies repræſentans aliquod ens rationis?

Reſolutio eſt affirmatiua.

13 Tertia concluſio. Probabile eſt, poſſe Deum infundere intellectui creato ſpeciem ſpiritualem, quæ repræſentet ens rationis. Probatur, quia ſi aliqua daretur repugnantia, ex eo eſſet, quia talis ſpecies concurreret ad aliquã deceptionem: ſed ex hoc capite non repugnat: ergo &c. Probatur minor. Quia talis ſpecies immediatè concurrit ad apprehenſionem, in qua non datur deceptio, ſeu falſitas poſitiua, ſed nullum eſt inconueniens cõcurrere Deum ad ſimiles apprehenſiones: ergo &c. minor probatur in apparitionibus miraculoſis carnis, vel ſanguinis in ſacra hoſtia, ad quas Deus concurrit, cum tamen à parte rei ibi non ſit illa caro, vel ille ſanguis, qui ita apparet, vt cum D.Thom. docet Soar. de Euchar. diſp. 55. ſect. 2. fiunt enim tales apparitiones producente Deo ſpecies in oculo taliter videntis, quæ repræſentant obiectum in ſimili figura. D.Thom. P.Soar.

14 Obijcis primò. Deus non poteſt infundere ſpeciem, vel habitum vitij, aut erroris: ergo neque etiam ſpeciem entis rationis. Reſp. negando conſequentiam, quia ſpecies entis rationis non inclinat proximè ad deceptionem: at verò ſpecies vitij, aut erroris habitus inclinant proximè ad vitium, vel errorem: repugnat autem diuinæ bonitati, quocumque modo inclinare ad malum, vt docet Soar. in Met. diſp. 44. ſect. 13. num 17. Quamuis enim habitus non omnino obligẽt intellectum, tamen modo aliquo ad illam malitiam inclinant, facilitando ſcilicet potẽtiam, repugnat verò Deo facilitare potentiã ad malum; de qua re in Met. diſp. 70. ſect. vlt. à n 26.

15 Obijcis ſecundò. Deus non poteſt infundere ſpeciem ſcientiæ experimentalis alicuius rei, quæ antea per ſenſus non fuit cognita: imò neque poteſt infundere ſpeciem rememoratiuam alicuius obiecti, quod anteà nõ fuit cognitũ: ergo neque poterit infundere ſpeciem entis rationis. Probatur cõſequentia, & declaratur antecedens, quia ideo Deus nõ poteſt infundere talem ſpeciem experimẽtalem, quia concurreret ad iudicium falſum, repræſentaret enim aliquod obiectum, vt per ſenſus cognitum, quod tamen per ſenſus cognitum non eſt; ſed etiam ſpecies entis rationis repræſentaret rem, quæ non eſt à parte rei: ergo &c Reſp. primò, Deum nõ poſſe infundere ſpeciem experimentalem, quæ immediatè concurrat ad iudicium, propter rationem factam, poſſe tamen infundere ſpeciem experimentalem, quæ nõ immediatè cõcurrat ad iudicium, ſed ad apprehenſionem, & hoc modo nulla dabitur falſitas, iuxta modum philoſophandi in ſpecie confuſa entis rationis.

16 Reſpondetur ſecundò, concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia ſpecies experimentalis eſſentialiter poſtulat acquiri per ſenſus, quemadmodũm enim experientia non poteſt à Deo infundi, quia eſſentialiter requirit propriam cognitionẽ per vſum repertam, vt docet Ariſtot. lib. 1. Met. ita ſpecies experimentales intrinſecè poſtulant acquiri per ſenſus, Vnde tales ſpecies impoſſibiles non ſunt, ex eo quòd ad iudicium falſum inclinent, ſed quia implicat, dari ſpecies experimentales, quin per experientiam, ſeu per vſum acquirantur, ſicut implicat dari album ſine albedine; quæ implicatio nõ cernitur in ſpecie entis rationis, vt patet ex dictis: & hæc ſecunda ſolutio eſt magis ad mẽtem Soarij tom. 1. in 3. p. diſp. 30. ſect. 2. §. Dico ſecundò, ad finem. Quæ dixi de ſpecie experimentali, cum proportione intelligenda ſunt de ſpecie rememoratiua. Ariſtot. P. Soar.

17 Inſtas contra hanc ſecundam ſolutionem. Habitus procedit ex actu; & tamen, vt dixi, poteſt Deus infundere habitũ ſine actu: ergo licet ſpecies experimentalis requirat experientiam, poterit infundi à Deo ſine experientia. Reſpondetur negando conſequentiam, & maior ratio eſt, quia tales ſpecies ſupponunt eſſentialiter vſum: at verò habitus ſolùm effectiuè, & naturaliter ſupponunt actus, vt patet in habitibus ſupernaturalibus, qui immediatè à Deo infunduntur, quin præcedant actus, vt eſt communis Theologorum doctrina.

Digitized by Google

De primis, & ſecundis intentionibus.

Quid ſit prima intentio.

18 QVarta concluſio. Non omnis prima intentio eſt ens reale; nec omnis ſecunda intentio ens eſt rationis. Vt cōcluſio intelligatur, ſciendum eſt quid ſit prima, & ſecunda intentio: ſupponendo igitur nos non loqui de intentione formali, ideſt, de cognitione intellectus, quia hæc ſemper eſt realis actus intellectus, ſed de intentione obiectiua, ideſt, de ipſo obiecto cognito per intentionem formalem. Hoc, inquam, ſuppoſito, definitur prima intentio: Id, *quod conuenit rebus veris, etſi illæ mente non concipiantur, nec alio modo ab ea tractentur*. Ita D. Thom. opuſc. 42. Caiet. cap. de Genere. D. Fonſ. 5. Met. c. 7 q. 6. ſect. 5. §. Prima intentio. Ex qua definitione; *D. Thom. Caietan. M. Fonſ.*

19 Colliges, non ſolùm entia realia, ſed etiam negationes, & priuationes, quæ conueniunt rebus à parte rei, eſſe primas intentiones, vt tenebræ, cæcitas, vnitas formalis, numeralis, &c. Imò etiam nonnulla entia rationis ſunt primæ intentiones, vt v. g. relatio creatoris reſpectu Dei; relatio æqualitatis inter diuinas perſonas; relatio vniti inter Verbum diuinum & humanitatem, quia hæ relationes licet ſint rationis, debentur tamen ſubiectis à parte rei: Relatio verò Vniuerſalitatis non eſt prima intentio, ſed ſecunda; & idem dicendum de relatione cogniti per intellectum, & ratio eſt, quia relatio Vniuerſalis conuenit, ſuppoſita operatione intellectus agentis, relatio verò cogniti ſuppoſita operatione intellectus patientis.

20 Colliges ſecundò relationes amati, & cogniti per potentias ſenſitiuas eſſe primas intentiones, ſiquidem non conueniunt ex eo quòd ab intellectu aliquo modo tractentur; imò etiam relatio amati per voluntatem, erit prima intentio, quia quamuis voluntas ſupponat intellectum, actus tamen amandi in ſe eſt completus, & in illum non agit intellectus, quamuis neceſſarió præſupponatur, vt conditio.

21 Aduertendum verò eſt ad rationem primæ intentionis opus non eſſe, vt res ſemper alteri conueniat, nam primæ ſubſtantiæ ſunt primæ intentiones, & tamen non conueniunt alteri, ſed requiritur, quod ſi conueniant, hoc non habeant per operationem intellectus.

Quid ſit ſecūda intentio?

22 Secunda intentio definitur. Id, *quod conuenit rebus veris, quia mente apprehenduntur, aut alio modo ab ea tractantur*. Ita Fonſ. citat. §. Secunda intentio: atque hoc pacto conuenit Socrati eſſe prædicatum, & ſubiectum; Vnde colliges contra Scotum in 1. diſt. 23. quæſt. vnica; non omnem ſecundam intentionem eſſe ens rationis, quia vnitas præſciſionis, aptitudo, & relatio Vniuerſalis eo modo, quo dantur in ſpecie intelligibili, ſunt ſecundæ intentiones, quia conueniunt naturæ, poſita operatione intellectus agentis, & tamen non ſunt entia rationis, quia in ſpecie intelligibili non repræſentatur ens rationis, vt patet ex dictis: Ex quibus explicata manet quarta concluſio. *Fonſeca. Scotus.*

DISPVTATIO IIII.

De Potentijs, quæ poſſunt abſtrahere Vniuerſale.

EXpoſuimus eſſentiā Vniuerſalis; diximus de partibus, quibus implicata eius ſtructura fabricatur: Explicauimus deinde eſſentiam entis rationis, ſub cuius vexillo militat Vniuerſale. Deinde dū realium Philoſophorum partes ageremus diſp. 2. ſect. 1. n. 5. propoſuimus ingenioſam illam Vniuerſalium naturarum abſtractionem. Nunc tādem quærendum reſtat, à quibus potentijs tota hæc moles poſſit excitari? quæ faciliùs modó percipientur, poſt notitiam ſcilicet entis rationis.

SECTIO I.

Vtrùm Deus, & Chriſtus Dominus abſtrahere poſſint Vniuerſale?

1 PRima concluſio. Diuinus intellectus non poteſt abſtrahere formaliter Vniuerſale. Ita Soar. lib. 3. de Attributis, cap. 5. n. 10. & 11. quatenus negat in Deo ideas generū, & ſpecierū, & concep- *P. Soar.*

Digitized by Google

P. Vaſq. conceptus confuſos, imperfectoſque rerum Vniuerſalium. Vaſq. 1. p. diſput. 73. cap. 2. §. Cæterum.: Quatenus negat, poſſe Deum efficere relationem, aut diſtinctionem aliquã rationis. Gran. tom. 1. in 1. p. tract. 2. diſp. 6. à n. 6. quatenus docet, Deum non poſſe efficere diſtinctionem rationis, Arrub. 1. p. diſp. 100. cap. 4. n. 19. quatenus aſſerit, Deum non poſſe efficere diſtinctionem rationis inter ſua attributa; & hanc ſententiam tenẽtur defendere omnes, qui negant poſſe Deũ formare entia rationis.

P. Gran.

Arrubal.

2 Probatur ratione concluſio. Quia vel Deus poteſt abſtrahere Vniuerſale negatiuum, vel poſitiuum, ſeu relatiuum: non primum, quia Deus non vtitur ſpecie aliqua, in qua poſſit repræſentari Vniuerſale ſumptum negatiuè: Neque in ideis, (vt docet Soar. cit. & ex ſect. ſequenti clariùs patebit) repræſentantur res Vniuerſales; Deinde non poteſt Deus abſtrahere Vniuerſale poſitiuum, ſeu relatiuum, quia Deus non poteſt efficere diſtinctionem rationis, quæ neceſſariò requiritur ad hanc abſtractionem, quia attingit res perfectiſſimè, vt ſunt in ſe, ita vt nequeat inadæquatè concipere naturam communem diſtinctam à differentia indiuiduante, vt patet ex his, quæ dixi diſp. ſuperiori.

3 Obijcis pro contraria ſententia, quam ſequitur Gil. lib. 1. tract. 6. cap. vlt. à num. 5. quatenus docet, Deum poſſe efficere entia rationis, & Fonſ. 4. Met. cap. 2. quæſt. 6. ſect. 14 quatenus §. Ad poſteriorem, prope finem aſſerit, res eſſe vniuerſales cõparatione intellectus diuini; Quam etiam opinionem, facilè defendunt omnes, qui cõcedunt, Deũ formare entia rationis. Obijcis, inquam, primò. Deus poteſt diſcurrere virtualiter: ergo & abſtrahere Vniuerſale. Antecedens admittitur à Soar lib. 2. de Attrib. cap. 2. num. 11. & 12. & abſolutè ſupponitur à Salas, tom. 1. in 1. 2. tract. 2. diſp 3. ſect. 3. §. Dices ſecundò. Probatur conſequentia, quia non minùs repugnat Deo dependentia, quæ neceſſariò requiritur ad diſcurſum, quam formatio entis rationis, quæ datur in abſtractione rei vniuerſalis, ſed in cognitione diuina admittitur dependentia: ergo etiam poterit efficere diſtinctionem rationis, ſeu (quod idem eſt) abſtrahere Vniuerſale.

P. Gillius.

P. Fonſ.

P. Soar.

P. Salas.

4 Reſpondetur interim, permiſſo antecedente (de quo in ſuo loco in lib. de Anima, diſp. 85. ſect. 2 num. 4.) negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia diſcurſus virtualis ſolùm arguit dependentiam virtualem, ſeu quoad nos, quæ non eſt dependentia realis, & à parte rei, ſiquidem hæc in Deo dari non poteſt: at verò formatio entis rationis arguit imperfectionem à parte rei in cognitione diuina, quæ ſanè daretur, ſi Deus cognoſceret rem aliter, atque eſt in ſe: qualis imperfectio datur in noſtro modo concipiẽdi entia rationis.

5 Obijcis ſecundò. Nulla datur cognitio confuſa in abſtractione Vniuerſalis: ergo hæc non repugnat Deo. Probatur antecedens, quia conceptus ille naturæ communis potiùs dicendus eſt abſtractiuus, quàm confuſus, ſiquidem Deus etiam cognoſcit omnes indiuiduantes rei differentias. Reſpondetur negando antecedens, quia licet Deus cognoſceret omnes differentias indiuiduantes rei, quam abſtraheret, vt communem, non eas tamen cognoſceret ex vi illius cognitionis rei, quà communis eſt; Vnde ille conceptus abſtractiuus rei communis neceſſariò dicendus eſt aliquo modo confuſus, & imperfectus, ſiquidem non attingit in re, prout communis eſt, differentias indiuiduantes.

6 Obijcis tertiò. Deus poteſt efficere hanc prædicationem, *Petrus eſt homo*: ſed homo ex parte prædicati non repræſentat rem ſingularem: ergo repræſentat aliquid commune. Reſpondetur in ea prædicatione non concipi à Deo naturam humanam, vt communem, & præſciſam à differentia indiuiduante, ſed affirmari de Socrate naturam ſecundùm ſe, & in ſuppoſitione abſoluta, quæ, prout ſic, neque eſt communis, neque ſingularis, in qua ſuppoſitione ſumitur etiam à nobis, quando prædicatur de eodem Socrate, cum hac tamen differentia, quod repræſentetur à nobis, vel in apprehenſione, vel in repræſentatione iudicij, homo præciſus, ſiue abſtractus à ſingularibus, qui tamẽ non ita Deo repræſentatur, vt patet.

7 Obijcis quartò. Homo non fallitur formando ens rationis, & abſtrahendo Vniuerſale: ergo neque Deus falleretur in ſimili abſtractione. Reſpondetur negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia formatio entis rationis in homine fieri poteſt per apprehenſionem, in qua non datur falſitas, neque enim homo iudicat dari Vniuerſale à parte rei, eo modo quo repræſentatur in apprehenſione: Deus vero abſtraheret iudicando dari tale Vniuerſale, quia omnis diuina cognitio eſt iudicatiua, hoc verò iudiciũ falſum eſſet, vt patet.

8 Inſtas. Dixi diſp. ſuperiori, ſect. 1. n. 7. intellectum noſtrum etiam per iudicium poſſe efformare entia rationis: ergo vel ſemper homo fallitur, quando per iudicium abſtrahit Vniuerſale, vel ſi non fallitur, neque etiam Deus decipitur, licet per iudicium

formet diſtinctionem rationis. Reſpondeo negando conſequentiam: maior ratio eſt, quia iudicium humanum, quamuis ſit vna ſimplex qualitas, eſt ſimul repræſentatiuum, & ſimul dictiuum, vt bene docet Logica Conimbr. cap. 4. de Oratione, art. 4. §. Ad ſecundum: bene ergo poteſt iudicium, quatenus repræſentatiuum, eſſe verum, quamuis repræſentet Vniuerſalitatem tãquàm aliquid poſitiuum, & fictiuum, quia in repræſentatione non datur propriè falſitas; & deinde quatenus iudicium, dictio eſt, etiam poteſt verum eſſe, quia non conformatur cum re, prout apparet repræſentata, ſed prout eſt à parte rei, dicit enim, Socratem eſſe hominẽ, vt eſt à parte rei, non verò eo modo, quo repræſentatur.

Patres Conimbr.

9 Cum ergo diuina cognitio, etiam quà repræſentatiua, ſit perfectiſſima, ſemper repræſentat rem, non prout obijcitur, ſed prout eſt à parte rei, & proptereà nulla diſtinctio rationis primariò à Deo facta poteſt in ea repræſentari, ſiquidem non datur à parte rei; prætereà etiam diuina cognitio quatenus eſt repræſentatiua, eſt infinitè iudicatiua, & dictiua (ad omnia enim neceſſariò extenditur:) Vnde ſi repræſentaretur in ea ens rationis, ſimiliter iudicaret Deus dari à parte rei tale ens, prout repræſentatur, quod falſum eſt.

10 Inſtas. Deus iudicaret, illam præſciſionem naturæ communis eſſe ens rationis; ſed hoc iudicium eſt verum: ergo &c. Reſpondetur nos non negare ſimile iudicium fore verum; neque de hoc iudicio reflexo, quod caderet ſupra abſtractionem factam, quæſtio eſt, ſed de eo, quo Deus primò abſtraheret Vniuerſale, quod noſtro modo cõcipiendi antecedit iudicium reflexum, per quod iudicaret abſtractionem Vniuerſalis eſſe ens rationis.

11 Ad argumentum igitur reſpondetur, ſupponere falſum in maiori, ſupponit enim poſſe Deum efficere illam præſciſionem, quod tamen falſum eſt, quia cum Deus perfectiſſimè cognoſcat res, vt ſunt in ſe, nõ poteſt cognoſcere, vt diſtincta ea, quæ à parte rei non ſunt diſtincta. Quamuis cõcedamus, poſſe Deum cognoſcere diſtinctionem rationis, ſeu Vniuerſale abſtractum ab intellectu humano.

12 Dixi, non poſſe Deum abſtrahere Vniuerſale formaliter, quia exiſtimo certum, poſſe Deum producere effectiuè hãc abſtractionem, producendo ſcilicet ſpeciem, vel conceptum repræſentantem naturam cõmunem in ſubiecto proportionato, vel extra omne ſubiectũ, vt videbimus; nõ poterit tamẽ effectiuè producere ſpeciem aliquam, vel conceptum accidentalem repræſentatiuum Vniuerſalis, quem ipſe Deus in ſe recipiat.

Quid dicendum ſit de Chriſto Domino circa hanc abſtractionem?

13 Secunda concluſio. Chriſtus Dominus in vita mortali, imò & in patria, poteſt abſtrahere Vniuerſale, prout vtitur ſcientia naturali. Hæc concluſio ſumitur ex D. Thom. 3 p. q. 9. art. 4. & q. 12. a. 1. & 2. quẽ ſequũtur cõmuniter Theologi, inter quos eſt Soar. tom. 1. in 3. p. diſp. 25. ſect. 2. & diſp. 30. ſect. 1. §. Dico tamen. Vaſq. 3. p. diſp. 55. cap. 2 quatenus aſſerũt in Chriſto Domino fuiſſe ſcientiam naturalem eiuſdem ſpeciei cum noſtra, non ſolùm quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum operandi, ſiquidem habuit naturam humanã cum omni ſua proprietate, & connaturali perfectione.

D. Thom. Soarius. Vaſquez.

14 Vt tamen concluſio probetur, ſupponendum eſt ex ſacra Theologia in Chriſto Domino abſolutè loquendo quatuor ſcientias reperiri; prima eſt ſcientia diuina, quam habet quatenus Deus: Secunda eſt ſcientia beata, quam habuit ab initio incarnationis, videndo Deum: Tertia eſt ſcientia per ſe infuſa, quam habuit etiam, vt viator, quà ſcientia res attingebat in ſe ipſis, ac per proprias, & quidditatiuas rerum ſpecies, quæ per ſenſus acquiri nequeunt, ſed immediatè à Deo infunduntur, & ideo Chriſtus Dominus vtebatur hac ſcientia, ſine conuerſione, vel dependentia ſenſuum, & phantaſmatum, & proptereà poterat vti hac ſcientia, tam in ſomno, quàm in vigilia: Quarta ſcientia eſt naturalis, de qua procedit concluſio, quæ eſt per accidens infuſa, vel experimentalis acquiſita. De his ſcientijs Chriſti Domini latè agunt Theologi, cum Diuo Thom. in 3. p. à q. 10. Vbi Soar. doctè, vt ſolet. à diſp 25. & Vaſq. à diſp. 51. Val. ibidem diſp. 1. quæſt. 10. 11. & 12. Raguſa ad 3. p. à diſp. 86.

Quot ſciẽtiæ fuerint in Chriſto Domino.

D. Thom. P. Soar. Vaſquez. Valentia. Raguſa.

15 His poſitis, probatur concluſio. Scientia naturalis Chriſti Domini eſt eiuſdem ſpeciei cum noſtra, etiam quo ad modum operandi, ſed nos per ſcientiam naturalem poſſumus abſtrahere Vniuerſale relatiuum, ergo & Chriſtus Dominus. Confirmatur, quia vna ex maioribus perfectionibus noſtræ ſciẽtiæ conſiſtit in eo, quod prædictã diſtinctionem faciamus: ergo Chriſtus Dominus, cum eſſet optimus metaphyſicus, poſſet abſtrahere Vniuerſale & prout hæc ſciẽtia

vtebatur.

Digitized by Google

vtebatur, poterat per diuerſos actus apprehēdere, iudicare, & diſcurrere.

16 Quod veró Chriſtus Dominus non ſolū in via, ſed in patria etiam, poſſit abſtrahere Vniuerſale, probatur: Quia ſcientiæ naturales perſeuerant in patria, vt docent communiter Theologi, inter quos videri poteſt Sal. tom. 1. in 1. 2. tract. 2. diſp 6. ſect. 8. n. 2. ergo cum Chriſtus Dominus modó habeat naturalem Dialecticam, & Metaphyſicam, bene poterit abſtrahere Vniuerſale.

Salas.

Soluūtur argumēta cōtraria.

17 Obijcis primó. Vniuerſalis abſtractio arguit imperfectionem, (ſiquidem per eam cognoſcitur res aliter, atque eſt:) ſed hæc imperfectio repugnat Chriſto Domino, maximé in patria: ergo falſa eſt concluſio. Reſpond. diſtinguendo maiorem: abſtractio Vniuerſalis arguit imperfectionem reſpectu ſcientiæ diuinæ, vel beatæ, vel reſpectu ſcientiæ per ſe infuſæ, concedo maiorem: reſpectu ſcientiæ naturalis, nego maiorem: Exemplū eſt in diſcurſu, qui arguit imperfectionem, comparatione Dei: at veró in homine arguit perfectionem, comparatione bruti: Igitur poſſe abſtrahere Vniuerſale, arguit perfectionem in Chriſto Domino, reſpectu ſcientiæ naturalis; hæc enim abſtractio ſolùm concipitur à ſapientioribus, atque vtinam ab omnibus doctis hic labyrinthus ſine erroribus adeatur.

18 Obijcis ſecundó. Cognitio, quæ attingit rem aliter, atque eſt imperfecta eſt: ſed cognitio rei Vniuerſalis attingit rem aliter, atque eſt; ergo &c. Reſpond. primó diſtinguendo minorem; attingit rem aliter atque eſt in ſuo eſſe reali, concedo minorem: attingit rem aliter atque eſt, pro aliquo ſtatu, nego minorem. Nulla verò eſt imperfectio, cognoſcere per hanc ſcientiam, rem aliquam abſtrahendo, ſeu præſcindendo à reali exiſtentia. Reſp. ſecūdò diſtinguendo maiorem: Cognitio, quæ attingit rem aliter atque eſt, per iudicium, aut dictionem, eſt imperfecta, concedo maiorem; Quæ attingit rē per apprehenſionem, vel per ſolam repræſentationem iudicij, nego maiorem; igitur, cum hæc abſtractio fiat, vel per apprehenſionem intellectus Chriſti Domini; vel reluceat in ſola repræſentatione iudicij nullam arguit imperfectionem in Chriſto Domino.

19 Obijcis tertiò. Chriſtus Dominus per ſcientiam naturalem, non poterat diſcurrere formaliter: ergo neque abſtrahere Vniuerſale. Probatur conſequentia, quia eiuſdem potentiæ eſt diſcurrere, & facere diſtinctionem rationis. Antecedens probatur, quia diſcurſus ſupponit ignorantiam, eſt enim progreſſio à notis ad ignota: ſed Chriſtus Dominus, etiam quatenus homo, non poterat habere ignorantiam, neque decipi, vt cum communi ſententia Theologorum, docet Soar. tom. 1 in 3. p. diſp. 24. ſect. 5. §. Dico ſecundó. ergo &c. Reſp negando antecedens, & ad probationem dicendum eſt diſcurſum ſolùm per accidens ſupponere ignorantiam, vt patet in eo, qui repetit demonſtrationem, quam iam aliquando fecerat, & de qua adhuc recordatur, hic enim diſcurrit, & non habet ignorantiam talis concluſionis. Quarè ad diſcurſum formalem ſolùm eſſentialiter requiritur, vt vnum ex alio colligatur, per diuerſos actus, qui habeant inter ſe nexum, & dependentiam. Ex quibus patet, poſſe Chriſtum Dominum diſcurrere formaliter, & abſtrahere Vniuerſale, vtendo hac ſcientia.

P. Soar.

20 Obijcis quartó. Vel Chriſtus Dominus abſtraheret Vniuerſale per intellectum agentem, vel per poſſibilem: neutro modo: ergo &c. Confirmatur, quia nos facimus diſtinctionem rationis ob defectum luminis, quia non attingimus rem in ſe, qui defectus non eſt admittendus in Chriſto Domino. Reſpondeo negando minorem, & vt argumentum faciliùs ſoluatur, aduertendum eſt, dubium eſſe inter Authores, Vtrùm hæc ſcientia naturalis Chriſti Domini fuerit infuſa eius animæ, an acquiſita? Doctor Soar. 1. tom. 3. p. diſput. 30. ſect. 2. affirmat cum multis, fuiſſe infuſam à Deo in primo inſtanti creationis animæ Chriſti Domini, quam ſcientiam ideó appellat per accidens infuſam, quia poterat naturaliter, id eſt, per vires naturæ acquiri. Vaſq. verò 3. p. diſput. 55. cap. 2. cum Thomiſtis, defendit, fuiſſe acquiſitam à Chriſto Domino, iuxta illud Lucæ 2. *Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate.* Quod tamen facilè explicari poteſt de ſcientia experimentali, quam aſſerit Soar. cit. §. Dico ſecundò; non fuiſſe infuſam, imò nec potuiſſe infundi.

P. Soar.

P. Vaſq.

D. Lucas

21 In ſententia igitur Vaſq. dicendum eſt, fieri illam abſtractionem, vel per intellectum agentem (quem admittimus in Chriſto Domino) vel per intellectum patientem ad eum modum, quo à nobis efficitur hæc abſtractio. In ſententia verò Soarij dicendum eſt, abſtractionem Vniuerſalis præſciſiuè, & formaliter fieri non per ſpecies acquiſitas, ſed per conceptus intellectus patientis, vt patet ex dictis. Ad confirmationem reſpondetur, nos non facere diſtinctionem rationis, propter defectum luminis nobis debiti, ſed propter defectum luminis ſupernaturalis, cuius carentia non arguit imperfectionem, reſpectu ſcientiæ natura-

Digitized by Google

turalis, cum tale lumen ſupernaturale non debeatur ſcientiæ naturali, vt patet ex dictis.

Quid dicendum de Christo Domino quando vtebatur ſcientia ſupernaturali?

22 TErtia concluſio. Chriſtus Dominus, prout vtebatur ſcientia per ſe infuſa, non poterat abſtrahere Vniuerſale. Hæc concluſio, licet non admittatur ab aliquibus Recentioribus, facilè tamen colligitur ex his, quæ docet Soar. tom. 1. in 3 p diſp. 28. ſect. 1. idem colligitur ex P. Vaſq. 3 p. diſp 52 cap. 3. & ex P. Ioan. Præpoſito, quatenus non admittunt in Chriſto Domino diſcurſum, vtendo ſcientia per ſe infuſa: (quamuis oppoſitum doceat P. Ioannes Martines de Ripalda, de Ente ſupern. t. 1. lib. 3: d. 55. à n. 16.) Probatur, quia abſtrahere formaliter Vniuerſale requirit plures cognitiones, vel actu, vel ſaltem præſuppoſitiuè, quibus cognoſcantur tanquàm actu diſtincta, quæ à parte rei non ſunt diſtincta; ſed illa ſcientia eſt perfectiſſima, & per modum ſimplicis intelligentiæ, repræſentatq; ie res, prout ſunt in ſe: ergo &c.

P. Soar. P. Vaſq. P. Præpoſ. P. Ripald.

23 Confirmatur primò. Quia (vt infra videbimus) Angeli per ſciẽtiam ſibi infuſam non poſſunt circa euidentia diſcurrere formaliter, nec facere diſtinctionem rationis: ergo cum lumen huius ſcientiæ excedat lumẽ Angelicum, vt docet D. Thom. 3. p. q. 11. art. 4. non poterit Chriſtus Dominus per hãc ſcientiam abſtrahere Vniuerſale, nec diſcurrere formaliter, ſicut habitus primorũ principiorum non poſſunt nos inclinare ad diſcurſum formalem.

D. Thom.

24 Confirmatur ſecundò. Quia quamuis poſſit intellectus Chriſti Domini vti inadæquatè ſpecie aliqua per ſe infuſa cognoſcendo v. g. gradum animalis in Socrate, & poſteà perficiendo hunc actum, cognoſcere gradum hominis, non tamen proptereà efficiet diſtinctionem rationis, quia aliud eſt cognoſcere vnum gradum naturæ per ſe ſolum, aliud verò eſt præſcindere illum, & cognoſcere, vt ſeparatum; ſicut poterat per hanc ſcientiam cognoſcere cauſam per vnum actum, & effectum per alium, ſine dependentia inter actus, vnde non foret diſcurſus formalis, ſed ſecundùm ſucceſſionem, cognoſcẽdo vnam rem poſt aliam: ergo Chriſtus Dominus per ſcientiam per ſe infuſam nõ poteſt abſtrahere Vniuerſale, nec diſcurrere formaliter, ſaltem loquendo ſecundùm naturam huius ſciẽtiæ, & ſecludendo miracula nec noxia, neque vtilia, vt loquitur Soar. proximè citatus. §. Dico ſecundò.

25 Aduertendum eſt, ſi ſpecies huius ſcientiæ repræſentent res vniuerſales, vt aliqui immeritò colligunt ex Soario cit. §. Dico tertió: tunc dubium non eſſe in hac ſententia dari habitualem abſtractionem, ſeu repræſentationem Vniuerſalis negatiui: Si verò ſpecies repræſentant res ſingulares, vt veriùs colligitur ex eodem Soar. citato, tunc manifeſtum eſt, neq̃ue abſtractionem Vniuerſalis negatiui dari per hanc ſcientiam: Quæ ſpecies, quamuis repræſentent res ſingulares, rectè dicuntur à Soario, & ab aliis Theologis Vniuerſales, non quidem in eſſendo, aut in repræſentando res communes, ſed quia repræſentant multas res ſingulares; imò ſunt Vniuerſaliores, quàm ſpecies Angelorum. Nihil dixi de Scientia diuina, quia iam patet, per hanc ſcientiam non dari abſtractionem. Vtrùm verò Chriſtus Dominus per ſciẽtiam beatam poſſit abſtrahere Vniuerſale? In ſequenti ſectione patebit.

SECTIO II.

Vtrùm Intellectus Angelicus, & humanus poſsint abſtrahere Vniuerſale?

1 PRima concluſio. Intellectus Angelicus non poteſt naturaliter abſtrahere Vniuerſale effectiuè producendo primò ſpeciem, in qua repræſentetur; poterit tamen diuinitus. Probatur prima pars, quia Deus infundit Angelo in inſtanti ſuæ creationis omnes ſpecies obiectorum materialium, & ſpiritualium, quæ naturaliter cognoſcere poteſt (vt modo ſuppono cum communi doctrina Theologorum, quã, duce D. Thoma contra Scotum, ſequitur Soar. lib. 1. de Angel cap. 6. §. Dico ſecundò.) ergo cum Angelus habeat has ſpecies infuſas, non poterit producere aliquam effectiuè, in qua repræſentetur Vniuerſale; proindeque bene ſequitur, non poſſe effectiuè abſtrahere Vniuerſale. Et quod de intellectu Angelico dixi, proportionaté intelligendum eſt de intellectu Chriſti Domini, prout operabatur per ſcientiam beatam, aut per ſcientiam per ſe infuſam, aut etiam per ſcientiam naturalem in ſententia Soarij, quæ tenet fuiſſe per accidẽs infuſam, quod tamen nõ tollit, quod

D. Thom. Soarius.

Digitized by Google

quòd poſſit Chriſtus Dominus abſtrahere Vniuerſale formaliter per conceptum, vt patet ex ſuperiori ſectione.

2 Probatur ſecunda pars, quòd ſcilicet poſſit intellectus Angelicus diuinitus effectiuè abſtrahere Vniuerſale, ſeu producere ſpeciem, in qua repræſentetur Vniuerſale negatiuum. Quia poteſt Deus concurrere cum intellectu Angeli obedientialiter ſe habente ad producendam ſpeciem, vel etiam conceptum, in quibus repræſentetur Vniuerſale: Quæ productio fieri poteſt, vel in ſubiecto proportionato, vel extra omne ſubiectum, vt videbimus: ergo intellectus Angelicus poterit diuinitus, & obedientialiter abſtrahere Vniuerſale effectiuè.

3 Obijcis. Angelus manifeſtat alteri Angelo ſuum affectum imprimendo ſpeciem ſui conceptus in intellectu alterius Angeli, vt probabiliter docet Soarius lib. 2. de Angel. cap. 27. num. 38. ergo ſi illud ſecretum ſit cognitio alicuius Vniuerſalis, (diximus enim, poſſe Angelum, imò & Deum cognoſcere entia rationis à nobis formata) ſpecies illa repræſentabit Vniuerſale in intellectu alterius Angeli: ergo Angelus naturaliter poteſt abſtrahere Vniuerſale effectiuè, ſiquidem poteſt producere ſpeciem, in qua repræſentetur Vniuerſale. Reſpondeo negando conſequētiam, quia talis ſpecies non repræſentabat immediaté Vniuerſale, ſed conceptum ſingularem, qui cognoſcit rem Vniuerſalem, ſeu in quo conceptu repræſentatur Vniuerſale. Quare tales ſpecies ſolùm ſecundarió inſeruiunt ad cognitionem Vniuerſalis, in quātùm ſcilicet repræſentant conceptum ſingularem, in quo repræſentatur Vniuerſale.

4 Ex dictis etiam colligitur non poſſe intellectum Angelicum producere conceptū tranſeunter operando naturaliter, in quo repræſentetur Vniuerſale. Ratio eſt, quia intellectus operatur immanenter: poterit tamen intellectus Angelicus diuinitus eleuatus producere tales conceptus tranſeunter. Maior difficultas eſt, Vtrùm intellectus Angelicus naturaliter poſſit producere conceptum immanenter, in quo repræſentetur Vniuerſale? ſeu quod idem eſt, Vtrùm intellectus Angelicus poſſit formaliter abſtrahere Vniuerſale? Sit igitur:

Quid dicendum ſit de Intellectu Angelico vtendo ſcientia naturali?

5 SEcunda concluſio. Intellectus Angelicus vtendo ſcientia naturali poteſt abſtrahere Vniuerſale formaliter. Hæc concluſio ita abſolutè, vt probabilis proponitur à Soar. lib. 2. de Angel. cap 8. n. 9 Val. 1. p. diſp. 4. q. 8. puncto. 2. quæ tamē lentius eſt expendenda. P. Soar. P. Valētiā

6 Aduertendum eſt igitur, quæſtionem eſſe inter authores, Vtrùm ſpecies Angelorū repræſentent res vniuerſales, an ſingulares? Scotus in 2. diſt. 3. q. 10. aſſerit, Angelorum ſpecies repræſentare res Vniuerſales: at verò D. Thom. 1. p. q 57. art. 2. & Soar. lib. 2. de Angelis, cap 8. n 3. ſentiunt probabilius, ſolas habere ſpecies rerum ſingularium, quia (vt inquit Soarius) eadem illa ſpecies cum repræſentat rem ſingularem, eiuſque quidditatem, repræſentat etiam rationem genericam, & ſpecificam, non vt præſciſam, & ſeparatam, ſine quibus res ſingularis in ſe cognoſci non poteſt quidditatiuè. Scotus. D. Thom. P. Soar.

7 His poſitis circa concluſionem dico primò, in opinione, quæ aſſerit habere Angelum ſpecies rerum Vniuerſalium, certum exiſtimo dari in ſpeciebus Angelorū abſtractionem Vniuerſalis negatiui. Probatur facilè, quia in ſpecie Angeli repræſentatur Vniuerſale, ſicut in noſtra ſpecie intelligibili, ſed in ſpecie intelligibili relucet abſtractio Vniuerſalis negatiui, iuxta ea, quæ dixi: ergo ſimiliter &c.

8 Dico ſecundo. Circa res ſupernaturales, & circa obiecta, quæ fuerint Angelo ineuidentia, poterit eius intellectus efficere diſtinctionem rationis, & abſtrahere Vniuerſale relatiuum, ſeu formaliter, quamuis illa abſtractio otioſa ſit, & ſuperflua, & in hoc ſenſu procedit concluſio ſupra poſita. Probatur, quia circa ineuidentia poteſt Angelus vtendo ſcientia naturali, per diuerſos actus apprehendere, iudicare, & diſcurrere formaliter: ergo poterit facere diſtinctionem rationis. Antecedens commune eſt inter Authores, quos citat, & ſequitur Soar. lib. 2. de Angel. cap. 33. n. 18. & cap. 32. n. 17. Hurt. diſp 7 de Anima, ſect. 1. § 8. Probatur idem antecedens, quia Angeli circa ineuidentia, qualia ſunt obiecta ſupernaturalia, cogitationes cordis, & futura contingentia, procedunt per coniecturam vnius ad aliud: ergo licet Angelorum cognitio perfecta ſit, & in inſtanti perficiatur, in eo tamen habere poterit diſcurſum, qui conſiſtit in emanatione vnius actus ab alio, licet fiat ſine ſucceſſione temporis. Probatur conſequentia, quia eiuſdem potentiæ eſt diſcurrere formaliter, apprehendere, & iudicare per diuerſos actus, & facere diſtinctionem rationis, vt patet ex modo operandi noſtri intellectus. P. Soar. P. Hurt.

9 Obijcis. Propterea Chriſtus Dominus non poterat diſcurrere formaliter per ſcientiam

Digitized by Google

tiam per ſe infuſam, quia modus cognoſcendi huius ſcientiæ eſt per ſimplicem intelligẽtiam: ſed ita ſe habet modus cognoſcendi in Angelo: ergo &c. Reſpond. negando minorem, quia ſcientia per ſe infuſa in Christo Domino perfectior eſt, quàm ſcientia Angelica, vt ſupra dixi. Vnde colliges, non poſſe Chriſtum Dominum, per hanc ſcientiam diſcurrere formaliter, etiam circa ea obiecta, quæ non cognoſcuntur euidenter, per hanc ſcientiam, quale obiectum foret myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, vt ſentit Vaſq. 3. p. diſp. 53. á num. 21: Quia vnico actu attingeret obiectum cum ratione ineuidentiæ, & omnes coniecturas circa tale obiectum: poterit tamen dari diſcurſus virtualis, circa hanc ſciẽtiam, quatenus per vnum actum cognoſcitur cauſa, & in ea effectus ex vi cauſæ, in quo cõſiſtit diſcurſus virtualis. *P. Vaſq.*

10 Dico tertiò. Probabilius eſt nõ poſſe Angelum per ſcientiam naturalem abſtrahere Vniuerſale formaliter poſitiuum, nec facere diſtinctionem rationis, circa res euidenter ſibi cognitas. Probatur, quia notitia Angelica circa talia obiecta, non eſt compoſita ex apprehenſione, & iudicio; ſed vnus, & ſimplex actus iudicatiuus, quo rem attingit, prout eſt à parte rei, (vt cum D. Thom. Ægyd. Rom. & Durand. docet Soar. lib. 2. de Angel. cap. 32. à n. 5.) ergo non poteſt facere diſtinctionem rationis, quia cognoſceret res aliter atque ſunt, à parte rei. *D Thom. Ægyd. Durand. Soarius.*

11 Obijcis. Angelus poterit pro ſua libertate vti ſpeciebus, quas habet inadæquatè, etiam in opinione, quæ ait, Angelum habere ſpecies rerum ſingularium; quia poterit formare quendam conceptum vnius gradus, nempe animalis, & alium rationalis: ergo poterit concipere gradum hominis in communi, ſine differentia indiuiduante, ac proinde poterit abſtrahere Vniuerſale. Reſpond. negando conſequentiam, quia quamuis Angelus formet vnum conceptum vnius tantùm gradus, & alium alterius gradus in Socrate, non tamen eos ſeparat, nec cognoſcit diſtinctos. ſed in ipſo Socrate format conceptum, modó vnius gradus, modò alterius, qui conceptus potiùs dicẽdus eſt inadæquatus, quàm abſtractiuus, & ſeparatiuus; Vnde cum non ſeparet, non abſtrahit, idem enim eſt abſtrahere, ac ſeparare, vt teſtatur Logica Conimbricenſis in præfatione Porphyrij, quæſt. 5. art. 1. initio. Igitur ſicut Deus cognoſcit ſuũ intellectum, & voluntatem non vt diſtincta; Ita Angelus, quamuis cognoſcat gradum hominis, & gradum animalis per ſe, non eos tamen diſtinguit, nec ſeparat formando ens rationis.

12 Imó neque pro libito poteſt Angelus diſtinguere illos gradus, quia mutaret ſuum cognoſcẽdi modũ: ſicut neq; pro libito poteſt diſcurrere formaliter circa euidentia; poterit tamen Angelus concipere illos gradus, vt diſtinctos, vel vt diſtinguibiles per noſtros inadæquatos conceptus, vt patet ex dictis. Adhuc tamen cognitio Angelica diſtinguitur á cognitione humana, quia nos ſolùm circa prima principia euidentia non diſcurrimus formaliter: at verò Angeli, non ſolùm circa prima principia, ſed etiam circa multa obiecta naturalia, nequeunt diſcurrere formaliter, propter perfectionem ſui luminis; & ſolùm circa obiecta ſupernaturalia in entitate, vel quoad modum, poſſunt eo modo diſcurrere.

Quid dicendum ſit de Intellectu creato per viſionem beatam?

13 Tertia concluſio. Intellectus creatus, tam humanus, quam etiam Angelicus per Viſionem beatam, nequit abſtrahere Vniuerſale. Ita Soar. in Met. tom. 1. diſp. 54. ſect. 2. num. 25. quatenus docet, per viſionem beatam non poſſe fieri ens rationis, & tom. 1. Sum. lib. 2. de Attrib. cap. 28. num. 12. & 13. quatenus aſſerit, per Viſionem beatam videri naturas indiuiduas. Probatur concluſio: Quia abſtractio Vniuerſalis non poteſt fieri, quin etiam formetur diſtinctio aliqua virtualis, ſeu aliquod ens rationis: ſed viſio beata eſt cognitio perfectiſſima, & participatio quædam diuinæ cognitionis, attingens obiectum, prout eſt à parte rei: ergo &c. Confirmatur, quia Viſio beata eſt ſimplex notitia perfectiſſimè iudicatiua, quæ non ſupponit apprehenſionem, per diuerſum actum, vt docet Scot. in 4. diſt. 49. q. 403. Marcil. in 3. q. 10. art. 2. 4 p. art. 1. concl 4. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 18. num. 8. ergo Beatus non poteſt abſtrahere Vniuerſale, nec facere diſtinctionem rationis, quia deciperetur in tali iudicio, vt patet ex dictis ſectione ſuperiori. *P. Soar. Scotus. Marcil. Soarius.*

14 Confirmatur tandem, quia Beati non diſcurrunt formaliter, vt aſſerit D. Thom. q. vnica de Anima, art. 7. ad 4. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 18. num. 7. Ægid. de Beatitud. tom. 1. lib. 4. q. 9. art. 3. §. 2. ergo non poſsũt efficere diſtinctionem rationis. Quæ rationes fundantur in perfectione huius viſionis, de cuius lumine perfectiſſimo, latè Soar. in Sum. tract. 1 lib 2. cap. 18. *D. Thom. Ægid.*

15 Obijcis pro contraria ſententia, in quam inclinant Mol. 1. p. q. 12. art. 8. diſp. 5. *Molina.*

mem.

Digitized by Google

Salas. *Valentia.* mem. 3 in initio. Sal. tom. 1. in 1. 2. q. 3 tract. 2. diſp. 4. ſect. 11. n. 162. Val. 1. p. diſp. 1. q. 12. pun. 6. §. De tertia, in initio, quatenus docet, Beatos videre etiam in Deo naturas genericas, & ſpecificas rerum naturalium. Obijcis, inquam, primò. Deus continet eminenter omnes gradus, tam indiuiduantes, quam communes: ergo intellectus Beati videt in Deo per abſtractionem naturas vniuerſales.

16 Reſpondetur primò concedendo antecedens, quia (vt ſupponit Ægid. tom. 1 de Beatit. lib. 5. q 19. art. 2. §. Poſtremò ſuadetur; & vt videtur ſentire D. Auguſt. Epiſt. 115. ad finem.) dantur in Deo ideæ rerum vniuerſalium: imò, vt ſine causa ſentit Henriq. in 1. quodl. b. 3. q. 1. ſolas ideas rerum vniuerſalium poſſunt Beati in Deo videre, quia, vt ipſe exiſtimat, ſolæ ideæ rerum communium dantur in Deo; at ex hoc non ſequitur poſſe Beatos abſtrahere Vniuerſale formaliter poſitiuum; ſed ſolùm ſequitur poſſe cognoſcere naturas communes, quæ in Deo repræſentantur, nam eodem modo concedimus, poſſe etiam Deũ cognoſcere ſpeculatiuè ens rationis, & tamen non ſequitur poſſe illud practicè efficere. *Ægid.* *D Aug.* *Henriq.*

17 Reſpondetur ſecundò: Deum non cõtinere in ſe ideas rerum communium, vt docet Mol. 1. p. q 15. art. 3. & Soar. tom. 1. Sum, tract. 1. lib. 3. de Attrib. cap. 5. num. 11 quia diuina eſſentia continet gradus idearum diſtinctè, & in ordine ad productionem: cum igitur gradus genericus, & ſpecificus ſint cõfuſi, & non ſint producibiles, neque etiam in diuina eſſentia præſciſi continentur, ſed contracti: ergo &c. *Molina.*

18 Obijcis ſecundò. Abſtractio Vniuerſalis negatiui fit ſine fictione entis rationis, vt patet, quia non fit per conceptum: ergo licet Beati nõ poſſint efficere ens rationis, nec proinde abſtrahere Vniuerſale relatiuum, ſeu poſitiuum, poterunt tamen abſtrahere ſaltem Vniuerſale negatiuum, præcipuè cum habeant intellectum agentem. Reſpond. negando conſequentiam, quia abſtractio Vniuerſalis negatiui requirit productionem alicuius ſpeciei intelligibilis impreſſæ: Beati verò non vident Deum per ſpeciem impreſſam, vt docent Theologi, inter quos eſt D. Thom. 1. p. diſp. 14 q. vnica, art. 2. quæſtiunc. 1. & alij, quos refert, & ſequitur Soar. lib. 2. de Attrib. cap 12. n. 21. Quamquàm Vaſq. 1 p. diſp. 43. oppoſitum exiſtimet, quatenus cap. 7. §. Deinde, non diſtinguit lumen gloriæ ab ſpecie impreſſa; imò licet hæc ſpecies impreſſa poſſibilis ſit, vt contra D. Thom. & alios probabilius eſſe oſtendam in Metap. diſp. 49, ſect. 2 à num. 10. cum tamen hæc ſpecies perfectiſſima ſit, repræſentabit res in ſe ſecundùm ſuas indiuiduales differentias, quare non poterit in tali ſpecie dari abſtractio Vniuerſalis etiam negatiui. Atque ex dictis patet, quid dicendũ ſit de intellectu creato Chriſti Domini, quãdo operabatur per ſcientiam beatam. *D. Thom.* *P. Soar.* *P. Vaſq.*

19 Obijcis tertiò. Intellectus Beati cognoſcit diuina attributa, vt diſtincta virtualiter, cum tamen diſtincta nõ ſint: ergo format diſtinctionem rationis, ac proinde poterit abſtrahere Vniuerſale. Cõfirmatur, quia cognoſcit diuinam eſſentiam per ordinem ad creaturas. Reſpond. ad antecedens intellectũ Beati cognoſcere diuina attributa, vt diſtincta formaliter, non efficere verò diſtinctionem virtualem inter illa; videt enim attributa, prout ſunt in ſe, quæ ita ſumpta præſtant fundamentum intellectui humano viatoris, vt ea diſtinguat, ac ſi eſſent plures res diſtinctæ: Ita ſoluit Soarius hoc argumẽtum explicando modum, quo Deus cognoſcit ſua attributa, non vt diſtincta à parte rei, ſed vt diſtincta, vel diſtinguibilia per noſtros conceptus; Quam ſolutionẽ affert tom. 1 Sum. tract. 1. lib. 1. de Eſſentia Dei, cap 13. n. 7. Ad cõfirmationem, patet ſolutio ex dictis.

20 Quarta concluſio: Intellectus patiẽs humanus naturaliter abſtrahit formaliter Vniuerſale relatiuum, ſeu poſitiuum. Hæc concluſio certa eſt, & communis, patetque experientia. Probatur deinde breuiter ratione, quia natura Vniuerſalis continetur intra obiectum intellectus: ergo poteſt ab illo cognoſci, & aliunde non eſt obiectum ſupernaturale: ergo &c.

21 Quinta concluſio. Intellectus agens poteſt abſtrahere Vniuerſale effectiuè, non verò formaliter. Probatur prima pars, quia intellectus agens producit effectiuè ſpeciem in quo repræſentatur Vniuerſale. Probatur ſecunda pars, quia intellectus agens non eſt potentia cognoſcens, proindeque non poteſt abſtrahere Vniuerſale formaliter, quia hæc abſtractio eſſentialiter requirit cognitionem. Vnde colligitur nec diuinitus poſſe intellectum agentem abſtrahere Vniuerſale formaliter, quia mutaretur eius eſſentia. Supponit hæc concluſio cum communi ſententia ſpeciem illam repræſentare res communes; de qua tamen re diſputo in lib. de Anima diſp. 83. ſect. 2. à n° 6. vbi oppoſitum probabilius iudico.

(c 2)

SECTIO

SECTIO III.

Vtrùm ſenſus poſsint abſtrahere Vniuerſale?

1 PRima concluſio. Vniuerſalis abſtractio formalis, nec diuinitus fieri poteſt à ſenſu aliquo externo. Ita ex D. Thom. 1. p. q. 12. art. 3. Fonſ. 5. Met. cap. 28. ſect. 2. initio. Soar. de Anima, lib 4. cap. 3. dub. 3. quatenus abſolutè docet, cognitionem Vniuerſalium non poſſe ſenſui competere. Probatur concluſio, quia obiectum adæquatum ſenſus corporei eſt ſingulare materiale, vt docet Ariſtot. 3. de Anima, cap. 4. tex. 7. Sed potentia nec diuinitus ferri poteſt extra ſuum obiectum: ergo ſenſus externus non poteſt formaliter abſtrahere Vniuerſale. Maior eſt principium in Philoſophia; minor probatur, quia res, quæ eſſentialiter ſpecificatur per aliam, nec diuinitus poteſt ferri extra illam, vt patet in conceptu Petri, qui nec diuinitus poteſt repræſentare Bucephalum (alioquin enim ſpecificaretur, & non ſpecificaretur per ſuum obiectum) ex qua demonſtratione patet, non poſſe ſenſum aliquem externum abſtrahere formaliter, vel cognoſcere Vniuerſale, quia res vniuerſalis, prout ſic, eſt maximè abſtracta à materialitate, & ſingularitate, vt patet.

D. Thom. P. Fonſ. P. Soar. Ariſtot.

2 Obijcis primò pro contraria ſententia, in quam inclinat Hurt. in Met. diſp. 5. ſect. 12. §. Dico tertio, n. 144. quatenus docet, per ſenſus externos fieri etiam aliquo modo Vniuerſale; Verùm cum ipſe procedat in ſua opinione de Vniuerſalitate poſitiua, & extrinſeca Vniuerſalis, quam ſicut tribuit per actum intellectus, vult etiam tribuere per actum ſenſuum externorum, quia, inquam, eſt in alia opinione, non eſt hìc maximè curandus in modo communi philoſophandi, quem ſequimur. Pro eàdem opinione citari poſſunt illi, qui exiſtimant, poſſe oculum corporeum diuinitus eleuatum videre Chriſtum Dominum in Euchariſtia exiſtentem, vt cum D. Thom. Alenſi, Ochamo, & Gabriele, exiſtimat Vaſq. tom. 3. in 3 p. diſp. 191. cap. 2. Fauet maximè Val. 1. p. diſp. 1 q. 12. puncto 8. § Sed quæret; quatenus concedit, poſſe Deum videri per oculum corporeum, vel per aliam potentiam materialem cognoſcitiuam poſſibilem.

P. Hurt. D Thom. Alenſ. Ocham. Gabriel. Valentia.

3 Obijcis, inquam, primò. Obiecta ſenſuum ſunt Vniuerſalia; ſed vnaquæque potẽtia cognoſcit ſuum obiectum: ergo ſenſus externus, non ſolùm diuinitus, ſed etiam naturaliter poteſt cognoſcere Vniuerſale. Reſpond. ex mente D. Thom. 1. 2. q 29. art. 6. diſtinguendo maiorem: obiectum ſenſus eſt Vniuerſale ſumptum materialiter, ſeu in actu ſignato, concedo maiorem: ſumptum formaliter, & ſub vniuerſalitate, ſeu in actu exercito, nego maiorem; id eſt, obiectum oculi v. g. non eſt hic ſolùm color, ſed color abſolutè, qui, prout ſic, comprehendit omnes colores: & ratio eſt, quia albedo v. g. videtur exercitè, oculus veró non videt Vniuerſalitatem colóris, ſed colorem concretum, & ſingularem. Imò quando oculus percipit colorem pomi, non attendendo ad ſaporem, nulla datur propria abſtractio, ſed limitatio potentiæ, quæ nequit vltra colorem ampliús attingere.

D. Thom.

4 Obijcis ſecundò. Oculus poteſt Deum videre ſaltem diuinitus: ergo à fortiori cognoſcere, & abſtrahere Vniuerſale. Conſequentia rectè infert: antecedens authoritate probatur, & ratione: nam imprimis Enodius in quadam Epiſt. ad Auguſt. fatetur, non inuenire repugnãtiam, quare oculus nequeat eleuari ad Deum intuitiuè vidẽdum: & quod magis notandum eſt, Valent. 1 p. diſp. 1 q 12. puncto 8. §. Sed quæret fortè aliquis; docet, non ſatis conſtare, dari implicationem, ob quam Deus non poſſit facere potentiam ſenſitiuam, quæ ſaltem ſupernaturaliter Deitatem intuitiuè cognoſcat. Fauet Auguſt. lib. 2. de Ciuitate Dei cap. 29 dum quæſtionẽ hanc agitans, ſubdubium ſe oſtendit, nec alteram partem penitus definiuit. Probatur deinde authoritate ſacræ paginæ. Iob. 19. *Et in carne mea videbo Deum.* Qui locus maiorem habet vim iuxta vulgatam, vbi dicitur, *Videbo Deum meum*, ſine prædicato, *Saluatorem*, ne aliquis locum de Chriſto Saluatore interpretaretur.

Valentia. D. Aug. Iob.

5 Probatur deinde ratione. Deus clarè viſus eſt extra obiectum intellectus creati; & tamen intellectus creatus de potentia Dei abſoluta, poteſt Deum videre: ergo licet Deus ſit extra obiectum naturale oculi corporei, ab eodem tamen diuinitus poterit videri.

6 Confirmatur, quia res corporalis eleuatur ad producendam rem ſpiritualem, vt v. g. aqua ad producendam gratiam; ignis inferni ad torquendos ſpiritus, & cauſandum dolorem ſpiritualem, qui non eſt minus vitalis, quàm viſus: ergo &c.

7 Ad hoc argumentum negandum eſt antecedens, certiſſimum enim eſt, non poſſe oculum corporeum diuinitus Deum videre, vt docent Theologi fere omnes, quos citant, & ſe-

Digitized by Google

P. Soar. P. Arrub. Vaſquez. P. Molina Fr. Ægyd.

& ſequuntur Soar. tom. 1 in Sum tract. 1. lib. 2. cap. 6. n. 5 & 6. Arrub 1 p. diſp. 18. Vaſq. 1. p. diſp. 40. cap. 2. Mol. 1. p. q 12. art. 3 Fr Ægyd. de Beatitud tom 1. lib 4 q. 1. art 3 §. 2. & ratio eſt, quia ferretur oculus extra ſuum obiectum, quod fieri non poteſt, vt patet ex dictis, alioqui poſſet oculus audire.

8 Ad prophetiam Iobi dicendum eſt, loqui ſcilicet Sanctum virum de Viſione diuinæ eſſentiæ, non per oculos corporis. ſed per oculos mentis non quidem ſeparatæ, ſed vnitæ corpori glorioſo, vt exponit Aug. lib 22. cap. 29. de Ciuitate, vbi notat non dixiſſe Iobum, *Per carnem meam*, ſed ſolùm, *In carne mea*, ac ſi diceret, cùm Deum videro, in carne mea ero.

D. Aug.

9 Ad rationem neganda eſt maior, nam Deus continetur aliquo modo intra obiectum adæquatum intellectus, ſiquidem aliquo modo confuſo attingitur per vires naturæ ab intellectu creato, & ideò per eleuationem cognoſcitur intuitiuè ab eodem intellectu: non continetur tamen intra obiectũ ſenſus, ſiquidem ſenſus naturaliter nullo modo attingit Deum.

10 Ad confirmationem, concesſo antecẽdente, neganda eſt conſequentia quia neque aqua, neque ignis concurrunt, vt principia vitalia: at verò cum potentiæ vitales, (qualis eſt oculus) quando vitaliter operantur, ſemper influant in ſuos actus, etiam ſupernaturales, per vim aliquam ſuam naturalem (licet eleuatam,) quæ tribuit vitalitatem; & cum ſpecificentur eſſentialiter per terminos intrinſecos, quos in eâdem potentia, vel ſaltem intra idem ſuppoſitum producunt, fieri nequit, vt ferantur extra ſuum ſpecificatiuũ obiectum: at verò cauſæ effectiuæ, qualis eſt ignis v. g. producunt ſæpe terminos extrinſecos, id eſt, extra ſuppoſitum: ac proinde ad nullum certum obiectum dicunt eſſentialem ordinem, poſſuntque proinde efficere quidquid nõ implicat contradictionem.

Quilibet ſenſus poteſt effectiuè abſtrahere Vniuerſale.

11 Vndè conſequenter dicẽdum eſt, poſſe quemlibet ſenſum externum diuinitus effectiuè abſtrahere Vniuerſale, quia abſtrahere Vniuerſale effectiuè, nihil aliud eſt, quàm producere ſpeciem, vel conceptum, in quo repræſentetur natura libera à differentijs contrahentibus; ſed ſenſus externus habet potẽtiam obedientialem actiuam ad producẽdam talem ſpeciem, vel conceptum in ſubiecto proportionato, vel extra omne ſubiectum non vitaliter, ſed effectiuè tantùm: ergo abſtractio effectiua Vniuerſalis diuinitus poteſt fieri per quemuis ſenſum externum. Dixi, *diuinitus*, quia certum eſt, naturaliter non poſſe producere ſimilem ſpeciem, vel conceptũ ſpiritualem, qui repræſentet rem communem, vt patet ex improportione naturali inter ſenſum corporeum, & ſpeciem ſpiritualem; quarè ſenſus externi naturaliter operando ſolùm valde remotè concurrunt effectiuè ad abſtractionem Vniuerſalis, quia videlicet ex parte huius albi, quod oculus vidit, elicuit phantaſia cognitionem albi, ex cuius phantaſmate expreſſo intellectus agens produxit ſpeciem repræſentatiuam Vniuerſalis.

12 Obijcis tertiò Differentia indiuiduãs albedinis nõ eſt albedo, ſicut neq́ differentia indiuiduãs hominis eſt homo aliòquin nõ eſſet idẽ homo in Petro, & in Paulo) ergo oculus quando videt hanc albedinem, non videt eius eſſeitatẽ, ſeu eius differentiam indiuiduantem, ſiquidem ſolùm videt albedinem, & conſequenter videt oculus albedinem ſine differentia indiuiduante, ac proinde abſtractam: ergo &c. Reſpond. oculum videre albedinem, prout eſt extra cauſas, nempe ſingularem, & quamuis differentia indiuiduans non ſit albedo, eſt tamen conditio, ſine qua videri non poteſt albedo; videtur ergo albedo ſecundùm ſe, quæ, prout ſic, communis non eſt.

Quid dicendum ſit de Phantaſia?

13 SEcunda concluſio. Senſus internus, nempe Phantaſia (probabilius enim exiſtimo hunc tantùm dari ſenſum internum) non poteſt formaliter abſtrahere Vniuerſale etiam materiale: Hæc cõcluſio communis eſt, & certa, quæ colligitur ex D. Thom. 1. p. q. 12. art. 3. & ex Val. p. diſp. 1. q. 12 pun. 8. Sal. tom. 1. tract. 2. diſp. 5. ſect. 1. Albertin. q. 1 Theologica ex primo principio philoſophico. n. 2. Fr. Ægid. tom. 1 de Beatit lib. 4. q. 1. art. 3. & tom. 3. lib. 4. q 11. art. 6.

D. Thom. Valentia. Salas. Albert. Ægidius.

14 Tota ratio huius concluſionis cõſiſtit in implicatione, quæ datur, ſi phantaſia cognoſceret rem vniuerſalem, quia eſſet, & non eſſet phantaſia; eſſet, quia ità ſupponitur; non eſſet, quia ferretur vitaliter extra ſuum obiectum eſſentiale, & diſtinctum, quale eſt materiale ſingulare, quemadmodùm enim intellectus, nec diuinitus ferri poteſt, vitaliter operando, extra intelligibile, ita phantaſia ferri nequit extra phantaſiabile, (quod eſt materiale, & ſingulare,) etiam diuinitus.

15 Obijcis primò pro contraria ſentẽtia; quam à fortiori defendent omnes illi, qui exiſtimant, Deũ poſſe videri ſaltem diuinitus oculo

Digitized by Google

Scaliger. oculo corporeo; & abſolutè docet Scaliger exercitatione 34. in Cardanum, diſp. 22. aſſerens, phantaſiam, non ſolùm humanam, ſed etiam bruti naturaliter cognoſcere Vniuerſale; & idem exiſtimat Gruaſ. de Ordine productionis notitiarum fol. 15. & 16. Obijcis, inquam, primò. Ex eo quòd intellectus noſter cognoſcit naturaliter Deum, ſaltem confusè, bene infertur, poſſe illum cognoſcere clarè diuina virtute: ſed phantaſia humana cognoſcit Vniuerſale materiale confuſé: ergo diuinitus cognoſcet Vniuerſale clarè, & diſtinctè: maior eſt certa, conſequentia rectè colligit: Probatur minor, quia phantaſia cognoſcit particulare materiale, in quo Vniuerſale continetur, & à quo non diſtinguitur realiter. *Geruaſ.*

16 Reſpondetur negãdo minorem, quia phantaſia, neque in confuſo, cognoſcit Vniuerſale, quia ſemper percipit particulare materiale, (non quidem formaliter, quà particulare dicitur id, quod ſubijcitur Vniuerſali, ſed particulare materialiter ſumptum:) Vnde quando phantaſia cognoſcit obiectum longè diſtans, ſemper cognoſcit animal v. g. coniũctum, & ſingulare, vagum tamen, & indeterminatum, vt docet Fonſ. 5. Met. cap. 28. q. 6. ſect. 2. §. Quod ſiquis: Neque ex eo quòd phantaſia cognoſcat particularia, ſequitur, cognoſcere Vniuerſale, quamuis non diſtinguantur ex natura rei: nam etiam relatio nõ diſtinguitur à Socrate ex natura rei in bona opinione; & tamen oculus, vel aliquis ſenſus nequit apprehendere relationem, (quamuis ipſum Socratem cognoſcat) propter improportionem. *P. Fonſ.*

17 Obijcis ſecundò. Phantaſia humana, propter radicationem in anima nobiliori, & ex eo, quod proximé miniſtret intellectui, poteſt cognoſcere latentem ſubſtantiam materialem, arguitiué diſcurrendo, licet non habeat propriam ſpeciem ſubſtantiæ: ergo licet non habeat propriã ſpeciem Vniuerſalis, ſufficiet ſpecies rei ſingularis, vt cognoſcat rem communem, propter illam radicationem, &c. Reſp. permiſſo antecedente cum Fonſ. 5. Met. cap. 28. q. 8. ſect. 4. § Secundi explicatio; & cum Conimbric. 3. de Anima, cap. 3. quæſt. 1. ſect. 2. negando tamen conſequentiam, quia phantaſia non fertur extra ſuum obiectum cognoſcendo ſubſtantiam corpoream ſingularé, arguendo illam ex ſpeciebus accidentiũ: vt neque fertur extra obiectum diſcurrendo circa eadem ſingularia: ferretur tamen, ſi cognoſceret rem Vniuerſalem: nam, prout ſic, talis res ſingularis non eſt. Dixi (permiſſo antecedente quia Soar. lib. 3. de Anima, cap. 6 à n. 8. defendit, non poſſe phantaſiam apprehendere, vel iudicare componendo, vel diuidendo, nedum diſcurrendo. *P. Fonſ.* *Conimbr.* *Soarius.*

18 Inſtas. Potentia, quæ poteſt naturaliter aliquid facere, aliquid amplius poterit diuinitus: ſed phantaſia poteſt naturaliter diſcurrere circa Vniuerſalia materialia, poterit ergo proinde abſtrahere Vniuerſale. Reſpõd. diſtinguendo maiorem, & concedendo talem potentiam aliquid amplius poſſe diuinitus, circa obiectum tantùm adæquatum, non verò extra obiectum: Quare phantaſia poterit diuinitus faciliùs diſcurrere circa ſingularia, aut (vt aliqui volunt ſolùm diuinitus poterit diſcurrere circa ſingularia) deinde poterit diuinitus cognoſcere lucem corporum beatorum, ſiue hæc lux ſit eſſentialiter diuerſa à luce ſolari, vt ſentit Sal. tom. 1. in 1. 2. tract. 2. diſp. 14. ſect. 14. n. 109. ſiué ſit perfectior tantùm accidentaliter, vt cum D. Tho. docent Conimbricenſes. 2. de Cælo, cap. 3. q. 7. art. 2. §. Porro. *P. Salm.* *D. Thom.* *Patres Conimbr.*

19 Neque obſtat, quod res communis, & ſingularis ſint idem à parte rei, nam quà communis, eſt omnino immaterialis, & extra obiectum ſenſus. Exemplum eſt in potentia videndi, reſpectu rei præſentis, & abſentis, cognoſcit enim viſus hoc album intuitiué, quando eſt præſens; at veró quando eſt abſens, nec diuinitus illud poteſt cognoſcere abſtractiuè, quia licet idem album ſit, nihilominùs obiectum viſus eſt album, quà præſens. Quando verò permittimus, phantaſiam arguitiuè cognoſcere ſubſtantiam materialem ex accidentibus, non ideó concedimus, agnoſcere formalem proportionem, quam inter ſe habent ſubſtantia, & accidens, quia illa formalis proportio eſt relatio formalis, quam phantaſia nequit percipere, cum ſit maximè materialis: neque item concedimus, phantaſiam poſſe propriè diſcurrere, ſed tãtùm analogicé permiſimus hunc diſcurſum circa ſingularia.

20 Obijcis tertió. Appetitus ſenſitiuus in homine participat aliquid libertatis ſufficiens ad peccatum veniale, vt ſentit Caiet. in 1. 2. q. 74. art. 4 propter radicationem in anima rationali: ergo à fortiori phantaſia participabit aliquam cognitionem rei Vniuerſalis, ſiue ſpiritualis, quia non ſolùm radicata eſt in anima rationali, ſed etiam proximé miniſtrat intellectui. Reſpond. negando antecedens, cum communi Patrum ſententia, quos refert Soar. lib. 5. de Anima, cap. 6. nu. 5. quia alioqui ſequeretur, peccare hominem ſine conſenſu voluntatis; imó repugnante voluntate: Quare conſequentia nihil colligit. *Caiet.* *Soarius.*

21 Inſtas. Phantaſia, propter radicationẽ in no-

in nobiliori anima, poteſt diſcurrere circa ſingularia materialia: ergo & appetitus, propter radicationem eandem, habebit aliquid libertatis. Reſpond. admiſſo antecedente, negando conſequentiam, cum Vaſq. 1. 2. q. 74. art. 4. diſp. 104. cap. 1. n. 3 in fine. Maior ratio eſt, quia phantaſia proximè miniſtrat intellectui, & cum maxima concordia: at veró appetitus non miniſtrat voluntati, imò reluctatur: Quare phantaſia non ſolùm propter radicationem, ſed quia proximé miniſtrat intellectui, aliquid boni participat, propter vicinum bonum. *P. Vaſq.*

22 Obijcis quartò. Appetitus ſenſitiuus bruti fertur in obiectum Vniuerſale: ergo à fortiori phantaſia humana cognoſcet Vniuerſale. Probatur antecedens exemplo equi famelici, qui nunquàm cibum guſtauit, cibum appetit, non hunc, non illum: ergo cibum in communi. Reſpond. negando antecedens; ad probationem dicendum eſt, equum eliciturum actum appetentiæ circa aliquod calidum, & ſiccum ſingulare, quamuis indeterminatum. Vnde ſi offeratur aliquis cibus conueniens, ſtatim naturali inſtinctu in illum feretur, licet nunquãm ante cognitum: ſicut agnus recens natus fugit lupum nũquàm antea viſum, vt obſeruat D.Th. in 2. diſt. 20. q. 2. art. 2. *D. Thom.*

23 Obijcis quintò. Intellectus humanus eleuatus poteſt cognoſcere Deum clarè: ergo & phantaſia humana eleuata poterit cognoſcere Vniuerſale. Probatur conſequentia, quia maior datur diſtantia inter Deum, & intellectum, quàm inter phantaſiam, & Vniuerſale. Reſpond. negando conſequentiam; & ad probationem dicendum eſt, inter humanum intellectum, Deumque, dari maiorem diſtantiam nobilitatis, quia Deus eſt infinitus, intellectus veró humanus eſt finitus, non dari tamen maiorem diſtantiam obiectiuam, quia Deus claré viſus adhuc manet ſub ratione obiecti intellectus humani, obiectum enim intellectus noſtri, eſt ens, ſub quo etiam Deus comprehenditur: Vnde licet naturaliter intellectus noſter Deum videre non poſſit, ſupernaturaliter tamen euehi poteſt in claram Dei Viſionem, eò quód per talem Viſionem non ſe extendat extra ſuum adæquatum obiectum: at veró res ſpiritualis, ſeu vniuerſalis pro illo ſtatu manet omnino extra obiectum phantaſiæ: ſicut album abſens manet extra obiectum viſus, ita in ſimili caſu docet Mol. 1. p. tom. 1. quæſt 12. art. 3. *Molina.*

24 Aduertendum hic eſt ex eo, quòd intellectus noſter ſaltem confuſé cognoſcat Deum in hac vita, bene ſequi, poſſe cognoſcere ipſum Deum clarè, & diſtinctè in Patria: Non tamen ex hoc ſequitur, quod illa, quæ intellectus noſter nullo modo naturaliter cognoſcit, nec diuinitus illa cognoſcere queat, cognoſcit enim intellectus creatus ſupernaturaliter myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis clarè, & diſtinctè in Patria, quin naturaliter vllo modo, etiam quoad an eſt, attingatur in via, vt docet Soar. lib. 1. de Trinit cap. 11. n. 21. Mol. 1. p tom. 1. q 31. art. 1. §. Sit nihilominús. Vaſq. 1. p. tom. 2 diſp. 133. cap. 2. Zumel. 1. p. q. 1. concl. 1. *P. Soar. P. Molina P. Vaſq. P. Zumel.*

25 Obijcis ſextò. Intellectus agens poteſt eleuare phantaſma corporeum ad producendam effectiuè ſpeciem ſpiritualem, vt eſt probabilis opinio: ergo etiam phantaſia poterit eleuari à Deo ad producendam ſpeciem ſpiritualem, ſimulque recipiendam: ergo tunc temporis phantaſia cognoſcet rem ſpiritualem, vel vniuerſalem, quia cognitio nihil aliud eſt, quam productio, & receptio ſpeciei. Reſpõd. negando conſequentiam, & maior ratio eſt, quia phantaſma eleuatur ad producendam illam ſpeciem effectiuè, & trãſeunter: at verò phantaſia, vt cognoſceret per illam ſpeciem, debebat illam producere, non ſolùm effectiué, ſed etiam vitaliter, quod tamen implicat, vt patet ex hac ſectione, numero 10. Quod ſi phantaſia non vitaliter, ſed effectiuè tantùm, & obedientialiter concurrat, tunc poterit, vt quoduis aliud inſtrumẽtum producere ſpeciem ſpiritualem repræſentantem rem vniuerſalem, quæ ſpecies dicet ordinem ad potẽtiam ſpiritualem, non verò ad phantaſiam, quamuis in ipſa ſubiectetur, quod fieri poſſe diuinitus nõ improbabile iudicat Sal. tom. 1. in 1. 2. q. 3. tract. 1. diſp. 1. n. 5. Vnde nonquæuis receptio ſpeciei, ſed ea ſolùm, quæ fit in ſubiecto proportionato, ſatis eſt ad cognitionem, ſicut ſi gratia poneretur in lapide, non diceretur lapis gratus, ſed tantùm habens gratiam. *P. Salas.*

Corollarium ex præcedente doctrina.

26 EX tradita doctrina colligitur, impoſſibilem eſſe ſpeciem corpoream impreſſam, vel expreſſam, quæ repræſentet rem ſpiritualem, vel vniuerſalem. Probatur, quia ſpecies dicit ordinẽ eſſentialem ad potentiam: ſed impoſſibilis eſt potẽtia materialis, quæ cognoſcat rẽ Vniuerſalem, vt dixi: ergo etiam impoſſibilis eſt talis ſpecies: Quæ doctrina clarior euadet, ſi recolantur ea, quæ dixi ſupra. *Non eſt poſsibilis ſpecies corporeas repræſentãs rẽ vniuerſalem.*

17 Obijcis primò. Datur ſpecies expreſſa finita, quæ repræſentat Beatis Deum infinitũ: ergo

Digitized by Google

ergo etiam poſſibilis erit ſpecies corporea repræſentans rem vniuerſalem. Reſpond. negando conſequentiam, quia ſpecies repræſentatiua Dei, licet ſit ordinis ſupernaturalis, dicit tamen connaturalem ordinem ad intellectum creatum ſupernaturaliter eleuatum, qui de facto datur: Neque enim intellectus Beati per illam ſpeciem tendit extra ſuum obiectũ, vt patet ex dictis: at veró ſpecies corporea repræſentatiua rei vniuerſalis ad nullam potentiam diceret ordinem, ſiquidem nulla potentia corporea poterat vti tali ſpecie.

28 Inſtas. Ergo etiam talis ſpecies corporea, ſi daretur, diceret ordinem ad phantaſiam eleuatam. cum qua poſſet concurrere ad productionem cognitionis rei vniuerſalis. Reſpondetur, talem ſpeciem (ſi per impoſſibile daretur) poſſe concurrere effectiuè ſolùm, cum phantaſia, vt ſcilicet phantaſia producat ſuam cognitionem, ſeu potiùs terminum ſuæ cognitionis, obedientialiter, eo modo, quo poſſet concurrere lignum v. g ad productionem eiuſdem termini, cognitionis, vel idoli; non tamen poſſet talis ſpecies concurrere vitaliter cum phantaſia, quia cum phantaſia non poſſit cognoſcere rem vniuerſalem, non poteſt etiam vitaliter vti tali ſpecie.

29 Obijcis ſecundó. Species ſpirituales repræſentant de facto intellectui res materiales: ergo de poſſibili poterunt dari ſpecies corporeæ, quæ repræſentent phantaſiæ res ſpirituales. Reſpond. negando conſequentiã: maior ratio eſt, quia res materiales etiam continentur ſub obiecto intellectus, (obiectum enim intellectus, eſt omne ens intelligibile, res autem materialis, licet ſit ſenſibilis, etiam eſt intelligibilis, manetque proinde intra obiectum intellectus): at veró res ſpiritualis, & vniuerſalis, non continetur ſub obiecto potentiæ materialis: (obiectum enim ſenſus, eſt ens ſẽſibile, res autem ſpiritualis, ſiue Vniuerſalis, non eſt ſenſibilis.) Sumitur hæc ſolutio ex Philoſopho, dum ait, omne ſenſibile eſſe intelligibile; non tamen omne intelligibile eſſe ſenſibile.

DISPVTATIO V.

Vtrùm diuiſio Vniuerſalis in quinque ſpecies adæquata ſit, immediata, & vniuoca?

Accedo nunc ad diuiſionem Vniuerſalis in quinque vulgatas ſpecies, Genus ſcilicet, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens; quam Porphyrius vt adæquatam admiſit: Qua admiſſa, illud quærendum reſtat, vtrùm Vniuerſale ſit Genus ad has quinque Species; ac tandem aliquid de particularibus, quæ Vniuerſali ex aduerſo reſpondent, breuiter prælibandum eſt.

SECTIO I.

Hanc diuiſionem eſſe adæquatam, ſed non immediatam, verior opinio docet.

1 Sit prima concluſio. Vniuerſale communiſſimum adæquatè diuiditur in quinque prædictas ſpecies. Hæc eſt communis, & antiqua Philoſophorũ ſententia, pro qua Patres Conimbricenſes in Logica, quæſt. 7. in Præfatione Porphyrij, art. 1. §. Statuenda, citant Boet. Auer. Amon. Albert. Magn. D. Thom. ac Scot. Pro eâdem ſententia videri poteſt Rub. in Logica quæſt. 8. de Vniuerſalibus, á §. His tamen non obſtantibus. Hurtad. in Logica diſp. 7. ſect. 2. à §. 9. (quamquàm non loquatur cohærenter, ſiquidem hìc admittit quinque Vniuerſalis ſpecies, cum tamen diſp. 6. ſect. 6. n. 15. dicat, quartum, & quintum Vniuerſale logicè conſiderata, non differre ſpecie, & ambo ad vnam tantùm pertinere.) Noſtram itẽ concluſionem approbat Soar. in Met. diſp. 6. n. 7.

Patres Conimb. Boetius. Auerroes. Amon. Albert. Magn. D. Thom. Scotus. Rubius. Hurtad. P. Soar.

2 Probatur concluſio. Quia cum Vniuerſalitas conſiſtat in ea aptitudine, de qua dixi diſp. 1. Quot fuerint aptitudines diuerſæ, tot erunt Vniuerſalitates, & conſequẽter tot erunt Vniuerſalia: ſed aptitudines ſunt quinque, nõ plures, nec pauciores: ergo &c. Minor probatur, quia tot ſunt aptitudines diuerſæ, quot ſunt identitates diuerſæ (ſiquidem aptitudo eſt potentia ad identitatem, tanquàm ad ſuum actum, potentia veró eſſentialiter per

per actus ſpecificatur.) Probatur igitur minor, quod ſcilicet, quinque ſint identitates: Quidquid eſt idem cum alio, vel eſt idem eſſentialiter, vel accidentaliter, ſi eſſentialiter, aut eſt completé, aut incompleté: Si cõpletè, eſt Species; ſi incompletè, aut eſt per modum formæ, & eſt Differentia; aut per modum materiæ, & eſt Genus: Si eſt idem accidentaliter, aut eſt idem neceſſariò, & inſeparabiliter, & eſt Proprium; aut contingenter, & ſeparabiliter, & eſt Accidens.

3 Cum verò aptitudo ad prædicandum comitetur aptitudinem ad eſſendum, hinc eſt, quod ſicut datur prædictum Vniuerſale commune ad eſſendum, quod adæquatè diuiditur in quinque ſpecies, ita datur prædicabile in communi, quod adæquaté, & in quinque prædicabilia diuiditur: Quidquid enim de alio prædicatur, aut eſt in quæſtione quid eſt, aut eſt in quæſtione quale eſt: Si eſt in quid, aut prædicatur completé, & eſt Species; aut incompleté, & eſt Genus. Si eſt in quale, aut prædicatur, vt pars eſſentialis, & eſt Differentia; aut vt Accidens neceſſarium, & eſt Proprium; aut vt aliquid contingens, & eſt Accidens. Hæc latè proſequitur Rubius citatus.

Soluuntur argumenta pro contraria ſententia.

4 Obijcis ergo primò, pro contraria opinione, quæ plura inducit prædicabilia. Prædicamenta ſunt decem: ergo & prædicabilia. Probatur conſequẽtia, quia tot ſunt prædicamenta, quot ſunt modi prædicãdi: ergo ſimiliter tot erunt prædicabilia, ſiquidem etiam prædicabilia colliguntur per modos prædicãdi. Reſp. negando conſequentiã, diuerſa ratio eſt, quia prædicamenta, & prædicabilia habent diuerſum omnino modum prædicandi; prædicamenta enim colliguntur per ordinem ad diuerſos modos, quibus accidentia denominant primam ſubſtantiam, qui ſunt nouem, (vel enim eam denominant quãtam, vel qualem, vel relatam, &c.) at verò prædicabilia colliguntur per diuerſos modos identitatum, quibus natura ſuperior eſt, & prædicatur de inferioribus, qui ſunt tantùm quinque, vt cõſtat ex dictis.

5 Obijcis ſecundò. Prædicari in quid de pluribus differentibus ſpecie, & prædicari in quid de pluribus differentibus numero, efficiunt diuerſa prædicabilia: ergo ſimiliter prædicari in quale de pluribus differentibus ſpecie, & prædicari in quale de pluribus differentibus numero, efficient diuerſa alia prædicabilia. Reſpõd. negando totum; non enim ſolùm prædicatio in quid, de differentibus ſpecie, ac numero, efficiunt diuerſa prædicabilia: ſed prædicari in quid completè, ſicut prædicatur ſpecies, & incompletè, ſicut prædicatur genus: cum verò omnia, quæ prædicantur in quale, ſemper prædicentur incompletè, inde eſt, quod prædicatio de pluribus differentibus ſpecie, vel numero, non variet eſſentialem modum prædicandi Vniuerſalium.

6 Inſtas. Genus item, & Species prædicantur incompleté, nam Genus non dicit differentiam ſpecificam, nec ſpecies differentiam indiuiduantem: ergo Genus, & Species non efficiunt duo diuerſa prædicabilia, ratione prædicationis completæ, & incompletæ. Reſpód. negando antecedens: nam, vt aliquid dicatur prædicari completè, ſufficit, quod dicat totam eſſentiam communem, quam dicit homo v. g. de Socrate, cum tamen animal ſolùm dicat expreſsè partem ipſius hominis: neque obſtat, quòd homo non dicat differentiam indiuiduantem Socratis, hæc enim non eſt de eſſentia, nec pertinet ad eſſentiam, vt eſt commune inter Philoſophos.

7 Obijcis tertiò: Species, quæ eſt ſecundum prædicabile, verè, & propriè de alijs prædicabilibus enuntiatur; hæc enim eſt vera, *Genus eſt Species Vniuerſalis*, item, *Differentia eſt Species Vniuerſalis*, &c. ergo ſub ſpecie, comprehenduntur omnia prædicabilia: ergo vnum tantùm datur prædicabile. Reſpond. ſub argumento latere æquiuocationẽ, quæ, vt auertatur, aduertendum eſt, omnia hæc quinque Vniuerſalia dici ſpecies Vniuerſalis communiſſimi, accidentaliter tamen, & contingenter: ſicut homo accidentaliter dicitur Species: hæc enim prædicatio contingens eſt, *Homo eſt ſpecies*, ſed ſicut ratio ſpeciei in homine non tollit eſſentiam hominis, quæ conſiſtit in eo, quod ſit animal rationale, ita denominatio ſpeciei, reſpectu quinque Vniuerſalium, non tollit ab eis diuerſitatem eſſentiarum. Ad argumentum igitur reſpondetur, cætera prædicabilia contineri ſub ſpecie accidentaliter tantùm, & denominatiuè, quod non tollit eſſentialem eorum differentiam. Aduerte diligẽter.

8 Obijcis quartò. Prædicata dialectica ſunt tria, Genus ſcilicet, Proprium, & Accidens: ergo ſimiliter prædicabilia. Reſpõd. negando conſequentiam, & diuerſa ratio eſt, quia prædicabilia colliguntur per ordinem ad diuerſos modos prædicandi de indiuiduo, qui ſunt quinque, vt patet ex dictis:

Digitized by Google

at verò prædicata dialectica colliguntur per ordinem ad locos communes; vnde argumēta eruuntur, qui non ſunt quinque, vt patebit in Topicis.

9 Aduertendum eſt primò prædicari ſeparabiliter, & inſeparabiliter non variare identitates Vniuerſalis; nam idem eſt ſeparabiliter, atque accidentaliter & inſeparabiliter, atque eſſentialiter. Prædicari verò intrinſecè, & extrinſecè, idem eſt ac prædicari eſſentialiter, & accidentaliter. Aduertendum ſecundò, Indiuiduum vagum, quale eſt v. g. *quidam homo*, non conſtituere aliud Vniuerſale, tum quia eſt compoſitum per accidens ex natura certa, & differentia indiuiduante incerta; tum quia non eſt aliquid commune propriè loquendo, ſed ſingulare.

10 Obijcis vltimò. Dantur quædam Vniuerſalia de nouo, quæ dicuntur aſſumptiua: ergo hæc Vniuerſalis diuiſio non eſt adæquata: Occaſione huius argumenti agendum eſt de Vniuerſalibus aſſumptiuis.

Vtrúm dentur de nouo aliqua Vniuerſalia aſſumptiua?

11 Antequàm ſententias aliquas de hac materia proponamus, aduertendum neceſſariò eſt, poſt vnionem hypoſtaticam, per quā Verbum diuinum ſibi aſſumpſit, ſeu vniuit naturam humanam, reſultaſſe ineffabile quoddam compoſitum, nempe Chriſtum Dominū, qui includit naturam diuinam, & humanam ſubſiſtentes in perſona, ſeu hypoſthaſi Verbi diuini: vnde factum eſt, vt prædicata propria naturæ humanæ in concreto dicātur de Verbo, ac de Deo: & prædicata diuina ſimiliter in concreto dicantur de homine; hæ enim prædicationes ſunt veræ, *Deus eſt homo*; *homo eſt Deus*; *Verbum diuinum eſt homo*, *eſt animal*, *eſt rationale*, &c. Quā mutuā prædicationē vocant Theologi cum D.Th. in 3. p. q. 16. communicationem idiomatum; & videri poteſt Soar. de Incarnat. diſp. 35. & Vaſq. ibidē, diſp. 68. per totam, & alij interpretes ad eūdē locū. D.Thom. P. Soar. P. Vaſq.

12 Quærimus igitur, Vtrùm hæc prædicata, *Verbum diuinum eſt animal*, *eſt homo*, & cætera pertineant ad aliquod Vniuerſale ex vulgatis, an aliqua de nouo conſtituant? Sed antequàm quæſtionem reſoluam, aduerto, has prædicationes, *Verbum diuinum eſt homo*, *eſt riſibile*, *eſt album*, eſſe directas, quia licet Verbū diuinum ſit veluti forma naturæ humanæ, ſiquidem ſuppoſitum eſt forma naturæ; nihilominùs tamen diuina perſona habet ſe veluti ſubiectum ſuſtentās naturam humanam, quæ ſe habet veluti forma; vnde in hac prædicatione, *Verbum diuinum eſt homo*, prædicatur forma, ſeu quaſi forma de materia, ſeu quaſi materia. vt bene aduertit Vaſq. 3. p. tom. 1. diſp. 19. n 19. cum alijs. P. Vaſq.

13 In hac igitur quæſtione aliqua ſunt certa, aliqua verò dubia: certum imprimis eſt hæc prædicata non conſtituere noua Vniuerſalia, ſi comparentur cum Chriſto Domino, prout ſignificatur nomine hoc, IESVS, tunc enim ſolùm dicit de formali naturam humanam, & eſt verum hominis indiuiduum: Qui, ſi appelletur Chriſtus, vel dicit de formali ſolùm naturam humanam, connotando ſubſiſtentiam diuinam, iuxta aliquorum opinionem, vel naturam humanam ſimul cum ſubſiſtentia diuina, iuxta aliorum ſententiam, de quibus diſputo in Met. tract. 2. diſp. 59. ſect. 1. à n. 28. & vtróque modo eſt verum hominis indiuiduum; licet, iuxta hanc ſecundam ſententiam, non conueniat adæquatè cum alijs hominibus, ſiquidem dicit de formali ſubſiſtentiam diuinam, quam tamen non dicunt cæteri homines, ſed hoc non tollit, quominus Chriſtus Dominus cōueniat vniuocè cum cæteris hominibus in principali ſignificato formali, nēpe natura humana.

14 Certum deinde eſt, hæc prædicata ad nullum Vniuerſale pertinere, ſi comparentur ſolùm cum Verbo diuino; quia, vt detur Vniuerſale debent dari plura particularia; at Verbum diuinum eſt ſolum vnum particulare: Neque obſtat, quòd hæ prædicationes dicantur de Deo, verè enim dicimus, *Deus eſt homo* (licet Durand in 3 diſt. 4 quæſt. 1. affirmet, hanc propoſitionem nō eſſe omnino propriam, ſed in hoc meritò reprehenditur à Theologis.) Neque, inquàm, hoc obſtat, quia imprimìs natura humana non multiplicatur in Deo, & in Verbo, quod requirebatur, vt homo eſſet vniuerſalis, reſpectu Dei, & Verbi: Vniuerſale enim requirit multiplicationem in inferioribus, ſecundùm eandem naturam, vt ſtatim oſtendam in ſectione vltima huius diſputationis: Neque præterea dicitur homo eodem modo, & primario de Deo, & de Verbo, ſi enim immediatè, & primario diceretur de Deo, tunc hæc propoſitio eſſet vera, *Pater eſt homo*, nam quod conuenit Deo primariò, conuenit etiam Perſonis: aſſerere tamen talem propoſitionem eſſe veram, hæreticum eſt, quia vnio immediatè, & primariò facta fuit ad Verbum, non verò ad Deitatem, & ſola prædicata abſoluta, quæ conueniunt Deo ab æterno, ſunt Durand.

commu-

Digitized by Google

P. Soar. communia toti Trinitati, non verò prædicatum abſolutum, quod conuenit Deo in tempore, vt proſequitur Soar. 3 p. q. 16. art. 1 in commento.

15 Quæſtio igitur procedit de poſſibili, Vtrùm ſi reliquæ perſonæ aſſumerent alias naturas v. g. Pater, naturam agni; Filius, naturam hominis; & Spiritus Sanctus, naturam columbæ, Vtrùm ſcilicet animal in eo caſu, homo, &c. conſtituerent Vniuerſalia noua, an pertinerent ad aliquod ex vulgatis?

16 In hac igitur quæſtione duæ ſunt celebriores ſcientiæ: Prima aſſerit hæc prædicata non conſtituere noua Vniuerſalia, ſed pertinere ad vulgata, cum ea tamen diſtinctione, vt D. Thom. 3. p. q. 16, art. 1. aſſerat cum diſcipulis, has propoſitiones, *Deus eſt homo, Verbum diuinum eſt homo*, eſſe per ſe, & non contingentes, & conſequenter pertinebunt ad Vniuerſalia eſſentialia. At verò Scot. Bonauent. Gabr. Durand. & alij quos citat, & ſequitur Vaſq. 1. tom. 3. p. diſp. 68. cap. 2. & 4. à num. 18 aſſerunt, has propoſitiones non eſſe per ſe, ſed contingentes, pertinereque ad quintum Vniuerſale. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia omnia prædicata cõtingentia pertinent ad quintum prædicabile: ſed animal, homo, &c. prædicantur contingenter de Verbo: ergo &c. Neque obſtat, quod homo, & animal prædicentur ſubſtantialiter, nam hæc prædicatio, *Materia eſt formata anima rationali*, ſubſtantialis eſt: & tamen pertinet ad quintum prædicabile.

D. Thom. Scotus. D. Bon. Gabriel. Durand. P. Vaſq.

Proponitur ſententia Fonſecæ.

17 SEcunda ſententia docet, in ea ſuppoſitione danda fore noua Vniuerſalia, quæ meritò, propter naturas aſſumptas; aſſumptiua dicerentur. P. Fonſ. Hanc ſententiam excogitauit Fonſ. cap vlt. ſuæ Iſag. & 5. Met. cap 8. quæſt. 7. ſect. 6. à 5. Quærat demum aliquis. Quam opinionem beneuolo applauſu multi, & graues Recentiores exceperunt; aſſerit tamen, Proprium, & Accidens, pertinere quidem ad quintum Vulgatum Vniuerſale, quia non includuntur eſſentialiter in humanitate aſſumpta, nec vniũtur immediatè Verbo, ſed meré accidentaliter, & contingenter.

18 Probatur hæc ſententia, quia prædicta prædicata non pertinent ad tria priora Vniuerſalia, quia hæc habent identitatem eſſentialem: at verò animal, homo, & rationale, prædicantur de Verbo diuino contingenter; deinde non pertinent ad Proprium, quia non prædicantur neceſſariò; tandem non pertinent ad quintum Vniuerſale, quia hoc Vniuerſale prædicatur de ſuis inferioribus per modum adiacentis, ratione vnionis accidentalis, vel ſubſtantialis phyſicæ, vt patet in his, *Socrates eſt albus; materia eſt formata forma rationali*: at verò homo, & animal prædicantur actualiter de Verbo diuino, & potentialiter de reliquis diuinis perſonis, per modum ſubſiſtentis, ratione vnionis metaphyſicæ, quam haberet ad perſonas diuinas; & ex his ſolutum manet fundamentum alterius ſententiæ Diui Thomæ.

19 Iuxta hanc opinionem, Genus aſſumptiuum definitur *id, quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in quæſtione quodnam ſuppoſitum eſt ſubſtantialiter, & contingenter*, vt prædicaretur animal de Patre, & de Verbo diuino: Species verò aſſumptiua definitur *id, quod prædicatur de pluribus ſolo numero differentibus in quæſtione quodnam ſuppoſitum eſt, completè, ſubſtantialiter, & contingenter*, vt prædicaretur homo de Verbo, ac de Patre, ſi Pater ſimul aſſumeret naturam humanam, vt poteſt. Dicitur vero ſpecies prædicari completè, quia dicit totam naturam aſſumptam; Genus verò dicitur prædicari incompletè, quia dicit partem naturæ aſſumptæ. Differentia aſſumptiua *prædicatur de pluribus ſpecie, vel numero differentibus, in quæſtione, quale nam ſuppoſitum eſt, ſubſtantialiter, & contingenter*. Quomodo definiãtur Vniuerſalia aſſumptiua.

20 Contra hanc ſententiam obijcis primò. Si darentur noua Vniuerſalia, darentur etiam noua prædicamenta: hæc non admittuntur: ergo &c. Reſp. negando maiorẽ, nam vt dentur noua prædicamenta, requiritur noua entitas, quæ non ſit ſubſtantia neque accidens, quæ tamen dari nequit: at verò vt dentur noua Vniuerſalia, ſufficiunt nouæ identitates ſuperiorum cum inferioribus, quæ planè hîc dantur. Soluũtur argumẽta contra hãc ſententiã.

21 Obijcis ſecundò. Si duo Angeli eiuſdem ſpeciei aſſumerent duas naturas diuerſæ ſpeciei, humanam v. g. & Leoninam, animal prædicaretur de differentibus numero, nempe de illis duobus Angelis; & homo, ſeu potiùs ſpecies prædicaretur de differentibus ſpecie, nempe de illis duabus naturis aſſumptis: ſed hoc non eſt dicendum, quia genus debet prædicari de differentibus ſpecie, & ſpecies de differentibus numero: ergo &c. Reſpond. negando maiorem, illa enim ſuppoſita dicerentur differre ſpecie, vel numero ratione naturæ aſſumptæ; Quapropter animal, ſeu Genus prædicaretur de differentibus ſpecie, quia prædicaretur de homine, & leone aſſumptis, qui differunt ſpecie.

Digitized by Google

22 Obijcis tertiò. Genus debet immediatè reſpicere ſpeciem: ſed genus aſſumptiuum non ita ſe habet: ergo non datur. Probatur minor, quia (præterquam quòd vnio fiat immediatè ad indiuiduum, non verò ad ſpeciem,) genus aſſumptiuum reſpicit indiuiduum contingenter, & eodem modo debebat reſpicere ſpeciem: atqui animal reſpicit hominem eſſentialiter, & Verbum diuinũ contingenter: ergo &c. Reſpondetur, nullum eſſe inconueniens quòd genus aſſumptiuum reſpiciat indiuiduum contingenter, ac de illo immediatè prædicetur, cum alioquì habeat alias ſpecies naturales, de quibus immediatè prædicatur. Vnde colliges dari poſſe ſpeciem prædicabilem aſſumptiuam, quin ſit eodem modo ſubijcibilis. Colliges præterea, genus aſſumptiuum diuerſa relatione referri ad ſpeciem, & ad indiuiduum; indiuiduum enim reſpicit contingenter, ſpeciem verò eſſentialiter.

23 Obijcis quartò. Verbum diuinum ad nullum pertinet prædicamentum: animal, & homo pertinent ad prædicamentum ſubſtantiæ: ergo dabitur indiuiduum, quod ad nullum pertineat prædicamentum, cum tamen eius genus, & ſpecies ad aliquod pertineant. Reſpondetur concedendo totum; quòd nullum eſt inconueniens, quia genus, & ſpecies aſſumptiua non ſunt de eſſentia indiuidui, cum de eo prædicentur contingenter.

24 Obijcis quintò. Album, & coloratum, reſpectu Socratis, pertinent ad quintum Vniuerſale, & vtrumque prædicatur incompletè, licet album dicat totam formam albedinis, & coloratum dicat partem: ergo cum tam ſpecies aſſumptiua, quàm genus dicant ſolam partem indiuidui aſſumptiui (neque enim dicunt ſuppoſitum) prædicabuntur ſemper incompletè, proindeque vnum tantùm conſtituent Vniuerſale. Reſpond. negando conſequentiam; maior ratio eſt, quia album, & coloratum componunt adiacendo, quod eſt proprium partis, vt docent Conimbricenſes in Log. cap. 4 de Prædicamentis, q. 1. art. 2. §. Sed rogabis: at verò animal, & homo componunt per modum ſubſiſtentis, quod non eſt proprium partis: Vnde cum homo dicat totam naturam aſſumptiuam, dicitur prædicari completè, & cum animal dicat partem, dicitur prædicari incompletè, conſtituuntque diuerſa Vniuerſalia.

Patres Conimbr.

25 Obijcis ſextò. Rationale prædicatur per modum partis, & per modum adiacentis: ergo licet prædicetur ſubſtantialiter, pertinebit ad quintum Vniuerſale, quemadmodùm pertinet ad quintum Vniuerſale hæc prædicatio ſubſtantialis, *materia eſt formata forma ſubſtantiali*. Reſpond. negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia forma rationalis vnitur materiæ phyſicè: at verò rationale vnitur Verbo diuino metaphyſicè, & immediatè, ratione naturæ humanæ, in qua eſſentialiter includitur, prædicaturque veluti per modum ſubſiſtentis, licet ſignificetur per nomen connotatiuum, quia includitur eſſentialiter in homine, qui prædicatur in quid, & per modum ſubſiſtentis.

26 Inſtas. Hæc prædicatio, *Verbum diuinũ eſt humanatum*, pertinet ad quintum Vniuerſale; & tamen humanitas eſt de eſſentia hominis, qui prædicatur de Verbo per modum ſubſiſtentis, & præterea dicitur ratione vnionis metaphyſicæ: ergo idem dicendum de hac propoſitione, *Verbum diuinum eſt rationale*. Vnde ſequitur non dari niſi duo Vniuerſalia aſſumptiua, & idem dicendum de his prædicationibus, *Verbum diuinum eſt materiatum, eſt formatum, &c.*

27 Reſpondetur primò: illas prædicationes pertinere ad tertium prædicabile aſſumptiuũ, propter rationes factas, quia hæ prædicationes nõ ſũt propriè in quale, ac proinde nõ poſſunt pertinere ad quintum prædicabile, ſunt enim in quæſtione, *quale nam ſuppoſitum eſt?* Reſpondetur ſecundò: tales prædicationes poſſe pertinere ad quintum prædicabile, quia in illis non ita exprimitur vnio hypoſtatica metaphyſica, vt in hac, *Verbum diuinum eſt rationale*, quia modus illarum prædicationum eſt omnino per modum adiacentis: Nec eſt inconueniens, quod eadem res, nempe homo, & humanitas, ſecundùm diuerſum modum ſignificandi, pertineat ad diuerſum Vniuerſale, præcipuè in prædicatis omnino contingentibus, qualia hæc ſunt reſpectu Verbi diuini. Hæc ſententia ingenioſè fuit inuenta, & ne tantum Doctorem ſua laude fraudemus, ab ingenioſis facilè defendi poſſe exiſtimo.

Proponuntur aliæ duæ ſententiæ.

28 Tertia ſententia fuit aliquorum exiſtimantium vnum tantùm dari Vniuerſale aſſumptiuum, quod tamen nec ſit genus, nec ſpecies, nec differentia, neque proprium, ſiquidem non prædicatur eſſentialiter, neque neceſſariò: neque prætereà ſit accidens, ſiquidem prædicatur ſubſtantialiter, & per modum ſubſiſtentis, & tamen ſit Vniuerſale aſſumptiuum.

29 Sed contra eſt, quia vt aliquid ſit Vniuerſale, debet participare rationem Vniuerſalis logici, Vniuerſale autem logicum eſt vnum

vnum quid aptum ad prædicandum de pluribus in quæſtionibus, quid, aut quale eſt; & prætereà debent inferiora eodem modo participare Vniuerſale; quia inferiora debent eſſe plura ſecundùm eandem rationem: ergo ſicut Vniuerſale aſſumptiuum, quamuis non prædicetur in quid, aut quale, & quamuis eius inferiora non habeant rationem communem eodem modo, (nam homo prædicatur de Socrate eſſentialiter, & de Verbo contingenter.) Quamuis, inquam, hæc ita ſe habeāt, nihilominus tamen Vniuerſale aſſumptiuū, dicitur Vniuerſale per analogiam ad Vniuerſale logicum, & Porphyrianum: ergo ſimiliter dabitur genus aſſumptiuum, & ſpecies aſſumptiua, &c. licet non prædicentur eſſentialiter de inferioribus, eadem enim eſt difficultas in ſimili denominatione, ſi enim poteſt dari Vniuerſale aſſumptiuum, etiam poterit dari genus, vel ſpecies aſſumptiua.

Quarta, & fortaſſe probabilior ſententia.

30 Quarta igitur ſententia quam etiam ingenioſis defendendam propono, aſſerit, danda eſſe quinque Vniuerſalia aſſumptiua: Quam ſentētiam ſic probo. Tot ſunt Vniuerſalia aſſumptiua, quot ſunt identitates cum aliquo indiuiduo ex vi vnionis hypoſtaticæ: ſed identitates ſunt quinque: ergo &c. Maior certa videtur ex ſimili collectione Vniuerſalium logicorum. Conſequentia eſt bona: Minor probatur; Quidquid habet (vel habere poteſt) vnionem contingentem cum Verbo diuino ratione vnionis hypoſthaticæ, aut eſt idem cum illo ſubſtantialiter metaphyſicé, aut accidentaliter: ſi primum, aut prædicatur completè, dicendo omnes gradus communes naturæ aſſumptiuæ, & eſt ſpecies aſſumptiua; aut prædicatur incompleté per modum materiæ, & eſt genus, vel per modum formæ, & eſt differentia: ſi verò habet identitatem accidentalem, aut illam habet per modum proprietatis naturæ aſſumptæ, & eſt propriū; aut per modum accidentis eiuſdem naturæ, & eſt accidens: & ſimilis collectio fieri poteſt de his vniuerſalibus, quà prædicabilia ſūt, in quæſtionibus, quodnam ſuppoſitū eſt, vel qualenam ſuppoſitum eſt.

31 Confirmatur, quia ſi Proprium, & Accidens non conſtituerent alia duo Vniuerſalia, ex eo foret, quia non prædicantur de Verbo ſubſtantialiter metaphyſicè, ſed accidentaliter; & quia non immediatè ſunt vnita Verbo; ſed hæc ratio non obſtat: ergo &c. Probatur minor, quia licet Propria, & Accidentia non fuerint aſſumpta immediaté, fuerunt tamen aſſumpta mediaté, ideſt, mediante humānitate (vt probant Theologi 3. p. q. 5. art. 4. & ibidem Soar. diſp. 15. ſect. 8.) Vnde ſequitur prædicari etiam de Verbo ratione vnionis hypoſtaticæ: ergo quemadmodū tria priora prædicata propter vnionem hypoſtaticam immediatam conſtituunt tria priora Vniuerſalia aſſumptiua, ita hæc vltima prædicata, propter vnionem hypoſtaticam mediatam, conſtituent duo vltima Vniuerſalia aſſumptiua. Confirmatur etiam, quia hæc doctrina magis eſt conformis communi doctrinæ quinque Vniuerſalium logicorum, ad quorum analogiam, hæc aſſumptiua inuentā ſunt.

Soarius.

31 Obijcis. Tam proprium, quàm accidens; reſpectu Verbi diuini prædicantur eodem modo, nempe in quæſtione, quale nam ſuppoſitum eſt accidentaliter, & contingenter: ergo ſolùm conſtituent vnum Vniuerſale aſſumptiuum contingens, nempe quintum vniuerſale aſſumptiuum, & conſequenter dabuntur ſolùm quatuor Vniuerſalia aſſumptiua. Reſpond. Proprium, & Accidens, reſpectu Verbi diuini prædicari quidem eodem modo, non veró reſpectu naturæ aſſumptæ; quia riſibile v. g. prædicatur tanquàm proprium neceſſarium naturæ aſſumptæ: album veró prædicatur tanquam accidens omnino contingens eiuſdem naturæ: Vnde ſicut conſtituitur genus aſſumptiuum ex eò quod animal dicat partem naturæ aſſumptæ, & conſtituitur homo ſpecies, ex eo quod dicat totam naturam aſſumptam, ita riſibile diſtinguetur ab albo, quia hoc prædicatur de natura aſſumpta contingenter, riſibile verò neceſſariò.

Quid dicendum ſit de his prædicationibus reſpectu Dei.

33 Aduertendum pro corollario eſt, poſſe etiam fieri hanc comparationem cū Deo, reſpectu cuius, hæc vera eſt, *Deus eſt homo*, (non quidem per ſe primariò, vt dixi,) qui, ſi ad ſuam ſubſiſtentiam abſolutam (ſi datur) aſſumeret naturam humanam, & Socrates aſſumeret aliam naturam Leonis ad ſuam ſubſiſtentiam, tunc homo eſſet ſpecies aſſumpta & animal genus; licet ille homo Deus non eſſet ſuppoſitum, quia communicaretur tribus diuinis perſonis: ſed hæc in Metaphyſica lentiùs examinabimus. Ex quibus patet, quid reſpondendum ſit ad quæſtionem, cuius cauſa hæc ſunt diſputata: Vel enim hæc noua prædicata reducuntur ad quintum Vniuerſale, vel conſtituunt noua prædicabilia non naturalia, ſed aſſumptiua, quod nullum eſt inconueniens: & ex his ſatisfactum eſt argumento, quod propoſui n. 10. contra diuiſionem Vniuerſalis.

(∴)

Digitized by Google

Vtrùm hæc diuiſio Vniuerſalis ſit immediata?

34 SEcunda concluſio. Diuiſio Vniuerſalis communiſſimi, in prædictas quinq; e ſpecies, immediata non eſt. Probatur, quia Vniuerſale communiſſimum priùs deſcendit ad alia genera, quã ad hæc quinque prædicabilia: ergo diuiſio in hæc quinque prædicabilia, immediata non eſt. Conſequentia rectè colligit: probatur antecedens, quia prædicabilia conueniunt priùs in aliqua ratione communi ſuperiori, quæ priùs participat raiionem Vniuerſalis communiſſimi: ergo &c. Probatur hoc antecedens, nam ſi ſumatur Vniuerſale, quatenus eſt Vniuerſale in eſſendo, tunc Genus, Species, & Differentia in eo priùs conueniũt vniuocè, quod ſint prædicata intrinſeca eſſentiæ: Proprium verò, & Accidens in eo conueniunt, quód ſint prædicata extrinſeca eſſentiæ: Si verò ſumatur Vniuerſale, quã prædicabile eſt; tunc Genus, & Species, priùs in eo conueniunt, quòd prædicentur in quid: Differentia verò, Proprium, & Accidens in eo priùs conueniunt, quòd prædicentur in quale: ergo hæc diuiſio in quinque illas ſpecies, immediata non eſt; ſiquidem Vniuerſale in eſſendo priùs deſcendit ad Vniuerſale intrinſecum, & extrinſecum; & Vniuerſale in prædicando priùs diuiditur in Vniuerſale in quid, & in Quale; Quam doctrinam volentes & nolentes tandem admittunt Patres Conimbricenſes, ſiquidem q. 7. citada, priùs diuidunt Vniuerſale in eſſentiale, & accidentale: Deinde eſſentiale, in quid, & in quale.

35 Confirmatur, quia à qualibet conuenientia eſſentiali multorum abſtrahi poteſt conceptus eis communis. ſed tria priora Vniuerſalia conueniunt in eo quod eſt, *eſſe intrinſeca*, duo verò poſteriora conueniunt in eo quod eſt, *eſſe extrinſeca eſſentiæ*: ergo &c. quapropter ſicut viuens priùs deſcendit ad animal, & plantam, quàm ad hominem, & Leonem; ita Vniuerſale in eſſendo priùs diuiditur in duo genera intermedia, nempe in Vniuerſale intrinſecum, & extrinſecum; ac demum Vniuerſale intrinſecum in Genus, Speciem, & Differentiam; extrinſecum verò in Proprium, & Accidens: & idem cum proportione dicendum eſt de Vniuerſali in prædicando.

36 Obijcies pro Conimbricenſibus in Log. in Præfatione Porphyrij, q. 7. art. 3. qui defendunt, hanc diuiſionem eſſe immediatam: Si Vniuerſale priùs diuiditur in Vniuerſale intrinſecum, & extrinſecum; eãdem ratione priùs diuidetur in Vniuerſale in quid, & in quale: neque enim datur maior ratio: hoc non eſt dicendum: ergo &c. Probatur minor, quia ex hoc ſequeretur, vnam ſpeciem collocari ſub duobus generibus non ſubalternatim poſitis, tunc enim Genus, & Species collocarentur ſub Vniuerſali intrinſeco, & ſub Vniuerſali in quid; & ſimiliter differentia collocaretur ſub Vniuerſali intrinſeco, & ſub Vniuerſali in quale; & ſic de alijs.

Patres Conimbr.

37 Reſpond. negando ſequelam; & vt percipiatur ſolutio, aduertendum eſt priùs. Vniuerſale in eſſendo, & Vniuerſale in prædicando, non eſſe duplex Vniuerſale, ſed vnũ tantùm, cum duplici reſpectu, vt docent ipſi Conimbric. in Log. in Præfatione Porphirij. q. 1. art. 4. §. In quibus. Quarè diuiſio illa in Vniuerſale intrinſecum, & extrinſecum, (quod eſt Vniuerſale in eſſendo); & in Vniuerſale in quid, & in quale, (quod eſt Vniuerſale in prædicando) non eſt diuiſio in duplex Vniuerſale, ſed in vnum, cum duplici acceptione, quatenus ſcilicet intrinſecum eſt, & extrinſecum, & quatenus in quid, & in quale; Vnde non ſequitur, dari ſpeciem, quæ collocetur ſub duobus generibus non ſubalternatim poſitis; ſed ſequitur, dari ſpeciem, quæ quatenus eſt ſpecies Vniuerſalis in eſſendo, collocetur priùs ſub Vniuerſali intrinſeco, vel extrinſeco; & quatenus eſt ſpecies eiuſdem Vniuerſalis in prædicando, collocetur priùs ſub Vniuerſali in quid, vel in quale, quod nullum eſt inconueniens, ſiquidem Vniuerſale in eſſendo, & Vniuerſale in prædicando eſt idem Vniuerſale. Quæ ſolutio diſplicere non poteſt Patribus Conimbr. ſi cohærenter loqui velint.

38 Inſtas. Vniuerſale intrinſecum comprehendit non ſolum Genus, & ſpeciem, ſed etiam differentiam: Vniuerſale verò in quid ſolùm comprehendit Genus, & Speciem: ergo ſignum eſt, quod Vniuerſale in quid, & Vniuerſale intrinſecum, non ſit vnum, ſed duplex Vniuerſale; & idem cum proportione ſequitur in Vniuerſali extrinſeco, & in Vniuerſali in quale. Probatur conſequentia; nam vna, eademque res non poteſt vendicare tam diuerſas proprietates. Reſpond. negando cõſequentiam; quamuis enim Vniuerſale in eſſendo, & prædicando ſit idem; & ſimiliter quamuis Vniuerſale intrinſecum, & in quid, ſit idem Vniuerſale à parte rei: nihilominus ſub diuerſis illis formalitatibus vendicat illas diuerſas proprietates; ſicut homo ſingularis, & communis, ſunt idem à parte rei, & tamen communis prædicatur de pluribus, nõ verò

veró quà ſingularis eſt.

39 Inſtas ſecundò. Si Vniuerſale priùs diuiditur in Vniuerſale intrinſecum, & extrinſecum; eâdem ratione priùs diuidetur in Vniuerſale eſſentiale, & accidentale: ergo &c. Reſpond. talem diuiſionem, potiùs eſſe nominum, quàm rerum; quia idem eſt Vniuerſale intrinſecum, atque eſſentiale: & vniuerſale extrinſecum,atque accidentale.

SECTIO II.

Vtrùm Vniuerſale communiſſimum ſit genus ad has quinque ſpecies infimas?

1 PRima concluſio. Vniuerſale formaliter ſumptum poteſt eſſe verum genus vniuocum comparatione horum quinque prædicabilium. Hæc eſt ſententia Diui Thomæ in quæſtionibus de Vniuerſalibus, q.2. eandem tenuit Scotus, q.8. Vniuerſalium. Sotus, q 4. Vniuerſaliũ, & cap.de Genere,q.vnica iuxta finem.Tolet. q.2. Vniuerſalium. Pro eâdem ſtant Patres Conimbr. in Log. in Præfatione Porphyrij, q. 7. art. 1. idem tenet Hurtad in Log diſp. 7. ſect. 1. Rub. in Log. q. 7. de Vniuerſalib. n. 113. qui prætereà citat Iauel. Pro eâdem ſtat Murſia in Log. tract. de Vniuerſal. diſp. 3. quæſt.1. vbi citat Maſium: pro nobis etiam pugnant Gallego tom. 1.Contr 11. vbi alios refert, item Thomiſtæ diſcalceati in ſua Logica, diſp. 4. à num. 58. ac tandem Curſus Thomiſticus in Log. p. 2. quæſt. 6. art.2. §. Dicendum.

D.Thom. Scotus. Sotus. Tol. Patres Conimbr. Hurtad. Rubius. Iauel. Murſia. Maſius. Gallego. Curſus Complut. Curſus Thomiſt.

2 Vt probetur concluſio, aduertendum eſt primò, Vniuerſalia ſumpta pro materiali, nihil vniuocum habere poſſe, in quo conueniant, & ratio eſt, quia quædam Vniuerſalia ſunt ſubſtantialia, vt v.g. animal,homo,&c. & quædam accidentalia, vt color, albedo, &c. nihil autem vniuocum dari poteſt ad ſubſtantiam, & ad accidens, vt patet. Vnde conſtat, Vniuerſalia ſumenda eſſe pro formali ſignificato, ideſt, pro illa forma, ſeu pro illa intentione, quæ denominat ipſum animal Genus,& quæ denominat hominem ſpeciem, quæ conſideratio rationis eſt, & ſecundùm hanc accipienda eſt concluſio.

3 Cum tamen hæc Vniuerſalitas, vel hæc forma Vniuerſalis poſſit eſſe, vel vnitas, vel aptitudo, vel relatio; aduertendum eſt, Vniuerſale ſumptum pro vnitate non eſſe vniuocum ad has quinque ſpecies; quia vnitas præſciſionis eſt negatio:negatio autem ſpecificatur per formas negatas, quæ ſunt contractiones,& hæ in prioribus Vniuerſalibus ſunt eſſentiales; in poſterioribus verò ſunt accidentales; nihil verò datur vniuocum ad eſſentiale,& accidentale; præterquam quòd ratio formalis Vniuerſalis non conſiſtat in vnitate præſciſionis,vt dictum eſt.

4 Concluſio igitur accipienda eſt tam pro aptitudine (quamuis circa illam repugnent Conimbricenſes), quàm circa relationem. Probatur igitur concluſio. Illud eſt verum, & vniuocum genus, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie eodem nomine,& ratione: ſed ita ſe habet Vniuerſale communiſſimum, ſumptum pro aptitudine, vel pro relatione: ergo &c. Maior, & conſequentia ſunt optima: Probatur minor, quia ſecundùm hanc formalitatem, tam verum Vniuerſale eſt genus, quàm ſpecies,quia vtrũque habet ſuam aptitudinem ad eſſendum in inferioribus, & ſuam etiam relationem; & tam verum Vniuerſale eſt differẽtia, aut proprium, aut accidens, quàm genus, quia ſecũdùm ſe habent etiam ſuam aptitudinem, ad eſſendum in inferioribus, de illiſque prædicandum, ſicut genus ad eſſendum in ſuis inferioribus; Vnde ſiquis quæſierit,quid eſt genus?Rectè reſpondebitur,eſt Vniuerſale; rurſus,ſiquis rogauerit,quid eſt accidens, quando eſt quintum prædicabile? Rectè etiàm reſpondebitur,eſt Vniuerſale: ergo &c. Confirmatur,quia omnibus eodem modo conuenit definitio Vniuerſalis, ſiquidem tam Genus,quàm Species,quàm Differẽtia,&c. prædicantur de pluribus in quæſtione quid, vel quale,&c.

5 Neque obſtat, quod aliqua horum Vniuerſalium ſint ſubſtantiæ,aliqua veró accidentia; neque quod quædam prædicentur eſſentialiter, alia veró accidentaliter: hoc enim non tollit, quominùs ratio vniuerſalitatis vniuoca ſit: exemplo res patefiet: nam,in prædicamento Relationis, relationes primi generis, quæ fundantur in vnitate, omnes conueniunt vniuocè, vt dicemus in eodem prædicamento relationis diſp. 61. ſect. 5. & tamen aliquæ relationes identitatis, ſeu vnitatis fundantur in ſubſtantia, v.g. in Petro,& Paulo, qui ſunt ſimiles in natura ſubſtantiali, aliæ verò fundantur in accidentibus, v.g in duabus albedinibus, quæ etiam ſunt ſimiles, & quamuis hæc fundamẽta ſint omninò analoga, nihilominùs hæ relationes conueniunt vniuocè in ratione formali relationis identitatis: ſimiliter etiam aptitudines, vel relationes horum quinque Vniuerſalium, (quæ ſunt vniuerſalitates, ſiue formæ horum Vniuerſalium)

Aduerte primò.

Digitized by Google

lium) conueniunt vniuocè, quamuis fundamenta ipſa ſint analoga, hic enim non attendimus proprias harum rerum entitates, ſed ordinem cuiuſque ad ſua inferiora, quem eodem modo vendicat quintum prædicabile, cum reliquis in ratione formali Vniuerſalis, vt conſtat ex dictis.

Aduerte ſecundò

6 Antequàm diſſoluam argumenta contra hanc concluſionem aduerto, eandem vniuocationem me cognoſcere in Vniuerſali generaliſſimo, tam pro relatione, quàm pro aptitudine; de relatione nemo dubitat; contra vniuocationem aptitudinis obarmantur Patres Conimbricenſes in Log. de Præfat. Porphyrij, q. 7. art. 2. ſed fruſtra delaſſantur in aſſignanda maiori ratione, cur Vniuerſale ſit vniuocum pro Relatione, non verò pro aptitudine; quemadmodùm enim fundamenta relationum ſunt analoga, & tamen relationes ipſæ conueniunt vniuocè, ita ſimiliter identitates, ſiue actus aptitudinum poſſunt eſſe analogi, & tamen ipſæ aptitudines poterunt vniuocè conuenire in ratione formali potentiæ logicæ: ſicut potentiæ reales conueniūt vniuocè in qualitate, licet actus illarum ſint maximè diuerſi; itemque ſicut ipſi actus alicuius potentiæ, intellectus v. g conueniunt vniuocè, quamuis obiecta horum actuum ſint analoga: & tandem ſicut actiones conueniunt vniuocè, in prædicamento Actionis, quamuis termini ſint maximé analogi. Confirmatur, quia in mea opinione, aptitudo non eſt negatio, vel priuatio mera, (in quo maximé videntur fundari Patres Conimbricēſes) ſed eſt potentia quædam logica, quæ in ſe habet ſufficiens fundamentum vniuocationis, iuxta ea, quæ dixi ſupra diſput. 1. ſect. 4. à num. 4.

Patres Conimbr.

Explicatur amplius prædicta concluſio.

Aduertāt ingenioſi.

7 VT meliùs percipiatur arcanū hoc huius vniuocationis, quod quidē non, niſi maximè ingenioſis, poſt longas lucubrationes aperitur: aduerto, omnes has quinque Vniuerſalis ſpecies ſumi ſemper, vel pro relatione, vel pro aptitudine, ita vt prima ſpecies, quæ eſt relatio, vel aptitudo quædam communis, dicta Genus eſſentialiter, abſtrahatur ab hoc, vel illo genere, vel ab hac, & ab illa relatione ſignante hoc, aut illud genus materialiter, v. g. animal, colorem, & ſimilia: Vnde ex relatione ſingulari, quam habet animal ad ſua inferiora, propterquam denominatur genus, & ex relatione ſingulari, quam habet color ad ſua inferiora, per quam color denominatur genus, abſtrahitur vna ſpecies generum (ſicut ex Petro, & Paulo abſtrahitur homo,) quæ, quia abſtrahitur á generibus, eſt eſſentialiter genus; ſed quia omnes hæ relationes conueniūt vniuocè in quadam ſpecie generum, manent accidentaliter ſpecies, quia talis denominatio eſt illis accidentalis.

8 Exemplo res patefiet, nam ſicut homo eſt eſſentialiter homo, quia eſt animal rationale, & abſtrahitur ab hoc, & ab illo homine particulari; & ſicut idem homo eſt accidentaliter ſpecies, reſpectu Petri, & Pauli, (hæc enim prædicatio accidentalis eſt, *homo eſt ſpecies*, quod probatur, quia ſi eſſet eſſentialis, conueniret etiam ſingularibus, omnis enim eſſentia, quæ conuenit ſuperiori, conuenit etiam inferioribus: atqui non ita euenit, Socrates enim eſt verus homo, & tamen non eſt ſpecies; Vnde manifeſté conſtat, hominem accidentaliter eſſe ſpeciem) ita ſimiliter prima ſpecies Vniuerſalis eſſentialiter eſt Genus, quia abſtrahitur ab hac, & ab illa genereitate, vel ab hac, & ab illa relatione indiuidua generis, & eſt præterea accidentaliter ſpecies, quia talis denominatio eſt illi accidentalis, ſicut homo eſt accidentaliter ſpecies; & ſic dicendum de alijs Vniuerſalibus: Differentia enim, Proprium, & Accidens, accidentaliter denominantur Species.

9 Similiter philoſophandum eſt in alijs Vniuerſalium ſpeciebus: nam ſecunda ſpecies Vniuerſalis, quæ eſt relatio communis, ſeu aptitudo communis dicta ſpecies eſſentialiter, abſtrahitur à multis relationibus, ſeu aptitudinibus ſingularibus ſignantibus diuerſas ſpecies materiales, hominem v. g. & albedinem: Quæ ſingulæ relationes ſunt eſſentialiter ſpecies, & faciunt vnam ſpeciem communem, quæ etiam eſt eſſentialiter ſpecies, ſicut hic homo, & ille homo efficiunt hominē communem, qui eſt eſſentialiter homo; & ſicut aliunde homo eſt accidentaliter ſpecies, ideſt, accidentaliter illi conuenit, fieri communem, ita ſimiliter ipſi ſpeciei eſſentiali accidentaliter conuenit eſſe ſpeciem communē, vt mox ampliùs explicabimus, & ſic de cæteris ſpeciebus philoſophandum eſt; tunc verò ex quinque aptitudinibus, ſeu relationibus communibus ſpecie differentibus, abſtrahitur Vniuerſale generaliſſimum, quod priùs diuiditur in Vniuerſale intrinſecum, & extrinſecum, ac tandem in quinque ſpecies Vniuerſalium, iuxta ſupra dicta.

Soluuntur argumenta contra hanc doctrinam.

10 Obbijcis primò. Relatio, vel aptitudo indiuidua, quæ denominat animal v. g. genus; & relatio, ſiue aptitudo indiuidua, quæ denominat hominem, v. g. ſpeciem, ſunt relationes ſingulares: ergo non poſſunt eſſe genus, vel ſpecies eſſentialiter, nam Genus, vel Species prædicari debent de pluribus, quod tamen non conuenit indiuiduo. Reſpond. ad conſequentiam, aliud eſſe Genus, vel Speciem eſſentialiter, & ſignatè: aliud verò Genus, vel Speciem accidentaliter, & exercitè: ad genus eſſentialiter ſufficit, quod illi competat definitio generis ſignatè, ideſt, ſufficit, quód denominet, & ſignet naturam, quæ exercitè prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, atque ita conuenit illi relationi, quæ eſt genus eſſentialiter, denominat enim animal, quod prædicatur exercitè de pluribus differentibus ſpecie; & ita dicendum de alijs Vniuerſalium ſpeciebus: tunc autem ex illis relationibus indiuiduis, ſignatibus illa genera materialia, abſtrahitur prima ſpecies, quæ eſt genus eſſentiale, & ſpecies accidentaliter.

11 Obijcis ſecundò. Primum Vniuerſale eſt Genus: ergo non eſt ſpecies: ergo perperam dicimus, Vniuerſale diuidi in quinque ſpecies. Reſpond. primum Vniuerſale eſſe genus eſſentialiter, & ſpeciem accidentaliter, & denominatiuè, quod non implicat; ſicut homo eſt eſſentialiter animal rationale, & eſt accidentaliter ſpecies, vt verò primum Vniuerſale ſit eſſentialiter genus, ſufficit, quod ſignet, & denominet naturas, quæ exercitè de pluribus ſpecie differentibus prædicentur: & vt ſit ſpecies accidentaliter, & denominatiuè ſufficit, quod exercitè prædicetur completè de relationibus indiuiduis numero tantùm differentibus, denominantibus genera materialia, v. g. animal, colorem, &c.

12 Obijcis tertiò. Secunda ſpecies Vniuerſalis eſt ſimul ſpecies eſſentialiter, & accidentaliter: ſed hoc videtur implicare: ergo &c. Reſp. non implicare eſſe ſpeciem eſſentialem reſpectu huius, & illius relationis, vel aptitudinis indiuiduæ, denominantis hanc, vel illam ſpeciem materialem, hominem v. g. & albedinem; & eſſe ſimul ſpeciem accidentaliter, quatenus illi accidentaliter conuenit fieri communem, iuxta ſupra dicta.

13 Obijcis quartò. Genus prædicatur de omnibus naturis genericis: ergo ſi Vniuerſale communiſſimum eſt genus, ad has quinque ſpecies, genus prædicabitur de Vniuerſali generaliſſimo: & cum item genus ſit ſpecies ipſius Vniuerſalis communiſſimi, prædicabitur ſpecies de ſuo genere, ideſt, de ſuo Vniuerſali; imò & ſubijcietur genus ſpeciei, & conſequenter ſibi ipſi. Reſpond. argumentum laborare maximè in æquiuoco, nam Vniuerſale communiſſimum habet duas conſiderationes; ſecundùm vnam, eſt eſſentialiter Vniuerſale; ſecundùm alteram, eſt denominatiuè genus.

14 Dicimus igitur, Vniuerſale communiſſimum collocari ſub ſua ſpecie, nempe ſub genere denominatiuè, quatenus denominatur genus à quadam relatione, indiuidua, quæ dicitur genus eſſentialiter, & prout ſic, eſt ipſum Vniuerſale indiuiduum primæ ſpeciei, nempe generis, & tunc hæc prædicatio, *Vniuerſale eſt genus*, eſt accidentalis; ſicut etiam accidentale eſt animali, vel colori, vel cuilibet naturæ ſubſtratæ eſſe genus; & eodem modo contingenter conuenit Vniuerſali eſſe ſpeciem, vel eſſe differentiam, &c. Si verò Vniuerſale communiſſimum concipiatur, vt eſſentialiter Vniuerſale, includitur in prima ſpecie eſſentialiter, ita vt hæc prædicatio, *Genus eſt Vniuerſale*, ſit eſſentialis, ſicut hæc, *Socrates eſt homo*: Idem verò ſibi ipſi ſubijci, & de ſe ipſo prædicari, genuſque ſpeciei ſuæ ſubijci accidentaliter, & denominatiuè, nullum eſt inconueniens.

15 Inſtas. Vniuerſale communiſſimum eſt eſſentialiter Genus: ergo non accidentaliter, ergo falsò dicimus, hanc eſſe contingentem, *Vniuerſale eſt genus*. Probatur antecedens; Vt ſe res habet ad prædicari, ita ad eſſe: ſed Vniuerſale communiſſimum prædicatur eſſentialiter de Genere, hæc enim eſt eſſentialis, *Genus eſt Vniuerſale*: ergo eſt eſſentialiter genus. Reſpōd. latere item æquiuocationem in inſtantia, quæ non bene infert: debebat enim ſic inferre, *prædicatur eſſentialiter de ſpeciebus, nempe de Genere, Specie, &c. ergo eſt eſſentialiter in ſpeciebus*: ſicut animal prædicatur eſſentialiter de homine, & equo, ex quo bene infertur eſſe eſſentialiter in homine, & in equo: & ſicut nō bene ſequitur, animal eſſe eſſentialiter genus, quia prædicatur de homine, & equo; ita non bene ſequitur, Vniuerſale eſſe eſſentialiter genus, quia prædicatur de Genere; atque ita ſolutum eſt quartum argumentum, quod quidē lapis eſt lydius ingeniorum, extricandiſque manet laborioſus ille, & inacceſſus eſſentialium, accidentaliumque Vniuerſalium labyrinthus; quorum aditus ſolùm patet ingenioſis.

16 Pro complemento huius materiæ aduertendum eſt, has quinque Vniuerſalis ſpecies Quinque Vniuerſalis ſpecies ſūt infimæ.

cies eſſe infimas, & atomas. Probatur, quia ſpecies infima eſt illa, ſub qua nulla alia collocatur, ſed ſub his ſpeciebus non collocantur aliæ: ergo &c. Probatur minor, quia quælibet natura generica, animal v. g. eſt vnum numero genus, per vnam numero relationem, vel aptitudinem, ad inferiora. Deinde color eſt etiam aliud numero genus, per aliam numero relationem, vel aptitudinem: ergo relatio generis in communi, ſeu aptitudo generis in communi abſtracta ab his indiuiduis relationibus, eſt vna tantùm ſpecies, quæ dicitur Genus, quæque, prout ſic, non habet ſub ſe aliam, vt patet, ſiquidem abſtrahitur ab indiuiduis: ergo &c. & ſic dicendum de alijs Vniuerſalibus.

SECTIO III.

De Particularibus reſpectu Vniuerſalis.

1 PRima concluſio. Particulare, de quo hìc loquor, eſt id, quod ſubijcitur Vniuerſali: Hæc eſt communis doctrina; vbi illud aduertẽdum eſt, omne id, quod ſubijcitur Vniuerſali, dici Particulare, ſiue ſit indiuiduum, vt Socrates, reſpectu hominis, ſiue ſit commune, vt homo reſpectu animalis, & ſicut Vniuerſale in communi eſt genus ad prædictas quinque ſpecies: Ita particulare ſumptum pro relatione ad Vniuerſale, vel pro aptitudine, quam habet, vt ſubijciatur Vniuerſali, eſt verum genus, diuiditurque in alias quinque ſpecies, videlicet Particularia generis efficiunt vnam ſpeciem Particularis in quid incompletè: particularia verò ſpeciei efficiunt aliam ſpeciem in quid completè, ſicut diximus de Vniuerſali, & ſic de alijs particularibus.

2 Aduertendum prætereà eſt, particularia, quæ participant eſſentialiter materialem eſſentiam ſuperiorum, vt ſunt tria priora Vniuerſalia, requirere vnitatem vnius eſſentiæ, ſiquidem hæc Particularia conſtant ex natura propria, & differentia per ſe, ex quibus fit vnum per ſe; aliquando tamen inueniri poteſt particulare quinti prædicabilis, quod non habeat vnam eſſentiam; nam viſum, & cognitũ prædicatur, vt accidens contingens, ac proinde, vt quintum prædicabile, de aceruo lapidũ, vel de exercitu, qui non habent vnam tãtùm eſſentiam. Maius dubium eſt, Vtrùm Particularia cuiuslibet Vniuerſalis, debeant neceſſariò eſſe plura? Qua in re celebris eſt reſolutio negatiua Diui Thomæ, ſit nihilominùs,

3 Secunda concluſio. Particularia cuiuſlibet Vniuerſalis, vel de facto, vel de poſſibili, plura eſſe debent: Ita communis authorum ſententia, cum Scoto in 2. diſt. 3. q. 1. & ibidẽ *Scot us.*
Gabr. cum alijs quos adducunt, & ſequuntur *Gabriel.*
Conimbricenſes in Præfatione Porphyrij, q. *Patres*
8. art. 3. §. Verùm hæc. Idem omninò ſentit *Conimbr.*
Hurtad. in Logica, diſp. 5. ſect. 3. Molina 1. p. *P. Hurt.*
q. 50. art. 4. in cõment. Soar. in Met. diſp. 5. *Molina.*
ſect. 2. n. 28. Didacus à Ieſu in Log. diſp. 7. q. *Didacus*
5. & alij multi cum P. Franciſco Amico in *à Ieſu.*
ſuo Curſu Theol. tom. 2. d. 3. & 6. vbi num. *Soarius.*
129. citat triginta Auctores. Probatur euidẽti ratione, quia in eo diſtinguitur natura cõmunis à ſingulari, quòd ſingularis non poſſit de pluribus prædicari, communis verò maximè: ergo quodlibet Vniuerſale eſſentialiter vendicat habere, vel ſaltem poſſe habere plura Particularia. Vnde ſol eſt vniuerſalis reſpectu ſolium poſſibilium. *Amicus.*

4 Contra hanc veritatem celebris eſt Thomiſtarum ſententia aſſerentium, ſingulas Angelorum ſpecies vnum tantùm indiuiduũ habere poſſe, & nihilominùs vnicum indiuiduum, ſub ſingulis Angelorum naturis, eſſe veram ſpeciem: Quam tenet etiam P. Rub. in Log. cap. 1. de Specie, q. 3. à n. 41. Quæ opinio vera eſſe non poteſt, ſiquidem proprium diſcrimen rei communis à ſingulari, eſt, quia communis ad multa diffundi poteſt, non verò ſingularis. Quare dicendum eſt, licet concedamus, ſub quauis ſpecie Angelica, non dari actu, niſi vnum Angelum de facto, de poſſibili tamen dicimus, dari poſſe plures numero diuerſos, quod ipſe D. Thom. Opuſc. 16. cap. vlt. concedit per Dei potentiam: & probat Soar. in Met. diſp 5. ſect. 2. n. 12. *P. Rub.* *D. Thom.* *Soarius.*

Quæ multiplicatio requiratur in inferioribus?

5 VT verò concluſio hæc clarior euadat, notanda diligenter ſunt ea, quæ ſequuntur: Cum enim Vniuerſale ſit vnum quid commune, & diuiſum in ſuis inferioribus, neceſſariò quoduis particulare debet habere diuerſã naturã ab alio, alioquin ſi haberet eãdẽ, vel particulare eſſet quid commune, quod implicat, vel ab alio non diſtingueretur, quod non minùs implicat: dicendum ergo eſt naturam vniuerſalem neceſſariò multiplicari in pluribus, quæ ſint plura ſecundùm idem nomen, & rationem, ideòque natura diuina non eſt vniuerſalis reſpectu trium diuinarum perſonarum, quia in illis non multiplicatur, quod, vt melius percipiatur,

Aduer-

Digitized by Google

Quòtuplex ſit multiplicatio?

6 Aduertendum eſt, multiplicationem inferiorum, vel poſſe eſſe tãtùm adiectiuam, vt ſi vna albedo eſſet in tribus lapidibus; vel ſubſtantiuam tantùm, vt ſi tres albedines eſſent in vno lapide; vel ſubſtantiuam ſimul, & adiectiuam, vt ſi tres albedines eſſent in tribus lapidibus: multiplicatio igitur adiectiua tantùm non ſufficit, quia per illam non multiplicantur inferiora, ſecundùm idem nomen, & rationem; multiplicatio autem ſubſtantiua tantùm ſufficit ad tria priora Vniuerſalia, quia per illam conſtituuntur intrinſecè ipſorum inferiora; Vnde albedo erit ſpecies, reſpectu trium albedinum, quæ ſunt in eodem ſubiecto.

7 Ad duo vltima Vniuerſalia non ſufficit multiplicatio adiectiua tantùm, nec ſubſtantiua tantùm, ſed requiritur vtraque ſimul: quia inferiora horum Vniuerſalium, neque eſt ipſa forma, neque ſunt ſola ſubiecta, ſed vtrumque ſimul; Vnde quamuis forma ſit multiplex, ſi ſubiectum eſt vnum, non poterit accidens, reſpectu illius, eſſe Vniuerſale, neque è contra: atque hinc eſt, quod *Agens* vnica actione Vniuerſale non ſit, reſpectu cauſæ primæ, & ſecundæ, quia ſunt plura agentia tantùm adiectiuè; & eodem modo, *Eſſe cognitum per diuinam cognitionem*, Vniuerſale non eſt, reſpectu multarum rerum, quas Deus cognoſcit; quia licet res multiplicentur ſubſtantiuè, diuina cognitio non multiplicatur, ſed vna eſt ſimpliciſſima, atque adeò deeſt multiplicatio neceſſaria ad quintum prædicabile, quæ eſt ſubſtantiua ſimul, & adiectiua.

8 Ex hac doctrina deducitur hoc concretum, *creator*, ſiue, *creans*, reſpectu Dei, de quo accidentaliter prædicatur, non eſſe Vniuerſale. Probatur, quia non dantur plura particularia, nempe plures Dij, de quibus prædicetur; ad quintum autem Vniuerſale requiritur multiplicatio adiectiua ſimul, & ſubſtantiua: Neque enim tres diuinæ perſonæ conſtituunt tres creatores, ſed vnum tantùm. Si verò *Creator* ſumatur formaliter per ordinem ad actiones, ſiue relationes creandi, quæ faciunt in Deo concretionem, tūc erit Genus, vel Species, ſicut ſciens, reſpectu plurium ſcientiarum in concreto in eodem intellectu, eſt Genus, vel Species; & ſicut ipſa creatio in abſtracto vniuerſalis eſt, reſpectu plurium creationum ſingularium.

Vtrū Creator habeat rationem Vniuerſalis.

DISPVTATIO VI.

De Genere, ac de Specie.

EXplicatis Vniuerſalibus in genere, accedimus iam ad Vniuerſalia in particulari, ſiue in ſpecie, quorum doctrina ideò ſolito breuiùs exponenda eſt, quia ea, quæ de Vniuerſalibus in genere inculcata ſunt, facilè huc poterunt accommodari.

SECTIO I.

Proponuntur Generis, & Speciei definitiones.

Quomodò definiatur Genus?

Porphyr.

1 PRima concluſio. Genus, quā prædicabile eſt logicum, rectè definitur, *Id, quod prædicatur de pluribus differētibus ſpecie, in quæſtione quid eſt.* Hāc definitionē proponit Porphyrius cap. 1. de Genere, quā communi cōſenſu omnes Doctores amplectuntur. Cū autem vera definitio cōſtare debeat genere, & differentia, loco generis ponitur ea particula, *Id, quod prædicatur*, per quam reijcitur ſingulare. Secunda particula, *de pluribus ſpecie differentibus*, ponitur loco differentiæ, & per eam reijcitur ſpecies, quæ de ſolo numero differentibus prædicatur. Per tertiam particulam, *in quæſtione quid eſt*, reijciūtur differentia, proprium, & accidens, quia prædicātur in quæſtione quale eſt.

2 Eſt autem hæc definitio deſcriptiua nō ſolùm, quia actualis prædicatio accidentalis eſt, ſed quia ipſa aptitudo ad prædicandum eſt quædam veluti proprietas conſequens Vniuerſalitatem; & ita exiſtimat D. Thom. opuſc. 48. tract. 1. cap. 2. & 3. vbi definitiones primi, & ſecundi prædicabilis deſcriptiones appellat. Idem tenet M. Sotus, q. vnica huius cap. §. finali, & alij, quos citat, & ſequitur Rub. in Log. cap. 2. de Genere, q. 3. n. 37. §. Aſſertio poſterior.

D. Thom.

M. Sotus.

P. Rub.

3 Circa definitionem aduertendum eſt primò illa dici prædicari, *in quæſtione quid eſt*, quæ ſunt per modum ſubſiſtentis, & non per modum adiacentis, aptèque redduntur, ... in quæſti-

quæritur, *quid ſit*, vt ſi roges, Quid eſt Socrates? rectè reſpondebit qui dixerit, eſt homo, vel, eſt animal; non verò qui dixerit, eſt rationalis, eſt riſibilis, eſt albus; hæc enim cum ſint in Socrate. per modum adiacentis, reddũtur in quæſtione, *quale eſt*.

4 Aduertendum ſecundò eſt, illa dici differre ſpecie, quæ, vel ſunt diuerſæ ſpecies, vt homo, & equus; vel ſub diuerſis ſpeciebus collocantur, vt Socrates, & Bucephalus. Aduertendum tertiò. Genus aliud eſſe ſummũ, vt ſubſtantia. ſupra quam nullum aliud genus collocatur; vel eſſe ſubalternum, quod videlicet ſub ſe habet aliquam ſpeciem, & ſupra ſe aliquod genus, vt animal.

5 Aduertendum quartò; licet genus (animal v. g) prædicetur incompleté de ſuis inferioribus, non prædicari tamen, vt partem, ſed vt quoddam totum potentiale, quod continet actu. & expreſsè gradum genericum, implicitè tamen, & in potentia gradum differentialem, & ita ſentiunt D. Thom. opuſc. de ente, & eſſentia, quem ſequitur Sot. q. vnica huius cap art. 2. Idem docet Soar. in Met. tom. 1. diſp. 5. ſect. 11. nu. 16 & hæc eſt communis Recentiorum ſententia. Ratio eſt, quia genus eſt Vniuerſale, Vniuerſale verò eſt quoddam totum; illud autem prædicatur vt pars, quod nullo modo dicit totum, vt ſiquis dicat, *homo eſt anima*, in hac verò prædicatione, *Socrates eſt animal*, animal ex parte prædicati, ſaltem implicité dicit totum hominem, vt patet.

D. Thom. Sotus. P. Soar.

Proponitur definitio ſpeciei.

6 Secunda concluſio. Species quatenus generi ſubijcitur, rectè definitur, *Id, quod proximè ſub genere collocatur*: ita communis ſententia Philoſophorum. Tertia concluſio. Species quà prædicabilis eſt, rectè deſcribitur, *Id, quod prædicatur, vel aptum eſt prædicari de pluribus numero differentibus in quæſtione quid eſt*. Per quas particulas reijciuntur imprimis genus, quod de differẽtibus ſpecie prædicatur, & indiuiduum, quod de nullo prædicatur, & deinde differentia, proprium, & accidens, quæ in quæſtione quale eſt prædicantur.

7 Aduertendum verò eſt, ita eſſentialiter poſtulare ſpeciem prædicari de pluribus, vt nunquàm genus, vel ſpecies, quà Vniuerſalia ſunt, conſeruari poſſint in vno tantũm particulari, iuxta ea, quæ dixi diſput. ſuperiori, ſect. 3. Vnde quando Conimbricenſes in Logica. cap de Specie, quæſt. 1. art. 2. §. Quartum argumentum, dicunt ſpeciem conſeruari poſſe in vno tantùm indiuiduo, non loquuntur de Specie, quà Vniuerſale eſt, ſed loquuntur de re ſubſtrata ſpeciei v. g. de homine ſecundùm ſe, cuius eſſentia conſiſtit in eo, quód ſit animal rationale, & hæc in vno tantùm indiuiduo conſeruari poteſt.

8 Imò, & Rubius cap. 3. de Specie, q 4. num. 69. tandem admittit Angelicas naturas non eſſe vniuerſales, aut prædicabiles ſpecies, licet contendat eſſe ſpecies ſubijcibiles, ex eo, quòd quilibet Angelus verè, & propriè ſubſtantiæ communiſſimæ ſubijciatur: nihilominùs tamen quilibet Angelus ſubijcitur ſubſtantiæ, non tanquàm ſpecies, ſed tanquàm indiuiduum, & tanquàm prima ſubſtantia, quod certum exiſtimo, quamuis Rub. cit. num. 79. falſum hoc immeritò prædicet. Neque D. Michael conſtituit vnam ſpeciem ſubijcibilem; ſed dato quód D. Michael ſit diuerſæ ſpeciei à D. Raphaele, eatenus efficiet diuerſam ſpeciem, quatenus ſunt poſſibiles alij Angeli, ſub eadem ſpecie, ſicut Phœnix per ſe ſolum, non efficit vnam aliquam ſpeciem, ſed quatenus alij poſſibiles ſunt.

P. Rub.

SECTIO II.

Quæ entia habere queant rationem generis, aut ſpeciei?

1 Prima concluſio. Omnia entia realia, quæ habent vnam eſſentiam, ſiue ſint completa, vt ſubſtantia, ſiue incõpleta. vt anima, ſiue modalitates, vt vbi, & relatio, rationem generis, & ſpeciei ſubire poſſunt, dummodó habeant cõditiones requiſitas; de quibus ſupra dixi. Hæc eſt communis, & certa inter noſtrates ſentẽtia. Quæ etiam verum habet in modis incompletis, vt in ſubſiſtentia, & in vnione, ſicut enim ex pluribus humanitatibus ſingularibus abſtrahimus humanitatem in communi, quæ eſt ſpecies, ita ex pluribus ſubſiſtentijs humanis abſtrahere poſſumus ſubſiſtentiam humanam in communi, quæ eſt ſpecies, & quoddam totum potentiale, reſpectu ſuorum inferiorum, licet alioquin ſit pars, reſpectu compoſiti; Quemadmodùm materia prima eſt ſpecies, vel genus (quamuis repugnet Curſus Thomiſt. in Log. quæſt. 7. de genere, art. 3. ad finem) & quoddam totum, reſpectu huius, vel illius materiæ, licet reſpectu totius compoſiti ſit pars phyſica eſſentialis; quod ampliùs patebit ex Phyſica, & Metaphyſica, vbi

Curſus Thomiſt.

Digitized by Google

vbi oſtendam materiam ex ſe habere propriam exiſtentiam, & ſubſiſtentiam. & conſequenter propriam, & ſpecificam vnitatem, quidquid in oppoſitum teneant Thomiſtæ, quos ſequuti ſunt nuperi illorum ſequaces fratres diſcalceati, in ſuo Curſu, quem appellant Complutenſem, diſp.3 de materia, q.3. à n. 26.

Curſus Collegij Complutenſ.

2 Secunda concluſio. Entia rationis propriè dicta genera, & ſpecies eſſe poſſunt. Probatur, quia entia rationis concipiuntur per modum poſitiui: ergo poſſunt poſitiuè differre, & in aliquo conuenire. & habere rationem determinabilis, & determinatiui. Negationes verò, & priuationes ſumptæ per ſe (non quà entia rationis ſunt) genera, & ſpecies eſſe non poſſunt. Probatur, quia hæc metaphyſica compoſitio generum, & ſpecierum fit per acceſſum differentiæ, quæ eſt veluti forma. ad genus, quod eſt veluti materia; cum verò negationes, & priuationes nihil omnino ſint, niſi concipiantur per modum entis rationis, non poteſt in eis effingi hæc logica, ſiue metaphyſica compoſitio.

3 Neque huic doctrinæ obſtat, quód negationes poſſunt eſſe propria, & accidentia, quemadmodùm vnitas formalis eſt proprietas naturæ communis; nam plus requiritur ad rationem generis, vel ſpeciei, quàm ad rationem proprij, & accidentis: Genus enim, & Species debent immediatè per ſe contrahi per proprias differentias: non ſic autem proprium, aut accidens, quæ poſſunt contrahi ratione ſubiecti, ſicut differentia, quæ eſt verum Vniuerſale, & contrahitur ratione alterius, v. g. rationale, non per ſe, ſed ratione hominis contrahitur ad Petrum, & Paulum.

Vtrùm in diuinis perſonis reperiri poſsit ratio generis, & ſpeciei?

4 Tertia concluſio. Perſona diuina in communi non eſt Genus, nec ſpecies reſpectu trium diuinarum perſonarum. Hæc concluſio certa eſt, & communis. Probatur breuiter, quia imprimis non eſt genus, ſiquidem non habet ſub ſe ſpecies; nam quælibet diuina perſona nō eſt ſpecies, ex eo quòd non habet ſub ſe alias perſonas. Deinde perſona diuina in communi non eſt ſpecies, quia diuinæ perſonæ differunt pluſquàm numero, vt eſt cōmunis ſententia Theologorum.

5 Confirmatur, quia ſi perſona diuina eſſet Genus, vel Species componerentur perſonæ ex genere, & differentia. quod tamē repugnat enti infinito, cúm differentia ſemper addat aliquam perfectionem, cùm tamē quælibet perſona contineat eminenter omnē perfectionem relatiuam, vt docet Soarius de Trinitate, lib. 5. cap. 10. n 7. *P. Soar.*

6 Obijcis. Attributa diuina ſunt vera Vniuerſalia: ergo & relationes diuinæ. Probatur antecedens, quia ad rationem generis, vel ſpeciei ſolùm requiritur, vt aliquid prædicetur de pluribus differentibus ſpecie, vel numero in quæſtione quid eſt; ſed miſericordia, & iuſtitia inter ſe diſtinguuntur virtualiter, & de illis prædicatur in quid attributum in communi: ergo &c. Reſpond. negando attributa diuina eſſe Vniuerſalia, quia ad rationem Vniuerſalis, præter prædictas conditiones, requiruntur differentiæ contrahentes, vt exprimitur in definitione generis, & ſpeciei, *quæ prædicantur de pluribus differentibus:* atquì attributa diuina non habēt differentias contrahentes, quia non componūtur metaphyſicè ex genere, & differentia (nā differentia ex natura ſua addit aliquam perfectionem, quam non poſſunt admittere diuina attributa, quia ſunt infinité perfecta:) ergo &c. *Impugnatur concluſio.*

7 Inſtas. Non repugnat Deo, noſtro modo concipiendi, compoſitio metaphyſica, ex natura, & ſubſiſtentia: ergo neque etiam repugnabit compoſitio metaphyſica ex genere, & differentia. Reſpond. negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia in compoſitione ex natura, & ſubſiſtentia non concipitur ſubſiſtentia diuina quaſi extra Deum, ipſique de nouo adueniens, ſed tantùm in ipſo Deo concipimus, cum fundamento illam cōpoſitionem, veluti quando diſtinguimus attributa diuina intra ipſum Deum: at verò in compoſitione ex genere, & differentia, neceſſariò concipienda eſt differentia, tanquàm perfectio adueniens extra naturam illius, cuius eſt differentia (vt patet in rationali reſpectu animalis) implicat verò concipere aliquam perfectionem extra Deum, illique aduenientem.

Vtrùm Perſona ſaltem ſit aliquid vniuocum, reſpectu trium diuinarum perſonarum?

8 Occaſione huius concluſionis quærendum eſt, Vtrum Perſona diuina in communi, ſuppoſito, quod non

non ſit Genus, vel Species, ſaltem ſit aliquid vniuocum ad tres diuinas perſonas? Quæ quæſtio coincidit cum ea; Vtrùm detur aliquod vniuocum commune, quod ſuo modo prædicetur in quid, nec tamen ſit Vniuerſale? Reſponſio affirmatiua placet maximè Soario multis in locis ſuæ Metaphyſicæ, ſed præcipuè lib. 1. de Trinit. cap. 3. n 8. vbi multos allegat, inter quos eſt D. Thomas: placet etiam Rubio, cap. de Specie, q. 6. à num. 138. Probatur, quia *Vniuoca ſunt ea, quorum nomen commune eſt, ratio verò nomini accommodata eſt eadem:* ſed poteſt aliquando dari aliqua ratio communis, & quæ æqualiter omnino participetur ab inferioribus: ergo erit communis, & vniuoca: Quis enim negabit Patrem, & Filium conuenire vniuocè in perſona diuina? Quod veró non habeant differentias, per quas Perſona in communi contrahatur, per accidens videtur ad rationem vniuoci.

P. Soar. D. Thom. P. Rub.

P. Vaſq. P. Molina

9 Contrariam tamen ſententiam ſequitur Vaſq. tom 2. in 1. p. diſp. 18. cap. 7. num. 31. §. Addo. Mol. 1. p. quæſt. 29. art. 1. diſp. 1. § Confirmari, & alij communiter: Probatur, quia quælibet ratio communis, aut abſtrahitur á differentijs, aut non, ſed ſimul cum illis concipitur: ſi abſtrahitur, non ſolùm eſt vniuoca, ſed etiam vniuerſalis, quia eâdem ratione dici poteſt de inferioribus: ſi verò non abſtrahitur à differentijs, ſed ſimul cum illis concipitur, eſt quoddam aggregatum particularium, quod non poteſt dici eâdem ratione de inferioribus, ſiquidem differẽtiæ, quas illa ratio communis includit, non poſſunt affirmari de quolibet inferiori: Vnde ſequitur, perſonam diuinam in cõmuni, cùm non ſit Genus, vel Species, non eſſe vniuocam.

Reſoluo quæſtionem.

10 In hac difficultate ſic procedendum exiſtimo. Si res, quæ concipitur in communi, habet veras differentias contrahentes, & ab illis non abſtrahit perfectè, nõ poteſt eſſe vniuoca, quia nõ dicitur eâdem ratione de inferioribus: Vnde à Petro, Socrate, & Paulo non poteſt abſtrahi cõceptus cõmunis vniuocus, niſi perfectè abſtrahât à ſuis differentijs indiuiduantibus, vt patet, & in hoc placet ſententia Mol & Vaſq.

11 Si verò res, quæ concipitur in communi, non habet veras differentias, à quibus abſtrahatur, ſed tantùm ſit abſtractio per maiorem, vel minorem conceptuum expreſſionem, tunc nihil impediet, quominùs poſſim concipere vnam rationem communem, & vniuocam inferioribus, quæ dicatur eâdem ratione de inferioribus, nõ tamẽ ſit Genus, vel Species, ſiquidem non habet veras differẽtias contrahentes: in eo tamen cõceptu communi, & vniuoco, nõ debent repræſentari tres diuinæ perſonæ v. g expreſſé, iã enim nõ erit quid vniuocum; ſed quoddam aggregatum: Debet igitur repræſentari tres diuinæ perſonæ non expreſſé, ſed in cõfuſo, ad eum modum, quo philoſophati ſumus in Vniuerſalibus Nominalium: cõtractio verò fiet per maiorem expreſſionem conceptuũ, in quo repræſentetur Pater v. g.

12 Atque hoc poſito, dico Perſonam diuinam in communi eſſe vniuocam ad tres diuinas perſonas; Rationale in communi eſſe vniuocum ad hoc, & illud rationale: negationem, & priuationem negatiuè acceptam ad hanc, & illam negationem: differentiam indiuiduantem in communi ſimiliter eſſe vniuocam ad hanc, & illam differentiam indiuiduantem, nempe ad Petreitatem, & Socreitatem, non tamen eſſe genera, vel ſpecies ex defectu differentiarum cõtrahẽtium, plus enim requiritur ad hoc, vt aliquid ſit Genus, vel Species, quám ad hoc, vt ſit vniuocũ; & in hoc in modo explicandi ex parte placet Soarius citatus ſupra.

13 Quapropter Perſona diuina in communi neque abſtrahit à differentijs, ſiquidem illas non habet, neque deſinit abſtrahere, ſiquidem non concipitur cum differentijs, ſed habet ſe veluti natura in primo ſtatu, quæ, vt dicunt Dialectici, neque admittit, neque reijcit differentias. Atque ex dictis colligo, primam ſubſtantiam ad primas ſubſtantias non poſſe eſſe quid vniuocum, ſiquidem primæ ſubſtantiæ habent veras differentias, neque ab illis abſtrahunt, qui enim dicit primam ſubſtantiam, dicit etiam differentiam ſingularem: dicit enim Petrum v. g in quo repugnat Soar. in Met. diſp. 6. ſect. 8. num. 13. tued. Soarius.

Soluũtur contraria argumẽta

14 Obijcis primò, Si ſufficit carentia differentiarum, vt detur conceptus vniuocus obiectiuè, cum ens nullas habeat differẽtias proprias, à quibus abſtrahatur, & contrahatur, ſequitur eſſe vniuocum; hoc nõ eſt dicendum: ergo neque Perſona diuina in cõmuni erit vniuoca, propter carentiam differentiarum. Reſpond. requiri quidem carentiam differentiarum ad vniuocationem, non tamẽ ſufficere, vlterius enim requiritur, quod res dicatur eâdem ratione de inferioribus, ſicut dicitur Perſona diuina, quod tamen non conuenit enti, non enim dicitur eâdem ratione de ſubſtantia, & accidente, vt conſtat: erit igitur ens non vniuocum, ſed analogum per proportionem propriam, & per attributionẽ, vt probat Fonſ. lib. 4 Met. cap. 2. q. 1. ſect. 7. §. dicendum. Fonſeca.

15 Obijcis ſecundò. Perſonæ diuinæ oppo-

po-

Digitized by Google

ponuntur totaliter, & adæquatè, vt eſt communis ſententia Theologorum : ergo Pater Æternus non poteſt habere aliquid commune vniuocum, in quo conueniat cum Filio, alioqui nõ opponerentur totaliter. Reſpõdetur ſatis eſſe, quòd Pater, & Filius opponãtur, ſecundùm paternitatem, & filiationem, vt dicantur opponi adæquatè, licet conueniant in perſonalitate, quia Pater ſolùm opponitur Filio. quà relatiuus, ideſt, quà Pater, non verò quà perſona, nam in hoc conueniunt inter ſe realiter diuinæ perſonæ, vt teſtatur Soar. de Trinit lib. 1. cap. 3. nu. 12. ad eum modum, quo realiter conueniunt, & vniuocè in Diuinitate, & tamen opponuntur ſecundùm eſſe relatiuum.

16 Obijcis tertiò. Differentiæ indiuiduantes ſunt primò diuerſæ: ergo non poſſunt conuenire in aliquo vniuoco; ideò enim prædicamenta ſunt primò diuerſa, quia non conueniunt in aliquo vniuoco, & propterea non dicuntur differre, ſed vnum prædicamẽtum non eſſe aliud Reſpond. diſtinguendo conſequens: non poſſunt conuenire in aliquo vniuoco, quod ſit genus, vel ſpecies, concedo conſequentiam : in aliquo vniuoco, quod nõ ſit genus, vel ſpecies, nego conſequentiam: poſſunt enim aliqua eſſe primò diuerſa, licet conueniant in aliquo vniuoco, quod tamen non ſit genus, vel ſpecies, quia cum non habeant differentias, per quas differant, adhuc erunt primò diuerſa ; adhuc enim verum erit dicere, vnam differentiam indiuiduantem non eſſe aliam. Et explicatur ſolutio, iuxta communem ſententiam, in qua quantitas, & qualitas ſunt primò diuerſæ, ex eo quòd non conueniant in aliquo genere, & tamen hoc non tollit, quominùs conueniant in aliquo vniuoco, nempe in accidente reali, vt

P. Soar. aſſerit Soar. in Met. diſp. 32. ſect. 2. num. 11. de quo exemplo dicemus ſuo loco, vbi examinabitur, an etiam conueniant in aliquo genere.

17 Aduertendum verò eſt, non eſſe confundẽdum analogum per proportionem propriam, cum vniuoco, ſed in noſtra opinione dari imprimis verum genus, & ſpeciem, ſi habeant veras differentias, quæ verè ſint vniuoca; deinde dari aliud vniuocum tãtùm, quod tamen non ſit genus, vel ſpecies, ex defectu differentiarum, & nihilominùs cõcipiatur in eo vna ratio perfectè cõmunis, & æqualis inferioribus, vt eſt perſona diuina : quapropter analogum per proportionem propriam, erit prima ſubſtantia, reſpectu primarum ſubſtãtiarum, quia cõcipitur cum differentijs, à quibus non abſtrahit, & tamen quælibet prima ſubſtantia habet ſuam proportionem, quia ſicut hæc prima ſubſtantia ſe habet ad ſuũ eſſe, ita alia, &c. & idem dicendum eſt de Principio. Analogum verò, per proportionem impropriam, erit ens ad ſubſtantiam, & accidẽs, quamuis etiam dicatur per attributionem, vt ſentit D. Thom. 1. p. q. 13. art. 5. D. Thom.

Quid dicendum ſit de Abſtractis?

18 QVarta concluſio. Accidẽtia in abſtracto ſunt vera genera, & ſpecies reſpectu accidẽtium inferiorum in abſtracto. Hæc concluſio certa omnino eſt, & ab omnibus approbatur: Color enim prædicatur, vt genus, de albedine, & nigredine. Deinde albedo eſt vera ſpecies ad hanc, & illam albedinem.

19 Quinta concluſio. Abſtracta ſubſtãtiarum poſſunt eſſe genera, vel ſpecies reſpectu ſuorum inferiorum, v. g. animalitas reſpectu humanitatis. & equinitatis erit genus; humanitas, reſpectu huius, & illius humanitatis erit ſpecies. Hæc cõcluſio difficilior eſt, quàm præcedens ; traditur tamen à Soar. in Met. Soarius. diſp. 6 ſect. 10. à n 4. & tom. 1. in 1. p. tract. 1. lib. 1. cap. 14. (vbi agit de modo, quo diuina attributa poſſunt de Deo prædicari.) Fonſ. 5. P. Fonſ. Met. cap. 28. q. 13. ſect. 4 Gil. lib. 2. tract. 7. c. 5. P. Gillius. à §. Dico quarto.

20 Probatur concluſio. Quia animalitas eſſentialiter includitur in humanitate, & de illa eſſentialiter prædicatur in quid incompletè, & directè : ergo &c. Et declaratur, nam humanitas eſt natura quædam ſenſitiua, & in hoc conuenit cum equinitate, & leoncitate, omnes enim ſunt ſenſitiuæ: ergo poteſt ab illis abſtrahi vnus conceptus genericus, qui ſit animalitas, & ſimiliter humanitas poteſt abſtrahi ab hac, & ab illa humanitate. Confirmatur, quia abſtracta accidẽtium ſunt vera genera, & ſpecies : ergo & abſtracta ſubſtantiarum

21 Obijcis primò, pro contraria ſentẽtia, Scotus, quam ſequitur Scotus in 1. diſt. 2. q. 7. & alij Gillius, quos citat. Gil. cit. num. 7. Animalitas v. g. non dicit totam naturam humanitatis, nec expreſſè, nec implicitè · ergo non eſt Genus. Probatur antecedens: animalitas ſumitur pro vt eſt quoddam abſtractum ab inferioribus; ſed prout ſic, eſt quædam forma conſtitutiua animalis: ergo non bene affirmatur de humanitate, nam humanitas non eſt forma cõſtitutiua animalis. Reſpond. diſtinguendo antecedens : animalitas non dicit totam naturam humanitatis, neq; ie etiam implicitè, ſi ſumatur reduplicatiuè, quatenus animalitas eſt quædam forma omnino abſtracta,

Digitized by Google

conſtitutiua animalis, concedo antecedens: non dicit totam naturam humanitatis, ſaltem implicitè, prout illa vox ſignificat naturam ſenſitiuam, nego antecedens. Animalitas enim, præter rationem præſciſam, quam habet, qua ſignificatur forma conſtitutiua animalis, habet aliam rationem, qua conſideratur veluti quoddam totum abſtractum ab humanitate, & equinitate, quatenus ſcilicet eſt quædam natura ſenſitiua, & tunc implicitè includit differentias humanitatis, & equinitatis ſpecificas, ſicut animal in hac prædicatione, *Homo eſt animal*, dicit implicitè rationale.

22 Inſtat Scotus: Nomina abſtracta ſubſtantiarum ſumuntur abſtracta vltima abſtractione, ideſt, à ſubiectis, & ab inferioribus; quod non fit in abſtractis accidentium, nam albedo v. g. non eſt abſtracta, ſeu ſeparata ab inferioribus, ſed ſolùm eſt abſtracta à ſubiectis, cum quibus pro tunc non habet concretionem, & propterea adhuc ab albedine fit alia abſtractio, ſeu ſeparatio etiam ab inferioribus, quæ dicitur albedineitas: quod tamen non ita cernitur in abſtractis ſubſtantiarum. ſumuntur enim abſtracta vltima abſtractione, non ratione ſubiectorum, ſiquidem ſubſtantiæ non habent ſubiecta, ſed ratione inferiorum, ac proinde cum non habeant aliam abſtractionem, dicuntur abſtracta vltima abſtractione: & conſequenter nō poſſunt eſſe genera, vel ſpecies, ſiquidem non habent inferiora.

23 Reſpond. tam abſtracta ſubſtātiarum, quàm accidentium, ſuo modo, æqualiter ſe habere, nam ſicut albedo v. g. non eſt aliquid ſeparatum ab inferioribus, ſed à ſubiectis, ita animalitas v. g. non eſt aliquid abſtractum ab inferioribus, ſed à ſuppoſitis: ac proinde eodem modo poteſt adhuc affirmari de inferioribus, ſiquidem adhuc habet inferiora, nec ab illis ſeparatur eo modo, quo ſeparatur à ſuppoſitis.

24 Neque admittimus illam vltimam abſtractionem in accidentibus, nam color eſt vltimum abſtractum in ſuo genere, ſicut animalitas in ſuo: Quòd ſi Scotus inſtet pro ſua vltima abſtractione in accidentibus, animalitas etiam non erit vltima abſtractio in abſtractis ſubſtantiarum, ſed animaleitas, quæ non tantùm erit abſtracta à ſuppoſitis, ſed etiam ab inferioribus: tunc verò quemadmodùm coloreitas, non prædicatur de albedine, ita animaleitas non prædicatur de humanitate: at ſolùm nobis quæſtio eſt de humanitate, reſpectu animalitatis, in quibus dantur veræ prædicationes, reſpectu inferiorum; neque enim prædicatur ille gradus animalitatis præciſus, ſed in ſuppoſitione abſoluta, in qua ſuppoſitione ſumitur quidem præciſus à ſuppoſitis, non verò ab inferioribus.

25 Obijcis ſecundò. Definitio generis debet conuenire ſpeciei, (nam definitio animalis, nempe *viuens ſenſitiuum*, conuenit homini): atquì definitio animalitatis non conuenit humanitati: ergo &c. Probatur minor, quia animalitas definitur, Gradus animalis in abſtracto. Reſp. negando minorem, nam definitio eſſentialis animalitatis, quatenus eſt natura quædam ſenſitiua conuenit etiam humanitati, quamuis definitio accidentalis animalitatis non conueniat humanitati, quod nullum eſt inconueniens, nam etiam definitio accidentalis Animalis, quatenus accidentaliter eſt genus, & definitur *id, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie*, non conuenit inferioribus, homini v. g. quod non tollit quominùs Animal ſit verum genus, cuius eſſentialis definitio conuenit homini.

26 Obijcis tertiò. Si animalitas eſſet genus, haberet differentias contrahentes: ſed illas non habet: ergo &c. Reſpond. negando minorem, rationale enim eſt differentia, quæ ex eo quòd contrahit animal, contrahit etiam animalitatem. Vbi aduertendum eſt, differentiam humanitatis, quæ contrahit animalitatem, non eſſe rationalitatem in abſtracto, ſed rationale in concreto; humanitas enim non eſt animalitas rationalitas, ſed eſt animalitas rationalis, & ratio eſt, quia abſtractū poteſt quidem eſſe, & prædicari, vt genus, vel ſpecies, non tamen vt differentia, quia differentia, quà talis, ſemper ſumitur in concreto, & per modum adiacentis, vt bene aduertit Soar. in Met. diſp. 6. ſect. 10. num 7. in fine: & propterea eſt falſa hæc prædicatio, *Humanitas eſt rationalitas*, quia cum rationalitas in hac prædicatione non ſumatur tanquàm differentia, ſiquidem ſumitur in abſtracto, nō prædicatur etiam vt differentia: aliunde verò rationalitas reſpectu eiuſdem humanitatis, non eſt genus, neque ſpecies, quia rationalitas ſic abſtracta ſolùm dicit partem tam explicitè, quàm implicitè; quæ ratio etiam valet in differentijs abſtractorum accidentium; neque enim bene definitur albedo, *Color diſgregatio viſus*: ſed *color diſgregatiuus viſus*.

27 Inſtas. Rationale dicit totum ſaltem implicitè: ergo & rationalitas: nego conſequentiam, quia rationale eſt concretum, & ſaltem implicitè dicit totum, vt patet. Inſtas iterum. Rationalitas dicit tantùm partem humanitatis: ergo & animalitas, vtraque enim ſumitur in abſtracto. Nego conſequentiam, quia rationalitas ex ſe pertinet ad differentiā,

& prop-

& proptereà ex natura ſua dicit tantùm partem, & ſolùm ratione concretionis dicit totum confusè. at veró genera, vel ſpecies (qualia ſunt animalitas, & humanitas) ex natura ſua ſunt quædam tota, proindeque ſemper dicunt totum ſaltem implicitè, vt patet etiam in abſtractis accidentium, hæc enim prædicatio vera eſt, *albedo eſt color*, quia color prædicatur in quid, & implicité dicit totam albedinem.

28 Obijcis quartò. Animaleitas, & coloreitas, quæ diximus poſſe eſſe vltima abſtracta, non ſunt aliquid ſingulare: ergo ſunt aliquid commune vniuerſale; nam ab humaneitate, & equineitate poteſt abſtrahi animaleitas. Reſpōd. animaleitatem in ſe eſſe quidem aliquid commune, prout eſt quædam ratio conſtitutiua animalis, ſed non ſignificari, vt Vniuerſale, ſiquidem non concipitur, vt totū potentiale habens ſub ſe partes, ſumitur enim, vt gradus omnino abſtractus ab inferioribus, proindeque non habet ſub ſe humaneitatem: Vniuerſale autem debet habere partes potētiales in ſecundo ſtatu. Hæc veró vltima abſtracta in nullo ſtatu habent inferiora. Idem cernitur in rationalitate, quæ, quamuis ſit aliquid commune, prout ſignificatur in abſtracto, non eſt differentia, quia non ſignificatur accommodatè, neque nouum eſt, dari multa communia, quæ non ſint Vniuerſalia, vt patet in analogis.

29 Aduertendum verò eſt, animalitatem non ſolùm in ſenſu formali, & directè prædicari poſſe de humanitate (ſicut homo prædicatur de Socrate), ſed etiam in ſenſu identico, nam aliud eſt, propoſitionem eſſe identicam; aliud verò, propoſitionem eſſe veram in ſenſu identico: Quoties enim datur vnum, quod ſit idem realiter cum alio, de illo identicè prædicatur, vt prædicatur animal de rationali in Socrate, quia animal eſt idem realiter cum tali rationali; vt tamen dicatur propoſitio identica, debet prædicari idem de ſe ipſo ſine vlla diſtinctione, *Vt Socrates eſt Socrates*, proindeque in ſenſu identico hæ propoſitiones ſunt veræ, *rationalitas eſt animalitas, humanitas eſt rationalitas*, vt teſtatur Gil. lib. 2. tract. 7 cap. 13. n. 2. contra Soar. in Met. diſp. 6. ſect. 10. n. 4. & 5. qui proptereà hoc negat, quia ſenſit, terminos abſtractos in his propoſitionibus ſemper ſumi, vt præciſos reduplicatiuè, quod tamen probabiliùs negamus, quia licet ſignificent rationes præciſas à ſuppoſitis, vel ſubiectis, non ſemper tamen accipiuntur quatenus præciſæ, ſed ſumitur rationalitas v. g. ſecundùm ſe, quæ, prout ſic, eſt in ſuppoſito, licet non concipiatur reduplicatiuè cum ſuppoſito, poſſum enim concipere humanitatem Socratis ſecundùm ſe, quin interim cognoſcam de ſubſiſtentia Socratis.

P. Gil. P. Soar.

Quid dicendum ſit de abſtractis reſpectu inferiorum in concreto?

30 SExta concluſio. Abſtracta, ſiue ſubſtantiarum, ſiue accidentium, non ſunt genera, vel ſpecies reſpectu ſuorum inferiorum in concreto, nec cōcreta reſpectu abſtractorum. Ita Gil. tom. 1. lib. 2. num. 7. cap. 7. á num. 6 Probatur prima pars, quia abſtractum, reſpectu concreti non eſt totum, ſed pars: atqui pars non poteſt prædicari de ſuo toto: ergo abſtractū non poteſt eſſe Vniuerſale, reſpectu concreti: Vndé hæc propoſitio eſt falſa, *Socrates eſt humanitas*. P. Gil.

31 Probatur ſecunda pars, quia Vniuerſale debet habere eandem naturam cum inferioribus: ſed concreta, præter naturā, continēt ſuppoſitum, vel ſubiectum: ergo non poſſunt verè, & vniuocè prædicari de abſtractis, vnde hæc eſt falſa, *humanitas eſt animal*: & hæc *albedo eſt coloratum*.

32 Diuerſa ratio eſt in diuinis, in quibus abſtracta prædicantur de concretis in eſſentialibus, & vice verſa, vt ait Gil. lib. 2. tract. 7. c. 7. contra Henriq. Vnde hæ ſunt certæ, *Deitas eſt Deus. Deus eſt Deitas, Deitas eſt ſapiens*, quia propter ſummam idētitatem, quidquid Deus continet, continet Deitas. Similiter etiam nomina tranſcendentia abſtracta prædicari poſſunt de concretis, & è contrario. Vnde hæ ſunt veræ, *Entitas eſt ens, Socrates eſt entitas*: quia ens, & entitas, idem omnino ſunt: hæ tamen prædicationes non ſunt Vniuerſalium, vt patet. Giliũ. Henriq.

33 Quando verò dicimus in diuinis prædicari concreta de abſtractis, vel vice verſa, non intelligitur hæc doctrina de notionalibus, ſed ſolùm de eſſentialibus; hæc enim eſt vera, *Deitas eſt ſapiens*, hæc veró falſa, *Paternitas eſt filius*, ſicut hæc eſt vera, *Deus generat*: hæc verò falſa, *Deitas generat*. Pro reliquis ſtat Gil. cit. Ac tandem conſtat ex dictis concreta ſubſtantialia eſſe genera, vel ſpecies, reſpectu concretorum particularium, vt v. g. animal reſpectu hominis, & ſimiliter concreta accidentalia reſpectu concretorum inferiorum, de quibus D. Fonſ. 5. Met. cap. 8. q. 4. ſect. 4. ſed iam opportunè de abſtractis ſermonem abſtraho, quæ ſatis conſtat quàm ſint importuna. Fonſeca.

(°?°)

Digitized by Google

SECTIO III.

Vtrùm differentiæ, & exiſtentiæ poſſint eſſe genera, & ſpecies?

1 PRima concluſio. Differentia formaliter ſumpta pro relatione rationis abſtracta, à ſingularibus relationibus differentiæ, fundatis in differẽtijs materialibus, v. g. in rationali, &c. conſtituit tertiam ſpeciem Vniuerſalis. Hæc concluſio illis certa eſt, & euidens, qui ſeriem illam Vniuerſalium eſſentialium apptimè callent: & declaratur, nam rationale habet vnã numero relationem differentiæ, ad ſua inferiora, ſcilicet ad Socratem, & Platonem; & ſic de alijs; ex quibus relationibus, quæ eſſentialiter ſunt differentiæ, fit vna ſpecies, quæ eſt differentia ſumpta formaliter pro relatione; & hæc differentia eſt etiam ſpecies accidentalis, & quatenus ſubijcitur Vniuerſali cõmuniori, eſt etiam eſſentialiter Vniuerſale: de quibus dixi ſupra, diſp. 5. ſect. 2

2 Secunda concluſio. Differentiæ metaphyſicæ materialiter ſumptæ, v. g. ſenſitiuum comparatum cum rationali, & irrationali, & deinde rationale reſpectu Petreitatis, & Socreitatis, non poſſunt eſſe genera, vel ſpecies. Ita Fonſ. 5. Met. cap. 28. quæſt. 18. ſect. 1. Rub. in Log. cap. 4 de Differentia. quæſt. 7. n. 12. vbi plurimos allegat. Hanc itẽ ſequitur Soar. in Met. diſp. 15. ſect 11 n. 23. quatenus negat proceſſum in infinitum differentiarum. Item Logica Conimbricẽſis, quæſt. 1. de Æquiuocis, art. 3. § Vt pateat: idem ſequitur Curſus Thomiſt. in Log. q. 7. de genere art. 3. prope finem.

P. Fonſ. P. Rub. P. Soar. Patres Conimbr. Curſus Thomiſt.

3 Probatur ratione primò à priori, quia de ratione generis, vel ſpeciei eſt, vt ſe habeant tanquàm potentiæ reſpectu differẽtiæ: de ratione autem differentiæ eſt, vt ſemper ſit actus, & non ſit potentia; ſed ſi differentia concipiatur tanquàm genus, neceſſariò debet concipi tanquàm potentia, & prætereà debet actuari per alium actum, nempe per aliam differentiam aduenientem, & contrahentem; quòd tamen implicat, ſicut impoſſibile eſt, quod anima deſinat eſſe actus reſpectu materiæ, vel quòd ſit actus per alium actum ſubſtantialem; ex quibus ſequitur, impoſſibile eſſe, quod differentia deſinat eſſe forma, & ſit per modum potentiæ; ac proinde impoſſibile eſt, quod ſit Genus, vel Species. Confirmatur, quia Genus, vel Species debent contrahi per ſe; ſed differentiæ non contrahuntur per ſe: ergo &c. Probatur minor, quia illud per ſe, & immediatè contrahitur, cui immediatè aduenit differentia contrahens: ſed hæc Petreitas v. g non aduenit immediatè rationali, ſed homini, quem contrahit: ergo &c.

4 Probatur ſecundò à poſteriori; quia ſi ſenſitiuum, vel rationale contraherentur per aliquas differentias, illæ etiam differentiæ cõtrahentes rationale, conuenirent in aliquo gradu communi, & contraherentur per alias differentias; deinde illæ aliæ conuenirent, & contraherentur, & ſic daretur proceſſus in infinitum, qui ſine neceſſitate non eſt admittendus, etiam per intellectum, cum fundamento in re.

5 Obijcis pro contraria ſententia, quam ex antiquioribus ſequuntur Albert. Magn. Boet. & Nominales, quos refert Rub. in Log. cap. 4. de Differentia, q. 7. num. 8 Fauet Paul. Sonc. 7. Met. q. 2. 5. Reſpondeo, dicens, poſſe hanc ſententiam defendi exercitij gratia, quamuis oppoſita ſibi magis placeat. Obijcis, inquam, primò. Differentia generica, v. g. ſenſitiuum prædicatur in quæſtione quid eſt, eodem nomine, & ratione de differentijs ſpecificis: hæc enim eſt vera, *rationale eſt ſenſitiuũ:* ergo ſenſitiuum erit genus. Reſpond; negando antecedens, quia ſimiles prædicationes, formaliter loquendo, neque ſunt in quæſtione quid eſt, neque in quale, ſiquidem nõ ſunt alicuius Vniuerſalis, quamuis iudicemus realiter, & identicè veras eſſe; ſicut hæc, *Pater Æternus eſt Deus*, eſt vera in ſenſu reali, & tamen non eſt in quæſtione quid eſt, formaliter loquendo, ſiquidem non eſt prædicatio alicuius Vniuerſalis.

Soluũtur contraria argumẽta: *Albert. Magn. Boetius. Nominal. Soncin.*

6 Obijcis ſecundò. Intellectus v. g: reſpectu animæ habet rationem actus informãtis: & tamen reſpectu ſuorum actuum habet rationem potentiæ, (& ſimile exemplum datur in anima, quæ eſt actus reſpectu materiæ, & potentia reſpectu accidentium, quæ in eãdem anima ſubiectantur:) ergo bene poterit differentia metaphyſica habere rationem potentiæ reſpectu inferiorum, & reſpectu generis habere rationem actus. Reſpond. poſſe eandem rem in diuerſo genere eſſe actum, & potentiam, non verò in eodem genere: quod declaratur, quia anima rationalis eſt actus phyſicus ſubſtantialis reſpectu materiæ, & quatenus talis non actuatur ſubſtantialiter, per alium actum ſubſtantialem; cum verò nõ ſit per ſe actus accidentalis, non implicat actuari per accidentia: at verò cum differentia ſit actus metaphyſicus, ſi cõciperetur, vt potẽtia, cui aduenirer alius actus, in eodem genere, in quo eſt intrinſecè actus, vlterius actuaretur, quod implicat.

Inſtas,

Digitized by Google

7 Inſtas. Bene poterit differentia eſſe actus reſpectu generis, & potentia reſpectu inferiorum, ſicut animal eſt veluti materia, ſeu veluti potentia reſpectu differentiæ, & eſt totum, & veluti forma reſpectu ſuorum inferiorum. Reſp. negando inſtantiam, & maior ratio eſt, quia genus, animal v. g. poterit eſſe veluti potentia, & veluti forma reſpectu diuerſorum, vt bene probat argumentum: at verò differentia, *rationale* v. g. non ſolùm reſpectu generis foret actus, ſed etiam reſpectu eorundem inferiorum eſſet potentia, & eſſet actus, quia foret ſpecies ſimul, & differentia, quod implicat.

8 Obijcis tertiò. Senſatio v. g. eſt genus ad hinnitum & rugitum: ergo etiam ſenſitiuū erit genus ad hinnibile, & rugibile (ſuppoſito quod ſint differentiæ eſſentiales.) Reſpōd. negando conſequentiam; maior ratio eſt, quia hinnitus, & rugitus ſunt actus phyſici, & abſoluti, quibus non repugnat compoſitio in genere metaphyſico, vt conſtat: at verò hinnibile, & rugibile, cùm ſint actus ſimplices metaphyſici, non poſſunt in eodē genere metaphyſico habere alios actus, nempe alias differentias.

9 Inſtas. Rationale ita eſt ſimplex differentia, vt includat etiam eſſentialiter corporeum, & ſenſitiuum: ergo non illi repugnat compoſitio ex differentijs contrahentibus. Reſpond. rationale non conuenire vniuocè cum corporeo, & ſenſitiuo, neque in recta ſerie participare has differentias; proindeque ex illis non componi formaliter, & ratione ſui; & ratio eſt, quia hæ differentiæ ſunt diſparatæ, & contradiuiſæ, analogicè tantùm conuenientes in ſubſtantia communiſſima: quarè argumentum nihil officit.

10 Propoſitæ obiectiones ſuam habent difficultatem, & ideo potiùs confugiendum eſt ad inconueniens de proceſſu in infinitum, qui neceſſariò daretur, ſi differentia eſſet genus, ſeu ſpecies. Sed contra hoc inconueniēs ſic poteſt obijci. Quantitas habet partes infinitas, ac proinde non ſolùm in eius partibus, ſed etiam in eius relationibus datur proceſſus in infinitum: ergo in differentijs non repugnat proceſſus in infinitum. Reſpond. permiſſo antecedente, negando conſequētiam, quia infinitæ partes quantitatis ſunt eiuſdem rationis, ideſt, extenſionis, vnde non arguunt diuerſas perfectiones in quantitate, & idem dicendum de relationibus: at verò ſi in differentijs daretur proceſſus in infinitum, cum quælibet differentia ſuam addat perfectionē eſſentialem, ſequeretur dari in vna re finita infinitas perfectiones eſſentiales, quod tamē implicat.

Potiùs recurrendū ad proceſſum infinitū, qui dari non poteſt in differentijs.

11 Qui proceſſus, quamuis formaliter foret per intellectum, ſi tamen admitteretur, neceſſariò erat admittendus cum magno fūdamento, haberetque proinde Socrates infinitas perfectiones, cum magno fundamēto in re. Vide Soar. in Met. diſp. 15 á n. 19. ſect. 11. vbi rationem reddit, cur non ſit admittēdus hic proceſſus, quia ſcilicet quemadmodùm datur genus ſummum, vltra quod non poſſumus aſcendere, ita aſſignanda eſt infima, & vltima differentia, vltra quā nō poſſimus deſcendere, atque adeò non poteſt dari infinitus proceſſus in differentijs.

P. Soar.

Corollaria ex præcedenti doctrina.

12 EX his colliges primò, neque etiam differentias ſuperiores, v g. ſenſitiuum reſpectu ſenſitiui hominis, & equi, eſſe genus, vel ſpeciem, imó neque etiam rationale reſpectu huius, & illius rationalis: Ita Auctores citati.

Colligitur Primo.

13 Obijcis pro contraria ſentētia, quam defendit Hurt. in Log. diſp. 5. ſect. 2. & probabilem iudicat Soar. in Met. diſp. 6. ſect. 8. n. 5. Album eſt differentia communis reſpectu niuis, & lactis; & tamen eſt ſpecies reſpectu huius, & illius albi: ergo & ſenſitiuum, licet ſit differentia, erit etiam ſpecies reſpectu ſenſitiui hominis, & equi. Reſpond. negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia album non eſt eſſentialiter differentia, ſed eſt quædam forma phyſica, quæ aliunde etiam, & quaſi per accidens eſt differentia: at veró ſenſitiuum, prout hic ſumitur, eſſentialiter eſt differentia metaphyſica, quarè quatenus talis, nequit eſſe genus, vel ſpecies, ne detur proceſſus in infinitum, vt conſtat ex dictis.

P. Hurt. P. Soar.

14 Inſtas. Subſiſtentia eſt forma metaphyſica; & tamen componi poteſt metaphyſicé ex genere, & differentia: ergo ſimiliter rationale poteſt admittere hanc compoſitionem. Reſpond. diſtinguendo maiorem: ſubſiſtētia eſt forma metaphyſica, hoc eſt, eſt differētia, nego maiorem; eſt forma metaphyſica, ideſt, modus complens ſubſtantiam non phyſicè, ſed metaphyſicè, concedo maiorem. Nō dicimus veró, nullam formam metaphyſicam habere compoſitionem generis, vel ſpeciei, ſed negamus hoc in forma metaphyſica, quæ eſt differentia, propter rationem aſſignatam; nam ſicut ſubſiſtentia non poteſt fieri ſubſiſtentia per aliam formam ſimilem, ita differētia non poteſt contrahi per aliam differentias.

15 Colliges ſecundó, neque differentias ſuperiores eſſe genera, vel ſpecies, v. g. ſenſitiuum,

Colligitur ſecundò.

Digitized by Google

tiuum reſpectu ſenſitiui rationalis, & irrationalis, nam præter rationem aſſignatam, alia etiam datur peculiaris, quia ſcilicet ſenſitiuũ irrationale non eſt vnum per ſe, ac proinde non poteſt eſſe inferius, reſpectu alicuius generis, vel ſpeciei ſuperioris; & ratio eſt, quia ex duplici forma, quarum vna ſe non habet per modum materiæ, & altera per modum formæ (vt ſe habent ſubſiſtentia materiæ, & ſubſiſtentia formæ) non fit vnum per ſe: atqui ſenſitiuum rationale componitur ex duplici forma, nempe ex ſenſitiuo, & ex rationali, quarum neutra ſe habet per modum materiæ, ergo ex illis non fit vnum per ſe, & ideo non poſſunt conuenire in aliquo genere, vel ſpecie; vnde hæc prædicatio, *hoc rationale eſt rationale*, non eſt directa, quia non prædicatur forma de materia, vel quaſi materia.

16 Obijcis. Socrates eſt vnum per ſe, & tamen habet rationale, & ſenſitiuum: ergo ſẽſitiuum, & rationale efficient vnum per ſe. Reſpond. negando conſequentiam; maior ratio eſt, quia rationale ſenſitiuum non eſt in Socrate ratione ſui, ſed ratione graduum ſuperiorum, quibus aduenit tanquàm forma alicui potentiæ, ſicut accidit in ſubſiſtentijs viuentis, animalis, & hominis in Socrate, quæ efficiunt vnum per ſe, ex eo quòd tales ſubſiſtentiæ adueniant in recta ſerie, ratione graduum ſuperiorum, ideſt, ratione viuentis, ſẽſitiui, &c. quod non ita ſumitur in ſenſitiuo rationali, vel irrationali, vt conſtat ex dictis.

Quid dicendum ſit de exiſtentia?

17 Tertia concluſio. Exiſtentia creata communiſſimè ſumpta comparata cum omnibus exiſtentijs creatis ſubſtantialibus, & accidentalibus, nequit eſſe genus, vel ſpecies. Probatur, quia nihil datur vniuocum ad ſubſtantiam, & accidens. ſed exiſtentia ſubſtantiæ eſt ſubſtantialis; exiſtentia verò accidentis eſt accidentalis, vtraque enim pertinet ad compoſitionem tam ſubſtantiæ, quàm accidentis; ergo &c.

18 Vnde è contrario duratio eſt vniuoca, licet ſit duratio ſubſtantiæ, aut accidentis, quia non pertinet ad compoſitionem ſubſtantiæ, aut accidẽtis: ſed eſt ens per ſe completum, quod aduenit enti iam completo, & conſtituto in ſuo eſſe, & cum eo facit vnum per accidens, cùm tamẽ exiſtentia faciat vnũ per ſe, proindeque accommodetur rei, cuius eſt exiſtentia.

19 Idem dicendum de exiſtentia communi, reſpectu accidentium, quia neque accidentia omnia conueniunt vniuocè; exiſtentia verò vnius accidentis v. g. quantitatis, erit vniuoca ad omnes exiſtentias quantitatum inferiorum, quia licet talis exiſtentia ſit incompleta reſpectu quantitatis, eſt tamen completa reſpectu ſuorum inferiorum, ſicut dictum eſt de partibus phyſicis. Quæ dixi de exiſtentia cum proportione ſunt intelligenda de inhærentia, cum enim inhærentia efficiat vnum per ſe cum accidente, eandem vnitatem vendicat, quam accidens, imò exiſtentia accidentis ab aliquibus dicitur inhærentia, de quibus ſuo loco.

SECTIO IIII.

De indiuiduo, nec non de Relationibus inter genera, ſpecies, & indiuidua.

1 Prima concluſio. Indiuiduum, ſi materialiter ſumatur, & prout eſt prima intentio, definitur à Porphyrio, *Id, cuius proprietates alteri ſimul conuenire non poſſunt*: in qua definitione comprehendũtur præcipuè indiuidua ſubſtantiarum, hæc enim ſunt, quæ veras habent proprietates, quæ ſimul iunctæ alteri nequeunt conuenire: Proprietates verò iſtæ his carminibus cõtinentur: De indiuiduo materiali.

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, ſanguis,
Patria, ſunt ſeptem, quæ non habet vnus, & alter.

Definitur item idem indiuiduum materialiter, *Eſt id, quod diuidi non poteſt*, quod intelligitur in inferiora; & prætereà item diuidi non poteſt in alia indiuidua eiuſdem rationis; & quamuis vna portio aquæ diuidatur in alias aquas, quæ ſeparatæ à toto, iam non ſunt partes, ſed tota, (quod peculiare eſt in omogeneis) nihilominùs illæ aquæ diuidentes non includunt totam diuiſæ rationem, ſiquidem minorem habent quantitatem, diuerſam figuram, &c.

2 Secunda concluſio. Indiuiduum prout eſt ſecunda intentio, & prout formaliter accipitur, vt eſt aptum ad eſſendum in vno, vel ad prædicandum de vno, poteſt eſſe quid cõmune ad omnia indiuidua, ſeu prædicabilia de vno. Hæc concluſio à nemine excludi poteſt, dummodò eius termini rectè percipiãtur, ac ſine confuſione proponantur, quod ſic declaratur: De indiuiduo formali.

3 Nam Petrus verè de ſe ipſo prædicatur hac prædicatione, *Petrus eſt Petrus*, ac proinde habet aptitudinem ad eſſendum in ſe ipſo, & ad

Digitized by Google

ad prædicandum de ſe ipſo, & ſimiliter habet relationem rationis ad ſe ipſum: & idem dicendum de Socrate, & de quouis alio indiuiduo; ab his igitur aptitudinibus, ſeu relationibus poteſt intellectus abſtrahere vnam aptitudinem, vel relationem communem eſſendi in vno completè, vel prædicandi de vno in quid completè, quæ erit prima ſpecies indiuidui; & ſimiliter dicendum de alijs ſpeciebus; nam hoc rationale habet aptitudinem, vt ſit in ipſo Petro incompleté eſſentialiter; & ſimiliter habet relationem ad ipſum Petrum, & de ipſo prædicatur in quale eſſentialiter; & idem dicendum de rationali Socratis, reſpectu eiuſdem Socratis: ergo ab his rationalibus, ſeu ab his aptitudinibus poterit intellectus abſtrahere relationem, vel aptitudinem in communi, quæ erit ſecunda ſpecies indiuidui in quale eſſentialiter; & ſic dicendum de alijs: nam tertia ſpecies eſt in quale neceſſariò, quatenùs hoc riſibile, ſiue hoc non lapis prædicatur de eodem Socrate neceſſarió; & hoc album prædicatur de eodem Socrate contingenter: Quæ omnes relationes, ſeu aptitudines cōueniunt in Vniuerſali communiſſimo. Vtrúm verò indiuiduum ſit verum genus? Móx decidetur.

4 Prædictæ ſpecies inter ſe ſpecie differunt. Probatur, quia relationes differunt per ſua fundamenta, quæ hìc ſunt diuerſa; nam fundamentum primæ relationis, nempe aptitudo, vt ſit in vno in quid cōpletó, eſt diuerſa à fundamento ſecundæ ſpeciei, quod eſt aptitudo, vt ſit in vno in quale eſſentialiter, & idem videre eſt in alijs ſpeciebus indiuidui: ergo &c.

Vtrúm indiuiduum in communi ſit verum genus pro relatione ad quatuor tantùm ſpecies indiuidui?

Patres Conimbr.

Quatuor ſpecies indiuidui nō conueniūt ſemper vniuocè.

5 AFfirmant abſolutè Conimbricēſes in Logica, cap. de Specie, q.3. art.1. §. Atque hoc: Quod mihi abſolutè placere non poteſt; & ratio eſt, quia ad reale, & rationis, nihil datur vniuocum, & verum genus; ſed quædam relationes indiuidui ſunt reales, quædam verò rationis: ergo &c. Probatur minor, quia relationes primæ, & ſecundæ ſpeciei, ſemper ſunt rationis, ſiquidem eius fundamenta tam in eſſendo, quàm in prædicando, nunquàm ſunt realiter diſtincta (neque enim Socrates diſtinguitur realiter à ſe ipſo, neque rationale diſtinguitur realiter ab ipſo Socrate): relationes verò tertiæ, & quartæ ſpeciei, poſſunt eſſe reales, nam multoties prædicatum poteſt realiter diſtingui à ſubiecto, vt patet in hac prædicatione, *Socrates eſt hoc riſibile*, vel *Socrates eſt hoc album*, ſed quando fundamenta ſunt realia realiter diſtincta, & realiter exiſtentia, relationes poſſunt eſſe reales: ergo cum aliquando hæ relationes poſſint eſſe reales, non poſſunt vniuocè conuenire, cum alijs relationibus primæ, & ſecundæ ſpeciei, quæ ſemper ſunt rationis, & conſequenter indiuiduum in communi non eſt genus.

Quando poſsit indiuiduum eſſe verum genus?

6 Quapropter concluſio noſtra tertia ſit, quòd ſi aliquando hæ relationes indiuidui, ſignantes naturas indiuiduorum, fuerint rationis (vt contingere poteſt, nam aliquādo prædicatum poteſt eſſe negatiuum in tertia, & quarta ſpecie indiuidui, vt patet in hac, *Petrus eſt hoc non lapis*; & in hac, *Petrus eſt hic cæcus*): Tunc, inquam, omnes hæ quatuor ſpecies indiuiduorum conuenient vniuocè in indiuiduo communiſſimo, quod pro relatione, vel aptitudine erit verum genus, iuxta ea, quæ de Vniuerſali communiſſimo dixi ſuperiori diſputatione: Si verò relationes illæ ſumantur abſolutè, cum prima, & ſecunda ſpecies indiuidui ſemper habeant relationes rationis, tertia veró, & quarta aliquando habeant relationes reales, tunc, inquam, indiuiduum formaliter ſumptum in communi non erit genus ad has quatuor ſpecies, ſed erit aliquod analogum.

7 Obijcis contra noſtram concluſionem. Si relatio indiuidui in tertia, & quarta ſpecie eſt realis, ex eo quód riſibilitas, & albedo ſūt fundamenta realia, realiter exiſtentia, & realiter diſtincta à ſubiecto; etiam relatio quarti, & quinti Vniuerſalis eſſet realis, ob eandem rationem (ſiquidem etiam proprium, & accidens realiter plerumque à ſubiectis diſtinguuntur:) ſequela eſt falſa: ergo & illud ex quo ſequitur. Reſpond. negando maiorem; diuerſa ratio eſt, quia vt riſibilitas, & albedo ſint indiuidua in eſſendo, & ad Petrum v. g. referantur, nulla egent operatione, aut præſciſione intellectus; vt veró conſtituant quartum, & quintum Vniuerſale, requirunt operationem intellectus, per quam riſibile, & album fiant communia reſpectu inferiorum; & ideo relationes quarti, & quinti Vniuerſalis ſunt rationis, ſicut & relationes aliorum Vniuerſalium.

8 Obijcis ſecundò. Hæc prædicatio, *Socrates eſt hoc animal*, eſt indiuidualis in quid incompletè: ergo falsò ſupponimus eſſe quatuor tantúm ſpecies indiuidui. Reſpondetur, negando totum: illud enim prædicatum reducitur ad primam ſpeciem, nam idem eſt, hoc

Digitized by Google

hoc animal, atque Socrates v.g. Similiter etiam hæc prædicatio, *Socrates eſt hoc ſuppoſitum*, reduci poteſt ad primam ſpeciem: in opinione veró quæ docet ſuppoſitum dicere de formali ſolam ſubſiſtentiam, tunc reducitur ad tertiam ſpeciem indiuidui, quia prædicatur in quale neceſſarió.

De Relatione generis ad ſpeciem, & ad indiuiduum.

9 QVarta concluſio. Genus proximè, & immediatè refertur ad ſpeciem, remoté ad indiuiduum. Ita Patres Conimbricenſ. in Logica, cap. de Specie, quæſt. 2. art. 1. Idem tenet Rub. in Log. cap. 3. de Specie, q. 5. poſt n. 14. & alij.

Patres Conimbr. *P. Rub.*

10 Et ratio manifeſtè hoc cōuincit, nam ad illud proximé, & immediatè refertur genus, à quo primó, & immediatè participatur: ſed primò, & immediatè participatur ab ſpecie: ergo ad illam primò, & immediaté refertur. Probatur ſecunda pars, quia genus non ſolúm refertur ad ſpeciem, ſed etiam ad indiuiduum, ſiquidem etiam indiuiduum participat eſſentiam naturæ genericæ: atqui refertur ad indiuiduum, mediante ſpecie (nam animal deſcendit ad Socratem, mediante homine): ergo refertur remotè ad indiuiduū; ex quibus colligitur, ſpeciem eſſe immediatum, ſed non adæquatum generis correlatiuum; adæquatum autem correlatiuum eſſe indiuiduum, & ſpeciem.

11 Obijcis pro Louanienſibus hoc loco. Species, & indiuiduum conueniunt in ſubijcibili in quid incompleté reſpectu generis: ergo ſubijcibile in quid incompletè erit aliquid vtrique commune, & priús vtroque, in quod relatio generis priùs, & immediatè feratur. Reſpond. negando dari priùs illud ſubijcibile in quid incompleté, quod priùs terminet genus, & ratio eſt, quia tale ſubijcibile, eſt aliquid analogum, ſiquidem dicitur priùs de ſpecie, quæ proximè ſubijcitur generi, quàm de indiuiduo, quod remoté ſubijcitur, analogum autem non eſt priùs, quàm membra analogata, eo quòd ab ijs non præſcindat.

Louanienſes aſſerut genus referri priùs ad ſubijcibile in quid incompletum.

12 Inſtas. Animal priùs communicatur homini, quam Socrati; & tamen eſt vniuocū: ergo communicatio proxima, & remota non tollit vniuocationem rei in ſe. Reſpondetur, negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia tunc ſolúm participatio per priùs, & poſteriús non tollit vniuocationem, quando eſt in recta ſerie, vt patet in adducto exemplo, & in omni ſerie cuiuſque prædicamenti: at verò participatio á duobus membris oppoſitis, quæ fit per priùs, & poſteriùs, & per proximū, & remotum, vniuoca eſſe non poteſt, vt patet ex dictis.

13 Vbi obiter aduerte omnes quinque ſpecies Vniuerſalis vniuocè conuenire in ſubijcibili communi, quod ſit genus, ſiue ſubijcibile communiſſimum, ad quinque ſpecies ſubijcibilium, ſicut dixi de Vniuerſali in eſſendo, & prædicando reſpectu quinque ſpecierum Vniuerſalium. Datur deinde alia ſexta ſpecies ſubijcibilis in quid remotè, (quod eſt indiuiduum,) quæ vniuocè non conuenit cum ſubijcibili communiſſimo, vt patet, ſiquidem priores quinque ſpecies conueniunt in eo, quod proximè ſubijciantur generi, indiuiduum autem ſub hac intentione remotè ſubijcitur; proximū autem, & remotū non poſſunt vniuocè cōuenire, ſub hac ratione. *Aduerte.*

De Relationibus indiuidui ad Genus, & Speciem.

14 QVinta cōcluſio. Indiuiduum reſpicit genus per relationem ſpecie diuerſam ab ea, qua ipſum indiuiduum reſpicit Speciem. Ratio eſt, quia relationes ſpecificantur per fundamenta proxima, ſed hæc ſunt diuerſa ſpecie: ergo & relationes: minor probatur, quia indiuiduum ſubijcitur ſpeciei completè, & proximè: generi incompletè, & remotè: ergo quemadmodúm prædicari complete, & incōpleté arguit diuerſa ſpecie prædicabilia; ita ſubijci complete, & incompletè arguit diuerſas ſpecie relationes: ex eo autem quod indiuiduum reſpiciat tam genus proximum, quâm genus remotum, non bene quis inferet fieri hoc per diuerſas ſpecie relationes, eſt enim eadem relatio, ſiquidem omnia hæc genera reſpicit incompletè, & ideó poteſt relatio eſſe eadem.

15 Sexta concluſio. Indiuiduum reſpicit genus per relationem ſpecie diuerſam ab ea, qua ſpecies reſpicit ipſum genus. Hanc concluſionem probant aliqui ex eo quòd indiuiduum ita reſpiciat genus, vt præſupponat iam eſſentialiter priùs relatam ſpeciem ad ipſum genus, & ita probant Conimbricenſes in Log. cap. de Specie, q. 1. a. 2. *Conimbr.*

16 Sed contra, quia etiam ſpecies infima ſupponit eſſentialiter priùs relatam ad genus ſpeciem ſubalternam (quia ideò indiuiduum ſupponit ſpeciem priùs relatam, quia ſpecies priùs reſpicitur á genere, quod eſt natura prius, & cauſa formalis inferiorum, & ex conſequenti ſpecies ſubalterna priùs reſpicit

Digitized by Google

ipſum genus, quia relata ſunt ſimul natura), & tamen ſpecies infima non reſpicit genus remotum, per relationem diuerſam ſpecie, ab ea, qua ſpecies ſubalterna reſpicit ipſum genus: ergo neque relatio indiuidui ad genus erit diuerſa ſpecie ab ea, qua ſpecies reſpicit ipſũ genus, ex eo quòd relatio indiuidui ſupponit ſpeciẽ eſſentialiter priús relatam: Aliud exemplum adduci poteſt, nam gradus qualitatis ſunt eiuſdem ſpeciei, quamuis præſupponantur ad inuicem eſſentialiter, iuxta aliquorum ſententiam, quam ſequitur Soar. in Met. diſp. 46. ſect. 1. n. 42. *P. Soar.*

17 Reſpondeo igitur, has relationes eſſe diuerſas ſpecie, non ex eo ſolùm, quod relatio indiuidui ſupponat relationẽ ſpeciei; ſed ex eo, quód ita ſupponit, vt non poſſit indiuiduum reſpicere genus, mediãte ſpecie; cum tamen poſſit ſpecies infima reſpicere genus remotum, mediante ſpecie ſubalterna: & ratio diuerſitatis eſt, quia tam ſpecies infima, quám ſubalterna reſpiciunt genus remotum incompleté, & ideò ſpecies infima poteſt per ſpeciem ſubalternam aſcendere ad genus remotum: at verò indiuiduum reſpicit ſpeciem completè, & genus incompletè, & ideó non poteſt per relationem eiuſdem ſpeciei aſcendere completè ad ſpeciem, & incompletè ad genus. Vnde infero relationem indiuidui ad genus remotum eſſe eiuſdem ſpeciei cum ea, quam habet ſpecies ſubalterna ad ipſum genus remotum; quia cũ indiuiduum reſpiciat ſpeciem ſubalternam incompleté, poteſt mediante ea, & per eandem relationem, aſcendere ad genus: erunt tamen ſemper hæ relationes diuerſæ numero, ſiquidem ſunt in diuerſis ſubiectis, nempe in indiuiduo, & in ſpecie. Sed pergo iam ad reliquas Vniuerſalium ſpecies.

DISPVTATIO VII.

De Differentia, Proprio, & Accidente.

ACcedimus ad tria poſteriora Vniuerſalia, quæ breuiter etiam ſunt inculcanda. Circa differentiam, aduertendum eſt, eam dupliciter accipi poſſe: Vel quatenus, ſcilicet, eſt forma quædam materialis, quæ adiuncta alicui naturæ genericæ cõſtituit ſpeciem, & diuidit eam ab aliis ſpeciebus, quo pacto rationale adiunctum animali conſtituit hominem, illumque differre facit à bruto: atque hoc poſito, definitur differentia: *Forma, quæ aliquid à ſe in alio, atq; alio tempore, aut ab alia re differt.* Secundo modo accipitur differẽtia, prout eſt tertium prædicabile, tunc verò definitur, *id, quod prædicatur de pluribus in quæſtione quale eſt eſſentialiter.* De differentia igitur ſub his duabus acceptionibus nobis eſt diſputandum in hac prima ſectione.

SECTIO I.

De Differentia materialiter ſumpta, prout facit differre.

1 PRima concluſio. Differentia materialiter ſumpta, & ex vi nominis ſignificat de formali primò differentiam materialem, per quam vnũ ab alio differt materialiter, v. g. rationale, per quod homo differt materialiter à bruto; & hoc pacto diuiditur differentia in communem, propriam, & maximé propriam. Secundó ſignificat de formali relationem illam differentiæ, per quam homo v. g. differt formaliter à bruto, cuius extremum eſt ipſe homo denominatus differens, fundamentum verò remotum eſt rationale, ſiquidem rationale eſt cauſa, ob quam datur talis relatio, proximum veró fundamentum eſt diuiſio, ſiue negatio identitatis hominis cum bruto: terminus, ad quem tendit hæc relatio, eſt ipſum brutũ: ſed quærendum à quanam cauſa proceſſerit hæc relatio differentiæ.

2 Secunda concluſio. Differentia, prout eſt nomen concretum ſignificat idem, atque faciens differre, dicitque de formali relationem facientis differre effectiuè, ſeu cauſantis, veluti effectiuè, illam relationem differentiæ, & connotat ipſam formam, quæ facit differre effectiuè, v. g. rationale, quod cauſauit relationem differentiæ, inter hominem, & brutum.

3 Quæ concluſio, vt faciliùs percipiatur, atque vt celebris illa, & ingenioſa ſubſtructio relationis facientis differre exactiùs inculcetur, aduertendum eſt primó quamlibet differentiam materialem, ſiue communem, vt albam; ſiue propriam, vt riſibilem,

ſiue maximè propriam vt rationale, eſſe cauſam efficientem, cur ſubiectum v.g. homo differat ab alio, v.g. à bruto: quia videlicet producit ex ſe effectiuè quandam differentiam, ideſt, quandam formam, ſiue quandam relationem differentiæ, per quam ipſe homo differt formaliter à bruto: ex quo ſequitur, quòd talis differentia materialis, v.g. rationale denominetur faciens differre effectiuè, & quòd ſubiectum v.g. homo, denominetur factus differens; & deinde ſequitur, quòd ex parte rationalis, quod eſt cauſa, detur quædam relatio facientis differre ad ipſum hominem; qui cùm denominetur factus differens habet aliã relationem facti differentis ad ipſum rationale, ſicut omnis effectus habet relationem ad ſuam cauſam.

Quomodo componatur relatio facientis differre, & facti differentis?

Quæ ſint extrema, fundamenta & termini huius relationis.

4 His ſuppoſitis, conſtruenda ſunt extrema, fundamenta, & termini, inter quæ hæ relationes facientis, & facti differentis vltrò citroque progrediuntur. Dico igitur primò Extremũ, quod denominatur faciens differre, v.g. hominem à bruto eſt rationale. Probatur, quia rationale eſt cauſa, veluti effectiuè producẽs relationem differentiæ in homine à bruto: ſed cauſa, quæ effectiuè producit formã in aliquo ſubiecto, eſt extremum, quod denominatur faciens, à relatione facientis; ergo rationale eſt extremum quod denominatur faciens differre effectiuè hominem à bruto, à relatione facientis differre effectiuè.

5 Dico ſecundò. Ipſum rationale eſt fundamentum remotum relationis facientis differre effectiuè. Probatur, quia fundamentum remotum relationis facientis in cauſa, quæ facit, eſt potentia, mediante qua cauſa producit formam in ſubiecto: ſed rationale per ſe ipſum immediatè, nulla alia mediante potentia, producit relationem differentiæ in homine: ergo per ſe ipſum eſt fundamentum relationis facientis differre hominem à bruto. Quod dico de rationali, idem cum proportione intelligendum de quauis differentia, ſiue propria, ſiue communi: albedo enim eſt fundamentum, & extremum relationis facientis differre parietem album, à pariete nigro.

6 Dico tertiò. Fundamẽtum proximum eiuſdem relationis eſt illa veluti actio, per quam rationale produxit relationem differentiæ in homine. Probatur, quia fundamenta proxima relationum, quas habent aliæ cauſæ ad ſubiecta, in quibus formas producunt, ſunt actiones, per quas tales effectus producũtur: & ſimiliter fundamentum proximum patris ad filium, eſt actio, per quã filius procedit à patre: ergo etiam fundamentum proximum relationis facientis differre effectiuè, quam habet rationale ad hominem, erit actio, vel quaſi actio, per quam in eo producit relationem differentiæ.

7 Dico quartò. Extremum, quod denominatur factum differens effectiuè à relatione facti differentis effectiuè, eſt homo. Probatur, quia ſubiectum, in quo forma producitur, eſt extremum, quod denominatur à relatione facti effectiuè; ſed homo eſt ſubiectũ, in quo producitur forma, ideſt, relatio differentiæ: ergo eſt extremum, quod denominatur factum differens effectiuè, à relatione facti differentis effectiuè.

8 Dico quintò. Fundamentum remotũ huius relationis facti effectiuè, quam habet ſubiectum ad cauſam efficientem, eſt forma, quam ab illa accepit: ſed relatio differentiæ eſt forma, quam homo accepit à rationali: ergo relatio differentiæ eſt fundamentum remotum relationis facti differentis effectiuè.

9 Dico ſextò. Fundamentum proximum relationis facti differentis effectiuè, eſt paſſio illa, per quam in homine recipitur in fieri relatio differentiæ à rationali producta, quod patet exemplo aliarum relationum facti, quas habent alia ſubiecta ad cauſas effectiuas, à quibus formas effectiuè accipiunt: nõ eſt autem paſſio illa realis, ſed eſt quædam veluti paſſio, ſicut actio ex parte rationalis non eſt realis, ſed rationis.

Soluuntur argumenta contra hanc doctrinam.

10 Obijcis primò. Relatio differentiæ producitur effectiuè à rationali: ergo ipſa relatio, & non ipſe homo erit terminus, ſeu extremum vltimatum, quod denominatur factum differens. Reſpond. negando conſequentiam, quia relatio illa, licet immediatè producatur, ſolũ eſt terminus, vt quo: homo verò eſt terminus vltimatus, & vt quod: ſicut quando ignis calefacit lignum, quamuis ignis producat immediatè calorem, ſubiectum tamen eſt idem lignum, quod præcipuè, & vt quod, denominatur calidum.

11 Obijcis ſecundò. Paries per albedinẽ fit formaliter albus: ergo homo per rationale, non effectiuè, ſed formaliter fit rationalis.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad antecedens, parietem ſecundùm ſe ſumptum fieri formaliter album per albedinem, quæ eſt forma, quæ parietem reddit album, neque de hoc eſt quæſtio. Si verò paries albus cōparetur cū pariete nigro, tunc paries albus fit effectiué differens à pariete nigro, per quandam relationem differentiæ, quam cauſauit albedo; inter quam albedinem, & parietem factum differentem à pariete nigro, comeat relatio facientis differre, qua de agimus. Vnde conſequenter dicendum eſt, hominem fieri formaliter rationalem per ipſum rationale; ſi verò comparetur cum bruto, fieri effectiué differentem, per ipſum rationale, iuxta ſupra dicta.

12 Obijcis tertiò Relatio facientis differre, & facti differentis, ſunt ſimul natura: ergo relatio facti non poteſt fundari in relatione differentiæ, quia hæc eſt poſterior relatione facientis differre, ſiquidem eſt effectus à rationali v.g. Reſpond. negando conſequentiam, nam omnes hæ relationes ſunt ſimul natura, quia vbi primùm concipitur relatio facientis differre completè, ſtatim cōcipitur illa differentia formalis, in qua fundatur relatio facti differentis; cùm enim hæc ſit terminus ſaltem, vt quo, & cùm relatio dari non poſſit ſine termino, concipi non poteſt relatio facientis differre cōpletè, ſine relatione facti, quod non tollit, quominùs rationale, quatenus cauſa eſt, concipi poſſit inadæquatè, & incompletè, vt prius ipſa relatione differētiæ, quæ eſt effectus; ſicut pater eſt ſimul natura cum filio in relatione, licet aliunde poſſit pater cōcipi, quà homo v.g. eſt, vt prior filio; & vt cauſa poteſt in adæquatè concipi, veluti prior, nam omnis cauſa eſt prior natura, quàm effectus.

Aduerto aliqua circa has relationes facientis differre.

13 Circa hanc differentiā facientis differre, aduerto, probabile valde eſſe, omnes has relationes facientis differre, & facti differentis, eſſe rationis: hoc imprimis certum eſt, in relatione facientis differre hominem à bruto; nam hæc exercetur inter rationale, & inter relationem differentiæ, ſeu inter rationale, & differentiam formalem, quæ identificatur cum homine; cum verò rationale ab homine non diſtinguatur, niſi tantùm virtualiter, non poteſt dari relatio realis inter hominem, & rationale, ſeu inter rationale, & relationem differentiæ, quæ identificatur cum homine;

Vtru relationes facientis differre ſint rationis?

14 Maius dubium eſt, quando relatio facientis differre fundatur in aliqua differentia materiali propria, aut communi, vt quando relatio facientis differre fundatur in albedine, quæ realiter diſtinguitur à pariete albo, quem albedo differre facit à nigro effectiuè: at hic etiā dici poteſt, hanc relationem facientis, eſſe rationis, quia hæc relatio non exercetur inter albedinem, & parietem, ſed inter albedinem, & relationem differentiæ; cum verò hæc relatio differentiæ non diſtinguatur realiter à ſubiecto, ſiue à pariete albo, quia cum eo identificatur, non poteſt eſſe fundamentum relationis realis, nam fundamenta relationum debent realiter diſtingui. Hæc tamen reſolutio non eſt adeò certa ſicut præcedens, nam in bona opinione relationes ſūt modi, & cum relatio differentiæ ſit modus, poteſt habere relationem realem ad differentiam materialem, nempe ad albedinem, quia inter fundamēta relationum, ſufficit in bona opinione diſtinctio modalis, niſi aliunde repugnet proceſſus in infinitum; multa hîc obſcurè attinguntur, quæ in Prædicamēto Relationis diſp. 62. ſect. 5. manifeſtiùs eluceſcēt, in Metaph.

15 Aduerto deinde, diuiſionem differentiæ facientis differre in communem, propriam, & maximè propriam, eſſe analogam, vt aduertit Rub. in Log. cap. 4. de Differētia, quæſt. 2. n. 36. vbi citat Caiet. & num. 24. citat Auicenam, Albert. & Sotum. Ratio eſt, quia ad ſimpliciter, & ſecundùm quid, nihil datur vniuocum: ſed differentia maximè propria, eſt differentia ſimpliciter; differentia communis, eſt differentia ſolùm ſecundùm quid: ergo &c. Confirmatur, quia vt videbimus ſectione ſequenti, proprium quarto modo, quod eſt proprium ſimpliciter, conuenit analogicè cum proprio primo modo, quod eſt proprium ſecundùm quid: ergo &c. Nec obſtat, quod oppoſitum ſentiant Conimbricenſes in Logica cap. 5 de differ. quæſt. 1 art. 2. à 5. Secunda concluſio; fruſtra enim ſe macerant.

P. Rub. Auicena. Albert. Sotus. Caiet.

Patres Conimbr.

De Differentia, quatenus eſt tertium prædicabile.

16 Differentia, prout eſt tertium prædicabile, dicit de formali aptitudinem, & de materiali naturam ſubſtratam, definiturque. *Id, quod prædicatur de pluribus in quæſtione, quale eſt, eſſentialiter*: Differentia generi addita illud perficit, deinde quoad potentialitatem diuidit, & ad vnam ſpeciem addicit, ſpeciem conſtituit,

Digitized by Google

eãdem ab alijs differre facit, ac de ipſa ſpecie prædicatur, nõ tamen vt vniuerſalis, ſicut nec de Genere prædicatur tamquàm vniuerſalis; vt forma non ſolùm dicitur de materia, ſed etiam de toto, non tamen vniuerſaliter, quia æquè latè patet: de indiuiduis tamen vniuerſaliter prædicatur, quia latiùs patet, & in ijſdẽ multiplicatur: Quæ omnia patent in rationali, quod eſt hominis differentia, hoc enim generi, ideſt animali additum, illud diuidit ab alijs animalibus, & ad hominem addicit, ſpeciem illum conſtituit, facitque differre ab alijs ſpeciebus &c. Hæc cõmunis ſentẽtia, maiori non indiget probatione.

Porphyr. Ariſtot. Alb. Mag. Iauel. Caietan. Louan. Sotus. Rubius.

17 Circa differentiam ita acceptam aduerte primò, illam non ſuſcipere magis, & minùs, vt ex Porphyrio, Ariſtotele, Albert. Magno, Iauel. Caiet. Louan. & Soto, latè oſtendit Rub cap. 4. de Differ. q. 1. & ratio eſt, quia differentia pertinet ad eſſentiam communẽ hominis v. g eſſentia autem communis eſt ſemper eadem. Vnde diuerſitas, quæ reperitur aliquando in hominibus, quorum vnus ingenioſiſſimus eſt, agreſtis alius, barbarus, ac feræ ſimillimus prouenit ab indiuiduali differentia, vt oſtendimus in libris de Anima, diſput. 78, ſect. 5. Idem dicendum de differentijs accidentium; maior enim, vel minor intenſio, vel extenſio per accidens eſt, nec ad illorum eſſentiam communẽ pertinet, hæc enim in vno gradu conſeruari poteſt. Vnde verò differentia, & cæteri gradus metaphyſici deſumantur, agimus in Met tract. 2 diſp. 51. ſect. 5. n. 17. 18 & 19

Fonſeca. Ariſtot. P. Rub. Patres Conimbr. Scotus. D. Thom.

18 Aduerte ſecundò dari differentias infimas & atomas, quæ non minùs ſunt ſimplices, quàm differentiæ ſuperiores ſubalternæ. Hanc ſententiam tanquàm Ariſtotelis propriam tenet D Fonſ. 5. Met. cap. 28. quæſt. 17. ſect 2 Rub. in Log cap 4 de Differentia quæſt. 5. Conimbric. in Log. cap. 3. de Differentia, quæſt. 2. art. 1 5. Oppoſita, & ex antiquioribus Sc t in 2 poſt quæſt 58. & omnium inſtar ſit D Thom. 7. Met lect. 12 & probatur, quia naturæ ſpecificæ habent veras eſſentias: ergo per veras, & proprias differentias: ſed differẽtiæ ſubalternæ ſunt ſimplices: ergo & differentiæ infimæ, & atomæ, non ſolùm ſunt ſimplices, ſed ſimpliciores, ſiquidem maiorem habẽt perfectionem; res autem quo perfectior, eò maiorem habet vnitatẽ, & ſimplicitatẽ: Hinc eſt, quòd propriæ paſſiones cõuertibiles cum differẽtia eſſentiali (vt riſibilitas reſpectu rationalis ſũt ſimplices, ſicut ipſa differẽtia ſimplex eſt. Ex quibus cõſtat, falſam eſſe aliquorũ ſententiã, qui exiſtimabãt, ſpecies infimas non habere ſimplices differẽtias, ſed differre per complicationem aliquarum differentiarum, v. g. hominem differre à cæteris animalibus, quia eſt rationalis, riſibilis, mortalis, &c. dicendum tamen eſt differre eſſentialiter per ſolum rationale.

19 Aduertendum tertiò, differẽtiam eſſe omnino extra rationem generis, cui aduenit, & cui adiacet, tanquàm forma materiæ, & cõſequenter differentiam inferiorem nõ includere formaliter differẽtias ſuperiores; primò, quia differentiæ ſuperiores importantur formaliter in proximo genere; animal enim eſt formaliter ſenſitiuum, corporeum, &c. Si igitur hæ differentiæ formaliter continerentur in rationali, iam rationale non eſſet extra rationem animalis, imò illud formaliter includeret. Secundò, quia differentiæ ſunt primò diuerſæ (nõ ſecus ac genera ſumma) ac ſe ipſis conſtituuntur, alioquin daretur proceſſus in infinitum: & propterea hanc ſententiam defendunt cum Ariſtotele, D. Thom. & Scot, D. Fonſ. 5. Met. cap. 28 q. 18. ſect. 1. Tolet. cap de Subſtantia, q. 1. dub. 2. Mercat 1. Poſt. cap 4. quæſt. 2. in ſolutione tertiæ probationis quinti argumenti Scoti Pro eãdem pugnat Hurt. in Logica, diſp. 6. de Differentia, ſect. 3. à n. 14.

D. Thom. Scotus. Fonſec. Tolet. Mercat. Hurtad.

20 Obſtas. Homo formaliter eſt rationalis, & ſimiliter homo formaliter eſt ſenſibilis: ergo ſimiliter rationale formaliter eſt ſenſibile. Reſpond. prædictum ſyllogiſmum non colligere formaliter, ſed veluti materialiter, verificari enim debet ex parte hominis, qui quidem formaliter eſt ſenſibilis, non quòd rationale ſit formaliter ſenſibile, ſed quòd animal componens hominem eſt formaliter ſenſibile.

SECTIO II.

De Proprio, ac de Accidente.

Diuiſio proprij eſt adæquata.

1 PRima concluſio. Diuiſio Proprij, in quatuor membra eſt adæquata. Probatur, quia quidquid alicui cõuenit, aut conuenit ſoli, non tamen omni, & eſt proprium primo modo; aut conuenit omni, non tamen ſoli, & eſt proprium ſecundo modo aut conuenit omni, & ſoli, nõ tamen ſemper, & eſt proprium tertio modo; aut conuenit omni, ſoli, ac ſemper, vt conuenit homini riſibilitas, & intellectiuum per diſcurſum, & eſt proprium quarto modo: ſed nullum aliud datur proprium: ergo &c.

Non eſt vniuoca.

2 Hæc diuiſio vniuoca non eſt, quia proprium quarto modo eſt propriũ ſimpliciter, non

non verò reliqua propria. Hoc proprium quarto modo reciprocatur cum ſpecie, vel cum genere, cuius ſit proprium. & quamuis non ſit de eſſentia, emanat tamen ab ipſa eſſentia, vnde negari non poteſt ſine conſecutiua eſſentiæ deſtructione: ſi enim quis ab homine ſeparet, quod ſit riſibilis, vel intellectiuus, conſequenter negat eius eſſentiam, & ſicut dantur aliquot proprietates, quæ oriuntur ex coniunctione differentiæ genericæ, cũ gradu generico, ita dantur proprietates ſpecificæ, quæ oriuntur ex coniunctione differentiæ ſpecificæ: nullæ verò dantur proprietates indiuiduales, id eſt, quæ oriantur ex coniunctione differentiæ indiuiduantis, quia cum hæc differentia eſſentialis non ſit, non habet proprietates, hæ enim eſſentiam ſequuntur, & ab eſſentia oriuntur.

3 Difficultas tamen eſt, quo pacto tolli non poſſit proprietas quarto modo, ſine ſubiecti conſecutiua deſtructione, & ratio difficultatis eſt, quia quinque externi ſenſus ſunt proprietates quarto modo animalis perfecti, ſiue progreſſiui: atqui viſus aliquando tollitur ab homine, non ſolùm quoad actum, ſed etiam omnino quoad organum, & quoad potentiam ipſam phyſicam (vt ex D. Thoma non obſcurè fatentur Patres Conimbricenſes in Log. cap. 4. de Proprio, q. 1. art. 1. §. Ad quartum, in fine.) & tamen ſublata illa potentia, adhuc perſeuerat integra eſſentia hominis: ergo dices, falſò à me dictũ eſſe, quòd deſtruatur eſſentia, ex eo quòd aliqua proprietas deſtruatur.

D. Thom. *Patres Conimbr.*

4 Propter hanc difficultatem, exiſtimo ego ſenſus ipſos externos non eſſe proprietates quarto modo animalis perfecti, ſicut neque intellectum humanum reſpectu hominis, neque ſimiliter potentiam ridendi; hæc enim ſolùm phyſicè conueniunt; at verò proprietates quarto modo conueniunt neceſſitate logica; & ideo aliter explicandum eſſe cenſeo, nempe proprietatem quarto modo quoad ſenſus reſpectu animalis perfecti, eſſe tactiuum, viſiuum, odoratiuum, &c. quibus verbis ſignificantur non ſenſus ipſi, & potentiæ phyſicæ (ſiquidem hæ, cum realiter diſtinguantur, ſaltem diuinitus auferri poſſunt, integra perſeuerante eſſentia) ſed ſignificatur aptitudo illa interna, ſiue exigentia ad habendam hanc potentiam: & hæc quidem negari non poteſt ſine ſubiecti corruptione: ad eum modum, quo dicimus eſſentiam accidentis non conſiſtere in actuali inhærentia, ſed in aptitudine ad hanc inhærentiam. Idem proportionaliter dicendum eſt de riſibili circa hominem, neque enim potentia ridendi eſt proprietas quarto modo (ſicut nec potentia phyſica videndi reſpectu animalis) ſed riſibilitas, & viſiuum, quæ ſignificant has exigentias, ſiue aptitudines, quæ in ſe quidem nõ ſunt reales qualitates realiter diſtinctæ, ſed dici poſſunt reales, quoad exigentiam, & poſtulantiam, quia poſtulant potentias illas phyſicas, & reales; & hæc ſine dubio eſt authorum mens, quamuis ſub his terminis non explicentur.

Senſus externi non ſunt proprietates quarto modo.

De Proprio, quatenus eſt quartum prædicabile.

5 PRoprium dialecticum rectè definitur, *id, quod aptum eſt prædicari de pluribus accidentaliter, & neceſſariò.* Per particulam, *accidentaliter*, excluduntur tria priora Vniuerſalia, hæc enim prædicantur eſſentialiter: Per particulam verò, *neceſſariò*, reijcitur accidens, hoc enim prædicatur contingenter. Aduertendum verò eſt, omne proprium quarto modo pertinere ad quartum prædicabile, quia cum ſemper fluat ab eſſentia, ſemper prædicatur neceſſariò: poteſt tamen aliquando dari aliquid, quod prædicetur per modum quarti prædicabilis, & tamen non ſit proprium quarto modo: nam intellectiuum prædicatur de homine per modum quarti prædicabilis, cum prædicetur in quale neceſſariò, & tamen non eſt proprium quarto modo reſpectu hominis; ſiquidem non conuenit ſoli, nam etiam conuenit Angelis: quamquàm etiam intellectiuũ, ſiue aptitudo ad intelligendũ, poſſit dici proprium quarto modo, reſpectu ſubſtantiæ intellectualis, vt bene aduertit Rub. in Log. cap. 5. de Proprio, q. 1. n. 35. *P. Rub.*

De Accidente, ſiue de quinto Vniuerſali.

6 ACcidens, ſi phyſicè cõſideretur, *Eſt id, quod adeſt, & abeſt, ſine ſubiecti corruptione*: quamuis enim tollatur, vel realiter, vel per intellectum à ſubiecto, adhuc manet integra ſubiecti eſſentia, neque formaliter, neque conſequutiuè deſtruitur: de hoc accidẽte agimus in Met. lib. 5. diſp. 53. ſect. 3.

7 Accidens, prout eſt quintum prædicabile, definitur à Porphyrio per negationem aliorum prædicabilium; ſed faciliùs hoc pacto definietur; *Accidens eſt id, quod de pluribus*

 prædi-

Digitized by Google

prædicatur in quale accidentaliter, & contingenter; vbi aduerte primò, hanc definitionem conuenire tam ſubſtantiæ, quàm accidenti, vt docet D. Thom. quæſt. vnica de Spiritualibus creaturis, art. 11. in corpore; & ratio eſt, quia non ſolùm accidens, ſed etiam ſubſtantia poteſt aliquando contingenter prædicari de ſubiecto, vt contingenter prædicatur de materia, quod ſit informata forma rationali. Vnde parum curo, quod in oppoſitum ſentit Tolet. in controuerſijs huius prædicabilis, quem ex parte ſequitur ibi Magiſt. Oña, q. vnica art 6.

Tolet. *Oña.*

8 Dantur verò aliqua accidentia generica, quæ de ſpeciebus prædicantur, vt v. g. album, quod quamuis in ſe ſit ſpecies infima, poteſt eſſe accidens genericum reſpectu hominis, & equi; & deinde dantur aliqua accidentia ſpecifica, vt ſcientia diſcurſiua, reſpectu Petri, & Pauli, & tamen ipſa ſcientia ſecundùm ſe eſt genus. Vltimò aduertendum, nullum accidens reale, & intrinſecum poſſe eſſe accidens quinti Vniuerſalis reſpectu ſubiectorum, in quibus non eſt; Vniuerſale enim requirit identitatem cum inferioribus; in quinto veró Vniuerſali dari non poteſt identitas, ſine actuali ſubiectorum exiſtentia: ſiquidem accidens omnino contingenter conuenit rei exiſtenti, falsò enim modò quis dicet, Antichriſtus eſt albus.

Hæc circa Vniuerſalia dixiſſe, ſatis erit. Relicto igitur Porphyrio, ad Ariſtotelem pergo.

FINIS VNIVERSALIVM.

Laus Deo, Virginique Matri.



SVM-

Digitized by Google

SVMMA PHILOSOPHIÆ.

PARS PRIMA IN LOGICAM.

TRACTATVS II.

IN LIBROS PRÆDICAMENTORVM, AC DE INTERPRETATIONE ARISTOTELIS.

PROŒMIVM.

HACTENVS ex Porphyriano bibimus fonticulo, deinceps flumine labra proluam Ariſtotelico, qui quidem magnus Philoſophus, præter cæteros ſapientiſſimus, omnium Academicorũ familiam duxit facilè princeps: igitur, vt gradum faceret ad ſyllogiſmos explanandos, quò præcipuè totius Dialecticæ collimat intentio, prædicamenta, quæ vocibus conſtant ſimplicicibus, priùs breuiter explicat: agit deinde in libris Perihermenias de ſecunda intellectus operatione, quæ, quia eſt quædam veluti animi interpres, ideò libros iſtos de Interpretatione nuncupauit. Quæ igitur ad prædicamenta pertinent, folijs ornabo breuioribus etiam, quàm ſoleo, & à pollice tantùm delibabo, quia in 3. p. tract. 2. latioribus in campis circa hanc materiam ſpatiabor (ad Metaphyſicum enim pertinet agere de prædicamentis) vbi ea, quæ hic deſiderantur, quærenda ſunt.

NOTATIVNCVLA.

Circa Æquiuoca, Vniuoca, & Analoga.

ÆQuiuoca, vel ſunt á caſu, vel à conſilio. Prima, ſic definiuntur: *Sunt ea, quorum nomen commune eſt, ratio verò ſubſtantiæ nomini accommodata, diuerſa*; vt cernitur in hac voce, *Gallus*, ſignificat enim omnino caſualiter gallum auem, & Gallum hominem. Æquiuoca à conſilio habent quidem idem nomen, rationem verò aliquo modo eandem, quamuis in re ſit diuerſa: hæc dicũtur etiam analoga, quæ vel ſunt per attributionem, vt ſunt ea, quæ reſpiciunt aliquam formam, tanquàm principale ſignificatum, vt, *Sanum*, quod nomen conuenit multis rebus, ſed præcipuè animali, quod dicitur ſa-

 num.

num, Analoga per proportionem ſignificantur eodem nomine, & habent rationem proportionaliter eandem, vt eſt ens, quod proportionaliter dicitur de ſubſtantia, & accidente: hoc analogum, ſi ſit per proportionem propriam, aliquando coincidere poteſt cum vniuocis, iuxta ea, quæ dixi tract. 1. diſp. 6. ſect: 2. *Vniuoca, ſunt ea, quorum nomen commune eſt, ratio verò ſubſtantiæ nomini accomodata eſt eadem*, vt eſt homo reſpectu inferiorum. Vtrùm verò vniuocum neceſſariò præſcindere debeat ab inferioribus, conſtat ex loco citato, à num. 8.

DISPVTATIO VIII.

De Prædicamentis breuiter aliqua prælibo.

EA tantùm à me hìc pertractanda ſunt, quæ in Metaphyſica non diſputantur, ne ibi actum agere videamur. Aduerto igitur primò, *ſubſtantiam eſſe ens per ſe exiſtẽs*; accidens verò eſſe ens exiſtens, non in ſe, ſed in alio, quod ſic definitur ex Ariſtotele: *Accidens eſt in alio, non vti pars, neque ſeorſim poteſt naturaliter exiſtere ſeparatum ab eo, in quo ineſt.* Vnde quamuis forma ſubſtantialis exiſtat in materia, ideo non eſt accidens; primò quia eſt pars cõpoſiti; ſecũdò quia nõ inhæret in materia.

SECTIO I.

Diuiditur ens, & exponuntur conditiones, vt aliquid ponatur in prædicamento.

1 PRima concluſio. Ens adæquatè diuiditur in ſubſtantiam, & accidens: hæc eſt communis Philoſophorum ſententia; aut enim ens exiſtit per ſe, & independenter à ſubiecto, aut non: ſi primum, eſt ſubſtantia; ſi ſecundum, eſt accidens: & cùm hæc diuiſio fiat in membra oppoſita contradictoriè, neceſſariò eſt adæquata. Vnde actio creatiua eſt etiam verum accidens, quamuis enim non ſit in termino, tanquàm in ſubiecto; & quamuis non ſit in aliquo alio ſubiecto inhæſionis, ſiquidem eſt productio ex nullo præſuppoſito ſubiecto, nihilominùs, vt ſit accidens, ſufficit, quod habeat ſubiectum denominationis, nempe Deũ. Modus item, quo exiſtunt accidentia ſacræ Euchariſtiæ, (de quo 3. p. tract. 2. lib. 5. Met. diſp. 53. ſect. 3.) reducitur ad accidens, ſiquidem identificatur cum illa quantitate poſita extra ſubiectum, quæ eſt accidens.

Soluũtur obiter oppoſita argumenta.

2 Secunda concluſio. Ens reale rectè diuiditur in decem prædicamenta. Hanc concluſionem probo in Met. lib. 5. diſp. 52. vbi ſect. 3. oſtendo prædicamenta de facto eſſe decem, de poſſibili verò nec plura, nec pauciora eſſe poſſe. Eſt autem Prædicamentum, *alicuius generis ſummi, realis, & naturalis diſpoſitio eorum, quæ ſub ipſo ſunt*; quod prædicamentum ſumptum pro natura ſubſtrata eſt quidem reale. ſi verò formaliter, & ſecundùm hanc ſeriem ſumatur, eſt opus intellectus, cum fundamento in re.

Definitio prædicamenti.

3 Vt aliquid collocetur in hac ſerie prædicamentorum, varias vendicat conditiones; præcipuæ ſunt eæ, quæ hoc carmine continentur.

Ens, per ſe, finitum, completum, atq; reale.

Debet enim imprimis eſſe ens reale, prædicamenta enim non fiunt ex entibus rationis: deinde debet eſſe ens per ſe, ideſt, vnius eſſentiæ, conſtant enim prædicamenta ex generibus, & ſpeciebus; Vnde reijciuntur entia per accidens; & eadem eſt ratio cur ea, quæ in prædicamento collocantur, ſint res ſimpliciter finitæ, & limitatæ; inde eſt, quod Deus, qui eſt infinitus, non componatur ex genere, & differentia, atque adeò à prædicamentis relegetur, vt doceo in Met. lib. 5. diſp. 54. ſect. 2. à num. 9.

4 Quarta conditio eſt, vt ſit ens completum, vnde materia, & forma, ſiue quæuis alia pars phyſica, aut metaphyſica, non per ſe, ſed reductitiè ratione totius, ponuntur in prædicamentis. Eſt autem ens completum, *Id, quod ſi eſt ſingulare, non venit in compoſitionem alterius entis per ſe*, vt Socrates: Si verò fuerit commune, *prædicatur in quid de ente completo ſingulari, vt homo, animal, &c.* ex his conſtat vltima cõditio, quod debeat eſſe ens reale.

Quomodò Prædicamentorum numerus colligatur?

5 PRædicamenta nemo meliùs collegit, quàm D. Thom. lib. 5. Met. lect. 7. & 8. Phyſ.

D. Thom.

Digitized by Google

Phyſ. lect. 9. quam ſic breuiter propono. Imprimis certum eſt, prædicamenta colligi per ordinem ad primã ſubſtantiã, ſicut prædicabilia per ordinem ad inferiora: Quidquid ergo dicitur de prima ſubſtantia, vel pertinet ad eius eſſentiam; vel non: ſi pertinet, eſt eadem ſubſtantia; ſi non pertinet, vel inhæret intrinſecè, vel extrinſecè: ſi intrinſecè, vel conuenit abſolutè, vel reſpectiuè: ſi abſolutè, vel ſequitur materiam, & eſt quantitas, vel formam, & eſt qualitas; ſi reſpectiuè, eſt relatio:

6 Si extrinſecè tantùm afficit, vel eſt in ordine ad potentiam actiuam, & eſt actio; vel ad paſſiuam, & eſt paſſio. Si ad neutram, vel conuenit per modum menſuræ reſpectu temporis, & eſt duratio; vel reſpectu loci, & eſt vbi; vel reſpectu loci cum certo modo partiũ, & eſt ſitus; vel nullo ex his modis afficit, ſed tantùm extrinſecè denominat, & eſt habitus. Obiectiones autem contra hunc prædicamẽtorum numerum ſoluuntur in Met. tract. 1. diſp. 51. ſect. 3. à n. 5.

Quomodò cõſtituatur ſubſtantiæ prædicamentum?

7 PRimum, & præcipuum prædicamẽtum eſt ſubſtantia, cuius genus ſummum eſt ſubſtantia completa finita, prout eſt aliquid commune ad corpus, & ſpiritum, quæ ſunt genera ſubalterna immediata. Sub ſpiritu collocantur variæ ſpecies ſubſtantiarum ſpiritualium. Corpus diuiditur in ſimplex, & mixtum, (neque enim agnoſco corpus incorruptibile, vt probo in lib. de Cælo, diſp. 40.) ſub ſimplici continentur quatuor elementa; mixtum ſcinditur in viuẽs, & nõ viuens. Nõ viuẽs habet ſub ſe lapides, & metalla. Viuens diſtribuitur in animal, & plantam: planta, in arborem, fruticem, & herbam: animal, in hominem, & beſtiam: homo in ſua indiuidua: beſtia in ſuas ſpecies, bouem, equum, &c. & hæc in ſua indiuidua.

Quomodo ſubſtãtia diuidatur in primam, & ſecundam.

8 Subſtantia, quamuis ſit vniuoca in ſe, analogicè diuiditur in primam, & ſecundam, quia forma, penes quam fit diuiſio, nimirum circa ſubſiſtere, & ſubſtare accidentibus, priùs, & per ſe conuenit primis ſubſtantijs, ſecundis verò non, niſi ratione primarum. Vnde eſt, quòd dixerit Ariſtoteles, primas ſubſtantias eſſe magis ſubſtantias, quàm ſecundas. Eſt autem prima ſubſtantia, *ea, quæ nec eſt in ſubiecto, nec de ſubiecto aliquo dicitur.* Secunda verò ſubſtantia, *ſunt genera, & ſpecies, ſub quibus inſunt primæ.*

9 Diuiditur autem ſubſtantia in primã, & ſecundam: diuiſum neque eſt prima, neque ſecunda, ſed quædam ſubſtantia ſecundùm ſe, quæ ab vtràque abſtrahit: quarè omnis ſubſtantia determinata, vel eſt prima, vel ſecunda; non verò omnis ſubſtantia indeterminata, quæ, prout ſic, eſt vera ſubſtantia, neque tamen eſt prima, neque ſecunda, nec, prout ſic, ponitur in prædicamento; ſiquidem in prædicamento, ſolùm ponuntur genera, vel ſpecies, vel indiuidua.

SECTIO II.

Aduertuntur aliqua circa reliqua prædicamenta.

1 CIrca Quantitatem, & Qualitatem, nihil eſt, quod hic reponẽdum ſit, de his enim prædicamentis latè ago in Met diſp. 60. & diſp. 61.

2 Circa Relationem, pauca ſunt aduertenda. Primum eſt, relationem prædicamentalem rectè definiri, *Ens, cuius eſſe totum eſt aliud reſpicere.* Vt autem percipiatur formalis ratio relationis prædicamentalis, aduerte ex communi Philoſophorum ſententia. Relatorum quædam eſſe relata ſecũdùm dici, quædam verò ſecundùm eſſe: ſecundùm dici *ſunt res abſolutæ, quæ tamen per ordinem ad aliud explicantur,* vt caput, quod eſt quidem res abſoluta, nihilominùs dicitur relatum ſecundùm dici, quia per ordinem ad aliquid, cuius eſt caput, explicatur. Relatorum ſecundùm eſſe, quædam ſunt tranſcendentia, quædam verò prædicamentalia: Tranſcendentia *ſunt etiam res abſolutæ, quæ reſpiciunt ſuos terminos, ſub ratione alicuius muneris præſtandi, vel recipiendi,* quo pacto creaturæ Deum reſpiciunt, potentia obiectum, &c. *Explicatur quid ſit relatio?*

3 Relationes verò prædicamentales. *ſunt formæ quædam accidentales, quæ ſupponunt ſubiecta, quibus adueniunt, & reſpiciunt terminos, vt puros terminos, ſine alia dependentia, vel præſtandi, vel recipiendi munus.* Propriæ igitur relationes, de quibus hic loquimur, ſunt prædicamẽtales: quorum formalis ratio conſiſtit in eo, *quod totum eorũ eſſe ſit ad purum terminum.* Quomodò differant relationes prædicamentales à tranſcendentibus, dico in Met. diſp. 62 ſect. 1. à n. 14.

4 Vt dentur relationes, quatuor requiruntur conditiones: prima, eſt extremũ, quod denominatur à relatione, v. g. paries, qui dicitur ſimilis: ſecunda, eſt fundamẽtum remotum, & eſt illud, quod eſt cauſa extremo, vt referatur: vt ſe habet albedo, quæ eſt funda- *Quot requirantur cõditiones ad relationem.*

men-

Digitized by Google

mentum remotum relationis ſimilitudinis: tertia conditio, eſt fundamẽtum proximum, quæ etiam vocatur ratio fundandi, & eſt cõditio, ſine qua non dabitur relatio, vt ſe habet vnitas in gradu, ad fundandam relationem ſimilitudinis: Quarta denique conditio, eſt terminus, ad quem tẽdit relatio, vt ſe habet alius paries, cui primus dicitur ſimilis.

5 Hæ conditiones reperiri etiam poſſunt in relationibus rationis, quapropter aliæ vlteriùs addendæ ſunt, nimirum, vt fundamentũ, & terminus ſint realia, realiter exiſtentia, & diſtincta ſaltem modaliter. Deffectu primæ conditionis, non datur relatio realis inter entia rationis: defectu ſecundæ, non datur realis relatio inter duo ſimilia non exiſtẽtia: deffectu tertiæ, non datur inter hominem, & Socratem. Vtrùm verò requiratur inter hæc fũdamenta diſtinctio omnino realis, diſputo in Met. diſp. 62. ſect. 5. à n. 27.

6 Genus ſummum huius prædicamenti, eſt relatio, quæ non refertur in actu exercito, alioquin daretur duplex genus ſummum, ſed refertur in actu ſignato, id eſt, per ſua inferiora: ſicut quantitas, genus ſummum, eſt æqualis, vel inæqualis in actu ſignato.

7 Quæ ad Actionem pertinent agimus in ſecunda parte tract. 1. lib. 2. diſp. 26. ſect. 1. & in Met. lib. 5. diſp. 63.

Quid ſit Vbi, & Situs? Soarius.

8 Circa prædicamentum Vbi, & Situs, ſolùm aduerto cum Soario in Met. diſp. 51. ſect. 1. n. 14 eſſe modum, ſiue formam intrinſecam rei locatæ per motum acquiſitam; non enim eſt ſuperficies ambiens, nam vltimum cælum habet Vbi, neque tamen habet ſuperficiem ambientem: deinde non eſt exiſtentia rei, quia res, quæ mouetur, mutat Vbi, permanet tamen exiſtẽtia eadem. Diuiditur Vbi, in Vbi circunſcriptiuum, ac definitiuum: Circunſcriptiuum eſt, quo aliquid ita eſt in loco, vt totum ſit in toto ſpatio, & pars in partibus ſpatij: habent hoc Vbi omnia corpora, quæ naturaliter exiſtunt: Vbi definitiuum eſt, quo res ita eſt in loco, vt tota ſit in toto, & tota in qualibet parte. Diuiditur in ſpirituale, & in corporale; hoc vel eſt quantitatiuum, quale habet corpus Chriſti Domini in Euchariſtia; vel ſubſtantiale, quale haberet ſubſtantia materialis redacta ad punctum: ſpirituale verò eſt, quod conuenit Angelis, &c.

9 Circa durationem, aduerto, eam à tempore diſtingui, quia duratio ſignificat de formali permanentiam rei in ſuo eſſe, tempus verò ſignificat ſucceſſionem motus, & ideò reducitur tempus ad quantitatem: eſt autem forma intrinſeca rei duranti: de duratione diſputo in Metaph. diſp. 65.

10 Circa prædicamentum Habitus aduerto, eſſe modũ extrinſecum; nam veſtis ſine vlla mutatione intrinſeca ſubiecti induitur, & exuitur; & quamuis veſtis ſit ſubſtantia, non conſtituit hoc prædicamentum, niſi quatenus accidentaliter denominat; imò quamuis veſtis plerumque ſit ens per accidens, & artefactum, poteſt tribuere vniuocam denominationem, ſicut relatio eſt vniuoca, licet eius fundamentum analogum ſit.

11 Circa immenſam prædicamentorum, ſyluam ſatis exiguum hoc raptim dedimus ſpicilegium: appoſui quidem paucula, vt famẽ integram ad potiores epulas reſeruemus, quas in Met. per totum librum quintum miniſtrabo, in hac prædicamentum menſa,

Illa quidem lauta eſt, dapibuſq; inſtructa ſuperbis. *Martial. lib. 5. epig. 34.*

Notatiuncula circa oppoſita.

12 RESTAT racematio de oppoſitis breuiter, ac leuiter facienda: Ea igitur diuiduntur in quatuor membra; vel enim ſit oppoſitio inter entia abſoluta, & ſunt contrariè oppoſita, de quibus diſputo in lib. de Gen diſp. 76. ſect. 2. Vel ſit oppoſitio inter ens, & non ens, & dicuntur contradictoriè oppoſita, quæ eſt omnium oppoſitionum maxima: Vel ſit oppoſitio inter duo relata, vt ſũt Pater, & Filius, & dicuntur relatiuè oppoſita: vel tandem ſit oppoſitio inter formam, & eius priuationem, & dicuntur priuatiuè oppoſita, vt viſus, & cæcitas. De his latè Soar. in Met. diſp. 45. *P. Soar.*

FINIS PRÆDICAMENTORVM.

IN

IN LIBROS DE INTERPRETATIONE

LIBER PRIMVS.

DISPVTATIO IX.

De Signis in communi.

EXplicata iam cum Ariſtotele rerum, ac vocum ſimplicium natura quæ ad ſimplicem pertinet intellectus apprehenſionem, accedimus ad primam earundem compoſitionem, quæ propriè eſt ſecunda intellectus operatio, quæ dicitur enuntiatio: ſed quoniam hæc conſtat nominibus, Verbis, & Orationibus, quæ ſunt ſignificatiua; & quia Ariſtoteles dixit, voces eſſe ſigna conceptuũ, ſcripta verò eſſe ſigna vocum, propterea primò ſignorum eſſentiam explorabo.

SECTIO I.

Quid ſit ſignum, & quomodo diuidatur?

1 PRima concluſio. *Signum eſt quod potentiæ cognoſcenti aliquid repræſentat.* Hæc eſt communis, & vera definitio, cuius explicatio patebit ex ſequenti ſectione, vbi ſigni eſſentiam, & proprietates explicabimus.

2 Secunda concluſio. Diuiduntur præcipuè & adæquatè ſigna dupliciter: primò in ea ſigna, quæ ſignificant naturaliter, & in ea, quæ ſignificant non naturaliter: ſecundò diuiduntur in ſigna formalia, & in ſigna inſtrumentalia: Hæc eſt communis omnium ſententia. Circa primam diuiſionem aduerto eam communiter ſolùm fieri in duo membra, nempe in naturalia, & ex inſtituto, ſiue ad placitum; quaſi nullum ſit ſignum, quod non ſignificet, aut ex vi ſua, aut ex hominum voluntate, & impoſitione, vt videre eſt apud Patres Conimbricenſes in Log. lib. 1. de Interpret. cap. 1. q. 2. art. 1.

Patres Conimbr.

3 Sed contra ſic arguo. Datur aliquod ſignum, quod nec eſt naturale, nec ex inſtituto: ergo diuiſio ſub his terminis, non eſt adæquata. Probatur antecedens; quia, vt aduertit Tolet. in Log. lib. 1. Periherm. cap. 1. q. 1. §. Signum in communi: ſæpe canis herum aliquem ſequens, præuiſus inducit alicui illius hominis cognitionem, & ſimiliter mappæ appoſitæ ſunt ſigna prandij: hæc autem & ſimilia ſigna, non ſunt ſigna naturalia, quia ſigna naturalia idem apud omnes ſignificant ex naturali proportione, quod non conuenit his ſignis: non ſunt etiam ſigna ex inſtituto, quia ta[l]ia ſigna non dependent ab hominum voluntate: ergo &c. hæc inſtantia ſuam habet difficultatem.

Card. Tolet.

4 Quapropter, vt prima diuiſio adæquatè fiat in duo membra, ſic proponenda eſt, vt fiat in ſigna naturalia, & non naturalia: ſigna autem naturalia conſtituant vnam veluti ſpeciem infimam formaliter ſumptam: ſigna verò non naturalia diuidantur in duas veluti ſpecies, quia ſigna, quæ non naturaliter ſignificant, aut habent hãc vim ſignificandi ex placito & humana voluntate; & ſunt ſigna ex inſtituto; aut habent hanc vim ſignificandi ex humana conſuetudine, & conſtituunt hanc aliam ſpeciem ſignorum de nouo, quæ meritò dicentur ſigna ex conſuetudine.

Datur ſignum quod nec eſt naturale nec ex inſtituto.

5 Obſtas. Hæc ſigna reduci poſſunt ad ſigna naturalia, ſiquidem non ſignificant ex humana impoſitione. Reſp. negando aſſumptum, vt enim reducerentur ad ſigna naturalia, debebant, vel habere vim naturaliter ſignificandi, vel debebat ſignificare idem apud omnes; quæ non conueniunt talibus ſignis, ſiquidem nullam habent naturalem proportionem cum ſignificato, neque præterea idem ſigni-

Digitized by Google

ſignificant apud omnes; qui enim non nouerit illius canis herum, talis canis illum non ducet in cognitionem domini: Quarè melius ad ſigna non naturalia reducuntur.

6 Secunda diuiſio fit in ſigna formalia, & inſtrumentalia: *Formalia ſunt imagines rerum, quæ potentijs cognoſcentibus conſignatæ, non cognita ducunt nos in cognitionem rerum. Inſtrumentalia* verò, *ſunt ea, quæ cognita ducunt nos in cognitionem rerum.* Diuiſio eſt etiam adæquata: quia ſi priùs cognoſcuntur, ſunt inſtrumentalia; ſi non cognoſcuntur, ſunt formalia: atque adeó diuiſio fit contradictoriè. Omnis veró cauſa per ſe, eſt ſignum ſui effectus, dummodò cauſa perfectè cognoſcatur: & effectus cognitus, quà talis, eſt etiam ſignum naturale ſuæ cauſæ.

Obiectiones cõtra primã diuiſionem ſignorũ.

7 Obijcis primó contra primam diuiſionem. Omnia ſigna pendent à diuina voluntate: ergo omnia ſunt ſigna ex diuino inſtituto. Reſp. ad antecedens cum diſtinctione, omnia enim dependent à voluntate diuina applicante omnipotentiam, ad exiſtentiam rerum; non dependent veró à voluntate diuina imponente ſignificationem, quia hæc fundatur in eſſentia rei, quæ non dependet á diuina voluntate imponente. nam rerum eſſentiæ concipiuntur ante actum liberum diuinæ voluntatis, vt cõmuniter docét Theologi.

8 Obijcis ſecundò. Eadem res eſt ſignũ naturale, & ex inſtituto, vt patet in Iride, quæ ſignificat ex inſtituto non futurum diluuium, & naturaliter futuram pluuiam: ergo diuiſio non eſt in membra oppoſita. Reſpõd. negando conſequentiam, quia bene poteſt eadẽ res materialiter, reſpectu diuerſorũ, eſſe ſignũ naturale, & ex inſtituto, dũmodó non ſit eadẽ res ſumpta reſpectu eiuſdem, ſed cum diuerſis habitudinibus, vel relationibus, vt patet in exemplo appoſito de Iride.

9 Signum veró impoſitũ Caimo non fuit naturale, & ex inſtituto ſimul, ſed tantùm naturale, fuit enim tremor quidam, qui omnes ad miſerationem excitaret, quod naturaliter præſtat tremor. Similiter etiam Idea artificis, eſt tantùm ſignum naturale, quia à voluntate artificis, quamuis pendeat quoad exiſtẽtiam, non pendet veró quoad eſſentiam, vel quoad ſignificationem.

10 Obijcis tertió. Vox, quæ eſt ſignum ex inſtituto, nihil de nouo acquirit, quod ſimiliter ex alijs ſignis ex inſtituto dici poteſt; ergo nullum datur. Reſpond. ad antecedens cum diſtinctione, ſignum videlicet ex inſtituto nihil de nouo habere phyſicum, habere tamen aliquid morale, nempe impoſitionem.

Diluuntur obiecta contra ſecundam ſignorum diuiſionem.

11 Contra ſecundam diuiſionem obijcis primó (cum Thomiſtico Curſu in Log. q. 22. de diuiſionibus ſignorum art. 3. & 4. vbi expreſſé docet, nec ſpecies impreſſas, neque actus cognoſcendi eſſe ſigna formalia) Species nõ ſunt ſigna formalia, quia actualiter habet intellectus multas ſpecies, quæ non illi repræſentant; Deinde conceptus non ſunt ſigna formalia, quia priùs cognoſcuntur, (cognoſco enim rem per conceptum, qui eſt cognitio ſui): ergo nulla dantur ſigna formalia. Reſp. negando vtrumque antecedens, quia ſignum formale debet reddere obiectũ præſens, aut in actu ſecundo, quod facit conceptus; aut habitualiter, & in actu primo, quæ faciunt ſpecies; quæ quamuis non ſemper repræſentent actu, ſatis eſt, quòd ex natura ſua ſint repræſentatiuæ, & quòd effectiuè concurrant cum intellectu, tanquàm principia cognitionis non cognita, quæ ſe habent ex parte obiecti, ſunt ergo ſpecies ſimiles obiecto, non quidem in eſſendo, ſed in repræſentando: Conceptus veró licet cognoſcatur, *vt quo, ſeu in actu ſignato*, per actionem, qua producitur, non tamen cognoſcitur, *vt quod, & ſimpliciter*, quod tamen requirebatur, vt non eſſet ſignũ formale, de hoc tamen puncto agendum eſt diſp. 10. ſect. 1. initio.

Quo pacto ſpecies & conceptus ſint ſigna formalia. Curſus Thomiſt.

12 Inſtas. Si ſpecies ſunt ſigna formalia, quia concurrunt effectiuè; etiam intellectus concurrit effectiué: ergo etiam erit ſignũm formale. Reſpond. negando conſequentiam, quia intellectus, quamuis concurrat effectiué, non eſt repræſentatiuus, ſicut ſpecies, quæ non ſolùm effectiuè concurrunt, ſed etiam ſunt repræſentatiuæ, quia habent ſe ex parte obiecti: hac etiam de cauſa habitus non ſunt ſigna formalia, quia non ſunt repræſentatiui, nec habent ſe ex parte obiecti. Inſtas ſecundó: ſpecies non ſunt repreſentatiuæ; ergo non ſunt ſigna. Probatur antecedens, quia ſolùm concurrunt vniendo obiectum potẽtiæ. Reſpondetur negando antecedens, quia ſpecies intentionalis concurrit cum potentia loco obiecti, & ideò eſt repræſentatiua formaliter eiuſdem obiecti, vt probaui diſp. 2. ſect. 2. n. 11. & 12.

13 Obijcis ſecundò. Idem conceptus Solis reſpectu Aſtrologi eſt ſignum formale, reſpectu verò Angeli videntis conceptum eiuſdem Aſtrologi, eſt ſignum inſtrumentale: ergo hæc ſigna non opponuntur. Confirmatur, quia

Digitized by Google

quia ſpecies, quæ eſt in ſpeculo, ſignum eſt formale, ſiquidem conuenit cum reliquis ſpeciebus, & tamen eſt ſignum etiam inſtrumentale, quia percipitur priuſquàm nos ducat in cognitionem, ſiquidem, vt in Optica aliqui docent, eſt formaliter viſibilis: ergo &c. Reſpondeo negando conſequentiam, quia idem conceptus poteſt eſſe ſignum formale, & inſtrumentale ſub diuerſis formalitatibus, non ſolùm reſpectu Angeli v. g. & Aſtrologi, ſed etiam reſpectu eiuſdem Aſtrologi, ſi per aliũ conceptum ſecundum, agnoſceret ſuum conceptum Solis; & in hoc euentu, licet habitudo ad rem ſignificatam ſit eadem, nihilominùs habitudo, ſeu relatio ad potentiam, eſt diuerſa, quia quando eſt ſignum formale, non cognoſcitur conceptus, & quando eſt inſtrumentale, priùs cognoſcitur.

Species nõ videtur in ſpeculo.

14 Ad confirmationem reſpondeo in ſpeculo non videri ſpeciem (quia hæc non eſt obiectum lucidum, neque coloratum) ſed videri obiectum repræſentatũ in ſpeculo, & per ſpeciem ad oculos reflexum; quam veritatem, & rationibus, & experimentis probat Vaſq. 1. p. diſp. 30. c. 4. n. 16. cui potiùs aſſentior, quàm modernioribus aliquibus Mathematicis, qui ſe adeò fingunt aquilinos, vt ſpecies inuiſibiles videre præſumant, & vbi nullus eſt color, mille verſicolorum Iridum ſimulacra intueri imaginẽtur: Sunt igitur tam ſpecies, quæ ſunt in ſpeculo, quàm quæ ſunt in aere, (quamuis actualiter non ducant in cognitionem) ſigna formalia, quia ſunt ſolùm ſigna in actu primó.

P. Vaſq.

15 Obijcis tertió. Eſſentia Angeli cognita ab ipſo Angelo ducit Angelum in cognitionem Dei; & tamen non eſt ſignum formale, ſiquidem cognitum ducit in cognitionem: nec inſtrumentale, ſiquidem cognoſcitur per eandem cognitionem, qua Dei eſſentia attingitur: ergo datur aliquod ſignum, quod nec eſt formale, neque inſtrumentale. Reſpondetur negãdo minorem, quia eſt ſignum inſtrumentale: neque obeſt, quod per eandem cognitionem attingatur ſignum, & ſignificatum: ad eſſentiam enim ſigni inſtrumentalis ſufficit, vt prioritate rationis cognitum ducat in cognitionem, per accidens verò eſt, quòd id eueniat in hominibus per duas cognitiones, in Angelis veró per vnam tantùm, propter maioris luminis perfectionem. Iuxta hanc ſolutionem dicendum eſt, eſſentiam diuinam dici poſſe ſignum inſtrumentale creaturarum reſpectu Beatorum, quamuis per eandem cognitionem, eſſentia, & creaturæ attingantur. Vide Soarium 1. tom. in 3. p. diſp. 26. ſect. 2.

Soarius.

Quodnam ſignum ſit Phantaſma rei ſingularis, & conceptus medius?

16 Obijcis quartó. Phantaſma rei ſingularis eſt ſignum reſpectu intellectus, & tamen non eſt conſignatum in intellectu, ſed in phantaſiá: ergo non eſt ſignum formale: Deinde, neque eſt inſtrumentale, quia non cognoſcitur priùs: ergo datur aliquod ſignum, quod neque eſt formale, neque inſtrumẽtale. Reſp. eſſe ſignum formale, quia eſt medium cognitionis non cognitum habens ſe ex parte obiecti, per accidens verò eſt, quòd ſit in phantaſia, non verò in intellectu.

17 Atque hinc colliges, phantaſma fumi eſſe ſignum formale proximum reſpectu fumi, & remotum reſpectu ignis ſignificati per fumum, tam per ordinem ad phantaſiá, quàm per ordinem ad intellectum, quia ſecundùm regulam Scoti, *Quidquid eſt ſignum ſigni, eſt ſignũ ſui ſignificati,* in eodem genere ſigni, in quo ſignificat primum ſignũ. Neque obſtat, quód fumus ſignificet ignem inſtrumentaliter, nam phantaſma fumi, cùm ſit imago, & ideò ſignũ formale fumi, debet etiam eſſe ſignum formale ignis, licet remotum.

18 Inſtas. Conceptus medius eſt ſignum formale reſpectu vocis, cuius eſt imago; & tamen non eſt imago, neque ſignum formale remotum reſpectu cõceptus vltimi, & rei, ſed ex inſtituto: ergò licet phantaſma fumi ſit ſignum formale fumi, erit inſtrumentale ignis, quem fumus inſtrumẽtaliter ſignificat. Reſponderi poteſt primò, conceptum medium nullo modo eſſe ſignum conceptus vltimi nec rei: non formale, neque inſtrumentale naturale, quia nullam habet proportionem cũ re, aut cum conceptu vltimò, quam tamen proportionem habet phantaſma fumi cum igne. Deinde conceptus medius nón eſt ſignum ex inſtituto, quia nullo modo fuit impoſitus ad ſignificandum conceptum vltimum, aut rem. Vnde quando Scotus dixit, *Quidquid eſt ſignum ſigni, &c.* intelligendus eſt, quando inter ſignum, & vltimum ſignificatum detur aliqua proportio.

19 Reſpõderi poteſt ſecundó, conceptũ medium poſſe eſſe ſignũ formale vocis & deinde ex inſtituto, impropriè tamẽ reſpectu cõceptus vltimi, & rei, quia hoc pendet ex libera hominum impoſitione, qui extenderunt ſuam ſignificationẽ in conceptu medio, hoc pacto, vt non ſolùm vox ſignificaret rẽ ex inſtituto,

Digitized by Google

ſed etiam vt conceptus medius vocis, ratione ipſius vocis ſignificaret etiam ex inſtituto rem, & conceptum vltimum, quod tamen non accidit in phātaſmate fumi erga ignem, quia eius repræſentatiò eſt naturalis, & non pendet ab hominum voluntate, quaré licet immediaté non ſignificet ignem, repræſentat tamen illum, mediante fumo, quem immediatè ſignificat phantaſma. Vnde illud axioma, *Quidquid eſt ſignum ſigni &c.* debet intelligi de ſignis, quæ habeant aliquam proportionem naturalem: atque ita demum inſtantia de fumeo phantaſmate euanuit in fumum, quod multis iunioribus maiorem incutit horrorem, quam nocturnum aliquod phantaſma, aut laruaticum occurſaculi terriculamentum.

SECTIO II.

De Eſſentia ſigni in communi.

1 Prima concluſio: Eſſentia ſigni conſiſtit in repræſentatione, cum duplici reſpectu eſſentiali ad rem, & ad potentiam: Hæc eſt communis: Probatur, quia tria hæc exprimuntur in definitione ſigni, quæ ſic communiter traditur: *Signum eſt, quod potentiæ cognoſcenti aliquid repræſentat*. Confirmatur, quia reſpectus ad potentiam variat eſſentiam ſigni; nam ſignum formale, & inſtrumentale diſtinguuntur ex eo, quód inſtrumentale priùs cognitum, formale veró nō cognitum ducat in cognitionem.

2 Obijcis. Verbum diuinum eſt ſignum creaturarum, reſpectu intellectus Beatorum; & tamen non dicit duplicem illum reſpectū, (vt docent Conimbr. cap 1. de Signis. q. 4. ar. 2. §. Ad ſecundum,) ſiquidem Verbum diuinum eſt incapax talis reſpectus eſſentialis, ſeu tranſcendentalis: ergo ſignum non includit duplicem illum reſpectum Reſp. Verbum diuinum non eſſe ſignum primarium reſpectu creaturarum, vnde mirum non eſt, ſi non dicat materialiter illum duplicem reſpectum; ſi tamen Verbum diuinum formaliter ſumatur, quà ſignum, & repræſentatiuum creaturarū, tūc etiam dicit reſpectum ad creaturas, vt docet D. Thom. 1. p. q. 34. art. 3. quam ſententiam ſequitur Soar. lib. 9. de Trinit cap 6. n. 21. reſpectus autem tranſcēdentalis rationis non arguit imperfectionem, quando eſt ratione alicuius muneris præſtandi, non verò ratione muneris recipiendi. Ex quibus colligo, Verbū diuinum formaliter ſumptum, quà ſignū eſt, dicere etiam reſpectum rationis ad potentiā, cui ſignificat.

Conimbr.

D. Thom.

P. Soar.

3 Inſtas. Verbum diuinum eſt ſignum, non ratione illorum reſpectuum, ſed ratione ſui: ergo non conſtituitur ſignum per illum duplicem reſpectum. Reſp. Verbum diuinum per ſe eſſe ſignum fundamentaliter, formaliter veró per duplicem reſpectū, quemadmodùm fumus v. g. fundamentaliter eſt ſignum ignis per ſuam proportionem naturalem, quā habet cum igne, formaliter verò per duplicē reſpectum.

4 Inſtas iterum. Verbum diuinū eſt ſignum creaturarum reſpectu Patris, non tamē per illos reſpectus rationis, quia Verbum diuinum repræſentat Patri creaturas, per ſuam met eſſentiam. Reſpondeo ſupponere falſum, quod verbum ſit ſignum formale reſpectu Patris; quia ſignum formale poſtulat ex natura ſua, vt non cognitum ducat in cognitionem, quod nō poteſt conuenire Verbo diuino, de quo infra. Ex quibus patet, omne ſignum dicere illum duplicem reſpectum ad rē, & ad potentiam.

5 Secunda concluſio. Signum formale, etiam materialiter ſumptum, dicit illum duplicem reſpectum eſſentialem, ſeu tranſcendentalem. Probatur, quia ſignum formale, etiam materialiter acceptum, eſt formaliter, & primariò ſignum, quia ſunt cōceptus, vel ſpecies, quæ ab obiectis pendent exemplariter, & dicunt ordinem eſſentialem ad potentias, vt videbimus: Vnde non conſtituūtur formaliter ſigna per reſpectus aliquos ſuperadditos (vt contingit in ſignis inſtrumentalibus) ſed per ſuammet eſſentiam formaliter, & eſſentialiter ſunt ſigna, & in hoc duplici reſpectu eſſentiali fundantur relationes prædicamentales, in quibus prætereà formaliſſimè conſiſtit ratio horum ſignorum.

Signū formale dicit eſſentialiter duplicem reſpectum.

6 Tertia concluſio. Signa inſtrumētalia materialiter ſumpta non dicunt formaliter, & eſſentialiter ordinem ad potentiam, neque ad rem ſignificatam; dicunt tamen, ſi formaliter ſumantur, id eſt, quà ſigna ſunt. Probatur prima pars, quia ſigna inſtrumentalia, ſi materialiter ſumantur, ſunt res abſolutæ, quæ non pendent eſſentialiter á potentia, neque à re ſignificata, vt patet in igne, qui quamuis non daretur potētia, cui repræſentaret, & quamuis non eſſet ſignum alterius ignis, adhuc eius materialitas eſſet poſſibilis.

7 Probatur ſecunda pars, quòd ſcilicet formaliter ſumpta dicant duplicem reſpectum; quia ratio ſigni formaliter ſumpti non poteſt intelligi, ſine hoc duplici reſpectu formali, ſeu tranſcendentali: ergo ſigna inſtrumentalia ſumpta formaliter dicunt hunc dupli-

Digitized by Google

duplicem reſpectum, ſiue realem, ſiue rationis, vt videbimus. Ex quibus patet diſtinctio inter ſignum formale, & inſtrumentale; nam ſignum formale etiam materialiter, dicit illum duplicem reſpectum: at verò inſtrumentale non, niſi formaliter. In ſigno igitur formali, præter reſpectus tranſcendentales, nihil aliud reperitur, quam relationes prædicamentales tam ad rem, quàm ad potentiam: at verò in ſigno inſtrumentali quatuor reperiuntur: Primum, eſt materialitas rei, fumus v. g. pro qua dicitur ſignum fumi materialiter: Secundum, eſt fundamentum ad ſignificandum, pro quo dicitur fumi fundamentaliter (quod fundamentum in ſignis naturalibus, eſt proportio ad ſignificandum, in ſignis verò ex inſtituto, eſt impoſitio:) Tertium eſt vterque reſpectus tranſcendentalis, pro quibus ſumuntur ſigna formaliter: Quartum ſunt relationes prædicamentales ad rem, & ad potentiam, in quibus dicuntur formaliſſimè conſiſtere hæc ſigna.

Aduerte diligẽter.

Vtrùm ſit eadem relatio cauſæ cum relatione ſigni?

8 QVarta concluſio. Relatio ſigni diſtinguitur eſſentialiter à relatione cauſæ, vel effectus, (etiam in ſignis, quæ ſunt cauſæ, vel effectus,) non quidem materialiter, ſed formaliter. Huic concluſioni fauet D. Thom 1. p. q. 10. art. 2. & 3. p. quæſt. 60. art. 1. vbi rerum diuiſiones facit in cauſas, & in ſigna, tanquàm in membra oppoſita. Probatur concluſio, quia dantur multa ſigna, quæ non ſunt cauſæ, neque effectus, & tamen ſunt vera ſigna: ergo ratio, ſeu relatio ſigni non conſtituitur in ratione, ſeu relatione cauſæ. Confirmatur primò, quia ratio formalis in ſigno eſt diſtincta à ratione formali cauſæ, vel effectus, quia ſignum reſpicit ſignificatum, vt quid oſtenſibile: at verò cauſa reſpicit effectum, vt quid producibile: ergo hi reſpectus, & ſimiliter relationes eſſentialiter differunt. Confirmatur ſecundò, quia res poteſt eſſe actualiter cauſa, vel effectus, neque tamen actualiter ſignum, & propterea diuiditur ſignum à Conimbricenſibus cap. 1. de Signis q. 2. art. 3. ſect 2. §. Diuus Baſilius; in actuale, & potentiale.

D. Thom.

Patres Conimbr.

9 Obijcis primò pro contraria ſententia, quam ſequuntur Conimbricenſes, q. 1. de Signis. art. 1. §. Vnde colligitur, & quæſt. 4. art. 2. §. Ad ſolutionem. Relatio ſigni ad rem coincidit cum relatione cauſæ: ergo &c. Probatur antecedens, quia relatio cauſæ ad effectum fundatur in virtute, per quam cauſa operatur: ſed hæc eadem virtus cauſæ, eſt fundamentum relationis ſigni: ergo &c. Reſpond. negando antecedens ad probationem reſpondendum eſt: fundamentum tam relationis cauſæ ad effectum, quam ſigni ad ſignificatum eſſe idem materialiter, formaliter verò eſſe diuerſum. nam quemadmodùm albedo eadem poteſt eſſe fundamentum remotum relationis ſimilitudinis, & diſſimilitudinis; ita eadem virtus cauſæ, prout eſt productiua effectus, eſt fundamentum relationis cauſæ; & prout eſt oſtenſiua rei ſignificatæ, eſt fundamentum relationis ſigni.

10 Obijcis ſecundò. In Verbo diuino eadem eſt relatio imaginis, & Filij, reſpectu Patris: ergo ſimiliter in ſigno, ſi fuerit effectus, eadem eſt relatio ſigni, & effectus. Reſpõdeo, quód, præterquàm quòd Filius non dicatur effectus Patris, neque Pater cauſa Filij, vt eſt communis ſententia Theologorum, adhuc tamen in filio diſtinguitur ratio Filij à ratione imaginis, ſecundùm noſtros inadæquatos cõceptus, vt colligo ex Soario lib. 9. de Trinit. cap. 9. n. 6. fine. Filius enim (vt ipſe ait) formaliùs importat relationem procedentis; imago verò formaliùs (hoc eſt expreſſiùs) importat relationem ſimilitudinis, quia Filius, & imago non ſunt ſynonima.

P. Soar.

Vtrùm ſignum ſit compoſitum per accidens?

11 QVinta concluſio. Signum, abſolutè loquendo, non eſt compoſitum per accidẽs. Probatur, quia ſignũ formale eſt ens per ſe, cum ſit ſignum primarium. Probatur antecedens, quia ex eo non eſſet ens per ſe, quia habet duplicem reſpectum; ſed hoc non obſtat: ergo &c. Probatur minor, quia quando reſpectus ſunt eſſentiales, ſiue tranſcendentales, & non ſuperadditi, non componunt aliquid per accidens, ſed ita ſe habent hi duo reſpectus in ſigno formali: ergo &c. maior conſtat in actione, quæ eſt ens per ſe, & prædicamentale, & tamen componitur ex duplici reſpectu ad agens, & ad terminum: minor verò conſtat ex ſecunda concluſione. Quæ doctrina noua videri non debet, nam Conimbr. in lib. Prior. cap. 1. q. 1. art. 2. §. Eſt tamen quæſtio: affirmant, propoſitionem mentalem eſſe verum genus, cùm tamen ſit conceptus

Signũ non eſt cõpoſitũ per accidens.

Digitized by Google

quidam, qui eſt eſſentialiter ſignũ; vnde non loquuntur cohærẽter abſoluté dicendo ſignum eſſe compoſitum per accidens. *Patres Conimbr.*

12 Dixi, *abſolutè loquendo*, quia ſignũ inſtrumentale eſt compoſitum per accidẽs, quãuis enim ille duplex reſpectus ſit eſſentialis ſigno inſtrumentali, quà ſigno, nihilominùs ſunt ſuperadditi rei materiali, v. g. fumo: at verò fumus cum illo duplici reſpectu eſt compoſitum per accidens, vt conſtat.

13 Obijcis. Illi reſpectus, ſeu habitudines ſunt conceptui ſuperadditæ: ergo cõceptus, vel ſignum quoduis formale eſt compoſitum per accidens. Probatur antecedens, quia conceptus, præter duplicem reſpectum, dicit ſuam repræſentationẽ. Reſpõdeo negãdo antecedẽs, quia illamet repræſentatio cõſiſtit in eo duplici reſpectu tráſcendẽtali: ſicut quãtitas, quamuis ſit quoddam ens abſolutũ, eſt tamen quoddã relatum tráſcendens ad ſubſtãtiam; (& idem eſt exemplum in creatura reſpectu Dei.) Et tamen eſt vnum ens per ſe.

14 Sexta concluſio. Omne ſignum tam formale, quàm inſtrumentale, ſi formaliſſimè ſumatur pro duplici relatione ad rem, & ad potentiam, eſt compoſitum per accidens. Probatur, quia hæ relationes ſunt omnino ſuperadditæ, vt conſtat.

15 Obijcis. Nõ datur duplex relatio in ſigno ad potentiam, & ad rẽ: ergo &c. Probatur antecedens, quia ſignum neceſſariò poſtulat potentiam, cui ſignificet & rem quam ſignificet: ergo non habet duplicem relationem. Probatur conſequẽtia, quia quando termini neceſſarió poſtulantur, vna ſufficit relatio, ſicut contingit in ſpecie reſpectu ſuorum inferiorum. Reſp. negando antecedens, & ad probationẽ danda eſt maior ratio, quando enim termini ſunt eiuſdem rationis, & idem fundamentũ, vna tantùm datur relatio, vt patet in adducto exẽplo. Quãdó verò termini ſunt diuerſæ rationis, vt eſt potẽtia, & res ſignificata, requiritur diuerſa relatio. Hinc eſt, quòd indiuiduũ, licet neceſſariò reſpiciat ſpeciem, & genus, (quando participat vtrumque) nihilominùs duplicẽ dicit relationem, ad vtrũque, vt dixi diſp. 6. ſect. 4. n. 14.

De Relationibus ſignorum.

16 Septima concluſio. Reſpectus, & relationes ſigni formalis ad potentiam, ſunt reales. Probatur, quia habẽt omnia requiſita, nempe terminos reales, realiter diſtinctos, & realiter exiſtentes: Relationes verò, & reſpectus eiuſdem ſigni ad rem, aliquando ſunt reales, quãdo ſcilicet res ſignificata eſt, & exiſtit realiter: aliquando verò ſunt rationis, quando ſcilicet res ſignificata neque eſt neque exiſtit realiter: vt patet in conceptu tenebrarum, quæ non ſunt aliquid reale poſitiuũ, & propterea non poſſũt terminare relationẽ, ſeu reſpectũ realem. Neque obſtat quód res poſitiua, & realis, qualis eſt conceptus, dependeat á negatione, neque enim depẽdet quòad exiſtẽtiã, ſed quóad eſſentiam, & exemplariter, ad quod nõ requiritur in termino eſſe reale poſitiuum.

17 Octaua concluſio. Relationes ſigni inſtrumentalis ad potentiã ſunt rationis, quia imprimis fundantur in eorum intelligibilitate, quæ eſt negatio, & præterea talia ſigna nõ ordinantur ad potentiam: relationes veró ad rẽ aliquãdo ſunt reales, vt patet in ſignis naturalibus, quãdo ſunt cauſæ, & habẽt effectus reales, & poſitiuos, aliquando ſunt rationis, vt patet in ſignis ex inſtituto.

18 Ex doctrina huius ſectionis, tanquàm omnino certum colligo, omne ſignum dicere duplicem illam habitudinem; cum hac tamen diſtinctione, quòd ſigna inſtrumentalia ſolùm formaliter, ſigna verò formalia, non formaliter ſolùm, ſed etiam materialiter ſumpta, dicant hos duos reſpectus, quia eſſentialiter ſunt ſigna. Vnde ſequitur, quia quoties potentiæ, cui ſpecies vel conceptus repræſentet, ſunt impoſſibiles, ſpecies etiam, & conceptus, per locum intrinſecũ impoſſibiles ſint. Quapropter ideò impoſſibilis eſt ſpecies corporea repræſentatiua rei vniuerſalis, quia nõ datur potẽtia corporea, cui poſſit inſeruire. Et ſimiliter impoſſibilis eſt ſpecies ſupernaturalis, quæ Deum comprehenſiuè repræſentet, quia nulla dari poteſt potentia creata, quæ Deum comprehendat, vt de fide credit Soar. tract. 1. in Sum. lib. 2. cap. 5. n. 2. Species verò ſupernaturalis quæ Deum clarè, & quidditatiuè, nõ verò comprehenſiuè repræſentet, ideò poſſibilis eſt (vt docet Soar. in Sum. tract. 1. lib. 2. cap. 13. n. 10. Mol. 1. p. q. 12. art. 2. diſp. 1. §. Quarta concluſio: & nos etiam cum multis alijs ſequemur in Met. tract. 1. diſp 49 ſect. 2.) quia talis ſpecies diceret ordinem ad intellectum creatum eleuatum. *P. Soar.* *Soarius. M. Molin.*

SECTIO III.

De diſtinctione inter ſignũ, & ſignificatum, & inter ſignum, & potentiam.

1 Prima concluſio. Probabiliùs eſt, inter ſignum, & ſignificatũ ſufficere diſtinctionem

Digitized by Google

Inter ſignũ, & ſignificatum ſufficit diſtinctio virtualis.

tionem virtualem, ſiue hæc diſtinctio ſit perfecta, qualis datur, quando duæ res ita diſtinguantur, vt neutra includatur in conceptu obiectiuo alterius, quo pacto ſe habent animal, & rationale in Socrate: ſiuè hæc diſtinctio ſit imperfecta, quando ſcilicet vna ratio obiectiua eſſẽtialiter aliam includit, & tãtùm datur diſtinctio, ratione conceptus magis, vel minùs expreſſi, quo pacto diſtinguitur ſubſtantia ab ente, quia in conceptu ſubſtantiæ includitur ens; & hoc etiam modo diſtinguitur virtualiter vnum attributum Dei ab alio; quamquàm vnum attributum reliqua eſſentialiter includat, vt cum multis ſentit Soar. in Sum, tract. 1. lib. 1 cap. 1.

2 Probatur concluſio. Id, quod virtualiter ab aliquo diſtinguitur, verè, & propriè dicitur aliud: ergo inter ſignum, & ſignificatũ ſufficit diſtinctio virtualis, hæc enim diſtinctio ſatis eſt, vt ſaluetur definitio ſigni, quæ poſtulat, vt ſignum aliquid à ſe diſtinctũ potẽtiæ repræſentet. Probatur antecedens, quia ſufficit diſtinctio virtualis inter cauſam, & effectum, vt detur vera ratio cauſæ: ſed omnis cauſa eſt ſignum ſui effectus: ergo ſufficit diſtinctio virtualis inter duo, vt vnum verè, & propriè dicatur eſſe diſtinctum ab alio. Probatur maior, quia præmiſſæ obiectiuæ ſunt veræ cauſæ concluſionis, & tamẽ poſſunt diſtingui virtualiter tantùm à concluſione, vt cõtingit, quando vnum attributum diuinum per aliud demonſtratur. Confirmatur, quia conceptus ſingularis eſt ſignum conceptus cõmunis, & tamen tantùm virtualiter diſtinguuntur, ſecundùm ſententiam D. Thomæ.

3 Obijcis primò pro ſententia, quæ diſtinguit ſignum, & ſignificatum ex natura rei. Signa formalia ſunt imagines rerum; ſed imagines diſtinguuntur realiter à rebus, quarum ſunt imagines: ergo ſigna formalia diſtinguuntur à ſuis ſignificatis. Reſpondeo primò concedendo totum, neque enim aſſerimus nulla ſigna diſtingui realiter, ſed ſufficere diſtinctionem virtualem, quæ quamuis non reperiatur inter ſigna formalia, & ſignificata, inter alia tamen ſigna reperiri poteſt.

4 Reſpondetur ſecundò diſtinguendo minorem: Imagines diſtinguuntur realiter à rebus ſignificatis, ſi ſint imagines intẽtionales, nego minorẽ: (Vnde cõceptus ſingularis poterit eſſe imago intẽtionalis cõceptus cõmunis, quamuis virtualiter tãtum diſtinguatur:) Imagines reales diſtinguuntur realiter à rebus ſignificatis, concedo minorem. Proptereà enim Verbum diuinum nõ eſt imago Dei, ſed Patris, quia à Deo nõ diſtinguitur realiter, à Patre verò maximé: hoc veró nõ tollit, quominus Verbum diuinum ſit ſignum Dei, minùs enim requiritur ad rationem ſigni, quàm ad rationem imaginis.

5 Quando dicimus Verbum eſſe imaginem Patris, ita intelligendum eſt, vt non ſit imago Paternitatis, neque Deitatis, quia neque à Paternitate, neque à Deitate procedit, ſed à Patre: Vnde ſolùm eſt imago Patris, quatenus Pater, præter relationem, includit Deitatem.

6 Obijcis ſecundó. Signum ante operationem intellectus repræſentat aliquid potentiæ cognoſcenti: ergo requirit diſtinctionem pluſquàm virtualem, ſiquidem hæc ſolùm datur per intellectum. Reſpondeo diſtinguẽdo antecedens: repræſentat aliquid ſemper in re diſtinctum, nego antecedens: repræſentat aliquid diſtinguibile, & quod habet fundamentum in re, vt diſtinguatur, concedo antecedens. Quamuis enim virtualis diſtinctio ſolúm detur formaliter per intellectum, tamen fundamentaliter iam datur ante operationem intellectus; quarè, ſicut formaliter loquendo, vnum, quod diſtinguitur ab alio virtualiter, non dicitur idem, ſed diuerſum, ita ſimiliter poteſt dici ſignum.

De diſtinctione inter ſignũ, & potentiam.

7 Secunda concluſio. Inter ſignum, & potentiam ſufficit etiam diſtinctio virtualis. Probatur primò, quia intellectus diuinus in bona opinione, quæ aſſerit, vti ſignis inſtrumentalibus, non diſtinguitur, niſi tantúm virtualiter ab omnipotentia, quæ illi eſt ſignum inſtrumentale creaturarũm. Probatur ſecundó: quia intellectus Angeli poteſt cognoſcere differentiam indiuiduãtem ipſius intellectus, & ex illa venire in cognitionẽ Dei, cum hæc differentia ſit quidam effectus Dei: ſed differentia indiuiduans ſolúm virtualiter diſtinguitur ab ipſo intellectu Angeli: ergo &c. Vbi obiter notabis poſſe dari ſignum, quod virtualiter tantùm diſtinguatur à potẽtia, & à ſignificato, ſi ſcilicet intellectus Angeli, cognoſcendo ſuam differentiam indiuiduantem, veniat in cognitionem alicuius gradus metaphyſici ſuperioris, ex quo intellectus ipſe componitur.

8 Obijcis. Intellectus Angeli in propoſito exemplo diſtinguitur realiter á ſua differentia indiuiduante, ſiquidem intellectus cognoſcens ſumptus cum conceptu diſtinguitur realiter á ſe ipſo ſine conceptu; & conſequenter diſtinguitur etiam realiter à ſua differentia indiuiduante. Reſpondeo non debere intellectũ Angeli in eo caſu ſumi cum ea reduplicatione, ſed ſimpliciter, & hoc pacto nõ eſt dubium ſignum aliquod, nempe differẽtiam indiuiduantem intellectus, ſolùm virtualiter

Digitized by Google

diſtingui ab ipſo intellectu) nam ex oppoſita ſententia ſequitur nullum dari ſignum inſtrumentale, quod non diſtinguatur etiam realiter à ſignificato; ſiquidem omne ſignum inſtrumentale deberet neceſſariò ſumi cum reduplicatione cogniti, & nihilominùs abſoluté dicimus, poſſe dari ſignum aliquod inſtrumentale, quod non diſtinguatur realiter à re ſignificata, vt patet in vno attributo diuino, quod cognitum duceret in cognitionē alterius: ergo ſimiliter &c.

9 Tertia concluſio. Inter ſignum, & potentiam, & inter ſignum, & ſignificatum non ſufficit diſtinctio rationis ratiocinantis. Probatur, quia id, quod diſtinguitur ſolúm per rationem ratiocinantem, nō poteſt dici multiplex, & diuerſum cum fundamento in re; ſignum veró, cum ſit medium inter potentiam, & ſignificatum, aliquo modo debet eſſe diuerſum ab vtroque, quod indicant illæ particulæ, *quod potentiæ cognoſcenti aliquid repræſentat*.

10 Obijcis primò. Sufficit oppoſitio per rationem ratiocinantem, vt detur relatio rationis, vt contingit, quando diuido Socratem in prædicatum, & ſubiectum, in hac propoſitione, *Socrates eſt Socrates*, in qua datur relatio inter prædicatum, & ſubiectum: ergo etiam ſufficit diſtinctio rationis ratiocinantis inter ſignum, & ſignificatum, vel inter ſignū, & potentiam. Reſpond. negando conſequētiam: maior ratio eſt, quia ratio ſigni non ſolùm prouenit ab intellectu, ſed debet obiectiuè dari in re, quæ eſt ſignū, debet enim habere vim ad repræſentandum: at verò diſtinctio rationis prouenit ſolùm ab intellectu, & ſimiliter relatio rationis, & ideò non requirit tantum fundamentum in re obiectiua.

11 Obijcis ſecundò. Si intellectus Angeli ſe ipſum cognoſcat, veniet Angelus in cognitionem Dei, & tamen nec virtualiter diſtinguitur talis intellectus à ſe ipſo: ergo non ſemper diſtinguitur, nec ſaltem virtualiter ſignum, & potentia, quia in hoc caſu intellectus eſt ſignum ſui ipſius. Reſp. in ſimili caſu intellectum non eſſe ſignum, ex defectu diſtinctionis, quia ſignum eſt medium inter potentiam, & rem; ſi veró ſumatur intellectus cum cōceptu, per quem ſe cognoſcit, tūc quidem realiter diſtinguitur à ſe, & ideò nihil colligit argumentum.

12 Inſtas. Nihil poteſt cognoſci ſine ſigno in actu ſecundo: ergo intellectus per aliquod ſignum ſe cognoſcit, nō apparet aliud, præter ipſum intellectum: ergo erit ſignum ſui ipſius. Reſp. nihil poſſe cognoſci ſine ſigno in actu ſecundo, ideſt, ſine conceptu, & ita fit in hoc caſu, vbi intellectus non ſe cognoſcit, niſi per conceptum. Scio dici ab aliquibus in eo caſu intellectum Angeli diſtingui realiter à ſua entitate, ſi ſumatur ſimul cum conceptu, quem tunc format de ſe ipſo: ſed hæc ſolutio nobis non placet, qui aſſerimus ſignum, & potentiam ſumēda eſſe ſimpliciter, vt patet ex dictis: nihilominùs ſi in hoc caſu ſumatur intellectus Angeli, cum illo conceptu, per quem cognoſcit ſe, nemo dubitat dari diſtinctionem realem.

SECTIO IIII.

De Potentijs, in quibus inuenitur Vſus ſignorum.

1 PRima cōcluſio. Intellectus diuinus non poteſt vti ſignis formalibus, neque in actu primo, neque in actu ſecundo; & quidem quòd Deus nō poſſit vti ſigno formali, quòd ſit ſpecies, vel conceptus accidentalis, communis eſt ſententia Theologorum, & videri poteſt Soarius in Met. diſp. 30. ſect. 5. vbi demonſtrat non eſſe in Deo compoſitionem accidentalem, quia Deus habet totum ſuum eſſe per eſſentiam: ſi veró Deus poſſet vti aliqua ſpecie, per quam poneretur in actu primo, foret Deus potētia paſſiua, proindeque imperfectus, cui ſimiliter poſſet addi aliqua externa perfectio, quod tamen implicat. Cōfirmatur, quia Deus ſemper eſt per ſe, & connaturaliter in actu ſecūdo cognitionis: ergo non indiget aliqua ſpecie, per quam ponatur in actu primo. Deus nōn vtitur ſigno formali. P. Soar.

2 Præterea, Deus non poteſt vti ſigno formali in actu ſecundo, quia ſignum formale eſt illud, quod incognitum ducit in cognitionem: ſed nihil poteſt latere diuinam cognitionem: ergo nihil poteſt habere rationem ſigni formalis, erga Deum.

3 Obijcis. Verbum eſt imago Patris; ſed omnis imago eſt ſignum: ergo Verbum diuinum eſt ſignum formale reſpectu Patris. Reſpond. diſtinguendo minorem: omnis imago, quæ ex natura ſua poſtulat cognoſci, eſt ſignum formale, nego minorem. Omnis imago, quæ ex natura ſua non poſtulat cognoſci, eſt ſignum formale, concedo minorem. Cum igitur Verbum eſſentialiter poſtulet cognoſci à Patre, non erit ſignum formale, reſpectu Patris: at verò Verbum creatum, cum non poſtulet ex natura ſua cognoſci, erit ſignum formale.

4 Inſtas. Viſio beata eſt ſignum formale reſpectu Beatorum, cum ſit conceptus quidam expreſſus: & tamen Beati cognoſcunt intui-

Digitized by Google

intuitiuè ipſam viſionem beatam: ergo licet Deus cognoſcat Verbum diuinum intuitiuè, poterit tamen vti ipſo Verbo, tanquàm ſigno formali. Reſpondeo negando conſequẽtiam: maior ratio eſt, quia per accidens Beati cognoſcunt intuitiuè ſuam viſionem beatam, quatenus ſcilicet ea cognitio adeò eſt perfecta, vt ſimul etiam attingat ipſam viſionem, ſeu ipſum conceptum expreſſum, qui tamen naturaliter non poſtulabat cognoſci: at verò Deus non per accidẽs, ſed neceſſariò cognoſcit Verbum intuitiuè, & comprehenſiuè.

5 Dixi, viſionem beatam cognoſci per accidens, &, *vt quo*, à Beatis, quia poteſt quis eſſe beatus, quin intuitiuè cognoſcat ipſam viſionem: Quod ſic probo. Poſſibilis eſt viſio beata, quæ non attingat aliquam creaturam in particulari, vt probat Soar. de Attributis lib 2. cap 26. num. 10. cum D.Thoma, Scoto, Soto, Caietano, Capreolo, & alijs, quos citat; ſed viſio beata eſt res creata: ergo bene poteſt viſio terminari intuitiuè ad primarium obiectum, nempe Deum, quin terminetur in ſe ipſam intuitiuè. Si verò viſio beata eſſet obiectum, *vt quod*, & per ſe, nullo modo eſſet ſignum formale, vt patet, quia tũc neceſſariò cognoſceretur, nõ vt medium, ſed vt terminus.

D.Thom. Soarius. Scotus. Sotus. Caietan. Capreol.

Vtrùm Deus vtatur ſigno inſtrumentali?

6 SEcunda concluſio. Intellectus diuinus vtitur ſigno inſtrumentali naturali increato, ad cognoſcendas creaturas poſſibiles. Hæc concluſio difficilior eſt, quàm præcedens, eſt tamen de mẽte illorum, qui aſſerunt Deum cognoſcere creaturas poſſibiles, etiam in ſua eſſentia diuina, tanquàm in cauſa: quam ſententiam ſequitur D. Thomas 1. p. q. 14 art. 5. & 6. Durand. Caiet. & alij communiter, quos citat, & ſequitur Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 2. n. 3. Eandem ſententiam ſupponit Sal. tom. 1. in 1. 2. tract. 2. diſp. 4 n. 45. ſect. 4. §. Cæterum. Mol etiam 1. p. q. 14. art. 5. & 6. diſp. vnica. § Quartò probatur, & §. Secunda concluſio. idem docent Val. Erice, Gran. Roiz. & alij quos citat Iacobus de Alarcon. 1 p. tr. 2. diſp. 2. cap. 3. n. 1. qnanuis ipſe oppoſitum ſequatur cum alijs quos n. 4. refert.

D.Thom. Durand. Caietan. Soarius. Molina. Valentia. Erice. Granad. Roizius. Alarcon.

7 Probatur concluſio, quia ſignum inſtrumentale eſt medium, quod cognitum ducit in cognitionem: ſed Deus cognoſcit creaturas poſſibiles in ſua omnipotentia, tanquàm in medio cognito: ergo omnipotentia eſt ſignum inſtrumentale reſpectu Dei, ac proinde Deus vtitur ſigno inſtrumentali naturali increato: maior huius ſyllogiſmi eſt certa; minor approbatur maximè a Soario citato, dum aſſerit ſibi videri veriſſimam hãc ſententiam, quæ docet Deum cognoſcere creaturas poſſibiles tanquàm in cauſa: & probatur ratione, quia cognitio, qua Deus cognoſcit ſuam omnipotentiam, eſt comprehenſiua: ergo cognoſcit quidquid poteſt omnipotentia: ergo, ex vi huius cognitionis, cognoſcit creaturas poſſibiles, non quidem concomitanter in ſe ipſis, ſed in ipſa omnipotentia. Nam ſi per hanc cognitionem, non attingeret Deus creaturas in ipſa omnipotẽtia, non eſſet hæc cognitio comprehenſiua omnipotentiæ, ſiquidem nõ attingeret id, ad quod extenditur ipſa omnipotẽtia.

8 Confirmatur eadem minor, quia quò res aliqua inferior per altius, & nobilius medium cognoſcitur, eò perfectiùs cognoſcitur: ſed diuina omnipotentia eſt medium excellentiſſimum: ergo in ea, tanquàm per mediũ, cognoſcit Deus creaturas: neque tamen hæc cognitio tollit quòd obiectum illud ſecundarium, nempe creaturæ in ſe ipſis, etiam, & directè cognoſcantur, vt admittit Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 2. num. 4. Confirmatur etiam, quia cognitio nobiliſſima eſt illa, in qua ex vi cauſæ cognoſcitur effectus: ergo hæc tribuẽda eſt Deo circa poſſibilia, ita vt ex vi ſuæ omnipotentiæ, quæ eſt cauſa poſſibilium, cognoſcantur effectus poſſibiles, & connexiones, quæ neceſſariò dantur in ipſa omnipotentia, ad creaturas. Ex quibus patet conſequentia.

P. Soar.

9 Scio, Vaſq. 1. p. diſp. 60. cap. 2. aſſerere Deum nõ videre creaturas in ſe tanquàm in cauſa, ſed tãquàm in ſimilitudine expreſſa, vel tanquàm in ſpecie, non quidem accidentali, ſed eſſentiali; Sed noſtra concluſio habet eandem vim in vtràque ſententia, ſiquidem vtrobique cognoſcuntur creaturæ ex vi eſſẽtiæ diuinæ, quæ ſe habeat tanquàm cauſa, vel tanquàm ſpecies cognita.

P. Vaſq.

Refutatur contraria ſententia.

10 OBijcis igitur primò pro contraria ſententia, quæ hodie defenditur à multis Recentioribus. Si intellectus diuinus cognoſceret creaturas ex vi omnipotentiæ cognitæ, diſcurreret virtualiter: ſed Deus non poteſt diſcurrere virtualiter: ergo non cognoſcit creaturas ex vi omnipotentiæ cognitæ, ac proinde non poteſt vti ſigno inſtrumentali. Reſpondeo primò negãdo minorem, vt enim ſentit Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 2. §. Non hæc; & §. Alia

Digitized by Google

obiectio; nullum eſt inconueniens concedere in Deo virtualem diſcurſum, ſicut concedimus vnum attributum eſſe cauſam virtualem alterius, quia ſimplex Dei cognitio poteſt cõcipi, tanquàm duo actus virtute diſtincti, & dependentes virtualiter, prout videlicet tendit in omnipotentiam, & ex vi omnipotentiæ cognitæ, tendit in creaturas; atque ita ex cognitione ſui tranſit Deus ad cognitionem creaturarum, vt à nobis poſſint ibi concipi, quaſi duo actus ratione diſtincti, quorum vnus ſit ratio alterius.

Deus neq; virtualiter diſcurrit vtẽdo ſigno inſtrumentali.

11 Reſpondetur ſecundò, negando maiorem, quia poteſt Deus per eundem actum ſimpliciſſimum cognoſcere ſuam eſſentiam, ſeu omnipotentiam primarió, & ſecundarió creaturas, quin detur aliquis diſcurſus virtualis in hoc actu, quia de eſſentia diſcurſus eſt quòd dentur ſaltem duo actus virtualiter diſtincti, cum aliqua dependẽtia: at veró Deus, ex eo, quód, comprehendit, per vnum actum ſuam omnipotentiam, eâdem cognitione neceſſarió attingit ſuam omnipotentiam, & cõnexiones creaturarum, quæ dantur in eâdem omnipotentia; adhuc tamen dabitur ratio ſigni inſtrumentalis, quia Deus cognoſcit creaturas, quæ ſunt obiectum ſecundarium ex vi primarij obiecti. Neque obſtat, quòd non ſupponatur eſſentia, ſeu omnipotentia diuina cognita per diuerſam cognitionem, de eſſentia enim ſigni inſtrumentalis ſolùm eſt, vt cognitum ducat in cognitionem, quod veró fieri hoc poſſit per eâdem ſimplicem cognitionem, per accidens eſt ad rationem ſigni inſtrumentalis, vt eſt cõmunis doctrina apud Conimbricẽſes in Log. cap. 1. de Signis. q. 2. art. 3. ſect. 3. §. Iuxta hanc.

Patres Conimbr.

12 Inſtas. In hoc caſu datur etiam diſcurſus virtualis: ergo hæc ſecunda ſolutio nõ diſtinguitur á prima. Quaré qui concedit in Deo vſum ſigni inſtrumentalis, neceſſariò debet admittere diſcurſum virtualem. Probatur antecedens, quia etiã in hoc caſu datur multiplex actus, cum virtuali dependentia, ſiquidem datur multiplex obiectum, nempe eſſentia diuina, & creaturæ, cum dependentia creaturarum à Deo. Reſpondeo, negando antecedens, neque enim ex dependentia obiectiua bene infertur dependentia in actibus: alioquin cum obiecta realiter dependeant inter ſe, & à Deo, dicerentur etiam actus diuini habere dependentiam realem, quod nemo admittet: ex eo igitur non datur in Deo diſcurſus, quia in tali actu nulla datur dependẽtia, (quæ omnino requiritur ad diſcurſum), neque enim Deus cognoſcit creaturas ex eo præciſè, quòd cognoſcit omnipotentiam, ſed ſolùm conſequutiuè, & veluti per accidẽs.

13 Et declaratur, quia ſi per impoſſibile admitteremus Deum non cognoſcere ſuam omnipotentiam ex eo, quòd non foret omnipotentia cognoſcibilis, & deinde ſi ponamus, creaturas eſſe cognoſcibiles, adhuc per locũ intrinſecum Deus illas cognoſceret, quia diuina cognitio fertur in omne cognoſcibile: ex quibus bene infertur, non dari hic diſcurſum, ex defectu dependentiæ, quæ omnino requiritur ad diſcurſum formalem, & virtualem, (virtualis enim diſcurſus fit per analogiam ad formalem) ad rationem autem ſigni non eſt omninò neceſſaria dependentia, ſed ſufficit, quòd vnũ ſit ratio cognoſcendi aliud, vnde ramus eſt ſignum rei venalis, quin res venalis à ramo dependeat: hæc magis cõſtabunt ex dicendis in libris de Anima. diſp. 83. ſect. 2. à n. 4. vbi agendum eſt de diuino diſcurſu.

14 Obijcis ſecundò. Si Deus cognoſceret creaturas per ſuam omnipotentiam, tanquàm per ſignum, ſequeretur, quod ſublata omnipotentia, non cognoſceret Deus creaturas, quod tamen negandum videtur, quia Deus adhuc relinqueretur ſummé ſapiens. Reſp. primó cum Soario lib. 3 de Attrib. cap. 2. §. Vnde ſecundò, concedendo, ablata omnipotentia, auferri etiam, per locum intrinſecum, ſcientiam creaturarum: Quia ſi Deus nõ eſſet omnipotens, non darentur creaturæ, ac proinde Deus illas non cognoſceret. Reſpõdeo ſecundò, ſi per impoſſibile, ablata omnipotentia, adhuc darentur creaturæ, adhuc Deus illas cognoſceret; concedimus enim Deum etiam poſſe cognoſcere creaturas immediaté in ſe ipſis, & alioquin, ablata omnipotentia, adhuc eſſet ſapiens, vt modo ſuppono, ergo &c. *P. Soar.*

15 Obijcis tertiò. Si Deus ex vi omnipotentiæ cognitæ cognoſcit in ea creaturas neceſſarió, ſequitur diuinam omnipotẽtiam eſſe quid relatiuum ad creaturas; ſed hoc nõ eſt dicendum, quia diuina omnipotentia eſt quid abſolutum: ergo &c. Reſpondeo primò, diuinam omnipotentiam ita eſſe quid abſolutum, vt dicat reſpectum ad creaturas, ad eum modum, quo ſupra dixi ex Soar. lib. 9. de Trinit. cap. 6. n. 21. Verbum diuinum dicere reſpectum ad creaturas. Reſpondeo ſecundò, nullum eſſe inconueniens, omnipotentiam diuinam habere reſpectum trãſcendentalem ad creaturas, vt defendit Salas, tom. 1. in 1. 2. tract. 1. diſp. 7. ſect. 2 n. 7. §. Ad ſecundum: infra medium: & tract. 2. diſput. 4. ſect. 4. n. 41. §. Et apertè; poſt medium: & ratio eſt, quia reſpectus tranſcendentalis, ratione alicuius muneris præſtandi, arguit maximam perfectionem in reſpiciente, propter perfe-

P. Soar.

Deus trãſcẽdentaliter reſpicit creaturas.

P. Salas.

Digitized by Google

perfectionem, quam cauſat in re, quam reſpicit: neque aliter poteſt Deus intelligi, vt cauſa, niſi per hunc reſpectum tranſcendentalem, vt in Phyſ. & Met. latiùs probabo.

16 Obijcis quartò. Intellectus diuinus ſimplici cognitione attingit omnipotentiam, & creaturas: ergo nõ poteſt vti ſigno inſtrumentali, quia cognitio ſigni, priùs debet ad ſignum terminari, quàm ad ſignificatum. Reſpondeo, bene poſſe vnam, & ſimplicem cognitionem cõcipi cum diuerſis habitudinibus, ad obiectum ſcilicet primarium, & ſecundarium, iuxta ſuprà dicta.

Proponuntur aliæ concluſiones.

Deus vtitur ſigno inſtrumentali creato.

17 TErtia concluſio Intellectus diuinus poteſt vti ſigno inſtrumentali creato, quod ſit cauſa, vel effectus. Hæc concluſio magis dubia eſt; Probatur tamen, quia Deus cognoſcit cauſam creatam comprehenſiuè: ergo cognoſcit effectum in cauſa, ſeu ex vi cauſæ, neque enim poteſt dici cognitio comprehenſiua cauſæ illa, qua effectus cognoſcitur in ſe concomitanter, poſt cauſam, vt docet Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 2. n. 3 ſed debet cognoſci in cauſa. Neque prætereà obſtat, quod Deus eàdem cognitione ſimpliciſſima cognoſcat ſimul cauſam, & effectum; ad rationem enim ſigni, non ſemper requiritur cauſalitas ex parte cognitionis, imò neque ex parte obiecti. Cùm igitur ſcientia per cauſam ad effectum ſit maximè perfecta dicendum eſt, Deũ cognoſcere effectum ex vi cauſæ, & ſimiliter vti ſigno inſtrumentali, quod eſt cauſa, reſpectu effectus.

P. Soar.

18 De ſigno inſtrumentali, quòd ſit effectus reſpectu cauſæ, probatur eàdem ratione, quia impoſſibile eſt, Deum perfectè comprehendere aliquem effectum, quin ex vi huius cognitionis attingat connexionem, quam effectus habet cum ſua cauſa.

19 Obijcis primò contra hanc partem concluſionis. Deus non habet ſcientiam à poſteriori, quæ procedit ab effectu ad cauſam, vt eſt cõmunis ſententia, & docet Soar. in Met. diſp. 30. ſect. 15. n. 38 quia ſcilicet cognitio per effectum arguit imperfectionem: ergo Deus non vtitur ſigno inſtrumentali creato, quod ſit effectus. Ad ſolutionẽ huius argumenti aduertendum, idem eſſe aſſerere, Deum non habere ſcientiam à poſteriori, ac dicere habere ſcientiam à priori, hoc tamen non tollit quominùs, vt teſtatur idem Soar. cit. cognoſcat Deus connexionem, quæ datur inter effectum, & cauſam, non quòd effectus ſit abſolutè cauſa huius cognitionis, nam Deus aliunde habet cognitionem ipſius cauſæ in ſe ipſa, (ſicut creaturas non ſolùm cognoſcit in ſua omnipotentia, ſed etiam in ſe ipſis:) cùm igitur impoſſibile ſit, comprehendere Deum aliquem effectum, quin in illo cognoſcatur reſpectus ad cauſam, dicendum eſt, quòd in effectu cognoſcatur cauſa, non ex indigentia cognitionis, ſed ex ſumma perfectione, & ſuperabundantia diuinæ cognitionis, quæ multis modis poteſt rem attingere, non per effectum in cauſa, & ſimul cauſam in effectu.

P. Soar.

P. Soar.

20 Reſpondendum igitur eſt ad argumentum; cognitionem per effectum ad cauſam arguere imperfectionem, quando eſt ex indigentia, vt in nobis contingit, qui non poſſumus cognoſcere Deum in ſe, niſi per effectus. Quando verò cognitio effectus ita eſt perfecta, vt in illo ſimul cognoſcatur cauſa, & cauſa ſimul aliunde cognoſcatur in ſe, maximam arguit perfectionem, vt patet, & ita contingit in diuina cognitione.

21 Obijcis ſecundò. Cognoſcere cauſam in effectu eſt cognoſcere abſtractiuè: ſed cognitio abſtractiua arguit imperfectionem: ergo hæc non eſt Deo attribuenda. Reſpondeo, imprimis, hoc argumentum eandem habere vim ex cognitione cauſæ ad effectum, ſeu effectus in cauſa, quæ etiam eſt abſtractiua, cùm ſit in alio. Cognitio igitur abſtractiua, quæ fit ex indigentia, & defectu potentiæ, arguit imperfectionem, vt nobis contingit: at verò quando hæc cognitio non procedit ex defectu potentiæ, ſed ratione rei cognoſcibilis, nullam arguit imperfectionẽ, Deus enim cognoſcit poſſibilia abſtractiuè, & tamẽ cognoſcit illa perfectiſſimè: cum igitur cognitio abſtractiua cauſæ in effectu, non ſit ex aliqua indigentia, vel defectu potentiæ diuinæ, ſed ex ſuperabundantia, (ſiquidem eandem cauſam, quam Deus cognoſcit abſtractiuè in effectu, cognoſcit etiam intuitiuè in ipſa cauſa) maximam arguit perfectionem.

Deus non vtitur ſigno ex inſtituto.

22 Quarta concluſio, Intellectus diuinus non vtitur de facto ſignis ex inſtituto. Probatur, quia cognitio per ſigna ex inſtituto arguit imperfectionem; cùm enim ſignum ex inſtituto non habeat naturalem proportionẽ cum re ſignificata, imponitur ex indigentia, & ex neceſsitate imponentis, qui non poteſt rem in ſe attingere, vt eſt, ſine ſignis, vt patet in vocibus, quæ inuentæ ſunt ex humana neceſsitate. Cùm igitur Deus omnia attingat in ſe ipſis, nõ indiget ſigno ex inſtituto, quod inconueniens non videtur in ſigno naturali inſtrumentali, quia hoc ſignum non fingitur, neque imponitur ex neceſsitate, ſed ex natura ſua

ſua vim habet ſignificandi: Vnde ſolùm metaphoricè vſus ſignorum ex inſtituto Deo eſt attribuendus, quatenus noſtram percipit loquutionem.

Quid dicendum ſit de intellectu Angelico, & humano, nec non de ſenſibus.

23 QVinta concluſio. Intellectus, tam Angelicus, quàm humanus vtuntur propriè ſignis. Hæc concluſio certa eſt, nec indiget probatione. Illud magis dubium, vtrùm per viſionem beatam detur vſus ſignorum? Reſpondeo primò non eſſe dubium circa inſtrumentalia: ſiquidem Beati cognoſcunt creaturas in Verbo, tanquàm in medio cognito. Secundò, de formalibus idem aſſero, ſiquidem vtuntur ſpeciebus expreſſis, quæ per accidens intuitiuè cognoſcuntur, vt patet ex dictis in prima concluſione.

24 Sexta concluſio. Senſus externus, & communis (ſi datur) vtuntur ſuo modo ſignis formalibus, non verò inſtrumentalibus. Probatur prima pars, quia vtuntur ſpeciebus impreſſis, & expreſſis. Probatur ſecunda pars, quia ad cognitionem ſigni inſtrumentalis requiritur, vt potentia ex cognitione vnius ducatur in cognitionem alterius: atquì oculus non ducitur ex cognitione fumi in cognitionem ignis, vt patet experientia: ergo &c. Cōfirmatur, quia ſenſus externi, & communes ſolùm intuitiuè cognoſcunt, cognitio veró ſignificati ex vi ſigni, abſtractiua eſt, ſi fuerit ſignum inſtrumentale, vt patet.

25 Secunda concluſio. Phantaſia poterit aliquo modo vti ſignis inſtrumentalibus ad eum modum, quo permittemus poſſe diſcurrere circa ſingularia materialia, cognoſcendo ſcilicet materialem proportionem, quæ datur inter ſignum, & ſignificatum, quam proportionem, quia nullo modo attingit phantaſia brutorum, ideó nullo modo brutis conceditur vſus ſignorum inſtrumentalium, neque enim pulli, audita voce matris, accurrūt, quia cognoſcunt per illam vocem, tanquàm per ſignum, ſed accurrunt moti naturali inſtinctu: neque tamen negandus aliquibus ſaltem brutis aliquis vſus materialis ſignorum ex inſtituto.

DISPVTATIO X.

De Signis in particulari.

SECTIO I.

De Signis formalibus.

Cōceptus non cognoſcitur eàdē actione, qua fit.

1 PRima concluſio. Conceptus ſunt ſigna formalia. Vt probetur concluſio ſciēdum eſt, dubium eſſe inter Authores, vtrùm verbum mentis, ſeu conceptus cognoſcatur, vt quod, eàdem actione, qua producitur? Si enim poſtulat ex natura ſua cognoſci, vt quod, non eſt ſignum formale, quia ſignum formale incognitum debet ducere in cognitionem. Vera igitur ſententia eſt conceptus naturales non cognoſci, vt quod, eàdem actione, qua producuntur. Dixi (eàdem actione) quia non repugnat per aliam cognoſci. Hanc ſententiam ſequuntur Mol. 1. p. q. 27. art. 1. diſp. 8. mēb. 3. §. Contraria ſententia. Vaſq. ibid. diſp. 141. cap. 4. nu. 17. & alijs in locis. Fr. Ægid. tom. 1. lib. 4. de Beatitud. formali. q. 1. art. 2. §. 7. n. 62. vbi citat D. Thomam. Eandem ſententiam, vt veriorem ſupponunt Conimbricenſes in Log. q. 2. de Signis. art. 3. ſect. 1. §. Secunda pars. Et probatur primò experientia, quia latere nequit cognoſcentem ſe percipere rem, quam cognoſcit, ſed nemo experitur, ſe percipere conceptum, quem format de obiecto, experitur tamen cognoſcere ipſum obiectum: ergo non conceptus, ſed obiectum ſolúm cognoſcitur, vt quod. Probatur ſecundó à priori, quia cognoſcere eſt vitaliter exprimere imaginem rei cognoſcendæ; ſed ſi verbum mentis cognoſceretur, vt quod, neceſſariò produceretur alia imago, per quam cognoſceretur, (quod tamen eſt falſum, daretur enim proceſſus in infinitum, quia etiam illud verbum, per quod cognoſceretur conceptus, deberet per aliud cognoſci:) ergo &c.

Molina. Vaſquez. Ægidius. D. Thom. Patres Conimbr.

2 Non negamus tamen, verbum mentis cognoſci, vt quo, ideſt, eſſe rationem cognoſcendi obiectum, ad eum modum, quo viſibilitas eſt ratio, ſub qua, videndi colorem, & lucem

Digitized by Google

lucem, quin ipſa viſibilitas à potentia videndi percipiatur, vt quod: ſicut etiam dicimus, actum amoris Dei, vel Proximi, non eſſe formaliter amorem ipſius actus, ſed tantùm virtualiter, & interpretatiuè, quia quatenus voluntas amat obiectum, cenſetur amare ipſum exercitium amandi.

D. Thom. Torres. Caietan.

3 Obijcis pro contraria ſententia, quam ſequuntur D. Thom. quodlib. 5. art. 9. ad 1. Caiet. 1. p. q 27. art. 1. Torres ibi diſp. 5. & cõmuniter Thomiſtæ. Verbum mentis eſt formalis imago: ergo cognoſcitur per ſe ipſum: nam id, quod eſt formaliter tale, non indiget alio, &c. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: eſt formalis imago obiecti, concedo; eſt formalis imago ſui ipſius: nego antecedẽs: ſicut in ſpeculo cernitur, vbi repræſentatur imago obiecti, non veró imago ipſius ſpeculi; & ſicut albedo non eſt cauſa formalis ſui ipſius, ſed ſubiecti; quaré vt verbum mentis ſe percipiat, vt quod, requirit aliam cognitionem reflexam: nihil enim dicitur eſſe imago ſui ipſius.

4 Inſtas. Vnio vnit ſe ipſam, & extrema: ergo ſimiliter conceptus ſe ipſum percipiet, & obiectum. Reſp. negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia vnio habet ſe veluti actio, & aliæ immediatæ dependentiæ, qualia ſunt Vbi, Exiſtentiæ, &c. quæ neceſſariò debent per ſe ipſas immediatè pendere, & habere in ſe ipſis aliquo modo ſuum effectum formalem, ne detur proceſſus in infinitum, ſicut daretur in actione, ſi penderet alia mediante, & in vnione, &c. at verò conceptus, vt denominet obiectum cognitum, neceſſe non eſt, vt priùs cognoſcatur: ſiquidem conceptus non eſt cognitio ſui, ſed obiecti, (ſicut etiã albedo, vt faciat ſubiectum album, neceſſe non eſt, vt ſit alba:) imò ſi conceptus priùs cognoſcatur, daretur proceſſus, &c.

5 Obijcis ſecundó. Obiectum concurrit cum potentia per modum principij, ratione ſpeciei, quam producit, quando ipſum obiectum non eſt præſens: ergo etiam debet concurrere per modum termini, intra eandem potentiam, non apparet alius terminus, niſi conceptus: ergo &c. Reſpõdeo dari quidem intra potentiam terminum cognitionis, nempe conceptum, non requiri tamen intra ipſam potentiam obiectum ipſum, tanquàm terminum cognitum, quia cum denominatio cogniti ſit extrinſeca, denominat obiectum vbicumque ſit, quare ſufficit, quod obiectum dici poſſit terminus cognitionis, ſed extrinſecus tamen.

6 Obijcis tertiò. Quando aliquis intelligit, aduertit ſe intelligere: ergo hæc aduertentia eſt cognitio conceptus. Reſpondeo aduertentiam reflexam eſſe quidem cognitionem conceptus, (poſſum enim per actum reflexum cognoſcere ipſum conceptum, vt quod:) Aduertentia verò ſimplex non eſt cognitio conceptus, nihil enim eſt aliud, quã ipſa cognitio obiecti habita ſine diſtractione; ſicut homo experitur ſe videre, & tamen non videt ipſum actum videndi, per alium actum. Vnde quando D. Auguſt. dixit, Verbum non ſolùm indicare alia obiecta, ſed etiam ſe ipſum, intelligendus eſt de cognitione reflexa, in qua verbum ſe poteſt cognoſcere, vt obiectum, *quod*. Imò de viſione beata, quæ eſt perfectiſſima intellectio, ſolùm probabile credit Soar. in Sum. lib. 2. de Attrib. cap. 13 num. 6. Beatos videndo Deum, ſimul, & eodem actu videre verbum, quod formant de Deo.

D. Aug. P. Soar.

Cõceptus ſunt ſigna formalia.

7 Ex dictis patet conceptus eſſe ſigna formalia, quia non cogniti ducunt in cognitionem. Obijcis: Conceptus eſt ipſa formalis cognitio: ergo cõceptus non eſt ſignum, quia ſignum debet aliquo modo diſtingui à ſua cognitione. Reſpondeo, in conceptu dari etiam actionem, ſeu intellectionem in fieri, per quam fit conceptus: (Poſteà dicemus, Vtrùm conceptus ſit ipſa formalis cognitio) modò veró dicimus, cognitionem ipſam, prout eſt fieri ipſius conceptus, non eſſe propriè ſignum, quia ſignum debet eſſe medium inter potentiam cognoſcentem, & rem ſignificatam: Vnde cognitio obiecti potiùs eſt ratio conſtituens ſignum in fieri, quàm ſignum: Quapropter principium cognitionis ex parte obiecti, nempe ſpecies, & terminus cognitionis, ideſt, conceptus ſunt ſigna formalia, non veró cognitio ipſa niſi fortè per aliam cognitionem percipiatur, nam tunc erit ſignũ inſtrumentale, cum ſit repræſentatiua ſui obiecti in fieri, vt docet Soar. in Sum. tract. 1. lib. 2. cap 11. n. 8.

P. Soar.

Vtrùm Angelorum loquutio fiat per ſigna formalia?

Quo pacto fiat hæc locutio.

8 SEcunda concluſio. Angelorum loquutio fit per conceptus, & ſpecies: (Vtrùm verò fiat per ſigna formalia? decidetur.) Vt concluſio intelligatur ſciendum eſt, dubium eſſe inter Auctores quo pacto fiat loquutio Angelorum? Qua in re communis eſt ſententia D. Thomæ 1. p q. 107. & multorum Thomiſtarum aſſerentium fieri hanc loquutionem per directionem conceptuum; quam ſententiam explicat, & ſequitur Gran. tom. 3. in 1. p. cõtrouerſ. 6. diſp. 4. Vult igitur D. Gabriel loqui

D. Thom. Granad.

qui

Digitized by Google

qui cum Raphaele, & format in ſe conceptũ rei, quam vult illi explicare, facitque vnum actum voluntatis, quo vult, vt audiens Raphael intelligat ſuum conceptum, atque adeò, poſito tali actu voluntatis, ſtatim audiens percipit conceptum loquentis, & obiectum in illo repræſentatum. Hunc loquendi modum vocant Theologi directionem conceptuum, non quòd loquens mittat ſuos conceptus in audientem (vt credidit Scotus in 2. diſt. 9. q. 2.) quia conceptus ſunt actus immanentes, qui non poſſunt ab vno intellectu, in alium tranſire: ſicut ergo inter homines loquutio conſiſtit in verbo exteriùs prolato, & directo, ſeu ordinato ad audientem, ita nõ ſatis eſt Angelum proferre ſuum verbum internum, vt dicatur loqui cum alio, niſi dirigat verbum in audientem, per actum voluntatis: & in hac ſententia facilè conſtat, poſſe vnum Angelum loqui cum alio, vel cum alijs; à quibus tamen neceſſarió audietur.

9 Hæc tamen ſententia nobis non ſatis probatur, quia perfecta loquutio non ſolùm debet obiectum manifeſtare, ſed etiam excitare attentionem in audiente: atqui conceptus, qui eſt in loquente, eſt extrinſecus audiẽti, & ſimiliter actus voluntatis loquentis eſt extrinſecus audienti: ergo per ſolam extrinſecam voluntatem non poteſt loquens audiẽtem excitare, ſub hac directione conceptuum ita explicata.

10 Dicendum igitur eſt, loquutionem Angelorum ſupponere quidem illam cõceptuum directionem, conſiſtere tamen formaliter in productione ſpeciei intelligibilis in intellectum audientis, quã ſpecie loquens non ſolùm excitat audientem, vt attendat, ſed etiã ei manifeſtat ſuum ſecretum, ad eum modũ, quo humana loquutio ſupponit quidem verbum internum, ſed conſiſtit in vocibus in aliquem directis, illumque excitantibus ad audiendum. Ita Soar. lib. 2. de Angelis, cap 27. n. 35. & pro hac ſententia n. 30. citat Aleńſ. Bonauent. Scot. Ocham. & alios. Ratio eſt, quia excitatio, quæ requiritur in audiente, non fit per ſolam extrinſecam voluntatem loquentis: ergo neceſſe eſt, vt fiat per aliquam mutationem intrinſecam; ſed non apparet alius modus facilior, quàm per productionem ſpecierum in intellectum audientis: ergo &c.

P. Soar. Aleńſ. D. Bon. Scotus. Ocham.

11 Quæſtio tamen eſt, vtrùm hæ ſpecies producantur ab Angelo loquente in audientem, an immediatè à Deo tanquàm Auctore naturæ? Hoc ſecundum probabilius videtur Conimbr. tract. de Anima ſeparata, diſp. 3 art. 6. (Vbi loquuntur de modo, quo Deus infundit ſpecies animæ ſeparatæ.) Quod fiet, vel excitante Deo ſpeciem aliquam innatam Angelo à principio ſuæ creationis, vel de nouo illam producendo, ad cognoſcendum ſecretum cordis Angeli loquentis; communis enim ſententia eſt, non habere ſpecies infuſas cogitationum cordis, tam hominum, quàm Angelorum, quia talis cognitio non eſt debita Angelis, & videri poteſt Mol. 1. p. q. 57 art. 4. §. Secunda concluſio.

Conimbr. *M. Molin.*

12 Quæ excitatio ſpecierum, licet à Deo fiat phyſicè, moraliter pendet à voluntate loquentis, ita, vt in tantùm perſeueret ſpecies in mente audientis, in quantùm loquens vult, vt alter Angelus, cui loquitur, audiat: Quæ moralis dependentia ſufficit, vt Angelo tribuatur loquutio, non Deo, licet Deus phyſicè producat ſpeciem, quia re vera ille loquitur, qui aperit ſuum ſecretum per loquutionem. Neque obſtat, quód loquutio humana conſiſtat non in ſpeciebus, quibus audiens percipit vocem, ſed in ipſa voce, quia loquutio humana, cùm ſit actio ſenſibilis, debet conſiſtere in aliquo ſigno externo, qualis eſt vox. Neque prætereà vllum eſt inconueniens concedere, Deum tanquàm auctorem naturæ producere illas ſpecies, ad libitum loquentis, ſicut concedimus, Deum ad libitum operantis, ſtatim producere ſuum concurſum. Poterit etiam audiens recordari præteritæ loquutionis, per ſpecies memoratiuas.

13 Hæc ſententia, quòad hoc, non placet aliquibus, & impugnatur ab Arrub. 1. p. diſp. 171. cap. 2. n. 17. nec placet Soario, qui proptereà lib. 2. de Angelis, cap. 27. n. 38. aſſerit, has ſpecies non produci immediatè à Deo tantùm, ſed ab Angelo loquente mitti ſpeciem in audientis mentẽ, quã ſpecie informatus audiens cognoſcit intuitiuè actum loquẽtis, & in eo abſtractiuè rem, quam vult manifeſtare; magis enim accomodum videtur ad naturas rerum, vt hæ ſpecies producantur ab Angelis loquentibus, quàm à Deo ſolùm; ſic enim tota loquutio, non moraliter ſolùm, ſed phyſicè etiam tribuetur loquenti. Quas ſpecies licet audiens recipiat neceſſariò, & licet neceſſarió audiat, niſi ſit maximè diſtractus, vel occupatus, non eliciet tamen cognitionem de loquutione alterius neceſſariò, ſed liberè, ſi videlicet voluerit vti tali ſpecie Angelus audiens.

Arrub. Soarius.

14 Deinde, quamuis ſpecies neceſſariò, & non liberè producatur de obiectis, quia tamen loquutio libera eſt, ideò hæ ſpecies liberè producentur; quia talis productio vitalis eſt; quamquàm repræſentatio harum ſpecierum naturalis ſit, ſicut contingit in noſtris conceptibus, qui quamuis liberè producantur, naturaliter tamen, & neceſſariò repræſentant.

Digitized by Google

ſentant. Neque obſtat, quód actus intellectus & voluntatis ſint immanentes, adhuc enim, per modum obiecti, poſſunt producere ſpecies, ſicut etiam contingit in noſtris actibus intellectus, & voluntatis, qui producunt ſpecies memoratiuas, quamuis hæc productio vitalis non ſit, illa veró productio ſpecierum ab Angelis vitalis ſit. Magis ergo, quòad hoc etiam de immiſſione ſpecierum facta ab ipſo Angelo, placet Soarius aliquibus.

Reſpondetur argumentis contra hunc modum explicandi loquutionem Angelorum;

15 Hic modus explicandi loquutionem Angelorum ſuam habet difficultatem, vt patet ex dictis, (& videri poteſt contra hanc ſententiam Vaſq 1 p.d.211.cap.5 eiuſque armiger Alarcon. 1.p.tr 6.d.4. c.3.) contra quē. Obijcis primò. Angelus non poteſt producere, niſi motum localem: ergo nō poteſt producere illas ſpecies. Confirmatur, quia Angeli habent ſpecies omnes à principio ſuæ creationis: ergo non eas accipiunt á loquente. Reſpondeo negando antecedens, quia poteſt Angelus producere ſpecies, quod nullū eſt inconueniens, cum hæc productio non minùs neceſſaria ſit Angelo, quàm productio motus localis; præcipuè, quia intellectus, & voluntas Angeli poteſt emittere has ſpecies, per modum obiecti. Ad confirmationem reſpondeo, Angelos non habere ſpecies infuſas cogitationum cordis, vt ſuprà dixi; & circa res, quarū ſpecies habuerint Angeli, adhuc dabitur loquutio per emiſſionē ſpecierū, quia licet talis ſpecies non ſint neceſſariæ ad repræſentationem, ſunt tamen neceſſariæ ad excitationem loquutionis.

Vaſquez. Alarcon.

16 Obijcis ſecundó. Si Angeli loquūtur per emiſſionem ſpecierum, Angeli diſtantes non poterunt loqui, quia ſi in medio detur vacuum, non poterunt in eo ſpecies ſubiectari: imó ſi medium fuerit plenum corporeū, non erit ſubiectum aptum ad ſpecies ſpirituales. Reſpondeo primò. Angelos collocare ſe poſſe indiſtantes ad loquendum, cum ſint velociſſimi. Reſpond. ſecundò, negando ſequelam quia cum hæc loquutio ſit ſpiritualis abſtrahit à loco, nam teſte D. Thoma quodlib. 6. art. 10. ad 2. *quod in corporibus eſt ſitus, in Angelis eſt ordo*, & propterea actio purè intellectualis, qualis eſt loquutio Angelica, pendet ſolùm ex ordine naturæ, non autem ex loco, aut motu; ſicut virtus operatiua miraculorum in Chriſto Domino operabatur in loco diſtāti, ſine reſpectu ad medium. Ita Soar. lib 2. de Angelis cap. 28. n 13. nec diſſentit Vaſq. 1. p. diſp. 212. cap. 2. Imó noſter Bubal. de Angelis quæſt. 53 art. 2. §. 8. affirmat communem eſſe ſententiam, poſſe Angelum pertranſire de vno ad aliud extremum, nullo pertranſitó medio.

D Thom. P. Soar. P. Vaſq. P. Bubal.

17 Obijcis tertió. Si loquutio fiat per hanc ſpecierum tranſmiſſionem, loquutio erit actio tranſiens. Reſpondeo cum diſtinctione, eſſe immanentē formaliter, quia fit in intellectu, & in eo manent eius actus; licet ſit virtualiter tranſiens, quatenus intellectus mittit ſpeciem, quæ eſt virtus ſuorum actuum. Vnde colliges has ſpecies non prodire ſolúm ab actu intellectus, tanquàm ab obiecto, ſed etiam prodire ab ipſo intellectu, & voluntate: proptereáque liberé, & vitaliter fit hæc productio.

18 Obijcis quartó. In hac ſententia non poteſt dari mendacium in loquutione Angelorum, ſiquidem audiens intuitiué cognoſcit actum loquentis; hoc non eſt dicendum, quia Angelus malus mendax eſt, & pater mēdacij. Hoc argumentum eandem habet difficultatem in ſententia D. Thomæ. Reſpondet igitur Granad. 1. p. tom. 3. controuerſ. 7. tract. 5. diſp. 4. ſect. 3. fatendo, non poſſe vnum Angelum alteri mentiri, nec vnum ab alteró decipi, quod nullum reputat inconueniens. Reſpondeo tamen cum Arrub. 1. p. diſp. 171. cap. 3. n. 24. bene poſſe Angelos malos pro libito mētiri, quod fieri poteſt hoc modo: Vult v. g. vnus Angelus malus alterum decipere, apprehendit rem aliter, atque eſt, & facit vnū iudicium videlicet, velle manifeſtare talem rem eo modo alteri Angelo, & huius iudicij reflexi mittit ſpeciem in intellectum alterius, in qua ſpecie ſolúm hoc iudicium repræſentatur, non verò aliud directum ſecretum cordis intrinſecum, & hoc pacto audiens decipitur, loquēſque mentitur: atque ita facilis aperitur via Diabolo, vt pro libito de more ſolito mentiatur. Vide P. Franc. Amic. in ſuo Curſu Theol. t. 2. diſp. 15. n. 36. & Præpoſit. 1. p. q. 57. dub 4. n. 27.

Granad. Arrub. P. Amici P. Prepoſ.

Reſoluitur quæſtio de loquutione Angelorum.

19 Propter has tamen, & alias difficultates, probabilior mihi videtur modus loquendi, quem attuli ex Conimb. dicendo ſcilicet hanc productionem ſpecierum fieri immediaté à Deo ſuppoſita voluntate loquentis: tamen Soarij opinio.

Patres Conimbr.

opinio, vt probabilis, defendi poteſt. His poſitis, quærendum reſtat, vtrùm hæc loquutio fiat per ſigna formalia? Reſpondeo primò in opinione Soarij, fieri per ſigna formalia. Probatur, quia audiens, mediantibus ſpeciebus, percipit conceptum loquentis, quin opus ſit, vt cognoſcat ſpecies: ſed ſigna formalia ſunt illa, quæ incognita ducunt in cognitionem: ergo &c. & ita videtur Soarius ſupponere, qui lib. 2. de Angelis cap. 28. n. 22. initio, vocat has ſpecies medium incognitum.

In ſententia Soarij fit loquutio angelorũ per ſigna formalia.

20 Obijcis. Audiens per illas ſpecies impreſſas intuitiuè cognoſcit actum, ſeu conceptum loquentis, &, illo mediante, ducitur in cognitionem obiecti: ergo illæ ſpecies ſunt ſigna naturalia inſtrumentalia. Reſpõdeo diſtinguendo primam partem antecedẽtis: audiens intuitiuè cognoſcit actum loquentis: concedo antecedens (quia non ſolùm cognoſcit talem actum per proprias ſpecies, ſed etiam immediatè in ſe ipſo:) Cognoſcit intuitiuè ſpecies ipſas: nego antecedens: vt patet in noſtro modo cognoſcendi, nam aliquando cognoſcimus rem intuitiuè per ſpecies, quas tamẽ non cognoſcimus intuitiuè, quia ſunt mediũ incognitum. Actus tamen, ſeu conceptus loquentis, erit ſignum inſtrumentale naturale, reſpectu Angeli audientis; ſed cùm loquutio non conſiſtat formaliter in conceptu loquentis, ſed in ſpecie, dicendum eſt, quòd fiat hæc loquutio per ſigna formalia, in ſententia Soarij.

21 Quia tamẽ in opinione aſſerente, has ſpecies produci immediatè à Deo, valde probabile eſt, loquutionem formaliter conſiſtere in directione conceptus loquentis, mediante ſpecie producta à Deo, vt ſic dicamus loquutionem phyſicè etiam prodire à loquente. In hac, inquam, opinione dicendum eſt, loquutionem Angelicam non fieri adæquatè per ſigna formalia, quia licet ſpecies ſit medium incognitum, & ſignum formale; nihilominùs conceptus loquentis intuitiuè cognoſcitur, & vt ſic, eſt ſignum inſtrumentale naturale. Qui plura voluerit de loquutione Angelorum videre poteſt præter Soarium, & Granad. citatos, Valent. 1 p. diſp. 7. q. 4. punc. 2. Vaſq. 1. p. diſp 211. Arrub. 1. p. diſp 171. Banh 1 p q. 107. art. 1. commentariorum; D. Franc. Amic. in ſuo Curſu Theol. tom 2. diſp. 15. vbi alios citat. Præpoſ. 1. p. quæſt. 57. art. 4 dub. 4. & Alarcon. 1. p. tr. 6 d 4. vbi cap. 9. nouam loquendi viam in Angelis, per quaſdam qualitates, meditatus eſt.

P. Soar. Granad. Valentia. P. Vaſq. Arrubal. Banh. Amicus. P. Præpoſ. P. Alarc.

(?)

SECTIO II.

De Signo inſtrumentali naturali.

1 PRima concluſio. Omnis cauſa per ſe eſt ſignum naturale inſtrumentale ſui effectus, ſiue cauſa ſit vniuoca, qualis eſt vnus ignis reſpectu alterius; ſiue ſit æquiuoca, qualis eſt Sol reſpectu ranæ: & ſimiliter omnis effectus eſt ſignum ſuæ cauſæ. Ita Conimbric. in Log. q. 2. de Signis. art. 1. 5. Rogabit aliquis ex D. Tho. quæ concluſio nobis eſt defendẽda, quidquid oppoſitum ſequatur Hurtad. in Log. diſp. 8. ſect. 2. initio. Probatur concluſio. Quia omnis cauſa per ſe habet proportionem cum ſuo effectu, quamuis effectus non ſit ſimilitudo, vel imago; ſi tamen cauſa comprehendatur, neceſſariò cognoſcetur eius virtus, ſeu eius effectus, quod verum eſt, quãuis cauſa ſolùm ſecundariò ordinetur ad manifeſtandum effectum, & quamuis relatio ſigni ſit diuerſa à relatione cauſæ; Idem cum proportione dicendum eſt de effectu, reſpectu cauſæ.

Cauſa eſt ſignum inſtrumẽtale effectus. Patres Conimbr. D. Thom. Hurtad.

Vtrùm inſtrumenta eleuata ſint naturalia ſigna ſuorum effectuum ſupernaturalium?

2 CIrca hanc concluſionem grauis eſt quæſtio, vtrùm ſcilicet hæc mutua ſignificatio inter cauſam, & effectum extendatur ad inſtrumẽta, quæ eleuata à Deo producunt effectus ſuper vires naturales, per potentiam obedientialem, quæ datur in qualibet re, vt Deus per eam efficiat quidquid non implicat contradictionem? Antequàm quæſtio reſoluatur, aduerto in Met. agendum nobis eſſe de hac potentia obedientiali. diſp. 61. de Qualitate. ſect. 2. à n. 24. de qua videri poteſt Soar. tom. 1. in 3 p. diſp 31. per 60 paginas, & P. Ioannes Martines de Ripalda de Ente supern. lib. 2 d. 30. qui nouiſſimè, & copioſiſſimè ſcripſit de hac materia.

P. Soar. P. Ripald.

3 Reſpondeo igitur primò, ſi cauſa eleuata ſumatur, vt talis, id eſt, ſub eleuatione, & cum Dei concurſu parato in actu primo, erit ſignum naturale inſtrumentale effectus obedientialiter producti. Probatur, quia tale inſtrumentum ſic eleuatum habet naturalem proportionem cum effectu ſupernaturali in entitate, ſicut cõiũctũ ex intellectu, & lumine gloriæ,

gloriæ, eſt cauſa naturalis viſionis beatæ ſupernaturalis. vt communiter docent Theologi, & inſtar omnium Soar. in Sum. lib. 2. de Attrib. cap. 17. n 4. ſunt autem effectus ſupernaturales in entitate illi, quorum ſubſtantia, ſeu eſſentia eſt ſupra totam naturam, vt viſio beata, gratia, &c. Alij veró ſunt effectus ſupernaturales ſaltem quòad modum, vt v.g. viſio cæco miraculosè reſtituta; nam licet modus, per quem reſtituitur illa viſio, ſupernaturalis ſit, illa tamen viſio in entitate naturalis eſt.

P. Soar.

4 Reſpondeo ſecundò. Si inſtrumẽtum ſumatur materialiter, ideſt, ſine eleuatione, non eſt ſignum naturale effectuum ſupernaturalium. Probatur, quia nullam habet proportionem naturalem cum effectu, vt patet in aqua, quæ ſecundùm ſe non poteſt producere gratiam baptiſmalem, ac proinde non poteſt eſſe ſignum naturale gratiæ.

Impugnatur reſolutio.

5 Obijcis primò, & principaliter contra hanc ſecundam reſponſionem. Intellectus, & voluntas humana naturaliter ſpectata habent proportionem naturalem cum actibus ſupernaturalibus: ergo ſine eleuatione erunt illorũ ſigna naturalia. Probatur, quia actus ſupernaturalis viſionis, & amoris Dei, cúm ſint vitales, non poſſunt elici, niſi á potentijs vitalibus: ergo potentiæ vitales, quales ſunt intellectus, & voluntas humana, vel Angelica, habent naturaliter proportionem cum actibus ſupernaturalibus. Reſpondeo, intellectũ, & voluntatem creatam, ſolùm cum eleuatione, habere proportionem cum actu ſupernaturali viſionis, vel amoris Dei: quia potentia libera, & vitalis creata ſolùm dicit ordinem ad actus liberos, & vitales naturales, non verò ad ſupernaturales.

6 Quamuis ergo Deus ad eliciendam viſionem beatam neceſſarió aſſumat intellectũ creatum (quia illa viſio, cum ſit vitalis, neceſſarió procedere debet à principio vitæ, qualis eſt intellectus creatus) non ideò tamen intellectus creatus habet aliquam proportionem cum ipſa vitalitate, quam poſtulat viſio beata, quia ratio liberi, & ratio vitalitatis contracta ad actum ſupernaturalem, eſt etiã identicè ſupernaturalis quò ad ſubſtantiam, vt videre eſt apud Soar. in Sum. lib. 2. de Attrib. cap. 7. n. 12.

P. Soar.

7 Inſtas. Intellectus, & voluntas creata ſunt potentiæ vitales, & liberæ: ergo ſaltem conueniunt cum viſione, & amore Dei, in hac vitalitate, & libertate, habentque proinde aliquam proportionem. Reſpondeo illam cõuenientiam eſſe valde remotam, quæ potiùs dicenda eſt improportio, ſiquidem vitalitas creata eſt naturalis, tota viſio verò eſt ſupernaturalis: ſicut accidens, & ſubſtantia dicuntur ſimpliciter improportionata, licet aliquo modo conueniant in ente: ſed de hoc pũcto alibi ſæpe recurret ſermo.

8 Obijcis ſecundò. Naturaliter cognoſcimus, poſſe Deum efficere per aliquam creaturam, quidquid non implicat contradictionem: ergo quoduis inſtrumentum poteſt eſſe ſignum naturale effectuum ſupernaturalium. Reſpondetur diſtinguendo conſequens, poteſt eſſe ſignum naturale effectuum ſupernaturalium quò ad modum, ſaltem in genere, & in confuſo, concedo conſequentiam: poteſt eſſe ſignum naturale effectuum ſupernaturalium in entitate, vel in genere, vel in ſpecie, vel in indiuiduo: aut etiam effectuum ſupernaturalium quoadmodum in ſpecie, vel in indiuiduo, nego conſequentiam: & ratio eſt, quia ad cognoſcendos effectus ſupernaturales, in entitate, neceſſarium eſt lumen fidei, & ſine illo, nec in genere, & in confuſo, poteſt intellectus cognoſcere, poſſe tales effectus prodire ab inſtrumentis naturalibus: ſuppoſita verò fide, poterit intellectus, ſaltem in genere, cognoſcere, hos effectus ſupernaturales prodire poſſe obediẽtialiter á talibus inſtrumentis: effectus verò ſupernaturales quò ad modum, ſaltẽ in genere, cognoſci poſſunt naturaliter, quia naturaliter aſſequimur, poſſe Deum eleuare creaturas ad efficiendum aliquid ſupra vires earundem creaturarum.

9 Inſtas. Potentia obedientialis non diſtinguitur ab inſtrumento, quod eleuatur: ergo inſtrumentum per ſe ſolùm habet proportionem cum effectu ſupernaturali, ac proinde per ſe ſolùm, ſine eleuatione, erit ſignum naturale. Reſpõdeo diſtinguendo antecedẽs: Potentia obedientialis inchoata eſt ipſa res materialis, concedo antecedens: negandum verò eſt ſi, ſumatur ſub eleuatione; tunc enim iam eſt aliquid diuerſum, quia ſumitur res ipſa cum concurſu Dei accommodato, & hoc pacto eſt ſignum naturale.

10 Inſtas. Phantaſma expreſſum ſine eleuatione eſt ſignum naturale ſpeciei intelligibilis: ergo ſimiliter quodlibet inſtrumentum erit ſignum naturale effectus ſupernaturalis. Probatur conſequentia, quia ſicut ſpecies intelligibilis eſt ſpiritualis, & phantaſma eſt corporeum; ita inſtrumentum eſt naturale, & effectus ſupernaturalis. Reſpondeo negando conſequentiam: maior ratio eſt, quia phantaſma habet proportionem naturalem cum ſpecie intelligibili; naturaliter enim eleuatur: inſtrumenta verò, de quibus loquimur, non habẽt proportionem naturalem, ſolùm enim ſupernaturaliter eleuantur.

Digitized by Google

11 Obiicis tertiò. Inſtrumenta ſine eleuatione non ſunt ſigna naturalia; cum eleuatione, iam non ſunt inſtrumenta, ſed cauſæ: ergo inſtrumenta nullo modo ſunt ſigna effectuum ſupernaturalium. Reſpondeo inſtrumenta cum eleuatione, id eſt, cum Dei concurſu præparato in actu primo, iam non eſſe mera inſtrumenta, ſed inſtrumenta eleuata, & ſic eſſe vera ſigna. Vnde ſequitur, inſtrumenta eleuata eſſe ſigna inſtrumentalia naturalia: quòd verò ſint etiam cauſæ, nihil officit.

12 Inſtas. Sacramenta nouæ legis, ſecūdùm probabiliorem ſententiam, phyſicè producunt gratiam; & tamen non ſunt naturaliter ſigna gratiæ, ſed ex diuino inſtituto, vt cū communi ſententia docet Soar. tom. 3. in 3. p. diſp. 5. ſect. 2. §. Dico ſecūdò. ergo ſimiliter inſtrumenta eleuata non erunt ſigna naturalia. Reſpondeo negando conſequentiā; maior ratio eſt; quia ſacramenta, quando ſunt ſigna ex diuino inſtituto, non ſumuntur cum eleuatione, ſed ſecundùm ſe, quatenus ſunt ſigna quædam ſenſibilia gratiæ. Vnde ſi ſacramenta ſumerentur cum eleuatione, iam erunt ſigna naturalia gratiæ, & hoc pacto procedit concluſio. *P. Soar.*

Vtrùm diuina omnipotentia ſit ſignum inſtrumentale reſpectu creaturarum?

13 Secunda concluſio. Diuina omnipotentia eſt ſignum inſtrumentale naturale poſſibilium, reſpectu intellectus Beatorum. Ita communis ſententia, & præter cæteros, videri poteſt Soar. in Sum. lib. 2. de Attrib cap. 26. n. 14 quatenus aſſerit, viſa diuina eſſentia, neceſſarium eſſe videri quidquid eſt poſſibile, & creabile, non quidem in indiuiduo, neque ſecūdùm rationes ſpecificas (vt ex D. Tho. idem Soar. docet n. 10. & Vaſq. 1 p. diſp. 49. cap. 2.) ſed ſaltem ſub hoc communiſſimo conceptu poſſibilis, & creabilis. *Reſolutio eſt affirmatiua.* *P. Soar.* *D. Thom.* *P. Vaſq.*

14 Probatur concluſio. Impoſſibile eſt videri omnipotentiam clarè, & diſtinctè, quin videatur eſſe tantæ perfectionis, vt poſſit efficere omne poſſibile: ergo, viſa omnipotentia, neceſſariò videntur creaturæ poſſibiles, ſaltem ſub hac ratione communi. Dixi (ſaltem ſub hac ratione communi) quia ſi Beatus cognoſceret in Deo omnia poſſibilia in particulari, quæ in illo eminenter continentur, comprehenderetur Deus ab intellectu creato, vt probat Soar. in Sum. lib. 2. de Attrib. cap. 26. n. 12. & cap. 29 n. 18. quamuis Vaſq. 1. p. diſp. 49. cap. 2. § Porrò, ſentiat, adhuc in hoc caſu Deum non comprehendi, quia ſecundùm doctrinam D. Thomæ, ad hanc comprehenſionē requiritur viſio natura ſua infinita, & proportio inter potentiam, & obiectum infinitum, quæ dari non poteſt in potentia natura ſua finita, qualis eſt creata. *Soarius.* *Vaſquez.*

15 Quamuis ergo potentia diuina clarè, & intuitiuè cognoſcatur ſecundùm ſuam formalem, & primariam perfectionem, quæ cōſiſtit in eo, quòd poſſit efficere quidquid non implicat contradictionem, nō inde ſequitur, vt cognoſcantur omnia poſſibilia in particulari, licet hæc eminenter in Deo contineātur; quia notitia intuitiua tendit ad illud, quod in obiecto formaliter continetur, non verò ad illud, quod eminenter continetur; (alioquin iam non ſolùm eſſet cognitio intuitiua, ſed etiam comprehenſiua) ſicut poſſum cognoſcere Petrum intuitiuè, quin cognoſcam omnes actus liberos intuitiuè, qui in ipſo Petro eminenter continentur. Aduertendum tamen eſt, omnipotentiam diuinam ſecundùm ſe ſumptam, non eſſe ſignum creaturarum futurarum, vel exiſtentium; quia cùm omnipotentia in Deo ſit neceſſaria, & creaturæ futuræ, vel exiſtentes ſint contingentes, nō poteſt diuina omnipotentia cum illis habere cōnexionem neceſſariam. Si verò diuina omnipotentia ſumatur reduplicatiuè, quatenus actualiter operatur, vel operata eſt, tunc habet hanc connexionem, cùm ſit cauſa; & eſt ſignum ad eum modum, quo quæuis cauſa eſt naturale ſignum ſui effectus.

16 Ex tradita doctrina colligitur primò, ideas diuinas eſſe ſigna naturalia inſtrumentalia creaturarum poſſibilium, cum ſint earum cauſæ eſſentiales exemplares, & prout ſic priores ipſis creaturis. Vnde ſi creaturæ ſumantur, quatenus termini, ſeu obiecta, cùm in hac conſideratione ſint priores, tunc diuina omnipotentia, vel diuina idea, non erit ſignum, quia ſignum debet eſſe priùs ſuo ſignificato, vt patet. *Corollaria ex præcedēte reſolutione.*

17 Colligitur ſecundò, idem dicendum eſſe de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, reſpectu poſſibilium, ſiue hæc ſcientia ſit practica, ſiue ſpeculatiua. Idem dicendum de ſcientia libera, ſeu viſionis, reſpectu rerum futurarum: ratio eſt, quia vtraque ſcientia repræſentat ſuum obiectum: ergo ſi intellectus creatus cognouerit quamlibet harum ſcientiarum, deueniet in cognitionem ſui obiecti. Et idem iudicium ferendum eſt de actibus liberis, & efficacibus diuinæ voluntatis, quia reſpiciunt res, tanquàm effectus, quos cau-

Digitized by Google

cauſant applicando efficaciter diuinam omnipotentiam ad ipſos producendos. Idem etiam dicendum de actibus inefficacibus diuinæ voluntatis, quia licet non reſpiciant res tanquàm effectus, illas tamen reſpiciunt, vt obiecta.

Quomodo negationes, & priuationes ſint ſigna?

18 Colligitur tertiò. Negationes, & priuationes poſſe eſſe ſigna naturalia inſtrumentalia, non ſolùm formarum, quas negant, & per quas ſpecificantur, ſed etiam ſubiectorũ, in quibus ſunt, & à quibus veluti effectiuè cauſantur, v. g. vmbra Socratis, quæ eſt in Socrate ſuo modo, & cauſatur à Socrate, eſt etiam ſignum ipſius Socratis, quia omnis effectus eſt ſignum ſuæ cauſæ: ſed hæ negationes ſuo modo cauſantur à ſuis cauſis: ergo &c. quamuis enim non habeant cum illis proportionem in eſſendo, habent tamen in cognoſcendo; & quemadmodùm cognoſcuntur indirectè per formas negatas, ducunt in cognitionem formarum negatarum: neque obſtat, negationes poſteriores eſſe re negata, nam adhuc in ratione ſigni poſſunt concipi vt priores.

Quid dicendum ſit de Eſſentia, & attributis diuinis, necnòn de relationibus?

Reſoluitur quæſtio.

19 TErtia concluſio. Eſſentia diuina non eſt de facto, & ſecundùm directum modum cognoſcendi, ſignũ inſtrumentale, reſpectu intellectus Beati ad cognoſcenda diuina attributa, nec vnũ attributũ ad cognoſcendũ aliud, neque vna Perſona ad aliã cognoſcendã. Probatur, quia hæc omnia pertinent ad primarium obiectũ; neque vnum cognoſcitur ex vi alterius; imò ita ſunt formaliter in Deo, vt vnum nõ poſſit videri ſine alio, vt ex cõmuni doctrina docet Soar. in Sum. lib. 2. de Attrib. c. 22. & 23. & c. 23. num. 10. aduertit de fide eſſe, Beatos videre Deum trinum, & vnum, prout eſt in ſe Quamuis Scot. in 1. diſt. 1. q. 2. aſſerat, poſſe de potentia abſoluta videri diuinã eſſentiam ſine perſonis, quia videlicet perſonæ nõ ſunt de eſſentia Dei; nihilominùs tamen, licet perſonæ non ſint de eſſentia Dei, cum tamen ſint formaliter in Deo, probabilius iudico nõ poſſe videri Deum intuitiue, quin Perſonæ diuinæ etiam intuitiuè videantur: ſed de hac difficultate diſſero in lib. de Anima diſp. 84. ſect. 4.

P. Soar. *Scotus.*

20 De poſſibili tamen, benè poterit vnũ attributũ eſſe ſignũ inſtrumẽtale alterius attributi, & vna perſona ſimiliter ſignum alterius perſonæ, tam reſpectu Beati, (ſi per inadæquatos conceptus formet cognitionem vnius attributi, ex quo deueniat in cognitionem alterius;) quàm reſpectu alicuius Viatoris, ad quod ſufficit virtualis diſtinctio, & dependentia inter attributa cum prioritate rationis; & inter Perſonas ſufficit ad rationem ſigni, quia omne principium eſt ſignum principiati: ſed Pater eſt principium Filij; Pater, & Filius principium Spiritus Sancti: ergo &c.

21 Obijcis. Vna Perſona non poteſt cognoſci ſine alia: ergo non poteſt eſſe medium ad cognoſcendam aliam, ſiquidem vtraque ſimul attingitur. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: non poteſt cognoſci ſine alia, ſi cognitio ſit clara, & intuitiua, qualis datur de facto in Beatis; concedo antecedens: ſi cognitio ſit confuſa, qualis dari poteſt in Viatoribus; vel ſi cognitio ſit inadæquata pro libito Beati alicuius, nego antecedens. Poteſt enim Beatus ex vna Perſona venire in cognitionem alterius, quamuis aliunde illam intuitiuè cognoſcat, ſicut poteſt cognoſcere cauſam per effectum, quamuis aliunde cognoſcat cauſam in ſe.

Soluitur obiectio contraria.

22 Quarta concluſio. Vna relatio non eſt ſignum ſuæ correlationis, ſeu vnum relatiuum non eſt ſignum ſui termini, vel ſui correlatiui. Ita Colligo ex Soar. de Angel. lib. 1. cap. 26. num. 10. fine. & lib. 2. de Attrib. cap. 25. num. 24. & 25. Probatur, quia præterquàm quòd nulla hic detur cauſalitas, relatio, & terminus, ſeu relatum, & correlatiuum ſunt ſimul cognitione, tam ex parte potentiæ, quàm ex parte obiecti, ita, vt in nulla prioritate ſit prior vna relatio, quàm eius correlatio; ſignum verò in aliqua prioritate debet eſſe prius ſuo ſignificato. Vnde dixi, diuinam omnipotentiam, in ratione ſigni, eſſe priorem creaturis poſſibilibus; tunc enim eſt ſignum, quando eſt cauſa, at verò, vt cauſa, eſt prior effectibus, qualia ſunt poſſibilia.

Vna relatio nõ eſt ſignũ alterius relationis.

23 Obijcis. Pater, in creatis, eſt ſignum filij, & tamen eſt relatum ad filium, & filius correlatiuum: ergo vnum relatiuum eſt ſignum alterius. Et idem argumentum cum proportione fieri poteſt in diuinis, & in materia erga formam. Reſpondeo Patrem eſſe ſignum Filij in creatis, quatenus cauſa eius eſt (& tunc eſt prior naturà) non veró quà relatiuum eſt, tunc enim non ſolùm eſt ſimul naturà cum filio, ſed etiam ſimul cognitione, vt teſtatur Philoſophus in Prædicamentis, cap. de Relatione.

24 Inſtas. Pater, quà cauſa, eſt relatum;

Digitized by Google

ſed quá cauſa, eſt prior; ergo ſimiliter quà relatum. Reſp. adhuc formaliter diſti gui in patre rationem cauſæ à formalitate relati. Vnde etiam diximus, relationem cauſæ diſtingui á relatione ſigni. Quapropter quatenus cauſa, non verò quatenus pater, fundat relationem ſigni, ad quam relationem ſufficit prioritas cauſæ; quemadmodùm ad rationem ſigni inſtrumentalis, quæ datur in omnipotentia diuina, reſpectu diuini intellectus, ſufficit prioritas obiectiua, quæ datur in omnipotentia, reſpectu creaturarum, quas ſignificat, quamuis diuina cognitio vtrumque ſimul attingat.

25 Addo tamen, bene poſſe vnam relationem eſſe ſignum alterius relationis: dummodò hæc altera relatio, non ſit correlatio. Probatur, quia tunc non ſunt ſimul cognitiones, & vna poteſt ducere in cognitionem alterius, ſi rectè cognoſcatur. neque enim opus eſt, vt ſigna inſtrumentalia naturalia ſemper ſint cauſæ, vel effectus, vt patet in duobus hominibus qui poſſunt eſſe adeó ſimiles, vt qui vtrumuis nouerit, ambos noſcat: ergo ſimiliter dicendum eſt in relationibus, quamuis neque talis relatio, neq; talis homo ſimilis dici poſſit imago alterius, quia ad imaginem plus requiritur, quàm ad ſignum, vt ſuprá dixi.

SECTIO III.

De Signo ex inſtituto.

1 PRima concluſio. Signum naturale etiam poteſt eſſe ſignum ex inſtituto, reſpectu eiuſdem. Hæc concluſio probabilis eſt, & probatur; quia, cùm impoſitio humana ſit adeò libera, poterit quis imponere fumum ad ſignificandum ignem ex inſtituto, quia naturalis proportio fumi non tollit libertatem imponentis. *Signũ naturale poteſt ſimul eſſe ex inſtituto.*

2 Obijcis. Signum naturale, & ex inſtituto opponuntur contradictoriè: ergo non poſſunt reperiri reſpectu eiuſdem ſignificati. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Opponuntur formaliter, concedo antecedens: opponuntur etiam materialiter, nego: quia, licet reſpectu eiuſdem ſignificati, eadem res poſſit eſſe ſignum naturale, & ex inſtituto, habitudines tamen, & relationes ad ſignificatum erunt diuerſæ. Vnde adhuc formaliter opponuntur, quod patet in adducto exemplo, quia reſpectus fumi ad ignem (prout eſt ſignum naturale) eſt realis: at veró, prout eſt ex inſtituto, eſt rationis: imò etiam reſpectus ad potentiam poterit eſſe diuerſus, quia licet vterque ſit rationis, nihilominùs tamen reſpectus fumi ad potentiam, prout eſt ſignum ex inſtituto, eſt tantùm ad intellectum, qui ſolùm poteſt vti ſignis ex inſtituto: at verò reſpectus fumi, prout eſt ſignum naturale, poteſt etiam eſſe ad phantaſiam humanam, quæ poterit cognoſcere ignem per fumum, ſicut poteſt diſcurrere circa materialia ſingularia, vt probabile eſt.

3 Secunda concluſio. Nullum ſignum ex inſtituto poteſt ſignificare aliquid intuitiuè. Ita Soar. in Sum. lib. 2. de Attrib. cap. 31. n. 7. Probatur, quia cognitio intuitiua eſt cognitio rei in ſe, & per proprias ſpecies: ſed nomen v. g. non poteſt ex vi ſua conferre nobis ſpecies proprias alicuius rei: ergo &c. Probatur minor, quia nomen non producit ſpecies, niſi ſui ipſius, &, mediantibus his ſpeciebus, facit nos venire in cognitionem rei ſignificatæ. Confirmatur, quia vocis ſignificatio eſt independens ab actuali exiſtentia, quæ requiritur ad cognitionem intuitiuam. *P. Soar.*

4 Ex qua concluſione euidenter ſequitur, non poſſe Viatores imponere nomen, quod Deum intuitiuè repræſentet, vel ipſis Viatoribus, vel ipſis Beatis. Vnde quando Beati audito nomine, *DEVS*, veniunt in cognitionem intuitiuam ipſius Dei, talis notitia non cauſatur à nomine, ſed à lumine gloriæ; quapropter vel hæc oratio, *Deus clarè viſus*, nõ repræſentat Beatis ex vi ſua claram, & intuitiuam Dei cognitionem, ſed abſtractiuam.

Vtrùm imponi poſſit nomen Deũ quidditatiuè ſignificans?

5 GRaue dubium eſt in hac materia, vtrùm imponi poſſit nomen ad ſignificandum Deum quidditatiuè? Negat abſolutè D. Thomas 1. p. q. 13. art. 1. cum D. Aug. Damaſc. Gregor. & alijs. quos refert, & ſequitur Soar. in Sum. lib. 2. de Attrib. cap. 11. n. 10. Vnde neque à Viatoribus, neque à Beatis, neque ab ipſo Deo poteſt imponi tale nomen; quia ad notitiam quidditatiuam requiritur etiam notitia intuitiua, quam nomen generare non poteſt in mente audientis, ita philoſophatur Soar. cit. n. 18. fine. At veró Scot. in 2. diſt. 22. q. 1. Ocham. Gabr. & alij, quos refert, & ſequitur Molina 1. p. q. 13. art. 1. diſp. 2. à §. Secunda concluſio. Vaſq. item 1. p. diſp. 57. cap. 2. & 3. vtuntur hac diſtinctione, non poſſe Deum, nec Beatos imponere tale nomen reſpectu Viatorum, poſſe tamen illud imponere Viatores *D. Thom. D. Aug. D. Damaſ. Gregor. P. Soar. Scotus. Ocham. Gabriel. M. Molin. P. Vaſq.*

Digitized by Google

res reſpectu Beatorum, vel Beatos ipſos inter ſe; quia affirmant, totam vim ſignificandi in nominibus deſumendam eſſe ab audiente, ſuppoſita voluntate imponentis: imò aſſerit Scotus, dari actualiter nomen inter Viatores, quod Deum quidditatiuè, & eſſentialiter Beatis repræſentet, nempe hoc nomen *Tetragrammaton*.

M. Scotus.

Reſoluitur quæſtio. 6 Sit tamen tertia concluſio. Nullum poteſt dari nomen impoſitum à Viatoribus, quod Deum quidditatiuè repræſentet, vel ipſis Beatis, vel ipſis viatoribus. Ita probat ex Scriptura, & Patribus Val. 1. p. diſp. 1. q. 13. punc. 1. à §. Secundum etiam: & in hoc placet ſententia D. Thomæ, & Soarij, quamuis noſtram concluſionem ex alio fundamento probemus: Eandem ſententiam abſolutè ſequitur Fonſ. 2. Met. cap. 1. q. 2. ſect. 4. à §. Verùm hæc. Eadem attigit Hurt. diſp. 8. in Log. ſect. 2. §. 11. quatenus in fine aſſerit, non poſſe rem formaliter ſignificari, niſi, vt à nobis cognoſcitur.

Valent. *D. Thom.* *Fonſec.* *Hurtad.*

7 Probatur concluſio. Quia nomina ſūt ſigna conceptuum imponentis, non verò audientis: ergo quoties imponens nomen non format conceptum quidditatiuum rei, non poteſt imponere nomen, quod ſignificet talem conceptum obiectiuum: antecedens ſupponitur à citatis auctoribus, præcipuè à Fonſ. & docetur à Conimbric. lib. 1. de Interpret. cap. 1. q. 3. art. 2. & probatur, nam idcircò aliquis nomen imponit, vt manifeſtet ſuum cōceptum, non formalem, ſed obiectiuum. Vnde eſt, quod ſiquis nullo modo rem cognoſceret, nullo etiam modo tali rei nomen imponeret: ergo nominis ſignificatio dependet à conceptu imponentis, cum voluntate ſe manifeſtandi: ex quo ſequitur nullum Viatorem poſſe imponere nomen, quod Deum perfectè eſſentialiter repræſentet, ſiquidem nullus Viator cognoſcit perfectè eſſentiam Dei.

Soluūtur obiectiones. 8 Obijcis contra hanc concluſionem pro Scoto, & Vaſq. (qui multa congerit exempla, quibus oſtendat, nomen poſſe diſtinctiùs ſignificare audienti, quàm imponenti tale nomen;) nam ſiquis, qui nunquam vidit Romā, mihi, qui Romam vidi, de Roma loquatur, veniam ego in cognitionem Romæ clariorem, quàm loquens. ergo nomen diſtinctiùs ſignificat audienti. Idem probat exemplo de cæco nomina coloribus imponente, quos cæcus nunquam vidit, & tamen audiens, ſi non eſt cæcus, ducitur in cognitionem colorum. Reſpondeo tamen, illam notitiam clariorem per accidens generari in audiente, quia videlicet, illud nomē mihi reduxit in memoriam ſpecies, quas habebam de coloribus, vel de Roma; nam ex vi nominis, id mihi ſolùm repræſentatur, quod imponens intendit ſignificare: imò clariùs ſignificabit tale nomen imponenti, vt patebit.

9 Obijcis ſecundò. Tota vis ſignificandi in ſignis ex inſtituto pendet à voluntate imponentis: ſed imponens poteſt velle, vt nomen rem ſignificet diſtinctiùs audienti, quam ipſe imponens percipiat, præcipuè quia nulla requiritur proportio inter ſignum, & ſignificatum: ergo licet ex modo ordinario imponendi nomina, audiens non percipiat, niſi id, quod per ſuos conceptus, imponens vult ſignificare, non probatur impoſſibile, quòd aliquando ſecundùm extraordinarium modum, poſſit nomen diſtinctiùs ſignificare audienti, ſiquidem vis ſignificandi pendet à voluntate imponentis. Reſpondeo negandò conſequentiam, quia licet vis ſignificandi in voce dependeat à voluntate imponentis, ſemper tamen ſupponit conceptum in imponente, voces enim debent eſſe ſignificatiuæ conceptuum. Vnde talis vox, cui liberè imponeretur maior ſignificatio, quam per conceptus haberet imponens, non erit ſignificatiua, ſiquidem non repræſentat conceptum imponentis, ſed erit veluti vox prolata à pſitaco. Quo declaratur, & efficaciter probatur noſtra ſententia, quia etſi ego vellem, quod nomen ſignificet rem aliquam intuitiuè, nullo modò id præſtabit, vt omnes concedunt: ergo ſimiliter quamuis velim, vt nomen ſignificet rem diſtinctiùs, quam ego illam cognoſco, nullo modò etiam id præſtabit.

Beati poſſunt inter ſe imponere tale nomen. 10 Tertia concluſio. Beati poſſunt inter ſe nomen imponere, quod Deum quidditatiuè ſignificet inter ipſos Beatos. Hæc eſt cōtra Soar. ſuprà n. 18. eſt tamen ſecundùm ſententiam Scoti, & Vaſq. ſuprà (licet non approbemus, quod ipſi addunt poſſe videlicet, Viatores tale nomen imponere, ſaltem reſpectu Beatorum.) Probatur concluſio, quia ex eo non poſſunt Viatores tale nomen imponere, quia non cognoſcunt Deum quidditatiuè: ſed Beati cognoſcunt ita: ergo &c. Confirmatur, quia hoc nomen, *albedo*, v. g. proptereà ſignificat quidditatem albedinis, quia illam cognoſco; ſed ita ſe habent Beati, imò clariùs cognoſcunt diuinam eſſentiam: ergo &c.

P. Soar. *Scotus.* *Vaſquez.*

P. Soar. 11 Obijcis cum Soario lib. 2. de Attrib. cap. 21. n. 13. Notitia quidditatiua debet etiam eſſe intuitiua: ſed nomen non poteſt generare notitiam intuitiuam: ergo neque quidditatiuam. Reſpondeo negando maiorem, quia bene poteſt dari notitia quidditatiua, quin ſit intuitiua, vt patet in eo, qui videret Deum per viſionem beatam, quam format D. Petrus,

Digitized by Google

qui cognoſceret Deum quidditatiuè, ſiquidem videret Deum per viſionem Diui Petri, quæ viſio eſt imago naturalis Dei: non tamē eſſet hæc viſio intuitiua, ſiquidem eſt in alio. Et patet etiam exemplo illorum Beatorum, qui ex vi loquutionis, quam de Deo haberent, veniunt in cognitionem Dei, quæ eſſet quidditatiua quidem, ſed non intuitiua, voces enim non generant notitiam intuitiuam. Vnde argumentum nihil colligit.

12 Ex quibus concluſionibus colligitur primò, ſignificationem nominis non eſſe totā deſumendam per ordinem ad potentiam audientis, quamquàm etiam dicat ad illam ordinem tranſcendentalem: ſed deſumēdam primariò eſſe à conceptu imponentis.

Qui nomen imponit, rē diſtinctiùs percipit, quàm audiens.

13 Colligitur ſecundò. Quòd, licet nomen ex vi ſua eandem ſignificationem generet, tam in imponente, quàm in audiente, quia ſemper producit cognitionem abſtractiuam: nihilominùs tamen ſemper imponens nomen, rem diſtinctiùs percipit, quàm per nomen illam ſignificet: imò, & nomen ex vi ſua rem minùs diſtinctè ſignificabit audienti, quàm illam percipiat, qui nomen imponit; & ratio eſt, quia (præterquàm quòd imponens poſſit aliquando habere intuitiuam rei notitiam, quam nomen nequit generare, vt diximus,) qui nomen imponit, cognoſcit rem per cōceptus, quos de illa re format, qui ſunt naturales imagines illius rei, & explicat ſe per nomen, quod habet tantùm ſignificationem ab extrinſeco, & propterea non poteſt ex vi ſua ſignificare rem audienti, ea perfectione, qua conceptus repræſentat ipſam rem imponenti tale nomen. Vnde celebre eſt illud Platonis effatum, *Faciliùs eſſe rem mente concipere, quàm verbis explicare*. Hinc eſt, quòd Beatus cognoſcat Deum intuitiuè, & quidditatiuè, nomen tamen, per eum impoſitum, ſolùm ſignificet Deum quidditatiuè Beato.

14 In nulla tamen ſententia poterit dari nomen, vel etiam ab ipſo Deo impoſitum, quod Deum cōprehenſiuè repræſentet: quia licet vis ſignificandi nominis deſumenda ſit ab imponente, cùm tamen nomē ſit ſignum, debet dicere ordinem ad aliquam potentiam: ſed nulla eſt potentia creata, quæ poſſit Deū comprehendere; Deus verò nō vtitur tali nomine, vt diximus: ergo impoſſibile eſt nomē, quod Deum comprehenſiuè ſignificet.

15 Hac de re ingentem ſyluam reperies apud quendam Balthazarem Nauarrete, controuerſ. 47. in q. 13. 1. p. D. Th. qui auctor §. 3. eiuſdem controuerſiæ, (vbi more ſuo aduerſùs Vaſq. altè ſublatum conſurgit in enſem,) affirmat, aſſerere Vaſq. 1. p. diſp. 57. cap. 3. poſſe nomen imponi, quod Deum comprehenſiuè ſignificet: Verùm Nauarrete, aut non legit Vaſq. aut illum falſó arguit falſitatis, quia Vaſq. eodem cap. cit. n. 21. clarè, & diſtinctè oppoſitum docet: ſed excuſari poteſt Nauarrete, quia cùm ipſe omnino, & verè aſſerat, nomina minùs diſtinctè ſignificare rem audienti, ſeu legenti, quàm imponenti tale nomen; quamuis Vaſq. ſatis clarè, & diſtinctè ſuam veram ſententiam manifeſtauit, nihilominùs tamen legendo, vel audiendo illam, minùs diſtinctè eam percepit hic auctor, ac proinde.

Nauarre. *P. Vaſq.*

Errorem& ſuum, quo tuetur, habet. *Ouid. 1. Faſt.*

DISPVTATIO XI.

De Vocum, ſcripturæ, & conceptuum ſignificatione, ac de illorum veritate.

TRia pronuntiata propoſuit Ariſtoteles cap. 1. huius libri. Primum eſt, Voces eſſe ſigna conceptuum, ſcripta verò vocum: Secundum eſt, Voces, & ſcripta non eſſe eadem apud omnes, conceptus verò maximè: Tertium eſt, dari aliquos conceptus veritatis expertes, quemadmodùm & voces: tria hæc pronuntiata hic breuiter examinanda ſunt.

(*?*)

SECTIO I.

Quid ſignificent voces, & ſcripta?

Reſoluitur quæſtio quoad Voces.

1 PRima concluſio. Voces ſignificant immediatè res, & conceptus, licet ſignificent conceptus, vt quo, & minùs principaliter; res verò, vt quod, & principaliùs. Ita D. Thom. q. 8. de Potentia. art. 1. Pro eadem ſententia ſtant Patres Conimbric. in Log. cap. de Signis. q. 3. art.

D. Thom. *Curſus Conimbr.*

Sotus. Henriq. Baſſol. Iandun. Rubius. Hurtad.

art.2. §. Tertia demum. Vbi citant Sotum, Henriq. Baſſol. & Iandun. Idem ſentit P Rub. in Log. lib. 5. Periherm. cap. 1. q. 1. à n.15. nec diſſentit Hurt. in Logica diſp. 8: de Signis, ſect. 3.

2 Probatur, quia, audita voce alicuius rei ſignificatiua, ſtatim percipimus rem, & certi ſumus de conceptu loquentis: ergo vox vtrũque ſignificat. Confirmatur, quia homines voces inuenerunt, non ſolùm, vt res ſignificarent, ſed etiam, vt ſuos conceptus alijs manifeſtarent; quos ſi voces non ſignificarent, nullum daretur mendacium, quia mentiri eſt cõtra mentem ire, ideſt, aliud in ſuo conceptu mentis habere, aliud vocibus exprimere: cùm igitur voces ſignificent conceptus, pro quibus ſunt impoſitæ, ideò quis mentitur, quia profert vocibus, quod in mente non habet. Confirmatur, quia homines per voces non ſolùm voluerunt res exprimere, ſed etiam declarare ſuos conceptus.

3 Quòd verò voces ſignificent res principaliùs, inde probatur, quia homines præcipué intenderunt voces imponere rebus, ideó autem etiam ſignificant conceptus, quia ad intelligendas res formantur conceptus; atque hinc deſumitur argumentum, quia, in ordine ſignificationis, conceptus ſunt propter res, quas repræſentant, & non res, propter cõceptus, (non enim formamus conceptus, niſi pro rebus percipiendis:) ergo cum res, & cõceptus ſignificentur per voces, res erunt præcipuũ ſignificatum, nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis, &c.

4 Vnde bene aduertunt primò Dialectici, voces ſignificare conceptus prioritaté intentionis, res veró prioritate exequutionis. Aduertunt ſecundò, in voce dari duplicem ſignificationem, quarum vna immediaté tendit ad conceptum, altera immediaté ad rem: probatur, quia datur duplex impoſitio, ſiquidem homines, tam conceptus, quàm res voluerunt exprimere: atque adeó in qualibet voce datur duplex ſignificatio, altera rei, altera conceptus. Neque obſtat, quòd in genere detur vna tantùm relatio ad ſpeciem, & indiuiduum, & ſimiliter in potentia, ad actum, & ad obiectum, quia vterque terminus eſt ſubordinatus, & eodem modo reſpiciuntur: at veró vox reſpicit conceptum, & rem diuerſo modo, ideſt, rem, vt quod, & principaliùs; conceptum verò, vt quo, & minùs principaliter.

5 Obijcis tamen contra noſtram concluſionem pro contraria ſententia, quæ aſſerit, voces ſolas res, non veró conceptus ſignificare: quam tenent Scotus in 1. diſt. 27. q. 3. & q. 1. huius libri, & Gabr. in 1. diſp. 22. q. vnica

Scotus. Gabriel.

art. 3. Obijcis, inquam, Si voces ſignificarent conceptus, propoſitiones eſſent falſæ, (idem enim eſſet dicere, *Petrus eſt homo*, ac dicere, *conceptum Petri eſſe conceptum hominis:*) ſed hoc eſt manifeſtè falſum: ergo &c. Reſpondeo negando ſequelam, neque enim dicimus nomẽ ſignificare conceptum, vt quod, ſed tantùm, vt quo, ideſt, mediante quo res ſignificatur; ſignificareque principaliter rem, & deinde conceptum etiam ſignificare: atque in hoc diſtinguitur vox prolata ab homine ab illa, quæ profertur à brutis: hæc enim nullos ſignificat conceptus, illa veró maximé.

6 Voces autem prolatæ à dormiente etiã ſignificant conceptus medios. Vnde ſolæ voces deliberaté prolatæ ſignificant conceptus vltimatos: Ille veró, qui mentitur, præter iudicium, quod intra ſe format, habet alios conceptus apprehenſos, quos voces prolatæ ad extra ſignificant.

7 Secunda concluſio. Scripta ſignificant voces, & res per diuerſas ſignificationes. Probatur, quia quando vnum poteſt reperiri ſine alio, ſignum eſt, quód diſtinguantur: ſed ſcripta poſſunt ſignificare voces, quin ſignificent res: ergo in ſcriptura datur duplex impoſitio, vna ad vocem, altera ad rem: maior eſt certa, minor probatur quia hæc ſcriptura, *Blitri*, ſolam vocem ſignificat. Reſoluitur quæſtio quoad ſcripta.

8 Suppono in hac concluſione, ſcripta ſignificare vocem, & rem, quod certum eſt, qui enim legit Latinas litteras & non intelligit, format tantùm conceptum vocis, & non rei; qui veró intelligit, format etiam conceptum rei: ergo vtrumque ſignificat ſcriptura: non negamus, ſignificare etiam conceptum, nam, ordine intentionis, primó vocem, ſecũdò conceptum, tertiò rem ſignificat: ordine verò exequutionis, primó vocem, ſecundó rem, tertiò conceptum ſignificat: licet aliquãdo, prætermiſſa voce, primò, & immediaté per ſcripta ſignificetur res, quod per accidens eſt, nam regulariter priùs percipitur vox.

9 Neque Ariſtoteles, cum dixit, ſcripta eſſe ſigna vocum, negauit, voces ſignificare etiam rem, imò id ſuppoſuit, & deinde ſicut voces ſignificant doctrinaliter res, ita ſcripta doctrinaliter, & principaliter ſignificant res, voces autem minùs principaliter, quas tamen nõ ſignificãt characteres Ghyrogriphici, quibus vtebantur Caldæi, quia propriè non ſunt ſcripta, ſed ſigna rerum.

10 Tertia concluſio. Scriptura ſignificat rem eàdem ſignificatione, qua vox ſignificat eandem rem. Probatur, quia, vt hæc ſcriptura, *Homo*, ſignificet idem, quod ſignificat vox, *Homo*, non opus eſt, vt detur alia impoſitio diſtincta ab impoſitione talis vocis;

Digitized by Google

cis: quarè cenſenda eſt ſignificatio afficere quodammodò intrinſecè vocem, extrinſecè verò, & remotè ſcripturam, quatenus pro voce ſubſtituitur: atque hinc eſt, vt vox, & ſcriptura non ſint plura ſigna doctrinalia formaliter, ſed tantùm materialiter, homines enim non impoſuerunt per ſe ſcripta ad ſignificandas res, ſed, ratione vocum, impoſuerunt ſignificationem earundem vocum ſcripturæ: neque obſtat, quòd ſignificatio vocis ſimplex ſit, ſignificatio verò ſcripturæ ſit compexa, ex ſignificatione literarum.

SECTIO II.

De Identitate, & Veritate conceptuum.

1 PRima concluſio. Cum Philoſophus aſſerit, conceptus eſſe eoſdem apud omnes, idem eſt ac dicere, conceptus eſſe ſigna naturalia, ita vt vbicumque ponantur, idem repræſentent; ita explicant Ariſtotelem nobiliores interpretes cũ Scoto in hoc loco. q. 3. vt videre eſt apud Patres Conimbricenſes in Logica cap. 2. de Signis. q. 4. art. 1. Quæ interpretatio accommodatior videtur, quàm ea, quæ ab aliquibus affertur, qui aſſerunt, ideó dici conceptus eoſdem apud omnes, quia omnes formant eoſdẽ conceptus de eâdem re, quod falſum eſt, nam audito eodem nomine, ſæpè diuerſi omninò conceptus formantur circa eandem rem; audito enim nomine, *Solis*, Mathematicus, & ruſticus toto cælo diuerſi abeunt circa conceptus, nam ruſticus pro rota ſui plauſtri Solem menſurat, quem Mathematicus terra maiorem meditatur.

Ariſtot. Scotus. Patres Conimbr.

2 Probatur igitur concluſio Quia conceptus ſunt eſſentialiter imagines, quæ tranſcendentaliter feruntur in obiecta, & quæ repræſentant obiecta naturaliter: ſed imagines naturales ſunt eædem ſemper apud omnes, vbicumque ponantur: ergo vbicumque ponantur conceptus, ſunt ijdem apud omnes. Maior huius ſyllogiſmi communis eſt inter auctores, qui aſſerunt, conceptum eſſe imaginem expreſſam rei cognitæ, non quidem in eſſe reali, ſed in eſſe intentionali, quia noſter intellectus percipit rem attrahendo illam intra ſe (cognoſcere enim eſt exprimere intra ſe imaginem rei cognoſcendæ) quod verum habet, etiam in conceptibus negationum, & entium rationis; à quibus, licet conceptus non dependeant in genere cauſæ efficientis, dependent tamen in genere cauſæ exemplaris, ad quod ſufficit obiectiua exiſtentia: minor autem, quòd ſcilicet naturales imagines ſint eædem apud omnes, eſt certa. Vnde conſequentia rectè infert.

3 Secunda concluſio. Quando Ariſtoteles dixit, dari aliquos conceptus veritatis, & falſitatis expertes, intelligendus eſt de veritate, & falſitate complexa, quarum neutra reperitur in prima intellectus operatione. Quãdo verò dixit, dari aliquos conceptus veros, vel falſos, loquitur de veritate, vel falſitate cõplexa, quarum altera neceſſariò datur in iudicio, vel diſcurſu: ita explicant meliores Ariſtotelis interpretes.

4 Vt intelligatur concluſio, ſciendum eſt, tres eſſe intellectus noſtri operationes, nẽpe ſimplicem apprehenſionem, iudicium, & diſcurſum; de quibus diſputandum nobis eſt in lib. de Anima diſp. 23. Sciendum præterea eſt, ſermonem nobis hìc eſſe de veritate, quæ dicitur conformitas inter intellectum cognoſcentem, & rem ipſam: Hæc veritas, vel eſt ſimplex, quæ eſt ſimiliter conformitas inter apprehenſionem, & rem: vel eſt complexa, quæ eſt conformitas iudicij, vel diſcurſus cum re: cùm igitur veritas complexa reperiri nequeat in prima operatione, quæ eſt ſimplex apprehenſio, inde eſt quòd verè dixit Philoſophus, dari aliquos conceptus expertes veritatis, vel falſitatis, conceptus enim ſimplices non habent veritatem, vel falſitatem complexam, cùm tamen conceptus complexi, id eſt, iudicia, vel diſcurſus, habeant veritatem, vel falſitatem complexam.

Quotuplex ſit in intellectus noſtri operatio?

In quo conſiſtat veritas conceptuum?

5 QVæſtio tamen eſt, an veritas cognitionis ſit conformitas inter formalem conceptum intellectus, & rem, quæ cognoſcitur; an inter rem cognitam, & inter rem, prout eſt à parte rei? Reſpondeo veritatem cognitionis conſiſtere in conformitate intellectus, ſeu formalis conceptus, cum re, quæ cognoſcitur; non verò inter rem cognitam, & inter rem, prout eſt à parte rei. Hæc eſt communis ſententia, pro qua videri poſſunt Patres Conimbricenſes in Log. cap. 1. de Signis. q. 5. art. 1. §. Oppoſita, vbi pro ea citant D. Auguſt. D. Thom. Ferrar. Ægid. Albert. Magn. Soncin. & Caiet. Idem tenet Rub lib. 1. Poſter. cap 2 q. 2. n. 9. Tolet. item in Log. lib. 1. Periher. cap. 2. q. 2. ſubſcribit Soar. in Met. diſp. 8. ſect. 1. Item P. Hurt. de Anima diſp. 9. ſect. 1.

Reſoluitur quæſtio.

Patres Conimbr. D. Aug. D. Thom. Ferrar. Ægidius. Alb. Mag. Soncin. Caietan. P. Rub. Tolet. Soarius. P. Hurt.

6 Et probatur facilè ratione, quia hæc veritas cognitionis conſiſtit in conformitate intelle-

intellectus cognoſcentis cum re, quæ cognoſcitur, vt eſt communis ſententia, & docet D. Thom. q. 7. de Veritate. art. 3. ſed hæc conformitas non poteſt dari inter rem obiectiuè cognitam, & inter eandem rem, prout eſt à parte rei: ergo ſolùm conſiſtit in conformitate intellectus cognoſcentis cum re, quæ cognoſcitur. Probatur minor, quia res cognita, prout obijcitur, & res prout eſt in ſe, eſt omnino eadem, (illa enim cognitio extrinſeca nihil variat in re) ſed eiuſdem ad ſe ipſum nulla datur conformitas, ſed datur omnimoda identitas: ergo ſuppoſito quòd veritas cōſiſtat in conformitate, dicendum eſt, quòd ſolùm reperiatur inter intellectum cognoſcentem, ſeu inter conceptum formalem, & rem ipſam. Confirmatur, quia, vt inquit Ariſtoteles, *Quia res eſt, aut non eſt. propoſitio eſt vera, vel falſa.* Neque ad conformitatem requiritur, quòd intellectus ſit conformis cum re in eſſendo, ſed in repræſentando.

D.Thom.

Ariſtot.

7 Oppoſitam ſententiam acriter tuetur Vaſq. 1. p. q. 16. diſp. 76. cap. 1. (qui pro ſe adducit Durandum;) eius tamen fundamenta, ex dictis facili negotio euertuntur. Pro Vaſq. pugnat etiam Murſia in Log. lib. Periherm. diſp. 3. q. 1. à §. Dico primò; ſed neque Licentiatus Murſia me deterret.

P. Vaſq. Durand.

Murſia.

Vtrùm veritas reperiatur in triplici intellectus noſtri operatione?

In prima operatione non datur falſitas.

8 IN prima intellectus noſtri operatione ſemper datur veritas. Hæc ſententia communis eſt inter Auctores, quatenus negant falſitatem primæ operationi intellectus; qui verò illi negant veritatem, intelligendi ſunt de veritate complexa. Circa hanc concluſionem videri poteſt P. Soarius in Met. diſp. 9. ſect. 1. à n. 14. cui opponitur P. Vaſq. 1. p. diſp. 75. cap. 1. vbi veritatem in ſola intellectus compoſitione, vel diuiſione agnoſcit, qui tamen quamuis reclamet n. 9. §. Demum friuola, interpretādus eſt de veritate cōplexa: Pro nobis etiā ſtat Hurt. de Anima. diſp. 86. ſect. 2.

P. Soar. Vaſquez.

Hurtad.

9 Probatur concluſio. Quia ſimplex apprehenſio, ſiue ſimplex conceptus eſt imago naturalis intentionalis obiecti: ſed omnis naturalis imago neceſſariò conformatur cum obiecto: ergo in prima operatione ſemper datur conformitas, ſiue veritas. Et declaratur, quia vel per ſimplicem illam cognitionem, intellectus attingit rem, vel non: ſi attingit, conformatur cum illa; ſi non attingit, nō datur falſitas, ſed ignorantia. Conformitas autem hæc primæ operationis, vel eſt cum re, prout eſt in ſe, vel cum re, prout obijcitur. Vnde in ſimplici conceptu, quem format ruſticus de Sole minore, quàm rota plauſtri, datur veritas, quia talis conceptus conformatur cum Sole illo, prout repræſentatur in phantaſia ruſtici, in qua data fuit falſitas: & ratio eſt, quia ſimplex apprehenſio ſolùm repræſentat rem, quæ, vel ita eſt, vel ita apparet: at verò iudicium, & diſcurſus non ſolùm repræſentant, ſed dicunt, ſiue enuntiant. Vnde licet quà repræſentant, habeant veritatem, quá dicunt, poſſunt habere falſitatem. vt dicemus in lib. de Anima, loquendo de triplici intellectus noſtri operatione diſp. 84. & 85.

10 Vnde conſequenter etiam dicendum eſt cum eodem Soario n. 16. in ſenſibus externis, qui neceſſariò ſemper ſimpliciter apprehendunt, nullam dari propriam falſitatē, ſed ſolùm occaſionalem: & ratio eſt, quia cognitio ſenſuum externorū eſſentialiter eſt intuitiua, ſenſitiua autem intuitio non poteſt non eſſe rei præſentis, aut realiter, aut apparenter: ergo neceſſariò datur conformitas, vel cum re, prout eſt, vel cum re, prout apparet. Quamuis aliquando contingat ſenſationem eſſe adeò confuſam, & imperfectam, vel ex parte obiecti, vel ex parte medij, vel ex defectu potentiæ, vt ex ea oriatur falſum iudicium in intellectu, vel in phantaſia.

11 Hinc eſt, vt oculus non decipiatur circa colores apparentes in collo columbæ; re vera enim videt ibi illos apparentes colores, propter lucem taliter reflexam: error autem eſt in phantaſia, vel in iudicio, quatenus iudicant eos colores eſſe veros; quarè in oculo fuit error ille ſolùm occaſionaliter. Quæ occaſio errandi poteſt etiam reperiri in prima intellectus operatione.

12 Similiter quando aliquod obiectum, quod eſt album, propter diſtantiam apparet nigrum, oculus videt obiectum, quod ipſi obijcitur; nam licet obiectum album ſit à parte rei, ſpecies, quæ ab eo egrediuntur, propter diſtantiam, perueniunt ad oculum cum aliqua imperfectione, & perturbatione; oculus autem conformatur cum obiecto illo, eo modo, quo ab ſpeciebus proponitur: error autē eſt priùs in phantaſia, quæ iudicauit obiectū eſſe nigrum. Deinde phantaſia elicuit phantaſma expreſſum huius obiecti nigri, á quo procedit ſpecies in intellectum poſſibilem, qua ſpecie informatus intellectus produxit primam operationem, ſeu conceptum ſimplicem de obiecto nigro, qui conceptus verus eſt, quia conformatur cum obiecto, prout obijcitur phantaſiæ: error autem eſt in iudicio, quia dicit obiectum eſſe nigrum, & debebat ſe conformare non cum re, prout obijcitur,

Cur non datur error in prima operatione.

Digitized by Google

citur, ſed cum re, prout erat á parte rei, & ita reſpondendum eſt alijs exemplis, quæ afferuntur de remo fracto, &c. ſed de his latiùs in lib de Anima, vbi agendum eſt de triplici intellectus operatione.

In ſecūda operatione dari poteſt falſitas & quare?

13 Tertia concluſio. In ſecunda intellectus noſtri operatione datur veritas, vel falſitas complexa. Hæc eſt omnino certa. Probatur, quia ſecunda operatio, quæ eſt iudicium, aut conformatur cum ſuo obiecto, aut non: ſi primum, datur veritas: ſi ſecundum, falſitas: neque obſtat, quòd iudicium probabiliter dicatur ſimplex quædam qualitas, nam præterquàm quòd ſit virtute complexum, vltra repræſentationem, habet, quód ſit dictiuum, vnde licet quà repræſentatiuum, ſemper ſit verum, quia eſt imago naturalis, quæ neceſſariò conformanda eſt cum obiecto, vel vero, vel apparente: nihilominùs cum ſit etiam dictiuum, & cum hæc operatio data ſit ab ipſa natura ad certificandum de obiecto, tenebatur ſe conformare cum obiecto, prout eſt á parte rei, quarè niſi conformatur, datur falſitas, & ideò dicitur iudicium, quia tanquàm iudex pronuntiare debet veritatem.

14 Quarta cōcluſio. In tertia intellectus operatione datur veritas, vel falſitas complexa diſtincta à veritate primæ, & ſecundæ operationis. Probatur prima pars, quia vel concluſio bene infertur ex antecedentibus, & datur conformitas, vel malè infertur, & datur difformitas: ergo &c. Probatur ſecunda pars, quia veritas tertiæ operationis fundatur in copula illatiua, *Ergo*, quæ non reperitur in ſecunda operatione. Et declaratur, quia poteſt manere veritas ſecundæ operationis, cum falſitate tertiæ operationis, vt patet in hac illatione, *Homo eſt animal; ergo eſt riſibilis.* Vbi ſecūda propoſitio falſa eſt, quia falſum eſt hominem eſſe riſibilem, ex eo quod ſit animal; cū tamen aliunde verum ſit abſolutè quòd homo ſit riſibilis.

DISPVTATIO XII.

De Voce ſignificatiua ſimplici, & complexa.

Proponūtur definitiones Nominis, Verbi, Orationis, & Enūtiationis.

EXplicata ſignorum natura, accedit iam Philoſophus ad ſigna ipſa magis in particulari, ad nomē ſcilicet, & Verbum. Deinde ad Orationem, & Enuntiationem, (quæ eſt præcipuum horum librorum obiectum:) propter quam de Signis, de Nomine, & Verbo, priùs diſputauit. Eſt igitur Nomen, *Vox ſignificans ex inſtituto, definitè, ac ſine tempore, cuius nulla pars ſignificat ſeparatim, quæque, adiuncto eſt, aut non eſt, efficit orationem, quæ verum, vel falſum ſignificat.* Verbum *eſt vox ſignificans ex inſtituto definitè, ac cum tempore præſenti, cuius nulla pars ſignificat ſeparatim, & ſemper eorum, quæ in oratione ponuntur, eſt nota:* ideſt, ſemper in oratione prædicatur. Oratio *eſt vox ſignificans ex inſtituto, cuius aliqua pars ſignificat ſeparatim.* Enuntiatio tandem *eſt oratio, quæ verum, vel falſum ſignificat.*

SECTIO I.

De Nomine, & Verbo.

1 PRima concluſio. Vox ſignificatiua ſimplex diuiditur in Nomen, & Verbum, non tanquàm verum genus. Ita D. Thom. quem citat, & ſequitur Rub. lib. 1. Periherm. cap. 2. quæſt. 2. n. 25. Conimbr. lib. 1. Periher. cap 4. q. 1. art. 2. 5. His poſitis. Probatur, quia vox ſignificatiua eſt compoſitum per accidens: ergo non poteſt habere veram generis rationem. Probatur antecedens, quia eſt quoddam artefactum dicens de formali vocem, & ſignificationem, quæ ſunt veluti materia, & forma: in artefactis autem nequit reperiri ratio generis, vel ſpeciei, vt patet, quia hæc debent eſſe entia per ſe: neque obſtat, quòd compoſitum per accidens naturale dicit ſolam formam, vt v. g. album, de formali, dicit ſolam albedinem, nam vox ſignificatiua non ſolúm eſt compoſitum per accidens, ſed eſt compoſitum artificiale, quod etiam de formali dicit certam aliquam materiam, vt v. g. gladius dicit materiam aliquam duriorem. Eſt autem vox ſimplex illa, quæ vnum tantùm generat conceptum.

D. Thom. P. Rub. Patres Conimbr.

2 Secunda concluſio. Nomen, & verbū differunt eſſentialiter. Probatur, quia nomē ſignificat ſuam formam veluti in facto eſſe: at verbum ſignificat per modum concretionis cum ſubiecto, ſiue per modum actionis, vt videre eſt in his vocibus, *amo*, & *amor*: ſufficit autem diuerſus modus ſignificandi ad diſtinctionem eſſentialem conceptuum, vt patet in conceptibus, quos formamus de diuinis attri-

Digitized by Google

attributis, quæ quamuis ſint eadem res, propter diuerſos ſignificandi modos formamus de illis conceptus, & nomina ſpecie diuerſa.

Quid ſit vox ſimplex?

3 Aduertendum verò eſt, illam eſſe vocem ſimplicem, cui vnus tantùm in mente reſpondet conceptus. Quarè à definitione nominis, reijciuntur nomina æquiuoca, & orationes paruæ, quales ſunt, *Nihil, nemo*, quæ non inſeruiunt enuntiationi ſimplici, de qua eſt ſermo. Ideò autem partes nominis ſeparatæ nullam habent ſignificationem: quia, vt ait

D. Thom.

D. Thom. in comment. huius cap. 2. Significatio eſt forma nominis: ſed quemadmodùm partes ſeparatæ non habent formam totius; ſic etiam nec partes nominis ſignificationem retinere poſſunt totius compoſiti: eius enim ſignificatio conſiſtit veluti in indiuiſibili, & ideó partes ſeparatæ nihil proprié ſignificant.

4 Per particulam, *definitè*, excluduntur nomina infinita, vt *non homo*, & ratio eſt, quia hic ſolùm definitur nomen, quod inſeruire poteſt ad doctrinas tradendas per enuntiationes, & ſyllogiſmos: ad quod munus nõ eſt aptum nomen, aut verbum infinitum: nam hæc nihil proprié, ac determinatum per ſe ſignificant, quod inſeruire poſſit ad ſcientias addiſcendas. Caſus autem obliqui ideó á definitione excluduntur, quia non reddunt ſuppoſitum verbo, vt loquuntur Dialectici, id eſt, nõ efficiunt per ſe enuntiationem verbo.

5 Tertia concluſio. Verbum dicit de formali ſuum proprium ſignificatum per modum concretionis, innuendo tempus; vt v.g. *diligo*. ſignificat dilectionem in concreto, & denotat tempus præſens. Ita communis ſen-

P. Rub.

tentia, à qua non abit diuerſus Rub. lib. 1. Periherm, cap. 3. q. 1. art. 2. Quod verò propriũ ſignificatum per modum actionis dicatur de formali, non eſt dubium: tempus autẽ non dici etiam de formali; probatur, quia alioquin verbum iam non eſſet vox ſimplex, ſed complexa; ſiquidem haberet duplex formale ſignificatum. Innui autem tempus, ex eo deducitur, quia cúm verbum ſignificet actionẽ in actu exercito, neceſſariò debet innuere aliquod tempus: actio enim omnis neceſſariò egredietur in tempore, quod eſt veluti menſura actionis.

Verbũ nõ dicit tẽpus de formali.

6 Verbum autem in tempore præſenti, præterito, & futuro generat diuerſos conceptus, & ideó eſſentialiter differt, non quód tẽpus de formali exprimatur, ſed quia actio, vt exercita, & actio, vt exercenda, differunt eſſentialiter; cúm igitur formale ſignificatum verbi ſumi poſſit, vt actu exercetur, vel vt exercitum fuit, vel vt exercendum eſt, hoc formale ſignificatum cauſat hanc conceptuum diuerſitatem, quamuis per diuerſitatem temporis videatur explicari.

7 Per tempus veró intelligitur hìc quæuis duratio, ſiue ſit inſtantanea, (qualem habet hoc verbum, *intelligo*: vel æterna, qualis datur in hac propoſitione, *Pater Æternus generat*. Aduertendum præterea eſt, verbum non ſignificare copulam de formali, quia formale ſignificatum ſemper eſt idem: at verbum extra enuntiationem non ſignificat copulam, id eſt, coniunctionem illam inter prædicatum, & ſubiectum, vnde nec verbum, *Eſt*, ſignificat copulam de formali extra enuntiationem.

Quid ſit verbũ infinitum?

8 Ab hac definitione Verbi excluditur verbum infinitum, per particulam, *definitè*. Duplex autem datur diſcrimen inter verbum infinitum, & verbum negatiuum, quia verbum infinitum, vt, *non valens*, eſt quid ſimplex; negatiuum vero, vt, *non eſt valens*, eſt quid complexum. Probatur, quia verbum infinitum negat tantùm formale ſignificatum, & non copulam, vt patet in adducto exemplo: at veró verbum negatiuum, primò negat copulam, & deinde formale ſignificatum, vt patet in hoc, *Socrates non legit*, quæ reſoluitur in hanc, *Socrates non eſt legens*.

SECTIO II.

De Oratione, & Enuntiatione.

Quæ ſit forma orationis?

1 PRima concluſio. Forma orationis non eſt eius ſignificatio, ſed eſt ille nexus, ordo vè partium inter ſe. Probatur, quia ſignificatio eſt veluti forma generica vocis ſignificatiuæ, nominis ſcilicet, verbi, &c. Cũ igitur oratio ſit quoddam ſignificatiuum diuerſum á ſuis partibus, nempe à nomine, & verbo, habere debet diuerſam formam, quæ non eſt alia præter aſſignatam. Vbi aduerte, ſignificationem partium orationis, nempe nominis, & verbi, eſſe eandem, tam in oratione, quàm extra illam, nihilominús tamen habere poſſe orationẽ diuerſam veritatem à veritate ſuarum partium, vt patet in hac, *Socrates eſt lapis*, quæ eſt falſa; cum tamen ſingulæ eius partes verè ſignificẽt ſuã ſignificata: maior ratio eſt, quia ſignificatio ſequitur impoſitionem, quæ eſt eadem in nomine, & verbo, tam intra, quàm extra orationem. Veritas verò ſequitur affirmationem, vel negationem.

2 Cum veró Philoſophus dicat, Orationem eſſe vocem, quæ habet partes ſignificantes

Digitized by Google

tes ſeparatim, aduerte, dici orationem vocem vnam, propter nexum illum, & ordinem, qui eſt forma orationis: reijciuntur tamen ab hac definitione orationes minores, quales ſunt, *Nemo, ſemper*, quia licet illis reſpondeat multiplex conceptus, non tamen habent plures voces inter ſe connexas; imò quamuis enuntiatio mentalis ſit ſimplex quædam qualitas, vt videbimus, hoc non tollit quominùs vocalis oratio conſtet multis vocibus, & ratio diuerſitatis eſt, quia oratio vocalis componitur ex vocibus, tanquàm artefactum quoddam rationis: at veró conceptus eſt qualitas, & eſt ens reale, quod ſimul poteſt cadere ſupra totam enuntiationem, vt videbimus.

3 Secunda concluſio. Quando enuntiatio dicitur oratio, quæ verum, vel falſum ſignificat; veritas, vel falſitas non eſt vera differentia enuntiationis, ſed tantùm proprietas. Hæc eſt communior, & verior ſententia, vt videre eſt apud Rubium in Logica lib. 1. Periherm. cap. 4 quæſt. 1. vbi citat Alexand. Amon. & Niphum; Idem aduertit Hurtad. in Log diſp. 8 ſect. 3. num. 17. Probatur, quia eadem enuntiatio tranſire poteſt de vera in falſam, quod tamen eſſentiæ conuenire nequit: eſt ergo enuntiationis differentia, quòd vnum ſcilicet de altero affirmet, vel neget: & licet veritas, vel falſitas ſimul, vel ſucceſſiué non neceſſariò inueniantur in omnibus enuntiationibus, (vt patet in enuntiationibus æternæ veritatis, quæ ſemper ſunt veræ, & in enuntiationibus impoſſibilibus, quæ ſemper ſunt falſæ) nihilominùs explicatur eſſentia enuntiationis per veritatem, & falſitatem, vel quia ſemper altera illarum reperitur in omni enuntiatione, vel quia veritas, & falſitas maximé inſeruiunt ad exprimendas animi cogitationes, quarum enuntiatio eſt interpres.

Rubius. Alex. Amon. Niph. Hurtad.

Quomodò enuntiatio ſignificet verum?

Veritas ſecũdę operationis eſt cõformitas cũ re, prout eſt à parte rei.

4 Tertia concluſio. Significatio veritatis enuntiationis magis conſiſtit in veritate obiectiua, & materiali rei in ſe ipſa, quàm in veritate formali, vel adæquatione intellectus, ſiue conceptus cum re ipſa, prout repræſentatur. Ratio eſt, quia in eo diſtinguitur ſecunda operatio, quæ eſt enuntiatio, á prima intellectus operatione, quia veritas primæ operationis eſt ſimplex, & ideò illi ſufficit cõformatio cũ re, prout obijcitur. Veritas verò enũtiationis eſt complexa, & licet fiat per conceptus repræſentatiuos, præcipué cõſiſtit in dictione, ideſt in affirmatione, vel negatione rei, prout eſt in ſe; vnde vel eſt vera, vel falſa, ſecundùm quod res eſt in ſe materialiter, ſi enim res ita ſe habet à parte rei, vt affirmat, eſt vera, ſin aliter, quàm affirmat, eſt falſa.

5 Quod vt meliùs percipiatur, aduertendum eſt, obiectum materiale intellectus eſſe omne ens verum, vel conceptum per modum entis veri; quidquid enim habet veram entitatem poteſt terminare cognitionem intellectus: entia verò rationis, & negationes cognoſcuntur ab intellectu, quia percipiũtur per modum entis veri. Obiectum verò formale *ſub quo* intellectus, eſt *intelligibilitas*, ſicut obiectum formale viſus, eſt *viſibilitas*. In his veró actibus, in quibus intellectus ſimilis eſt voluntati, quemadmodùm bonum eſt obiectum, *propter quod* voluntatis, ita, & verum eſt obiectum, *propter quod* intellectus, quia ſicut voluntas amat, propter aliquam rationem boni, & odit, propter aliquam rationem mali, ita & intellectus in ſecunda, & tertia operatione ſemper aſſentitur propter aliquam rationem veri, & diſſentitur propter aliquam rationem falſi; & ideò verum, non erit obiectum, *ſub quo*, intellectus; ſiquidem verum attingitur etiam, *vt quod*, ab intellectu: at verò obiectum formale, *ſub quo*, non debet á potẽtia attingi, vt cernitur in viſibilitate reſpectu potentiæ videndi. Ex quibus patet, quomodó veritas enuntiationis dicatur obiectum intellectus, & in hoc nobiſcum ſentit Vaſq. 1. p. q. 16. diſp. 76. cap. 2. num. 9. *P. Vaſq.*

Vtrùm enuntiatio mentalis ſit vna ſimplex qualitas?

6 Quarta concluſio. Enuntiatio mẽtalis, ſeu iudicium eſt quædam ſimplex qualitas, ſeu eſt vnus actus, quo intellectus affirmat, vel negat quæ per ſimplices apprehenſiones iam cognouerat Ita Sot lib. 1 ſummul. cap. 5. Tolet. lib 3 de Anima. q 19. Mol. 1. p. q. 1. art. 3. diſp 3. eandem ſequuntur Patres Conimbricenſes in Log. cap. 4. de Oratione. q. 4. art 2. §. Tertia ſententia, vbi citant D. Thom. Durand. Gregor. Gabr. & alios. Pro eâdem ſententia pugnat M. Serna in Log. diſp. 2. de Secunda operatione intellectus. ſect. 8. q. 1. art. 5. Probatur, quia iudicium (quod non diſtinguimus ab enũtiatione, quæ eſt ſecũda operatio,) eſt nutus quidã, vel abnutus, quo intellectus probat, vel reprobat id, quod per ſimplices apprehenſiones propoſitum eſt: ſed nutus eſt ſimplex actus: ergo enũtiatio mẽtalis, ſiue iudicium eſt ſimplex qualitas. Confirmatur, quia

Sotus. Molina. Patres Conimbr. D. Thom. Durand. Gregor. Gabriel. Serna.

Digitized by Google

quia in voluntate volitio, aut nolitio, eſt actus item ſimplex. Confirmatur tandem, quia iudicium fertur in nexum illum ſiue copulam inter prædicatum, & ſubiectum, quæ copula non eſt multiplex, ſed vna tantùm.

7 Obijcis pro contraria ſententia, quæ aſſerit, enunciationem mentalem, ſiue iudiciũ componi ex multis conceptibus, pro qua ſtat P. Rub. in Log. lib. 1. Periher. cap. 4. q. 4. n. 61. qui hãc ſententiam magis conſentaneam dicit doctrinæ D. Thomæ, quem pro ſe allegat, adducit etiam pro ſe Vaſq. tom. 2. 1 p. diſp. 13. cap. 3. at nihil talẽ reperio apud Vaſq. loco citato, ſed fortaſſe fuit error typographi, nam Vaſq. prædictam tenet opinionem alio in loco, nempe 1. p. tom. 2. ad q. 58. diſp 223. cap. 3 n. 12. quem ſequitur Hurt. de Anima. diſp. 7. ſect. 1. Idem tenet Soares de Anima. lib. 3 cap 6. n 1.

P. Rub. *D Thom.* *Vaſquez.* *P. Hurt.* *P. Soar.*

8 Obijcis, inquam, primó. In eo diſtinguitur iudicium humanũ ab Angelico, quòd humanum ſit formaliter compoſitum, Angelicum verò ſit ſimplex: ergo iudicium humanum non eſt ſimplex qualitas. Reſpondeo negando antecedens, quia iudicium humanũ non diſtinguitur ab Angelico in eo, quòd humanum ſit formaliter compoſitum, Angelicum verò, ſimplex; ſed in eo, quòd humanum iudicium, quamuis ſit vna ſimplex qualitas, præſupponit phyſicè plures terminorum apprehenſiones, Angelicum verò iudicium nihil præſupponit, ſed vnico actu apprehendit ſimul, & iudicat, vt latiùs dicemus in lib. de Anima. diſp. 85 ſect. 1. n. 10.

9 Obijcis ſecundó: Intellectus ſufficienter poteſt iudicare per illos duos actus prædicati, & ſubiecti: ergo fruſtra datur tertius ille actus, qui ſit iudicium. Reſpondeo, negando antecedens, ſiquidem intellectus per duos illos actus, nihil ſufficienter ſtatuit circa veritatem, vel falſitatem, quarè requiritur tertius, vt probatũ eſt: neque obſtat, quòd nulla detur ſpecies totius enuntiabilis, quia ſpecies habet ſe ex parte obiecti, inſeruitque immediatè ad primam operationem, cui per partes proponit obiecta.

10 Aduertendum verò eſt, hanc ſimplicem qualitatem repræſentatiuam eſſe totius enuntiabilis, ideſt, prædicati, ſubiecti, & copulæ, quia omnis terminus cognitionis, & omnis cognitio eſt imago repræſentatiua ſui obiecti. Neque obſtat, quòd habitus relictus ex iudicio, non ſit repræſentatiuus, habitus enim non datur à natura ad repræſentandum, ſed ſolùm ad facilitandum, & ideò non ſe habet ex parte obiecti, ſed ex parte potentiæ. Vide quæ de hoc puncto diſputo in lib. de Anima, diſp. 85 ſect. 1. à n. 2.

De Diuiſionibus enuntiationibus.

11 QVinta concluſio. Enuntiatio non diuiditur in apprehenſiuam, & iudicatiuam, ſed omnis enuntiatio, in qua prædicatũ aliquod affirmatur de ſubiecto, eſt iudicatiua. Ita Gregor. in 1 q. Prologi art 3. Fonſ. 4. Met. cap. 2. q. 6 ſect. 6 & lib. 6. cap. 1. q. 3. ſect. 2. neque diſſentit Vaſq. tom. 1. in 1. p. q 6. diſp. 75. c. 4. n. 21 & in hanc partẽ magis inclinat Soar. in Met. diſp. 9. ſect. 2. §. Hæc verò.

Nõ datur enũtiatio apprehenſiua. *Gregor* *Fonſeca.* *Vaſquez.* *Soarius.*

12 Ex dictis facilè probatur hæc concluſio: cum enim enuntiatio mentalis, idem ſit atque iudicium, manifeſtè implicat dari enuntiationem apprehenſiuam, ſicut implicat, dari iudicium, quod ſit apprehenſio. Confirmatur, & declaratur, quia iudicare nihil aliud eſt, quàm affirmare, vel negare: ſed qui attribuit prædicatum aliquod ſubiecto componẽdo, & enuntiando, affirmat, vel negat: ergo ſimiliter iudicat quarè ante actum iudicij, nulli alij præcedunt in mente conceptus, niſi ſolùm apprehenſiui prædicati, & ſubiecti, & copulæ non vnitiuè acceptæ.

13 Sexta concluſio. Diuiditur enuntiatio in affirmatiuam, & negatiuam; quæ diuiſio, ſi ſumatur pro enuntiatione vocali, vel ſcripta, non eſt veri generis, quia (præterquàm quòd enuntiatio hoc modo ſumpta ſit ens rationis) eſt quoddam compoſitũ per accidens, in quo vera ratio generis inueniri non poteſt. Si verò enuntiatio ſumatur pro mentali iudicio, tunc poteſt eſſe verum genus (quamuis eſſentialiter ſit ſignum, compoſitumque ex duplici reſpectu), vt conſtat ex his, quæ dixi in hoc tract. diſp. 9 ſect. 2 à n. 11. Neque huic concluſioni obſtat, quód negatio ſemper ſupponat aliquam affirmationem, atque adeò quód enuntiatio affirmatiua videatur prior, quàm negatiua; nam in ratione enuntiationis æqualiter participatur ab omni enuntiatione tam affirmante, quàm negante (ſicut accidens ſupponit ſubſtantiam, & tamen prædicabilia accidẽtium conueniunt vniuocè cũ prædicabilibus ſubſtantiarum, in ratione vniuerſalitatis.) illa enim prioritas, ſiue maior illa perfectio prouenit enuntiationi affirmatiuæ ex parte differentiæ; ad eum modum, quo homo, & equus vniuocè conueniunt in animali, in ratione ſcilicet animalis, non verò in ratione differẽtiæ, quia hæc in homine perfectior eſt.

14 Septima concluſio. Diuiditur præterea enuntiatio in ſimplicem, & cõiunctam; eſt autem enuntiatio ſimplex, illa, quæ cõſtat vno tantùm verbo, ſiue vna tantùm copula,

Digitized by Google

quæ eſt forma tribuens denominationem enuntiationi. Coniuncta vero enunciatio illa eſt, quæ conſtat duobus, vel pluribus verbis. Enuntiatio de extremo coniũcto eſt illa, quæ conſtat duobus, vel pluribus prædicatis, aut ſubiectis: hæc. ſi ſit coniuncta ex parte ſubiecti, eſſentialis eſt ſemper, licet coniunctio ſit accidẽtalis, vt patet in hac, *Homo albus eſt albus*, ſicut etiam materia contingenter iungitur cum forma hominis, & tamen ex ſuppoſitione, quòd iungatur, eſſentialiter prædicatur de homine.

15 Ea, quæ Philoſophus agit cap. 5. 6. & 7. de Oppoſitionibus enuntiationum, videat Lector apud Conimbricenſes, quibus nihil hìc addendum, aut detrahendum cenſuimus, præcipuè cum non ſint res magni momenti: nos ad caput octauum, vbi de propoſitionibus de præſenti, præterito, & futuro agitur, gradum faciamus.

DISPVTATIO XIII.

An rectè cenſuerit Philoſophus circa propoſitiones de Præſenti, Præterito, & Futuro?

Quomodò opponantur enũtiationes.

DIuiſit Ariſtoteles oppoſitionem enuntiationum in tria membra, ſcilicet in contradictorias, contrarias, & ſubcontrarias: quarum leges hæ fuerant: Cõtradictoriæ, non poſſunt eſſe ſimul veræ, nec ſimul falſæ: Contrariæ, poſſunt eſſe ſimul falſæ, non tamẽ ſimul veræ vt cernitur in hoc exemplo, *Omnis homo eſt iuſtus; nullus homo eſt iuſtus*. Subcontrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ, non tamen ſimul falſæ, vt hæ, *Quidam homo eſt iuſtus; quidam homo non eſt iuſtus*. Vnde propriè non opponuntur. Quærit ergo modò Ariſtoteles, vtrùm contradictoriæ de materia contingenti, ita opponantur, vt altera illarum ſit determinatè vera, vel falſa? atque occaſione huius quæſiti, latè nobis agendum eſt de rerum contingentia. Quæ diſputationes licet magna ex parte ad Theologum pertineant, quia tamen hoc tempore inter Philoſophos maximè agitatur, cum bona venia Theologiæ ad Philoſophiam ſunt transferendæ, & niſi me fallit animus, ita profectò.

Horat. in Arte Poet. *Continget, dabiturq́ licentia ſumpta pudenter.*

SECTIO I

Quid, & quotuplex ſit contingentia, & quæ illius radix?

Quid ſit contingentia?

1 PRima concluſio. Contingentia, prout opponitur neceſſitati, eſt indifferentia rei ad vtramlibet partem cõtradictionis. Ita communis ſententia Theologorum, & Philoſophorum; ea enim res dicitur contingens, cui non repugnat altera pars contradictionis; vnde propriè non dicitur contingẽs illa cauſa, quæ indifferẽs eſt ad effectus contrarios producẽdos, niſi etiam ſit indifferens ad effectus contradictorios, vt proſequitur Soares in Met. diſp 19. ſect. 1. n. 10. Soarius. Hinc eſt, quòd licet Sol v. g. pro diuerſitate materiæ producere poſſit duritiẽ in luto, & mollitiem in butyro, nõ tamen dicitur agens contingens, ſed neceſſarium, quia non poteſt producere vel duritiẽ v. g. vel eius contradictoriũ. Vnde contingentia formaliter accepta includit duplicẽ non repugnantiã ad eſſendum, & non eſſendum: ad operandum, & nõ operandum: quarè contingentia non eſt modus rei, nam, tali modo ſublato, adhuc res erit contingens: neque oppoſitum docet Fonſ. 5. Fonſeca. Met. cap 6 q. 6. ſect. 2 § Quod, vt luculẽtiùs: & §. Sequenti, non enim aſſerit, contingentiam eſſe modum aliquem diſtinctum ex natura rei.

2 Secunda concluſio. Contingentia duplex eſt, vna in eſſendo, altera in operando. Quotuplex ſit cõtingentia? Prima definitur: indifferentia ad eſſendum, & non eſſendum: Secunda definitur, indifferentia ad operandum, & non operandum. Hæc diuiditur in intrinſecam, & extrinſecam: intrinſeca reperitur in cauſis, quæ ab intrinſeco habent indifferentiam, vt operentur, & non operentur, quales ſunt rationales cauſæ: extrinſeca verò reperitur in cauſis naturalibus, quæ poſſunt impediri in ſuo operari ab alijs cauſis.

3 Tertia concluſio Contingentia in eſſe actuali datur in omni ente creato, vt patet experientia. Vnde ſolus Deus habet omnimodam neceſſitatem in eſſendo. Hæc concluſio certa eſt, & catholica.

4 Quarta concluſio. Contingentia in operando perfectiſſima, ſiue libertas datur primò in Deo circa res creatas ad extra, haberè enim

enim

Digitized by Google

i. Iacobi 1.n.18. enim, ſeu, vt inquit Scriptura. prima Iacobi 1. num. 18. Voluntariè genuit nos. Dixi, *ad extra*, quia Deus ad intra operatur neceſſariò. Secundò datur contingentia, ſeu libertas in operando in cauſis liberis creatis, quales ſunt Angeli, & homines. Concluſio etiam, præterquàmquòd experientia conſtet, de fide eſt, & demonſtratur à Soario in Met.diſp.19 P. Soar M.Molin. ſect.2. n.11. & à Mol. 1. p. q. 14. diſp. 3. & Bellarm. latiùs à Bellarmino per totum librum tertium de Gratia, & libero arbitrio. Hanc veritatem Scotus. acriùs vrget Scotus in 1. diſt.39 q.vnica. §. Quantum ad primum: monet enim tandiu flagellis excruciandum eſſe, qui negauerit libertatem in homine ad operandum, quouſque fateatur liberum eſſe verberanti à verberibus ceſſare. Quod tamen non tollit, quominùs per accidens pueri, amentes, & ebrij, careant exercitio libertatis.

Quæ ſit radix cōtingentiæ? 5 Quinta concluſio. Radix proxima, & particularis contingentiæ cauſæ ſecūdæ liberæ in operando eſt ipſa voluntas creata, adæquata verò eſt diuina voluntas, ſimul cum volūtate creata. Probatur prima pars, quia tales effectus liberi pendent proximè à voluntate creata liberè operante. Probatur ſecūda pars, quia omnes effectus creati dependent à diuina voluntate, vel approbāte, vel permittente, vt videbimus: ergo vtraque voluntas, diuina, & humana, eſt cauſa adæquata, ita tamen, vt diuina voluntas dicatur cauſa remota, creata Molina. verò dicatur proxima: ita colligo ex Mol. 1. p. q.14 diſp 12.§. Tertia concluſio.

6 Sexta cōcluſio. Cauſa, & radix extrinſeca contingentiæ in eſſendo, eſt Deus, ſeu diuina voluntas; intrinſeca verò radix eſt ipſa D Thom. defectibilis rerum natura. Ita D.Thom. 1. p. q.19 art.8. Probatur latè prima pars huius cō- Fonſeca. cluſionis à Fonſ 6. Met.cap.2.q.3 ſect. 2. à §. Molina. Prima concluſio: & eandem docet Mol. 1.p. q. 14.diſp.12. à §.Sit ergo. Vbi dicit, Deū potiùs appellandū cauſam liberam, quàm cōtingentem: & breuiter oſtēditur, quia omnia entia, quòad ſuum eſſe dependent à diuina voluntate liberè, & efficaciter omnia operante.

7 Secunda pars concluſionis certa etiam eſt, quia contingētia in eſſendo nihil eſt aliud, quàm indifferentia, quæ datur in re, vt ſit, & non ſit; ſed hanc indifferentiam habet quæcumque res intrinſecè ex ſe ipſa: ergo radix intrinſeca huius contingentiæ, eſt ipſa rei defectibilitas. Duo tamen hìc aduertenda ſunt: Primum eſt, radicem, ſeu cauſam externā cōtingentiæ in eſſendo, & operando, collocandā eſſe tam in ſumma diuinæ voluntatis efficacia, quàm in eiuſdem diuinæ voluntatis liberta- P. Fonſ. te, vt bene aduērtit Fonſ. lib.6 Met.cap. 2.q. 3. §.Secunda concluſio: & ratio eſt, quia ſublata, vel diuina potentia, vel diuina libertate, non poterunt dari effectus intrinſecè contingentes, vt videbimus. Aduertendum ſecūdò eſt, intellectum etiam, tam diuinum, quàm creatum, requiri ad perfectam contingentiā, quia intellectus eſt radix libertatis, & ideò nō poteſt dari contingentia ab intrinſeco, vbi nō datur intellectus.

8 Septima concluſio. Contingentiæ per accidens, & ſecundùm quid in operando, qualis datur in cauſis purè naturalibus, vt in equo, radix interna eſt defectibilitas propria: externa verò eſt diuina voluntas. Prima pars, (quam docet Soar. in Met. diſp. 19. ſect. 10. P. Soar. num. 13.) probatur, quia cauſa naturalis, quæ caſualiter impeditur ad producendos ſuos effectus, impedibilis redditur, propter defectū ſuæ virtutis: ergo radix huius extrinſecæ contingentiæ eſt ipſa interna natura. Secūda pars, (quæ traditur ab eodem Soario, & á Fonſ.6. P. Soar. Met. quæſt. 3. ſect. 2. á §. Tertia concluſio.) Fonſeca. probatur breuiter, quia alioquin tales effectus eſſent præter intentionem, & voluntatem primi agentis.

Vtrùm res contingens, quando eſt, contingenter ſit?

10 OCtaua concluſio. Res contingēs, quando eſt, contingenter eſt; & potentia libera in inſtanti, quo operatur, contingenter operatur. Ita Scotus in 1. diſt. 39. quæſt. vnica. Bona- Scotus. uent. Capr. Heruæus. Almain. Soncin. quos D.Bon. laudant, & ſequuntur Conimbricenſes in Capreol. Log. ad cap.8. de Futuris contingentibus. q. Heruæ. vnica. art. 1. Pro eâdem veritate ſtat Rub. Almain. lib.1. Periherm. cap 6 dub.vnico.n 22. Item Soncin. Soar. in Met. diſp. 19. ſect 9. n.3. vbi oppo- Conimbr. ſitam ſententiam falſam appellat, & ſibi planè Rubius. improbabilem, & pro eâdem citat prætereá Soarius. Gregor. idē tenet Parth. Amic. in Log. tract. Gregor. 21.d.4 dub. 4. art. 1. §. Tertió ſuppono, Amicus. & eſt communis inter omnes noſtros Doctores.

11 Probatur concluſio. Quia res non dicitur contingens, niſi per ordinem ad inſtans, in quo eſt, vel operatur: ergo potentia libera in inſtanti, quo operatur, liberè, & contingenter operatur; & res cōtingens in inſtāti, in quo eſt, liberè, & contingenter eſt. Antecedens probatur ex definitione liberi, & contingentis: nam potentia libera *eſt illa, quæ liberè, & contingenter operatur*: at ne quis confugeret ad libertatē, vel contingentiam, quæ antecederet ipſum actum, vel ipſam rem liberè exiſtentem, oppoſitū ſic probatur. Nō ſufficit

Digitized by Google

libertas antecedens operationem: ergo denominatur res contingens, ex eo quòd ſit contingens in inſtanti, in quo eſt. Probatur antecedens, nam Deus ex tota æternitate habuit aliquos actus liberos, & tamen pro nullo inſtanti antecedenter illis caruit. Probatur ſecundò idem antecedens, quia homo peccator amittit gratiam in inſtanti, in quo peccat, illamque recuperat in inſtanti, in quo elicit actum contritionis, non anteà, vel poſteà: ſed non poteſt amittere, vel acquirere gratiam, niſi liberè operetur: ergo in inſtanti, in quo operatur, liberè operatur.

11 Obijcis pro contraria ſententia, quam tenent Nominales in 1. diſt 38. Si res in inſtanti, in quo eſt, poteſt non eſſe; & potentia in inſtanti, in quo operatur, poteſt non operari: idem ſimul poterit eſſe, & non eſſe; operari, & non operari: ſed hæc ſunt contradictoria: ergo &c. Reſpondeo ad maiorem cũ diſtinctione: nam res in inſtanti, in quo eſt, poteſt non eſſe; & potentia libera in inſtanti, in quo operatur, poteſt non operari, ſi ſumatur in ſenſu diuiſo, ſeu ſpecificatiuè, vt ſumi debet: non verò ſi ſumatur in ſenſu compoſito, vel reduplicatiuè.

Nominales.

12 Tunc verò datur ſenſus diuiſus, cùm res accipitur abſolutè, & nulla facta ſuppoſitione: tunc datur ſenſus compoſitus, quando ſupponimus rem eſſe, & tunc neceſſariò eſt; nam licet res contingens habeat potentiam ad eſſendum, & non eſſendum, non tamen habet potentiam ad eſſendum ſimul, & non eſſendum ſimul; ſicut aqua habet potentiam ad recipiendum frigus, vel calorem; non tamen ad recipiendum ſimul has qualitates. Cũ igitur res contingens in inſtanti, in quo eſt, poſſit non eſſe, propterea contingenter eſt, licet, facta ſuppoſitione, quòd iam ſit, neceſſariò ſit: neque repugnat, dari ſimul actum, & potentiam oppoſitam. nam in eodem inſtanti, in quo aqua eſt calida, retinet potentiam ad frigus.

SECTIO II.

Vtrùm daretur contingentia, ſi Deus neceſſariò operaretur?

1 Diximus diuinam voluntatem eſſe radicem externam contingentiæ in eſſendo entium creatorum: vt hæc doctrina manifeſtior euadat, quærendum reſtat, vtrùm effectus liberi cauſæ ſecundæ ita dependeant quoad ſuam libertatem à cauſa prima, vt ſi hæc neceſſariò ageret, non daretur libertas in cauſa ſecunda? Hæc quæſtio plures ſenſus habere poteſt, & propterea per ſequentes concluſiones reſoluetur.

2 Prima concluſio. Si in Deo non daretur libertas, non daretur etiam in cauſa ſecunda. Hæc concluſio ita abſolutè prolata communis eſt inter Theologos, & ſaltem in hoc ſenſu vera eſt ſententia Scoti in 1. diſt 2. q 2. de qua infra. Probatur primó quia libertas ſecundùm ſe, & ſublatis imperfectionibus libertatis creatæ, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: ergo in Deo priús debet reperiri libertas. Probatur conſequentia, quia omnis libertas, quæ reperitur in creaturis, eſt per participationem: ergo ſi creaturæ habent libertatem participatam à Deo, priùs, & perfectiùs reperitur libertas in Deo.

Libertas primó & omnis Deo.

Scotus.

3 Obijcis Libertas non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: ergo non poteſt Deo primariò conuenire. Probatur antecedens, quia includit imperfectionem, nempe potentialitatem, & mutabilitatem. Reſpondeo, negando antecedens, quia licet libertas coniuncta ad voluntatem creatam includat illas imperfectiones tamen libertas ſecundùm ſe, ſolúm includit dominium circa ſuos actus. & obiecta, quod dominium poteſt eſſe actu ab æterno, ita, vt nunquàm fuerit potentia ſine actu libero, ſed potuerit non eſſe talis actus liber, non quoad entitatem, ſed quòad terminationem liberam ad extrinſecum, vt dicemus in Met. diſp 69. ſect 1. Quando dico, libertatẽ eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem, intelligitur libertas ad entia extra obiecta creata, quia tunc melior eſt ipſa, quàm non ipſa; non intelligitur veró libertas ad intra, quia Deus non poteſt liberè ſe amare.

4 Secunda concluſio. Suppoſito quód Deus ageret neceſſario, & deinde ſi daretur adhuc libertas, in actu primo in cauſis ſecundis, Deus verò concurreret cum illis neceſſarió quidem, ſed eodem concurſu, quo nunc concurrit, adhuc darentur effectus intrinſecè contingentes. Ita Mol 1. p. q. 14. art. 13. diſp. 11 § Cæterùm, & in Cõcordia. diſp. 34 Soar. in Met. diſp. 19. ſect. 3. n. 16 Fonſ. 6. Met. cap. 2. q. 3. ſect. 3. Vaſq. 1. p. diſp. 100. cap. 5. quatenus abſolutè docet, & ſi cauſa prima neceſſariò operaretur, noſtrã voluntatem liberè poſſe moueri, & pro hac ſentẽtia citat Caiet. & Camerarium. Idem tenet Zumel. 1. p. q. 14.

Molina. Soarius. Fonſec. Vaſquez. Caietan. Camerar. Zumel.

5 Probatur, quia Deus in tali caſu operaretur eodem modo, quo nunc operatur, ſed modò dantur effectus intrinſecè contingentes: ergo tunc etiam darentur, quamuis nunc liberè, tunc verò neceſſarió operaretur.

Con-

Confirmatur primò, quia quando duæ cauſæ concurrunt ad aliquem effectum, ſi altera eſt libera effectus manet liber, vt patet in illuminatione lucernæ, quæ libera dicitur, quatenus Socrates liberè lucernam accendit, & illam applicat ad illuminandam domum. Quod præcipuè verum eſt, quando cauſa proxima particularis eſt libera. Confirmatur ſecũdò, quia effectus cauſæ liberæ non eſt proximè liber, ex eo quòd Deus ſit liber (alioqui tota noſtra libertas, & operatio libera tribueretur Deo.) ergo ſimiliter effectus cauſæ liberæ non erit neceſſarius, ex eo quòd Deus neceſſarió operaretur.

6. Obijcis pro contraria ſententia, quam ſequitur Scotus in 1. diſt. 2. q. 2. & diſt. 8. q. 5. *Scotus.* Cauſa ſecunda non agit, niſi mota à prima: ſed cauſa prima eſſet neceſſaria, ergo neceſſarió moueret ſecundam: ac proinde cauſa ſecunda neceſſitata maneret in actu ſecundo, licet ſupponatur libera in actu primo. Reſpondeo negando maiorem, neque enim Deus priùs mouet cauſam ſecundam, & deinde concurrit ad effectum; ſed tam cauſa ſecunda, quàm prima, proximè, & immediatè cõcurrunt ad eandem actionem, quod non tollit, quominùs cauſa prima dicatur prior ordine dignitatis.

7 Inſtas. Vt baculus v. g. moueat lapidem, priùs moueri debet: ergo ſimiliter, vt cauſa ſecunda moueat, debet priùs moueri à cauſa prima. Reſpondeo negando conſequẽtiam, quia baculus eſt inſtrumentum, quod priùs debet recipere impulſum, nullam enim in ſe habet vim ad operandum: at verò cauſa ſecunda eſt vera, & propria cauſa habens in ſe virtutem.

8 Obijcis ſecundò. Concurſus Dei eſſet neceſſarius: ergo etiam concurſus cauſæ ſecundæ, ſiquidem ſimul concurrunt ad eandem actionem. Reſpondeo negando conſequentiam, quia denominatio libertatis, aut neceſſitatis, ſumitur à cauſa particulari, ſi enim à ſola prima ſumeretur, actiones agentiũ merè naturalium eſſent liberæ, quia Deus cũ illis modò liberè concurrit.

Proponuntur aliæ concluſiones.

Si Deus eſſet agens neceſſariũ & haberet ſapientiã, adhuc darētur effectus cõtingentes.

9 TErtia concluſio. Si Deus operaretur neceſſarió, licet non ageret eodem concurſu, quo nunc operatur, ſed diuerſo, & daretur libertas in cauſa creata in actu primo, adhuc poſſent dari effectus intrinſecè contingentes in actu ſecundo, neque impedirentur tales effectus ſolùm ex vi harum ſuppoſitionum. Hæc concluſio, (quamuis ſit contra Soar. in Met. diſp. 19. ſect. 3. à n. 12. & contra communem modum philoſophandi) ſic probatur: *P. Soar.* Quia licet Deus ageret neceſſariò, non propterea ageret quantùm poſſet: ergo ſolùm ageret, quod conueniens eſſet rerum naturis, neque illas deſtrueret applicando concurſum infinitum. Probatur antecedens, quia ex vi harum ſuppoſitionum, quamuis Deus ſupponatur agens neceſſariò, non ſupponitur carere ſapientia, & bonitate: ergo bonitas diuina prohiberet rerum deſtructiones, & ſapientia gubernaret omnipotentiam, vt ſe accommodaret neceſſariò cauſis ſecundis, quas fecerat liberas in actu primo: ergo Deus in his ſuppoſitionibus non operaretur ſemper quãtùm poſſet.

10 Confirmatur, & declaratur, quia duo ſunt agentia ex neceſſitate naturæ, prima, cognitione expertia, vt ignis, qui ſemper agit quantum poteſt: alia ſunt agentia naturalia, quæ tamen habent cognitionem, vt equus, quæ ſimul, & ab obiecto, & à cognitione determinantur, & propterea non ſemper feruntur quanta poſſunt efficacia: Deus veró in his ſuppoſitionibus, licet foret agens naturale, ſeu neceſſarium, haberet tamen cognitionẽ, à qua gubernaretur, & hoc pacto poſuit Ariſtoteles Deum agentem ex neceſſitate naturæ, operando ſcilicet ſapientiſſimè quantùm expedit, & non quantùm poteſt; vt bene explicat Soncin. 12. Met. quæſt. 41. Ideò quamuis *Soarius.* equus, vel quoduis aliud agens neceſſarium præditum cognitione, ſemper operetur quantùm poteſt vt aliqui concedunt, Deus tamen non ita operaretur, quia eius cognitio foret perfectiſſima. Ex quibus ſequitur, poſſe Deũ in illis circunſtantijs neceſſitare voluntatem creatam, ſi ita intelligeret expedire, quia eſſet omnipotens, ſed non ideó eam ſemper neceſſitaret, aut infinitum concurſum applicaret, vt patet, ſiquidem eſſet ſummè ſapiens.

11 Obijcis. Si Deus operaretur neceſſariò, & non haberet libertatem, non haberet etiam ſapientiam: ergo ſine ſapientia non poſſet ſe accommodare rerum naturis, vnde operaretur quantùm poſſet, ac proinde non darentur effectus intrinſecè contingentes in actu ſecundo. Reſpondeo antecedens veriſſimum eſſe, ſi, non ex ſuppoſitione, ſed conſequenter, loquendum ſit; quia ſicut implicat, dari ſubſtantiam volitiuam, quin ſit intellectiua; ita implicat, dari ſubſtantiam intellectiuam, quin ſit volitiua, vt eſt communis doctrina cum D. Thom. 1. p. q. 19. art. 1. & diximus in Met. diſp. 4. ſect. 4. n. 8. *D. Thom.* Vnde ſi Deus non eſſet liber, non eſſet etiam ſapiens: nihilominùs tamẽ loquimur ex ſuppoſitione,

quòd Deus ageret neceſſariò, & adhuc eſſet ſummè ſapiens; ſicut etiam ſupponimus, Deum non habere libertatem, & tamen dari libertatem in actu primo in cauſis creatis, quæ ſecunda ſuppoſitio, quamuis ſit impoſſibilis, ſicut admittitur, ita etiam prima admitti poteſt.

12 Quid tamen dicendum, ſi Deus ageret neceſſariò, nec tamen eſſet ſapiens? Communis reſponſio eſt, nullos tunc dari poſſe effectus intrinſecè contingentes, quia operaretur quantùm poſſet: ſit nihilominùs, Quarta concluſio. Quamuis Deus ageret neceſſariò, & quamuis non eſſet ſapiens, non tamen acturus erat ſemper quantùm poſſet. Probatur, quia cùm adhuc eſſet omnipotens, poſſet ſe accommodare rerum naturis determinando ſe, non quidem ab intrinſeco, ſed extrinſecè, ab obiectis, quamuis temere cum eis aliquando concurreret: ſicut Sol, qui, quamuis ſit agens neceſſarium, nec præditum cognitione, determinatur tamen ab obiectis.

13 Obijcis. Sol ſemper agit quantùm poteſt: ergo idem dicendum de Deo in ea ſuppoſitione. Reſpondeo negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia Sol non eſt omnipotens, & ideò non poteſt attemperare ſuam potentiam; ſed Deus ſupponitur omnipotens: ergo poſſet accommodare ſuum concurſum, prout res poſtularet. Ex quibus ſequitur, poſſe dari effectus intrinſecè contingentes in ſimili ſuppoſitione, in qua Deus ſupponitur agens naturale, quamuis non ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco limitaretur.

In quo ſenſu non darentur effectus liberi, ſi Deus ageret neceſſariò.

14 Quinta concluſio. Si Deus ponatur omnino agens neceſſarium cum abſoluta neceſſitate in agendo, quæ nec ab intrinſeco, nec ab extrinſeco limitetur, tunc quidem ageret quantùm poſſet; & in hoc ſenſu nulli darentur effectus contingentes, ſiue liberi in cauſis ſecundis, quamuis eſſent liberi in actu primo. Hæc concluſio videtur omnino certa, pro qua à fortiori ſtabit Soarius in Met. diſp. 19 ſect. 4. n. 12. & in hoc ſenſu verè dixit Scot. erraſſe Philoſophos ponentes Deum agere ex neceſſitate naturæ, & admittentes actus liberos in cauſis ſecundis.

P. Soar. Scotus.

15 Probatur concluſio. Quia tunc, vt ſupponitur, Deus eſſet omnipotens, nec haberet vnde limitaretur: ergo ageret ſecundùm hanc omnipotentiam, quantùm poſſet: ſicut Sol ſemper agit, quantùm poteſt. Hæc verò omnipotentia neceſſitatem inferret omnibus cauſis ſecundis: ergo &c. Quod ſic oſtenditur, nam Deus modò poteſt per infinitam ſuam potentiam ita mouere voluntatem, vt illam neceſſitet, vt videbimus in Met. tract. 3. diſp. 65. ſect. 3. à n. 9. ſed Deus tunc ageret quanta poſſet efficacia: ergo ſemper ageret, neceſſitatem illi inferendo.

16 Neque obſtat, quòd Deus ponatur omnipotens, vt inde quis inferat, poſſe limitare ſuam omnipotentiam: nam ita ſupponitur omnipotens, vt non habeat vnde limitetur, nec ab intrinſeco, neque ab extrinſeco: quamuis ergo ſecundùm hanc omnipotentiam faceret cauſas non ſolùm liberas, ſed etiam liberrimas in actu primo (ſiquidem operaretur quantùm poſſet) nihilominùs in actu ſecundo impediret illarum libertatem, nec ſineret eas pro libito operari; quia applicaret quantùm poſſet concurſum, qui infinitus eſt, & cui reſiſtere non poſſet cauſa creata.

SECTIO III.

Vtrùm enuntiationes circa materiam contingentem ſint determinatè veræ, vel falſæ?

1 PRima concluſio. Propoſitiones de præterito, quamuis ſint de materia contingenti, ſunt determinatè veræ, vel falſæ. Hæc eſt omnino certa, duce Ariſtotele in hoc lib, in fine cap. 8. Probatur, quia res, quæ præterijt, iam eſt determinatè vera, vel falſa: ergo propoſitio, quæ illam ſignificat, iam eſt determinatè vera, vel falſa; nam teſte eodem Philoſopho, *quia res eſt, aut nõ eſt, propoſitio eſt vera, aut falſa.*

2 Et eadem ratio probat idem inſtitutum circa propoſitiones de præſenti. Sed cõtra poteſt quis obijcere: Propoſitio de præſenti, vel eſt vera, aut falſa ex ſuppoſitione, vel abſolutè. De primo non eſt quæſtio: ſecundum non videtur dicendum, quia res cõtingens, etiam quando eſt, contingenter eſt; ergo cum non ſit determinatè vera, nec etiã propoſitio, quæ illam ſignificat, erit determinatè vera, vel falſa. Reſpondeo ad maiorem, propoſitionem de præſenti, non ſolùm ex ſuppoſitione, ſed etiam abſolutè, eſſe determinatè veram, vel falſam: ad quod ſufficit, quod licet poſſit eſſe, aut non eſſe, tamen de facto iam habet vnum ex duobus membris, nempe iam de facto eſt, aut non eſt; neque ex eo quòd contingenter ſit, deſinit eſſe determinatè vera, vel falſa; contingentia enim non opponitur veritati, aut falſitati, ſed ſolùm opponitur neceſſitati.

Quid

Quid dicendum ſit in contradictorijs de ſuturo contingenti?

3 SEcunda concluſio. In propoſitionibus contradictorijs de futuro contingenti, altera pars eſt actu, & determinatè vera, altera actu, & determinatè falſa, licet ſit contingens. Hæc eſt certiſſima, & communiſſima inter Philoſophos, & Theologos, vt videre eſt apud Conimbric. *Patres Conimbr.* in cap. 8. de Futuris contingentibus, q. vnica, art. 4. vbi Theologos citant, ac Patres, qui pro hac veritate pugnant. Idem inſtitutum latè probat P. Rub. in Log. de Periher. cap. *P Rub.* 6. q. vnica à nu. 44. Item Hurtad. de Anima, *Hurtad.* diſp 9. ſect. 6. n. 61. imò pro eadem ſtat hodie Societas prope vniuerſa. Videantur Soar. *Soarius.* lib. 1. de Abſoluta ſcientia futurorum. cap. 1. & Valent. de Herice. 1. p. tract. 1. diſp. 6. cap. *Herice.* 7. vbi num. 94. allegat viginti Auctores, item Ioannes Præpoſitus 1. p. q. 14. art. 13. dub. 1. *P. Præpoſ.* Alarconius 1. p. tr. 2. diſp. 4. cap. 1. Ruicius *P. Alarc.* 1 p. d. 23. Barthol. Amicus in logica tract. 21. *Ruicius.* d. 4. dubio 4. ar. 3. Eandem veritatem tuetur *Amicus.* M Serna in Log. diſp. 3. de ſecunda intelle- *Serna.* ctus operatione ſect. 8. q. 4 art. 2. vbi ad mar- *Ocham.* ginem citat Ocham. Scot. Marcil. Capreol. & *Scotus.* alios plures, (& art. 3. idem probat circa futu- *Marcil.* ra contingentia conditionata.)

Capreol. 4 Probatur, quia propoſitio, quæ ita ſe habet in ſignificando, vt res ſignificata ſe habet in eſſendo, actu conformatur cum obiecto: ſed vna pars contradictionis de futuro ita õnino ſignificat, vt res erit, altera verò oppoſitum: ergo illa eſt determinatè, & diſtinctè vera, hæc determinatè, & diſtinctè falſa. Confirmatur, quia alioquin non opponerentur contradictoriæ propoſitiones, quarum ea eſt lex, vt vna ſit determinatè vera, altera determinatè falſa: impoſſibile enim eſt, vt idem ſimul ſit, & non ſit.

5 Et declaratur hæc veritas: Quia Deus certó cognoſcit, vtrùm propoſitio de futuro ſit vera, aut falſa: ſicut Chriſtus Dominus cognoſcebat hanc, *Antequàm gallus cantet, ter me negabis*, ergo cùm illam protulit Chriſtus Dominus antequàm res eſſet, protulit propoſitionem determinatè veram, & ſimiliter, ſi eã propoſitionem proferret quiuis diſcipulus, vera eſſet, quamuis eam diſcipulus ignoraret, (neque enim propoſitio vera eſt, quia eius futuritio cognoſcitur, vel à Deo, vel ab homine, ſed ideò cognoſcitur, quia eſt futura vera) ergo propoſitiones de futuro contingẽti habent determinatam veritatem, vel falſitatẽ, licet hæc ab homine omnino ignoretur, quia contingens eſt, vt ſtatim videbimus.

6 Obijcis pro contraria ſententia, pro qua pugnat Ariſtoteles in hoc cap. quatenus *Ariſtot.* docet in propoſitionibus contradictorijs de futuro contingenti neutram partem eſſe determinatè veram, aut falſam. Pro qua etiam ſtant Louanienſes in ſcholijs huius capitis, *Louan.* Aurelius, Bargius, Baſſol. & Cather. quos ci- *Aurelius.* tant Patres Conimbricenſes ſupra art. 5. Idem *Barg.* etiam tenuit Tolet. in Log. lib. 1. Perihetm. *Baſſol.* in expoſitione c. 8. n. 14. imò & Fonſ. 5. Met. *Cather.* cap. 7. in explanatione textus, & 3. Inſtit. cap. *Tolet.* 6. Henricus Henriquez tom. 1. lib de Vltimo *Fonſec.* fine hominis. cap 4. Bellarm. tom. 3. de Gra- *Henriq.* tia, & libero arbitrio. lib. 4. cap. 4. & 15. qua- *Bellarm.* tenus nimiùm Ariſtoteli adhærentes aſſerũt, has propoſitiones non habere determinatam veritatem, vel falſitatem, in quantùm regulantur per eſſe, quod in cauſa habent.

7 Obijcis, inquam, primò. Si propoſitiò de futuro contingenti eſſet determinatè vera, vel falſa, hæc propoſitio, *Socrates peccabit*, eſſet neceſſaria, & immutabilis, ac proinde tale peccatum neceſſariò eueniret; ſed hoc eſt falſum: ergo &c Reſpondeo ad maiorem, illam propoſitionem ab æterno eſſe veram, vel falſam determinatè, ſed non ideò eſſe abſolutè neceſſariam, & immutabilem, (ſiquidem eſt contingens) ſed tantùm ex ſuppoſitione, quód Deus ſciret, Socratem v. g. peccaturũ, quæ ſcientia non tollit rei contingentiam, vt videbimus: quarè illa propoſitio, ſublata ſuppoſitione, ita eſt vera, vt potuerit eſſe falſa: propoſitio verò abſolutè neceſſaria, ita eſt vera, vt non poſſit eſſe falſa: ex quibus patet, quid dicendum ſit ad argumentum.

8 Obijcis ſecundó. Res contingenter futura eſt indifferens, vt ſit, vel non ſit: ergo propoſitio, quæ illam ſignificat, ſimiliter indifferens eſt, & indeterminata ad veritatem, vel falſitatem. Reſpondeo ad antecedens, rẽ contingenter futuram eſſe indifferentem, vt ſit, vel non ſit, ſi ſumatur abſolutè, & pro tempore præſenti, in quo profertur propoſitio, & prout eſt intra cauſas: non verò ſi ſumatur, prout ſubeſt futuritioni, & ſcientiæ diuinæ: nam, hoc poſito, iam eſt determinatè vera, aut falſa, & ita ſumitur propoſitio de futuro, & res per eam ſignificata eſt obiectum determinatum propoſitionis, In ea differentia temporis, in qua à propoſitione ſignificatur.

9 Obijcis tertiò. Res contingens poteſt aliter euenire: ergo ſi ſupponamus cognoſci à Deo futurum aliquod contingens, & poſteá aliter euenire, cùm nullum ſequatur inconueniens ex poſſibili poſito in actu, nihilominùs hìc ſequeretur, falli Deum ipſum, ſiquidem res euenit aliter, atque à Deo cognoſcebat-

Digitized by Google

cebatur: ſed hoc dicendum nõ eſt: ergo Deus non ſcit determinatè alteram partem contradictoriã de futuro contingenti. Reſpondeo in hac re, non habere locum illud axioma, *Poſſibili poſito in actu, nullum ſequitur inconueniens*, quia ſolùm intelligendum eſt de futuro, nulla facta ſuppoſitione: at veró hic iam ſupponimus, cognoſci à Deo tale futurum, atque adeò ex ſuppoſitione, iam non poteſt aliter euenire. Vnde nihil colligit argumentum: Quod amplius patebit ex dicendis circa diuinam ſcientiam de futuris contingentibus.

DISPVTATIO XIIII.

De cognitione creata circa futura contingentia.

EXplicuimus quid ſit contingentia intrinſeca, & extrinſeca; inquirendum modò reſtat, an hæc rerum contingentia poſſit certò cognoſci ab aliquo intellectu creato, Angelico, vel humano, & vtrùm hæc cognitio poſſit alicui communicari? Non loquimur imprimis de cognitione ſẽſitiua, quia hæc non poteſt percipere futura contingentia, vel etiam extrinſeca, quia omnis futuritio eſt extra obiectum cognitionis ſenſitiuæ, vt patebit: loquimur igitur de ſola cognitione intellectuali.

SECTIO I.

Vtrùm homines, & Angeli poſſint certo cognoſcere futura contingentia?

1 PRima concluſio. Intellectus Angelicus poteſt, certitudine naturali, & phyſica, cognoſcere futura contingentia ab extrinſeco: hoc eſt, poteſt cognoſcere effectus, qui procedent à cauſa neceſſaria, quales ſunt v. g. emanationes potentiarum, futura eclypſis, & reliqua, quæ procedere poſſunt á cauſa non libera. Ita D. Thom. 1. p. q. 57. & alij communiter cum Alenſe, Durando, Arrubale, quos citat. & ſequitur P. Franciſc. Amic. in ſuo Curſu Theol. diſp. 11. ſect. 1. n. 6. item Soar. lib. 2. de Angelis. cap. 9. à n. 4. Probatur concluſio, quia cauſæ naturales ſunt determinatæ ad vnum: ſed Angeli cognoſcunt virtutes cauſarum naturalium, influxus aſtrorum, á quibus multæ dependent, ergo &c. Neque obeſt, quòd aliquæ cauſæ naturales operentur, ſine cognitione, vt ignis; aliæ verò ſint præditæ cognitione, vt equus, nam ſimpliciter ſunt cauſæ neceſſariæ, & determinatæ ad vnum. Limitatur concluſio primò in effectibus naturalibus, ſeu contingentibus ab extrinſeco, qui ſunt ſubordinati alicui cauſæ liberæ, quia Angelus non poteſt cognoſcere naturaliter effectum futurum cauſæ liberæ: ergo neque etiam poterit cognoſcere effectum cauſæ neceſſariæ, ſi hæc ſubordinata fuerit cauſæ liberæ; imó neque etiam Angelus cognoſcet quòad indiuiduũ, ſed tantùm quòad ſpeciem, effectus contingentes ab extrinſeco, quia determinatio ad indiuiduum eſt propria Dei, ac proinde libera eſt ab intrinſeco.

D. Thom. Alenſ. Durand. Arrubal. Franciſ. Amicus. P. Soar.

2 Limitatur ſecundó hæc concluſio à Mol. 1. p. q. 57. art. 3. §. *Secunda concluſio*, ad medium, in aliquibus effectibus, qui procedunt ab appetitu brutorũ in quibus (vt ipſe ait) cernitur aliquod veſtigium libertatis; ſed cùm nullum tale veſtigium, in brutis agnoſcamus, concluſio vniuerſalis eſt, vt docet Vaſquez. 1. p. quæſt. 57. diſp. 207. cap. 2. num. 7. Quæ doctrina extendi etiam poteſt ad effectus, qui prodire poſſunt à pueris, & amentibus, nam prout ſic, ſunt determinati ad vnum. Imò licet cauſæ naturales ab alijs impediri poſſint, cùm Angeli cognoſcant hæc omnia impedimenta naturalia, quauis effectus impediantur, eo modo, quo fuerint, ab Angelis cognoſcentur. M. Molin. P. Vaſq.

3 Dixi in concluſione, hæc futura cognoſci, *certitudine naturali, & phyſica* quia nõ cognoſcunt Angeli talia futura certitudine logica, & omnino infallibili, quia cùm hæc omnia ſubordinata ſint diuinæ voluntati, poteſt Deus de potẽtia abſoluta immutare modum naturalem agendi cauſarum ſecundarum naturalium.

4 Obijcis contra concluſionem. Effectus extrinſecé contingentes procedunt neceſſariò à cauſa naturali: ergo non ſunt contingẽtes, ſed neceſſarij, et conſequenter Angeli nullos cognoſcunt effectus contingẽtes. Reſpondeo diſtinguendo antecedens; procedũt neceſſariò ex parte modi operandi, concedo antecedens: quia modus operandi illarum cauſarum eſt neceſſarius: procedunt neceſſariò ex parte rei factæ, aut futuræ, nego antecedens, quia res illa ſimpliciter poterat non eue- Obiectio

euenire: ex quibus patet quid dicendum ad conſequentiam.

5 Ex tradita doctrina conſtat, quomodò philoſophandum ſit circa intellectum humanum, cùm enim homines non comprehendant omnes virtutes cauſarum ſecundarum, non cognoſcunt neque phyſica certitudine, omnes illarum effectus futuros, etiam extrinſecè contingentes: bene tamen poterunt aliquos attingere, vt Mathematici cognoſcunt aſtrorum futuros occurſus. Hoc tamen non tollit quòminùs probabili coniectura multa alia futura aliquando præuideant homines.

6 Secunda concluſio. Futura intrinſecè contingentia, quæ procedunt à cauſis liberis, non poſſunt naturaliter cognoſci certò, & infallibiliter ab intellectu creato humano, vel Angelico. Hæc concluſio communis eſt inter Theologos, quos referunt. & ſequũtur Mol. 1. p. q. 57. art. 3. §. *Tertia concluſio*, & ſequenti §. probat hanc concluſionem eſſe de fide: pro eâdem Vaſq. 1. p diſp. 208 cap. 1. Val. 1. p. diſp. 4. q. 7. puncto 3. Soar. de Angel. lib 2. cap. 10. (vbi num. 2 oſtendit, hanc concluſionem eſſe de fide) Hurt. item in Met. diſp. 12 ſect. 4. §. 30. Probatur primò, quia ſolus Deus cognoſcit hæc futura iuxta illud Iſaiæ cap. 49 *Ego ſum Deus, & non eſt ſimilis mei annuntians ab exordio nouiſsima, & ab initio, quæ nondũ facta ſunt.* Vnde veriſsimè à vate Venuſino cautum eſt,

Molina. *P. Vaſq.* *Valentia.* *Hurtad.* *Iſaiæ 49.* *Horat li. 1. Ode 9. Et lib. 3. Ode 29.*

Quid ſit futurum cras fuge quærere. Et alibi,
Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus.

7 Probatur ſecundò Quia hæc futura, vel cognoſcerentur in ſe ipſis, vel in cauſis, vel in effectibus. Non in ſe ipſis, quia nondum ſunt; non etiam in effectibus, quia hi ſunt poſteriores ipſis futuris, quæ, quandiu non ſunt, non poſſunt habere effectus: non cognoſcuntur etiam in cauſis, quia hæ etiam, quando exiſtunt, indifferentes ſunt ad hanc, vel ad illam partem, quia ſunt liberæ ergo nullo modo cognoſcit Angelus verè, & infallibiliter hæc futura, & à fortiori neque homo, vt vel experientia docet; hoc tamen nõ tollit probabilem cõiecturam aliquorum talium futurorum.

8 Obijcis. Futura intrinſecè contingentia non ſunt extra obiectum naturale intellectus Angelici, quia ſunt entia naturalia, & realia, qualis eſt v. g. futura deambulatio Socratis: ergo Angelus poterit naturaliter cognoſcere talia futura. Reſpondeo negando antecedens, quia licet futura, quà entia, ſint intra obiectum naturale intellectus Angelici, tamen quà futura ſunt, cum reduplicatione, ſunt extra obiectum naturale intellectus Angelici, & pertinent ad obiectum ſupernaturale quòad modum; non ex eo tantùm quòd ſunt futura, nã Angelus cognoſcit naturaliter futurum neceſſariũ: neque ex eo ſolùm quòd ſint contingentia, nam Angelus cognoſcit rem præſentem contingentem. Dicendum igitur eſt repugnare ex vtroque ſimul, quòd ſint futura intrinſecè contingentia. Vnde Dæmones ſolùm per coniecturas futura aliqua libera prædiuinant, & in hominibus potior datur ratio, vt aliquando cognoſcant præterita, non verò futura, quia præteritorũ habere poſſumus ſpecies memoratiuas, nullas tamen habemus futurorum.

Vtrùm Angeli cognoſcant futura contingentia per ſpecies infuſas?

9 Obijcis ſecundò. Angeli habent à principio ſuæ creationis ſpecies naturalium obiectorũ, etiam futurorum contingentium: ergo naturaliter cognoſcunt futura contingentia. Probatur conſequentia, quia oculus informatus ſpecie alicuius coloris, etiam non præſentis realiter, ſtatim videt talem colorem. Hoc argumentum imprimis in ſentẽtia Scoti in 2. diſt. 3. q. 11. nullam habet difficultatem, quia exiſtimat, Angelos accipere ab obiectis ſpecies rerum ſingularium, etiam materialium, idque miniſterio intellectus agentis: nihilominùs tamen admittendum eſt antecedens cum ſententia communi, quam duce D. Th. 1. p. q. 5 art. 2 ſequuntur Soar. de Angelis lib. 2. à cap. 9. Vaſq. 1. p. diſp. 201. cap. 2. & 3 (quanquàm ipſe Vaſq. in fine cap. 3. & diſp. 208. cap. 4. §. Fateor, aſſerat faciliùs eſſe dicere Angelum non intelligere per ſpecies, ſed per ſolum, nudumque intellectum.) Idem tenent Ægid. Heruæus, Capr. Ferrar. & alij, quos citat, & ſequitur noſter Franciſcus Amicus in ſuo Curſu Theol. tom. 2. diſp. 9. ſect. 5 à n. 86 & ſect. 6 n. 96. vbi cenſet cum Soar. fuiſſe has ſpecies à Deo concreatas. Eandem communem ſententiam ſequuntur Mol. Val. Zum. Banh. quos citat, & ſequitur Granad. tom 3. in 1 p. contr. 7. tract. 3, diſp. 2. cùm hac tamen diſtinctione, nam Soar. cit. cap. 7. n. 11. cum aliis, affirmat, has ſpecies infuſas fuiſſe à Deo: & n. 4. aſſerit, non emanaſſe effectiuè ab eſſentia, vel intellectu Angeli: at verò Granad. cit. diſp 5. num. 6. cum alijs, affirmat, has ſpecies dimanaſſe, tanquàm proprietates, ab ipſo Angelo.

Vtrùm Angeli habeãt ſpecies innatas? *Scotus.* *D. Thom.* *Soarius.* *P. Vaſq.* *Ægidius* *Heruæus.* *Capreol.* *Ferrar.* *Amicus.* *Soarius.* *Molina.* *Valent.* *Zumel.* *Banh.* *Gran.*

10 His ſuppoſitis, ad argumentum reſpõdetur primò negando conſequentiam, quia illa

illæ ſpecies in bona opinione repræſentant ſolùm res, non ſub eſſe futuritionis, ſed ſub eſſe poſſibili,& requirunt,vt conditionem,ſine qua non,exiſtentiam obiecti, ad cuius poſitionem,vel modificabitur ſpecies ad repræſentandum rem præſentem, vel Deus aliam de nouo infundet; & in hac opinione conſequenter dicendum eſt, Deum communicare Angelis aliquas ſpecies rerum purè poſſibiliū (vt admittit Soar.lib.2.de Angelis. cap.11. n. 17.& n.18. poſt medium) quia ſi Angelus res ſolùm, quæ erunt futuræ, cognoſceret priùs, vt poſsibiles, procul dubio ex ſpecie rei poſſibilis veniret in euidentem cognitionem eius futuritionis: & hanc ſolutionem volens *P. Soar.* nolens admittit Soar.lib.2.de Angel.cap.11. n.14. iuxta literam, C.

11 Reſpondetur ſecundò, illas ſpecies repræſentare res, non quà futuras, ſed res ſecundùm ſe, cum omnibus circunſtantijs loci, temporis,exiſtentiæ, &c. quia talis ſpecies eſt principium adæquatum cognitionis Angelicæ,cui nihil ex parte ſua deeſſe debet: addendum verò eſt, non repræſentare res ſub eſſe exiſtentiæ actualis exercitæ, aut exercendæ; neque actualiter (nam repræſentatio actualis eſt propria ſpeciei expreſſæ, ſeu conceptus,vt *Vaſquez.* aduertit Vaſq.1.p. diſp.208.cap.3.§ Cæterū) ſed veluti abſtractè, & habitualiter: cùm igitur ſpecies non repræſentent res futuras cum reduplicatione,ſed ſpecificatiuè res, quæ aliunde ſunt futuræ,non cognoſcet Angelus per illas ſpecies futura contingentia libera. Tali verò ſpeciei ex parte ſua nihil deeſt,vt repræſentet obiectum, deeſt tamen exiſtentia ex parte obiecti, ſine qua nequit obiectum cognoſci, ſicut in agentibus naturalibus non ſufficit habere principium ad operandum, niſi etiam detur materia,circa quam; & per hanc exiſtentiam, cùm ſit intrinſeca rei, mutatur res, non verò mutatur repræſentatio ſpeciei, quia exiſtentia rei, eſt extrinſeca ſpeciei.

12 Ad probationem conſequentiæ petitam ex colore poſito in oculo, reſpondetur, oculum in eo caſu ſtatim videre colores,quia illa ſpecies, cùm ſit principium cognitionis imperfectæ, ſemper repræſentat obiectum præſens: at verò ſpecies inditæ Angelis, cùm ſint principia cognitionis perfectiſſimæ, non repræſentant ſolùm obiectum præſens, ſed abſtrahendo ab actuali præſentia,iuxta ſupradicta.

13 Inſtas. Licet ſpecies ſit medium incognitum,poteſt tamen Angelus,per reflexionem,intuitiuè illam cognoſcere: ergo videndo ſpeciem videt infallibiliter rem futuram. Reſpondeo negando conſequentiam, quiá talis cognitio erit intuitiua ſpeciei, & abſtractiua rei,& ideò per intuitiuam cognitionem ſpeciei,non cognoſcitur res intuitiuè.

14 Inſtas iterum. Ergò ſaltem ex cognitione intuitiua illarum ſpecierum colliget Angelus infallibiliter, hoc,vel illud obiectum eſſe futurum,quia certò cognoſcit,ſe non habere ſpecies, niſi illorum obiectorum, quæ aliquando ſunt futura. Reſpondeo, talem illationem in Angelo eſſe tantùm coniecturalem. Primò,quia poteſt Deus infundere Angelo ſpeciem rei, quæ nunquàm ſit extitura, quæ adhuc inſeruiret ad ornatum intellectus Angelici. Secundò, quia cùm quælibet ſpecies Angelorum, vel repræſentet res vniuerſales, vel multa indiuidua, (vt eſt probabilius) bene poteſt contingere, vt inter illa indiuidua,aliqua nunquàm ſint extitura. Vnde conſtare non poteſt Angelo, quando aliquod obiectum erit, vel vtrùm ſit euenturum. Ita colligo ex Soar. de Angel.lib.2 cap.11. n.18. *P. Soar.* ad medium.

15 Reſpondet tertiò P. Franciſcus Amicus in ſuo Curſu Theol. tom.2.diſp.11. ſect. 3. à n. 54. illas ſpecies infuſas fuiſſe Angelis incompletas, complendaſque pro opportunitate rerum exiſtentium, & ideò non ſtatim repræſentare res liberè,& contingenter futuras: quem dicendi modum maximè probat. *Franciſc. Amicus.*

16 Tertia concluſio. Intellectus creatus non poteſt naturaliter cognoſcere certò, & infallibiliter præſentes cordis cogitationes alterius, ſine eius conſenſu. Ita communis doctrina cum D. Thom.1.p q.57.art.4. Soar.in Met.diſp.35. ſect.4 n.5. & lib.2 de Angelis. cap.15.num.5. Mol.1.p. q 57.art.4. à §.Quæſtionem. Val.1.p. quæſt 8. diſp.4. puncto 4. Granad. tom.3.in 1.p. controu. 7. tract. 5. diſp.2 Hurt.in Met.diſp.12. ſect.4. num.31. Vaſq. 1.p. diſp. 209. à cap.3. qui cap 10. exiſtimat, hanc concluſionem nulla ratione naturali efficaciter probari poſſe. Nihilominùs tamen hac ratione naturali, ſeu morali ſatis confirmatur,quia ſcilicet ordo naturalis,præſtantiaque intellectualium creaturarum poſtulabat,ne ſecreta ſuorum cordium intuitiuè alijs manifeſtarentur, præterquàm Deo, qui ſolùm (vt teſtatur Scriptura Sapientiæ 1. *Renum teſtis eſt, & cordis ſcrutator verus.*) Quare licet tales cogitationes naturales ſint, in ratione tamen talis obiecti, ſunt ſupernaturales quò ad modum, reſpectu intellectus creati; Angeli verò bene poterunt cognoſcere actus phantaſiæ humanæ, ſenſus communis, & appetitus. Vtrùm verò Beati cognoſcant hæc ſecreta cordis, vide apud Soar.lib.2.de Attrib. cap.28. à n.14.

Cogitationes cordis naturaliter nō cognoſcūtur. D.Thom. Soarius. M.Molin. Valentia. Granad. P.Hurt. P.Vaſq.

17 Quarè communiter dicendum videtur, nō fuiſſe ab initio infuſas Angelis ſpecies harum

Digitized by Google

harum cogitationum ; & ratio eſt, quia cùm talis cognitio non debeatur Angelis, non eſt cur habeant tales ſpecies, nam ſi illas haberent, vbi primum exiſterent cogitationes cordis, eas agnoſcerent, quia iam daretur conditio, ideſt, exiſtentia; ſola enim cogitantis voluntas non poteſt hos actus occultare. (quamuis oppoſitum ſentiat Granad. tom. 3. in 1.p.contr.7.tract.5 diſp.2.ſect.2.n.16.) & quod dixi de cogitationibus cordis, tantùm intelligitur de actibus voluntatis, quantùm de actibus intellectus, iuxta Soar. de Angelis. lib.2. cap. 21. à n. 5. P. Amicus ſupra cit. diſp.12. ſect 1. num. 29 docet angelum non cognoſcere has cogitationes, quia licet habeat earum ſpecies, ſunt tamen incompletæ.

Gran. *P. Soar.* *Franciſc. Amicus.*

18 Quærendum obiter eſt, vtrùm Angelus, quem modo Deus crearet, cognoſceret euidenter illa omnia præterita contingentia, quæ ſi forent præſentia, naturaliter ab ipſo Angelo cognoſcerentur? Negatiua reſponſio magis placet, & colligitur ex Soar. tom. 1. in 3. p. diſp.27. ſect.1. §.ex his, ad finem. Quia res, quæ præterijt, iam non magis habet eſſe, quam res futura: cùm igitur futurum contingens, quà tale, ſit extra obiectum naturale Angeli, idem dicendum de præterito contingenti, quà tali, quia tam futuritio, quàm præteritio eſt modus extra obiectum naturale intellectus creati. Oppoſitum ſentit Vaſq. 1.p. diſp 208.cap.4. n.10. ſed eius fundamentum ſolutum eſt ex dictis.

P. Soar.

SECTIO II.

Vtrùm, ſaltem diuinitus, poſſit intellectus cognoſcere futura intrinſecè contingentia?

1 PRima concluſio. Per viſionem beatam, non ſolùm poteſt intellectus, ſed etiam de facto cognoſcit multa futura, quæ pertinent ad obiectum ſecundarium viſionis beatæ, & ad perfectionem accidentalem Beatorum. Concluſio cõmunis eſt, quia Beati Deum vident intuitiuè, in quo videntur creaturæ: pro hac concluſione videri poſſunt Soar. in Sum. lib. 2. de Attrib.cap.27.à n.10. Mol.1.p.q.12.art.8.diſp.5. memb.1.

Soarius. *Molina.*

Vtrũ hæc cognitio cõmunicari poſſit per ſciẽtiã per ſe infuſam?

2 Difficilis tamen quæſtio eſt, vtrùm extra viſionem beatam, & extra reuelationem (qua Deus poteſt reuelare futura contingentia, vt de facto manifeſtauit Prophetis) vtrùm, inquam, poſſit à Deo communicari intuitiua cognitio futurorum contingentium in proprio genere, ita, vt videantur per proprias ſpecies in ſe ipſis, ſine alio medio alicuius cauſæ, vel alicuius reuelationis? Certum imprimis eſt, talem cognitionem (ſi poſſibilis eſt) non, niſi per ſcientiam per ſe infuſam, dari poſſe, quæ ſcientia ſupernaturalis eſt, & diuerſæ ſpeciei ab infuſa per accidens, nam hæc naturaliter poſſet acquiri: at verò ſcientia per ſe infuſa, non, niſi diuinitus, poteſt infundi, de qua ſcientia Soar in 3.p. diſput. 25. Vaſq. in 3 p. diſp 52. & latè Raguſa 3.p. quæſt. 11. à diſp. 90. vſque ad diſp. 101. & alij communiter.

P. Soar. *P. Vaſq.* *Raguſa.*

Quas cõditiones includat hæc ſcientia.

3 Includit hæc ſcientia ſpecies ſupernaturales obiectorum, & habitum, ſeu lumen ſupernaturale, vt exiſtimat Soar. cit. diſp. 29. 5. & ex his, & ſect 3. docet hunc habitum eſſe ſimplicem qualitatem: eundem habitum ex parte intellectus, præter ſpecies, ex parte obiectorum admittit Nouatus de Eminent. Deiparæ tom.1.cap.1.q.14. Vaſq. verò citatus diſp.54.cap.2. reijcit hũc habitum, & ſolas admittit ſpecies, & diſp. 52.nu.5. & 6. negat eſſe omnes has ſpecies ſupernaturales quóad ſubſtantiã, aſſerit tamen eſſe ſupernaturales quò ad modum, præter illas, quæ repræſentant obiecta ſupernaturalia in entitate, quas dicit eſſe ſupernaturales quò ad ſubſtantiam.

Nouatus. *P. Vaſq.*

4 Certum deinde eſt, per hanc ſcientiam cognouiſſe Chriſtum Dominũ omnes res naturales tã in ſpecie, quàm in indiuiduo. Et præterea certũ eſt cognouiſſe præſentes cordis cogitationes; ac tandẽ futura omnia intrinſecè contingentia. Tota verò difficultas eſt, vtrùm hæc futura contingentia cognouerit per hanc ſcientiam intuitiuè, an ſolùm abſtractiuè? ſit igitur.

Reſolutio.

5 Secunda concluſio. Probabile valde eſt, poſſe à Deo communicari intuitiuam cognitionem futurorum intrinſecè contingentium, per hanc ſcientiam. Ita colligitur ex D.Tho.3.p.q.11. art.1. & ibidem Caiet. & reliqui Thomiſtæ. Vaſq. tom. 1. in 3. p. diſp.53. cap.2. à n.12.& n.13. aſſerit, Chriſtũ Dominum ita de facto cognouiſſe omnia futura in infinitum. Hanc ſententiam valde probabilem iudicat Soar. diſp. 37. ſect. 2. §. Et hic modus, quamuis in oppoſitam magis inclinet. Ratio huius concluſionis eſt, quia non apparet manifeſta repugnantia, vt negetur talis modus cognoſcendi futura; poteſt enim Deus communicare intellectui Beato cognitionem talium futurorum: ergo etiam extra viſionem beatam, poterit illam communicare intuitiuam, & per proprias ſpecies. Probatur conſequentia, quia vel hoc repugnaret ex parte intellectus, vel ex parte obiecti; ex neutro repugnat: ergo &c. Probatur minor, quia

D. Thom. *Caietan.* *Vaſquez.*

Digitized by Google

quia imprimis non repugnaret ex parte intellectus, eius enim vires poteſt Deus augere ad videndum ipſum Deum, ne dum ad cognoſcendas creaturas: deinde non repugnat ex parte obiecti, quia ex ſe eſt ſcibile, & propterea intuitiuè à Deo cognoſcitur; neque eſt magis ſupernaturale, quàm Deus clarè cognitus, quem tamen intellectus creatus, per viſionem beatam, cognoſcit intuitiuè.

6 Ex quibus ſequitur, potuiſſe Chriſtum Dominum cognoſcere intuitiuè futura hæc per proprias ſpecies, & conceptus; eſſe enim res aliquando futuras ſufficiens eſt, vt ſint obiectum certæ, & intuitiuæ notitiæ. Confirmatur, quia poſſibilis eſt ſpecies, quæ Deum quidditatiuè, & intuitiuè repræſentet, (vt eſt communis, & probabilior ſententia apud
Soar. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 13. num. 11. Val.
Valentia. 1. p. q. 12. art. 2. punc. 2. & alios, & nos diecemus in Met. diſp 47 ſect. 2.) ergo etiam poſſibilis erit ſpecies, quæ res futuras intuitiuè repræſentet.

Proponitur contraria ſententia.

7 Obijcis pro contraria ſententia, quæ non caret probabilitate, illáque defendunt Scotus in 3. diſt.
Scotus. 14. q. 3. Leſsius lib. 1. de Proui-
Leßius. dentia numinis. ratione 10. Ragusa in 3. p.
Ragusa. q. 11. diſp 91. §. 3. & vt probabiliorem pro-
P. Soar ponit Soar. tom. 1. in 3. p. diſp. 27. ſect. 2. qui §. Secundus modus, docet, hanc cognitionem non fuiſſe in Chriſto Domino intuitiuam, ſed abſtractiuà, & per reuelationẽ euidentem in atteſtante, id eſt, euidenter manifeſtatã per lumẽ huius ſcientiæ, quã reuelationẽ propterea liberatã fide, quia, vt ipſe defendit, de eſſentia fidei eſt, vt nitatur in diuina auctoritate credita, & non euidenter cognita ex ipſo reuelante: hoc tamen principium reijciũt aliqui cum Vaſq. 3. p. diſp 53. cap. 1. n. 5. quia, licet auctoritas dicentis mihi ſit euidẽs, poteſt tamen res ipſa in ſe eſſe obſcura, ac proinde terminabit fidem, vt communiter dicunt de Angelis, qui fidem habuerunt, & ſimul euidentiam teſtimonij Dei.

8 Obijcis, inquam, primò. Impoſſibile eſt cognoſcere intuitiuè hæc futura, quin etiam intuitiuè cognoſcatur cauſa illorum, à qua immediatè pendent: ſed nec cauſæ creatæ liberæ comprehenduntur per hanc ſcientiam: nec libera Dei voluntas cognoſcitur intuitiuè, à qua tamen multa futura dependẽt: ergo &c. Reſpondeo negando maiorem, quia ad intuitiuam cognitionem alicuius effectus, ſatis eſt cognoſcere effectum in ſe, quamuis cauſa non cognoſcatur intuitiuè, poſſum enim intuitiuè cognoſcere hanc lucem, quin intuitiuè cognoſcam Solem, qui eſt eius cauſa: neque enim nobis quæſtio eſt de ſcientia comprehenſiua.

9 Obijcis ſecundò. Deus non poteſt cõmunicare creaturæ ſuum cognoſcendi modum: ſed cognitio horum futurorum in ſe ipſis, & ſine medio alicuius reuelationis, vel cauſæ, eſt propria Dei: ergo non poteſt communicari creaturæ. Reſpondeo diſtinguendo minorem, eſt proprium Dei cognoſcere hæc futura in ſe ipſis ſine ſpeciebus: concedo minorẽ. Cognoſcere illa per ſpecies impreſſas ipſarũ rerum, nego minorem: & hoc pacto cõmunicaret Deus intellectui creato hãc cognitionem: poterunt tamen hæ ſpecies appellari medium incognitum.

10 Obijcis tertiò. Si talis cognitio daretur per ſcientiam per ſe infuſam, ſufficeret quodlibet lumen etiam exiguum huius ſciẽtiæ ad cognoſcendum omnia futura (ſicut ſufficit quodlibet lumen fidei etiam remiſſum ad omnia obiecta fidei) ſed hoc eſt falſum, quia Beati habent lumen gloriæ, & tamen per illud non cognoſcunt omnia futura, vt eſt communis doctrina: ergo &c. Reſpondeo ad maiorem, quodlibet lumen ſufficere, ex parte ſua, niſi etiam requirerentur ſpecies per ſe infuſæ, ex parte obiecti, quas cum Deus pro libitò infundat, tot obiecta futura cognoſcentur, quot ſpecies Deus infuderit: diuerſa ratio eſt in lumine gloriæ, quod Deus Beatis tribuit primariò, ratione obiecti primarij, quod ſemper per hoc lumen manifeſtatur, & per accidens ſe habet ad obiectum ſecundarium. Habuit tamen Chriſtus Dominus (ſecundùm hanc ſententiam) quatenus viator, ſcientiam omnium cõtingentium, tam præteritorum, quàm futurorum, & omnium cogitationum cordium in ſe ipſis.

11 Inſtas. Si intellectus Chriſti Domini cognouit intuitiuè omnia futura in indiuiduo, cùm hæc ſint infinita, haberet infinitam virtutem, quatenus viator: hoc non eſt dicendum: ergo &c. Reſpondeo negando ſequelam, nam Beati vident Deum infinitum per ſuum intellectum finitum; imò licet Chriſtus Dominus per hãc ſcientiam cognoſceret omnia poſſibilia, non comprehenderetur Deus, vt oſtendit Soarius 3. p. diſp. 27. ſect. 4 §. Contrariam, quia adhuc per hanc ſcientiam non videbatur Deus intuitiuè.

12 Obijcis quartò. Hæc cognitio foret intuitiua, vt ſupponitur; ſed res futuræ adhuc non ſunt: ergo non poſſunt intuitiuè cognoſci, ſiquidẽ non habent exiſtentiã. Cõfirmatur, quia

Digitized by Google

quia Beati non vident intuitiuè futura contingentia. Reſpondeo negando cõſequentiā, quia ad cognitionem intuitiuam ſufficit exiſtentia futura. Vnde Deus cognoſcit futura intuitiuè. Ad confirmationem permitti poteſt, Beatos videre futura abſtractiuè, cùm videant ea in alio, nempe in Verbo: qui modus videndi, cùm ſit ſupernaturalis, & perfectiſſimus, ſufficit; neque indigent Beati alia cognitione intuitiua futurorum; cùm verò talis modus non poſſit communicari viatori, & alioqui cognitio per fidem, ſeu reuelationem nō ſit adeò perfecta, vt admitti poſſit in Chriſto Domino, neceſſariò recurrendum eſt ad hunc modum cognoſcendi futura intuitiuè, & per proprias ſpecies; & licet concedamus, Beatos cognoſcere aliqua futura intuitiuè, nullum admittetur abſurdum, vt alibi dico.

Vtrùm per ſcientiam infuſam, præter futura contingentia, cognoſcantur obiecta ſupernaturalia in entitate?

13 Obijcis vltimò. Si per hanc ſcientiā cognoſcerentur futura intrinſecè contingentia in ſe ipſis, etiam cognoſcerentur reliqua obiecta ſupernaturalia in ſe ipſis, nempe dona gratiæ, & myſteria fidei: ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Probatur maior, quia futura contingentia, vt dixi, pertinent ad obiectum ſupernaturale: minor oſtenditur, quia non poteſt dari euidēs notitia myſteriorum fidei, vel ſaltem Sanctiſſimæ Trinitatis, niſi etiā talis notitia ſit quidditatiua, quæ tamen communicari non poteſt viatori: ergo &c.

14 Occaſione huius argumenti, quærendum eſt, vtrùm per hanc ſcientiam cognoſcerentur hæc myſteria euidenter, ſaltem *quòad an ſint*? negat abſolutè Vaſq. 3. p. diſp. 53 cap. 2. à n. 2. & n. 8. rationes in contrarium friuolas vocat. Vnde iuxta hanc ſententiā dicendū eſt ad argumentū, futura contingentia bene poſſe cognoſci per hanc ſcientiā, quia ſolùm ſunt ſupernaturalia quò ad ſmodum: at myſteria fidei, & reliqua dona gratiæ nō attingētur per hanc ſcientiā, quia ſunt ſupernaturalia in entitate. Et eſt ſpecialis ratio in ſententia Vaſq. ne cognoſcatur per hanc ſcientiam myſterium Sāctiſſimæ Trinitatis, quia exiſtimat, non poſſe dari notitiam euidentem Sanctiſſimæ Trinitatis, quin ſit intuitiua, & quidditatiua: ſed per ſcientiam per ſe infuſam non datur notitia intuitiua Sanctiſſimæ Trinitatis: ergo neque euidens. *P. Vaſq.*

15 Soarius tamen 3. p. diſp. 27. ſect. 5. §. *P. Soar.* Dico ſecundò, probabiliùs affirmat, per hanc ſcientiam cognoſci talia myſteria, nō quidem quidditatiuè, ſed euidenter; quia alioquin, inquit, foret ſcientia infuſa per ſe Chriſti Domini ignobilior, quàm fides noſtra, quæ talia myſteria modo aliquo attingit. Item per eandem ſcientiam per ſe infuſam cognouit Virgo Deipara aliquot fidei myſteria, vt piè ac doctè probat Ioannes Baptiſta Nonatus de Eminent. Deiparæ, tom. 2, cap. 1. q. 16. à §. Dico octauò. *Nonatus.*

16 Difficultas tamen eſt in aſſignādo modo, quo poſſint hæc myſteria euidēter cognoſci per hanc ſcientiā. Certū imprimis eſt, non poſſe cōmunicari hanc notitiā ex terminis, neque per aliquā cauſam, cū Sanctiſſima Trinitas careat tali cauſa; neque per aliquē effectū, quia nullus datur effectus, qui procedat à Deo, quatenus Trinus, & videri poteſt hac de re Soar. lib. 1. de Trinitate cap. 11. *Soarius.* Quæſtio igitur ſolùm eſt de medio aliquo extrinſeco, per quod haberi poſſit notitia euidens Trinitatis? Soar. 3. p. diſp. 27. ſect. 5. §. Tertius ergo modus; *P. Soar.* recurrit ad ſuam reuelationem euidentem in teſtificante; qui modus faciliùs hìc defendi poteſt, quàm in cognitione futurorum contingentiū, quia dari poſſunt ſpecies propriæ horum futurorum, nullæ tamen dari poſſunt ſpecies de Sanctiſſima Trinitate, erga viatorem, atque adeò per ſolam reuelationem talis notitia communicabitur viatori. Soarium ex parte ſequitur Raguſa 3. p. diſp. 94. à §. Statuendum: *P. Raguſa* admittit enim hanc euidentiam atteſtantis adiutam naturali notitia, quam de rebus creatis, quæ habent ſimilitudinem cum Sanctiſſima Trinitate, haberet Chriſtus Dominus. Quæ cognitio nobilior eſſet noſtra fide, quia hæc non habet euidentiam in atteſtante.

17 Alius modus cognoſcendi myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis fieri poterat per cognitionem actuum ſupernaturalium: & quidem Soar. 3. p. diſp. 27. ſect. 3. §. Dicendum eſt ergo, & §. Secundo tamen; admittit, animam Chriſti Domini quidditatiuè, & intuitiuè cognouiſſe res creatas ſupernaturales, & ſimiliter viſionem beatam, cùm ſit qualitas quædam finita. Verùm ſi conſequenter loquēdum ſit cognita intuitiuè hac viſione, neceſſariò cognoſcitur euidenter, & quidditatiuè myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, quod tamen ipſe abſolutè negat diſp. 27. ſect. 5. §. Secundus modus, ad medium.

Cognità viſione beata intuitiuè, euidenter cognoſcetur myſteriū Sanctiſsimæ Trinitatis.

18 Probatur tamen, qui enim intuitiuè videret viſionem beatam, procul dubio Trinitatem agnoſceret quidditatiuè, non ſolùm per medium extrinſecum, ſed etiam per intrinſecum, quia illa viſio eſt imago, quæ dicit

Digitized by Google

dicit naturalem, & intrinſecum ordinem ad ſuum obiectum. Neque obſtat, quòd obiectum, nempe Santiſſima Trinitas, ſit extrinſecum viſioni beatæ, nam etiam cauſa eſt extrinſeca effectui, ſiquidem illum non componit, & tamen effectus dicit ordinem intrinſecum ad cauſam.

19 Sed quia non admitto per hanc Scientiam cognoſci Trinitatem quidditatiuè, nego ſimiliter per eam cognoſci intuitiuè viſionem beatam, vt latè probat Raguſa 3.p. diſp. 91. §.1. Reliqui verò actus ſupernaturales bene poterunt cognoſci intuitiuè per proprias ſpecies, quia non ita quidditatiuè Deum oſtendunt, quidquid in oppoſitum ſentiat de Gratia, idem Raguſa cit. diſp. 92. §. 1. quarè viſio beatifica ſolùm cognoſcetur euidenter, *quoad an ſit?* — *Raguſa.*

20 Et ſimiliter aſſero ex cognitione euidenti actuum ſupernaturalium, euidenter cognoſci poſſe myſteria fidei, *quoad an ſint?* v.g. ex cognitione euidenti aſſenſus iudicatiui fidei alicuius viatoris, daretur euidēs cognitio Sanctiſſimæ Trinitatis. Ita colligo ex Zum. 1. p. q. 32. art. 1. q. 2. concl. 6. Soar. 3. p. diſp. 27. ſect. 5. § Tertius ergo modus. Probatur, quia ſi talis aſſenſus fidei iudicatiuus penetretur intuitiuè, neceſſarió videbitur eius obiectum, & quamuis in eo actu repræſentetur obiectum obſcurè, ſiquidem omnis aſſenſus fidei eſt obſcurus, nihilominùs euidēs eſt tali actui non poſſe ſubeſſe falſum ſiquidem eſt ſupernaturalis, cuius Deus eſt præcipua cauſa, & ſpecialis: ex vtráque veró hac cognitione euidente, ſequitur euidens cognitio Sāctiſſimæ Trinitatis, *quoad an ſit?* — *Zumel.* *Soar.*

21 Obijcis primò pro contraria ſententia, quam ſequitur Vaſq. 1. p. diſp. 53. cap. 1. á n. 6. Illud medium eſt extrinſecum Sanctiſſimæ Triniati: ergo ex eo non ſequitur eius notitia euidens: antecedens eſt certum, quia Deus non eſt trinus ex eo, quòd talis actus cognoſcatur euidenter. Reſpondeo illud medium eſſe extrinſecum Sanctiſſimæ Trinitati, eſſe veró intrinſecum reſpectu euidentiæ illius; nam hæ præmiſſæ, *hic actus eſt ſupernaturalis, ſed actui ſupernaturali non poteſt ſubeſſe falſum,* cum ſint euidentes, & cauſæ naturaliter influentes in concluſionem, debent in illam influere ſuam euidentiam, quamuis non ſint cauſæ entitatis concluſionis, ſicut dicemus in lib. Poſter. cap. 2. diſp. 17. ſect. 3. á nu. 1. effectum ſcilicet, reſpectu cauſæ poſſe eſſe cauſam, non in eſſendo, ſed in cognoſcendo: ergo ſicut effectus poteſt eſſe cauſa ſolius cognitionis cauſæ, ita euidentia præmiſſarum poteſt eſſe cauſa euidentiæ concluſionis, quāuis non cauſet ipſam entitatem concluſionis; nam quoad hanc, præmiſſæ ſunt cauſæ extrinſecæ. — *Cōtrariam ſentit P. Vaſq.*

22 Obijcis ſecundó. Exiſtentia Dei non diſtinguitur ab eſſentia: ergo ſi per hanc ſcientiam cognoſci poteſt euidenter exiſtentia Sanctiſſimæ Trinitatis, cognoſcetur etiam eius eſſentia. Reſpondeo concedendo antecedens, quia exiſtentia Dei non ſolùm non diſtinguitur ab eſſentia, ſed etiam in ea includitur. Vnde fateor, vnam non poſſe cognoſci ſine alia, ſed vtramque dico poſſe euidenter cognoſci, *quoad an ſit?* non verò intuitiuè, & in ſe.

23 Ad argumentum igitur vltimum poſitum numero 13. contra ſecundam concluſionem patet, quid reſpondendum ſit; poſſe ſcilicet, per hanc ſcientiam cognoſci intuitiuè aliqua dona gratiæ, & aliquos actus ſupernaturales, & deinde omnia myſteria fidei, *quoad an ſint?* Nam quod dixi de Sanctiſſima Trinitate, ſimiliter dicendum de Incarnatione. Ad finem ſectionis aduerto, quæ dixi de futuris abſolutis, etiam de conditionatis intelligenda eſſe. Reſtabat videre, vtrùm ex euidenti cognitione amoris ſupernaturalis, & habituum ſupernaturalium cognoſcantur euidenter myſteria fidei, ſed non ſunt peruicaci animo,

Magna modis tenuanda paruis. — *Orat. lib. 3. Ode 3.*

SECTIO III.

Vtrùm creabilis ſit intellectus, cui naturaliter debeatur naturalis cognitio futurorum intrinſecè contingentium?

1 Sit concluſio. Certa futurorum intrinſecè contingentium cognitio; ſiue per reuelationem, ſiue per viſionem beatam, ſiue per ſcientiam per ſe infuſam, ſupernaturalis eſt omni intellectui creato, & creabili; ac proinde creabilis non eſt intellectus, cui naturaliter debeatur cognitio futurorum intrinſecè cōtingentium, & ſimiliter dicendum de cogitationibus cordis. Hæc concluſio communis eſt, & certa inter Theologos, quatenus affirmant, poſſibilem non eſſe intellectum, cui naturaliter debeatur viſio beata, nam eadem eſt ratio in vtroque. Ita D. Thom. 1. p. quæſt. 12. art. 3. & reliqui authores loco citato, quos referūt, & ſequuntur Soar. in Sum. lib. 2. de Attrib. cap. 9. á num. 2. & in Met. diſp. 30. ſect. 11. à num. 40. Vaſq. 1. p diſp. 45. Val. 1. p. diſp. 1. quæſt. 12. puncto 3 fine — *Reſolutio negatiua eſt.* *D Thom.* *P. Soar.* *Vaſquez.* *Valentia.*

Fonſ.

Digitized by Google

Fonſeca. Fonſ. 7. Met. cap. 1. quæſt. 2. ſect. 3. à 5. Dicat fortaſſe alius. Valentinus de Herice 1. p. tract. 4. diſp 48. num. 70. Hieron. Faſſol. 1. p. quæſt. 12 de Viſione Dei art. 4 diſp. 1. & copioſiſſimè Sal. 1. 2. tom. 1. tract. 2 diſp. 3. ſect. 2.

Herice. Faſſolus. P. Salas.

2 Probatur concluſio, quia talis futurorum cognitio, eſt Deo naturalis, & propria: ſed ſi daretur aliquis intellectus creatus, vel creabilis, cui eſſet naturalis, & propria, iam non eſſet Deo propria, & connaturalis: ergo talis cognitio ſupernaturalis eſt omni intellectui creato, & creabili. Confirmatur, quia cognitio futurorum contingẽtium adducitur in ſacra pagina, tanquàm euidens diuinitatis ſignum, iuxta illud Iſaiæ 4. *Annuntiate quæ ventura ſunt, & ſciemus quod Dii eſtis vos.* Confirmatur ſecundò, quia licet futura contingentia naturalia ſint in entitate, ſunt tamen ſupernaturalia quò ad modum cognoſcendi, ſicut Angelus, quamuis ſit naturalis in entitate, eſt tamen ſupernaturalis quò ad modum producendi, quia à ſolo Deo creari poteſt.

Iſaiæ 4.

3 Obijcis pro contraria ſententia, cui maximé fauet Mol. 1. p. q. 12. art. 5. diſp. 2. quatenus non audet negare, creabilem eſſe intellectum, cui viſio beata ſit connaturalis: & in eandem ſententiam inclinat Ioann. Maior in 4. diſt. 49. concl. 6. Obijcis, inquam, primò. Viſio beata eſt connaturalis coniuncto ex intellectu, & lumine gloriæ: ſed Deus creare poteſt intellectum nobiliorem illo coniũcto, ſiquidem intellectus, & lumen gloriæ ſunt quid finitum: ergo huic creabili intellectui naturaliter debebitur viſio beata, & cognitio futurorum contingentium. Reſpondeo negando minorem, quia licet Deus poſſit creare intellectus in infinitum nobiliores, ſemper tamen tales creabiles intellectus erunt naturales, proindeque ignobiliores illo coniũcto ex intellectu, & lumine gloriæ, quod quamuis finitum ſit, eſt tamen ordinis ſupernaturalis. Vnde ſequitur talem intellectum creatum, vel creabilem, cum ſemper ſit naturalis, non poſſe attingere obiectum quocumque modo ſupernaturale: nam, vt bene argumentatur D. Th. 1. p. q. 12. art 4. modus cognoſcendi debet proportionari modo eſſendi.

Molina. Maior. D, Thom.

4 Inſtas. Poſſibilis eſt intellectus ſupernaturalis: ergo hic cognoſcet futura contingentia, quamuis ſint ordinis ſupernaturalis. Probatur antecedens, quia ſunt poſſibilia accidentia ſupernaturalia, vt lumen gloriæ, ſpecies Deum repræſentans, &c. Reſpondeo, negando antecedens, & ad probationem danda eſt maior ratio, quia lumen gloriæ, gratia, & reliqua accidentia ſupernaturalia ſunt extrinſeca ſubiecto, ac proinde poſſunt eſſe ſupernaturalia, (imó ideò ſunt ſupernaturalia, quia non debentur ſubiecto naturaliter, neque ab illo fluunt ab intrinſeco, & ſolum arguunt infinitam potentiam in cauſa prima producente, neque dicunt ordinem ad ſubiectum, niſi eleuatum:) at verò intellectus, cũ ſit potentia naturalis, & proprietas ſubſtantiæ rationalis, naturaliter debet emanare ab intrinſeco; quapropter, ſi eſſet ſupernaturalis, neceſſariò debebat procedere à ſubſtãtia ſupernaturali: ſed hæc eſt impoſsibilis, vt modo ſuppono, & videbimus in Met. diſp. 54. ergo impoſsibilis eſt intellectus creabilis ſupernaturalis.

Non eſt poſsibilis intellectus ſupernaturalis.

5 Obijcis ſecundò. Vbi, eſt proprietas naturalis; & tamẽ Chriſtus Dominus in Euchariſtia habet vbi ſupernaturale. Deinde ſubſiſtentia eſt etiam proprietas naturalis, & tamen in opinione, quæ aſſerit, formam materialem non habere propriam ſubſiſtentiam, ſi Deus ponat formam extra materiam, poteſt illi tribuere ſubſiſtentiam ſupernaturalem: ergo licet intellectus ſit proprietas ſubſtantiæ rationalis, poterit eſſe ſupernaturalis, quamuis ſubſtantia ſupernaturalis non ſit. Reſpondeo negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia tam vbi, quàm illa ſubſiſtentia (ſi daretur) licet proprietates ſint, ſunt tamen termini, qui dicunt ordinem ad extrinſecum, & prouenire poſſunt aliquando ab externo agente: at veró intellectus eſt potentia vitalis neceſſariò emanans ab ipſa anima, ac proinde eiuſdem ordinis cum illa.

6 Obijcis tertió. Ille creabilis intellectus, quamuis eſſet naturalis, eſſet tamen perfectior, quam lumen gloriæ, quia eſſet vitalis, quale non eſt lumen gloriæ, aliunde eſſet nobilior, quàm intellectus creatus, qui modo datur: ergo talis intellectus creabilis cognoſceret futura. Reſpõdeo (quidquid ſit de perfectione entitatiua) talẽ intellectum adhuc fore ordinis naturalis, ac proinde non poſſet, propter improportionem, attingere obiectũ ſupernaturale, ne dicamus talem intellectum ſupernaturalem eſſe, & infinitum.

7 Obijcis quartó. Coniunctum ex intellectu, & lumine gloriæ ſupernaturale eſt, ſaltem ex parte luminis, & naturaliter illi debetur viſio Dei, & tamen eſt finitum: ergo licet ille intellectus creabilis foret ſupernaturalis, & licet illi deberetur viſio beata, foret tamen finitus. Reſpondeo negando conſequentiam, quia ſupernaturalitas in illo coniuncto eſt ab extrinſeco, nẽpe à Deo, qui per accidens tale coniunctum produxit: at verò ille intellectus ſupernaturalis ab intrinſeco,

Digitized by Google

& radicaliter foret ſupernaturalis, & infinitus (ſicut diuinus intellectus modò eſt) & procederet à ſubſtantia infinita, vt ex dictis conſtat. Ex quibus patet, talem cognitionem futurorum, neque etiam intellectui Christi Domini naturaliter deberi, ſed ſupernaturaliter ratione vnionis hypoſtaticæ. Quæ doctrina erit euidentior ex dicendis in Met. diſp. 54. ſect. 1. à n. 1. vbi oſtendam, impoſſibilem eſſe ſubſtantiam ſupernaturalem.

DISPVTATIO XV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

De cognitione increata futurorum intrinſecè contingentium.

LOngam aggredimur, & omnino Theologicam difficultatem, in qua nobis de diuina ſapientia reuerenter dicendum eſt, quam ego, quia grauiorem cothurnum poſtulabat, à limine tantum venerari decreueram, ſed quoniam à Recentioribus Philoſophis tractari ſolet, & quia nolo lectori meo vllum commodum in me claudier, ita me geram, vt calorem comprimam Theologicum, enim verò hac mediocritate mea luxuriātem iuniorum licentiam pudenter ſumam, & ſolita breuitate caſtigabo.

SECTIO I.

Deum cognoſcere futura contingentia, de fide eſt; neque tamen præſentia in æternitate, verior ſententia docet.

Prima cõcluſio eſt affirmatiua.

1 PRima concluſio. Deus certò, & infallibiliter futura omnia contingẽtia, & præſentes cordis cogitationes cognoſcit. Hæc concluſio de fide eſt, iuxta illud Eccleſiaſtici. 23. *Domino Deo, antequàm crearentur, omnia cognita ſunt.* & Pſal. 133. *Intellexiſti cogitationes meas de longe, &c.* Pro hac veritate videri poſſunt Soar. in Opuſculis lib. 1 de Abſoluta ſcientia futurorum. cap. 2 n. 4. Val. 1. p. diſp. 1. q. 14 puncto 1. Valentinus de Herice 1. p. tract. 1 diſp. 6 cap. 1. vbi latè de hac concluſione; quæ ratione ſic oſtẽditur; Scientia diuina eſt infinita ſimpliciter, & conſequenter debet attingere omne cognoſcibile; ſed futurum contingens, cùm habeat determinatam veritatem, vel falſitatem, eſt cognoſcibile: ergo &c. Confirmatur primó, quia omnipotentia extenditur ad omne factibile: ergo & ſcientia ad omne ſcibile. Confirmatur ſecundò, quia Deus prædixit multa futura: ergo ſi illa non cognoſceret, temere loqueretur, quod aſſerere impium eſt.

Eccleſ. 23. Pſ. 133. P. Soar. Val. P. Heric.

2 Obijcis primò. Scientia Dei debet eſſe infallibilis, neceſſaria, & determinata: ſed futurum contingens non eſt infallibile, neceſſarium, & determinatum: ergo non poteſt eſſe obiectum diuinæ ſcientiæ. Reſpondeo diſtinguendo minorem; futurum contingens non eſt infallibile, ſeu neceſſarium ſimpliciter, & ex neceſſitate conſequentis; concedo minorem: non eſt infallibile, ſeu neceſſarium ex ſuppoſitione, & ex neceſſitate conſequẽtiæ nego minorem. Similiter dicendum futurum contingens eſſe determinatum pro tẽpore, in quo enuntiatur. Vnde quamuis futurum contingens modò nihil ſit, erit tamen aliquid in tempore futuro. Quarè licet futurum contingens nihil ſit actuale, habere poteſt actualiter rationem obiecti ſicut res quæ præterijt, actualiter mihi eſt obiectum, nec tamen actualiter exiſtit, quia ſatis eſt, quòd res actualiter vera ſit, & intelligibilis ad terminandam rationem obiecti.

3 Obijcis ſecundò Deus eſt omnipotẽs; & tamen non produxit ab æterno, neque producit in tempore omne producibile: ergo licet ſit omniſciens non cognoſcet omne ſcibile. Reſpondeo negando conſequentiam: maior ratio eſt, quia actus omnipotentiæ ad extra ſunt liberi, & licet de nouo aduenient, nullam in Deo inferunt mutationem, ſed in obiecto: at verò ſcientia eſt perfectio neceſſaria interna, & immanens in ipſo Deo, ac proinde ab æterno debet eſſe completa in Deo, alioqui mutaretur Deus, vt patet; & præterea poſſe producere in tẽpore, arguit perfectionẽ, poſſe verò de nouo ſcire arguit imperfectionem, neque enim omnia diuina attributa vẽdicant eaſdem proprietates.

4 Obijcis tertiò. Futurum contingens poterat non eſſe: ergo etiam Deus poterat illud non cognoſcere, proindeque careret Deus tali perfectione, ſiquidem perfectio eſt

cog-

Digitized by Google

cognoſcere futura contingentia. Reſpondeo nullum eſſe inconueniens. Deum non cognoſcere futura contingentia, ſuppoſito quod non eſſent futura: neque enim tunc careret Deus perfectione aliqua intrinſeca, ſed extrinſeca terminatione, quam poterat habere ad obiectum; quod prouenit ex parte obiecti, & ex ſua defectibilitate.

5 Obijcis quartò. Nihil datur futurum reſpectu Dei, quia Deus omnibus rebus per æternitatem præſens eſt: ergo falsó ſupponimus, Deum cognoſcere futura. Reſpondeo res dici futuras, reſpectu noſtri temporis, vel veri, vel imaginatij, non verò reſpectu Dei; hoc tamen non tollit quominùs Deus cognoſcat ea, quæ reſpectu noſtri ſunt futura. Quomodo veró Deus cognoſcat futura, & quo pacto ſint Deo præſentia, dicendum eſt.

Vtrùm futura cognoſcantur à Deo, ex eo quòd ſint realiter præſentia æternitati?

Cōcluſio eſt negatiua.

6 Secunda concluſio. Futura contingentia non ſunt realiter præſentia æternitati, ex æternitate ſecundùm ſuam realem præſentiam, nec priùs coexiſtunt æternitati, quàm in ſua duratione. Ita grauiſſimi Theologi, Scot. Durand Bonauent. Alenſ. & alij, quos citant, & ſequuntur Mol. 1. p. q. 14. d. 13. Val. 1. p. d. 1 p. q. 14. pūc. 5. à §. *De qua quæſtione*. Soar. in Opuſc. li. 1. de Sciētia abſoluta cap. 7. n. 4. Vaſq. 1. p. q 14. art. 3. diſp. 64 cap 3. Leſſius libel. de Auxil. cap. 20. n. 8. Hurt. de Anima. diſp 9 ſect. 6. Valentin. de Heriee copioſo pariter, & peramæno ſtylo 1. p. tract. 1. diſp. 6. cap. 4. & Arrub. 1. p. diſp. 41. cap. 4. Alarcon. 1. p. tract. 1. diſp. 2. cap. 8. n. 9. & alij plures cum Ioanne Præpoſito 1. p. q. 14. art. 13. dub. 2. á n. 48.

Scotus. Durand. D. Bon. Alenſ. Molina. Soar. P. Vaſq. Leſſius. Hurtad. Herice. Arrubal. P. Alarc. P. Præpoſ.

7 Probatur concluſio, quæ mihi vera eſt omnino, quia illa dicuntur alteri coexiſtere, & eſſe illi realiter præſentia per realem exiſtētiam, quæ ſimul exiſtunt (nam coexiſtentia eſt ſimultanea exiſtentia) ſed res omnes fiunt in tempore (vt de fide conſtat, & experientia) Deus verò eſt ab æterno: ergo res futuræ non coexiſtunt cum Deo. Imò potiùs priùs eſt in propria duratione rem exiſtere ſibi intrinſecè, quā coexiſtere alteri: ergo impoſſibile eſt, res futuras priùs coexiſtere Deo, quin priùs in ſe intrinſecé exiſterent. Confirmatur, quia alioquì res in tempore non producerentur à Deo ſed reproducerentur, ſiquidem ante hāc reproductionem, iam productæ erāt ab æternitate, cui coexiſtebāt, ſecūdùm realem præſentiam, quod tamen implicat.

8 Obijcis contra hanc veritatem pro cōtraria ſententia, quam ſequitur Caiet. 1. p. q. 14. art. 13. Capr. Ferrar. Cather. & alij Thomiſtæ communiter, quos citat, & quod mirū eſt, ſequitur Fonſ. 6. Met. cap. 2. q 4. ſect. 1. litera B. (Quamquám illam pro noſtra, & vera ſententia alleget Herice cit. cap 4 nu. 56.) qui pro ſe adducunt D. Thom. 1. p q. 14 art. 13. quatenus aſſerit, res eſſe præſentes Deo ex æternitate: at Sanctus Doctor, ſi attenté legatur, loquitur de præſentia obiectiua, (& ita illum mitiús interpretantur Syluest in defenſione D. Thomæ, & Vaſq 1. p. q. 14. diſp 46. cap. 5.) Contra nos etiam ſtat noſter Granad. tom. 1. controu. 2. tract. 4. diſp 3. vbi alios Thomiſtas citat. pro eàdem reali futurorum præſentia pugnat Cornejo tom. 1. in 1. p. tra. 1. q. 14. art. 13. diſp. 1. dub. 3. & in ſuam opinionem adducere conatur aliquot ex Patribus: idem tenet dub. 5.

Caietan. Capreol. Ferrar. Cather. Fonſeca. D. Thom. Syluestr. Vaſquez. Granad. Cornejo.

9 Obijcis, inquam, primò. Æternitas eſt tota ſimul, & indiuiſibilis: ergo Deus eſt præſens omni differentiæ temporis, ac proinde iam Deus eſt præſens ab æterno omnibus futuris. ſecundùm eam realem exiſtentiam, quā habitura ſunt. Reſpondeo ad antecedens, æternitatem eſſe ſecundùm ſe, totam ſimul, ſine vlla ſui ſucceſſione; nihilominùs tamen dari ſucceſſionem ex parte rerum, quæ in tempore fiunt, & ſuccedunt. Explicatur hæc æternitas Dei, exemplo puncti in circulo, quod ſecundùm ſe indiuiſibile eſt, & aptum ad reſpondendum circunferentiæ, ſine vlla puncti mutatione, quód ſi modó non reſpondet alicui parti circunferentiæ, id prouenit non à puncto, ſed ex parte circunferentiæ non correſpondentis. Ita profectó æternitas eſt tota, & indiuiſibilis: res tamen, quæ in tempore fiunt, ſunt veluti circunferentiæ, quæ ſucceſſiuè correſpondent huic puncto, ideſt, æternitati.

10 Quando igitur res aliqua creata in ſe exiſtit, exiſtit quidem toti æternitati, quia hæc eſt indiuiſibilis, ſed non coexiſtit totaliter, & adæquatè, quia infinita duratio, qualis eſt æterna, non poteſt adæquari durationi finitæ, qualis eſt creata. Exemplum adduxit Herice 1. p. tract 1. diſp. 6 cap. 4 § penult. ad medium, in diuina immenſitate, per quam coexiſtit omni rei exiſtenti in loco, non tamē res illi adæquaté reſpondent, aliàs ego etiam vbique exiſterem.

Herice.

11 Ex quibus ſequitur, ex æternitate non dari formalem futuritionem, & præteritionem rerum omnium, ſed virtualem, & eminentem. Vnde quandò Patres, & D. Thom. dicunt, futura eſſe Deo præſentia ab æterno, intelli-

intelligendi ſunt de exiſtentia obiectiua, quã res habent ab æterno, quæ ſunt realiter præſentes obiectiuè intellectui diuino, non tamen ſecundùm exiſtentiam realem ex parte ipſius rei.

12 Obijcis ſecundò, Centrum actualiter correſpondet toti circulo: ergo & æternitas toti tempori. Reſpondeo centrum correſpondere actualiter circulo, quando circulus actualiter datur totus; ſic etiam diuina æternitas ex ſe quidem correſpondet omni tempori præterito, præſenti, & futuro, ſecundùm præſentiam, quam habet, ſed cum actualiter nõ detur tempus futurum cum reali durarione, hoc tempus, prout ſic, non reſpõdet æternitati, quod magis eſt ex defectu tẽporis, quàm Dei, qui ſecundùm ſuam æternitatem omni tempori præſens eſt.

13 Obijcis tertiò. Immenſitas Dei ideò eſt tota ſimul, quia ſimul correſpondet omni loco: ergo ſimiliter æternitas diuina debet correſpondere omni tempori. Reſpondeo concedendo totum, quia locus modo realiter exiſtit, ſed ſicut locus nõ coexiſtit immenſitati, antequàm realiter exiſtat, ita tempus non coexiſtit æternitati, antequàm realiter in ſe exiſtat: ergo &c.

Sciẽtia diuina ſẽper eſt eadem reſpectu rei præſentis, præteritæ, & futuræ.

14 Colligo igitur, diuinam cognitionem, neque virtualiter diſtingui à ſe ipſa, prout tendit in rem præſentem, præteritam, & futuram, quia hæc ſcientia Dei ab æterno eſt intuitiua, repræſentat enim rem perfectiſſimè, ſecundùm omnes conditiones exiſtentiæ eius, neque aliquod amplius Deus videt in re quando realiter exiſtit, quàm anteà, quando res erat futura: neque alio modo videt rem ex parte ſuæ diuinæ cognitionis, ſed ſolùm ex parte rei datur noua poſitio, quæ quamuis ſit intrinſeca rei, quando ſit præſens per exiſtentiam realẽ, eſt tamen extrinſeca denominatio diuinæ cognitionis, ſecundùm quam poſitionem Deus videt, rem aliter ſe habere, & ſub alio reſpectu comparari ad hoc, vel illud tempus: & cum proportione ad hanc ſententiam philoſophati ſumus in ſpeciebus infuſis Angelo, in quibus nulla datur varietas in repræſentando, etiam quando obiectum ponitur extra cauſas; & ita ſentit Soar. lib. 1. de Scientia abſoluta cap. 7. nu. 20. Vaſq. 1. p. diſp. 64. n. 17.

Soarius. Vaſquez.

15 Diuerſa ratio eſt in ſcientia diuina ſimplicis intelligentiæ, quæ terminatur ad poſſibilia, quia talis ſcientia tendit ad res poſſibiles, ſine vlla exiſtentia rerum exercita, aut exercenda; ac proinde datur diuerſum obiectum ſufficiens ad terminandam diuerſam ſcientiam: at verò ſcientia viſionis terminatur ad res exiſtentes, ſiue hæc exiſtenti ſit in tempore præſenti, ſiue præterito, ſiue futuro. Ideò verò nos cognoſcimus rem futuram abſtractiuè, quia non eam cognoſcimus in ſe ipſa, ſicut Deus: & ideò noſtra cognitio mutatur, quia tendit in obiectum diuerſo modo ex parte ipſius cognitionis: at verò Deus ſemper eodem modo attingit rem, vel ſit præterita, vel præſens, vel futura, vt patet ex dictis.

SECTIO II.

Vtrùm Deus cognoſcat futura contingentia in cauſa creata, vel increata?

1 PRima concluſio. Futura contingẽtia non cognoſcuntur à Deo in cauſa libera creata. Ita Soar. in Opuſc. lib. 1. de Scientia abſoluta. cap. 3. n. 10. Vaſq. 1. p. diſp. 65. cap. 4. n. 20. Herice 1. p. tract. 1. diſp. 6. cap 2. vbi à n. 3. citat nobiles Thomiſtas, qui hanc ſententiam defendunt, & in eodem n. 5. præter Thomiſtas; inter alios citat illuſtriſſimum Ferdinandum Maſc. diſp. 2. p 2. & 3. Idem tenet Arrub. 1. p. q. 14. art. 13. diſp. 41. cap. 2. Item M. Cornejo tom. 1. in 1. p. trac. 1. quæſ. 14. art. 13. d. 2. dub. 3. Ruiz. 1. p. diſp. 27. & 37. ſect 4 Turrian. Leſſius, Curiel. & alij, quos citat, & ſequitur Alarcon. 1. p. tract. 1. diſp. 2. cap. 7. à num 7. Probatur concluſio, quia in cauſa omnino indeterminata non magis cognoſcitur vna pars futura, quàm alia oppoſita: ſed voluntas creata, etiam poſitis omnibus requiſitis, eſt omninò indeterminata, quia adhuc ſemper eſt libera: ergo non poteſt Deus certò, & infallibiliter cognoſcere futurum contingens in cauſa libera: imò quantò magis penetrabitur cauſa, tantò magis apparebit indifferentia ipſius cauſæ.

P. Soar. P. Vaſq. Herice. Maſcbar. Arrubal. Cornejo. Curiel. Ruiz. Turrian. Leſſius. P. Alarc.

2 Obijcis pro contraria ſententia, quam tuetur Durand. in 1. diſt. 38. q. 3. Arg. in 1. diſt. 40. art. 3. Banh. 1. p. q. 14. art. 18. concl. 3. Didacus Aluares lib 2. de Auxil. diſp. 14. Ledeſma lib. de Auxil. diſp. de Scientia futurorum contingentium. dub. 1. pro reſponſione ad tertium argumentum principale. Obijcis, inquam. Creaturæ poſſibiles non continentur formaliter in diuina eſſentia, & tamen Deus eas cognoſcit in ſua eſſentia; ergo licet futura contingentia non contineantur formaliter in voluntate creata, adhuc tamen à Deo ibi cognoſcentur, quia continentur eminenter. Reſpondeo negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia res poſſibiles non ſolùm

Durand. Argent. Bannez. Aluares. Ledeſma.

Digitized by Google

ſolùm eminenter continentur in diuina eſſẽtia, ſed etiam in ea actualiter, & determinatè repræſentātur poſſibiles, ac proinde certò ibi cognoſci poſſunt: futura verò contingentia non continentur determinatè, nec repræſentantur in cauſa libera. Vnde ex tali cognitione cauſæ liberæ, ſolùm cognoſcentur ſub ratione poſſibilitatis, quia ſolúm, quà poſſibilia ſunt, continentur eminenter in cauſa libera; & ſic intelligendus Diuus Thomas, quando aſſerit, futura contingentia cognoſci á Deo in cauſis liberis; ſolùm enim intendit Sanctus Doctor, cognoſci à Deo tales effectus, vt poſſibiles.

3 Inſtas. Futurum contingens cognoſcitur in cauſa ſaltem coniecturaliter ab intellectu creato: ergo cognoſcetur certò ab intellectu diuino. Reſpondeo negando conſequentiam, quia ex eo, quód intellectus diuinus perfectior ſit, ſolùm ſequitur cognoſcere omne cognoſcibile: at verò futurum contingens non eſt cognoſcibile infallibiliter in cauſa, etiam poſitis omnibus requiſitis, vt patet ex dictis.

4 Cæterum, ſi cauſa libera ſumatur cum præmotione, vel determinatione phyſica, quã lõgè libertas humana promoueatur, & exterminetur, demonſtrant Doctores noſtri, & videri poteſt Herice 1.p. diſp.6. cap.2. à n. 19. nam ſi in ea præmotione phyſica cognoſcit Deus futurum, quia ea præmotio habet neceſſariam connexionem cum effectu futuro, iam tollitur libertas, quia nullus eſt libertatis vſus in productione effectus neceſſariò connexi cum principio iam proximé conſtituto ad operandum; vt patet in amore beatifico, qui neceſſarius eſt, quia habet neceſſariam connexionem cum voluntate creata in patria, conſtituta iam voluntate ad operandum. Si veró præmotio illa phyſica non habet neceſſariam connexionem cum actu libero futuro, non poteſt ex cognitione talis præmotionis dari certa, & neceſſaria ſcientia actus futuri, vt patet: neque enim poteſt certò cognoſci effectus, vt futurus in qualitate, quæ habet contingentem connexionem cum tali effectu.

Heric.

6 Scio Patrem Mol. 1.p. quæſt.14 diſp. 15. & in Concordia diſp. 49. & diſp. 50. aſſerere, in voluntate creata ſupra comprehenſa à Deo cognoſci futura, quem ſequitur ex noſtris Becan. tom. 1. Sum. cap. 10. quæſt. 9. ſed bene impugnantur à Soar. lib. 1. de Scientia abſoluta. cap. 3. vt ex dictis patet.

Molina. *Becan.* *Soarius.*

(?)

Vtrùm futurum contingens cognoſcatur á Deo in voluntate creata, ſimul cum auxilio efficaci; vel in eorum effectibus?

6 Secunda concluſio. Futura contingentia non cognoſcuntur à Deo in voluntate creata ſimul cum auxilio efficaci pro hac cõcluſione videri poteſt P. Alarcon 1. p. tra. 1. diſp. 3. ſect. 7 n. 12. Probatur, quia auxilium efficax non determinat, neque neceſſitat voluntatem ad bene operandum, iuxta Concil. Trid. ſeſſ. 6. de Iuſtificatione Can. 4. & ratio eſt, quia voluntas etiam cum carentia auxilij efficacis non manet determinata ad malum, alioquì actus voluntatis malus non haberet demeritum, ſiquidem voluntas ſine tali auxilio ad malum neceſſitaretur: neque prætereà daretur meritum in bonis actibus, ſi voluntas cum auxilio efficaci operaretur neceſſariò: cùm igitur maneat libera, non poteſt in ea cum tali auxilio infallibiliter cognoſci effectus futurus.

Reſoluo quæſtionẽ negatiuè. *Alarcon.* *Trident.*

7 Obijcis. Auxilium efficax eſt illud, quo poſito, infallibiliter ſequitur conſenſus voluntatis: ergo in tali auxilio cognoſcit Deus cõſenſum, vt futurum. Reſpondeo, negando conſequentiam, quia cùm illud auxilium plerunque habeat eandem entitatem cum quouis auxilio non efficaci (vt laté probat Soar. de Auxil. lib. 3. cap. 20.) & cùm ſemper relinquat voluntatem liberam, ex eo ſolùm dicitur efficax, quia Deus cognouit per ſcientiam conditionatam in hac, vel illa circunſtantia humanam voluntatẽ cõſenſurã. Quàpropter non cognouit Deus futurum conſenſum in auxilio efficaci (quia hoc relinquit liberam voluntatem) ſed cognouit conſenſum in ſe ipſo, quia ſupponitur cognitus per ſcientiam conditionatam, antequàm detur auxilium efficax: alioquì ſi præſciſé in auxilio cernitur futurus effectus determinatus, propter connexionem, quam cum eo habet auxilium, euidenter ſequitur, iam non dari indifferentiam, reſpectu actus futuri, & conſequenter neque libertatem. Quod ſi ita foret, bene poterat Deus ex talis auxilij cognitione habere certam ſcientiam futurorum: ſicut etiam ex cognitione alicuius qualitatis, per quã (vt verè concedimus) poteſt neceſſitare voluntatem: ſed vtrobique eodem modo læderetur humana libertas.

8 Inſtas. Ille effectus ſequitur, poſito auxilio, non neceſſariò, ſed infallibiliter: ergo in eo infallibiliter videbit Deus futurum effectum.

Digitized by Google

fectum. Reſpondeo negando conſequentiā, quia tale futurum, non erit futurum infallibiliter, ex vi auxilij efficacis, cùm eius entitas ſit eiuſdem rationis cum auxilio non efficaci, imò aliquando ſit minoris entitatis phyſicæ; ſed ex eo eſt efficax, quia præſciuit Deus humanam voluntatem in tali circunſtantia, cum tali auxilio liberè conſenſuram. Vnde ille effectus licet infallibiliter ſequatur, cùm tamē, & liberè, & contingenter fiat à voluntate. etiam prout habet auxilium efficax, bene ſequitur, non poſſe futurum infallibiliter cognoſci ex vi auxilij efficacis; imó quó magis penetretur tale auxilium, magis apparebit indifferentia humanæ volūtatis, & libertas, quæ datur in ea, etiam cum tali auxilio, circa actus futuros.

9 Tertia concluſio. Deus non cognoſcit futura contingentia in eorum effectibus. Probatur, quia futura, antequàm ſint, nullos habent effectus reales.

Nōn cognoſcūtur futura in ideis diuinis.

P. Soar.

10 Quarta concluſio. Deus non cognoſcit futura contingentia in ſuis ideis. Pro hac concluſione videri poteſt Soar. in Opuſc. lib. 1. de Scientia abſoluta. cap. 4 n. 7. Probatur, quia ideæ ſunt in Deo ante omne decretum liberum, quia pertinent ad ſcientiam Dei neceſſariam; ſed res non ſunt futuræ, niſi poſt decretum liberum diuinæ voluntatis: ergo non poſſunt cognoſci in ideis, vt futuræ, ſed tantúm, vt poſſibiles. Cōfirmatur, quia Deus cognoſcit futura per ſcientiam viſionis, ideæ tamen pertinent ad ſcientiam practicam, quæ non eſt libera, vt ſcientia viſionis, ſed neceſſaria. Confirmatur item, quia peccata futura non habent ideam in Deo, & tamen à Deo cognoſcuntur.

Herice.

Soarius.

11 Aduertendum eſt cum Herice 1. p. diſp 6, tract. 1, cap. 3. n. 53. & docet Soar lib. 1. de Scientia abſoluta cap. 4. n. 5. dubium nō eſſe, Deum cognoſcere futura per ideas, in quantùm ſcientia ipſa Dei includitur in idea, tunc enim per ſcientiam viſionis poteſt cognoſcere futura, non tanquàm in alio, ſed tanquàm per rationem formalem cognoſcendi, quia idea nihil eſt aliud, quàm ipſemet actus ſciendi, vt repræſentans rem exiſtentem, licet idea addat rationem cauſæ exemplaris erga poſsibilia, ſed non eſt cauſa futurorum, neque eſt ratio, ſeu medium, in quo futura cognoſcantur: præterquàm quód cognoſcat Deus peccata futura, quorum non habet ideam.

Neq; cognoſcuntur in diuina omnipotentia.

12 Quinta concluſio. Deus non cognoſcit futura contingētia in cauſa increata, ideſt, in ſua omnipotentia præſciſa ab omni actu diuinæ voluntatis. Probatur, quia omnipotētia Dei, cum ſit neceſſaria, antecedit, noſtro modo concipiendi, omnem actum liberum diuinæ voluntatis: ſed futura non dantur, niſi poſt decretum liberum: ergo in diuina omnipotentia non cognoſcuntur res, vt futuræ, ſed tantùm, vt poſsibiles.

SECTIO III.

Vtrúm Deus cognóſcat futura contingentia in diuina ſcientia, vel in decreto diuinæ voluntatis?

Ad primū negatiuè reſpōdeo.

1 PRima concluſio. Futura contingētia non cognoſcuntur á Deo in diuina Scientia. Ita Soar. lib. 1. de Scientia abſoluta. cap. 5. nu. 7. vbi loquitur de ſcientia viſionis. Probatur tamen abſolutè de omni ſcientia, quia imprimis ſcientia ſimplicis intelligentiæ antecedit futura, noſtro modo concipiendi, vt patebit. Deinde ſcientia viſionis ſupponit iam futuritionē rerum; ideó enim cognoſcuntur futura à Deo per hanc ſcientiam, quia priús ſupponuntur futura: ergo priùs Deus poterit cognoſcere futura in ſe ipſis, quám in ſcientia viſionis. Confirmatur, quia hæc ſciencia eſt purè ſpeculatiua, nec facit res futuras, ſed ſupponit, quia in ſciētia, quà tali, non datur formaliter libertas, neque omnipotentia.

2 Idem prætereà dicendum eſt de Scientia practica, quia hæc, licet ſit cauſa rerum poſsibilium, non verſatur tamen circa rerum exiſtentiam, ſed circa poſsibilitatem, & factibilitatem earum. Tandem idem dico de ſciētia conditionata, quia hæc ſcientia antecedit diuinum decretum, ſine quo non dantur futura; & quamuis Deus per hanc ſciētiā cognoſcat omnia, quæ fieri poſſunt ſub hac, vel illa conditione, adhuc tamen noſtro modo intelligendi, non eſt Deus determinatus, vt hoc, vel illud ſit futurum, cùm adhuc non detur conditio: ergo ex cognitione huius ſcientiæ non cognoſcuntur futura contingentia.

Diuiditur diuina ſcientia.

3 Vt hæc concluſio intelligatur, ſciendū neceſſariò eſt, diuinam ſcientiam, quamuis ſit actus ſimpliciſsimus, tripliciter tamen diuidi, ratione obiecti: primó in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, *per quam Deus cognoſcit rerum eſſentias, abſtrahendo ab exiſtentia* (& ideó eſt ſciētia abſtractiua:) & in ſcientiam viſionis, *per quam Deus cognoſcit res cum ſua exiſtentia exercita, aut exercenda* (& ideó eſt ſcientia intuitiua.) Secundó diuiditur in ſcientiam naturalem (ſeu neceſſariam) & liberam: naturalis *eſt il-*

la.

Digitized by Google

la, per quam Deus cognoſcit obiecta neceſſaria qualia ſunt eſſentia diuina, (quæ pertinet ad obiectum primarium neceſſarium) & creaturæ poſſibiles, quæ pertinent ad obiectum neceſſarium ſecundarium. Scientia libera *eſt illa, quæ tendit in obiectum, quod liberè, & contingenter exiſtit*, quales ſunt creaturæ præſentes, præteritæ, & futuræ: ideò verò dicitur hæc ſcientia libera, non quia actus diuinæ ſcientiæ potuerit non eſſe in Deo, quóad entitatem, ſed quia poterat Deus carere terminatione extrinſeca ad hoc, vel ad illud obiectum, ſi illud obiectum non daretur, vt dicemus in Met. diſp. 69. ſect. 1.

4 Tertió diuiditur in ſcientiam practicam, & ſpeculatiuam. Scientia practica reducitur ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; dicitur practica, & cauſa rerum, quia verſatur circa poſſibilitatem, & factibilitatem rerum poſſibilium, quas cauſat, abſtrahendo ab exiſtentia. Scientia ſpeculatiua reducitur ad ſcientiam viſionis. Hæc doctrina communis

D Thom. eſt inter omnes Theologos ad 1. p. D. Thom. q. 14.

Datur in Deo ſcientia conditionata, ſiue media.

5 Datur prætereà alia ſcientia conditionata, per quam Deus attingit futura ſub aliqua conditione: eſt autem futurum purè cõditionatum, *illud, quod (etſi habiturum foret exiſtentiam, ſi daretur, certa conditio) nunquàm tamen exiſtentiam habebit, quia nunquàm dabitur conditio.* Hæc ſcientia meritó dicitur media, quia mediat inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis; conuenit enim cum ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quatenus eſt de obiecto, quod non eſt habiturum exiſtentiam, ſi ſit purè conditionatum; conuenit tamen cum ſcientia viſionis, quia terminatur ad obiectum, quod non eſt purè poſſibile, ſed aliquo modo liberum, quia ſi daretur conditio, poneretur extra cauſas; magis verò reduci videtur ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vt tenet

Vaſquez. Vaſq. 1. p. diſp. 67. à n. 27. Definitur hæc ſciẽtia conditionata, *illa, qua Deus cognoſcit, quod vnumquodq; liberum arbitrium acturum eſſet pro ſua innata libertate, ſi in tali, vel tali circunſtantia poneretur.*

Curiel. Magiſt. tamen Curiel contr. 7 in cap. 4. Sap. admittens in Deo hanc ſcientiam mediam, ſentit in art. 4. n. 195. eam potius dicendam ſcientiam viſionis.

6 De hac ſcientia diſputant multi, & illuſtres Theologi, qui nobiſcum conſentiunt, & ex noſtris, inter alios, videri poſſunt Soar. in Opuſc. per totum lib. 1. de Scientia conditionata, & tom. 1. de Grat. Prolog. 2. Fonſ. 6. Met. cap. 2. q. 4. ſect. 8. 9. & 10. Vaſq. 1 p. q. 14. diſp 67. à cap. 2. Valentia 1. p. q. 14 puncto 5. à §. Nihilominùs. Herice 1. p. diſp. 7. per duodecim capita. Arrub. tom. 1. in 1. p. diſp. 44. Becan. tom. 1. Sum. cap. 10. q. 5. Leſſius lib. de Auxil. cap. 18. Bellarm lib. 1 de Gratia, & libero arbitrio. cap. 12. & 13. Tol. ſup. Luc. cap. 10. annotatione 18. Henricus Henr. tom. 2. lib. de Fine hominis cap. 4 & 5. Maldon. ſupra Math. 11. Barrad. tom. 3. in cõcordiam. lib. 2 cap. 11 § Quæſtio extit [illegible] Lorin. Actorum. 16. ad verſ. 6. Iacobus Granad. 1. p. tom. 1. controu. 3. trac. 5. diſp. 3 à ſect. [illegible] Ioannes Præpoſit. 1. p. in appendice primi tomi. Hieronymus Faſſol. 1. p. diſp. 13 ibidem Ruiz. diſp. 65. & alij plures; ac tandem cauſa boni tanti ſapientiſſimus D. Ludouic. Mol. 1 p. q. 14. art 13. diſp. 17. & 18. & in cõcordia. diſp. 50. à §. Triplicem ſcientiam, (in quem tamen agreſti, & inconcinna aſperitate licenter genuinum frangit Pater Nauarrete tom 1. Controu. q. 14. D. Thom. controu. 16. fuſiúſque, & confuſiùs controu 60.) Eſt verò hæc ſententia veriſſima, quidquid ringantur, & adlatrent aduerſarij, quorum quilibet aduerſús eundem Mag. Mol. (qui hic ſententiam primus typis feliciter exarauit) magna verborum licentia deſæuit, & ampullatur, atque

Soarius. *Fonſeca.* *P. Vaſq.* *Valentia.* *Herice.* *Arrubal.* *Becan.* *Leſſius.* *Bellarm.* *Tol.* *Henriq.* *Maldon.* *Barrad.* *Lorin.* *Granad.* *P. Præpoſ.* *Faſſol.* *Ruiz.* *Molina.* *Nauarr.* *D. Thom.*

Furius hibernas canâ niue conſpuit Alpes. *Hora ſat. 5 lib. 2.*

Quo pacto procedat diuina cognitio.

7 Vt igitur propoſita concluſio, & proponendæ clariùs innoteſcant, aduertendus eſt ordo diuinæ cognitionis circa res creatas: imprimìs cognoſcit Deus per ſuam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſeu practicam, omnia poſſibilia, & factibilia, abſtrahendo omnino ab exiſtentia; deindè per ſcientiam conditionatam videt quid euenturum eſſet, ſi tales, vel tales liberæ creaturæ ponerentur extra cauſas: & tunc liberè decernit, & efficaciter vult fieri tales, vel tales creaturas: hoc eſt ab eſſe poſſibili poni in eſſe actuali: accedit tandem ſcientia viſionis, quæ eſt meré ſpeculatiua, per quam Deus videt hæc omnia ſiue ſtricta præſentia, vel futura, circa quæ habuit decretum.

8 Ex quibus obiter collige, quàm verum ſit illud effatum, quod è Patribus communiter fertur: Res, ſcilicet non eſſe futuras, quia à Deo cognoſcuntur per hanc ſcientiam viſionis, ſed ideò à Deo cognoſci, quia ſunt futuræ. Illa verò particula (ideò) non eſt intelligenda cauſaliter, quaſi verò res futuræ ſit cauſa diuinæ cognitionis, ſed intelligenda eſt illatiuè, ideſt, bene infertur ex eo, quód res ſint futuræ, cognoſci à Deo; quamuis etiam dici poſsit, res futuras priús ſupponi futuras in ratione obiecti, vt à Deo cognoſcantur, de quibus, præter cæteros, videri poteſt V. [illegible] 1. p. diſp 68 à n 36. *P. Vaſq.*

9 Ex his igitur euidenter ſequitur, ſcientiam diuinam ſpeculatiuam, ſiue viſionis non

eſſe

eſſe cauſam futurorum, ſiquidem datur poſt futuritionem rerum, ac proinde in ea cognoſci non poſſe hæc futura, quorum cauſa eſt diuina voluntas, ſeu decretum. Hoc decretũ vel eſt inefficax, quo Deus non vult efficaciter, ſed conditionatè: vel eſt abſolutum, & efficax, quo Deus efficaciter vult, vt talis res fiat, vel talis voluntatis actus contingens infallibiliter fiat, & dicitur hoc decretum prædefinitio, ſeu prædeterminatio, nec verſatur, niſi circa actus bonos, neque ex ſe tollit libertatem creatam. (Vtrùm verò Deus prædifiniat omnes actus bonos, non eſt huius loci definire.) Cum vero hoc decretum poſſit eſſe per modum exequutionis extrinſecæ, determinantis phyſicè voluntatem ad operandum, non dubito quòd tale decretum poſſit neceſſitare voluntatem creatam, ſiquidem eſt omnipotens; proindeque certum eſt Deum in tali decreto cognoſcere futura ſic determinata: de decreto igitur efficaci, non tamen neceſſitante phyſice voluntatem; ſit.

Vtrùm futura contingentia cognoſcãtur á Deo in ſuo decreto?

10 Secunda concluſio. Deus cognoſcit futura, quæ prædefiniuit in ſuo decreto efficaci, & abſoluto, quo efficaciter vult, vt creata voluntas operetur. Ita Soar. in Opuſc. lib. 2. de Scientia abſoluta cap. 6. n. 4 Item Præpoſ. 1. p. q. 14. à n. 13. dub. 5. videri etiam poteſt M. Cornejo tom. 1. in 1. p. tract. 1. q. 14. ar. 13. diſp. 2. dubio 6. vbi citat Scot. Richar. Bannez, Zumel, &c. Probatur, quia Deus eſt omnipotẽs: ergo implicat aliquid efficaciter velle, & non fieri: & ſimiliter implicat, quód Deus velit aliquid efficaciter fore, quod non cognoſcat futurum. Duo tamen ſunt aduertenda: primum eſt, non omnia, quæ Deus cognoſcit futura, efficaciter velle, quia cognoſcit peccatum futurum, quod tamen efficaciter non vult. Secundum eſt, concluſionem ſolùm procedere de effectibus, cum quibus etiam concurrit creata voluntas; nam effectus, quos Deus ſe ſolo prædeterminat, & cum quibus ſe ſolo concurrit, vt eſt productio alicuius Angeli &c. nemo eſt, qui dubitet tales effectus præſciri à Deo in decreto efficaci prædefinitiuo; quarè noſtra concluſio procedit in decreto efficaci concurrendi ſimul cum humana voluntate, vel Angelica.

Soarius. P. Præpoſ. Cornejo. Scotus. Richar. Bannez. Zumel.

Soluũtur contrariæ obiectiones.

11 Obijcis primó contra concluſionem. Ex auxilio efficaci infallibiliter ſequitur effectus, & tamen in tali auxilio non cognoſcitur effectus futurus: ergo neque in decreto efficaci. Reſpondeo negando conſequentiã; maior ratio eſt, quia auxilium efficax in entitate phyſica eſt idem, vel ſaltem, poteſt eſſe idem, aut etiam minus, quàm ſit auxilium inefficax, & ſolùm ſortitur efficaciam ex diuino decreto, propter circunſtantiam, in qua applicatur, ſuppoſita ſcientia conditionata. (Vnde ſi hoc modò accipiatur auxilium efficax, ideſt, cum decreto diuino, in eo cognoſcetur effectus futurus.) At verò decretum diuinum efficax, eſt infinitè potens, ac proindè, eo dato, infallibiliter ſequitur effectus, & cõſequenter in eo cognoſcitur.

12 Inſtas. Ergo tollitur libertas creatæ voluntatis, quia ſuppoſitio antecedens, qualе eſt illud decretum, quod antecedit noſtros actus liberos, tollit libertatem. Reſpondeo negando ſequelam, quia ſolùm ea ſuppoſitio, quæ eſt ſimpliciter antecedens, nec inuoluit reſpectum ad conſenſum voluntatis, tollit libertatem, non verò ea ſuppoſitio, quæ ita eſt antecedens, vt potiùs dicatur ſubſequẽs, quia Deus per ſcientiam conditionatam videt voluntatem liberè conſenſuram in hac, vel illa circunſtantia, & tunc decernit, vt fiat ille actus, qui abſolutè eſt liber; quarè licet decretum Dei priús exiſtat, quàm effectus, nihilominùs tamen priùs ſupponitur actus liber cognitus, per ſcientiam conditionatam. Vnde fit, vt, poſito Dei decreto efficaci, adhuc voluntas maneat ex ſe indifferens, quia decretum nihil mutat de natura voluntatis, ſed ſolùm decernit, vt fiat hic actus in hac circunſtantia, in qua liberè erat faciendus.

13 Inſtas ſecundò. Ergo hoc decretum habet neceſſariam connexionem cum effectu futuro, ſiquidem non poteſt non dari talis effectus, ſuppoſito decreto efficaci. Reſpõdeo cum diſtinctione: habet neceſſariam connexionem ex ſuppoſitione, quód talis effectus cognoſcatur futurus, per ſcientiam conditionatam, & ſuppoſito decreto, concedo illationem: habet neceſſariam connexionem abſolutè; nego illationem; quia tale decretum non neceſſitat voluntatem, ſed liberam linquit. Vnde aliqui vtuntur hac diſtinctione, ſequi, ſcilicet, talem effectum infallibiliter, nõ verò neceſſariò.

14 Obijcis ſecundò. Futurum contingẽs non poteſt cognoſci à Deo in cauſa, vt dixi ſuperiori ſectione: ſed decretum diuinum eſt cauſa rerum: ergo &c. Reſpondeo me ſolùm dixiſſe, talia futura non cognoſci in cauſa creata, in qua non continentur determinatè; item non poſſe cognoſci in cauſa increata, ideſt in omnipotentia diuina, in qua non continentur futura determinatè. Vnde bene poterunt cognoſci in cauſa increata, in qua deter-

Digitized by Google

determinatè continentur, quale eſt diuinum decretum; neque ſumendum eſt decretũ per ſe ſolùm, ſed decretum Dei, id eſt, prout includit omnipotentiam, vt patebit.

Decretum Dei nõ eſt prima ratio cognoſcendi futura.

15 Tertia concluſio. Decretum diuinum efficax, non eſt prima ratio, nec ſufficiens, nec vniuerſalis cognoſcendi futura contingentia. Hæc concluſio cõmunis eſt inter noſtros Auctores; de ea videri poſſunt Soar. in Opuſ. lib. 1. de Scientia Dei cap. 6. n. 6. & latè Herice 1. p. diſp. 6. cap. 3. à nu. 27. non eſt prima ratio, quia priùs ſupponit in Deo ſcientiam conditionatam; nõ eſt ſufficiens, quia ſupponit omnipotentiam; non eſt vniuerſalis, quia Deus cognoſcit actus malos futuros, quos efficaciter non decernit; ex quibus patet ſolutio ad argumẽta, quæ cõgerũt Aluares, & Ban. quos citat Heri. ſupra initio capitis tertij.

P. Soar. Herice. Aluares. Bann. Herice.

16 Quarta concluſio. Deus nõ cognoſcit futura contingẽtia in ſolo decreto, quod habet, cõcurrẽdi ad ſingulos actus volũtatis creatæ, niſi aliũde iuuetur per ſcientiã cõditionatã. Ita Soar li. 1. de Sciẽtia Dei ca. 6. n. 9. Probatur, quia tale decretũ non eſt ſimpliciter efficax, Deus enim nõ ſolùm eſt præparatus ad concurrẽdũ cũ actibus, qui eliciuntur à creata voluntate, ſed etiã cum illis, qui nõ eliciũtur, poterant tamen elici, alioquin nulla eſſet libertas in voluntate creata, vnde illud decretũ, cùm ſe accõmodet creatæ libertati, ſemper inuoluit hanc conditionem, *ſi humana & Angelica voluntas voluerit cooperari*, hinc eſt, vt illud decretum nõ dicatur ſimpliciter abſolutum, & efficax, ſed conditionatum; quamuis dici poſſit efficax, quantùm eſt ex parte Dei, ad concurſum præſtandum, ſi cauſa creata voluerit cooperari, nam ſi hæc voluerit, Deus abſolutè præſtabit ſuum concurſum.

Soar.

17 Obijcis. Deus, ex vi huius decreti, quod habet, concurrendi cum humana voluntate, de facto concurrit in tempore: ergo hoc decretum eſt efficax, ſiquidem cõſequitur effectũ. Reſpondeo negando conſequentiã, quia licet illud decretũ cõſequatur effectum, quia hic, & nũc vult cõcurrere creata volũtas, poterat tamẽ effectũ nõ conſequi, ſi humana voluntas nollet cooperari. Vnde ſolùm quando Deus decreuit abſolutè, & efficaciter cõcurrere cum voluntate creata, cognouit effectũ futurum, non verò quando decreuit occaſionaliter concurrere.

Vtrùm peccatum futurum cognoſcatur à Deo in eius permiſſione?

Reſolutio eſt negatiua.

18 Quinta concluſio. Deus non cognouit peccatum, vt futurum in ſola voluntate, quam habet permittendi ipſum peccatum. Ita Soar. cit. n. 15. & alij. Hæc concluſio ſequitur ex dictis quia voluntas, quam Deus habet permittendi peccata, duo includit; primum eſt, voluntatem concurrendi ad entitatem illius peccati, ſed hæc eſt conditionata, vt dixi ſupra: ſecundum eſt, propoſitum non impediendi peccatum, quod inuoluit carentiam auxilij efficacis, ſed in hac carentia non videt Deus neceſſariò peccatum quia auxilium efficax non eſt neceſſarium, vt voluntas operetur bonũ, ſufficiebat enim auxilium ſufficiens: ergo ſicut in ſolo auxilio efficaci nõ cognoſcitur actus bonus futurus, ita in eius carentia non cognoſceretur abſolutè actus malus futurus. Dixi, *in ſola voluntate, quam Deus habet &c.* quia certum eſt, Deum cognoſcere peccatum futurũ in permiſſione eius, præſuppoſita ſcientia cõditionata, & videri poteſt Herice 1 p. diſp. 6. cap. 3. n. 51. vbi hoc probat.

Heric.

19 Obijcis primò. Quodlibet peccatum, ſiue commiſſionis, ſiue omiſſionis, eſt coniunctum cum aliqua entitate poſitiua, ad quam Deus concurrit: ergo in decreto, quod Deus habet concurrendi ad hanc entitatem, cognoſcit peccatum futurum. Reſpondeo negando conſequentiam, quia, vt dixi, in tali decreto, etiam quatenus verſatur circa talem entitatem, cùm ſit conditionatum, *ſi humana voluntas voluerit*, non poteſt cognoſci peccatum futurum, vt conſtat ex dictis.

20 Obijcis ſecundò. Voluntas creata de facto non bene operabitur, ſine auxilio efficaci: ergo in eius carentia videt Deus peccatum futurũ. Reſpondeo negando conſequentiam, non enim videt Deus peccatum futurũ præciſè in tali carentia, quia adhuc voluntas poterat nõ peccare, ſiquidem habebat auxilium ſufficiens, ad non peccandum.

Aduertendum eſt pro complemento huius ſectionis, aliud eſſe cognoſcere Deum futura per ſcientiam, aliud verò cognoſcere in ſcientia: nam Deus cognoſcit omnia futura abſoluta, per ſcientiam viſionis; & cognoſcit omnia futura conditionata, per ſcientiam conditionatam, & tamen non cognoſcit futura, neque in ſcientia viſionis, neque in ſcientia conditionata, iuxta ſupradicta in hac ſectione, §. Prima concluſio.

SECTIO IIII.

Quo tandem modo Deus cognoſcat futura contingentia?

Deus cognoſcit futura in ſc

1 Prima concluſio. Deus cognoſcit futura contingentia abſoluta per ſcientiam viſio-

Digitized by Google

viſionis immediatè in ſe ipſis directè, & ſecũdùm omnes cõditiones exiſtentiæ, quas in tẽpore ſunt habitura: hæc eſt cõmunis, & certa, vt videre licet apud Soar. in Opuſc. lib. 1. de Sciẽtia abſoluta, c. 8. à n. 2. Val. 1. p. q. 14 ar. 13. pũc. 5. § Sit iã quarta. Vaſq. 1. p. q. 14 d 65. c. 4. n. 10. Probatur, quia futura contingentia abſoluta ſunt in ſe ipſis cognoſcibilia, quia habent determinatam veritatem; ſed diuina ſcientia attingit omne cognoſcibile: ergo Deus cognoſcit in ſe ipſis futura contingentia. Confirmatur, quia diuina omnipotẽtia poteſt efficere omne poſſibile: ergo & diuina ſcientia poteſt attingere omne cognoſcibile; ſicut enim ex parte obiecti ſufficit poſſibilitas per ordinẽ ad potentiã Dei, ita ſufficiet cognoſcibilitas, ſeu veritas ex parte obiecti, per ordinẽ ad ſcientiã Dei. Declaratur concluſio, quia quemadmodũ oculus percipit res maximè diſtantes, propter maiorem perfectionẽ inter omnes ſenſus, ita Deus percipere poteſt obiectũ infinito temporis ſpatio diſtãs, quia illud maximum interuallum impediat æternã veritatem, & exiſtentiam realem, quam eadem futura in tempore habebunt.

Soarius. *Valentia.* *Vaſquez.*

2 Quapropter licet Deus habeat ſcientiã de futuris, & in ea ſcientia repræſententur futura, nihilominùs perfectior modus cognoſcendi eſt, ſi dicamus, Deum cognoſcere hæc futura in ſe ipſis, non verò in ſua ſciẽtia, vel in ſua eſſentia, quia talis cognitio reflexa eſſet, & in alio, & non directa, qualis eſt cognitio in ipſis futuris. Cognoſcit verò Deus intuitiuè præterita, præſẽtia, & futura, ad quã cognitionem ſufficit exiſtẽtia rei exercita, vel exercẽda, quæ, reſpectu Dei, nullam habet varietatem: poſſibilia tamen, quia non cognoſcuntur cum exiſtentia exercita, vel exercẽda, cognoſcuntur abſtractiuè.

3 Secunda concluſio. Deus cognoſcit futura negatiua, id eſt, negationes, quæ aliquãdo erunt, cognitis formis negatis. Ita Soar. in Sum. tract. 1. lib. 3. cap 3. n. 8. Vaſq. 1. p. diſp. 61. n. 5. v. g. cognoſcit hominem non eſſe lapidem, quia cognoſcit hominẽ, & cognoſcit lapidẽ, & per ſimplicẽ intuitum cognoſcẽdo hominẽ non habere connexionẽ cũ lapide, cognoſcit hoc modo negationem lapidis, quæ eſt in homine: ſimiliter etiã cognoſcit peccatum in bonitate, cuius eſt carentia: in quo modo cognoſcẽdi datur diuerſitas à modo cognoſcẽdi humano, nã homo poteſt cognoſcere negationes formãdo entia rationis, & quidem præterea cognitio negationis in intellectu creato oritur ex aliqua intrinſeca carẽtia perfectionis, v g cognoſcit intellectus tenebras eſſe in aere, quia oculus caret, pro tũc, viſione lucis: at verò in Deo cognitio negationis non procedit ex aliqua carẽtia intrinſeca, quia diuina ſcientia nõ ſumitur ex obiecto, ſicut noſtra, ſed ex ſe ipſa habet tantam perfectionẽ, vt cognoſcat omnes formas poſitiuas, & ideò ſtatim videt, quãdo ſunt remotæ, & quando ſunt cõiũctæ. Vtrùm verò has negationes futuras cognoſcat Deus intuitiuè, vel abſtractiuè? dicemus loquendo de notitijs, in lib. de Anima. diſp. 84. ſect. 3. n. 20. & 21.

Cognoſcit futura negatiua in formis negatis. *Soarius.* *P. Vaſq.*

Vtrùm Deus cognoſcat futura conditionata?

4 Tertia concluſio. Deus cognoſcit futura cõditionata in ſe ipſis. Hæc concluſio duas habet partes: prima eſt, cognoſcere Deum futura conditionata: ſecũda eſt, cognoſcere talia futura in ſe ipſis. Prima pars nobis eſt omnino certiſſima, de ea videri poſſunt auctores, quos citaui ſectione ſuperiori. §. De hac ſciẽtia. Declaratur hæc concluſio. Futurum conditionatũ eſt illud, quod abſoluté futurum non eſt, ſed erit, poſita conditione, *vt ſi Petrus in tali tẽpore excitetur per gratiam, pœnitentiam aget*: hoc futurum, vel eſt purè conditionatũ, quod ſcilicet, nunquàm erit, quia eius cõditio nũquàm eſt ponenda: vel non eſt purè conditionatũ, quia erit futurum, ex eo, quòd conditio ponenda ſit extra cauſas.

Cognoſcũtur à Deo hæc futura in ſe ipſis.

5 Hac igitur in re nemo dubitauit futura cõditionata neceſſaria, qualia ſunt, quæ neceſſariò ſequũtur, poſita conditione, vt *ſi Deus creat Petrum, Petrus erit viſibilis*, nõ ſolùm à Deo, ſed etiam ab hominibus certò cognoſci. Cõcluſio igitur procedit de futuris cõditionatis contingentibus, quæ breuiter ſic probatur: Deus certò prædicit futura cõditionata contingẽtia: ergo certò ea cognoſcit. Antecedens latè probatur ab auctoribus citatis, ex teſtimonijs Scripturæ, & Patrũ: & videri poteſt Hericce 1. p. diſp. 7. c. 2. 3. 4 ſect. 6. Vnũ pro cũctis dabitur teſtimonium. 1 Reg. ca 23. vbi Dauid Deum conſuluit circa duo futura conditionata, primum eſt, ſi ipſe Dauid maneret in ciuitate Ceila, an veniret Saul? *ſi deſcendet Saul?* Reſpondit Deus, *deſcendet*. Secundum eſt, ſi maneret Dauid, & Saul veniret, an traderetur à Ceilanis in manus Saulis? *ſi tradent me viri Ceilæ?* Reſpondit Deus, *tradent*. Quo reſponſo accepto, fugit Dauid, nec venit proindè Saul, nec traditus eſt Dauid in manus Saulis: ex quibus manifeſtè ſequitur, certò præuidiſſe Deum hæc futura, alioquî quomodò prædiceret Deus, quod neſciebat.

Herice. *1. Reg. 23.*

6 Probatur ſecundò ratione. Quia futura conditionata habent determinatam veritatem, vel falſitatem: ergo ſũt cognoſcibilia à Deo,

Deo, qui cognoſcit omne cognoſcibile. Probatur antecedens in hoc exemplo: ſi Petrus in tali tempore audiat ſacrũ, vel recipiet gratiam, vel non recipiet, vbi neceſſarió altera pars erit determinatè vera, vel determinaté falſa, quia debet ſeruari regula in cõtradictorijs certiſſima. Quis ergo dicet, Deũ ignorare tale futurum? Confirmatur tãdem, quia pertinet ad diuinam prouidentiam præſcire futura, antequàm eueniãt, vt ſciat adhibere media, nec tendat in incertum, alioquì,

Horat. in Arte Poet.

Non ſemper feriet quodcumq; minabitur arcus.

7 Secunda pars concluſionis, quòd ſcilicet, Deus cognoſcat hæc futura in ſe ipſis, penetrando eorum veritatem, ſine alio medio, probatur ex his, quæ dixi de cognitione futurorum contingentium in ſe ipſis, & videri poteſt Soar. lib. 2. de Scientia conditionata cap. 7. à n. 1. Vaſq. 1. p. diſp. 67. cap. 2. & 3.

P. Soar.
Vaſquez.
Solutiones contrariæ obiectiones.

8 Obijcis primò pro contraria ſententia, quæ negat cognoſci á Deo futura conditionata per ſcientiam mediam, quam pertinaciter defendunt aliqui huius ſæculi Thomiſtæ, quibus fauent Catber. Opuſc. de Prædeſt. p. 2. circa finẽ. Ianſen. c. 47. in Cõcor. fol. 359: licet aliqui iuniores cũ Aluares lib. 2. de Auxil. diſ. 7. concl. 2. tandem concedant vel inuiti, Deũ cognoſcere hæc futura: adhuc tamen aſſerunt non illa cognoſcere per ſcientiam mediã (vt omnino è medio tollant hanc ſcientiam,) ſed in quibuſdam decretis abſolutis, quæ fingunt ex parte actus diuini.

Catber.
Ianſen.
Aluar.

9 Obijcis, inquã, primò Deus prædixit hæc futura ſub dubio: ergo ſub dubio à Deo præſciuntur. Probatur antecedens ex illo Math. cap. 11. *Si in Tyro & Sidone,* factæ eſſent virtutes &c. *forſitan in cinere, & ſilitio pœnitentiam egiſſent.* Vbi illud (forſitan) indicat dubium ex parte Dei. Reſpondeo, negando totum; tales enim particulæ (fortè, & forſitan) non ſignificant dubietatem præcognoſcentis, vel prædicentis Dei, ſed libertatem operantis.

Mat. 11.

10 Obijcis ſecundó. Non datur actualiter conditio futuri conditionati; ergo nõ habet actualiter veritatem, vel falſitatem. Reſpondeo, negando conſequentiam, quia ad veritatem futuri conditionati, neceſſariũ non eſt, vt detur actualiter conditio, ſicut ad veritatem futuri abſoluti non requiritur, quòd habeat actualiter exiſtentiam realem alioquì iam non erit futurum contingens, ſed erit præſens.

11 Inſtàs. Circa bonitatẽ cõditionatam, non datur actualis volitio: ergo etiã nõ datur actualis cognitio, circa veritatẽ conditionatã. Reſpondeo, negando conſequentiã: maior ratio eſt, quia amor actualis non poteſt ferri, niſi in bonum actuale, bonum autem conditionatum, non eſt bonũ actualiter, ſed erit; at verò veritas conditionata iam actualiter eſt determinata, ac proinde poteſt cognoſci ab intellectu, cuius obiectum eſt quodlibet verum.

12 Obijcis tertió. Non datur ſciẽtia ſine obiecto, ſed actus ſub conditione futurus nõ datur de facto, imò nec dabitur: ergo &c. Reſpondeo diſtinguendo minorem; actus ſub conditione futurus non datur, imó nec dabitur nonnunquam; concedo minorem: non daretur, ſi ponatur cõditio; nego minorẽ. & hoc ſatis eſt ad terminandam diuinam cognitionẽ, quæ non dependet ab obiecto, ſed ſufficit veritas, quæ obiectiuè dari poſſet in obiecto, ad terminandam diuinam ſcientiam.

13 Obijcis quartò. Nullum in Deo datur decretũ abſolutum circa huiuſmodi futura: ergo non cognoſcuntur à Deo. Reſpõdeo negando conſequentiam, quia præterquamquód Deus cognoſcat hæc futura in ſe ipſis. non vero in decreto tãquàm in cauſa ſufficiẽte, iuxta ſupradicta; neceſſarium nõ eſt decretum abſolutum, quia talis effectus non eſt abſolutè futurus: ſufficit ergo decretum cõditionatum, quod Deus habet præſtandi auxilium Petro, ſi ipſe velit concurrere; quod decretum, licet ſit abſolutum ex parte Dei, dici poteſt conditionatum ex parte Socratis v. g.

14 Duo ſunt aduertenda: primum eſt, ſcientiam conditionatam neceſſariam non eſſe ad efficaciam diuinæ gratiæ; nam licet Deus non haberet ſcientiam conditionatam, & licet non eſſet omniſciens, ſi tamen eſſet omnipotens, poſſet præbere auxilium efficax, ideſt, quod conſequeretur ſuum effectum. Secũdũ, ſcientiã conditionatã ſolùm neceſſariam eſſe, vt Deus prudenter, & non temerè, operetur, vt ſatis liquet.

APPENDIX.

De Concordia diuinæ præſcientiæ, cum futuris contingentibus.

15 SCiendum neceſſariò reſtat, quo pacto diuina hæc futurorum præſcientia non impediat liberi arbitrij contingentiam? Docet igitur fides cõtra Ethnicos, (qui omnia fatis neceſſariò ferri, ſeu potiùs trahi credebant,) & contra Hæreticos cauſantes diuinam præſcientiam; docet, inquã, hãc præſcientiã non lædere creatam libertatem, vt ex Concilijs latè probant Mol. 1. p. q. 14. a. 13. diſp. 14. Val. 1. p. q. 14. pũc. 5. §. Reſtat quæſtio. Soar. lib. 1. de Scientia abſoluta, cap. 9. Vaſq. 1. p. q. 14. ar. 13. diſp. 68.

Præſciẽtia Dei non impedit creatã libertatem.

Molina.
Valentia.
P. Soar.
P. Vaſq.

Herice. Herice 1. p. tract.1. diſp.6. cap.8. Probatur imprimis experientia, qua videmus, nos libere multa operari.

16 Probatur deinde ratione, quia diuina præſcientia, vel eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & hæc ſolùm verſatur circa poſſibilia: vel eſt ſcientia viſionis; ſed hæc ſupponit futura: ergo illa non cauſat, ſed ſolùm ſimpliciter videt, ante exequutionem futuri, in quam partem libere ſe determinabit creata voluntas. *Boet.* Declaratur hæc veritas ex Boet. lib.5. de Conſolat. proſa 6. hoc exemplo, *ſi video iacentem aliquem, neceſſitas non ei infertur à viſu meo, vt iaceat, ſed potiùs à iacente infertur mihi neceſſitas, vt videam.*

17 Vnde ad Lutherum, & Vuicleph. & ad ſimiles perditorum hominum fæces cõtra noſtram libertatem libere debacchantes, dicendum eſt, ſolam neceſſitatem omnino antecedentem, non verò neceſſitatem conſequentem, ex ſuppoſitione, tollere libertatem: hoc eſt, ſuppoſito quòd Deus ſcit Petrũ peccaturum, neceſſariò quidem peccabit; ſed hæc ſuppoſitio & neceſſitas eſt conſequens peccatum Petri, & ſolùm ex ſuppoſitione; neque enim Petrus peccat, quia Deus ſcit, ſed è contrario ideò Deus ſcit, quia Petrus libere peccaturus eſt; quod peccatum Deus ante præuidit per ſuam infinitam ſcientiam, qua attingit omne cognoſcibile.

18 Inſtant Hæretici. Si voluntas creata libera maneret, ſuppoſita præſcientia Dei, poſſet talis voluntas non operari, quia poſſibili poſito in actu, nullum ſequitur inconueniens: ergo falſa redderetur diuina ſcientia. Reſpondeo, non poſſe præſcientiã Dei falſam reddi, quia Deus, cùm præuideat totam hominis libertatem, præuidet etiam vltimum eius actũ, quem tandem libere actura eſſet. Vnde quando Philoſophus dixit, *Poſſibili poſito in actu &c.* intelligendus eſt, nulla facta ſuppoſitione, quòd res iam ſit futura.

19 Maius dubium eſt de diuina præſciẽtia, quæ ſimul cum diuina voluntate eſt cauſa omnium futurorum, & rerum præſentium, concurrendo actualiter cum illis, & ſimiliter cum creata voluntate; maius, inquam, dubiũ eſt in concilianda hac voluntate Dei cum rerum contingentia: ſed adhuc ex eâdem fide conſtat, hanc prouidentiam, cum diuina voluntate, quæ eſt cauſa rerum, non impedire libertatem: ad cuius veritatis intellectionem, ſciendum eſt (vt inquit D.Th. 1. p. q. 22. art. *D. Thom.* vlt. §. Sed contra. ex D.Dionyſio cap.4. de diuinis nominibus,) *D. Dionyſ.* diuinæ prouidẽtiæ nõ eſſe naturas rerum corrũpere: quare cũ Deus creauerit quaſdam cauſas liberas, & alias neceſſarias, ſicut neceſſarijs præſtat concurſum determinatum ad vnum, ita etiam liberis dat concurſum indeterminatum, vt eo vtantur pro ſuo arbitrio: atq; hinc eſt, quòd ſemper Deus ſe accommodet libertati creatæ.

20 Cùm igitur actus liberi, vel ſint boni, vel mali, & Deus cum omnibus concurrat, ſciendum eſt diuinam voluntatem, quamuis ſit vna ſimpliciſſima, poſſe quadruplicem eſſe, noſtro modo concipiendi: prima eſt determinatiua ſimpliciter, qua Deus voluit creare mundum, & qua concurrit cum cauſis neceſſarijs, & cum liberis, quando eas vellet neceſſitare. Secunda voluntas eſt prædefinitiua, quo pacto concurrit cum cauſis liberis prædefiniendo efficaciter aliquos earum actus bonos, ita tamen, vt cauſa tales actus libere exequatur, quãuis non omnes actus bonos prædefiniat, ſed prout vult, & ſecundùm conſilium ſuæ diuinæ prouidentiæ, vt oſtendit Soar. de Auxil. lib.2. cap 7. *Soarius.*

21 Tertia voluntas dicitur approbatiua, qua concurrit ad omnes actus bonos morales in indiuiduo, aut etiam indifferentes (ſi dantur.) Quarta voluntas dicitur permiſſiua, qua cum eodem libero arbitrio concurrit ad actus, quos ab æterno malos fore præſciuit. Ex quibus patet, quomodo diuina voluntas ſit cauſa, & quo pacto ſe accommodet rebus omnibus attingens omnia fortiter, & ſuauiter, & vt inquit D. Auguſt. lib. 7. de *D. Aug.* Ciuitate Dei: *Sic adminiſtrat omnia, quæ creauit, vt etiam ipſa proprios exercere, & agere motus, ſinat. &c.*

SECTIO V.

Vtrùm Deus cognoſcat ſua decreta libera, vt futura, necne?

1 POſtquàm opinionum procellas cum exteris tranquillauimus, reſtat inteſtina ſeditio inter Doctores noſtros componenda: dubitant igitur vtrùm Deus cognoſcat liberum ſuæ voluntatis actum, quem habuit ab æterno, vt futurum? *Aliqui defendunt cognoſci vt futurũ.* affirmat Soar. in Opuſc. lib. 2. de *P. Soar.* Scientia conditionata cap.8. à num.5. Fonſ. *Fonſeca.* 6. Met. cap.2. q.4 ſect.1. § Non video. & §. Sed quærat aliquis, & Ruizius 1. p. diſp. 26. *Ruiz.* ſect. 4. num. 12. Quæ ſententia communiter hodie defenditur. Omnes Soarij rationes huc redeunt. Illud, inquiunt, decretum liberum potuit non eſſe in Deo: ergo quamuis in Deo ſit ab æterno, tamen in priori ſigno rationis poſſibile fuit, in ſecũdo futurũ, ac tandem in tertio fuit præſens ad eum modũ, quo diuina voluntas

Digitized by Google

voluntas priùs intelligitur potẽs velle, quàm actualiter volens. Quarè quamuis in eis, quæ ſunt ab æterno, nulla detur futuritio, ratione temporis, dabitur veró ratione independentiæ, nam poſſibilitas eſt prior, & independens à futuritione, & futuritio prior eſt, & independens ab exiſtentia.

Alij negant Molina. 2 Contrariam ſententiam ſequitur Molina 1. p. q. 14. art. 13. diſp. 17. §. Quæret fortaſſe: quia exiſtimat ad cognoſcendam volũtatem, vel actum eius liberum, neceſſariam eſſe supercõprehenſionem. Vnde cùm Deus non ſupercomprehendat ſuos actus, non eos cognoſcet, vt futuros; liberè tamen hoc aſſumit Mol. ſufficiebat enim comprehenſio.

P. Vaſq. 3 Præterea Vaſq. 1. p. q. 14 diſp. 65. cap. 4. §. Sed quæret: ex alio fundamento probat hanc ſententiam contra Soar. quia videlicet decretum diuinum liberũ ſolùm addit ſupra neceſſarium, reſpectum rationis ad creaturas, quẽ reſpectũ Deus in opinione Vaſq. nõ poteſt cognoſcere. Verùm hæc etiã ratio nullam habet vim, quamuis enim decretũ liberum ſolùm per rationem diſtinguatur à neceſſario, neque addat aliquid reale, nihilominùs tamẽ decretum liberum nõ eſt aliquid rationis, ſed eſt ipſemet actus Dei neceſſarius, cum terminatione extrinſeca, ad creaturas cotingentes. Quarè cùm in eo decreto libero realiter dentur poſſibilitas, futuritio, & præſentia, licet per noſtram rationem tãtùm diſtincta, à Deo tamen cognoſcentur.

Iudicium Auctoris. 4 In hac rixa maior videtur diſſentio in modo loquẽdi, quàm in re ipſa: cõſtat enim, decretũ liberum ab æterno eſſe, ac proinde cognoſci nõ poſſe, vt futurum in aliquo tempore, & in hoc cõueniunt Auctores allegati. Tota igitur quæſtio eſt, vtrũ ſufficiat prioritas ſignorũ, & prioritas indepẽdẽtiæ, vt illud decretũ dicatur abſolutè cognoſci à Deo, vt futurũ? magis igitur inclino in ſententiã Vaſq. quanquã rem probem ex alijs fundamentis.

Vaſquez. Becan. Aluar. Albertin. Herice. Granad. Alarcon. 5 Aſſero igitur, probabilius eſſe, dici non poſſe, Deum cognoſcere ſua decreta libera, vt futura. Ita præter Vaſq. ſequuntur hanc reſolutionem Becan. Albertin. Herice, Gran. quos citat, & ſequitur Alarcon. 1. p. tract. 2. diſp. 3. cap. 1. num. 8. quia vt detur aliqua futuritio, debet eſſentialiter dari ſaltem inſtans aliquod temporis, in quo res non ſit præſens, cum reſpectu ad aliud inſtans, in quo iam ſit præſens: & argumentor primò. Id quod eſt abſolutè præſens, dici non poteſt, cognoſci abſolutè, vt futurum; ſed decretum diuinum liberum eſt abſolutè præſens: ergo non poteſt dici, cognoſci abſolutè, vt futurum: maior eſt certa, quia præſens, & futurum opponuntur; futurum enim dicit negationem præſentis, & non poteſt dari eadem res cum ſua negatione: minor etiam euidens eſt, nam illud decretum eſt Deo præſens à tota æternitate: ergo non poteſt cognoſci, vt futurũ.

6 Reſpondebit aliquis, tale decretum nõ cognoſci, vt futurum in tempore, vel in aliquo inſtanti ſubſequenti, ſed in aliquo ſigno rationis, & hoc ſufficere, vt dicatur abſolutè cognoſci, vt futurum. Sed contra eſt, quia Socrates, qui modo eſt præſens in hoc inſtanti, cùm ſit contingenter exiſtens, poterat non exiſtere, atque adeò ſecundùm ſententiã Soarij habet illas independentias poſſibilitatis, & futuritionis, ſicut eas habet decretum; & tamen Socrates præſens non dicitur abſolutè cognoſci, vt futurus, ſed vt præſens: ergo licet decretũ Dei liberum potuerit non eſſe, ſuppoſito quòd ſit præſens ab æterno, abſolutè dicitur cognoſci, vt præſens, & non vt futurum. Et declaratur, quia idem Socrates reſpectu inſtantis, in quo adhuc non eſt, abſolutè dicitur futurus, per reſpectum ad inſtans ſubſequens, in quo immediatè poſt erit: ergo ſignum eſt, quòd ad futuritionem eſſentialiter requiratur, ſaltem vnum inſtans antecedens, cum reſpectu ad aliud ſubſequens.

7 Argumentor ſecundò. Propterea Deus cognoſceret ſuum decretũ, vt futurum, quia ſufficeret diuerſitas ſignorum in eodẽ inſtãti æternitatis, vt res in primo ſigno concipiatur, vt poſsibilis, in ſecundo, vt futura: ſed hæc ratio nulla eſt: ergo &c. Maior ita proponitur à Soario. Probo minorem, quia Pater Æternus eſt prior origine, quàm Filius, & tamen in eo priori ſigno, Filius non dicitur communiter ab auctoribus futurus, ſed ſimpliciter coæternus: ergo nõ ſufficit prioritas in aliquo ſigno rationis, vt res dicatur in eo ſimpliciter futura, ſed requiritur ſaltem aliquod inſtans reale antecedens, in quo res non ſit præſens.

8 Reſpondebit aliquis primò, Filium non cognoſci, vt futurum, in eo priori ſigno, quia eius proceſſio eſt neceſſaria; decretum verò, de quo loquimur, non eſt neceſſarium, ſed liberum. Sed contra: neceſſitas nõ tollit futuritionem: ergo ſi Filius in eo priori, non cognoſcitur, vt futurus, non ex eo eſt, quòd ſit neceſſarius, ſed ex eo, quòd ſola prioritas ſigni repugnet cum futuritione. Probatur antecedens, ſi ponamus Deum in tempore mundum neceſſariò creaturum eſſe, adhuc ante mundi creationem, mundus diceretur futurus, licet eius productio ſupponatur, per impoſſibile, tam neceſſaria, quàm productio Filij Æterni: ergo ſignum eſt, quòd ex eo quia productio

Filij ſit neceſſaria, non deſinit eſſe futura: ſed ex eo quòd prioritas ſigni non ſufficit ad futuritionem: vel ſi ſufficit talis prioritas, vt decretum Dei liberum dicatur cognoſci, vt futurum contingens, ſufficiet etiam prioritas originis, vt Filius Æternus dicatur cognoſci, non quidem, vt futurum contingens, ſed vt futurum neceſſarium, quod tamen non ita facilè admittetur à Theologis.

9 Reſpondebit aliquis ſecundò. In Patre, reſpectu Filij, dari ſolùm prioritatem ſigni (à quo,) non verò ſigni (in quo,) id eſt, dari aliquod ſignum originis, à quo concipiamus Filium procedentem à Patre, nullum verò dari ſignum, in quo Pater ſit ſine Filio: at verò, circa decretum liberum, dari aliquod ſignum, non ſolùm (à quo) ſed etiam in quo res ſit tantùm poſſibilis, & aliud ſignum in quo ſit futura. Sed contra, quia hoc eſt petere principium, & ſicut non ſufficit prioritas ſigni (à quo) ad futuritionem, ita non ſufficiet prioritas ſigni in quo in actibus liberis, ſed neceſſariò, ad rationē futuri, requiretur prioritas ſaltem inſtantis realis, in quo res non ſit præſens.

10 Addo præterea, Patrem, quà perſona eſt, poſſe dici priorem Filio, non ſolùm in aliquo ſigno (à quo,) ſed in aliquo ſigno, in quo poteſt concipi ſine Filio, non quidem quà Pater eſt, & expreſſe, ſed quatenus concipitur, vt prima perſona, & innaſcibilis (ſicut in rebus creatis priùs concipitur pater conſtitutus per ſuam perſonalitatem, quàm vt pater expreſſe), & ita ſentiunt Vaſq. 1. p. diſp. 159. cap. 5. Soar. de Trinitate lib 7. cap. 7. Arrubal. 1. p. diſp. 112. à cap 3. & alij communiter; & tamen in eo priori Filius non cognoſcitur, vt futurus: ergo &c.

aſquez. Soar rubal.

Reſpondetur argumentis pro contraria ſententia.

11 OBijcis primò pro ſententia Soarij. Illud decretum liberum poterat eſſe, vel non eſſe: ergo in primo ſigno fuit poſſibile, in ſecundo futurum, in tertio præſens: ergo ratione independentiæ poterat cognoſci, vt futurum, iuxta ſupradicta pro ſententia Soarij. Reſpondetur, hoc argumentum ſolùm probare cognoſci tale decretum, vt contingens, ſiue liberum, ſiquidem poterat eſſe, vel non eſſe: ſed non probat argumentum poſſe cognoſci, vt futurum, ſiquidem in omni inſtanti temporis fuit præſens. Deinde permitto cognoſci poſſe in primo ſigno, vt poſſibile, quia ad hoc ſatis eſt abſtrahere ab exiſtentia, futuritio verò requirit tempus, vel inſtans, vt dictum eſt.

12 Obijcis ſecundò. Voluntas Dei priùs concipitur, vt potens operari, quàm vt actu operans: ergo ſimiliter eius actus liber priùs cognoſci poteſt, vt futurus. Confirmatur exēplo Angeli, qui ab æterno crearetur, & ab æterno eliceret actum amoris Dei, quem actū Deus priùs vt futurum, cognoſceret. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando cōſequentiam, quia ad futuritionem eſſentialiter requiritur ſaltem vnum inſtans temporis antecedens, nec ſufficit illa prioritas ſignorū, vt ſupra dixi. Ad exemplum ſimiliter negandum eſt, talem actum amoris in Angelo poſſe concipi, vt futurum, ſiquidem fieret ab æterno, iuxta rationes à nobis propoſitas.

13 Obijcis tertiò. Deus cognoſcit, vt futura, ſua decreta conditionata: ergo & ſimiliter ſua decreta abſoluta, de quibus procedit quæſtio: antecedens probatur ex Pſal. 80. vbi Deus oſtendit, ſe potuiſſe habere decretum conditionatum, quod proinde cognouit, vt futurum conditionatum: *Si Populus*, inquit, *meus audiſſet me, &c. pro nihilo forſan inimicos eorum humiliaſſem.* Reſpondeo, negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia decretum purè conditionatum non eſt præſens Deo ab æterno, ſiquidem nunquàm erit, quia nūquàm dabitur eius conditio; quarè cum non ſit præſens ab æterno, mirum non eſt, ſi non cognoſcatur, vt præſens, ſed vt futurum conditionatum; quod eſt cognoſci veluti poſſibile, quia, cùm ſit purè conditionatum, nunquàm exiſtet; quaré non valet argumentum à decreto conditionato, quod nunquàm erit futurum, ad decretum abſolutum, quod ſemper eſt præſens.

14 Hæc ſint ſatis de cognitione futurorum contingentium, in quorum ſcientia patet, quàm ſimus inſipientes, nam quamuis ex ſe ipſis determinatam habeant veritatem, aut falſitatem, omnino nos latet, quænam illorū pars, aut erit, aut non erit. Vnde nihil certi naturaliter de illis poſſumus prædiuinare, niſi quis cum Thebano Tireſia, cui ſcire futura à Dijs datum eſt, iocularium hoc proferat augurium Venuſini,

O Laertiade quidquid dixi, aut erit, aut non:
Diuinare etenim magnus mihi donat Apollo. Hora. ſat. 5. lib. 2.

CIRCA

Digitized by Google

CIRCA LIBRVM SECVNDVM PERIHERMENIAS ADNOTATIVNCVLÆ.

15 SAtis amplam ſcribendi ſegetem liber primus de Interpretatione nobis ſuppeditauit, ſatis anguſtam, & exilem ſecundus liber ſubminiſtrabit, quem quatuor capitibus abſoluit Ariſtoteles, in quibus enunciationis naturam, ac diuiſiones proſequitur. Diſſerit ergo in primo capite de finitis, & de infinitis enuntiationibus, quæ ſcilicet conſtant nomine, aut verbo finito, vel infinito, vt *Homo eſt iuſtus*, *Homo eſt non iuſtus*; additque ex negatiua de prædicato finito rectè colligi affirmatiuam de prædicato infinito, vt *Socrates non eſt iuſtus: ergo Socrates eſt non iuſtus.*

Enũtiatio-nes variæ. 16 In ſecundo capite agit de ijs enuntiationibus, quæ ſunt de prædicato coniuncto, vt *Socrates eſt bonus Philoſophus*; & de his, quæ conſtant prædicato ſimplici, vt *Socrates eſt Philoſophus*; quarum hæc eſt regula, vt à diuiſis ad coniuncta bene valeat conſequutio; modò prædicata diuiſarum ita ſe habeant, vt vnum ſit forma alterius, & neutrum includatur in alio, vt *Socrates eſt homo*, *Socrates eſt albus*: *ergo Socrates eſt homo albus*. Vbi (albus) non includitur in homine, & eſt tamen illius forma. Defectu primæ conditionis, hæc conſequutio vitioſa eſt, *Socrates eſt bonus*, *Socrates eſt pictor: ergo Socrates eſt bonus pictor*. Defectu ſecundæ, hæc nugatoria, *Socrates eſt homo*, *Socrates eſt animal: ergo Socrates eſt homo animal.*

17 A coniunctis veró ad diuiſa optima eſt conſequutio; modó prædicata coniuncta dicantur independenter vnum ab alio, & vnum non inferat negationem alterius: hac ratione; *Socrates eſt homo albus*, *ergo Socrates eſt homo*, *& Socrates eſt albus*, quia tam homo, quám album per ſe dici poſſunt de Socrate, neutrumque infert negationem alterius. Defectu primæ conditionis non valet, *Socrates eſt bonus pictor: ergo Socrates eſt bonus*, *& Socrates eſt pictor*; quia prædicatum (bonus) non dicitur in cõiuncta independenter à pictore, neque dicitur ratione ſui, ſed ratione pictoris.

Qui plura de his enuntiationibus deſiderauerit, remittendus eſt ad Ariſtotelem, qui eas per otium peritiſſimè ſpeculatur. Hæc pro libris de Interpretatione dixiſſe ſufficiat, ad laudem omnipotentis Dei, & Beatiſſimæ Deiparæ.

(⁂)

 SVM-

SVMMA PHILOSOPHIÆ,

PARS PRIMA IN LOGICAM.

TRACTATVS III.

IN LIBROS ANALITICOS ARISTOTELIS.

PROŒMIVM.

ACCEDIT Philoſophus ad præcipuam, & præſtantiorem Logicæ partem, vbi de Syllogiſmo, ac de Demonſtratione agitur, quæ pertinent ad tertiam intellectus noſtri operationem: nam in Prædicamentis actum eſt de prima operatione: in libris verò Perihermenias de ſecunda: nunc de Ratiocinatione, quæ pertinet ad diſcurſum, reſtat diſputare. Dicuntur autem hi libri, Analitici, ideſt, reſolutorij, quia in illis reſoluitur Syllogiſmus ad ſua principia. Hæc reſolutio duplex eſt, Conſequentiæ vna, qua ſcilicet reducitur Syllogiſmus ſecundùm formam ad ſua principia, propoſitiones ſcilicet, & terminos; altera reſolutio dicitur Conſequentis, quæ fit ſecundùm materiam. In primis ergo his duobus libris agitur de hac priori reſolutione, ideſt, de reſolutione, quæ fit ſecundùm formam: in libris ſequentibus tractabimus de poſteriori alia reſolutione, ſecundùm materiam: atque hinc nomen ſibi hi libri mutuantur, nam, Analyſis, reſolutio eſt, ſiue reuocatio alicuius rei ad ſuas partes: qui tractatus de priori, ac poſteriori reſolutione à me breuiter reſoluetur.

DISPVTATIO XVI.

De ſyllogiſmo ſpectato ſecundùm formam.

IN hac diſputatione, vt reſoluam ſyllogiſmum, priùs conſtituendæ ſunt partes, quibus conſtat: deinde conſtruendus eſt ſyllogiſmus; ac tandem reſoluendus; oſtendendumque præterea eſt, quàm aptè hæc inter ſe cohæreant in ſyllogiſmo.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO I.

De Propoſitione, Termino, ac Diſcurſu, quæ ad Syllogiſmum inſeruiunt.

Quid ſit propoſitio?

1 PRima concluſio, Propoſitio *eſt Oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de quopiam*: Ponitur, *Oratio*, loco generis: affirmatio, vel negatio loco differentiæ: in eo autem diſtinguitur propoſitio ab enuntiatione, quia hæc ſolùm attendit ad ſignificationem veritatis, vel falſitatis; propoſitio autem vltra hanc ſignificationem, affirmat, vel negat: præterquamquód enuntiatio comprehendat etiam enuntiationes coniunctas, & propoſitio ſolas ſimplices ſibi adſcribat.

Quæ ſit materia Propoſitionis?

2 In omni propoſitione tria conſiderari oportet, materiam ſcilicet, quantitatem, & qualitatem: materia propoſitionis *eſt habitudo ſubiecti ad prædicatum*, quæ conſideratur in modo, quo nectuntur inter ſe; alia igitur eſt materia neceſſaria, quando videlicet prædicatum neceſſarió coniungitur ſubiecto: alia eſt contingens, quando ſcilicet, poteſt ſubiectum ſeparari á prædicato, vel prædicatum à ſubiecto. Quantitas propoſitionis *eſt extenſio maior, aut minor earum rerum, pro quibus ſubiectum ſub prædicato accipitur.* Qualitas eſt duplex, eſſentialis altera, quæ nihil eſt aliud, quàm affirmatio, vel negatio: accidentalis alia, ideſt, veritas, vel falſitas.

Quæ ſit qualitas Propoſitionis?

3 Ratione quantitatis diuiditur propoſitio in vniuerſalem, particularem, indefinitã, & ſingularem: Vniuerſalis *eſt, quæ conſtat ſubiecto vniuerſali diſtributiuè, ſeu vniuerſaliter accepto*, vt hæc, *omnis homo eſt animal.* Particularis, *quæ conſtat ſubiecto vniuerſali, non vniuerſaliter accepto, notato ſigno aliquo particulari*, vt hæc, *aliquis homo currit.* Indefinita *eſt, quæ conſtat ſubiecto vniuerſali, nullo addito ſigno vniuerſalitatis, aut particularitatis*; vt ſi dicas, *Homo currit, homo eſt animal*: hæc in materia neceſſaria æquipollet Vniuerſali, in materia verò contingenti æquipollet particulari. Singularis propoſitio *eſt, quæ, vel conſtat termino omnino ſingulari, vel vniuerſali, affecto tamen aliquo ſigno ipſum contrahente ad aliquod ſingulare*, vt ſi dicas, *hic homo currit.*

Propoſitio eſt verũ genus.

4 Diuiſio autem propoſitionis in affirmatiuam, & negatiuam eſt veri generis in ſpecies, ſi ſumatur ſecundùm propoſitionem mentalem: hæc enim eſt ſimplex qualitas, & licet eſſentialiter ſit ſignum, & ideò duos védicet reſpectus, vnum ad rem, alium ad potentiam, hoc tamen non obſtat, vt conſtat ex ijs, quæ dixi lib. 1. Periherm. diſp. 9. ſect. 2. num. 11.

5 Secunda concluſio. Terminus *eſt, in quem reſoluitur propoſitio, vt in prædicatum, & ſubiectum, ipſo eſſe, aut non eſſe addito, vel diuiſo.* Vt intelligatur concluſio, in qua definitio termini continetur, tradita ab Ariſtotele, aduertẽdum eſt; terminum in ſua latitudine ſignificare extremum cuiuſque rei; à Logicis verò ſolùm vſurpari pro extremo propoſitionis, in quod propoſitio diſſoluitur. Tunc autem fit diſſolutio in aliquid, quando deſtruitur vnio, qua illud erat vnitum, ipſis partibus permanentibus, ita homo dicitur reſolui in corpus, & animam, quia manet vtrumque, diſſoluta per mortem vnione: & quamuis equus per mortem reſoluatur in materiam, & formam, per accidens eſt, quód anima equi non permaneat; id enim prouenit, non ex vi reſolutionis, ſed ex defectu ipſius animæ, quæ materialis eſt, & ideó nequit, finita vnione, perſeuerare. Compoſitio veró *eſt quidam progreſſus à partibus ad totum conſtituendum*: diſſolutio autem *à toto ad partes progreſſus.*

Quid ſit terminus?

6 Animaduertendum ergo eſt primó, propoſitionem vocalẽ eſſe cõpoſitum quoddam ex duabus partibus, quarum altera dicitur ſubiectum, altera dicitur prædicatum; ſubiectum *eſt id, de quo aliquid dicitur*: prædicatum *eſt id, quod de aliquo dicitur*: Quod prædicatum, & ſubiectum ad inuicem vniuntur per copulam vnitiuam, vt ſi dicas, *Petrus eſt albus*, en ly (albus) coniũgitur cum Petro mediante enuntiatiua vnione, (eſt) Diſſolui ergo propoſitionem in aliquid, eſt, deſtructa, ſiue ſublata vnione enuntiatiua, illud aliquid manere: quia ergo, ſublato ly (eſt) quæ eſt vnio, manet ly (Petrus) & ly (albus) hæc erunt, in quæ fit diſſolutio illius propoſitionis.

Quo pacto re ſoluatur propoſitio?

7 Animaduertendum eſt ſecundò, Verbum (eſt) ſolùm eſſe copulam vnitiuam, non verò terminum, nam terminus eſt pars, quæ manet poſt reſolutionem, verbum autem (eſt) nõ manet, deſtructa propoſitione, ex eo quód ſit nexus, & veluti forma artefacti, artefactũ vero, vt v.g. domus, non reſoluitur in formã artificialem, ſed in lapides, ligna, &c. Aduertendum prætereà eſt, hanc reſolutionem præcipué dari in propoſitionibus vocalibus, in mentalibus verò ſolùm dari in terminos præſuppoſitiuos, per apprehenſionem prædicati, & ſubiecti, eſt enim propoſitio mentalis, ſecundùm ſe, quædam ſimplex qualitas, vt dixi diſp. 12. ſect. 2. num. 6. atque ex his explanata manet ſecunda concluſio de terminis propoſitionis.

8 Cúm ſyllogiſmus ſit diſcurſus quidã perfe-

Digitized by Google

perfectiſſimus, agendum hic reſtabat de Diſcurſu; qui vel eſt ſecundùm cauſalitatem, quàdo videlicet conſequens dependet ab antecedente, tanquàm à cauſa; vel eſt ſecundùm ſucceſſionem, qui fit inter cognitiones, quarū vna ab altera non dependet: ſed de Diſcurſu acturus ſum in libris de Anima. diſp. 85. ſect. 2.

SECTIO II.

De Conuerſione Propoſitionum.

Quid ſit hæc cōuerſio?

1 Conuerſio propoſitionis, de qua loquimur, *eſt mutatio prædicati in ſubiectum, retenta eàdem propoſitionis qualitate, & veritate*: vt ſi dicas, *nullus homo currit, ergo nullum currens eſt homo*: debet in ea ſeruari eadem veritas, quia licet vtraque propoſitio poſſit eſſe falſa, ſemper tamen, ſi conuerſa eſt vera, etiam conuertens vera eſſe debet, alioquin non bene colligitur ſecunda ex prima: dicitur autem conuerſa ea prima propoſitio, quæ conuertitur; conuertens veró dicitur ea ſecunda propoſitio, quæ primam conuertit: exemplum ſit in hac, *nullus homo eſt lapis, ergo nullus lapis eſt homo*, vbi ſeruatur eadem qualitas, & veritas, mutaturque prædicatum in ſubiectum, & prima propoſitio eſt conuerſa; ſecunda, conuertens, & ſimiliter vera.

Quotuplex ſit.

2 Conuerſio, vel eſt ſimplex, in qua ſcilicet ſeruatur eadem quantitas, vt *nullus homo eſt lapis: ergo nullus lapis eſt homo*: vel eſt per accidens, ſeu in partem, quæ fit, mutata quantitate propoſitionis, vt, *Omnis homo eſt animal: ergo aliquod animal eſt homo*. Conuerſio veró per contrapoſitionem eſt, quæ fit infinitatis terminis, ſeruata eàdem quantitate, ita vt termini finiti reddantur infiniti, vel è conuerſo, vt, *omnis homo eſt animal; ergo omne non animal eſt non homo*.

Quomodo cōuertātur propoſitiones?

3 Vt autem ſubtilem hanc conuerſionū ſtructuram, lubricam illam, & difficilem, facilè poſſis memoriæ commendare; hos quatuor quaſi verſus priús attende, ſub quorum legibus, velut axibus verſatiles propoſitionum rotæ vertuntur, & conuertuntur.

Aſſerit A, negat E, ſunt vniuerſaliter ambo:
Aſſerit I, negat O, ſunt particulariter ambo:
Simpliciter Feci conuertitur, Eua per accens,
Aſt, O, per contra: ſic fit conuerſio tota.

Quorum carminum laborioſam interpretationem ſic accipe. In primo verſu, litera A, ſignificat propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam: E, veró, vniuerſalem negatiuam: In ſecundo verſu, litera I, particularem affirmatiuam: litera veró, O, particularem negatiuam. In duobus vltimis verſibus, illa verba, *ſimpliciter Feci*, ſignificant propoſitiones ſignificatas per vocales poſitas in illa dictione (Feci) ideſt, propoſitionem vniuerſalem negatiuam ſignificatam per E, & propoſitionem particularem affirmatiuam ſignificatam per I, ſimpliciter conuerti, ideſt in totum. *Eua per accens*, ideſt, propoſitiones ſignificatas per vocales huius vocis (Eua) vniuerſalem, ſcilicet, negatiuam, & affirmatiuam, conuerti poſſe per accidens, ideſt, in partem. *Aſt, O, per contra*, ideſt, propoſitiones ſignificatas per has vocales, Aſt, O, conuerti per contrapoſitionē: bene enim valet, *Omnis homo eſt animal, ergo omne non animal eſt non homo*.

Proponitur primū Ariſtotelis theorema.

4 Probo igitur primum theorema Ariſtotelis, ideſt, vniuerſalem negatiuam cōuerti ſimpliciter, etiam in terminis non ſignificatiuis, ſumpto B, pro ſubiecto, & A, pro prædicato, in hunc modum. *Nullum B. eſt A. ergo nullum A, eſt B*, quæ rectè ſequitur, alioquin ſi falſa eſt hæc propoſitio, *nullum A, eſt B*. vera erit eius contradictoria, nempe, *aliquod A, eſt B*. ſit igitur aliquod A, B. & vocetur C. tunc ſic per ſyllogiſmum expoſitorium (qui dicitur ille, qui conſtat terminis ſingularibus, de quo in tertia figura dicendum eſt.) *C, eſt A. C, eſt B. ergo aliquod B, eſt A*: ſed *aliquod B. eſt A. &* *nullum B. eſt A*, quæ erat conuerſa, ſunt contradictoriæ: ergo dabuntur contradictoriæ duæ ſimul veræ, (quod eſt omnino impoſſibile.) ſi vniuerſalis negatiua non conuertitur ſimpliciter: quod in terminis ſignificatiuis rectè etiam ſequitur, vt ſi dicas, *nullus homo eſt equus: ergo nullus equus eſt homo*.

De alijs Conuerſionibus,

Explicantur aliæ cōuerſiones, & leges.

5 Secundum theorema eſt, vniuerſalem affirmatiuam conuerti in partē, ſeu per accidens, quod ſic probatur: *Omne B. eſt A. ergo aliquod A eſt B.* ſi nō ſequitur, detur oppoſitum, *nullum A, eſt B.* ſed hæc per primam regulam conuertitur in hāc, *nullum B. eſt A.* atqui *nullum B. eſt A. & omne B. eſt A.* ſunt contradictoriæ: ergo vel dabuntur duæ contradictoriæ ſimul veræ, quod eſt omnino impoſſibile, vel vniuerſalis affirmatiua rectè conuertitur in partem. Quæ regula item patet in terminis ſignificatiuis, vt ſi dicas, *Omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo*, alioquin detur oppoſitum, nempe, *nullum animal eſt homo*; ſed *nullum animal eſt homo*, per primum theorema conuertitur in hanc, *nullus homo eſt animal*: atquì *nullus homo eſt animal*; *omnis homo eſt animal*; ſunt contradictoriæ;

Digitized by Google

ctoriæ: ergo &c.

6 Tertium theorema. Particularis affirmatiua conuertitur ſimpliciter. Probatur: *Aliquod B, eſt A. ergo aliquod A, eſt B.* ſi non ſequitur, detur oppoſitum, *nullum A, eſt B.* atqui hæc per primam regulam conuertitur in hac, *nullum B eſt A.* ſed *nullum B. eſt A*, & *aliquod B. eſt A* ſunt contradictoriæ: ergo particularis affirmatiua rectè conuertitur ſimpliciter.

7 Reſtabat modò agere de Conuerſionibus propoſitionum per contrapoſitionem. Deinde de Conuerſionibus modalium de neceſſe, poſſibili, & contingenti primo modo, ſecundo modo. De contingenti deinde ſecundo modo negato in ſenſu diuiſo, & in ſenſu compoſito: hæc tamen plus ſubtilitatis, quàm vtilitatis vendicant: ne igitur bas inter Logicales ſpinas diutiùs adhæreſcat, & difficulter Lectoris intricetur ingenium, pergo ad ſyllogiſmum, & ad artem inueniendi medium, vbi etiam breui quadam velitatione præludendum.

SECTIO III.

Quid ſit ſyllogiſmus, & quæ ſit forma ſyllogiſtica?

(Explicatur definitio ſyllogiſmi.)

1 PRima concluſio. Syllogiſmus *eſt oratio, in qua, quibuſdam poſitis (id eſt. conceſſis) aliud quidpiam ab his, quæ poſita ſunt, neceſſariò euenit, eo quod hæc ſint.* Hæc eſt Ariſtotelis definitio, quæ ſic clariùs explicari poteſt: eſt argumentatio, qua per formalem, & neceſſariam conſequentiam bene colligitur connexio duorum terminorum inter ſe, ex vi connexionis illorum, cum medio termino. Dicitur Syllogiſmus, *oratio* non dictione, ſed ordine, quia præmiſſæ coniunguntur cum concluſione per copulam illatiuam. Propoſitiones debent eſſe communes, & ſimplices, veræ, aut aptæ ad aliquid probandum: ex qua tandem definitione conſtat, concluſionem debere eſſe diuerſam à præmiſſis, quæ ſi ſemel conceduntur, neceſſariò ſequitur concluſio ex vi formæ.

2 Secunda concluſio. Solus ſyllogiſmus eſt argumentatio formalis. Vt probetur concluſio aduertendum eſt, conſequentiã multò latiùs patere, quàm argumentationem; eſt igitur Conſequentia, *Oratio, in qua aliquid ex aliquo colligitur*; diuiditur in eam, quæ nihil habet in Antecedente, quod non ſit in Conſequente; & in eam, quæ aliquem terminum habet in Antecedente, qui non ſit in Conſequente; *Vt Socrates eſt homo, ergo Socrates eſt riſibilis.* Hæc vltima Conſequentia dicitur argumentatio, ratione argumenti, quod continet. Hæc argumentatio diuiditur in quatuor veluti ſpecies, nempe in ſyllogiſmum, quem iam definiuimus; & in enthymema, qui *eſt ſyllogiſmus imperfectus, carens altera præmiſſa*: & in Inductionem, quæ eſt argumentatio, *in qua à ſingularibus ad vniuerſalia progreditur*: & in exemplum, quod dicitur *argumentatio, in qua colligitur aliquid ſingulare ex vno, vel pluribus ſingularibus.*

(Quid ſit conſequẽtia?)

(Solus ſyllogiſmus eſt argumentatio formalis.)

3 Probo igitur, ſolùm ſyllogiſmum eſſe argumentationem formalem: nam argumentatio formalis eſt illa, in qua nullus terminus eſt in conſequenti, qui non ſit in antecedente, eſt tamen aliquis terminus in antecedente qui non ſit in conſequente: ſed hæc forma non datur, niſi in ſolo ſyllogiſmo: ergo ſolus ſyllogiſmus eſt argumẽtatio formalis: exemplum ſit in hac demonſtratione, *Omne animal rationale eſt riſibile. omnis homo eſt animal rationale: ergo omnis homo eſt riſibilis*: in qua videre licet eas conditiones, quas in argumentatione formali requirimus: nullus enim terminus eſt in conſequenti, qui non ſit in antecedente, eſt tamen aliquis terminus in antecedente, nempe, *animal rationale*, qui non eſt in cõſequenti.

4 Tertia concluſio. Figuræ ſyllogiſticæ ſunt tantùm tres. Vt probetur concluſio, ſciẽdum eſt, formam ſyllogiſticam conſtare ex bona figura, & modo. Figura *eſt apta terminorum diſpoſitio ad concluſionem inferendam*: termini, ſunt tres, nempe maius extremum, minus extremum, & medius terminus. Maius extremũ *eſt illud, quod præſtantiorẽ habet locum in ſyllogiſmo*, præſtantiùs autem eſt prædicari, quàm ſubijci: minus extremum *eſt, quod habet minùs præſtantem locum*: medius terminus *eſt, qui bis in antecedente coniungitur, non tamen ingreditur concluſionem*, vt videri eſt in ſyllogiſmo, ſuperiori paragrapho adducto: vbi, *animal rationale*, eſt medius terminus, bis qui ponitur in antecedẽte, & non ingreditur conſequentiam.

(Probatur tres tantùm eſſe figuras ſyllogiſticas.)

5 His poſitis, probatur concluſio. Quia tot ſunt figuræ, quot ſunt complicationes medij termini cum extremis; ſed hæ complicationes ſunt tantùm tres: ergo &c. Probatur minor, quia medius terminus, vel ſubijcitur maiori extremo, & prædicatur de minori, & conſtituit primam figuram; vel ſemper prædicatur in maiori, & minori propoſitione, & facit ſecundam figuram; vel ſemper ſubijcitur, & dabitur tertia figura.

6 Cur verò prima propoſitio ſyllogiſmi dicatur *maior*, & cur ſecunda *minor* appelletur, non eſt cur maiorem, aut minorem diligentiam adhibeamus; ſufficiat igitur dicere, *maiorem* ita appellari, quia habet præſtantiorẽ locum,

Digitized by Google

locum, præſtantior autem locus eſt primus, quàm ſecundus, & ideó prima propoſitio dicitur *maior*; ſecunda *minor*. Quod ſi hæc ratio non placuerit, vide Hurt. in Logic. diſput. 10. ſect. 10. à §. 50. vbi circa maioris propoſitionis vocabulum curis maioribus defatigatur. *Hurtad.*

Galen. 7 Obijcis cum Galeno. Medius terminus poteſt etiam ſubijci minori extremo, & prædicari de maiori: ergo dabitur quarta figura. Reſpondeo negando totum; quia impoſſibile eſt, medium terminum prædicari de maiori extremo, nam eó ipſo, quòd maius extremum ſubijceretur, iam non eſſet maius extremum, quia maius extremum eſt illud, quod habet locum præſtantiorem, cùm veró præſtátius ſit prædicari, quàm ſubijci, id, quod ſubijcitur non poteſt eſſe maius extremum: Galenus igitur, potiùs circa quatuor humani corporis humores, quàm circa quatuor ſyllogiſmi figuras, meo iudicio conſulatur.

8 Inſtas pro Galeno: ergò cùm medius terminus prædicatur, ipſe medius terminus fiet maius extremum. Reſpondeo negando ſequelam; quia, vt medius terminus ſit maius extremum, debet ingredi concluſionem, quam tamen nunquàm ingreditur; quaré cùm medius terminus prædicatur de vtroque extremo, vt fit in ſecunda figura, illud eſt maius extremum, quod in concluſione prædicatur, nullum enim præſtantiorem locum inuenies; imó in tertia figura, cùm medius terminus ſubijcitur vtrique extremo, erit maius extremum, quod in maiori propoſitione prædicatur, vel ſaltem, (quod probabilius eſt) illud erit maius extremum, quod in cõcluſione prædicatur; quaré ſyllogiſmus, cuius medius terminus prædicetur in maiori, & ſubijciatur minori, pertinet ad primam figuram, habet tamen præmiſſas tranſpoſitas.

Quid, & quotuplex ſit modus ſyllogiſmorum?

9 Modus ſyllogiſmi, *eſt apta propoſitionum complicatio, ſecundùm quantitatem, & qualitatem, ad concluſionem rectè inferendam*: modi ſyllogiſtici generaliter loquendo ſunt duo, directi, ac indirecti: modus directè concludendi eſt, cùm maius extremum de minori concluditur: indirectè veró cùm minus extremum de maiori colligitur: in prima figura, datur modus directè, & indirectè concludendi, quia poteſt in concluſione prædicari maius extremum de minori, & minus extremum de maiori: at verò in ſecunda, & tertia, cùm probabilius ſit, illud eſſe maius extremum, quod in concluſione prædicatur, ſemper directé concluditur, quia ſemper concluſio habet prædicatum; quod nõ tollit quominùs ſecunda, & tertia figura multos habeant modos inutiles.

10 Modi tamen, ſpecialiùs loquendo, ſũt ſexdecim in qualibet figura, quamuis nõ omnes ſint vtiles, ad bene concludendum. Probatur prima pars: Quia tot ſunt modi ſyllogiſmorum, quot ſunt complicationes præmiſſarum in qualibet figura, ſecundùm quantitatem, & qualitatem: ſed hæ complicationes ſunt ſexdecim, (vt diximus cum D. Fonſ. lib. 6. Inſt. cap. 14.) ergo &c. Probatur ſecunda pars, quia inter illos modos aliqui reperiũtur inutiles, vt patebit. Vt tamen prædicti modi explicentur in qualibet figura, priùs intelligẽdi ſunt ſequentes verſus, qui licet barbari videantur, docent tamen in Barbara concludere, & ſubtilitatem vendicant non barbaram; *Quot ſint modi in qualibet figurâ* *Fonſec.*

Barbara, Celarent, Darij Ferio Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum:
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Barocho, Darapti,
Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

In prima figura, in qua medius terminus ſubijcitur maiori, & prædicatur de minori, quatuor ſunt modi vtiles, videlicet, *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*. *Barbara*, conſtat ex duabus præmiſſis vniuerſalibus affirmatiuis, & infert concluſionem vniuerſalem affirmatiuam, vt, *Omne bonum eſt expetendum, ſed omnis virtus eſt bona; ergo omnis virtus eſt expetenda.* *Celarent* conſtat ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, & infert concluſionem vniuerſalem negatiuam. *Darij*, conſtat maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua, & infert concluſionem particularem affirmatiuam. *Ferio*, conſtat maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua, & infert concluſionem particularem negatiuam.

11 In prima igitur figura dantur quinque modi concludendi indirectè, ſcilicet, *Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum*: qui modi indirectè concludendi, ſimul ſunt inutiles ad alias figuras. In ſecunda figura dantur quatuor modi vtiles, ſcilicet, *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Barocho*: reliqui duodecim modi, quamuis non ſint indirecti, ſunt tamen inutiles, ac proinde nihil colligunt. In tertia figura inueniuntur ſex modi aptè concludendi, ſcilicet, *Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.* Cæteri tredecim nihil concludunt, vi formæ, in tertia figura, ſed de his latè Fonſ. lib. 6. Inſt. á cap. 12. *Fonſeca.*

(?)

SEC-

SECTIO IIII.

De arte inueniēdi mediū, ſeu de Ponte.

1 TAndem debellatis tot difficultatū fluctibus, quibus intricati Priorū libri multipliciter inundant, ad Pontē illum terribilem accedimus ſuperandū, qui ipſis etiā vndarum vorticibus formidoloſior, vel ingenioſo cuique, & audaciſſimo metū incutit, & horrorē, ideóque breuiter tranſiliendus, nā dum medius terminus quæritur, tot quæſtiones ſine medio, ac ſine termino multiplicantur, vt potiùs mediū terminū mille difficultatibus obruant, quàm oſtēdāt. Quę ars mediū inueniēdi *Pons* apud antiquos dicebatur, quaſi inde, vt inquit Sot. in ſumulis lib. 5. c 8 homines tardi ingenij præcipitarentur. Ab Arte igitur inueniendi medium diſcedant inertes, accedat ingenioſus, (Sotus.)

—— Pontem neve exhorreſcat amicum.

Ad inueſtigandum ergo medium terminum accōmodatum ad probandam aliquā concluſionem, nouem cōplicationes, ſeu nouē modos tradit Ariſtoteles, quibus velut nouē arcubus fatalis pons mirabiliter ſuſtētatur; quāuis ſex primi arcus ſolūmodo ſint vtiles, hodieq; perſiſtāt immobiles, & ideò dicātur ſtare; tres verò vltimi, tēporis iniuria corruēre, ſuntq; proinde inutiles, & ideò dicūtur nō ſtare, qui omnes arcus his verſibus cōtinentur.

Fecana, Cageti, Daſenes, Hebare, Gedaco,
Gebali ſtant: ſed non ſtant Febas, Hedas, & Hecas.

Horum carminum, vt prodigioſam percipias ſtructurā, pontiſque tranſitū ſuperes difficillimum, aduerte in qualibet dictione, exceptis tribus vltimis, dari tres literas vocales, quarū vltima ſignificat concluſionē inferendā, vniuerſalē ſcilicet, vel particularem, affirmatiuā, vel negatiuā; ita, vt E, ſignificet vniuerſalem negatiuam. I, particularem affirmatiuam. O, particularem negatiuam. A, vniuerſalem affirmatiuam. Tres vltimæ dictiones, nimirū Febas, Hedas, & Hecas, carent tertia vocali, vt oſtendatur, eſſe inutiles modos, nec poſſe inferre concluſionem. (Explicantur hi verſus.)

2 Aduertendū præterea eſt, priores duas vocales, in qualibet dictione, varias habere ſignificationes, nam per A, ſignificatur prædicatum; & ſimiliter literæ conſonantes prædictorum carminum, diuerſas habent ſignificationes, nā B, ſignificat conſequens prædicati; vt ſe habet gradus ſuperior, reſpectu inferioris. C, ſignificat antecedens prædicati, qualis eſt gradus inferior, reſpectu ſuperioris, vt homo reſpectu animalis, D, ſignificat repugnans prædicati, qualis eſt medius ille terminus, qui nō poteſt de alio verè affirmari, vt lapis reſpectu hominis. Similiter F, ſignificat conſequēs ſubiecti. G, antecedens ſubiecti. H, repugnās ſubiecti. Quæ artificioſa literarum compoſitio, his quaſi verſibus continetur.

Prædicat A; B, ſequitur; C, præit; D, manet extra.
E, ſubit. F, ſequitur. G, præit. H, manet extra.

3 Ex quibus colliges, nouem eſſe modos, quibus medius terminus comparari poteſt cū extremis, ideſt, cū prædicato, & ſubiecto concluſionis inferendæ: nam, aut medius terminus eſt antecedens vtriuſque, nempe prædicati, & ſubiecti, aut conſequēs vtriuſque, aut repugnans vtrique: aut eſt antecedēs prædicati, & conſequens ſubiecti, aut cōſequens prædicati, & antecedens ſubiecti, aut repugnās prædicati, & antecedens ſubiecti: aut repugnans ſubiecti, & antecedens prædicati, aut conſequens prædicati, & repugnans ſubiecti; aut repugnans prædicati, & conſequens ſubiecti. (Per nouē modos cōponitur medius terminus cū extremis.)

4 His animaduerſis, proponēdæ ſunt regulæ neceſſariæ ad inueniendum medium, ſine argumentum accommodatum ad probādam aliquam concluſionē. Prima eſt, ad probandā vniuerſalem affirmatiuam in *Barbara*, quærendus eſt medius terminus, qui ſit cōſequens ſubiecti, & antecedens prædicati, quod docet prima dictio *Fecana*, in qua A, ſignificat vniuerſalem affirmatiuam, quæ probanda eſt: F, ſignificat, medium terminum debere eſſe conſequens ſubiecti. E, verò, ſignificat ſubiectum. C, quod eſt ante A, ſignificat, medium terminum debere eſſe antecedens prædicati, quod prædicatum ſignificatur per A, vt probetur igitur hæc concluſio. *Omnis homo eſt ſubſtantia*, aſſumetur animal, quod eſt conſequēs ſubiecti, nempe hominis, & antecedens prædicati, nempe ſubſtantiæ, & fiat ſyllogiſmus hoc modo: *Omne animal eſt ſubſtantia: omnis homo eſt animal: ergo omnis homo eſt ſubſtantia.* Eādem regula confirmatur particularis affirmatiua in *Darij*. (Proponūtur regulæ ad inueniendum, mediū terminum.)

5 Secunda regula, vt probetur particularis affirmatiua in tertia figura, nimirùm in *Darapti*, vel in *Datiſi*, vel in *Diſamis*, ſumendus eſt medius terminus, qui ſit antecedens prædicati, & ſubiecti, quod denotat dictio, *Cageti*, quarè ad probandam concluſionem hanc, *ergo aliquod animal eſt ſubſtātia*, medium erit homo; ſic, *Omnis homo eſt ſubſtātia, ſed omnis homo eſt animal: ergo aliquod animal eſt ſubſtantia.*

6 Tertia eſt, vt probetur vniuerſalis negatiua in prima figura in *Celarent*, vel in *Ceſare*, debet ſumi medium, quod ſit repugnans prædicati, & conſequens ſubiecti, quod denotat dictio, *Daſenes*, vt igitur concludas, *nullum hominem eſſe lapidem*, medium erit animal, hoc pacto: *nullus lapis eſt animal. omnis homo eſt animal:*

ergo nullus homo eſt lapis: eâdem regula probatur particularis negatiua in *Ferio*, aut *Feſtino*, dummodò minor fiat particularis.

7 Quarta regula, vt probetur particularis negatiua, medium eſſe debet antecedens ſubiecti, & repugnans prædicati, quod denotat dictio, *Gedace*: v. g. ad probandam hanc concluſionem, *aliquod animal non eſt lapis*, in tertia figura in *Felapton*, medium erit homo; ſic, *nullus homo eſt lapis, omnis homo eſt animal: ergo aliquod animal non eſt lapis.*

8 Quinta regula, ad probandam vniuerſalem negatiuam in *Celantes*, & *Cameſtres*, quærẽdum eſt medium repugnans ſubiecti, & conſequens prædicati, quod denotat dictio, *Hebare*: quaré ad probandam hanc, *ergo nullus homo eſt lapis*: medium erit, ſenſus expers: ſic, *nullum ſenſus expers eſt homo, omnis lapis eſt ſenſus expers, ergo nullus homo eſt lapis.*

9 Sexta regula, ad probandam particularem affirmatiuam in prima figura in *Darij*, debet medium eſſe antecedens ſubiecti, & conſequens prædicati, quod denotat dictio, *Gebali*; quarè ad probandum hanc concluſionem, *aliquod viuens eſt homo*, ſumendum eſt animal, hoc pacto, *omne animal eſt viuens, aliquis homo eſt animal, ergo aliquis homo eſt viuens*: atque hoc etiam medium inſeruit ad probandã particularem affirmatiuam indirectè in *Baraliпton*, hoc pacto; *Omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo aliqua ſubſtantia eſt homo.*

10 Atque ita ſuperata præcipua pontis parte, quæ ſex illis veluti arcubus ſuſtinetur, poſteriori, quæ tribus vltimis inutiliter vix ſtabilitur, non bene creditur, quarè ſaltu potiùs tranſmittenda, atque adeò omittenda, ne fortè;

Cum ripa ſimul auulſos ferat Aufidus acer. Horat. li. 1. ſatyr. 1.

Meritò tamen quæris, cur tres vltimi modi dicantur inutiles, ſeu non ſtare? Reſpondeo, quia medius terminus non eſt vtilis ad probandam concluſionem formalem, quod probatur in hoc modo, *Febas*, qui denotat, medium terminum debere eſſe conſequens vtriuſque extremi; ſed ſimile medium inſeruit tantùm ad ſecundam figuram, in qua medius terminus prædicatur de vtroque extremo, atque adeò debet conſtituere duas præmiſſas affirmatiuas: atquì in ſecunda figura nihil cõcluditur vi formæ ex duabus affirmatiuis: ergo neque ex medio termino inuento per, *Febas*.

11 Deinde idem probatur de *Hedas*, quia denotat, medium terminum repugnantem vtriuſque extremo, qui debet conſtituere duas præmiſſas negatiuas, atquì ex duabus negatiuis nihil concluditur vi formæ in aliqua figura, vt patet ex lib. 6. Inſt. Fonſ. cap. 18. ergo neque ex medio inuento per, *Hedas*; idem deniqué probatur de *Hecas*. quia denotat medium, quod ſit repugnans ſubiecti, & antecedens prædicati, quod proinde inſeruit tãtùm ad primam, & tertiam figuram, debetque cõſtituere duas præmiſſas, quarum maior ſit affirmatiua, minor verò negatiua: atquì in prima, & tertia figura nihil concluditur directè ex minori negatiua: ergo neque ex medio inuento per *Hecas*; ſunt igitur hi tres vltimi modi, ſiue Pontis arcus, inutiles, adeoque malé materiati, ac ruinoſi, vt non bene ſupra illos ingenioſa Pontis machina fulciatur. Non deſunt tamen aliqui, qui vadoſum flumen pertimeſcentes, pontẽ ſublicium conſtituant, his tribus arcubus ſuſtentatum, pro quibus: P. Fonſ.

12 Obijcis primó. In prima figura concluditur indirectè ex minori negatiua in *Fapeſmo*, & *Friſeſo*: ergo *Hecas* inſeruiet ad probãdam hanc concluſionem negatiuam indirectè in prima figura, in hunc modum, aſſumendo, ſcilicet, ad probandam hanc concluſionem, aliquod animal non eſt lapis, pro medio hominem; hoc pacto: *Omnis homo eſt animal, nullus lapis eſt homo: ergo aliquod animal non eſt lapis.* Reſpondeo, negãdo conſequentiam, quia concludere indirectè, non eſt ſimpliciter concludere, cum igitur, *Hecas*, tantùm inſeruiat ad concludendum indirectè, ſimpliciter dicitur modus inutilis. Occurritur cõtrarijs argumentis.

13 Obijcis ſecundó. *Gebali*, eſt modus vtilis, & tamen ſolùm indirectè concludit particularem affirmatiuam in prima figura, vt patet ex ſexta regula: ergo etiam *Hecas*, erit vtilis, ſiquidem concludit particularem negatiuam in prima figura. Reſpondeo, negando conſequentiam, *Gebali* enim non reputatur modus vtilis ex eo, quòd concludat indirectè, ſed ex eo, quód inſeruiat etiam ad concludendam directè eandem particularem affirmatiuam in prima figura, vt patet ex ſexta regula: at veró, *Hecas*, cùm tantùm inſeruiat ad concludendum indirectè, ſimpliciter inutilis reputatur. Sed iam ripa ſedeamus vlteriori, ne iterùm difficultatum alluuione intumeſcant vndæ, ſurgant venti, deſæuiat tempeſtas, ac ſtantes arcus diſturbet, violentiorue eluctetur:

— Pontem indignatus Araxes. Virg. Æn. 8.

IN

IN LIBROS POSTERIORVM.

LIBER I.

DISPVTATIO XVII.

De Præmiſsis, antequam concluſio inferatur.

ACcedimus tandẽ ad præcipuã Logicæ partẽ, vbi de Demonſtratione agẽdũ eſt, quæ eſt ſublimior diſſerendi modus, pertinẽſque proinde ad tertiã intellectus noſtri operationẽ. In libris igitur antecedentibus egimus de reſolutione huius demonſtrationis, ſecundùm formam ſpectatæ; nunc verò diſputandum reſtat de eodem ſyllogiſmo, ſecundùm materiam conſiderato, quæ reſolutio, quia poſterior eſt, ideò vocantur libri Poſterioris reſolutionis.

Cur dicantur hi libri de Poſteriori reſolutione.

Cùm verò Ariſtoteles dixerit in hoc libro, omnem noſtrã notitiam fieri ex antecedente cognitione, intelligendum hoc eſt de notitia diſcurſiua, quia alioquin daretur proceſſus in infinitũ, quapropter neceſſariò deueniẽdum eſt ad aliqua prima principia, quæ, nõ ex alijs, ſed per ſe ipſa, cognoſcantur. In hac igitur diſputatione agendum eſt de hac notitia antecedente concluſionem, id eſt, de præmiſſis, quarum aliqua dicuntur prima principia, ad quæ deueniendum neceſſariò eſt, ne detur proceſſus interminabilis: ſed priùs circa hæc principia, quærendum nobis eſt.

SECTIO I.

Vtrùm dentur in nobis habitus primorum principiorum?

Reſolutio eſt affirmatiua.

1 PRima concluſio. Dantur in nobis habitus ad facilitandum intellectũ circa cognitionem primorum principiorum, ac proinde realiter diſtincti ab intellectu. Ita Ariſtoteles, & D. Thom. quos citat, & ſequitur Rub. in Log. tract. 2. de Habitibus, q. 1. n. 11. & 12. Pro eàdem ſtat Collegium Conimbr. in Log. lib. 1. Poſter. q. 1. art. 2. Henr. quodlib. 5. q. 18. Caiet. 1. 2. q. 51. art. 1. atque ibid. Conrad. & 2. 2 q. 47. art. 6. Ferrar. 1. contra Gent. cap. 94. Medi. 1. 2. q. 49 art. 2. fauet Vaſq. 1. 2. q. 21. art. 2. diſp. 79. cap. 2. quatenùs admittit hos habitus, ſed non infuſos; & alij &c. conſentiunt Patres Carmel. in ſuo Curſu, in Logica diſp. 20. q. 1. num. 2.

Ariſtot. D Thom. P. Rub. Curſus Conimbr. Henr. Caiet. Conrad. Ferrar. Medina. P. Vaſq. Patres Carmel.

2 Probatur, quia potentia indifferens ad ſuam operationem indiget aliquo adminiculo, quo iuuetur, vel determinetur: ſed intellectus, etiam circa cognitionem principiorum, eſt potentia indifferens: ergo indiget hoc habitu: ac proinde datur. Maior eſt certa; minor probatur, quia intellectus errare poteſt, & non eſt aliquando ita expeditus; ergo indiget habitu ad vincendam hanc debilitatem. Confirmatur, quia, repetitis actibus circa prima principia, experimur circa illa maiorem facilitatem: ergo ſignum eſt, dari in nobis habitus, à quibus proueniat hæc maior facilitas.

3 Obijcis pro contraria ſententia, quæ, præter ſpecierum intelligibilium congeriem, non agnoſcit alium habitum, quam tenent Nominales, & ſequitur Soncin. 6. Met. q. 9. imò Sotus lib. 1. de Iuſtitia, & Iure. q. 4 art. 2. aſſerit ſufficere naturalem intellectus inclinationem ad veritatem percipiendam. Durand. item in 3. diſt. 33. quæſt. 1. ad finem: talem habitum, tanquàm minus neceſſarium, tollit. Idẽ tenet Arriaga de Anima, d. 9. n. 30.

Nominal. Soncin. Sotus. Durand. Arriaga.

4 Obijcis, inquam. Voluntas nõ indiget habitu, vt feratur in finem, vel in bonum in communi: ergo neque intellectus, vt feratur in veritatem primorum principiorũ. Reſpondeo, negando antecedens, quia fertur volũtas in bonũ quaſi reflexè, id eſt, propter rationem motiuam, vnde ſequitur indigere habitibus,

 quibus

Digitized by Google

quibus facilitetur; imò à fortiori indiget voluntas his habitibus, ſiquidem nō neceſſitatur circa bonum, ſicut intellectus circa verum: ita ſoluunt Patres Conimb. in Log. lib. 1. Poſt. q. 1. art. 4. §. Confirmatio. *Patres Conimbr.*

5 Inſtas. Maior facilitas, quam experimur in intellectu, prouenire poteſt ab ſpeciebus, quæ concurrunt ad apprehenſionem: ergo non ab habitibus. Reſpond. negando antecedens, quia ſæpé termini remiſſiùs apprehendūtur ab homine exercitato, quàm ab eo, qui non eſt exercitatus, & tamen ille priùs, expeditiùſque aſſentitur primo principio, quod ſignum eſt manifeſtum, prouenire hoc nō ab ſpeciebus, ſed ab habitibus.

6 Secunda concluſio. Nullus datur in nobis habitus infuſus primorum principiorū. Ita Ariſtoteles 2. Poſter. cap. vlt. Idem ſatis indicat D. Thom. 1. 2. q. 51. 53 art. 1. & expreſſiùs contra Gent. cap. 78. rat. 1. Ferrar. ibi in comm. eiuſdem capitis. Item Buridan. 6. Ethic. quæſt. 11. eandem ſententiam ex profeſſo defendit Vaſq. 1. 2. ad quæſt. 21. art. 2. diſp. 79. cap. 3. vbi meritò miratur, quòd aliqui diſcipuli D. Thomæ oppoſitam ſententiam Sancto Doctori adſcribant, idem probat Barth. Amicus in Logic. lib. Poſter. tract. 27. diſp. 1. dub. 3. q. 4. vbi citat plures, & ipſe ſequitur a. 2. fauet Soar. in Met. tom. 2. diſp. 44 ſect. 1 n. 4. quatenus infert, non dari in nobis habitus ex neceſſitate ſimpliciter, ſed ad meliùs, & faciliùs operandum, vt communiter docent Auctores, ex qua illatione, ſic licet primò argumentari. *Ariſtot. D. Thom. Ferrar. Buridan. Vaſquez. Barth. Amicus. Soarius.*

7 Natura non cōceſſit nobis, niſi ea, quæ ad eſſendum, & operandum, ſimpliciter ſunt neceſſaria; quæ veró ad meliùs, vel faciliùs operandum requiruntur, propriæ induſtriæ reliquit; ſed habitus primorū principiorū non ſunt ſimpliciter neceſſarij ad operādum: ergo &c. Probatur minor (nā cætera ſunt euidentia) quia aſſenſus principiorū nō excedit virtutem potentiæ intellectiuæ, cū verſetur circa obiectum proportionatum, nēpe circa veritates euidentes: ergo apprehenſis terminis, per ſpecies intelligibiles, poterit intellectus, ſine adminiculo alicuius habitus, producere actū aſſenſus, circa prima principia, quamuis non hoc præſtet cum ea facilitate, quam experitur poſt habitum. Confirmatur, quia habitus practici virtutum non ſunt infuſi: ergo neque habitus ſpeculatiui. Antecedens certiſſimum eſt, & malo ſæpé noſtro eius veritatem, vel inuiti fatemur; &

Quiſque ſuos patimur manes, —— *Virgil. Æn. 6.*

8 Vnde colligitur, improbabilem eſſe ſententiam Caiet. 1. 2. q. 51. art. 1. dub. 1. exiſtimantis, habitus primorū principiorū emanare ab ipſo intellectū, cū primò peruenit ad vſū rationis. Sed contra, quia cùm habitus neceſſarij non ſint ad ſimpliciter operandū, quēadmodùm intellectus per ſe acquirit ſpecies intelligibiles, ita per ſe etiam acquiret habitus: & ideó ſicut ſpecies non emanant ab intellectu, ita nec habitus. *Caiet.*

9 Obijcis deinde pro contraria ſententia aliquorum Recentiorum Thomiſtarum, quos tacito nomine allegat Vaſq. cit. cap. 2. n. 8. qui docent hos habitus eſſe inditos à natura: idem tenent Conrad. 1. 2. q. 94. art. 1. M. Bann. 1 p. q. 1. art. 6. notab. 3. Valent. 1. 2. tom. 2. diſp. 4 q. 3. punc. 1. à §. Tertia aſſertio. & §. Nihilominùs, (vbi non diſtinguit hunc habitum ab ipſo intellectu realiter, ſed tantùm formaliter:) item Medina, & alij qnos citant, & potiùs ſequuntur Patres Carmelit. in Logica diſput. 20. quæſt. 2. numero 16. *Occurritur cōtrariæ ſentētiæ. Vaſquez. Conrad. Bannez. Valentia. Medina. Patres Carmel.*

10 Obijcis, inquam, primò. Omnis noſtra cognitio fit ex antecedente notitia, ne ergo procedamus in infinitum, deueniendum eſt ad aliquam notitiam, non acquiſitam, ſed naturalem, quæ per aliam non acquiratur: ergo ſimiliter in habitibus, deueniendum eſt ad aliquem habitum non acquiſitum, ſed naturalem, & infuſum, ne detur proceſſus in infinitum. Reſpondeo negando conſequentia, quia ſufficit lumen intellectus ad producendum in ſe hunc habitum per ſuos actus, ex eo, quòd non ſit ſimpliciter neceſſarius: imó quemadmodùm actus circa prima principia non eſt infuſus, ſed elicitus, ita & habitus non eſt infuſus, ſed acquiſitus.

11 Obijcis ſecundó. Sicut natura non abundat in ſuperfluis, Ita nō deficit in neceſſarijs: ſed habitus primorum principiorū neceſſarius eſt: ergo &c. Probatur minor, quia in nobis neceſſarius eſt iſte habitus, vt cōſtat ex prima concluſione: ergo &c. Reſpondeo ad minorem, habitus neceſſarios non eſſe ſimpliciter, ſed ſolùm ad melius eſſe, & ideò nobis inditos non eſſe á natura, quæ ſolùm tribuit, quæ ſimpliciter neceſſaria ſunt.

12 Ex quibus colligitur, cognitionē primorum principiorum diſcurſiuam non eſſe per ſe, quamuis per accidens hoc poſſit euenire. Probatur prima pars, quia ratio aſſentiendi principio, nō eſt, niſi penetratio terminorū. Vnde inductio, quæ ſæpe datur in cognitione principiorū, eſt tantùm veluti quædā manuductio, quæ concurrit tantùm diſpoſitiuè ad hanc cognitionē. Probatur ſecunda pars, quia aliquando poteſt acquiri cognitio alicuius principij per diſcurſum, ſi nimirum non cognoſcatur, quā primum principium eſt

Digitized by Google

eſt. Hæc circa principia ſufficiat attigiſſe, quæ inter præmiſſas concluſionum locum habent præſtantiorem. Nunc quærendum reſtat, quid de præmiſſis præcognoſcendum ſit, antequàm concluſio inferatur.

SECTIO II.

Quid præcognoſcendum ſit de Principijs, ſiue de Præmiſſis?

De ſubiecto præcognoſci debet quod poſſit exiſtere.

1 Prima concluſio. Ante ingreſſum demonſtrationis præcognoſcendum eſt de ſubiecto, *quid nominis*, ideſt, quid eius vocabulum ſignificet; & *quod ſit*, ideſt, quòd poſſit exiſtere. Prima pars probatur, quia impoſſibile eſt fieri aliquam demonſtrationem, ignorata ſignificatione vocabuli, quo ſubiectum, de quo paſſio demonſtranda eſt, ſignificatur. Secunda pars cõmunis etiam eſt, illam docent D. Thom. Auerr. Caiet. Albert. Magn. & alij, quos citat, & ſequitur noſter Paulus Vallius tom. 1. ſuæ Logicæ, diſp. 1. Suadetur, quia de re impoſſibili, quæ exiſtere non poteſt, nemo conatur veram paſſionem oſtendere. Cùm autem omnis ſciẽtia ſemper intendat veram aliquam paſſionẽ de ſubiecto concludere, fruſtra laborabitur, niſi cognoſcatur ſubiectum eſſe talis paſſionis capax, atque adeò poſſibile eſſe.

D. Thom. Auerro. Caietan. Alb. Mag. Vallius.

2. Vbi aduertendum eſt primò, neceſſariũ non eſſe præcognoſcere actualem ſubiecti exiſtentiam, quia ſcientia eſt cognitio de rebus perpetuis, & vniuerſalibus; exiſtentia verò actualis contingens eſt, reſpectu cuiuſque entis creati: ergo non poteſt per ſe ad ſcientiam præſupponi; cùm enim ſcientiæ ſint neceſſariæ, ac perpetuæ veritatis, fundari non debent in actuali exiſtentia, ſed in vera eſſentia rei fundari oportet.

3 Aduertendum ſecundò, actualẽ exiſtẽtiã de nullo ente demonſtrari poſſe à priori: non de creato, quia liberè exiſtit; non de increato, quia caret medio à priori: poteſt tamen exiſtentia alicuius entis veri demõſtrari à poſteriori per eius effectus.

4 Quæſtio tamen eſt, vtrùm ſit præcognoſcendum de ſubiecto, *Quid rei* ideſt, Quæ ſit eius eſſentia, ſiue definitio? Cui reſpondẽdum eſt ex D. Th. 1. p. q. 1. art. 7. ad 1. vbi hoc ſupponit: in demonſtratione ſcilicet perfecta propter quid, in qua aliqua paſſio demõſtratur de ſubiecto, nõ ſolùm præcognoſcendum eſt de ſubiecto *quid nominis*, ſed etiam *quid rei*, ideſt, eius eſſentia, & definitio. Probatur, quia talis demonſtratio habet pro medio ipſius ſubiecti definitionem: ergo neceſſariò in ea præcognoſco eſſentiam ſiue definitionẽ ſubiecti, vt v. g. in demonſtratione, in qua volo probare riſibilitatem de homine, medium, quod aſſumo, eſt *animal rationale*, quod eſt definitio ipſius hominis, qui ſubiectum eſt demonſtrationis.

D. Thom.

5 Dixi, *in demonſtratione propter quid perfecta*, nam demonſtratio (quia) cùm non procedat per cauſam proximam, ſed vel per effectus, vel per cauſam remotam, non poteſt cõtinere definitionẽ ſubiecti, & ideò etiã demõſtratio imperfecta hoc non præſtabit, quia ſimiliter poteſt procedere per ſolã partẽ eſſentiæ, vt cũ demonſtratur per materiã, hominẽ eſſe quantũ; & tunc cũ demonſtratio nõ contineat definitionem ſubiecti, non eſt præcognoſcenda eius eſſentia.

6 Hanc doctrinam limitant aliqui ad ſolam illam demonſtrationem, in qua prima paſſio demonſtratur de ſubiecto per propriã definitionem: at verò cùm ſecũda paſſio demonſtratur per primam, tunc quidem aſſerunt, neceſſarium non eſſe præcognoſcere de ſubiecto (quid rei) ideſt, eius eſſentiam, ſi quidẽ demonſtratio non procedit per definitionẽ ſubiecti, vt cernitur in hac demonſtratione, *Omne intellectiuum eſt diſciplinæ capax, omnis homo eſt intellectiuus, ergo omnis homo eſt diſciplinæ capax.* Hæc tamen limitatio mihi non placet, nam etſi in his demonſtrationibus definitio ſubiecti non ſit medium formale, eſt tamẽ mediũ virtuale, neque enim perfectè ſciet minorem illam præmiſſam, qui neſciat eã reſoluere, ac reducere ad primum principium, ſed primum principium, ad quod eſt reducenda, eſt definitio: ergo neceſſarium eſt prænoſcere hanc definitionem: ergo etiam, quando ſecunda paſſio demonſtratur, præcognoſcendũ eſt de ſubiecto, *quid rei*.

Nõ recipitur huius doctrinæ limitatio.

De alijs præcognoſcendis ante demonſtrationem, & concluſionem.

De Paſſione quid ſit præcognoſcendum?

7 Secunda concluſio. De paſſione tam ante demonſtrationem, quàm in ingreſſu demonſtrationis, ſufficit præcognoſcere *quid nominis*, ideſt, quid vocabulum ſignificet: nomine paſſionis intelligitur hîc omne prædicatum, quod per demonſtrationem de ſubiecto cõcluditur. Probatur concluſio, quia paſſionis conuenientia, & poſſibilitas oſtenditur per ipſam demonſtrationem: ergo præmittenda non eſt: ergo ſufficit præcognoſcere vocabuli ſignificationem. Neque prætereà neceſſariũ eſt præcognoſcere de paſſione, *quòd ſit poſſibilis*, ſed ſatis

Digitized by Google

eſt, quòd non cognoſcatur, vt impoſſibilis; ſiquidem eius conuenientia, & poſſibilitas oſtenditur, per demonſtrationem. Imò neque in præmiſſis cognoſcitur, vt paſſio eſt, ſed vt entitas quædam eſt, vt enim cognoſcatur tàquàm paſſio, debet cognoſci in proprio ſubiecto, quod non habet, niſi in concluſione, in qua paſſio prædicatur de ſubiecto.

8 Tertia concluſio. De Principijs antequàm inferatur concluſio, ſciendum eſt, infallibiliter eſſe vera. Probatur, quia concluſio ſcientifica habet infallibilem veritatem: ergo & principia, à quibus cauſatur, debent habere eandem veritatem. Deinde ante demonſtrationem neceſſarió præcognoſcenda ſunt aliqua principia communiſſima, ſaltem implicitè, vt, *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe &c.*

9 Quarta concluſio. De Medio præcognoſcendum eſt id, quod de ſubiecto dictum eſt ab Ariſtotele, ideſt, *quid nominis*, & *quod poſſit exiſtere*. Probatur, quia medium eſt fundamentum paſſionis: ergo præter cognitionẽ vocabuli, debet cognoſci, vt poſſibile, nam ante concluſionem prænoſcenda eſt paſſio inexiſtens in medio, vt poſteà in concluſione inferatur, ineſſe ſubiecto.

10 Quinta concluſio. De Conſequentia, prænoſcendum eſt, quòd ſit bona; eius tamen prænotio non fit per ſolum aſſenſum præmiſſarum. Probatur prima pars, quia vt demonſtratio ſit bona, debet eſſe in bona forma. Probatur ſecũda pars, quia præmiſſæ poſſunt in ſe eſſe veræ, imò & concluſio poteſt eſſe vera, & tamen conſequentia, ideſt, illa forma, & conſtructio propoſitionum, poteſt eſſe mala, & vitioſa, ſi nimirum non colligat vi formæ; ergo prænotio conſequentiæ non fit ſolùm per aſſenſum præmiſſarum; ſed requiritur plerumque peculiaris notitia, vel iudicatiua, vel apprehenſiua, terminata ad ipſam conſequentiam: quamuis in demonſtrationibus maximè euidentibus, & in ingenio perpolito non requiratur notitia realiter diſtincta, ſed ſufficiat notitia aliqua virtualiter diſtincta, ipſum nempe iudicium concluſionis, quod virtualiter eſt quædam approbatio cõſequentiæ.

11 Obſtas. Conſequentia conſtat etiam ex concluſione; ſed concluſio non poteſt eſſe prænotio: ergo bonitas conſequentiæ non eſt prænotio. Probatur minor, quia prænotiones debent eſſe ante concluſionem, & reſpectu illius, dicuntur prænotiones. Reſpondeo negando conſequentiam: ad probationem dicendum eſt, prænotiones eſſe quidem ante concluſionem, bene tamen poſſe in prioritate naturæ cognoſci bonitatem conſequentiæ, ante ipſam concluſionem; quàmuis hoc fiat per eundem actum, vt conſtat ex dictis.

SECTIO III.

Quomodo Præmiſſæ cauſent concluſionem?

1 PRima concluſio: Præmiſſæ indicatiuæ formaliter ſumptæ, pro aſſenſibus illis formaliter in mente exiſtentibus, ſunt cauſæ per ſe efficientes, & proximæ, reſpectu concluſionis, ſiue reſpectu aſſenſus ſcientifici. Ita colligo ex D. Thom. hoc lib. 1. in comm. cap. 1. lect. 3. & ſimiliter ex lib. 1. contra Gent. cap. 57. ratione 4. vbi illum in ſenſu noſtræ concluſionis explicat Ferrar. D. Thomam ſequuntur Patres Conimbr. 1. Poſter. cap. 2. q. 2. art. 2. Pro eàdem ſententia ſtant Gabr. q. 8. Prologi. dub. 2. Sotus hîc q. 1. ad 2. Cardin. Tolet. in hoc loco, in expoſitione primi textus, notabili 3. Rub. lib. 1. Poſter. cap. 1. q. 5. nec diſſentit Serna in ſua Logica diſp. 4. art. 3. item Curſus Thomiſt in Logica q. 24. de præcogn. art. 2. — *Præmiſſæ formaliter ſunt cauſæ efficientes concluſionem.* — *D. Thom.* — *Ferrar.* — *Curſus Conimbr.* — *Gabriel.* — *Sotus.* — *Tolet.* — *Rubius.* — *Serna.* — *Curſus Thomiſt.*

2 Probatur, quia concluſio eſt effectus quidam diſcurſiuus, verus, ac realis; ſed non apparet alia cauſa antecedens, à qua fiat, niſi à præmiſſis formaliter ſumptis: ergo, &c. Hæc efficientia non eſt materialis, qualis in rebus corporeis inuenitur, ſed nobiliſſima, qualis in actibus animæ reperiri poteſt; cùm enim intellectus ſit tantùm cauſa indeterminata, ac remota ad concluſionem producendam, præmiſſas habet tanquàm concauſas proximas concluſionis, quæ, quia in ſe continent virtualiter concluſionem, quemadmodùm ſemen continet fructum, ideó efficiunt ipſam concluſionem; ad eum etiam modum, quo ſpecies quæuis (huius v.g. coloris) effectiuè concurrit cum potentia, ad eliciendam viſionem.

3 Oppoſitum de cauſalitate effectiua præmiſſarum formalium erga concluſionem ſentit Hurt. de Anima. diſp. 7. ſect. 8. quamuis concedat cauſalitatem formalem, poſſet pro ſe adducere Durand. in 2. diſt. 24. q. 2. ad 4. quatenus docet, vnum actum intellectus non poſſe alium cauſare, ex falſo tamen principio; exiſtimat enim, non poſſe intellectum ſimul habere duos actus, atque adeò non poſſe vnũ efficienter alium cauſare, quod tamen falſum eſt; cum enim demonſtratio tota intellectui offeratur per modum vnius, nullum eſt incõueniens, neque contra limitatam eius virtutẽ, quòd — *Hurtad.* — *Durand.*

Digitized by Google

quòd poſſit intellectus ſimul habere plures actus per modum vnius, imò, & per modum plurium, vt probat Mol. 1.p q.58. art. 2.diſp. 1. & Vaſq. 1.p. ad q.58.diſp. 220.cap 2. nu. 15. exemplo ſenſus: nam viſus ſimul percipit album, & nigrum, & hos caracteres nigros, & papyrum albam, quorum non poteſt eſſe eadem ſpecies viſiua, aut idem actus videndi: ergo hoc non eſt intellectui denegandum: ſunt autem præmiſſæ cauſæ æquiuocæ principales, vt mox patebit.

Molina. *Vaſquez.*

4 Aduertendum verò eſt, præmiſſas tantùm apprehenſas concurrere ſolùm remotè ad concluſionem, ſiquidem tales apprehenſiones ſolùm ad iudicium præmiſſarum proximè concurrunt: neque obſtat, quòd ſufficiat recordatio præmiſſarum, vt intellectus aſſentiatur concluſioni, talis enim recordatio virtutem habet iudicij, cùm non ſit ſimplex quæuis apprehenſio, ſed recordatio quædam iudicij, atque adeò vires habet, & efficaciam iudicij.

Vtrùm præmiſſæ concurrant in genere cauſæ formalis?

Præmiſſæ obiectiuæ concurrũt in genere cauſæ formalis.

Hurtad.

5 SEcunda concluſio. Præmiſſæ obiectiuæ, ideſt, obiecta præmiſſarum formalium, ſunt cauſæ formales externæ concluſionis. Pro hac etiam concluſione pugnant Autores allegati in ſuperiori concluſione, & in hac parte pro nobis ſtat Hurtad. in Log. diſp. 11. de Demonſtratione.ſect.10. Probatur concluſio, quia cauſa formalis externa eſt illa, propter quàm potentia fertur in aliud, (coincidit enim cũ obiecto formali) atqui non propter præmiſſas formales, ſed propter præmiſſas obiectiuas aſſentitur intellectus concluſioni: ergo præmiſſæ obiectiuè ſumptæ ſunt cauſæ formales externæ concluſionis. Probatur minor, quia præmiſſæ formales ſunt actus quidam intellectus, qui ſolùm dant efficientiam, non verò obiectiuam virtutem, hæc enim dependet ab obiecto; & declaratur, quia quando quis infert hanc concluſionem, *ergo homo eſt riſibilis*, non attendit ad aliquem actum intellectus, ſed ad ipſum animal rationale repræſentatum in intellectu: ergo &c.

6 Aduertendum tamen eſt, præmiſſas debere continere in ſe cauſam proximam, & immediatam concluſionis, quando demonſtratio perfecta eſt, eſt autem cauſa proxima illa, inter quam, & effectum nulla alia interiacet, vt ſe habet diſcurſiuum in homine, reſpectu admiratiui, ſuppoſito quòd paſſiones emanent in homine ordinatim, ideſt, vna poſt aliam. Cauſa verò immediata eſt illa, quæ non habet medium, ideſt, quæ non habet aliquam cauſam priorem, per quam demonſtretur, vt ſe habent prima principia, quæ ſunt cauſæ ſimpliciter immediatæ. ſuntque proinde propoſitiones per ſe notæ ex ſuis terminis, ad quas tandem neceſſariò deueniendum eſt; paſſiones verò ſubiecti ſunt cauſæ mediatæ, quia habent aliam cauſam priorem, v. g. riſibilitas eſt cauſa mediata alterius paſſionis, ſiquidem habet pro medio, *animal rationale*.

7 Ad veram igitur demonſtrationem requiritur, vt cauſa ſit proxima, & immediata, non tamen requiritur, vt cauſa ſit ſimpliciter immediata, vt ſunt prima principia, ſed ſufficit, quòd ſit immediata in ſuo genere, vt v.g. reſpectu riſibilis, *animal rationale*, quod in genere metaphyſico nõ habet aliud medium; neque item requiritur, vt eademmet cauſa proxima ſit, & immediata, ſed ſufficit, vt detur duplex cauſa, vna proxima, alia immediata. Hæc meliùs conſtabũt ex definitione Demonſtrationis, ac ex definitione ſciētiæ, quæ ſit per cauſam.

Quæ cauſæ requiritur ad veră demonſtrationẽ.

SECTIO IIII.

Vtrùm Præmiſſæ ſint veriores, quam concluſio?

1 PRima concluſio. Præmiſſæ formaliter ſumptæ pro adæquatione cognitionis cum obiecto, non ſunt veriores, neque certiores, quam concluſio. Hæc aſſertio neceſſariò eſt de mente illorum omnium autorum, qui dicunt, veritatem conſiſtere in indiuiſibili; cùm igitur præmiſſæ formales ſint aſſenſus, ſiue conceptus intellectus, quorum veritas conſiſtit in adæquatione cum obiecto, ſiue cùm re cognita, vt explicauimus in lib. Periherm. diſp. 9. ſect. 2. n. 2. & cùm hæc veritas conſiſtat in indiuiſibili, euidenter ſequitur, in hac veritate non dari magis, ac minùs inter propoſitiones, ſiue ſint præmiſſæ, ſiue ſint concluſiones; neque obſtat, quòd falſitas poſſit eſſe maior, aut minor; nam veritas eſt veluti punctum in circunferentia, quod ſolùm attingitur in indiuiſibili, falſitas verò eſt receſſus ab hoc puncto, qui poteſt eſſe multiplex.

In quo ſenſu præmiſſæ nõ ſint veriores, quam concluſio.

2 Secunda concluſio. Præmiſſæ obiectiuè ſumptæ, ideſt, pro obiecto ipſo, & fundamento præmiſſarum formalium, ſunt notiores, euidentiores, certiores, nobilioreſque, quàm concluſio. Hæc eſt expreſſa Ariſtotelis ſententia in hoc lib. 1. cap. 2. tex. 4. quod probat

Digitized by Google

probat communi illo proloquio, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: quod effatum in noſtrum ſenſum explicat D. Thom. 1. p. q. 87. art. 2. ad 3. & hanc ſententiam communiter interpretes ſequuntur, quorum inſtar ſit P. Vallius in Log. tom. 2. lib. 1. diſp. 2. q. 5. á cap. 3. D Thom. Vallius.

Declaratur quo pacto Præmiſſæ ſint nobiliores concluſione.

3 Probatur concluſio, & declaratur, quia quemadmodùm datur vna cauſa nobilior alia, & vnum obiectum alio nobilius, ita etiam datur vna propoſitio, quæ rei certitudine ſit nobilior, quàm altera, non gradualiter, ſed geometricè, vt loquuntur Logici, id eſt, ſecùdùm eſſentiam; explicatur exemplo: nam qualitates intenſibiles, ſi habent octo gradus, omnes ſummæ ſunt, & tamen inter ipſas qualitates, illæ quæ ſupernaturales ſunt, nobiliores ſunt eſſentialiter; & ſimiliter hæc propoſitio, *Deus eſt*, eſt nobilior, quàm hæc, *Socrates eſt*, non in graduali certitudine, ſed in obiectiua, & geometrica: cùm igitur concluſio ſit euidens, & certa, propter præmiſſas, neceſſe eſt, quòd præmiſſæ euidentiores ſint, & certiores. Præcipuè quia præmiſſæ ſunt propoſitiones diuerſæ ſpeciei á concluſione, ſpecies autem ſunt veluti numeri, qui neceſſariò ſe debent excedere in nobilitate: & potior datur ratio, vt præmiſſæ excedant concluſionem; ſiquidem ſunt cauſæ ipſius concluſionis.

4 Deinde quòad euidentiam probatur, quia præmiſſæ propinquiores ſunt lumini intellectuali: ergo ſunt euidentiores. Probatur conſequentia, quia euidentia eſt manifeſtatio veritatis, cùm autem præmiſſæ manifeſtiores ſint, manent euidentiores, quod non contingit concluſioni, hæc enim remotior eſt ab intellectu, ſiquidem fit mediantibus præmiſſis: & eadem ratio militat in certitudine, quæ cauſatur ab euidentia. Item idem ſequitur in veritate, quæ cauſatur à certitudine, & ab infallibilitate. Ex qua doctrina ſequitur, inter ipſas præmiſſas vnam poſſe eſſe alterâ nobiliorem, nam prima principia immediata, cùm magis ſint intellectus propinqua, abſolutè nobiliora, certiora, & veriora ſunt, quàm præmiſſæ illæ, quæ à primis principijs ortum habent, & propterea magis recedunt à lumine intellectuali.

Soluuntur argumenta contra prædictam doctrinam,

5 Obijcis primò. Si præmiſſæ certiores eſſent, quàm concluſio, maximè id foret propter effatum Ariſtotelis, *Propterquod vnumquodque tale, & illud magis*, ſed hoc argumentum eſt infirmum: ergo &c. Probatur minor, nam Petrus homo eſt propter Paulum parentem; & tamen Paulus non eſt magis, aut perfectior homo; & ſimiliter paries eſt albus propter albedinem; & tamen albedo non eſt magis alba: homo eſt corruptibilis propter materiam, & tamen materia non eſt magis corruptibilis. Reſpondeo ex mente D. Thom. 1. p. q. 87. art. 2. ad 3. pronuntiatum illud verum eſſe, ſi ſolùm extendatur ad cauſas efficientes æquiuocas principales, capaces eiuſdem formæ, & in quibus forma ipſa multiplicetur; quæ omnes conditiones reperiuntur in Sole v. g. reſpectu lucis, cuius Sol eſt cauſa efficiēs æquiuoca principalis, capaxque eiuſdem denominationis cum luce, in quibus multiplicatur eadem forma; & hoc pacto ſe habent præmiſſæ, reſpectu concluſionis. D. Thom.

6 Quarè cùm homo non ſit cauſa æquiuoca alterius hominis, mirum non eſt, ſi pronuntiatum ibi non valeat in adducto exemplo. Similiter quia albedo non eſt alba, nec materia eſt corruptibilis, ſed pars compoſitī corruptibilis, ideò in prædictis exemplis deficit Ariſtotelis effatum; & quia diſcurſiuum hominis, & animalis rationalis eſt idem omnino, & non multiplicatur, ideò hęc non valet, *Homo eſt diſcurſiuus, propter animal rationale; ergo animal rationale eſt magis diſcurſiuum.*

7 Obijcis ſecundò. Si ſemper vtraque præmiſſa certior ſit, continget aliquando, cōcluſionem carere omni prorſus certitudine. Probatur ſequela, quia vbi multæ ſunt concluſiones ex principijs deductæ quædam poſt alias, ſemper certitudo diminuitur in poſterioribus: ergo in poſtrema concluſione tandem exhaurietur, ac demum concluſio non erit ſcientifica, ſi non ſit certa: ergo repugnat, certitudinem minorem eſſe in ſingulis. Reſpondeo negando ſequelam, quia illa minor certitudo non eſt arithmetica, & gradualis, neque fit per detractionem partium, vel graduum, ſed eſt ſecundùm eſſentiam, & per defectum in naturæ ſpecifica, quæ quamuis in ſua perfectione diſtet ab alia infinitè, ſemper tamen habet ſuam perfectionē, ſicut creatura quæuis, quæ quamuis á perfectione diuina diſtet infinitè, tamen ſuam vendicat aliqualem perfectionem.

8 Obijcis tertiò. Præmiſſæ ſunt cauſæ naturales, reſpectu concluſionis: ergo debent communicare omnem ſuam perfectionem, & conſequenter non ſunt nobiliores. Reſpondeo, conſequentiam veram eſſe in cauſis vniuocis, quæ dicuntur illæ, quæ producunt effectum eiuſdem ſpeciei, vt ignis producens ignem;

Digitized by Google

ignem; eſſe tamen falſam in cauſis æquiuocis, quæ producunt effectum diuerſæ ſpeciei, vt Sol, qui producit calorem, non verò alium Solem; & ita ſe habent præmiſſæ. Vt tamen cauſa hæc æquiuoca nobilior ſit, debet eſſe cauſa per ſe, qualis non eſt Sol reſpectu muris, quem producit ſolùm, vt cauſa diſpoſitiua. cauſa enim principalis æquiuoca eſt Deus. Et quamuis præmiſſæ dependeant ab intellectu, qui conſtruit formam illam ſyllogiſticam, nihilominùs non habent ab intellectu virtutem cauſandi concluſionem, ſed ab obiecto, licet tam intellectus, quàm præmiſſæ ſint duæ concauſæ concluſionis.

9 Obijcis quartò. Species intelligibilis eſt cauſa æquiuoca principalis habens ſe ex parte obiecti, erga productionem conceptus, & tamen eſt ignobilior conceptu, vt patet: ergo quamuis præmiſſæ ſint cauſæ æquiuocæ principales, habentes ſe ex parte obiecti, erũt ignobiliores concluſione. Reſpondeo primò, negando minorem; quia poteſt aliquo modo ſpecies dici nobilior conceptu, ſiquidẽ cauſat conceptum, & eſt illo diuturnior. Reſpondeo, negando maiorem; quia vt aliquid ſit cauſa æquiuoca principalis, debet eſſe cauſa per ſe ſui effectus, ſpecies autem non eſt cauſa eſſentialis conceptus, ſiquidem aliquãdo datur conceptus ſine ſpecie propria, vt cùm ex conceptu hominis deducitur conceptus rationalis; & prætereà Beati habent ſpeciem expreſſam, ſiue conceptum, circa viſionem beatam, & de facto non habent ſpeciem impreſſam, vt dicam in Met. lib. 1. diſp. 49. ſect. 2. n. 6. & eſt communis ſententia cum Thomiſtis.

10 Obijcis quintò. Obiectum concluſionis poteſt eſſe nobilius obiecto præmiſſarum, vt quando in concluſione demonſtrata eſt cauſa per effectum, qui ſit in præmiſſis: ergo tunc præmiſſæ non erunt nobiliores. Probatur conſequẽtia, quia (præterquàm quòd hæc maior, vel minor nobilitas deſumenda ſit ex obiecto,) cauſa ſemper eſt nobilior ſuo effectu. Reſpondeo ad antecedens, in eo caſu tale obiectum ſolùm materialiter eſſe nobilius, ſumptum verò, pro vt continetur in concluſione, eſſe ignobilius, quia ſolùm participat eam certitudinem, & euidentiam, quam effectus, qui eſt in præmiſſis, illi communicat: ac proinde effectus, pro vt eſt in præmiſſis, euidentior, & certior eſt, quia, pro vt ſic, eſt cauſa concluſionis. Vnde illa concluſio proueniens ex vna de fide, & altera theologica, licet alioquin ſit de fide, tamen ex vi conſequutionis non habet certitudinem de fide, quia ſequitur deteriorem partem.

SECTIO V.

Vtrùm, cognitis præmiſsis, neceſsitetur intellectus ad aſſentiendum concluſioni?

1 PRima concluſio. In eodẽ inſtãti, in quo intellectus aſſentitur præmiſſis, aſſẽtitur etiã cõcluſioni, niſi adſit aliquod impedimẽtũ. Hæc eſt expreſſa Ariſtotelis ſententia in hoc lib. c. 1. (quatenus aſſerit; minorem cognoſci ſimul cum concluſione) & communis omnium interpretum, pro qua videri poterit noſter Bartholomæus Amicus in ſuâ Philoſoph. tom. 1. p. 2. tract. 26. diſp. 3. dubitat. 2. Probatur, quia, poſita cauſa naturali integra; & non impedita; ſtatim ſequitur effectus: ſed intellectus, cùm præmiſſis iudicatis, eſt cauſa naturalis, & integra, reſpectu concluſionis: ergo in eodem inſtanti ſequitur concluſio, quamuis aliunde cognitio minoris ſit prior naturâ, quàm concluſio: hæc enim continetur virtualiter in præmiſſis, ſicut arbor in ſemine. Quod quidẽ intelligendum eſt, ſublatis impedimentis, fieri enim poteſt, vt iudicata maiori, & minori, diſtrahatur intellectus ob vehementem aliquã cogitationem. *In eodem inſtãti datur aſſẽſus præmiſſarũ, & concluſionis.* *Amicus.*

2 Vbi aduertendum eſt, poſſe intellectũ noſtrum ſimul percipere maiorem, minorem, & concluſionem, & vniuerſaliter loquendo; percipere poſſe plura per modum plurium; quod docetur à Mol. 1. p. q. 58. art. 2. diſp. 1. Idem ſentit Soar. de Anima lib. 3. cap. 7 à nu. 4. & probatur à Vaſq. 1. p. ad q. 57. diſp. 210. cap. 2. n. 15. exemplo ſenſus nam viſus, vt experientia teſtatur, ſimul percipit album, & nigrum, vt hos caracteres, & papyrum albam, quorum non poteſt eſſe eadem viſiua ſpecies; aut idem formalis actus videndi: ergo à fortiori non eſt hoc intellectui denegandum: præcipuè cùm obiectum demõſtrationis percipi poſſit per modum vnius, quæ autem modum vnius habent, pro vno reputantur, dum ſub tali ordine accipiuntur. Quòd ſi fortè dentur plures cogitationes antecedenter in intellectu, aſſentietur tamen intellectus concluſioni, remiſſa aliquantulùm attentione, circa alios actus, iuxta vulgatum illud, *Molina.* *Soarius.* *P. Vaſq.*

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

3 Secunda concluſio. Intellectus cognitis præmiſſis, neceſſitatur quoàd ſpeciem ad aſſentiendum concluſioni; hoc eſt, ſi actum aliquem debeat elicere, erit quidem aſſenſus, & non *Hæc. neceſſitas eſt quoàd ſpeciem.*

Digitized by Google

& non diſſenſus, atque adeò non poterit in contrarium trahi à voluntate. Hæc concluſio, licet apud antiquos auctores non agitetur; traditur nihilominùs inter modernos; & probatur, quia concluſio continetur virtualiter in præmiſſis euidenter notis, ex quibus etiam ſequitur euidenter: ergo qui euidenter agnouerit præmiſſas, ſi aduertat ad concluſionem, neceſſe eſt, vt euidenter videat eam neceſſariò prouenire à præmiſſis: atque adeò neceſſariò, cognitis præmiſſis, aſſentitur concluſioni, cùm enim concluſio contineatur virtualiter in præmiſſis iam conceſſis, ſi negaretur concluſio, inferretur iudicium contradicens aſſentioni præmiſſarum. Et confirmatur, quia intellectus non poteſt diſſentire manifeſtæ veritati, ſicut voluntas non poteſt odiſſe bonum; & ſicut hæc non poteſt nolle bonum, vt ſic: ita non poteſt facere, vt intellectus reprobet verum, vt ſic: quia non eſt potentior erga alias potentias, quam circa ſe ipſam: ergo &c.

Vtrùm hæc neceſsitas ſit etiam quòad exercitium?

Nõ neceſſitatur quòad exercitiũ.

4 TErtia concluſio. Poſitis præmiſſarum aſſenſibus, non neceſſitatur intellectus quòad exercitium aſſenſus, ſed poteſt impediri à voluntate. Hæc videtur expreſſa ſententia D. Thom. 1. 2. q. 17. art. 6. in corpore, quatenus docet, actus rationis quòad exercitium imperari ſemper poſſe à voluntate. Eandem noſtram concluſionem in terminis tuentur M. Petrus de Onha in hoc loco, q. vnica art. 2. §. Iam dico. & Rodenſis in Log. lib. 1. Poſter. cap. 1. q. 8. à num. 93. Neque oppoſitum ſentiunt Caiet. Soncin. Scot. & Fonſ. quos laudant Patres Conimbr. infra citandi; ſolùm enim intendunt probare, intellectum, iudicatis præmiſſis, neceſſariò ferri in concluſionem, quod verum eſt de neceſsitate quòad ſpeciem. Pro me etiam ſtat Murſia in Log. lib. Periherm. diſp. 3. quæſt. vlt. §. Sed iam.

D.Thom. Onha. Rodenſ. Caietan. Soncin. Scotus. Fonſeca. Curſus Conimbr. Murſia.

5 Probatur concluſio. Voluntas in hac vita libera eſt quòad exercitium, circa quodius bonum creatum: ſed quodcumque obiectum verum, circa quod verſatur intellectus, & quæuis operatio ipſius intellectus, eſt quoddam bonum, reſpectu voluntatis, ergo ſicut voluntas circa tale obiectum non neceſſitatur, ſed poteſt illud velle, aut non velle; ita poterit mouere, aut non mouere intellectũ ad operãdum circa exercitium talis obiecti. Et declaratur, quia ſicut bonum quoduis creatum non neceſsitat voluntatem quòad exercitium actus, ſic nec obiectum verum ita mouet intellectum, quin à voluntate poſſit aliò applicari, alioquin neceſsitaretur voluntas ad non impediendum intellectus aſſẽſum, quod non eſt dicendum.

6 Probatur ſecundò, quia intellectus nõ eſt potentia omnino determinata ad verum, ſed eſt indifferens (ſiquidem etiam circa prima principia notiſsima capax eſt habituum, vt dixi in hac diſp. ſect. 1. qui tamen habitus non dantur, niſi in potentia indifferente, vt oſtendo in Met. diſp. 70. ſect. 1. num. 5.) ergo aſſenſus intellectus neceſſarij non ſunt quòad exercitium (quamuis tales ſint quòad ſpeciem) ſed liberi, alioquin ſi intellectus ita foret determinatus, circa veritatem cognitã, ſicut oculus eſt determinatus ad videndum, poſito obiecto ſine impedimento, nullum omnino acquireret habitum, ſicut nec oculus acquirit; cum igitur capax ſit habituum, ſignum eſt, quòd ſit indifferens, atque adeò quòd poſsit regi à voluntate, etiam in caſu propoſito.

Reſpondetur argumentis oppoſitæ ſententiæ.

7 OBijcies tamen pro contraria ſententia, quæ docet, poſitis præmiſſarum aſſenſibus, ita neceſsitari intellectum quòad exercitium, vt impediri non poſsit à voluntate. Quam videtur tradere Durand. in 2. diſt. 25. quæſt. 4. num. 7. quatenus expreſſè docet, repugnante voluntate, trahi intellectum ad aſſenſum concluſionis: eandem ſententiam tuentur Patres Conimbric. in Log. lib. 1. Poſter. c. 1. q. 4. a. 4. à §. Secunda concluſio; quatenus docent, in tali caſu non poſſe intellectum impediri directè à voluntate; & pro ſe allegãt D.Thom. Scot. Caietan. & alios, qui tamen (vt dixi) non loquuntur expreſsè in hoc ſenſu. Eandem opinionem leuiter attigit P. Hurtad. in Logica diſp. 11. ſect. 11. noſque inde remittit ad diſput. 7. de Anima. ſect. 9. vbi ait, ſe probare quo pacto neceſsitetur intellectus, etiam quòad exercitium circa concluſionem. Fateor tamen me quæſiuiſſe curioſè citatum locum, fruſtra tamen; neque enim ibi quæſtionem illam ſalutauit: fortaſſe, quia in ſecunda editione, nuper ſecundis curis, vigilanter excuſſa, oppignoratam fidem liberauerit. Verùm ego à ſimili quæſito abſtinui, ne iterum in caſſum quæritando defatigarer: eandem verò ſententiam expreſſè tradit Curſus Thomiſt. in Logica, q. 24. de præcognitis. art

Durand. Patres Conimbr. D.Thom. Scotus. Caietan. P.Hurt. Curſus Thomiſt.

Digitized by Google

Curſus Carmel. art. 3. § Sit nihilominùs. Item Curſus Patrum Carmel. diſp. 17. q. 4. n. 40.

8 Obijcis, inquam, primò. Vel voluntas impedire poſſet intellectum directè, vel indirectè: de hoc ſecundo non eſt quæſtio (nullus enim dubitat, poſſe à voluntate aliò diuerti intellectum, ita vt, conceſſis præmiſſis, non attendat ad concluſionem, ſi nimirum intellectus multis alijs cogitationibus obruatur.) primum fieri non poteſt: ergo &c. Probatur hæc pars minoris, quia vel hoc præſtaret per ſubtractionem concurſus phyſici, vel per morale imperium: neutro modo: ergo &c. non primum, quia voluntas non concurrit phyſicè cum alijs potentijs, vt patet in oculo, quem non poteſt phyſicè impedire à ſuis operationibus: non ſecundum, quia non ſufficit naturalis ſympathia ad hoc; vt voluntas diuertat intellectum ab aliqua vehementi apprehenſione in ſenſu, vel vt appetitus ab aliqua efficaci paſſione retrahatur, per ſolum imperium voluntatis.

Quo pacto voluntas poſſit impedire intellectũ

9 Ad hoc argumentum fatemur quidem non poſſe voluntatem phyſicè impedire concurſum intellectui, (vt apud omnes in propatulo eſt;) neque præterea illum impedire poſſe, per ſolum imperium morale, in caſu, in quo dentur cætera requiſita, nam in hoc gemellum eſt exemplum de oculo aperto: atque in hoc quidem placidè fœdus ineo cum Conimbricenſibus: dico tamẽ, abſolutè dici poſſe, & ſine vlla limitatione, quòd poſſit volũtas impedire intellectum, vt aſſentiatur concluſioni, propter rationẽ factam à me: quod maximè iuuatur naturali illa ſympathia potentiarum in eádem anima, qua poteſt voluntas applicare intellectum ad alia obiecta: quamquàm enim vehemens ſit aliquando intellectus cogitatio, nihilominùs bene poteſt volũtas, pro imperio ſuo, nonnunquàm inijcere intellectui obiectum aliquod, circa quod, aliquandiu ſaltem, intellectus detineatur: ergo ſimiliter. &c.

10 Obſtas. Talis modus impediendi intellectum, eſt indirectus, quem non negant aduerſarij: ergo ſolutio nulla eſt. Reſpondeo, talem modum impediendi perperam dici indirectum, neque enim minus directum imperium exercet in ſeruum ſuum dominus ille, qui ſeruo negotium aliquod committit, vel qui ſeruum à negotio aliquo diuertit: cũ igitur voluntas poſſit hoc modo intellectui imperare, vt fatentur aduerſarij, poteſt ſimpliciter dici, quòd directè impedire poſſit intellectum, ne aſſentiat concluſioni.

11 Obijcis ſecundò. Potentia naturalis non poteſt non operari, circa ſuum obiectum, ſufficienter propoſitum, vt cernitur in oculo; ſed intellectus, circa veritatem manifeſtam, ita ſe habet: ergo &c. Reſpondeo, maiorem verã eſſe de potentia naturali, & omnino determinata ad vnum, qualis eſt potentia nutritiua, vel oculus, &c. eſſe tamen falſam circa potentias, quæ habent aliquam indifferentiam ad operandum; nam ſimiles potentiæ determinantur à voluntate, tanquàm à potentia vniuerſali, quæ verſatur circa bonum, huiuſmodi potentiæ ſunt intellectus, & appetitus ſenſitiuus, qui proinde imperio voluntatis, quãuis inuitè, & reluctanter, ſubiectantur: atque adeò, quantùm ad exercitium actus, applicari ab ea poſſunt, & quò voluerit, moueri, & remoueri: niſi fortè bonum illud ſit infinitum, nam tunc tam intellectus, quàm voluntas omnino ad exercitium neceſſitantur.

12 Obijcis tertiò. Poſita efficaci volitione finis, non poteſt voluntas non velle mediũ omnino ad illum neceſſarium, vt eſt communis ſententia, & oſtendo in Metaph. lib. 9. diſp. 67. ſect. 3. ergo; ſimiliter poſitis præmiſſarum aſſenſibus, neceſſariò intellectus fertur in concluſionem. Reſpondeo, negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia medium illud cõducit ad aſſequutionem finis, & ideò ſuppoſito quód finis efficaciter intendatur, neceſſariò eligendum eſt medium: at verò aſſenſus concluſionis, etiam poſitis præmiſſis, nullo modo ad conſequutionem alicuius ordinatur, ſed ſolùm ſequitur concluſio, ratione conſequentiæ, ex eo quód virtualiter contineatur in præmiſſis, quod non tollit quominùs, quòad exercitium actus, ſubiaceat imperio voluntatis, vt probatum manet.

13 Obijcis quartò. Voluntas non poteſt non velle obiectum, in quo nulla appareat malitia: ergo neque intellectus poteſt non aſſentiri obiecto, in quo nulla apparet falſitas. Reſpondeo, antecedens verum eſſe de obiecto infinitè bono, nam circa quoduis bonũ creatum manet voluntas libera quóad exercitium actus. & ideó quamuis non poſſit odio habere illud obiectum creatum, quod apparet ex omni parte bonum; poteſt tamen circa illud ſuum actum ſuſpendere. Vnde conſequentia nihil colligit, cùm enim bonum illius concluſionis particulare ſit, & creatum, circa illud liberé imperare poteſt voluntas intellectui.

Digitized by Google

DISPVTATIO XVIII.

De Demonſtratione, ac de Scientia.

POſtquàm de præmiſſis agitatū eſt, ordo ipſe doctrinæ poſtulat, vt de Demonſtratione diſputemus, cuius ipſæ præmiſſæ ſunt partes componentes; ſed quia demonſtratio eſt ſcientia particularis, ſaltem ſecundùm concluſionem, ideò de Scientia ſimul quæſtiones aliquot ſunt ventilandæ. In prima ergo ſectione examinandæ ſunt demonſtrationis definitiones, quarum prima, hæc eſt. Demonſtratio *eſt ſyllogiſmus efficiens ſcire*. Secunda ſic etiam proponitur ab Ariſtotele. cap. 2. Demonſtratio, *eſt ſyllogiſmus conſtans ex veris, primis, & immediatis, prioribus, notioribus, cauſiſq; concluſionis*.

SECTIO I.

Quid ſit, & qualis ſit Demonſtratio?

Demõſtratio cõprehendit præmiſſas & cõcluſionem. *Ariſtot.*

1 PRima concluſio. Demonſtratio, ſi adæquatè ſumatur, dicit de formali non ſolas præmiſſas, ſed etiam concluſionem. Hæc concluſio, neceſſariò eſt de mente Ariſtotelis, qui demonſtrationē definit non minùs per præmiſſas, quàm per concluſionem; & probatur, quia quamuis eſſentia diſtinctiua hominis potiùs ſit *rationale*, quàm *animal*, nihilominùs eſſentia hominis adæquata in vtroque conſiſtit: ergo ſimiliter, quamuis demonſtrationis ratio diſtinctiua conſtituenda videatur in ſola concluſione, vt videbimus, nihilominùs ratio adæquata vtrumque continet, quia tam ex præmiſſis, quàm ex concluſione componitur demonſtratio, ſiquidem vtrumque in definitione exprimitur.

Patres Conimbr. *Vallius*

2 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet, ſyllogiſmum in ſolis præmiſſis formaliter conſiſtere, quam videntur ſequi Conimbricenſes lib. 1. Poſter. cap. 2. q. 1. quatenus docent, ſyllogiſmum, hoc eſt, præmiſſas, efficere ſcientiam, id eſt, concluſionem. Eandem tenet Paulus Vallius in ſua Logica tom 2. q. 2. cap 4. & 5. quatenus tuetur, ſyllogiſmum, prout eſt inſtrumentum ſciendi, ſolas præmiſſas comprehendere, atque adeò ſyllogiſmum, abſolutè loquendo, ſolas præmiſſas dicere de formali.

3 Obijcis, inquam, primò Concluſio eſt effectus ſyllogiſmi: ergo non pertinet ad ipſum ſyllogiſmum. Antecedens declaratur, quia Ariſtoteles dixit, Demonſtrationem eſſe ſyllogiſmum efficientem ſcire, hæc autem ſcientia eſt concluſio: ſed nihil cauſat ſe ipſum: ergo ſolæ præmiſſæ, quæ efficiunt concluſionem, componunt ſyllogiſmum, ſiue demonſtrationem. Reſpondeo tamen, repugnare, idem cauſare ſe ipſum, ſecundùm omnem ſui partem, poſſe tamen aliquid, ſecundùm aliquam ſui partem, cauſare aliam partem, ſicut natura ſubſtantialis cauſat ſuam ſubſiſtētiam: atque hoc pacto poteſt demonſtratio, ſecundùm præmiſſas, cauſare concluſionem, quæ concluſio dicitur ſcientia particularis: præterquamquòd dubium non ſit, totam demonſtrationem adæquatè ſumptam cauſare ſcientiam totalem: ex quibus conſtat, quid dicendum ſit ad argumentum.

4 Obijcis ſecundò pro alia contraria ſententia, quæ docet, demonſtrationem formaliter conſiſtere in ſola concluſione, quamuis præmiſſas dicat de materiali. Hanc tuetur Serna in Log. diſp. 4. ſect. 1. q. 1. art. 4. à §. Semper tamen: vbi ad marginē citat aliquos non magni nominis Auctores. Obijcis, inquam, ſecundò. Syllogiſmus eſt formaliter, & conuertibiliter tertia intellectus operatio: ſed tertia operatio eſt ſola concluſio, prout diſtinguitur á præmiſſis: ergo ſola concluſio eſt ſyllogiſmus. Maior videtur vera, & probatur auctoritate D. Thomæ Opuſc. 8. tract. de Syllogiſmo, cap. 1. & alibi ſæpe, qui tertiam intellectus operationem appellat ratiocinationem: minor autem inde conſtat, quia actus antecedentis, ſiue præmiſſarum, pertinent ad ſecundam intellectus operationē, nihil enim aliud ſunt, quàm vna, vel duplex enuntiatio, vel vnum, aut duplex iudicium: ergo ſyllogiſmus eſt tertia operatio.

Serna. *D. Thom.*

Tertia operatio diſtinguitur à diſcurſu.

5 Reſpondetur negando maiorem, nam tertia intellectus operatio eſt quidam actus ſimplex formaliter cadens ſupra concluſionē, quà concluſio eſt, vt oſtendam 4. p. in lib. de Anima, tract. 2. lib. 3. diſp. 85. ſect. 2. n. 2. & 3. atque adeò non eſt formaliter idem ac diſcurſus, ſiue ſyllogiſmus, quia alioquin eſſet aggregatum quoddam actuum, cum enim diſ-

curſus

Digitized by Google

curſus eſſentialiter, & formaliter requirat iudicium antecedens, iam tertia operatio eſſentialiter conſtaret etiam ex ſecunda operatione. Neque obſtat, quòd tertia operatio ſæpe dicatur ratiocinatio, & diſcurſus, talis enim dicitur, ratione antecedentis, quod eſſentialiter tertia operatio præſupponit: & cùm alioquin diſcurſus dicat eſſentialiter, & formaliter plures actus, vt probo 4.p. trac 2. in lib.3. de Anima. diſp.85. ſect.2. planè ſequitur, concluſionem non eſſe idem, ac ſyllogiſmū, cùm tertia operatio ſit vnus tantum actus, qui dicitur iudicium diſcurſiuum: at verò ſyllogiſmus ſit quoddam aggregatum ex ſecūda, & tertia operatione.

6 Inſtas. Secunda operatio eſt idem ac iudicium: ergo ſimiliter tertia operatio eſt idem, ac diſcurſus. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia non omne id, quod conuenit tertiæ operationi, cōuenit etiam ſecundæ, vt patet; & cū nullunde ſecundæ operationis munus ſit affirmare, vel negare, quod præſtat iudicium, inde eſt, quòd ſecūda operatio, & iudicium ſint idem: at verò cùm diſcurſus eſſentialiter ſit progreſſus vnius cognitionis in aliam, & cùm tertia operatio ſit tantùm vna ſimplex operatio, & non multiplex, inde eſt, quòd tertia operatio non ſit formaliter idem, ac diſcurſus. Non nego tamen communiter tertiam operationem dici diſcurſum, non quòd formaliter dicat plures actus, ſed quia, quamuis ſit vnus actus, eſſentialiter præſupponit, aut plures, aut ſaltem vnum actum antecedentem.

Quæ cauſæ requirantur ad Demonſtrationem?

Requiritur cauſa per ſe.

7 SEcunda concluſio. Cauſa, per quam ſit demonſtratio, debet eſſe cauſa per ſe connexionis prædicati cum ſubiecto concluſionis. Hæc eſt expreſſa Ariſtotelis, & communis inter Auctores. *Ariſtot.* Probatur, quia in demonſtratione proceditur ex cauſa ad effectum: ſed ſola cauſa connexionis prædicati cum ſubiecto eſt vera cauſa, & per ſe: ergo &c. Probatur minor, quia ſola cauſa per ſe connexionis eſt cauſa extremorum; hæc enim connexio non eſt aliquid diſtinctum ab extremis; ſed cauſa per accidens non eſt vera cauſa extremorū, vt patet: ergo ſola cauſa per ſe connexionis eſt cauſa requiſita ad demonſtrationem. Vnde quādo prima paſſio demonſtrat ſecundam, hoc præſtat, virtute cauſæ principalis, nempe, virtute definitionis eſſentialis, per quam prima paſſio demonſtrata fuit.

8 Ex hac concluſione bene colligitur, fieri poſſe demonſtrationes per cauſam materialem, & formalem, tam internas, quam externas, vt latè probat noſter Vallius in Log. tom.2. lib.1. diſp.2. par. 2. q.2. cap.2. 3. & 4. *Vallius.* Probatur, quia quidquid eſt cauſa eſſentiæ alicuius ſubiecti, eſt etiam cauſa connexionis inter ipſum ſubiectum, & paſſionem: ſed cauſa materialis, & formalis, ſi ſint intrinſecæ cauſant compoſiti eſſentiam, componendo totum phyſicum: ergo &c. De cauſa materiali, & formali externa, idem probatur; nam cauſa materialis externa eſt eadem materia, reſpectu formæ materialis, à qua tranſcendētaliter reſpicitur. Cauſa formalis externa eſt eadem forma, reſpectu materiæ, à quā etiam reſpicitur eſſentialiter. Datur item alia cauſa formalis externa, quæ eſt illa, quæ extrinſecè ſpecificat effectum, per modum exemplaris, vt ſe habet obiectum reſpectu ſcietiæ, de qua idem iudicium ferēdum eſt, quia quāuis non ſit cauſa componens, eſt cauſa ſpecificans.

9 Colligitur ſecundò, cauſam per accidēs non eſſe ſufficientem ad demonſtrationem; neque item ſufficere cauſam efficientem, aut finalem creatas: quia hæ ſunt ſolùm phyſicæ cauſæ exiſtentiæ: non verò eſſentiæ. Oppoſitum dicendum de cauſis efficienti, & finali increatis, quia ab illis dependent effectus eſſentialiter.

10 Tertia concluſio. Ad veram demonſtrationem non ſufficit cauſa in cognoſcendo tantùm, ſed requiritur, quòd ſimul ſit cauſa in cognoſcendo, & eſſendo. *Non ſufficit cauſa in cognoſcendo.* Probatur prima pars, quia cauſa in cognoſcendo tantùm eſt aliquis effectus: ergo non ſeruit ad demonſtrationem *propter quid*, de qua agimus, quia hæc procedere debet, per cauſam à priori. Probatur ſecunda pars, quia, vt ſe res habet in eſſendo, ita & in cognoſcendo: ſed res in ſuo eſſe dependet à cauſa in eſſendo: ergo & in ſua cognitione: atquì ſcientia eſt cognitio actualis: ergo cauſa debet eſſe talis etiam in cognoſcendo.

11 Quarta concluſio. Ad veram demonſtrationem ſufficit cauſa in cognoſcendo, & eſſendo quòad nos, ideſt, cauſa, quæ non diſtinguatur realiter ab effectu: hanc latè probant Patres Conimbricenſes in Log. cap. 2. de Scientia. quæſt. 1. art. 2. *Patres Conimbr.* quibus tandem adhæret Vallius in Log. tom. 2. lib. 1. diſp.2. *Vallius.* par.2. q.6. cap.4. quamuis in principio capitis cōtrariū docere videatur. Probatur igitur, quia definitio eſt præſtantiſſimum medium ad faciendas demonſtrationes de ſubiecto, & tamen virtualiter tantùm diſtinguitur à ſubiecto. Confirmatur, quia Theologi demon-

Digitized by Google

monſtrant in Deo vnum attributum per aliud, & tamen attributa ſolùm virtualiter diſtinguuntur.

11 Obijcis. Cauſa debet eſſe, ob quam res eſt: ſed res non eſt ob cauſam virtualiter tantùm diſtinctam: ergo hæc non ſufficit. Reſpondeo ad minorem, cauſam debere eſſe, ob quam res eſt, ſecundùm ſe, vel quòad nos, quia propter hanc cauſam, res etiam eſt, ſaltem quòad nos, qui demonſtrationes conſtruimus.

Quomodo demonſtratio diuidatur.

Demonſtratio, vel eſt *Quid*, vel *Propter quid* *Vallius.*

13 QVinta concluſio. Demonſtratio adæquatè diuiditur in demõſtrationem *quia*, & *propter quid*, hæc eſt cõmunis doctrina, quã latè probat noſter Vallius in Log. to. 2. lib. 1. diſ. 2. par. 3. q. 1. & q. 2. Probatur, nam vel demonſtratio procedit per cauſam proximã, immediatã, & cognitam, vt talem, vel non: Si primũ, eſt demonſtratio *propter quid*, ſi ſecundũ, eſt demonſtratio *quia*; hæc vel procedit per effectũ, vel per cauſam remotam; vel per cauſam mediatam; vel per cauſam proximam, & immediatam, non tamen cognitam, vt talem; vel à ſigno aliquo. Idem dicendum de demonſtratione deducente ad impoſſibile.

14 Quæſtio hîc eſt, vtrùm demonſtratio vniuocè diuidatur in demonſtrationem *propter quid*, & *quia*? Vtrumque probabile eſt: probabilius tamen videtur, diuiſionem eſſe vniuocam, cum vtraque demonſtratio euidens ſit, & certa; licet demonſtratio, *propter quid*, ſit longè perfectior, ſolaque generet ſcientiã definitam ab Ariſtotele. Hæc tamen maior perfectio prouenit à ſua differentia, qua demonſtrationem, *quia*, longè excedit: ſicut homo vniuocè conuenit cum equo, quamuis homo ſit multo perfectior; hæc enim maior perfectio prouenit à differentia: neque demonſtratio, *propter quid*, dicenda ſola eſt abſolutè demonſtratio ſimpliciter, licet dici poſſit ſimpliciter perfectior: verùm homo etiam dicitur ſimpliciter perfectior bruto, & tamen cum eo vniuocè conuenit.

15 Aduerto tamen, aſſenſus demonſtrationis, *quia*, & *propter quid*, circa eandem concluſionem eſſe diuerſæ ſpeciei. Ratio eſt, quia aſſenſus ſpecificantur per diuerſa obiecta formalia, ſiue per rationes motiuas: ſed in demonſtratione, *quia*, & *propter quid*, dantur rationes formales aſſentiendi diuerſæ ſpeciei: ergo aſſenſus ſunt diuerſi: minor probatur in demonſtratione, *propter quid*, vbi ratio formalis aſſentiẽdi eſt à priori, & per cauſam proximam, & immediatam: in demõſtratione verò, *quia*, ratio formalis aſſentiendi eſt à poſteriori, per effectum, vel per cauſam remotam: ergo &c.

16 Imò, & concluſio ipſa, licet materialiter ſit eadem, formaliter tamen eſt diuerſa, & ſpecificè variatur ad variationem cuiuslibet aſſenſus præmiſſarum; & ratio eſt, quia cõcluſio eſt effectus habens eſſentialem connexionem cum cauſa, nempe cum antecedente. Aduerto præterea, quòd ſi varietur ſolùm cõcluſio, etiam aſſenſus præmiſſarum variatur, nam hæc connexio eſſentialis eſt, & reciproca. Quæ doctrina vniuerſaliter vera eſt in ſciẽtia humana; nam omnes actus fidei diuinæ ſunt eiuſdem ſpeciei, quia habent idem motiuum, nempe diuinam auctoritatem, & idem dicendum de actibus fidei humanæ, propter humanam auctoritatem.

SECTIO II.

Vtrùm poſsimus, vnico actu aſſentiri toti demonſtrationi?

1 PRima concluſio. Certum eſt, dari poſſe vnum actũ, qui formaliter cadat ſupra præmiſſas, & virtualiter ſupra concluſionẽ: vel formaliter ſupra concluſionẽ, & virtualiter ſupra præmiſſas. Hæc eſt doctrina Ariſtotelis, ac D. Thomæ communis, conſtatque ex ipſa natura notitiæ diſcurſiuæ, quæ tendit in concluſionem, vt veram, propter aliud, atque adeò neceſſariò attingit illud aliud: vtroque tamen modo dantur in demonſtratione plura iudicia, nempe iudicium formale concluſionis, quod eſt diſcurſiuum, & ſcientificum; & iudicia formalia præmiſſarum, quæ non ſunt diſcurſiua, quos plures actus bene poterit intellectus ſimul habere, quia ſunt diuerſæ ſpeciei, licet nõ poſſit ſimul habere naturaliter duas intellectiones numero tantùm diuerſas, circa idem omnino obiectum, ſicut etiam in lacte v. g. ſimul reperiuntur duo accidentia diuerſæ ſpeciei, vt albedo, & dulcedo, non tamen reperiri ſimul poſſunt naturaliter duæ albedines. *Ariſtot.* *D Thom.*

2 Eſt tamen hoc diſcrimen, quia per formale iudicium concluſionis attingitur ipſa ueritas principiorum, vel præmiſſarum in ſe (quamuis non vt quod) quia eſt ratio formalis aſſentiendi concluſioni: per formalia verò iudicia præmiſſarum non attingitur ipſa veritas concluſionis in ſe, ſed in alio, nempe in cauſa, in qua virtute continetur, tanquàm effectus. Quæſtio igitur eſt, vtrùm poſſit dari vnus actus ſimplex, qui formaliter, & adæquatè attingat totam demonſtrationem,

Digitized by Google

vt obiectum quod, inadæquatè verò ſingulas eius partes, iudicando ſimul, principia vera eſſe propter ſe, concluſionem verò, propter præmiſſas. Sit igitur.

3 Secunda concluſio. Probabiliùs exiſtimo poſſe nos aſſentiri toti demonſtrationi per vnicum actum, prædicto modo. Hæc videtur imprimis eſſe ſententia D. Thom. 1. 2. q. 8. ar. 3. quatenus docet poſſe voluntatem vnico actu tendere in medium, & in finem, ſupponitque intellectum vno actu ferri in concluſionem, & præmiſſas; quem ſequuntur Caiet. & Medina ibi. Idem ſentit Capr. in 1. diſt. 2. q. 1. in ſolutione ad argumenta, cõtra quartam concluſionem. Ferrar. 1. contra Gent. c. 57. Soncin. 6. Met. q. 10. Durand. in 1. diſt. 38. q. 3 ad 3. n. 13. Qui omnes expreſsè docent, intellectum, dum ex principijs infert concluſionem, eodem actu ferri in concluſionem, & præmiſſas, cùm aſſentiatur concluſioni propter præmiſſas. Pro noſtra item concluſione ſtat D. Fonſ. 6. Met. cap. 1. q. 4 ſect. 2. litera D. citatur etiam Geruaſius p. 2. de notitijs. q. 2. dubio finali, à fol. 91. pag. 2. (ſed ille ſolùm exiſtimat, talem actum habere pro obiecto propinquo, & adæquato ipſam conſequentiam cauſalem, vel rationalem, vt conſtat ex §. Sed dico. §. Ad hoc dico. §. Iſtis ſuppoſitis, & alio §. Ad hoc dico.) Pro eâdem ſententia apertè pugnat P. Ripalda de ente ſupernat. tom. 1. lib. 3. diſp. 47. ſect. 1. vbi defendit poſſe eundem actum ſupernaturalem, vel etiam naturalem moueri inadæquatè ex duplici obiecto formali intrinſeco, citatque Mol. Val. Salas, Gran. & alios plures.

D. Thom. Caietan. Medina. Capreol. Ferrar. Soncin. Durand. Fonſeca. Geruaſ. P. Ripald. Molina. Valent. Salas. Granad.

4 Probatur ratione primò. Quia intellectus noſter vnico actu poteſt apprehendere totam aliquam demonſtrationem, per modum vnius, vt eſt quoddam artefactum ex ſingulis partibus ordinatum: ergo ſimiliter poterit iudicare eandem demonſtrationem, per vnicum actum. Antecedens probatur, quia vt docent Patres Conimbricenſes (contra quos præcipuè præliamur) in Log. lib. 1. de Interpret. cap. 4. quæſt. 4. ar. 1. §. Vt hanc ſecundam; & art. 3. §. Et confirmatur. Intellectus per vnum conceptum ſimplicem poteſt apprehendere obiectum aliquod complexum, acceptum per modum vnius. Probatur deinde idem antecedens, quia, vt oſtendi diſputatione ſuperiori ſect. 5. nu. 2. ex Mol. Vaſq. & Soar. poteſt potentia cognoſcere ſimul plura per modum plurium, per vnum actum adæquatum, vt probant exemplo viſus.

Patres Conimbr.

5 Conſequentia igitur, (quòd ſicut intellectus poteſt ſimul apprehendere totam demonſtrationem, poſſit etiam illam iudicare.) tenet à paritate rationis; quamuis enim faciliùs videatur apprehendere, quàm iudicare, nihilominùs (præterquamquòd iudiciũ ſit quædam ſimplex qualitas, vt probaui in hoc tract. diſp. 11. ſect. 2. n. 6. quæ ſimul repræſentatiua eſt, & dictiua totius enuntiabilis) ſicut ex eo potentia videndi percipit ſimul colorem, & lucem, quia lux eſt ratio formalis videndi colorem, etiam intellectus, per eundem actũ ferri poterit in concluſionem, & præmiſſas æquè primo, quia præmiſſæ ſunt ratio formalis iudicandi concluſionem.

6 Probatur ſecundò. Quia voluntas poteſt vnico actu ſimul appetere finem, & medium propter finem, vt eſt communis ſententia Scholaſticorum, cum D. Thom. quos videre licet apud Vaſq. 1. 2. ad q. 8. art. 3. diſp. 37. cap. 1. n. 15. In præſentiſ, (quamuis ipſe Vaſq. immeritò repugnet) ergo ſimiliter eodem actu poterit intellectus iudicare præmiſſas, & concluſionem.

D. Thom. P. Vaſq.

7 Neque ſoluet hoc argumentum, qui dixerit, dari diuerſam rationem in aſſignato exemplo, propterea quòd in medio & in fine eadem ſit bonitas, in concluſione verò ſit diſtincta veritas à veritate præmiſſarum, atque adeò mirum non eſſe, per vnum actum poſſe appeti finem, & mediũ propter ipſum finem; nõ poſſe tamen per vnũ actum iudicare præmiſſas, & concluſionẽ propter præmiſſas. Nõ, inquã, ſoluet argumentũ: quia (præterquamquòd oppoſita ſententia aſſerens in medijs eſſe aliquam bonitatem diſtinctã à bonitate finis, non ſit minùs probabilis, & eam tueatur citatus Vaſq. n. 14. & 20. & latiùs diſp. 1. cap. 2) iã ex primo fundamento conſtat, intellectum poſſe vnico actu iudicatiuo ferri in diſtinctas veritates, ex eo quòd poſſit vno actu apprehenſiuo ferri in diſtincta obiecta.

Vaſquez.

Soluuntur argumenta pro oppoſita ſententia.

8 OBijcies tamen primò, pro contraria ſententia, quæ docet, impoſſibile eſſe talem actum, qui formaliter, & adæquatè cadat ſupra totam demonſtrationem, vt obiectum *quod*, cui opinioni adeò amicabiliter adhærent Patres Conimbricenſes in Log. lib. 1. Poſter. cap. 1. q. 4. ar. 5. à §. Hæc opinio, vt nuſquàm tanto ſtomacho, & ira exarſerint, nec tãtis alibi ſuadæ pigmentis initerint, quantis in hoc loco fulgurant, dum meam ſibi oppoſitam ſententiã, maledictis proſcindunt, & odioſè dilacerant; cùm verò noſtrã opinionẽ deſtituant, tãquàm auctoritate diſtitutã veteri, ipſi pro ſe neque

Patr. Conimbr.

O 2 veto-

Digitized by Google

veterem, neque nuperam auctoritatem reponunt: nihilominùs tamen Curſus Thomiſt. in Logica q. 24. de præcognitis art. 3. §. Quod verò ſolùm in angelis, aut diuinitus admittit talem actum.

Curſus Thomiſt.

9 Obijcis, inquam, primò. Si daretur talis actus, ſimul eſſet diſcurſiuus, & non diſcurſiuus: ſed hoc implicat: ergo &c. Probatur maior, quia eſſet diſcurſiuus, prout cadit in concluſionem, & non diſcurſiuus, prout tendit in præmiſſas. Reſpondeo tamen, illud vnicum iudicium non fore formaliter diſcurſiuum, (ſiquidem non infertur ex alio) ſed tantùm virtualiter, vt tēdit in concluſionem; & non diſcurſiuum, vt fertur in principia, ita vt formaliter, neque ſit aſſenſus principij, neque actus concluſionis, ſed eminenter contineat vtrumque, ad eum modum, quo aſſenſus Theologicus cauſatus ex medio de fide ſupernaturali, & ex medio demonſtratiuo, nō eſt formaliter de fide, neque formaliter naturalis, ſed altioris cuiuſdam ordinis, continēs vtrumque eminenter, vt ſentit Mol. 1. p. q. 1. ar. 1. diſp. 1. & idem tenet Fonſ. 6. Met. cap. 1. q. 1. ſect. 5. litera F. Aduertendum verò eſt, talem actum, de quo agimus, dicendum nō eſſe abſolutè non diſcurſiuum, quia cùm ſit diſcurſiuus virtute, vt cadit ſupra concluſionē, illa negatio abſolutè prolata, cùm ſit malignantis naturæ, id falsò negaret, dicendus igitur eſt non diſcurſiuus formaliter.

Molina. *Fonſeca.*

10 Et ſimiliter reſpondendum eſt, ad id, quod obijciunt, nempe talem actum fore dependentem, & non dependentem, quamuis enim, quando demonſtratio iudicatur per diſtinctos actus, aſſenſus cōcluſionis pendeat ab aſſenſibus præmiſſarum, id tamen non requiritur, quando eſt vnus tantùm actus; nā licet etiam in hoc euentu aſſentiamur concluſioni, propter præmiſſas, dictio, *propter*, in eo caſu, vt acutè obſeruat Caiet. citatus, non importat cauſalitatē inter cognitiones, ſed inter obiecta cognita, quatenus ſignificat vnam rē eſſe cognitam propter aliam, noſque aſſentiri cōcluſioni, propter præmiſſas; quemadmodùm quando per vnicū actum, volo mediū, propter finem, dictio *propter*, non ſignificat, volitionem eſſe cauſam alterius, (ſiquidem vna tātùm eſt volitio, & realis cauſalitas requirit diſtinctionem ex natura rei) ſed ſolùm importat cauſalitatem inter ipſas res, ſignificatque vnam rem eſſe volitam propter aliā, tanquam propter cauſam finalem, & rationem volendi, quo etiam exemplo vtitur Fonſeca citatus ſect. 3. ad 1.

11 Inſtas. Si detur Syllogiſmus conſtans ex vna ſcientifica, & altera opinatiua, tunc aſſenſus ille ſimul erit certus, & formidoloſus; neceſſarius, & contingens; ſed hoc videtur impoſſibile: ergo falſum videtur, quòd detur talis actus eminentialis. Reſpondeo, in hoc caſu talem actum dicendum eſſe ſimpliciter contingentem; quia, vt in lib. Topic. aduerto, ſemper in ſyllogiſmo effectus ſequitur deteriorem partē; ſed quamuis ſit ſimpliciter contingens, & formidoloſus, nihil obſtat, quominùs ſolùm eminenter contineat illam euidentiam, & obſcuritatem, illamque certitudinem, & incertitudinem duorum mediorum, quæ continet virtute, quod quidem repugnaret, ſi vtrumque haberet formaliter, vel reſpectu eiuſdem.

12 Exiſtimo prætereà eundem actū poſſe ſimul eſſe confuſum, & diſtinctum, videlicet ſi in præmiſſis collocetur definitio ſubiecti, vel paſſionis: neque nouum videri debet, conditiones repugnantes eſſe in vno, & eodē actu, reſpectu diuerſorum, vt dicam in lib. de Anima lib 3 diſp. 84. ſect. 1. à n. 10. de actu, qui ſimul ſit intuitiuus, & abſtractiuus; imò & ipſi Patres Conimbricenſes, contra quos præcipuè decertamus, in hoc lib cap. de Præcognitis, q. 3. ar. 5. admittunt eundem aſſenſum concluſionis, cùm eſt approbatio conſequentiæ, eſſe & non eſſe præcognitum, reſpectu diuerſorum, cum prioritate virtuali, qua diſtinguatur præcognitum à cognito; & ſimiliter dico, eundem actum ſimul eſſe poſſe affirmatiuum, & negatiuum, quanquàm, vt proſequitur Fonſeca citatus ſect. 4. lit. A. omnes aſſenſus propoſitionis veræ, ſint æquiualenter affirmatiui, licet ipſa propoſitio materialiter negatiua ſit.

13 Obijcis ſecundò. Si detur ſyllogiſmus conſtans vna præmiſſa de fide diuina, & alia probabili, quæ in re ſit falſa, talis actus, quo aſſentior ſimili ſyllogiſmo, ſimul eſſet falſus, & ſupernaturalis: ſed hoc fieri non poteſt: ergo &c. Maior tenet à paritate rationis: minor probatur, quia impoſſibilis eſt actus ſupernaturalis falſus, vt Theologi communiter docent, quia diuinam dedecet bonitatem, ſpecialem concurſum, qualis requiritur ad actum ſupernaturalem, prauo actui præbere: ergo non videtur ſupra talem ſyllogiſmum, vnum actum cadere poſſe. Propter hoc argumentum limitandam exiſtimo noſtram concluſionem hac exceptione, & in alia ſimili, ſi fortè occurrerit.

Nō poteſt idē actus eſſe ſupernaturalis, & falſus.

14 Nō tamē ideò minùs firma videri debet noſtra cōcluſio. Primò, quia idē etiā actus ſupernaturalis poteſt ſimul eſſe ſupernaturalis, & vitioſus, (vt doctiſſimè probat P. Ripalda de ente ſupernaturali, lib. 3. diſp 50. vbi n. 3. citat pro hac opinione 20 auctores; quod

Ripalda.

Digitized by Google

quod probat exẽplo Miſſæ, & conſecrationis hoſtiæ factæ negligẽter, vel pro vana gloria; ergo ſimiliter &c.) Secũdò, quia aduerſarij cõtẽdunt, nunquàm poſſe ab intellectu noſtro dari actum, qui primò, & adæquatè, cadat ſupra totam demonſtrationẽ, à me autem iam oſtẽſum eſt, poſſe id multoties euenire, quod præcipué verum erit in quauis demonſtratione, & in intellectu valde exercitato; neque obſtat, quód, dato eo actu, admittatur in nobis aliquando diſcurſus virtualis, adhuc enim differt à diſcurſu virtuali Angelico, hic enim perfectior eſt, & ſimplicior, ac plerumque datur: neque ſupponit apprehenſionem, per actum diſtinctum, cùm tamen hic actus ſupponat in homine apprehenſionem realiter diſtinctam; & raò detur.

15 Aduerto tamen rationes, quibus vtuntur Conimbricenſes, cùm nimium videantur probare, nihil tamen probare; ſi quid enim probarent, neque diuinitus eſſet poſſibilis talis actus, quia eſſe actum diſcurſiuum, & non diſcurſiuum, dependentem, & non dependentem, ſunt contradictoria, quæ monſtra, nec diuinitus, adiungenda ſunt; & tamẽ Auctor Logicæ Conimbric. iam detumeſcente ſtomacho, nobiſcum redire in cõcordiam videtur, ibidem enim §. Demus, negando huiuſmodi actum intellectui humano naturaliter operanti, propter eius limitatam virtutem; illum concedit in intellectu diuinitus eleuato. Atque ex dictis ſatis conſtat, quo pacto admittentes hunc actum non teneantur Chymeram concedere, aut Cerberum formidare; quod ipſi Conimbricenſes, quaſi impoſſibile, arbitrantur. Vtrùm verò laruatica hæc ſpectra ex eorum doctrina cohærentiùs hic aſſurgant, iudicet æquus veritatis æſtimator.

SECTIO III.

Quid ſit Scientia, & quale ſit eius obiectum materiale?

1 PRima concluſio. Scientia *eſt cognitio per cauſam cognitam, vt talem, ita vt fieri non poſſit, vt res aliter ſe habeat.* Hæc eſt expreſſa Ariſtotelis definitio, quæ ſatis conſtat ex his, quæ dixi de Demonſtratione, quæ eſt ſcientia quædam particularis, ſumpta quóad concluſionem: & videri poteſt P. Vallius in Log. to. 2. diſp. 4. par. 2. q. 3. qui, more ſuo, doctrinam ſequitur Patrũ Conimbr. quos tamen, conſultò, vt videtur, non ſolet allegare. *Ariſtot.* *Vallius.*

2 Secunda concluſio. Obiectum materiale ſcientiæ (iam enim dixi de obiecto formali, quæ eſt ratio motiua aſſentiendi concluſioni) debet eſſe neceſſarium. Hæc eſt cõmunis, & certa. Probatur, quia ſcientia eſt cognitio euidens, & certa, ita vt, nullo modo, falſa eſſe poſſit: ergo eius obiectum materiale debet eſſe neceſſarium, nam neceſſitas, & immutabilitas ſcientiæ deſumitur non ſolùm à formali obiecto proximé, ſed etiam remotè à materiali: & ideò obiectum ſcientiæ debet eſſe reale, quod laté probat idem Vallius citatus q. 7. cap. 5. *Vallius.*

3 Bene tamen aduertunt Conimbricenſes in Proæm. Phyſ. ar. 4. ad 1. & Fonſ. 2. Metaph. cap. 1. quæſt. 1. ſect. 4. de re phyſicè contingenti poſſe eſſe ſcientiam, dummodò ſit Metaphyſicè neceſſaria, ſecundùm cõnexionem eſſentialem; v. g. de homine, cuius anima phyſicè, & contingenter, coniuncta eſt corpori, dari poteſt vera ſcientia, quia eius connexio metaphyſica inter animal, & rationale, eſſentialis eſt, & immutabilis. Similiter in propoſitionibus de fide de re contingenti, dari poteſt notitia certa, vt datur de Antichriſto contingenter futuro, quia ſimiles propoſitiones ſumunt ſuam certitudinem, non ex obiecto materiali, ſed ex formali, nempe ex diuina auctoritate. *Patres Conimbr.* *Fonſeca.*

4 Tertia concluſio. Scientia non eſt de rebus perpetuis quòad exiſtentiam. Probatur, quia, vt fides diuina docet, res omnes creatæ initium habuere (licet à parte poſt, aliquæ ſint perpetuæ) & tamen de illis dantur veræ ſcientiæ; ergo &c. & ratio à priori eſt, quia connexiones illæ, de quibus eſt ſcientia, ſequuntur eſſentiam rei, quæ non dependet ab exiſtentia.

5 Quarta concluſio. Obiectum materiale ſcientiæ debet eſſe vniuerſale. Probatur, quia de obiecto materiali ſcientiæ, debent veræ, & reales proprietates demonſtrari; ſolæ autem naturæ communes, vt ſæpe dixi, fæcũdæ ſunt, & veras habent proprietates. Cõfirmatur, quia ſingularia ſunt prope infinita: ergo ſimiliter eſſent ſcientiæ infinitæ, neque enim daretur maior ratio, cur de hoc ſingulari, non verò de illo, foret ſcientia. Addo prætereà neque ſupernaturaliter poſſibilem eſſe ſcientiam diſcurſiuam de ſingularibus; & ratio eſt, quia, licet certò cognoſceretur differẽtia indiuidualis, quæ nunc nobis in ſingularibus eſt ignota; cognoſceretur tamen per ſimplicem intuitum in ſe ipſa, & non per verã demonſtrationem, quia talis differentia non habet certam radicẽ, aut proprietates, à quibus demonſtrari poſſit; ſed ſolùm conſiſtit in ſpeciali quadam indiuiſione, ſeu determinatione

Digitized by Google

naturæ ſpecificæ: & quamuis Socrates non minùs rationalis ſit, quàm homo, tamen connexio proprietatis non eſt cum Socrate, quá ſingularis eſt, ſed cum eius natura communi. Prædicta concluſio coarctanda eſt ad ſcientiam naturalem, ſupernaturalis enim ſcientia datur de Deo, ac de Chriſto Domino, qui quamuis ſingulares ſint, veras hàbent proprietates.

De Subalternatione ſcientiarum.

6 QVinta concluſio. Præcipua ſcientiarum ſubalternatio eſt illa, quæ fit, vel ratione obiecti materialis, vel ratione obiecti formalis, id eſt, ratione principiorum. Vt probetur concluſio, ſciendum imprimis eſt, quid ſit ſubalternatio ſcientiarum, *eſt enim quædam veluti dependentia, & ſubordinatio inter aliquas ſcientias*: dicitur autem ſcientia ſubalternata illa, quæ alteri ſubijcitur. Subalternans autem dicitur illa, á qua altera dependet. Datur autē multiplex ſubordinatio, prima, ratione finis, quia, ſcilicet, finis vnius ordinatur ad finem alterius, quo pacto ars frænefactiua ordinatur ad equeſtrem, & hæc ad militarem: ſecundo modo ſubalternatur vna ſcientia alteri, ratione obiecti materialis, quia ſcilicet obiectum, quod conſideratur ab vna ſcientia, continetur ſub ambitu obiecti adæquati alterius ſcietiæ, vt ſcientia de homine, quæ ſubalternatur ſcientiæ de animali: tertio modo ſubalternatur vna ſcientia alteri, ratione principiorum, ſiue obiecti formalis, quia, videlicet, principia vnius ſcientiæ ſunt concluſiones illatæ, & demonſtratæ ex principijs alterius ſcientiæ, à qua dependet.

Quid, & quotuplex ſit ſubalternatio?

7 Vt autem detur vera ſubalternatio ſcientiarum, tres ſunt deſignandæ conditiones, quæ à diuerſis Auctoribus proponuntur, (nempe Arberto Mag. tract. 2. de Vſu principiorum cap. 7. Paulo Veneto. Louanienſ. Conimbr. Rub. & alijs in expoſitione cap. 10. lib. 1. Poſter.) Prima eſt, vt obiectum ſubalternatæ colligetur in recto, ſub obiecto ſubalternantis, vt homo albus ſubijcitur animali. Probatur, quia ſi obiecta ſint omnino diſparata, erunt etiam principia longè diuerſa, ac proinde non habebunt inter ſe aliquam dependentiam, aut ſobordinationem.

Alb. Mag. Venetus. Louan. Conimbr. P. Rub.

8 Secunda conditio eſt, vt obiectum ſubalternatæ addat aliquam differentiam accidētalem, per quam diſcriminetur ab obiecto ſcientiæ ſubalternantis; vt *muſica*, quæ collocatur ſub numero in communi, addens differentiam accidentalem, nempe *ſonorum*; nam *muſica* idem eſt, ac *numerus ſonorus collocatus ſub numero communi*: ratio verò, cur hoc additum debeat eſſe differentia accidentalis, eſt, quia ſcientia ſubalternata eſt ſcientia diuerſa à ſubalternante: ſi verò differentia ſuperaddita eſſet eſſentialis, & diuiſiua, connexaque cum ſcientia, cui ſubalternatur, vtrumque obiectum pertineret ad eandem ſcientiam, & potiús eſſent duæ partes eiuſdem ſcientiæ, quâm duæ ſcientiæ diuerſæ; & ideò ſcientia de ſubſtantia non eſt diuerſa á ſcientia de homine, quia differentia, quam addit homo, accidentalis non eſt, ſed diuiſiua, & connexa cum ſcientia ſubſtantiæ.

9 Tertia conditio eſt, vt de obiecto ſciētiæ ſubalternatæ emanent propriæ paſſiones, quæ pertineant ad ipſam ſcientiam ſubalternatam, alioquin non habebit diuerſam ſcibilitatem à ſcientia ſubalternante, nec diuerſam conſtituet ſcientiam, vt patet: vbi aduertendum eſt, ex ente per accidens, quale eſt obiectum ſubalternatæ, oriri poſſe veras paſſiones, nam ex domo per accidens coniuncta, oſtenditur, quòd frigus expellat, quæ eſt vera paſſio.

10 His poſitis, probatur concluſio, quia cùm ſcientia tota dependeat ab obiecto, à quo deſumit eſſentiam, deſumit ſubordinationem, & ſubalternationem; & eadem eſt ratio de principijs, quæ ſunt obiectum formale, quia ad hæc principia reducuntur concluſiones, cùm in eis, tanquàm in virtute, contineantur.

11 Aduertendum autem eſt, dictum fuiſſe ab Ariſtotele in hoc cap. 10. ad ſubalternātem pertinere ſcire, *propter quid*; ad ſubalternatam verò pertinere ſcire, *quia*: quod ita intelligendum eſt, cùm enim ſcientia ſubalternata ſit vera ſcientia, debet certò ſcire ſua principia; atquî ea neſcit à priori, cùm ſupponat illa demonſtrata, *propter quid*, à ſubalternante; ergo ſaltem ſcit illa à poſteriori; (quod non tollit quominùs ſubalternata ſuo modo cognoſcat ſuas concluſiones à priori: quamuis eas non reſoluat ad cauſam immediatam, ſed ad ſolas cauſas mediatas.) Scientia verò ſubalternans ſcit *propter quid*, quia, ſcilicet, demonſtrat ſuas concluſiones, & principia ſubalternatæ à priori, per cauſam immediatam, proximam, cognitam, vt talem, & reſolutam vſque ad vltima principia: ſcit autem ſubalternās hæc principia, & has concluſiones ſubalternatæ, *propter quid*, ſolitariè tantùm, quia non eas applicat, ſicut ſubalternata. Ariſtot.

12 Exemplo res patefiet, probat enim à priori Mathematica, partes diametrales circuli, quó magis diſtant à centro, magis etiam diſtare inter ſe. Hæc autem propoſitio, quæ in

Digitized by Google

in Mathematica eſt concluſio, ſumitur à Chirurgo tanquàm principium; & applicat hoc principium, & ex illo infert hanc concluſionem, nempe *vulnus circulare difficiliùs ſanari*: hoc pacto, *partes diametrales circuli, quò magis diſtant à centro, magis diſtant inter ſe; ſed in vulnere circulari partes ſunt magis diſtantes à centro: ergo difficiliùs coniungentur, & curabuntur*: & ecce quomodò ſubalternans ſcit, *propter quid*, ſolitariè; ſubalternata verò ſcit, *quia*, applicatè, quia applicat illam concluſionem Mathematicam, tanquàm principium, ad probandam ſuam concluſionem; hinc eſt, quod dixit Ariſtoteles, *vbi deſinit Phyſicus, incipit Medicus*. Hæc latè proſequitur P. Vallius in Log. tom. 2. diſp. 4. par. 4. à quæſt. 4. *Vallius.*

SECTIO IIII.

De Vnitate, Diſtinctione, & Corruptione ſcientiarum.

1 PRima concluſio. Vnitas, & diſtinctio ſcientiarum non ſumitur ab obiecto materiali. Hæc eſt certa, & Ariſtotelis, ac D. Thomæ ſententia, vt latiſſimè proſequitur Rub. tract. 3. de Habitibus in q. 4. Probatur, quia ſcientia quæuis eſt vna tantùm, res verò materiales de quibus agit, ſunt multiplices: ne igitur dicamus, tot eſſe ſcientias, quot ſunt res materiales, de quibus agit, dicendum neceſſariò eſt, non ſumere ab illis vnitatem, & diſtinctionem: ſicut ergo potentia videndi, cùm ſit vna tantùm ſpecie, in pluribus hominibus, fertur in res diſtinctas genere, & ſpecie; ita ſcientia, quamuis ſit vna in omnibus hominibus, ferri poteſt in res diſtinctas genere, & ſpecie: non ergo à materiali obiecto ſumit diſtinctionem. *Ariſtot. D. Thom. Rubius.*

2 Secunda concluſio. Scientia totalis ſumit ſuam diſtinctionem, & vnitatem ab obiecto formali. Hanc concluſionem ità in genere propoſitam, tanquàm veriſſimam, omnes admittunt: in eius tamen explicatione, *Ille ſiniſtrorſum, hic dextrorſum abit*; quæ vt meliùs percipiantur, aduertendum eſt, triplex eſſe obiectum formale, primum eſt obiectum formale, *quod*; ſecundum eſt obiectum formale, *ſub quo*: tertium eſt obiectum formale, *propter quod*. Alijs terminis hoc explicatur, nam obiectum formale, vel eſt ratio formalis, *qua*, & hæc eſt eſſentia obiecti, quæ directò à ſcientia conſideratur, quo pacto dicimus Metaphyſicum conſiderare *ens*, *quà ens eſt*: vel eſt ratio formalis, *ſub qua*, quæ eſt ſcibilitas, ſub qua obiectum terminat ſcientiam, vt eſt *reuelatio* in rebus fidei diuinæ: vel eſt ratio formalis, *propter quam*, quæ eſt medium propter quod intellectus concluſioni aſſentitur. *Vnitas, & diſtinctio ſcientiæ ſumitur ab obiecto formali.*

3 Aliqui igitur, inter quos eſt Paulus Sōcin. 6. Met. q. 1. concl. 3. & Paulus Vallius in Log. tom. 2. diſp. 4. q. 2. cap. 12. exiſtimant, obiectum formale, per quod ſcientiæ diſtinguuntur, eſſe rationem formalem, *qua*; ſed immeritò, nam illa ratio valde communis eſt, & materialis, requiriturque maior abſtractio, vt videbimus. Rubius verò tract. 3. de Habitibus, q. 4. à nu. 141. exiſtimat, diuerſitatem ſcientiarum deſumendam eſſe à ratione formali, *propter quam*, id eſt, diſtingui ſcientias, propter diuerſa principia. Eandem ſententiam tenet quidam Licentiatus Franciſcus Murſia in ſelectis circa Log. lib. Poſter. cap. 26. diſp. vnica q. 3. §. Dicendum ergo. Hæc tamen ſententia vera eſt, ſi ſermo ſit de ſcientijs particularibus, nempe de concluſionibus, non verò de Scientijs totalibus, & ita explicandus D. Thomas, quem pro ſe adducit: imò exiſtimo, hanc eſſe mentem expreſſam Sancti Doctoris 1. 2. q. 54. art. 2. ad 2. vbi ita loquitur: *Tota virtus demonſtrationis, quæ eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, dependet ex medio, & ideò diuerſa media ſunt, ſicut diuerſa principia actiua, ſecundùm quæ habitus ſcientiarum diuerſificantur, &c.* Concluſio autem dependet à præmiſſis, vt ſatis dictum eſt, tanquàm à medio. Confirmatur, quia media illa, ſiue principia ſunt plurima, & non poſſunt coniungi ad conſtituendam aliquam ſcientiam, niſi vniantur in aliqua alia ratione formali, *ſub qua*. *Soncin. Vallius. P. Rubi. Murſia. D. Thom.*

4 Dico igitur, diſtinctionem, & vnitatem ſcientiarum ſpeculatiuarum (neque enim loquimur de practicis ſcientijs) deſumendam eſſe à ratione formali, *ſub qua* conſtituente obiectum ſcientiæ, ſub aliqua ratione formali ſcibilis, quæ non eſt alia, quàm diuerſa aliqua abſtractio à materia, vt mox dicemus & hanc ſententiam cum D. Thom. 1. Poſt. text. 43. tuentur Capr. q. 3. prologi. concl. 2. & 3. Deça Hiſpalenſis ibidem art. 2. & 3. notabili 5. & 6 Caiet. 1. lib. Poſt. cap. 22. q. 1 & 1. p. q. 1. ar. 3. Iauel. 6. Met. q. 7. Patres Conimbr. in Log. lib. 1. Poſter. cap. 23. q. vnica ar. 1. & in Proæmio Phyſ. q. 1. ar. 3. Ferrar. 1. contra Gent. cap. 56. Idem tenet Sot. lib. 1. Poſter. cap. 25. q. vnica. Fauet etiam Domin. Flandria 6. Met. q. 7. ar. 3. §. Ex quibus, item P. Barthol. Amic. in lib. Poſt. trac. 27. diſp. 3. q. 3. ar. 2. *Nō eſt ſermo de ſcientijs practicis. D. Thom. Capr. Deça. Caietan. Iauel. Patres Conimbr. Ferrar. Sotus. Flandr. Barth. Amicus.*

5 Probatur concluſio, quia ſcientia debet ſumere ſuam diſtinctionem ab eo, quod eſt ratio obiecto materiali, vt ſub ſcientiam cadat: ſed ratio formalis, *ſub qua*, eſt ratio obiecto materiali, & eſt ratio obiecto formali

Digitized by Google

quod, vt ſub ſcientiam cadat: ergo ab eo & vnitas, & diſtinctio deſumenda eſt. Probatur minor, quia obiectum materiale hoc non præſtat, vt vidimus; neque item obiectum formale, *quod*: ergo &c. Confirmatur, quia potentiæ non ſpecificantur per obiecta materialia, (alioquin tot eſſent intellectus, quot ſunt entia) non etiam ſpecificantur per obiecta formalia, *quæ*, nam ens, quà ens, pertinet ad intellectum, & voluntatem, & ſolùm ſeparatur propter diuerſas rationes, *ſub quibus*, quales ſunt *intelligibilitas*, & *volibilitas*: ergo ſimiliter dicendum de ſcientijs, nam in hoc ſunt ſimiles. Declaratur præterea, quia quemadmodum viſus terminatur ad lucem, & colorem, & tamen ſpecificatur per *viſibilitatem*, quæ eſt ſpecies infima; & intellectus tendit in omne ens, & ſpecificatur per *intelligibile*: ita ſimiliter ſcientiæ ſpecificantur per diuerſas ſcibilitates, de quibus ſtatim.

Soluuntur obiecta contra hanc ſententiam.

6 Obijcis primò. Scientia totalis non tendit in obiectum formale, *ſub quo*, ſiquidem illud non percipit, ſed tendit in obiectum formale, *quod*, & hoc percipit: ergo ab hoc obiecto deſumere debet ſuam ſpecificationem. Ad hanc obiectionem reſpondetur, neceſſarium non eſſe, quòd obiectum formale, *ſub quo*, percipiatur, vt patet in viſu, qui diſtinguitur per *viſibilitatem*, & oculus non percipit *viſibilitatem*: ad argumentum igitur reſpondetur, ſciẽtiam tendere in obiectum formale, *ſub quo*, tanquàm, *vt quo*, id eſt, mediante quo, ſiquidẽ eſt ratio, cur obiectum materiale percipiatur, quod ſufficit, vt patet ex dictis.

7 Obijcis ſecundò. Obiectum debet in ſe eſſe prius ipſa ſcientia, ſiquidem eſt eius cauſa: atqui *ſcibilitas*, ſeu ratio formalis, *ſub qua*, eſt poſterior: ergo non eſt cauſa, neque obiectum ſcientiæ. Probatur minor, quia *eſſe ſcibile* eſt denominatio ſumpta ab ipſa ſcientia, atque adeò priùs danda eſt ſcientia. Reſpondeo ad minorem, *eſſe ſcibile*, eſſe quidem poſterius ipſa ſcientia, ſi ſumatur tanquàm denominatio extrinſeca deſumpta actualiter ab ipſa ſcientia: non verò ſi ſumatur, vt denominatio intrinſeca deſumpta à capacitate, quæ datur in obiecto, vt ſciatur: nam ſic, eſt eadem entitas obiecti, quæ ſine dubio prior eſt, quàm ſcientia, ſicut *intelligibile* radicaliter ſumptum, eſt prius, quàm intellectus, licet deſumat hanc extrinſecam denominationem ab intellectu.

8 Obijcis tertiò. Quando ſubiecta materialia totalia ſunt ſpecie diuerſa, ſcientiæ quoque totales ſpecie diſtinguuntur (vt patet in Dialectica, quæ differt à Phyſica, quia Dialectica agit de modo differendi, Phyſica verò de corpore:) ergo à ſubiectis materialibus deſumenda eſt diſtinctio, non verò à formalibus. Reſpondeo, ſolùm remotè, &, vt à ſigno, ſumi diſtinctionem, & vnitatem à ſubiectis totalibus materialibus, quia videlicet, vbi dantur diuerſa obiecta materialia totalia, ſignum eſt dari etiam diuerſas rationes formales, à quibus proximè deſumitur ſpecificatio ſcientiarum.

Quotuplex ſit ratio formalis, ſub qua?

9 Tertia concluſio. Triplex datur ratio formalis, *ſub qua*, ſeu triplex *ſcibilitas* diſtinguens, & ſpecificans ſcientias. Hæc eoſdem habet aſſertores ſuperioris concluſionis. Probatur ratione, quia quotuplex datur abſtractio à materiali obiecto, ſeu quotuplex datur ſeparatio a materia, tot ſunt *ſcibilitates*, ſeu rationes formales, *ſub quibus*: ſed hæc abſtractio, ſiue præſciſio a materia eſt triplex: ergo & *ſcibilitas*, ſeu ratio formalis, *ſub qua*, erit triplex. Probatur maior, quia obiectum ſcientiæ debet eſſe perpetuum, & immutabile, materia verò eſt mutationis, & corruptionis parẽs: ergo omnis ſcientia debet habere obiectum à concretione materiæ ſeparatum; ac proinde quotuplex datur præſciſio, & ſeparatio à materia, tot etiam dabuntur *ſcibilitates*.

10 Vt minor probetur, ſupponendum eſt, duplicem dari materiam, ſenſibilem ſcilicet, & intelligibilem. Senſibilis eſt *materia prima affecta accidentibus ſenſibilibus*: intelligibilis eſt *quantitas*, (quæ dicitur materia, quia ſuo modo eſt ſubiectum accidentium,) & dicitur intelligibilis, quia, vt ſic, a ſolo intellectu percipitur. Igitur prima abſtractio eſt a materia ſenſibili ſingulari tantùm, ſpecificatque *Phyſiologiam*, ſiue *Philoſophiam*, cuius ſubiectum eſt corpus, quod componitur quidem ex materia communi, ſed non deſcendit ad conſiderandum corpus materiale ſingulare. Duplex datur materia, vna ſenſibilis, altera intelligibilis.

11 Secunda ſcibilitas, ſeu abſtractio eſt a materia ſenſibili communi, & ſingulari, nõ re, ſed ratione, conſtituitque quantitatem, ex qua abſtractione conſurgit ſcibilitas, quæ ſpecificat Mathematicas ſcientias, quæ conſiderant quantitatem, quaſi abſtractam, & præſciſam a materia ſenſibili, non quidem re, ſiquidem

Digitized by Google

dem in re, coniuncta eſt cum materia, ſed ratione tantùm, ſiue per intellectum. Tertia abſtractio eſt ab omni materia, tam ſeſibili, quã intelligibili, re, & ratione, quæ ſcibilitas conſtituit Metaphyſicam, quæ agit de Deo, & de ſubſtantijs ſeparatis, quæ ſunt præcipuã Metaphiſicæ obiecta; &c.

12 Duo ſunt aduertenda: primum eſt, quòd prima, & ſecunda abſtractio ſolas conſtituat duas ſpecies infimas, nempe Philoſophiam, & Metaphyſicam, quæ ſunt duæ ſcientiæ atomæ: at verò ſecunda abſtractio, quæ fit á materia ſenſibili ratione, & non re, genus eſt, quod diuiditur in duas ſpecies, nempe in abſtractionem à materia ſenſibili tantùm, ratione, & nõ re, quæ ſpecificat Gemeotriam; & in abſtractionem a materia etiam intelligibili, & conſtituit Arithmeticam, quæ conſiderat proprietates numerorum, abſque reſpectu ad quantitatem continuam.

Vtrùm ſcientia totalis ſit vna tantùm ſimplex qualitas?

Reſolutio eſt negatiua.

13 Quarta concluſio. Quælibet ſcientia totalis eſt aggregatum quoddam multorum habituum efficientium vnam ſpecie ſcientiam, per ordinem ad vnam abſtractionem, ſiue ſcibilitatem, per quam ſpecificatur. Ita Scotus 6. Met. q. 1. Nominales in Prologo ſententiarum. Marſil. Gregor. Gabr. quos citant, & ſequuntur Patres Conimbr. in Log lib. 1. Poſter. cap. 23. q. vnica art. 2. §. Oppoſitam. Idem tenent Mol. 1. p. q. 1. ar. 3. diſp. 3. §. Prætermittendum eſt ſecundò. Tolet. in Logic. q. 3. Proæmiali. Fonſ. 5. Met. cap. 7. q. 5. ſect. 1. Soar. in Met. diſp. 44. ſect. 11. præſertim n. 51. Durand. Maior. Iandun. Aureol. & alij, quos citat P. Barthol. Amic. in lib. Poſt. trac. 17. diſp. 4. dub. 2. ar. 2. §. Tertia, & ipſe ſequitur ar. 3. à §. Tertia concluſio. Item P. Vallius in Log. tom. 2. diſp. 4 par. 3. q. 1. cap. 4. vbi plures alios refert, & ipſe ſequitur cap. 7. & cap. 11. idem tenet noſter Rodericus de Arriaga, in ſuo Curſu Philoſ. in Log. diſp. 1. ſect. 3. n 30.

Scotus. Nominal. Marſil. Gregor. Gabriel. Patres Conimbr. M. Molin. Tolet. P. Fonſ. Soar. Durand. Maior. Iandun. Aureol. Barth. Amicus. Vallius. Arriaga.

14 Probatur concluſio; Quia habitus producuntur per actus; ſed in qualibet ſcientia totali dantur multi actus ſpecie diuerſi, vt conſtat: ergo. & multi habitus. Confirmatur, quia ſicut concluſiones ſpecificantur per diuerſa media, qua ſunt obiecta formalia, ita & diuerſi actus, propter diuerſa media, ſiue propter diuerſa obiecta formalia: ergo ſimiliter habitus, qui naturaliter procedunt ab his actibus, erunt multiplices, ac diuerſi ſpecie, ſi ſecundùm ſe, & materialiter conſiderētur, licet formaliter, quatenus cadunt ſub eãdem abſtractione, ſint eiuſdem ſpeciei, iuxtã ſupradictã.

Soluuntur argumenta contrariæ ſententiæ.

15 Obijcis tamen primó pro contraria ſententia, quæ docet, ſcientiam totalem in quolibet ſuppoſito, in Socrate v. g. eſſe ſimplicem vnum habitum, quæ tribuitur D. Thom. 1. 2. q. 54. ar. 4. Verùm ſi Sanctus Doctor attentè legatur, potiùs fauet noſtræ ſententiæ quē tamen cõtra nos interpretantur Caiet. Medina; Cõrad. ibi; in eandem ſententiam pedibus eunt Recentiores Thomiſtæ, qui in rebus Theologicis auctoritatem D. Thomæ pro ſe ponunt: citatur etiam Dominicus Flandria 6. Met. q. 7. ar. 3. quanquàm hic auctor nobiſcum aliquantulùm ſentiat. quatenùs §. Prætereà illud; docet, ſcientiam non eſſe aliquod aggregatum habituum per accidens, quod nos etiam defendimus. Citari etiam poteſt Vaſq. 1. 2. ad q. 11. diſp. 30. cap. 3. n. 15. Quatenus in vno habitu admittit extenſionem ad plura obiecta; ac proinde habitum ſcientiæ acquiſitum, circa vnam concluſionem, poſſe ad alias extendi; & ſimiliter 1. p. q. 1. ar. 4. diſp. 9. cap. 1. n. 1. §. Horum autem; cenſet, ſcientiam eſſe vnam ſimplicem qualitatem. Fauet etiam P. Rub. D. Thomæ acerrimus defenſor, in ſua Logica. trac. 4. de Habitibus. q. vnica n. 18. eandem tenent Valent. 1. 2. diſp. 4. q. 6. pun. 3. Ægid. 2. p. prolog q. 2 Ferrar 1. contra Gent. cap. 56. illam prætereá defendit Curſus Thomiſt. in Logica q. 27. ar. 2. §. Nihilominùs.

D. Thom. Caiet. Medina. Conrad. Flandr. P. Vaſq. Rubius. Valent. Ægid. Ferrar. Curſus Thomiſt.

16 Obijcis, inquam, primó. Sufficit vna numero potentia, viſus v. g ad percipienda plura obiecta: ergo ſimiliter ſufficiet vnus numero habitus ad plures cōcluſiones. Probatur conſequentia, quia tã potentia, quàm habitus eodem modo ſpecificantur ab obiecto formli. Reſpondeo, negando conſequentiam; diuerſa ratio eſt manifeſta, quia potentia ſpecificatur immediaté à ratione *ſub qua*: habitus verò à ratione, *per quam*, quod ſic explicatur; nam cùm potentia ſit vna numero, & obiecta materialia ſint plura, non poterat potentia ab illis ſpecificari, ac proinde ſumit ſpecificationem à ratione formali, *ſub qua*, intellectus v. g. ab *intelligibilitate*, viſus à *viſibilitate*, &c.

17 At veró habitus, cúm immediatè producantur ab actibus, variantur pro diuerſi-

uerſitate actuum, & cùm actus ſint diuerſi, pro diuerſitate mediorum, quæ media ſunt rationes formales, *propter quas*; inde eſt, quòd habitus circa eandem ſcientiam ſint diuerſi, quemadmodùm ipſa media ſunt diuerſa, atque adeò in eodem intellectu circa eandem totalem ſcientiam, dantur multi habitus, qui, ſi materialiter ſumantur, ſunt diuerſæ ſpeciei; ſi verò formaliter, prout cadūt ſub eandem *ſcibilitatem*, ſunt eiuſdem ſpeciei; ſicut viſio nigri, & viſio albi, materialiter diſtinguuntur ſpecie; formaliter veró, prout cōueniunt in *viſibilitate*, pertinent ad candē ſpeciē potentiam; plures igitur iſti habitus eiuſdem ſpeciei, conſtituunt in Socrate vnā ſciētiam totalem.

18 Obijcis ſecundò. Fides diuina, & quælibet virtus moralis, eſt vnus tantùm habitus: ergo ſimiliter ſcientia erit vnus tantùm habitus. Probatur conſequentia, quia ſicut ille habitus ſcientiæ moralis extenditur ad tam diuerſos actus, ita ſimiliter habitus ſcientię extendetur ad diuerſas concluſiones, & in hoc exemplo triumphat Vaſq. citatus ſupra 1.2. num. 17. á §. Cæterum, exiſtimatque negotium omnino confeciſſe. Negatur tamen conſequentia, diuerſa ratio eſt in fide diuina, quia (præterquamquód hæc ſit infuſa, & non cauſetur ab actibus, vt probo in Metaph. trac. 3. diſp. 70. ſect. 5. n. 2.) fides habet vnum tantùm medium, á quo ſpecificatur, nempe diuinam auctoritatem: at verò ſcientia habet diuerſa motiua, & media, quæ cauſant diuerſos actus; & actus diuerſi producunt naturaliter diuerſos habitus; & idem dicendum de virtutibus moralibus, tendunt enim in obiecta materialia, ſub codē motiuo, v. g. Temperantia, ſub motiuo *mediocritatis*. Hæc ſolutio ſub hoc exemplo de mediocritate circa Temperantiam, non mediocriter ſatiſfacit, licet P. Vaſq. non temperanter reclamet. Hæc doctrina de habitu ſcientiæ magis conſtabit ex Metaphyſ. diſput. 70.

De Corruptione ſcientiæ.

19 QVinta concluſio. Scientia verè, & propriè habet contrarium, nēpe errorem, à quo ex directo corrumpitur: ita expreſſè D. Thom. 1. 2. q. 53. ar. 1. & hæc neceſſariò eſt communis omnium Theologorum, & Philoſophorū. Probatur, quia eſſentiales conditiones ſcientiæ ſunt, vt ſit aſſenſus verus, certus, & euidens: ſed error habet conditiones ex directo contrarias, ſiquidem eſt aſſenſus falſus, incertus, & incuidens poſitiuè: ergo &c. *D. Thom.*

20 Quo pacto verò fieri poſſit hæc corruptio explicat D. Thom. eodem ar. 1. ad 3. primò per infirmitatem, vel alium motum corporalem, vt dum quis in amentiam incidat, nam anima noſtra, eiuſque operationes dependēt maximè ab organis corporeis, quæ ſi ſint malé affecta, malé etiam miniſtrant intellectui. Secundò etiam fieri poteſt, vt per obliuionem medij ſcientifici locus detur falſis imaginationibus, & apprehēſionibus, quibus demonſtrationis vſus, etiam quòad habitus, amittatur; ac proinde occaſio præbetur, ſaltem per accidens, errori ſubintranti. Non eſt autem error negatio ſcientiæ, ſed aſſenſus quidam poſitiuus, & falſus, oppoſitus ſcientifico, qui multis modis ſubintrare poteſt. *Error eſt traiiatur ſcientiæ. D. Thom.*

21 Præter hanc cauſam corruptionis ſcientiæ, deperdi etiam poteſt ſcientia actualis per obliuionem concluſionis, vel per obliuionem medij, quod eſt cauſa formalis, propter quam intellectus aſſentitur concluſioni, ideſt, ſcientiæ actuali. Ac tandem vltra has cauſas addit Ariſtoteles in hoc lib. cap. 4 corrumpi ſcientiam, propter corruptionem obiecti; & deinde propter corruptionem ſubiecti, nempe intellectus, in quo eſt ſcientia: loquitur autem Ariſtoteles ex ſuppoſitione, vt communiter ibi aduertunt interpretes, ſiquidem obiectum ſcientiæ, quia vniuerſale eſt, corrumpi non poteſt; nec item ſubiectum, quod ſpirituale eſt. *Ariſtot.*

DISPVTATIO XIX.

De Opinione, ac Fide comparatis cum ſcientia.

QVia de ſcientia diſſeruimus, aliquid etiam de Opinione degustandum eſt, quæ, vt docet Philoſophus in hoc lib. cap. 26. aliqualem cum ſcientia vendicat conuenientiam, quatenus ſcilicet ambæ circa idem obiectum negotiari poſſunt, quāuis ſimpliciter diſſocientur, opinio enim habetur de rebus mutabilibus, ſcientia verò de certis, ac immutabilibus; & quemadmodùm dantur plures habitus ſpeculatiui certi, & euidentes, (nimirum intellectus, *qui eſt habitus*

quo

quo aſſentimur primis principijs ; ſapientia, *quæ eſt cognitio rerum per altiſſimas cauſas*, quæ eſt Metaphyſica; & denique ſcientia, de qua actum iam eſt;) ſic etiam dantur habitus alij in euidentes, quales ſunt opinio, fides humana, & ſuſpicio, de his igitur reſtat diſputare.

SECTIO I.

Quid ſit Opinio, quæ eius formido, & quomodo differat á fide, & ſcientia?

Proponitur definitio opinionis.

1 PRima concluſio. Opinio *eſt habitus inclinans ad aſſentiendum alicui concluſioni, ſeu propoſitioni, vel ex terminis, vel propter rationem aliquam probabilem, cũ formidine alterius partis oppoſitæ*. Ex eo autem, quòd Opinio ſit aſſenſus vnius partis, diſtinguitur à dubio, quod non dicit aſſenſum determinatum ad vnam partem, ſed potiùs importat negationem aſſenſus, nam quando intellectus eſt poſitiuè dubius, apprehendit rationes dubitandi pro vtráque parte æquales, & nulli parti determinatè adhæret, ſed iudicium ſuſpendit; in opinione verò poteſt ſe determinare ad alteram partem. Per illam particulam, *cum formidine*, diſtinguitur opinio à ſcientia, quæ eſt aſſenſus certus, & euidens, omnem formidinem excludens de veritate alterius partis. Opinio autem, vel eſt mediata, nempe illa, quæ nititur aliquo medio; vel immediata, nempe illa, quæ non habet medium, ſed ex terminis videtur ſic, vel ſic apparere; inter ſe autem ſpecie differunt. mediata enim diſcurſiua eſt, non verò immediata, vt patet.

2 Dubitari hîc ſolet, an hæc formido ſit de eſſentia opinionis? pro quo dubio ſit ſecunda concluſio. Formido radicalis, ſiue intrinſeca, quæ non eſt aliud, quàm ipſe poſitiuus modus tendendi formidoloſè in obiectum, cui eo modo non repugnat ſubeſſe falſitas, eſt de eſſentia opinionis, vt patet, ac proinde tolli non poteſt, quia res conſtare non poteſt ſine ſua eſſentia: de qua re latè Vallius in Log. tom. 2. diſp. 4. par. 5. quæſt. 6. cap. 6.

Triplex datur formido.

Vallius.

3 Vltra hanc formidinem radicalem, & intrinſecam datur alia ex parte obiecti, quæ nihil eſt aliud, quàm negatio euidentiæ, ac certitudinis in obiecto, eo modo, quo attingitur ab actu opinatiuo; quæ formido, cùm ſit negatiua, non poteſt eſſe de eſſentia actus poſitiui, qualis eſt opinio, nihilominùs illam, neceſſitate logica, comitatur, quia tanquàm conſequenter ſe habet, vt proprietas quarto modo, atque adeó nunquàm exhauriri poteſt, nam licet dentur multæ rationes probabiles, quæ tollãt aliquam partem formidinis, aliam etiam formidinem addunt, quia ſunt probabiles, atque adeó formidoloſæ.

4 Præter has formidines, datur alia actualis ex parte ſubiecti, ſiue ex parte intellectus, quæ nihil eſt aliud, quàm vacillatio intellectus circa aliquam propoſitionem; hanc autem probabilius eſt, poſſe intellectum omnino exuere: ita expreſſè docet Ariſtoteles 7. Ethicor. cap. 3. Cùm, inquit, *nonnulli ex his, qui opinantur non ambigant, ſed certò ſe ſcire exiſtiment.* Imó, teſte eodem Philoſopho, aliqui tenaciùs adhærent erroribus (qui ſunt quædam veluti opiniones falſæ) quàm alij veritatibus. Confirmatur ex fide humana, quæ aliquando exuit omnem formidinem extrinſecam. Ac tandem probatur à priori, quia hæc formido oritur in intellectu ex actibus, qui attingũt in obiecto rationes vacillandi, ſed actus non ſemper attingunt in obiecto formaliter, & expreſſè omnes conditiones, quæ ſunt in obiecto, vt patet: ergo &c. Ariſtot.

5 Obijcis. Omnis cauſa formalis applicata ſubiecto apto communicat illi ſuum effectum formalem: ſed opinio eſt eſſentialiter actus formidoloſus: ergo applicata intellectui, illi neceſſariò communicabit formidinem. Reſpondeo conſequentiam veram eſſe de formidine intrinſeca, non verò de extrinſeca: actus enim ſolùm cõmunicat id, quod in obiecto attingit, cùm ergo non attingat rationes formidandi, illas minimè communicabit; & cùm alioquin ſit eſſentialiter formidoloſus intrinſecè, hãc formidinem intrinſecam communicabit.

6 Inſtas. Scientia ſemper habet annexã certitudinem, ac euidentiam extrinſecas ex parte ſubiecti: ergo ſimiliter opinio ſemper habebit coniunctam formidinem extrinſecã ex parte intellectus. Reſpondeo, negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia ſciẽtia eſt actus perfectus, cuius conditio eſt, vt cognoſcatur, vt talis, vt ſæpe dixi. at verò opinio eſt actus imperfectus, qui propterea nõ omnes rationes attingit in obiecto, (alioquin eſſet ſcientia) & ideò eas non ſemper communicat intellectui.

7 Ex dictis colligitur contra Valent. 2. 2. diſp. 1. q. 1. pun. 4. §. Atque adeó, opinionem eſſentialiter diſtingui à fide humana, quæ *eſt habitus inclinans ad aſſentiendum alicui propoſitioni, propter auctoritatem alicuius, ſed cum formidine partis oppoſita.* Probatur, quia habent media eſſentialiter diuerſa, fides enim nititur auctoritate dicentis, & propterea diſcurſiua non eſt: at verò opinio habet pro medio rationẽ ali- Valent. Quid ſit fides humana?

aliquam probabilem, vel ſignum aliquod, & prætereà opinio mediata diſcurſiua eſt: quod latè oſtendit Vallius in Log. tom. 2. diſp. 4. par. 5. q. 5. cap. 8.

Vallius.

Quo pacto ad opinionem, & fidem requiratur pia affectio?

Pia affectio eſt omnino neceſſaria ad fidem.

8 Secunda concluſio. Pia affectio voluntatis, prout eſt *quidam actus imperij, quo voluntas quodammodò imperat intellectui, vt aſſentiatur,* neceſſaria omninò eſt ad eliciendum quemcumque actum opinionis, aut fidei. Ita D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 4. & colligitur ex communi Theologorum ſententia, qui requirunt hanc piam affectionem ad eliciendos actus circa fidem diuinam, (quæ voluntas credendi ſupernaturalis eſt, & ex Gratia, vt definit Conc. Arauſicanum can. 4. & videri poteſt latiſſimè apud Lorcam diſp. 8. de Grat. Soar. de Grat. tom. 1. lib. 2. cap. 3.) cùm igitur hæc pia affectio omnino neceſſaria ſit ad res de fide diuina, quæ eſt omnino certa, à fortiori requirenda eſt ad opinionem, & fidem humanam, quæ ſunt incertæ, & fallibiles.

D. Thom.

Lorca. Soar.

9 Ratio autem à priori eſt, quia intellectus eſt pars totius hominis, ac proinde ſubordinatus voluntati, præcipuè circa obiecta, in quibus euidentia veritatis non pertrahit ipſum intellectum; quando igitur intellectus in dubio eſt, pendet à voluntate, quæ cum ſit primum mouens in homine, quando potentiæ cognoſcentes omnino non neceſſitantur ab obiectis, poteſt illas ad actus applicare, vel ab eis remouere, cùm veró intellectus circa obiecta opinabilia minimè neceſſitetur, indiget impulſione voluntatis ad opinãdum, & credẽdum vtràque fide, tam diuina, quàm humana, ſiquidem vtriuſque fidei obiectum, ſicut etiam opinionis, ex ſe non eſt euidens. Quæ impulſio, ſiue imperium ab electione voluntatis prouenit: atque adeó plerumque ipſa ex pia affectione circa magiſtrum, vel ex paſſione erga inimicum, ita determinat intellectum ad aliquas opiniones, vt nihil formidet. Vnde etiam patet ex quo principio naſcatur, vt notitia intrinſecè fallibilis potẽtiam tamen ſimpliciter certam reddat: non eſt tamen ſemper neceſſarius amor, ſiue inclinatio voluntatis erga aliquem, vel erga aliquam veritatem, vt eam amplectamur, experientia enim conſtat nos ſæpe numero eam opinionem amplecti, quam ſcimus eſſe ſapiẽtis hominis, erga quem minori propenſione voluntatis afficimur, quam in oppoſitam alterius amici, quia rationes illius efficaciores nobis videntur, quàm huius.

10 Quarè non adeò potens eſt hæc pia affectio, vt poſſit pro libito trahere, aut præuertere intellectum, vnde ſi intellectus ſimul aduertat, & penetret rationes duarum opinionum, quarum vna probabilior ſit, non poteſt, probabiliori relicta, minùs probabilem amplecti. Probatur, quia eo ipſo, quòd opinio offertur intellectui, vt probabilior, proponitur illi, vt verior: ſed intellectus eſt potentia naturalis, ac determinata ad verum: ergo neceſſariò magis inclinabitur ad eam partem, vbi maiorem veritatem viderit radiare: & cõfirmatur, quia eo ipſo, quód intellectus iudicat hanc opinionem probabiliorem, iudicat aliam eſſe minùs probabilem: ergo non poteſt illam amplecti, quia lumen maius abſorbet lumen minus. Adhuc tamen intellectus in eo caſu liber manet, quóad indiuiduum, & à voluntate poteſt directé moueri circa exercitium, iuxta ea, quæ dixi diſputatione 17. ſect. 5. à n. 4.

Vtrúm Opinio eſſentialiter differat à ſcientia?

11 Tertia concluſio. Opinio eſſentialiter differt à ſcientia. Probatur, quia ſcientia eſt aſſenſus certùs, & euidens; opinio autem, eſt incerta, & ineuidens; ſed hæ conditiones denotant eſſentialem diſtinctionem in obiectis, à quibus hi habitus dependent: ergo &c. Confirmatur, & declaratur, quia ſcientia eſt cognitio omnino certa, in qua intellectus debet omnino acquieſcere: ergo ipſa in ſe intrinſecé debet eſſe omnino certa, & euidens; & prætereà debet habere obiectum, quod ſit certum, & euidens; quod tamen in opinione non militat, vt patet ex dictis, eſt enim eſſentialiter ineuidẽs, & incerta. Vtrúm veró præter hanc differentiam, admittant etiam contrarietatem? mox diſputabitur.

SECTIO II.

Vtrùm poſsit in eodem intellectu ſimul dari ſcientia cum opinione, vel cum fide, circa idem obiectum?

1 Prima concluſio. Scientia, & opinio quòad habitus, vel etiam actus ſciẽtiæ, & habitus opinionis, aut è contra actus opinionis, cum habitu ſciẽtiæ poſſunt ſimul naturaliter eſſe in eodem intel-

intellectu, circa idem obiectum. Hanc ſenten-tiam ſequuntur hodie Conimbr. in Log lib. Poſt. c. 16. de Scient. q. 2. ar. 1. in quo mihi maximè placent: fauet D.Th. 3. p. q. 9. art. 3. ad 2. docẽs poſſe permanere cognitionẽ probabilẽ cũ ſciẽtia. Probatur, quia tota repugnantia habituum eſt per ordinem ad actus; ſed intellectus poteſt pro diuerſis ſaltem tẽporibus: habere actũ ſcientiæ, & actum opinionis: ergo poterit conſeruare ſimul hos habitus, qui inclinent ad diuerſos actus, ſaltem pro diuerſis temporibus; quod nullũ eſt inconueniens, ſiquidem habitus per ſe nõ repugnant, ſed ratione actuũ: neque per habitus dicimur certi, vel incerti: neque prætereà habitus repugnat cũ actu, vel è contra. Confirmatur, quia experimur, nos ex vſu mediorum probabilium acquirere habitũ, etiã circa res, de quibus habemus ſcientiam, quin ipſam ſcientiam amittamus; nam actus opinatiui naturaliter producunt habitũ opinionis, ſicut actus ſcientiæ generant habitum ſcientificum, & actus opinionis eſt aliquando diſpoſitio ad actum ſciẽtiæ, vt mox oſtendam.

Conimbr.

2 Obijcis pro contraria opinione, quæ abſolutè docet, non ſolùm circa actus, ſed etiã circa habitus, repugnare ſcientiam, & opinionem; quam tenet Scotus in 3. diſt. 24. q. vnica. §. Contra hæc primò. Durand. in Prologo ſentent. q. 1. n. 22. Caiet. in cõment. lib. Prior. cap. 26. dubio vltimo. quam prætereà amplexus eſt Mag. Maſius ibid. q. 5. idem tenent Bãnez, Zumel, Tolet, Cabrer. Torr Capr. & alij, quos citat Gallego contr. 32. cum quibus amicè conſpirat Barth. Amicus in lib. Poſt. tra. 27. d. 2. dub. 5. art. 3. §. Secundò patet.

Scot. Durand. Caiet. Maſius. Bannez. Zumel. Tolet. Cabrer. Torres. Capreol. Gallego. Barth. Amicus.

3 Obijcis, inquam, primò. Habitus ſunt propter actus; ſed actus omnino repugnant ſimul. ergo & habitus. Confirmatur, quia habitus habent idem medium, & idem obiectũ, quod actus, ſed in actibus eſt aperta repugnãtia: ergo & in habitibus. Reſpondeo ad conſequentiam, quòd habitus repugnarent quidem, ſi neceſſe eſſet elicere ſimul vtrumque actum ſcientiæ, & opinionis; cùm verò elici poſſint, pro diuerſis tempor.bus, nõ repugnãt habitus. Explicatur exemplo, nam noſter intellectus non poteſt ſimul amare, & non amare idem obiectum, poteſt tamen habere ſimul habilitatem, vel aptitudinem ad amãdum illud, vel non amandum, pro diuerſis temporibus; & ita ſe habent habitus, qui ſunt veluti potentiæ; vndè quamuis habitus opinatiui, ſemper inclinent ad opinionem, quando tamen intellectus habuerit actum ſciendi, non poterit prodire in actum formidandi, quia, vt dixi, lumen maius abſorbet lumen minus. Ad confirmationem reſpondeo quòd licet medium ſit idem, & obiectum, nihilominùs diuerſo modo ſe habent ad actus, & habitus; habitus enim non tribuunt oppoſitas denominationes, ſicut tribuunt actus, vt magis patebit ex dicendis.

4 Obijcis ſecundò. Medium ſcientificũ deſtruit obiectum opinionis: ſed deſtructo obiecto, non poteſt permanere habitus: ergo qui elicit actum ſcientiæ, non poteſt habere habitum opinatiuum. Probatur minor, quia habitus, & potentiæ eſſentialiter pendent ab obiecto. Reſpondeo negãdo maiorem, neque enim actus ſcientiæ deſtruit omnino obiectũ opinionis, adhuc enim ſaltem apparenter dari poteſt, quia licet ex vi medij ſcientifici maneat obiectum omnino certum, hoc non tollit quominùs ex vi medij probabilis appareat obiectum obſcurum.

5 Obijcis tertiò. Fides diuina nequit in Beatis permanere etiam, quòad habitum, cum viſione beata: ergo neque ſcientia habitualis cum opinione habituali. Reſpondeo negando antecedens, quia & ſi repugnet naturaliter actus fidei cum actu claræ Dei viſionis, circa habitus non datur repugnantia, neque enim repugnat poteſtas eliciendi actum in cõpoſſibilem, cum eodem actu, ſaltem pro diuerſis tẽporibus, vt patet ex dictis. Quod autem de ſcientia, & opinione dictũ eſt, idem cum proportione intelligendũ eſt de ſcientia, & fide quòad habitus, quod latè oſtendit, & probat Soar. de Fide diſp. 3. ſect 9. n. 4. & 5. *Soarius.*

Reſoluitur quæſtio quoad actus.

6 Secunda concluſio. Actus ſcientiæ circa idem obiectum, id eſt, circa eãdem propoſitionẽ, poteſt eſſe ſimul naturaliter cũ actu opinionis, qui nõ habeat actualem formidinem. Ita Dur. in q. 1. Prologi. n. 23. fine. Mol. 1. p. q. 1. art. 1. diſp. 2. §. In omni lege. Val. item tom. 3. diſp. 1. pũcto 4. §. Ad quintum. vbi citat Bonauent. & idem tenet Murſia in lib. Poſter. cap. 28. diſp. vnica. q. 9. §. Contraria. vbi prætereà citat Alenſ. Pro eàdem ſtant Conimbricenſes 1. Poſter. cap. 16. q. 2. art. 2. Idem ſequitur Hurt. de Anima. diſp. 10. ſect. 5. §. 48. Fauet D.Th. 3. p. q. 9. art. 3. ad 2. quatenus docet, cognitionem probabilem perſeuerare poſſe cum ſcientia: pro eãdem concluſione ſtat noſter Barth. Amicus in lib. Poſt. tract. 27. diſp. 2. dub. 5. ar. 3. §. Secunda concluſio.

Actus ſcientiæ poteſt eſſe cum actu opinionis, quæ non habeat formidinem. Durand. Mol. n. Valent. Bonau. Murſia. Alenſ. Conimbr. Hurtad. D Thom. Barth. Amicus.

7 Probatur ratione, vel hæc repugnantia prouenirет ex parte obiecti, vel ex parte potentiæ: non ex primo, non etiã ex ſecundo: ergo &c. Probatur minor quòad primã partẽ, quia

Vtrùm actus ſcientiæ, & opinionis cum formidine actuali ſimul eſſe poſſint?

Reſolutio eſt negatiua.

14 TErtia concluſio. Actus ſcientiæ, & opinionis habentis actualem formidinem, non poſſunt ſimul naturaliter dari in eodem intellectu, circa eandem propoſitionem. Ita D. Thom. 2. 2. q. 1 art. 4 & 5. ad 4. Caiet. & Capr. ibi. Valent. tom. 3. diſp. 1. q. 1. pun. 4. § 2. initio. Durãd. in Prolog. ſentent. q. 1. n. 21. Rub. in Log. tract. 5. de Habitibus, q. 3. vbi n. § 1. citat Alex. Alenſ. Altiſiod. Bonau. Henric. & alios: eãdẽ ſequitur Hurtad. de Anima. diſp. 10. ſect. 5. §. 46. tenentque Patres Conimbricenſes ſupracitati, & à fortiori tenet Scot. in 3. diſt. 24 q. vnica, §. Contra hæc primò; (quatenus abſolutè negat, poſſe eſſe ſciẽtiam cum opinione) eadem via progreditur M. Maſius lib 1. Prior. cap. 26. q. 5. Item Tolet. in Log. eodem cap. in expoſitione textus n. 8. Barthol. Amicus in libr. Poſt. tract 27. diſp. 2. q. 5. art. 3. (quamuis repugnantiam extendat; etiam quo ad actum cum habitu, vel è contra, quod mihi nõ placet) pro nobis etiam ſtat Vallius in Log. to. 2. diſp. 4. par. 5. q. 7. cap. 6.

D. Thom. Caiet. Capreol. Valent. Durand. Rubius. Alenſ. Altiſiod. Bonau. Henric. Hurtad. Patres Conimbr. Scotus. Maſius. Tolet. Barth. Amicus. Vallius.

15 Hæc concluſio bene colligitur ex dictis, probatur tamen, quia intellectus per actum ſcientiæ redditur certus; per actum verò opinionis redditur incertus: ſed nõ poteſt eſſe ſimul certus, & incertus: ergo &c. Atque hinc tandem conſtat, hanc oppoſitionem eſſe ratione ſubiecti, cui tribuunt has denominationes oppoſitas.

16 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quam tenet Serna in Log. diſp. 4. ſect. 3. q. 3. art. 1. §. Oppoſita, quatenùs abſolutè docet, poſſe eſſe ſcientiam, & opinionem circa idem obiectum materiale, in eodem intellectu, quãuis fateatur] repugnare circa idem obiectum formale; & per ſe allegat, neſcio quo iure, D. Th. & alios: idẽ tenent Valent. 2. 2. diſ. 1. q. 1. puncto 4. q. 2. vbi citat Alenſ. Altiſiod. & Gabriel. Obijcis, inquam, primò. Scientia, & opinio non habent oppoſitionem contradictoriam, ſiquidem ſunt actus poſitiui. Deinde nõ habent contrarietatem poſitiuam, reſpectu eiuſdem obiecti materialis, ſiquidem, ſi ita eſſet, neque in diuerſis hominibus poſſent ſimul eſſe circa idem obiectũ: ergo abſolutè poſsũt ſimul eſſe. Reſpõdeo hos actus habere oppoſitionem cõtradictoriã, non quidem, ratione ſui, vt ſupra explicatum eſt, ſed, ratione eiuſdem intellectus, cui tribuũt tales denominationes oppoſitas, ſicut calor, vt octo, & calor, vt duo, nõ ſunt cõtrarij, reſpectu ſui, & tamẽ, reſpectu ſubiecti dicũt oppoſitionem, ſiquidẽ idem ſubiectũ non poteſt ſimul dici calidũ, vt duo, & non calidũ, vt duo, ideſt calidum, vt octo. In eo verò, quod aſſumit argumentũ, videlicet hanc contrarietatem nõ eſſe, reſpectu obiecti materialis, ſed, reſpectu obiecti formalis, ita concedendum eſt: nihilominùs negandũ eſt, ſimul dari poſſe tales actus, quia licet non repugnent, reſpectu obiecti materialis, repugnant tamen, reſpectu potentiæ.

Serna

D Thom. Valent. Alenſ. Altiſiod. Gabriel.

17 Inſtas: Non repugnat, intellectũ per diuerſa media habere diuerſos actus inadæquatos; ergo poterit ſimul habere actus ſcientiæ, & opinionis. Probatur conſequẽtia, quia hi actus non tribuunt neceſſariò denominationes contradictorias: ergo &c Probatur aſſumptũ, nã licet intellectus dicatur certus ab actu ſcientiæ, non neceſſariò dicetur incertus ab actu opinionis, ſiquidem poteſt opinio nõ tribuere talem incertitudinem. Ad hoc argumentũ, quo vtitur Serna citatus, reſpõdetur, nullã habere vim, procedit enim extra limites quæſtionis, ſupponimus nãque, opinionem cõmunicare intellectui ſuam formidinem actualem; & in hoc caſu negamus, dari ſimul poſſe, propter rationem ſupra aſſignatam.

18 Ex dictis bene colligitur, non poſſe etiam diuinitus ſimul dari hos duos actus ſcientiæ, & opinionis; quod, præter citatos, tenet Soar. to. 3 in 3. p. ad q 75. art. 1. d. 48. ſect. 6. §. Atque hinc probabile; (quatenus negat, dari poſſe vel diuinitus actus contrarios vitales aſſenſus, & diſſenſus.] Ratio verò eſt, quia hi actus inducunt conditiones contradictorias, vt patet ex dictis.

Soar.

19 Obſtas. Probabile eſt, poſſe ſimul dari actum fidei, cum actu ſcientiæ, vt ex Mol. Vaſq. & alijs probat Hurt. de Anima, diſp. 10. ſect. 3. à §. 48. & tenet abſolutè Soar. de Fide diſp. 3. ſect. 9. à n. 7. & probabilem item credit Ioannes Baptiſta Nouatus de Eminent. Deiparæ tom. 2. cap. 4. quæſt. 8. ergo ſimiliter probabile erit, poſſe ſimul dari, ſaltem diuinitus, actũ ſcientiæ, & opinionis. Probatur conſequentia, quia ſicut ſcientia eſt clara, & fides obſcura; ita fides eſt ineuidens, & ſcientia euidens. Reſpondeo, negando conſequentiã; ad probationem danda eſt maior ratio, quia etſi fides non afferat ſecum euidentiam, eam tamen aliũde venientem nõ expellit, quia de ratione formali fidei non eſt, quòd ſit ineuidens, ſed quòd ſit credibilis, atq; adeò ſolùm ſe habet negatiuè circa euidentiam. Opinio verò, nõ ſolùm non affert certitudinem, ſed eã expellit per incertitudinem poſitiuam. Additur, quòd fides diuina, & ſcientia cõueniãt

Molina. Vaſquez. Hurtad. Soarius. Nouatus.

in certitudine: at verò opinio cum actuali formidine, & ſciẽtia in nullo conueniũt, ac proinde ſimul eſſe non poſſunt.

20 Vtrùm verò poſſint actus ſcientiæ, & opinionis ſimul in diuerſis locis dari in eodẽ intellectu, per diuinam omnipotentiam? Negat Soar. cit. & Conimbric. in Log. de Poſter. reſolut. cap. 26 q. 1. art. 3. oppoſitum tamen probabilius iudico, & probo in 2. p. trac. 1. lib. 4. diſp. 1. ſect. 4. à n. 11. agendo de accidentibus, quæ conueniunt corpori poſito diuinitus in duobus locis. Vtrùm præterea poſſit dari ſimul fides diuina cum ſcientia? Quæſtio eſt grauis, & Theologica, quæ ex dictis facilé reſolui poteſt: nihilominus Theologis relinquenda eſt, pro qua videri poteſt Soar. de Fide, diſp. 1. ſect. 9. & P. Petrus Puẽte Hurtado de Mendoça tom. de Fide diſp. 20. & nouiſſimé Ioannes Baptiſta Nouatus de Eminent. Deiparæ tom. 1. cap. 4. q. 8. Imó noſter Rodericus de Arriaga in ſuo Curſ. Philoſ. d. 6 de Anima, ſec. 6. ſubſect. 3. defẽdit poſſe eũdẽ actũ eſſe ſcientiam, fidem, & opinionem circa idem obiectum, per diuerſa tamen motiua. Hæc circa lib. 1. Poſter. ſecũdus nihil habet, quod negotium faceſſat.

Soarius Colleg. Conimbr. *Soarius. Hurtad. Nouat. Arriaga.*

CIRCA LIBROS TOPICORVM.

NOTATIVNCVLA.

21 Yllogiſmus probabilis *eſt ille, qui conſtat materia probabili*. Quod, vt percipiatur, aduertendũ eſt, ſyllogiſmum ſecundùm materiam, diuidi in quatuor mẽbra; materia enim, quamuis ſecundùm ſe ſolùm ſit, vel neceſſaria, vel probabilis; nihilominùs quoad nos quadruplex eſt; prima eſt neceſſaria, ſecundùm ſe, aptaq; ac proinde demonſtrationi, ſiue ſyllogiſmo demonſtratiuo, ſecũda nõ eſt neceſſaria ſecundùm ſe, ſed tantùm apparenter, conducitque ſyllogiſmo pſeudographo: tertia materia apparet probabilis, ſed talis non eſt, inſeruitque proinde ſophiſtico ſyllogiſmo: Quarta materia probabilis eſt, atque adeó ſyllogiſmo probabili, ſiue dialectico, peraccommoda.

Quotuplex ſit ſyllogiſmus.

22 Circa hos ſyllogiſmos, aduertendum eſt, quòd, ſi fortè in aliquo ſyllogiſmo cõcurrant duæ præmiſſæ, quarum vna ſit probabilis, & altera neceſſaria, concluſio ſemper futura eſt probabilis; & generaliter loquendo, ſyllogiſmus conſtans ex vna neceſſaria, & altera ſophiſtica; vel ex vna probabili, & altera erronea, ſemper collocatur ſub eo membro, in quo collocatur propoſitio deterioris conditionis, quia in his rebus, ſemper effectus ſequitur deteriorem partem ſuæ cauſæ; nam *malum ex quocumq; defectu, bonum non, niſi ex integra cauſa*: neceſſaria veró propoſitio eſt omnium nobiliſſima, quia gignit ſcientiam; ſequitur deinde probabilis, quæ generat opinionem: poſteà verò propoſitio ſophiſtica ſequitur, quæ generat deceptionem: ac tandem ſequitur propoſitio pſeudographa, quæ omnibus deterior generat errorem.

23 Hæc lentiùs, & perdoctiſſimè ſequũtur Patres Conimbr. quibus Elenchorum Labyrinthum adeundum, & extricandum relinquo: ipſis vero in hac parte, vt in alijs etiã materi s, quantùm potui ſubſcribendum duxi, nec niſi inuitus ab eorum doctrina deflector, quos vt parentes colo, & vereor vt magiſtros: At neque magiſtro detrahit, qui ſupra magiſtrum aliquid audet, & auget: *Auctoritas enim magiſtri*, (inquit Ambroſ. Epiſt. 2 ad Theſſalon.) *in diſcipulorum eſt fiducia, cùm ſe in accepta gloria ſaciunt digniores &c.* Sed iam Logicalium quæſtionum huius primæ partis ſpineto relicto, ad naturalis Philoſophiæ amæniſſimam tractationem curas, & animos intendamus.

D. Ambr.

Plaudite.

FINIS HVIVS PRIMÆ PARTIS.

Laus Deo Matrique Virgini.

SVM-

Digitized by Google

SVMMA PHILOSOPHIÆ.

AVCTORE P.M.BALTHAZARE TELLES, SOCIETATIS IESV.

PARS SECVNDA IN LIB. PHYSICORVM, ET IN LIB. DE CÆLO, AC METEOR.

TRACTATVS I. IN OCTO LIB. PHYSICORVM.

PRÆLOGIVM.

ABSOLVTA iam prima parte Philoſophiæ, quæ ad Logicam pertinebat, libros naturalis Philoſophiæ, hoc eſt de ſubſtantia corporea, bene ominato numine, explicandos aggrediemur ;& in hac ſecunda parte Summæ,ita me geram , vt eodem Laconico tramite incedens, faciles quæſtiones ſtylo breuiori leniter, ac leuiter perſtringam,difficiles lentiori trutina reuocem ad examen. Sub hac aurea mediocritate rectiùs, & correctiùs procedam,

—— Neque altum
Semper vrgendo,neque dum procellas
Cautus horreſco,nimiùm premendo
Littus iniquum. Horat. Odcio.li.2.

Atque ita ſequemur ordinem Magni Ariſtotelis,
—— (Quo me duce, quo lare tutor). Horat Epiſt.1.li.1.

Vt eius veſtigijs omnino inhærentes, prolixam tamen , & inconcinnam textuũ explicationem,quantùm æquum fuerit, omittamus : ſicut nos docuit Sapientiſſimus D. P. Franc. Soar. in ſua Metaph. qui , quamuis ſequatur methodũ Ariſtotelicam,ab ſcriptione tamen textuum,& capitum ſeuerè abſtinuit.

In hoc igitur primo tractatu agendum eſt de octo libris Phyſicorum, ſeu de Phyſico auditu, in quibus agitur de rebus,& cauſis naturalibus, nam *Phyſis* Græcis eſt natura . Subiectum horum librorum eſt Corpus mobile de prędicamento ſubſtantiæ,de quo diſputandum eſt.

Ne verò longis, & inutilibus proœmialium quæſtionum ambagibus implicer, quibus aliqui auctores, ingrato otio, vltra quàm ſatis eſt, obruuntur : has primas

Digitized by Google

rixas de obiecto, vtilitate, ordine, & ſtructura librorum de Phyſica auſcultatione, vno Alexandri ictu omnino ſtatui reſecandas; vt qui de ſubſtantia diſſerimus, ſtatim ad ſubſtantiam operis accedamus: ſic enim ab Horatio meo ingenuè didici,

Horat. in Arte Poet.

Semper ad euentum feſtinat, & in medias res,
Non ſecus ac notas, auditorem rapit: & quæ
Deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit.

LIBER I.

DISPVTATIO XX.

De terminis, & cognitione rerum naturalium.

CVm Philoſophia ſit ſcientia ſpeculatiua, vt ſuppono, & cùm definiatur *Cognitio rerum, per ſuas cauſas*, propterea priùs agendũ eſt de rerum cognitione; quia verò res omnes naturales terminatæ ſunt, quò ad magnitudinem, ac paruitatem, in hac etiã diſputatione de rerum terminis tractabimus.

SECTIO I.

De cognitione naturali quidditatiua, & comprehenſiua, diſtincta, actuali, & potentiali.

1 PRima *concluſio*. Ad cognitionem quidditatiuam, ſeu definitiuam perfectam, ſecundùm quid, ſeu in aliquo tantùm genere, exigitur, & ſufficit perceptio omnium cauſarum internarum in eo genere; ad cognitionem verò demonſtratiuam abſoluté perfectam requiritur cognitio omnium cauſarum, tam internarum, quàm externarum: ita Conimbric. lib. 1. Phyſic. cap. 1. quæſt. 1. art. 1. á §. Secunda aſſertio. Rub. lib. 1. Phyſ. cap. 1. quæſt. 1. à num. 26. nec diſſentit Tolet lib. 1. Phyſ. cap. 1. quæſt. 4. Probatur prima pars, quia cognitio definitiua illa eſt, qua rei eſſentia cognoſcitur; ſed eſſentia ſolùm conſiſtit in cauſis internis: ergo ad notitiam definitiuam alicuius rei requiruntur, & ſufficiunt cauſæ internæ in eo genere; v. g. in genere phyſico ſufficiet cognoſcere materiam, & formam: in genere metaphyſico ſufficiet cognoſcere animal, & rationale, vt cognoſcam hominem quidditatiué, ſeu definitiuè.

Patres Conimbr. Rubius. Tolet.

2 Limitatur hæc prima pars concluſionis in relatis tranſcendentibus, & prædicamentalibus, qualia ſunt accidens, potentiæ, pater, &c. quia hæc, quà talia, definiri nequeunt ſine cognitione cauſæ, vel termini extrinſeci: non quidem, quód cauſæ extrinſecæ requirantur, ad eorum compoſitionem, ſed quia cùm reſpectus in ſimilibus relatis ſint intrinſeci, & eſſentiales, nequit eorum eſſentia definiri ſine talibus cauſis, vel terminis extrinſecis: vnde eorum cognitio neceſſarió requiritur. Siquis veró cognouerit quantitatem, non quà relatum tranſcendens eſt, habebit cognitionem definitiuam eius, ſine cognitione ſubſtantiæ, ſi eius definitionẽ rectè nouerit, quæ non explicatur per ſubſtantiam, ſed in hunc modum: quantitas *eſt ens per ſe extenſum.*

3 Probatur ſecunda pars concluſionis, ad notitiam ſcilicet demonſtratiuam abſoluté perfectam requiri cognitionem omnium cauſarum externarum, & internarum: quia talis cognitio eſt illa, qua cognoſcimus omnes cauſas, per quas res eſt, ſed res non ſolùm eſt ob cauſas internas, ſed etiam ob externas: ergo ad notitiam demonſtratiuam abſolutè perfectam requiruntur cauſæ etiam externæ. Probatur minor, quia res pendet etiam eſſentialiter à cauſa prima efficiente, (nam eſſe cuiuslibet rei creatæ eſſentialiter eſt participatum á cauſa prima) deinde pendet etiam res eſſentialiter à cauſa prima, tanquàm ab vltimo fine; & tanquám ab exẽplari: ergo qui abſoluté perfecté cognouerit eſſentiam alicuius rei, debet cognoſcere omnes cauſas, tam internas, quàm externas, ex

quibus

Digitized by Google

quibus pendet eſſentialiter. Quando verò Philoſophi dicunt, eſſentias non habere cauſas, intelligendi ſunt de cauſis creatis externis, efficiente, & finali.

4 *Secunda concluſio.* Ad cognitionem naturalem comprehenſiuam ſubſtantiæ alicuius rei, neceſſe eſt cognoſcere omnes cauſas eſſentiales, tam internas, quàm externas, omnes potentias, & proprietates, & perfectiones eius. Ita cum communi ſententia D. Thom. 1. p. quæſt. 12. art. 7. Probatur, quia cognitio comprehenſiua naturalis *eſt ea, qua res cognoſcitur, quantùm ex ſe cognoſcibilis eſt, ſecundùm ſuam eſſentiam, vel ſecundùm ea, quæ eſſentiam comitantur*: ergo &c. Vnde Angeli perfectè comprehendunt naturam hominis, materiam, & formam, & cæteras res materiales.

D Thom.

5 Obijcis. Materia habet appetitum ad omnes formas ſublunares: voluntas noſtra poteſt efficere multos actus libere; ſed intellectus creatus non poteſt cognoſcere omnes in indiuiduo formas, quas materia poteſt recipere, vel omnes actus liberos noſtræ voluntatis: ergo non poteſt comprehendere materiam primam, vel cauſam aliquam liberam. Huic argumento dant manus Conimbricenſes lib. 1. Phyſ. cap. 1. quæſt. 1. art. 3. §. Ad ſeptimum, conceduntque, mirum non eſſe, non poſſe creaturam aliquam comprehendi naturaliter, ſatis enim eſt, ſi ſupernaturaliter comprehendatur, & adhuc, inquiunt, diſtinguitur à Deo, qui neque ſupernaturaliter comprehendi poteſt ab aliquo intellectu creato.

olutio ar umenti, cui cedūt Patres Conimbricenſes.

6 Reſpondetur tamen, dato quòd non poſſit creatus intellectus comprehendere omnes effectus in indiuiduo, vel etiam in ſpecie alicuius potentiæ liberæ; & quamuis nullus intellectus creatus poſſit certó cognoſcere omnes formas in indiuiduo, quas materia poteſt recipere, adhuc tamen materia, & talis potentia libera poterit comprehendi naturaliter ab intellectu creato Angelico; quia ad perfectam comprehenſionem naturalem alicuius rei, ſufficit cognoſcere eius eſſentiam, vel ea, quæ aliquo modo ſubſtantialiter perficiunt eſſentiam: non eſt verò neceſſarium comprehendere ea, ex quibus purè accidentaliter, aut extrinſecè tantùm perficitur; hæc enim non pertinent ad eſſentiam: ex quibus ſequitur ad comprehenſionem materiæ ſufficere cognoſcere, poſſe illam recipere omnes formas poſſibiles, neque in indiuiduo neceſſe eſt illas cognoſcere, ſiquidem hæc, vel illa forma per accidens fuit, ad perfectionem eſſentialem materiæ: & ſimiliter, vt voluntas comprehendatur, ſufficit, quòd cognoſcatur, vt potens efficere plures actus liberos: & idem dicendum de toto aliquo continuo, neque enim neceſſe eſt ad eius comprehenſionem naturalem, cognoſci omnes partes, quibus actu conſtat, nam hæc, vel illa per accidens ſe habet.

7 Declaratur, & confirmatur hæc reſponſio; nam ſuperiora alicuius ordinis debent comprehendere inferiora: hinc eſt, quód cælum comprehendat aerem, aer verò terram, & quod in corporibus cōtingit circa materialem comprehenſionem, contingit etiā in ſpiritibus ſuperioribus, ſecundùm formalem comprehenſionem: vnde Angeli ſuperiores comprehendunt inferiores, & inferiores comprehendunt ſublunaria, vt eſt communis ſententia Theologorum.

8 *Tertia concluſio.* Cognitione diſtincta actuali magis Vniuerſalia notiora nobis ſunt, quàm minùs Vniuerſalia: ita D. Thom. 1. p. quæſt. 85. art. 3. in corpore, cum communi ſententia, de qua videri poteſt P. Fonſ. lib. 1. Metaph. cap. 2. quæſt. 2. ſect. 6. Probatur, quia illa eſt cognitio diſtincta actualis, *qua res cognoſcitur clarè, ſecundùm partes actuales; quibus conſtat*, vt quando cognoſco in Socrate eius animal, & rationale, quibus conſtat actualiter: ſed res vniuerſaliores habent pauciores gradus, quibus componuntur: ergo faciliùs cognoſcuntur. Probatur minor, quia gradus ſuperiores ſunt ſimpliciores, ſubſtantia enim ſolùm componitur ex ente, & ſua exiſtentia: at verò Socrates, ſeu quiſuis alius inferior hominis, componitur in recta ſerie ex ſubſtantia, corporeo, viuente, animali, &c. ergo cùm gradus ſuperiores ſint cognitu faciliores, qui res diſtinctè attigerit, ea, quæ ſunt vniuerſaliora, inueniet notiora.

D. Thom. Fonſeca.

9 *Quarta concluſio.* Cognitione diſtincta potentiali, minùs Vniuerſalia notiora nobis ſunt; ita D. Thom. 1. p. quæſt. 85. art. 3. in corpore, Patres Conimbricenſ. 1. Phyſ. cap. 1. quæſt. 1. art. 3. §. Secunda concluſio. Fonſ. 3. Metaph. cap. 2. quæſt. 2. ſect. 4. §. Præterea Vniuerſalia. Probatur, quia cognitio diſtincta potentialis eſt illa, qua aliquod totum potentiale, genus v. g. diſtinctè cognoſcitur, cognitis eius inferioribus, quæ dicuntur partes potentiales: ſed minùs Vniuerſalia habent pauciores partes potentiales, quia habent pauciora inferiora, nam homo habet ſub ſe ſolos homines particulares, animal veró, præter homines, habet equū, leonē, &c. ergo faciliùs cognoſcūtur, ac proinde ſūt nobis notiora cognitione diſtincta potentiali. Quando verò Ariſtoteles dixit: *Non eadem ſunt nobis, & naturâ ſuâ nota, &c.* per ea *naturâ*

D Thom. Conimbr. Fonſeca.

Digitized by Google

ſuâ nota, intelligit minùs vniuerſalia, quæ quidem non ſunt nobis notiora cognitione diſtincta actuali, ſiquidem plures habent gradus, ſeu partes, ex quibus componuntur, vt patet ex ſuperiori concluſione.

SECTIO II.

Quodnam ſit primum cognitum á noſtro intellectu?

Primũ cognitum eſt accidens.

1 PRima concluſio. Primum cognitum à noſtro intellectu cognitione confuſa actuali, eſt accidens corporeũ, ſeu ens corporeum, non verò ſpecies aliqua atoma, & perfecta, atque adeò oculus priùs videt corpus aliquod ſingulare; & primum Vniuerſale, quod abſtrahit noſter intellectus, eſt corpus: ita D. Thom. de Ente, & eſſentia cap. 7. & 1. p. q. 85. ar. 3. in corpore. Soncinnas 6. Met. q. 12. Caietanus Opuſc. de Ente, & eſſentia cap. 1. Rub. lib. 1. Phyſ. cap. 1. q. 3. num. 46. Probatur, quia intellectus noſter, dum eſt in corpore, nihil cognoſcit, niſi per ſenſus; ſed ſenſus nihil cognoſcunt, niſi corporeum: ergo illud obiectum priùs cognoſcet intellectus, quod priùs ſenſui obijcitur, & quod efficaciùs mouet ſenſum: atqui priùs, & efficaciùs mouent ſenſum accidentia corporis, quàm accidentia alicuius ſpeciei perfectæ, v. g. hominis: ergo cognitione confuſa actuali, (quæ dicitur illa, *qua res non diſtinctè ſecundùm partes, quas habet, ſed promiſcuè actualiter cognoſcitur*) accidens corporeum, ſeu ens corporeum eſt primum cognitum á noſtro intellectu.

D. Thom. Soncin. Caiet. Rubius.

2 Quæ doctrina vera eſt, ſiue adſint impedimenta, (vt quando à longè videtur obiectum, nam tunc priùs cognoſcimus eſſe corpus, deinde eſſe viuens, per accidentia motus, & deinde animal, poſteà hominem, ac tandem Socratem) ſiue non adſint impedimenta, quia de propinquò fortiùs mouent ſenſum accidentia corporea, color v. g. & magnitudo, quàm accidentia alicuius ſpeciei; ac proinde priùs ſenſus cognoſcit corpus, quàm hominem, & Petrum: priùs quidem prioritate naturæ, ſeu potiùs prioritate temporis breuiſſimi; & cùm noſter intellectus cognoſcat Vniuerſalia, per abſtractionem à ſingularibus, priùs cognoſcit corpus vniuerſale, quàm ſpeciem aliquam atomam: deinde verò ſi adſint impedimenta, ſtatim poſt cognitionem corporis, percipit intellectus noſter gradus aliquos communiores, v. g. ex motu percipit gradum animalis; ac tandem, remotis omnibus impedimentis, elicit cognitionẽ alicuius ſpeciei infimæ, ſeu indiuidui alicuius ſpeciei infimæ.

3 Obijcies pro contraria ſententia, quæ docet, ſi non adſint impedimenta, diſtantiæ v. g. primum cognitum à noſtro intellectu eſſe ſpeciem infimam, ſeu indiuiduum alicuius ſpeciei perfectæ: ſi verò adſint impedimẽta, eſſe gradum aliquem communiorem. Quã ſequuntur Scotus in 1. diſt. 3. q. 2. Tolet. 1. Phyſ. cap. 1. q. 5. §. Tertia concluſio: qui hanc ſententiam dicit certiſſimam. Fracaſtorius lib. 1. de Intellect. ad finem. Fonſeca lib. 1. Met. cap. 2. q. 2. ſect. 4 §. Prima concluſio: & alij, quos citant, & ſequuntur Conimbr. lib. 1. Phyſ. cap. 1. q. 3. art. 3. §. Prima in hoc loco, & ſect. 2. ad marginem.

Proponitur, & reijcitur contraria opinio.

Scotus. Tolet. Fracaſt. Fonſeca. Patres Conimbr.

4 Obijcis, inquam, cauſæ naturales non impeditæ ſtatim edunt nobiliſſimum effectum, quem poſſunt; ſed intellectus eſt cauſa naturalis; ſpecies infima eſt nobiliſſimus effectus, alioqui nulla dantur impedimenta, vt ſupponimus: ergo primum cognitum à noſtro intellectu non eſt obiectum corporeum, ſed eſt ſpecies aliqua perfecta. Reſpondetur negando maiorem, experientia enim conſtat oppoſitum: nam ignis, quamuis nullum habeat impedimentum, priùs tamen producit imperfectas diſpoſitiones, deinde perfectiores, ac tandem peruenit ad formam ignis perfectiſſimam. Similiter in generatione hominis priùs producuntur formæ imperfectæ, & vniuerſaliores embrionis, viuentis, &c. ac tandem introducitur anima rationalis: ergo ſimiliter procedet intellectus in ſuis cognitionibus, vt primò efficiat operationes imperfectiores, & magis confuſas, ac tandem producat cognitionem perfectiſſimam alicuius ſpeciei infimæ.

5 *Secunda concluſio*. Primum cognitum à noſtro intellectu eſt ſingulare, non verò Vniuerſale: ita Durand. in 2. diſt. 3. q. 7. Piccolomineus de Phil. morali, gradu 5. cap. 18. Tromb. 7. Met. q. 7. Ocham. Gregor. & alij quos referunt, & ſequuntur Conimbricenſ. 1. Phyſ. cap 1. q. 4. art. 2. initio; & in hanc magis inclinat Tolet. 1. Phyſ. cap. 1. q. 5. §. Tertia concluſio. Probatur, quia intellectus noſter cognoſcit Vniuerſale, abſtrahendo illud à ſingularibus, ſed impoſſibile eſt, intellectũ abſtrahere Vniuerſale poſitiuum, quin priùs cognoſcat eius partes actuales, quibus cõſtat, qualia ſunt ſingularia: ergo repugnat cognoſci Vniuerſale, niſi poſt cognitionem vnius, vel plurium ſingularium: ergo ſingulare eſt primum cognitum á noſtro intellectu. Cõfirmatur, quia ſingulare eſt magis propinquum ſenſus, à quo intellectus determinatur.

Primũ cognitum eſt ſingulare. Durand. Piccolom. Tromb. Ocham. Gregor. Patr. Conimbr. Tolet.

6 Obij.

Digitized by Google

6 Obijcis pro contraria ſententia, quam ſequuntur D.Thom. 1.p. q.86.ar.1. Caietan. ibid. Capreol.in 1.diſt.35.q.2. in ſolutione argumentorum contra quartam concluſionem, & communiter Thomiſtæ, qui aſſerunt ſpecies intelligibiles repræſentare res vniuerſales. Obijcis, inquam, Species intelligibiles repræſentant res communes: ergo intellectus priùs cognoſcit res cõmunes, ſiquidem priùs informatur, & determinatur ab ſpeciebus repræſentantibus res communes. Reſpondetur negando conſequentiam, quia, quamuis ſpecies ſint rerum communium (vt communis tenet opinio, de qua tamen diſputo in lib. de anima diſp.83. ſect.2. à n. 6) non tenetur tamen intellectus ſtatim facere conceptum rei communis, ſed potiùs rei ſingularis: tum, quia, etſi non cognoſceret ſingulare, niſi ex reflexione Vniuerſalis, nõ poſſet cognoſcere ipſum Vniuerſale, niſi priùs cognoſceret ſingulare, à quo abſtraheret Vniuerſale: tum, quia magis mouetur, & excitatur intellectus à phantaſmate intuitiuo rei ſingularis: itaque eſtó ſpecies intelligibilis repræſentet res cõmunes; tamen intellectus priùs per illam ſpeciem cognoſcit rem ſingularem, & deinde format conceptum rei communis, in quo poſitiuè repræſentatur Vniuerſale, quod iam in ſpecie negatiuè relucebat.

D.Thom. *Caiet.* *Capreol.*

7 Ex quibus patet ſingulare accidentis materialis eſſe primum cognitũ à noſtro intellectu, quia cùm noſtra cognitio fiat per ſenſus, mediante ſpecie, & cùm ſubſtantia nõ ſit ſenſibilis, mouere non poteſt, vt cognoſcatur, ſicut mouet accidens ſingulare in concreto; imò licet phantaſia cognoſceret ſubſtantiam materialem, priùs tamen naturâ cognoſceret accidens materiale.

SECTIO III.

Quomodo Totum cognoſcatur diſtinctum à ſuis partibus?

1 PRima concluſio. Totum per accidens non diſtinguitur ex natura rei à ſuis partibus ſimul ſumptis: ita communis doctrina, & videri poſſunt Conimbr. lib.1. Phyſ. cap.2.q.1. art.1. §. Num vero. Probatur, quia totum per accidens non dicit vnam aliquam naturam reſultantem ex partibus, ſed ſolùm dicit entitates earum partium ſimul ſumptas. Idem dicendum de Toto metaphyſico, quia non componitur à partibus realitèr diſtinctis, & propterea non dicit aliquam tertiam entitatem diſtinctam ex natura rei à partibus ſimul ſumptis.

Patres Conimbr.

2 *Secunda concluſio.* Totum phyſicum ſubſtantiale diſtinguitur realiter à ſingularibus partibus, diſtinctione ſcilicet reali includentis, & incluſi. Ita communis doctrina, & videri poteſt Soar. tom.2. Met. diſp.36. ſect.3. nu.7. Probatur facilè, nam Totum dicit ampliùs, quàm pars. Ex quibus etiam colligo cum Soar. n.8. Totum diſtingui ex natura rei à partibus ſimul ſumptis, & non vnitis. Probatur, quia partes poſſunt eſſe ſimul ſine aliqua phyſica vnione; vnde eſt quòd anima, & corpus ſimul, ſi non ſint vnita, non conſtituant hominem: cùm igitur homo, præter animam, & corpus ſimul iuncta, dicat vnionem, benè ſequitur hominem diſtingui ex natura rei à ſuis partibus, ſcilicet ab anima, & corpore, quamuis ſint ſimul, dummodo non ſint vnita.

Soar.

3 Difficultas igitur eſt circa Totum phyſicum ex materia, & forma, vtrùm ſcilicet diſtinguatur à ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis? Affirmant multi, quos infra citabimus, qui aſſerunt Totum phyſicum, præter partes phyſicas, includere etiam quandam tertiam entitatem, quæ, ſaltem modaliter, diſtinguatur à partibus ſimul ſumptis, & vnitis.

4 Sit tamen tertia concluſio: Totum Phyſicum non includit aliam tertiam entitatem, à qua ex natura rei diſtinguatur, ſed à partibus ſimul ſumptis, & vnitis, ſolùm diſtinguitur virtualiter. Ita D. Thom. 1. p. q. 77. art. 1. Durand. in 3. diſt. 2. quæſt. 2. Palud. in 3. diſt. 1. q. 1. Roden. lib. 1. Phyſ. cap.3. q. 1. n.66. § Tertia opinio. Tolet. lib. 1. Phyſ. q. 6. Soar. tom.2. Met. diſp.36. ſect. 3. n.9. Item Curſus Thomiſticus in Phyſ. q.6. de toto, art.1.

Totũ nõ diſtinguitur à ſuis partibus vnitis. *D.Thom.* *Durand.* *Paludan.* *Rodenſ.* *Tolet.* *Soarius.* *Curſus Thomiſt.*

5 Probatur, quia non ſunt multiplicandæ entitates ſine neceſſitate: ſed nulla datur neceſſitas ponendi illam tertiam entitatem: ergo &c. Probatur minor, quia omnia, quæ poſſunt dici de illa tertia entitate reali, aut modali, poſſunt verificari de partibus ſimul ſumptis, & vnitis, ſeu de Toto virtualiter tantùm diſtincto à partibus vnitis. Probatur cõſequentia, quia partes vnitæ includunt omnem entitatem, & omnem modum realem excogitabilem in toto: ergo neceſſaria non eſt tertia entitas, à qua ex natura rei diſtinguantur partes vnitæ. Confirmatur, quia partes vnitæ includunt materiam, formam, vnionem, & ſimiliter omnem effectum formalem, vltra quæ, nulla datur alia entitas, vt per ſe manifeſtum eſt. Confirmatur deinde, quia ſi Totum eſſet tertia entitas diſtincta à partibus, non eſſet totum, ſiquidem non includeret partes Totius, ſed foret quædam entitas diſtin-

Digitized by Google

diſtincta à partibus, quod tamen implicat; foret enim Totum, & non foret: ergo ſi Totum neceſſariò includit partes vnitas, ab illis non diſtinguitur ex natura rei.

6 Obijcis primò pro contraria ſententia, quam ſequuntur Scot. 8. Met. q. 4. Heru. in 3. diſt. 2 q. 14. Caiet. 3. p. q. 6. art. 4. ad primum Durand. In eandem ſententiam inclinat Fõſ. 5. Met. cap. 2. q. 2. ſect. 2. §. Ad hanc obiectionem: & vt veriorem tenent Conimbric. 1. Phyſ. cap. 2. q. 1. art. 3. & alij plures, quos referunt art. 1. §. Partem affirmatiuam. Obijcis, inquam, primò: Illud, quod aliquid realiter cauſat, realiter ab illo diſtinguitur; ſed partes etiam vnitæ cauſant Totum: ergo realiter ab illo diſtinguuntur. Reſpondetur diſtinguendo minorem: partes etiam vnitæ diuiſim ſumptæ cauſãt Totum: concedo minorem (ſed partes diuiſim ſumptæ diſtinguuntur realiter à Toto, quamuis quæuis pars ſumatur vnita, nam forma vnita diſtinguitur realiter à materia ſola, ac proinde à Toto, quia Totum, præter formam vnitam, dicit etiam materiam vnitam) partes veró vnitæ copulatim ſumptæ cauſant Totum; nego minorem: quia tunc partes copulatim vnitæ nihil ſunt, niſi Totum; ſed idem non poteſt realiter cauſare ſe ipſum: ergo &c.

Scot. Heru. Caiet. Durand. Fonſeca. Patres Conimbr.

7 Obijcis ſecundò. Generatio non terminatur ad partes ſimul vnitas, ſed ad Totum, paſſiones etiam non procedunt à partibus vnitis, ſed à Toto: ergo ſignum eſt Totum diſtingui ex natura rei à partibus vnitis. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: Non terminatur ad partes ſimul vnitas formaliter loquendo, quà partes ſunt, cõcedo antecedens: Non terminatur ad partes ſimul vnitas identicè, nego antecedens. Itaque identicè idem ſunt partes vnitæ, ac Totum: verùm formaliter loquendo, alia formalitas eſt Totum, alia vero partes ſimul vnitæ: ex quo benè infertur diſtingui virtualiter Totum à partibus ſimul vnitis; quapropter paſſiones emanant formaliter, & identicè tam à Toto, quàm à partibus ſimul vnitis, quæ ſunt idem; & ſimiliter generatio formaliter terminatur ad Totum, & identicè tam ad Totum, quàm ad partes ſimul vnitas, quia idem ſunt.

8 Obijcis tertiò. Aliquando, nulla parte intereunte, deſinit Totum, vt patet imprimis in interitu hominis, vbi remanet materia, & forma, & tamen homo corrumpitur. Deinde in morte Chriſti Domini, retenta vnione Verbi diuini cum anima, & corpore Chriſti, deſijt vnio cum humanitate: ergo ſignum eſt, quòd illa humanitas, quà Totum, erat aliquid diſtinctum à partibus ipſius humanitatis vnitis. Reſpondetur, mirum non eſſe, nulla parte intereunte, Totum perire, quia non partes ſeparatæ, ſed vnitæ, conſtituunt Totum; vnde benè poteſt fieri, vt, vtràque incolumi, pereat Totum, quia perijt vnio, ſeu integritas Totius, quæ eſt aliquid præter partes. In morte Chriſti Domini deſijt eſſe humanitas, quia deſijt vnio inter partes humanitatis; ex quo ſolùm poteſt colligi humanitatem realiter diſtingui à partibus ſeparatis, nempe ab anima, & corpore: argumentum verò laborat in æquiuoco, nam licet partes humanitatis remanſerint vnitæ Verbo diuino, nihilominùs tamen inter ſe fuere realiter ſeparatæ in triduo. Quapropter humanitas erat aliquid diſtinctum realiter à partibus vnitis Verbo diuiſim ſumptis, non erat verò aliquid realiter diſtinctum à partibus ipſius humanitatis inter ſe vnitis.

SECTIO IIII.

De terminis rerum viuentium.

1 Quatuor ſunt termini, quibus res naturales definiuntur, duo magnitudinis, paruitatis duo; vtrobique vnus eſt internus, externus alter: terminus internus magnitudinis, qui dicitur, *maximum quod ſic*, eſt ille, *ſub quo res poteſt eſſe naturaliter, & non ſub maiori*, vt v. g. magnitudo ſeptem cubitorum erit, *maximum quod ſic*; & terminus intrinſecus magnitudinis in homine, terminus veró extrinſecus magnitudinis, qui dicitur, *minimum quod non*, eſt ille, *ſub quo res eſſe non poteſt, ſub minori verò poteſt*, vt ſi homo naturaliter eſſe non poſſet ſub magnitudine octo cubitorum, ille octauus cubitus erat minimum, quod homo non poterat habere.

2 Terminus paruitatis intrinſecus eſt *illa quantitas, ſub qua res eſſe poteſt, non ſub minori*, vt ſi in generatione humana ſupponamus non poſſe introduci animam rationalem, niſi in materia duorum palmorum, eſſet hæc materia terminus intrinſecus, & diceretur, *Minimũ quod ſic*; terminus tandem externus paruitatis eſt ille, *ſub quo res eſſe non poteſt, poteſt tamen ſub quolibet maiori*, & ideò vocatur, *Maximum quod non*, quia eſt maxima quantitas ex his, quas non poteſt habere, vt ſi homo ſub magnitudine vnius palmi nequeat ſe conſeruare, ille palmus quãtitatis eſt terminus extrinſecus paruitatis in homine, ac proinde, *Maximum quod non*.

3 His poſitis, ſit *prima concluſio*. Reſpectu diuinæ omnipotentiæ, nullum terminum intrinſecum habent res naturales, habere tamen poſſunt terminũ extrinſecum: hæc concluſio commu-

Reſoluitur quæſtio.

Digitized by Google

Tolet. communis, & certa eſt, pro qua videri poteſt Tolet. 1. Phyſ. cap 4. q. 9. §. Secunda concluſio. Probatur prima pars, quia poteſt Deus facere hominem maiorem toto hoc vniuerſo, & minorem quolibet atomo: ergo reſpectu Dei non habent viuentia, de quibus agimus, terminum intrinſecum magnitudinis, vel paruitatis. Probatur ſecunda pars, quia viuentia non poſſunt generari, neque conſeruari, ſecundùm ſuas operationes, in puncto. Deinde probabilius eſt, non poſſe dari quantitatem actu infinitã: ergo punctus erit terminus extrinſecus paruitatis, ſeu *maximum quod non*; & quantitas infinita erit terminus extrinſecus magnitudinis, ſeu *minimum, quod non* habere poſſunt viuentia, neque diuinitus.

4 *Secunda concluſio.* Viuentia habent naturaliter terminos intrinſecos magnitudinis, & paruitatis, quos nequeunt naturaliter excedere: ita communis ſententia cum D. Th. 1 p. q 7. art. 3. & ſæpe alibi. Scot. 5. Met. q. 9. Durand. in 2 diſt. 18. q. 1. Soncin. 8. Met. q. 3. Tartar. lib 1. Phyſ. art. 3 §. Sciendum eſt ſecundo. Conimbr. lib. 1. Phyſ. cap 4. q. 5. art. 2. Rub. lib. 1. Phyſ. cap. 4. q. 1. à n. 85. Tolet. lib. 1. Phyſ. cap. 4. q. 9. §. Tertia concluſio. Probatur, quia anima eſt actus corporis phyſici, & organici potentiâ vitam habentis, vt definit Ariſt. 2. de Anima cap. 1. ergo poſtulat corpus habens inſtrumenta neceſſaria ad diuerſas operationes vitæ exercendas, ſub tali magnitudine, (vt patet ex qualibet arte, quæ pro ſua natura, & perfectione poſtulat inſtrumenta talis, vel talis magnitudinis) quarè ſi inſtrumenta corporis viuentis poſtulant certam magnitudinem, à fortiori corpus ipſum habebit certam limitationem. Confirmatur, quia experientia conſtat per nutritiuã poſſe augeri corpus ad talem, & non ad maiorem molem: ergo ſi nutritiua habet terminum magnitudinis, neceſſariò etiam habebunt corpora, quæ per nutritionem augentur.

D. Thom. Scot Durand. Soncin. Tartar. Patres Conimbr. Rubius. Tolet. Ariſtot.

Refellitur contraria opinio.

5 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet, viuentia non habere terminos intrinſecos magnitudinis, & paruitatis, hoc eſt, nec *minimum quod ſic*, ſub quo ſaltem generari debeant, nec *maximum quod ſic*, vltra quem accreſcere non poſſint: quam ſequitur Paul. Venet. lib. 1. Phyſ. cap. 4. & probabilem iudicat Tolet. 1. Phyſ. cap. 4 q. 10 §. Prima concluſio, licet noſtram ſententiam amplectatur. Obijcis, inquam. Aliquando corpora viuentium, propter aliquam infirmitatem, creſcũt per tumefactionem, vel contrahuntur per condenſationem, vt ſi morſu veſpæ, (vt argumentatur Venet.) aliquis inflectur; vel ſi, vt inquit Tartar. ſupra, impinguetur alius, aũt percutiatur, per talem percuſſionem inflaretur, & fieret maior: & idem cernitur in contractione membrorum, quæ fit in ſene: ergo ſignum eſt, viuentia nullum habere terminũ intrinſecum naturalem magnitudinis, & paruitatis; ſiquidem illa corpora, quæ videbantur eſſe in termino naturali, illũ vel excedũt, vel amittunt.

Venet. Tolet.

6 Reſpondetur negando antecedens, nã corpora, per tumefactionem non creſcunt in maiorem quantitatem, quia tumefactio eſt quædam alteratio, quæ non terminatur ad quantitatem, ſed ad qualitatem, qualis eſt tumor ille: quamuis enim illa quantitas maior videatur, re vera non eſt maior, ſed propter infirmitatem, inflata eſt; ſicut cera, quando liquefit, licet videatur maior, nullam de nouo acquirit quantitatem, ſed ab extrinſeco dillatatur, propter maiorem raritatem, per alterationem acquiſitam. Et idem dicendum eſt, quando partes contrahuntur per alterationem terminatam ad denſitatem.

7 Inſtas. Nutritiua non habet terminum intrinſecum: ergo neque corpus. Probatur antecedens, quia per potentiam nutriendi, aliquando accreſcunt aliqui homines in molem gygantæam, qui cùm ſint verè homines, & excedant terminos communes naturæ humanæ, dicendum eſt, non habere viuentia terminos intrinſecos. Reſpondeo, Gygantes non excedere omnino terminos naturæ humanæ, nam termini iſti non ſunt in indiuiſibili, ſed magnam habent latitudinem, ſicut cernimus, inter eandem ſpeciem brutorum, dari quædam exiguæ quantitatis, alia veró longè maioris, vt videre eſt in canibus: & iuxta hunc dicendi modum, Gygantes non ſunt pro monſtris iudicandi.

8 Si veró Gygantes, pro monſtris habeãtur, tunc dicendum eſt, noſtram concluſionẽ procedere de viuentibus in ſuo ſtatu naturali, non verò de ijs, quæ ab ordinaria via recedentes, in Gygantes audaciter abierunt, aut in breuiculos homuntiones turpiter degenerarunt. Quaré ſi ponamus, Socratem perueniſſe ad ſuum vltimum terminum magnitudinis, & adhuc ſumat alimentum, tantùm vlteriùs accreſcet, quantùm ex alia parte decreuit, vi caloris humidum depaſcentis.

SECTIO V.

De terminis rerum non viuentium.

1 PRima concluſio. Non viuentia habẽt terminum extrinſecum magnitudinis, & paruitatis: ita communis, & certa

& certa ſententia. Probatur facilè, quia neque poſſunt generari in puncto, neque operari in eodem puncto, neque circa magnitudinem habere poſſunt quantitatem actu infinitam: ergo pro termino paruitatis extrinſeco habent ſaltem punctum indiuiſibilem: &, pro termino magnitudinis extrinſeco, habent ſaltem quantitatem actu infinitam.

2 *Secunda concluſio.* Non viuentia non habent certum magnitudinis terminum intrinſecum, tam quóad generationem, quàm quóad conſeruationem: hæc etiam communis, & certa eſt, & probatur etiam facilè, quia non viuentia, qualis eſt ignis, v. g. ex nulla parte limitantur, ſed in maius ſemper creſcere poſſunt, non quidem per intus ſuſceptionem, ſed per iuxta poſitionem, vnde non habent intra ſe potentiam aliquam naturalem, per quam ſicut accreſcunt, ita per defectum ipſius, & per naturalem calorem conſumentem humidum radicale, decreſcant; hinc eſt, quòd quãtumlibet magnũ ignem excogitemus, maior fieri poſſit; imò eo ipſo erit voracior, vt vel ipſo naturali lumine manifeſtum apparet. Si verò prædicta corpora conſiderentur ſecundùm ordinem vniuerſi, terminum habent magnitudinis intrinſecum, cùm omnia contineantur intra Cæli ambitum.

3 *Tertia concluſio.* Non viuentia quóad generationem non habent terminum intrinſecum paruitatis aſſignabilem, ſeu *minimum quod ſic*, ſed ſolùm habent terminum extrinſecum, ſeu *maximum quod non.* Ita Scot. 5. Met. q. 2. & in 2. diſt. 2. q. 9. §. Ad iſta. Guilhel. Ocham. in 2. diſt. 18. Valleſ. in Phyſ. controu. 5. ad Tyrones. Paul. Venet. 1. Phyſ. cap. 4. Rhodenſ. lib. 1. Phyſ. cap. 4. q. 2. & quãquàm hæc concluſio non ſit adeò certa, ſicut ſuperiores, probatur efficaciter hac ratione. Detur minima quantitas, ſub qua ignis generari poſſit, & hæc applicetur igni; tunc ſic argumentor: Omne agens naturale applicatum paſſo priùs, & fortiùs agit in primam medietatem paſſi, quàm in ſecundam medietatem; quia hæc ſecunda remotior eſt: ergo priùs ignis imprimet ſuam formam in hanc medietatem priorem, quàm in ſecundam: ergo priùs generabitur ignis in prima medietate, quàm in ſecunda, vel in toto; vnde ſequitur, quód tota illa quantitas, quæ pro minima deſignata eſt, non ſit terminus intrinſecus, cùm alia minor quantitas detur, in qua forma ignis generetur: ſiquidem adhuc illa minima quantitas continua eſt, & diuiſibilis, vt ſuppono.

Scotus. Ocham. Vallez. Venetus. Rhodenſ.

4 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet, quælibet non viuentia quòad generationem habere terminum intrinſecum paruitatis; quam ſequuntur Durandus, Capreol. Hiſpal. Soncin. Ferrar. Richard. Gregor. quos citant, & ſequuntur Conimb. lib. 1. Phyſ. cap. 4. q. 1. art. 7. eandem etiam tenet Tolet. 1. Phyſ. cap. 4. q. 10 §. Tertia concluſio. Pro eadem ſtat Curſus Thomiſt. in Phyſ. q. 8. de terminis art. 3. §. Secunda concluſio.

Durand. Capreol. Hiſpal. Soncin. Ferrar. Richard. Gregor. Conimbr. Tolet. Curſus Thomiſt.

5 Obijcis, inquam, primò contra rationem factam, pro noſtra concluſione: nõ priùs ignis introducet ſuam formam ſubſtãtialem in paſſum, quàm extendat ſuas diſpoſitiones vſque ad vltimam partem illius paſſi; ſiquidem ea quantitas aſſignatur pro *minimo quod ſic*, ac pro termino intrinſeco paruitatis: ergo datur talis terminus. Hæc tamen ratio petit principium, quia ſupponit id, quod probandum eſt, videlicet certum *minimum quod ſic* eſſe neceſſarium, ad generationem ignis: ſi enim ignis priùs producit ſuas diſpoſitiones in priorem medietatem illius paſſi, quám in poſteriorem, vt aduerſarij etiam tenentur concedere (non enim negare poſſunt, omne agẽs applicatum paſſo, priùs agere in propinquũ, quám in remotum) neceſſariò etiam priús introducet ſiccitatem, calorem, & cæteras diſpoſitiones ad formam ignis ſubſtantialem, in priori medietate; ſed introductio formæ neceſſariò conſequitur vltimas diſpoſitiones: ergo priùs introducetur ignis in primam illam medietatem.

6 Confirmatur, quia alioquì expectabitur tempus, in quo diſpoſitiones perueniant ad aliam medietatem: vnde ſequetur quòd agens debitè approximatum paſſo, non imprimat ei proprium effectum, pro quo iam eſt vltimatè diſpoſitum: & deinde ſequitur, quòd pro illo breui tempore naturale agens priùs agat in partem remotiorem, quàm in proximiorem, quæ duo ſunt abſurda in Philoſophia. Ex quibus ſequitur, res inanimes nullum habere terminum intrinſecum circa generationem, quamuis habeant aliquod extrinſecum, vt patet ex prima concluſione.

7 Obijcis ſecundò. Non viuentia nequeunt generari, nec conſeruari in indiuiſibili: ergo habent ſuum peculiarem, & præfixum terminum, etiam quóad generationem, infra quem non poſſunt generari. Reſpondetur, argumentum bene probare, habere nõ viuentia terminum extrinſecum paruitatis, etiam quóad generationem, quia non poſsũt generari in indiuiſibili: non probare tamen, non habere terminum intrinſecum, ſiquidem generari poſſunt ſub quadam quantitate diuiſibili minori, & minori.

8 *Quarta concluſio.* Non viuentia requirunt certam magnitudinem ad ſui conſeruationem, & operationem, ac proinde habent terminum intrinſecum paruitatis ad ſui operatio-

Digitized by Google

rationem, & conſeruationem. In hac concluſione conueniunt omnes citati contra noſtram ſuperiorem concluſionem: & probatur facilé, vel ab ipſa experientia, quæ docet ignē diuiſum in partes minutiſsimas illico extingui, nec poſſe calefacere: ergo ſignum eſt, nō viuentia habere certos, & præfixos terminos paruitatis, infra quos nec operari, nec conſeruari poſſunt.

9 Obijcis. Vnumquodque generatur, teſte Philoſopho, propter ſuam operationem; ſed, quòad generationem, hæc non viuentia non habent terminum intrinſecum: ergo neque, quòd conſeruationem, & operationem; vel ſi, quòad conſeruationem, requirunt certam magnitudinem, idem dicēdum erit quoad generationem. Reſpondetur negando cōſequentiam, quia plura requiruntur ad operationem, & conſeruationem rei, quàm ad generationem, vt patet in natura ſubſtantiali, quæ in bona opinione generatur ſine ſubſiſtentia producta ab externo agente, vt cum multis tenet Soar. in Met. diſp. 34. ſect. 6. n. 9. & tamen eadem natura nequit operari, vel conſeruari ſine ſubſiſtentia, vt eſt communis ſententia apud eundem Soar. in Met. diſput. 34. ſect. 6. num. 27. & apud eoſdem Conimbric. 1. Phyſ. cap. 9. quæſt. 6. art. 4. §. Ad quartum, in fine.

Soarius. *Patres Conimbr.*

10 Et ratio à priori eſt, quia generatio dicit principium eſſe rei, quod eſt imperfectum, in ijs præcipuè, quæ fiunt per alterationem, & motum, & procedunt vſque ad vltimum gradum perfectionis; at veró conſeruatio rei in ſuo eſſe, & eius operatio dicit maximam perfectionem, ac proinde mirum non eſt, ſi plura requirat. Vnde ſequitur, res inanimatas non habere certum terminum intrinſecum paruitatis, quòad generationem, habere tamen illum, quòad conſeruationē, & operationem.

11 Quæ diximus de non viuentibus intelligenda velim de non uiuentibus homogeneis, vt de igne, aere, &c. non viuentia verò heterogenea aliquando vendicant certum, & intrinſecum terminum magnitudinis, & paruitatis, etiam quòad generationem, vt patet in cadauere, neque enim minima quæuis magnitudo dici poteſt cadauer hominis v. g. & tamen quæuis minima magnitudo ignis verè dicitur ignis: ergo neceſſaria eſt determinata magnitudo ad generationes, & á fortiori ad conſeruationes heterogenei. Sed iam de rerum terminis, hîc terminus eſto.

DISPVTATIO XXI.

De Principijs, & Cauſis in communi.

EGit Ariſtoteles, per quatuor capita præcedentia, de cognitione rerum in cōmuni, deque earum terminis: accedit modò ad rerū cauſas explanādas, & proptereà capite quinto, ſexto, & ſeptimo diſputat de principijs rerū naturaliū, quæ dicit eſſe contraria: quod, quo pacto ſit intelligendum, patebit infra. Deinde deſcendit ad cauſas in particulari. Sic nobis procedendum erit, nam in hac diſputatione tractabimus de principijs, cauſiſquè rerum in communi, & in alijs ſequentibus, de cauſis materiali, & formali diſputabimus.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Principium?

Definitio principij, & cauſæ.

1 P*Rima concluſio.* Principium ſimplex (non enim loquimur de complexo, quod eſt commune aliquod effatum) definitur, *Id, à quo aliquid, aliquo modo, procedit*: atque hoc pacto priuatio etiam dicitur principium generationis, licet non influat poſitiuè realiter in effectum, quia ſatis eſt, quód aliquo modo dependeat effectus à priuatione. Hanc definitionem tradit Ariſtoteles 5. Metaph. cap. 1. à quo illam accepit D. Thom. 1. p. q. 33. art. 1. pro qua etiam videri poteſt Soar. in Met. diſp. 12. ſect. 1. Hurtadus tom. 2. in Phyſ. diſp. 1. ſect. 1.

Ariſtot. *D Thom.* *Soarius.* *Hurtad.*

2 *Secunda concluſio.* Principium, ſi magis ſtrictè ſumatur, recurrit cum cauſa: definiturque, *Cauſa eſt principium per ſe influens eſſe in aliud.* Particula, *principium*, ponitur loco generis, reliquæ verò ponuntur loco differentiæ: per particulam, *influens*, reijcitur priuatio, & conditio, ſine qua non: per particulam, *per ſe*, reijciuntur cauſæ per accidens: per particulam, *eſſe in aliud*, intelligitur, cauſam debere eſſe priorē, ſaltē naturà, quàm effectum, ſiquidem ſupponitur cauſa, ad producēdū effectū: item

Digitized by Google

item intelligitur, cauſam debere producere effectum per veram cauſalitatem, quarè Pater Æternus non dicitur hoc modo principium, reſpectu Filij, vt eſt communis ſententia Theologorum. Vnde colligo latiùs patere principium, quàm cauſam, ſiquidem Pater Æternus eſt principium Filij, non tamen eſt cauſa influens eſſe, per veram cauſalitatem, & per veram dependentiam, ex parte Filij.

3 *Tertia concluſio.* Vt aliquid ſit verè principium, tres requirit conditiones. Prima eſt, vt id, quod eſt principium, ita ſit primum, vt non ſit aliud prius in eo genere: vnde ſolúm ille punctus dicitur principium lineæ, ante quem non eſt alius punctus, & hoc modo dicitur Pater Æternus principium Deitatis, non quód pater ſit principium naturæ diuinæ, ſiquidem natura diuina eſt à ſe ipſa, vt conſtat de fide, ex cap Firmiter de Summa Trinitate, ſed quòd ita eſt principium, reſpectu perſonarum, vt ſit principium habens negationem alterius prioris principij vt cum cōmuni ſententia explicat Soar. de Trinit lib. 8. c. 3. n. 4. & ſimiliter Pater, & Filius ſunt principium Spiritus Sācti, quia in illa ratione nullum aliud eſt prius. *Soar.*

4 Secunda conditio eſt, vt illud, quod eſt principium, non ſolùm negatiuè ſit prius, ſed etiam poſitiuè, aliquo modo, ſit prius ſuo principiato, hoc eſt, prius quàm illud, cuius eſt principium: quæ conditio, vel ſolùm reperitur in principijs creatis, quæ ſunt priora tēpore, aut naturâ, aut ſaltē cognitione, ſuis principiatis; vel etiā reperiri poteſt in diuinis; nā Pater Æternus, qui eſt principium Filij, dicitur prior origine Filio, & ſimiliter Pater, & Filius dicuntur priores origine Spiritu Sancto: neque ex hac prioritate ſequitur aliqua imperfectio in Deo, vt oſtendūt Theologi in materia Trinitatis, quia eſſe prius origine nihil aliud eſt, quàm quód perſona, quæ eſt principium alterius habeat eſſe ſine tali origine, & quód altera perſona ſit per proceſſionem ab illa, vt cum communi Theologorum explicat Soar. in Sum. de Trinit. lib. 7. cap. 7. n. 13.

5 Ex hac conditione bene infertur formam ſubſtantialem, quà principium eſt, eſſe priorem ſuo principiato, ideſt, generatione, licet in alio genere ſit poſterior generatione: eſt ergo prior in ordine intentionis, & ratione termini, ſeu finis, qui per generationem intenditur; ſicut actus poteſt dici prior ipſa potentiâ in ordine intentionis, quamquàm in executione actus ipſe ſit poſterior, quàm potentia, ſiquidem ſit per potentiam; & ſimiliter forma in executione eſt poſterior generatione, ſiquidem per generationem reſultat forma.

6 Tertia cōditio eſt, vt inter principiū, & principiatū detur aliqua cōnexio, quod ſatis indicatur in illis verbis. *à quo aliquid habet eſſe.*

7 *Quarta concluſio.* Principium diuiditur in principium per ſe *à quo.* ſcilicet *aliquid per ſe dependet*; & in principium per accidens, *à quo,* ſcilicet, *aliquid per accidens dependet.* Alia diuiſio eſt in principium creatum, & in increatum. Vtraque diuiſio analoga eſt, nihil enim datur vniuocum ad ens per ſe, & per accidens; ad ens creatum, & increatum.

De Principio increato.

8 QVinta concluſio. Principium increatum diuiditur analogicè in principium ad intra, & in principium ad extra. Ita D. Thom. in 1. diſt. 29. q. 1. art. 2. Scot. Durand. Capr. Gabr. & alij, quos citat, & ſequitur Vaſq 1. p. diſp. 139. cap. 4. n. 13. & eandem ſententiā ſequitur Soar. in Met. diſp. 12. ſect. 1. n. 19. & 20. idem ſequitur Barth. Amic. in Phyſ. tract. 3. q. 4 dub. 2. art. 2. qui art. 1. n. 1. citat. Caiet. Canar. Richard. Argent. Bonau. Marſil. Probatur, quia nihil datur vniuocum ad abſolutum eſſentiale (quale eſt principium ad extra, ſcilicet, diuina omnipotentia) & ad relatiuum notionale, (quale eſt principium ad intra, ſcilicet, Pater, reſpectu Filij, nec non Pater, & Filius, reſpectu Spiritus Sancti) Confirmatur, quia principium Dei ad intra ſemper eſt in actu ſecundo; at verò principium ad extra (quamuis modò ſit in actu ſecundo, circa aliquas creaturas) ab æterno tamen non fuit in actu ſecundo, imò & modó, reſpectu rerum, quas producere poteſt, eſt in actu primo. *D. Thom. Scot. Durand. Capreol. Gabriel. Vaſquez. Soarius. Barth. Amicus. Caiet. Canar. Richard. Argent. Bonau. Marſil.*

9 Aduertendum verò eſt, hanc diuiſionē, & analogiam impropriam eſſe, quia propriè loquendo non eſt vniuoca, nec analoga, quia omnipotentia, quæ eſt principium ad extra, non diſtinguitur, niſi tantùm virtualiter, à principio ad intra; ad rationem verò vniuoci, & analogi requiritur multiplicatio ſimpliciter, vt tradunt Conimbr. in Log. in Ante prædicamentis q. 2. art. 1. §. Ad rationem: & proptereà diximus, animal non eſſe vniuocum ad hominem, & Socratem, quia homo, & Socrates propriè non ſunt plura. *Curſus Conimbr.*

10 Si verò principium increatum ſumatur formaliter, pro relationibus ad perſonas diuinas, & ad creaturas, eſt etiam analogum, vt tenent Auctores ſupra citati. Probatur faciIé, quia relationes ad intra ſunt reales, ad extra verò rationis.

Quæſtio

Digitized by Google

11 Quæſtio tamen hic eſſe poterat, ſiquidem datur analogia inter principium ad intra, & ad extra, quodnam ſit præcipuum analogatum? Huic quæſtioni reſpondendum eſt cum diſtinctione in ſequenti concluſione.

12 *Sexta concluſio.* Si principium ad intra, (quod quidem ſemper eſt in actu ſecundo, nempe potentia generatiua, & ſpiratiua) comparetur cum principio ad extra, nempe cum diuina omnipotentia, (quatenus hæc eſt in actu ſecundo, noſtro modo concipiendi) principalius analogatum eſt principium ad intra, quàm principium ad extra. Ita D. Tho. in 1. diſt. 29. q. 1. art. 2. in reſponſione ad quæſtiunculam, Torres de Trinit. q. 31. art. 1. Vaſq. 1. p. diſp. 139. cap. 3. n. 16. §. Mihi tamen. Soar. de Trinit. lib. 6. cap. 3. n. 2. vbi ad finem ait, productiones ad intra eſſe nobiliores, idem tenet Bartholom. Amicus citatus. Probatur, quia modus producendi Dei ad intra, noſtro modo concipiendi, notionalis eſt, & perfectior, ſiquidem per eam productionem magis aſſimilatur productum producenti: ergo, cùm illa ſit productio præſtantior, in qua producens magis aſſimilatur rei productæ, dicendū eſt ſecundùm noſtrū concipiendi modum, (nam in re vnū, & idem eſt principium ad intra, & ad extra) præſtantius eſſe principium ad intra. Confirmatur, quia principium ad intra eſt neceſſarium, principiū verò ad extra in actu ſecundo eſt liberū. Confirmatur etiam, quia principium ad intra in actu ſecundo ſunt proceſſiones infinitæ: at verò principium increatum ad extra in actu ſecundo ſunt influxus finiti.

D. Thom. Torres. Vaſquez. Soarius. Barth. Amicus.

13 Neque obſtat, quòd principium ad extra conueniat Deo, ratione eſſentiæ: principium verò ad intra conueniat per ordinem ad Perſonas, nam id, quod conuenit Deo, ratione eſſentiæ, eſt quidem præſtantius, ſi conueniat neceſſariò: non verò ſi conueniat liberè: cùm igitur principium ad intra, quod ſemper eſt in actu ſecundo, conueniat neceſſariò, & principium ad extra, in actu ſecundo, conueniat liberè, præſtantius erit principium ad intra, quia ſecundùm noſtrum concipiendi modum, in Deo priora, & potiora ſunt neceſſaria, quàm libera.

14 Si verò principiū ad extra ſumatur in actu primo, & formaliter pro diuina omnipotentia, tale principium præſtantius erit, noſtro concipiendi modo, quàm principiū ad intra. Probatur, quia omnipotentia in Deo eſt perfectio eſſentialis, hoc eſt, pertinens ad eſſentiā: at verò principiū ad intra eſt perfectio notionalis; perfectio tamen eſſentialis in Deo prior, & potior eſt, quàm perfectio notionalis, vt eſt communis ſententia Theologorum, quā ſupponit Vaſq. 1. p. diſp. 160. cap. 2. n. 3. & Soar. de Trinit. lib. 6. cap. 4. vbi n. 6. explicat quo pacto ſit intelligendum illud pronuntiatum, *Eſſentialia priora ſunt notionalibus.*

Vaſquez. Soarius.

15 *Septima concluſio.* Principium ad intra analogicè diuiditur in principium Filij, & in principium Spiritus Sancti. Hæc concluſio, quamuis à nullo auctore proponatur, ſatis tamen probatur; quia principium Filij eſt tantùm Pater, principium verò Spiritus Sancti conflatur ex Patre, & Filio, vnde, licet conſtituant vnum principium ſpirandi, dicuntur tamen duo ſpirantes, & duo auctores ſpirandi, vt ex D. Hilar. lib. 2. de Trinit. concludit Soar. de Trinit. lib. 10. cap. 7. n. 4. & idem colligitur n. 8 fine. Ex quo ſatis deprehenditur analogia; nam Pater eſt vnum tantùm ſpirans, Pater verò, & Filius, licet conſtituant vnum principium veluti totale, ſunt tamen duo veluti partialiter ſpirantes.

Principiū ad intra non eſt vniuocum. D. Hilar. Soarius.

16 Obijcis pro contraria ſententia, quam defendit Soar. in Met. d. 12. ſect. 1. n. 24. ad medium. Perſonæ diuinæ cōueniunt vniuocè: ergo & principiū reſpectu Filij, vel reſpectu Spiritus Sācti. Reſpondetur, conceſſo antecedente, iuxta ea, quæ diximus 1. p. Sum, tract. 1. diſp. 6 ſect. 2. §. Atque hoc poſito: negando tamen conſequentiam, quia adhuc in ratione talis, vel talis principij analogicè conuenire poſſunt, propter rationem aſſignatam, quamuis in ratione perſonæ vniuocè conueniant.

Soar.

17 Duo tamen aduertenda ſunt. Primū eſt, licet in diuinis detur principium, non dari tamen propriè loquendo principiatum, vt eſt cōmunis ſententia Theologorum. Secundum eſt, nihil nos agere de genere huius analogiæ, quia res eſt parui momenti, & quia principiū creatum, & increatum facilè dici poſſunt analoga attributionis: & principium increatū ad intra, & ad extra facilè reduci poſſunt ad analoga proportionis, vel etiam attributionis, de quo videri poteſt Soar in Met. diſp. 12. ſect. 1. n. 13.

Soarius.

SECTIO II.

Quot ſint Principia rerū naturalium?

1 PRima concluſio. Principia phyſica rerum naturalium ſunt tria: materia, forma, & priuatio, quæ ſic definiūtur: *Principia ſūt ea, quæ nec ex alijs, nec ex alterutris fiunt, ſed ex ipſis omnia fiunt.* Hæc concluſio cōmnnis eſt, & certa, traditurq; ab Ariſtotele lib. 1. Phyſ. cap. 5. pro ea videri poſſunt Fonſ. in Met. lib. 5. cap. 1. per quæſtiones illius

Principia ſunt tria. Ariſtot. Fonſeca.

Digitized by Google

Pereira. Conimbr. Rubius. Hurtad. Arriaga.

illius capitis. Benedictus Perei. in ſua Philoſ. lib. 1. à cap. 2. Conimbric. 1. Phyſ. cap. 1. à q. 1. Rub. lib. 1 Phyſ. cap. 7. q. vnica, à n. 99. Tolet. lib. 1. Phyſ. cap. 5 q. 11. Hurt. in Phyſ. diſp. 1. à n. 13. Arriaga, & alij.

2 Aduertendum verò principium latiùs patere, quàm cauſam, vt patet ex dictis ſectione ſuperiori, quarè omnis cauſa erit principium, ſed non omne principiũ in rebus creatis erit cauſa, quia priuatio eſt principiũ, ſed non eſt cauſa; materia verò, & forma ſunt ſimiliter principia, & cauſæ; vnde priuatio conuenit analogicè in ratione principij cum materia, & forma, cùm enim priuatio non ſit entitas poſitiua, ab ea ſolùm incipit generatio, tã quàm à negatione formæ in materia apta ad recipiendã formã, & producẽdum cõpoſitũ, per generationem: materia verò, & forma sũt principia, per poſitiuas entitates; ſenſus igitur definitionis eſt, omnia fieri ex principijs, vel tanquàm ex partibus componentibus, quales ſunt materia, & forma; vel tanquàm ex termino à quo, qualis eſt priuatio.

Explicatur definitio Principij.

3 Explicanda modò eſt definitio principiorum naturalium: per particulam igitur, *quæ neque ex alijs fiunt*, ſatis exprimitur principia debere eſſe omnino prima, alioquì daretur proceſſus in infinitum: per particulã, *quæ neque fiunt ex alterutris*, excluduntur quatuor elementa, quæ ex ſe inuicem generantur, vt ignis ex aere, aer ex igne: neq; enim ita fit forma ex materia, & rurſus materia ex forma: per particulam, *ſed ex ipſis omnia fiunt*, excludũtur accidentia, & omnes aliæ cauſæ, finalis, efficiens, & exemplaris, quia propriè loquendo, nihil dicitur propriè fieri, & componi ex his cauſis, quia ſunt extrinſecæ. quamuis res verè dicatur per eas fieri. Reijciuntur tandem negationes, quia ab illis non dependent generationes, neque etiam vt à termino á quo, quẽadmodùm dependent à priuatione.

4 Cùm verò principia dicantur non fieri ex alijs, intelligendum eſt in eodem genere phyſico, ideſt, nulla habere principia, quæ ſint priora; nam in genere metaphyſico bene conſtare poſſunt genere, & differentia, quæ in hoc genere metaphyſico priora ſunt: definitio igitur ita intelligenda eſt, quaſi dicantur principia non fieri ex alijs, eo modo, quo cætera fiunt ex ipſis principijs.

5 Obijcis primò. Forma materialis fit ex materia, ſiquidem educitur ex eius potentia. Deinde in probabili opinione, forma eſt cauſa materiæ: ergo vnum principium fit ex alio. Reſpondetur primò, ſecundùm proprietatem phyſicã, nec formã, neque materiam propriè fieri, aut generari, ſed ſolùm compoſitum, vt docet Ariſt. in hoc c. 5. id enim propriè generatur, quod ſubſiſtit cõpletè, & *vt quod*, ſicut contingit in cõpoſito: forma verò ſolùm dicitur ratio eſſendi, *vt quo*, & idem dicendum de materia; quarè forma non dicitur propriè generari ex alio. Reſpondetur ſecundò, bene poſſe vnum principium fieri ex alio in diuerſo genere, in quo ipſum non eſt principiũ, & ita forma eſt formale principium, reſpectu materiæ, & in hoc genere non fit ex alio principio formali, quãuis fiat ex materia, tanquàm à principio materiali, quod tamen nòn contingit in elementis, nam ignis fit ex aere, tanquàm ex ſubiecto, & aer poteſt fieri ex igne, tanquàm ex ſubiecto.

6 Obijcis ſecundò. Anima rationalis nõ fit ex materia: ergo non omnia fiunt ex principijs. Reſpondetur, verum quidem eſſe animam rationalem à ſolo Deo creari, quarè cũ dicitur, *omnia fieri ab his principijs*, intelliguntur omnia, quæ fiunt per generationẽ phyſicã: vnde ſimiliter qui dicũt cæleſtes formas nõ fuiſſe eductas, ſed concreatas, aſſerunt definitionẽ principiorum non conuenire corporibus cæleſtibus, quia in hac opinione, cùm non fiant ex præſuppoſita priuatione, non generãtur; vnde in ſola vera generatione phyſica inueniuntur tria hæc principia, materia, forma, & priuatio; ita tamen vt materia, & forma ſint principia intrinſecè componentia, priuatio veró ſit terminus à quo.

7 Inſtas. Vnio pertinet ad intrinſecam conſtitutionem compoſiti: ergo tria ſunt principia intrinſecè cõponentia. Reſpondetur ad antecedens, vnionẽ ſolùm pertinere ad hanc cõpoſitionẽ, tãquàm rationẽ formalẽ, per quã materia, & forma cauſant, ſed nõ inde ſequitur, vnionẽ eſſe cauſam particularem, ſicut actionõ eſt peculiaris cauſa ab efficiẽte, ſed ex actione, & cauſa effectiua fit vna tantum cauſa efficiens in actu ſecundo.

8 *Secunda concluſio*. Hæc principia rerum naturalium ſunt prima contraria: ita cõmunis & Ariſtotelica ſentẽtia, pro qua videri poteſt Fonſ. 5. Met. cap. 1. q. 2. ſect. 2. à §. *Altera dubitatio*. Probatur, quia generatio eſt mutatio de non eſſe ad eſſe; nam vt fiat ignis v. g. neceſſe eſt, quòd anteà non ſit ignis; atque ita quælibet forma educitur à materia certa, & determinata, quæ habeat priuationem, ideſt, negationem actualem formæ introducendæ, cum aptitudine ad eam habendam, quæ eſt priuatio; cùm igitur forma, & eius priuatio ſint oppoſita, ſeu contraria, latè loquendo, ideó ab Ariſtotele dicuntur prima cõtraria. Et prætereà quia exercetur hæc contrarietas inter principia ſubſtantialia, ſubſtantia verò eſt primum omnium entium; cui ſubſtantiæ quamuis, propriè loquendo, nihil ſit cõtrariũ, adhuc

Fonſeca.

Digitized by Google

adhuc habere poteſt oppoſitionem priuatiuã, quæ dicitur prima contrarietas.

9 Neque obſtat materiam, & formã non eſſe inter ſe contraria, ſatis enim eſt ad veritatem concluſionis, quód aliqua principia, ſcilicet, forma, & priuatio, ſint cõtraria, vt videre eſt apud Tolet. lib. 1. Phyſ. c. 5. q. 11. §. Circa hoc: quamquàm etiã materia, & forma dici poſſint cõtraria, ratione priuationis, & quia ſunt relatiuè contraria, vtraque enim alteram eſſentialiter connotat, vt loquitur Hurtad. in Phyſ. diſp. 1. ſect. 3. §. 13.

Tolet. *Hurtad.*

SECTIO III.

Quid, & quotuplex ſit cauſa, & per quid conſtituatur in actu primo, & in actu ſecundo?

1 DIxi de principijs in communi, quæ magis latè patent, quàm cauſæ, deinde egi de principijs generationis intrinſecis, quæ minùs latè patent, quàm cauſæ; modò agendum ſtatim erat cum Philoſopho de cauſa materiali, & deinde de cauſa formali, ſed quia non poſſumus perfectè cognoſcere has cauſas particulares, quin priùs cognoſcamus quid ſit cauſa in communi, & quæ illius cauſalitas, ideó, quamuis hæc doctrina pertineat ad ſecundum librum Phyſicorum, breuiter tamen inculcanda eſt in hoc loco, vt ſic meliùs ſeruetur doctrinæ ordo. His poſitis.

2 Sit *prima concluſio*. Cauſa definitur: *Principium per ſe influens eſſe in aliud*, ſeu aliter, *Cauſa eſt principium, à quo aliquid per ſe dependet*. Ita cum communi ſententia Soar. in Met. diſp. 12. ſect. 2. n. 3. Conimbr. 2. Phyſ. cap 7. q. 1. art. 1. §. *Cæterum*. Vbi notandum eſt effectum debere per ſe pendere à cauſa, tanquàm à principio, quod influat eſſe in effectum, per veram dependentiam ipſius effectus; vnde vna relatio non eſt cauſa alterius, ſiquidem vna relatio non influit eſſe in aliam. Deinde neque vna diuina perſona eſt cauſa alterius, ſiquidem nulla in diuinis datur dependentia; ac tandem ſubſiſtentia non dicitur cauſa naturæ, ſiquidem natura non dependet a ſubſiſtentia, tamquàm à principio ſui eſſe, ſed tãquàm à termino.

Soarius. Patres Conimbr.

3 Vnde colligo cum Soar. in Met. diſp. 12. ſect. 2. à n. 10. humanitatem Chriſti Domini non pendere a Verbo diuino, tanquàm à cauſa per ſe, (ſiquidem non pendet tanquàm à principio ſui eſſe) ſed tanquàm à termino, neque enim repugnat pendere rẽ aliquã ab vna perſona diuina, & nõ ab alia, quòad terminatione tantùm, (vt patet etiã in opinione Scoti in 1. diſt. 1. q. 2. §. *Quantum*, vbi aſſerit bene poſſe vnam perſonam diuinam terminare viſionem, ſine alijs) repugnaret verò pendere rem aliquam, per realem influxũ, ab vna perſona, & non ab alijs; & ratio diuerſitatis eſt, quia actiones reales ad extra, per veram dependentiam effectus, ſunt communes toti Trinitati.

Soarius. Scot.

4 Vnde etiã colligo, neque ratione cõpoſiti ineffabilis (quod conſtat ex Verbo, & humanitate vnitis) habere Verbũ diuinũ rationẽ cauſæ propriè erga hoc cõpoſitũ; nã Verbũ diuinũ in tantùm conſtituit tale cõpoſitũ, in quantùm terminat, ſeu ſuſtentat humanitatem terminando, cùm igitur non cõponat per realem dependentiã effectus, non dicitur cauſa humanitatis, neque compoſiti ineffabilis, quãuis aliunde, quã Deus, ſit vera cauſa: reduci tamen poteſt Verbum diuinum ad aliquod genus cauſæ, ſicut reducitur ſubſiſtentia creata ad cauſam formalem.

5 Ex quibus etiam patet, poſſe vnam perſonam diuinam dici principium, reſpectu alterius, non tamen cauſam, cùm neque in Filio v. g. detur dependentia à Patre, neque ſit aliud à Patre: & quamuis idem poſſit diuinitus ſe ipſum reproducere, vt eſt communis ſententia apud Soar. tom. 3. in 3. p. diſp. 49. ſect. 1. & in Met. diſp. 26. ſect. 4. nu. 27. adhuc tamen ibi datur realis diſtinctio inter producens, & productum, quia ſumitur ex vna parte cauſa ſecunda ſimul cum prima; ex altera verò ſumitur res producta, vel producẽda per ſe ſolùm, inter quos terminos, cæcus eſt qui non videat realem diſtinctionẽ.

Soarius.

6 *Secunda concluſio* Cauſa creata diuiditur in materialem, & formalem, efficientem, & finalem: ita cum communi ſententia Philoſophorum Soar. in Met. diſp. 12. ſect. 3. à n. 1. Conimbr. 2. Phyſ. cap. 7. q. 2. art. 1. Tolet. 2. Phyſ. cap. 3. tex. 28. q. 7. Hurt. in Phyſ. diſp. 8 ſect. 9. Rub. lib. 2. Phyſ. tract. 1. n. 54. & Fõſ. lib. 5. Met. cap. 11. in comm. à lit. P. Probatur hac collectione: Quidquid efficitur in rerum natura duas habet cauſas intrinſecas, nempe potentiam, ex qua fit, & actum, per quem habet ſuum eſſe; potentia verò eſt materia prima, actus eſt forma: Cùm tamen nihil ſe poſſit efficere, indiget cauſa efficiente: efficiẽs verò, ne temere operetur, neceſſariò debet reſpicere finem, ad quem ordinet ſuas actiones: ergo quatuor ſunt cauſæ: exemplar verò reducitur ad cauſam efficientem, quamquàm alij pugnent pro cauſa formali externa, de qua ſuo loco. Diſpoſitiones verò reducuntur ad formã, ad quam diſponunt.

Soarius. Conimbr. Tolet. Hurtad. Rubius. Fonſeca.

7 Circa hanc diuiſionem notandum eſt primò,

Q 3 primò,

Digitized by Google

quomodo cauſæ diſtinguātur

primò. Membra huius diuiſionis, ſi formaliter accipiantur, eſſe eſſentialiter diſtincta. Probatur, quia influxus, ſeu cauſalitas cauſæ materialis eſt per modum potentiæ, influxus verò cauſæ formalis eſt per modum actus, & vtraque cauſalitas eſt interna: influxus verò efficientis, & finalis externus eſt; & efficiens cauſat per realem actionem, finalis verò per metaphoricam; ex quibus patet ipſas cauſas formaliter ſumptas eſſentialiter differre. Si verò membra huius diuiſionis materialiter accipiantur, non diſtinguuntur eſſentialiter. Probatur, quia eadem res materialis poteſt exercere omnes quatuor cauſalitates, nam anima eſt cauſa formalis, reſpectu compoſiti: eſt etiam cauſa materialis ſuarum paſſionum; præterea eſt cauſa efficiens ſuarum actionum; ac tandem eſt finis, reſpectu actionis, per quā producitur.

8 Notandum ſecundò, hanc diuiſionem cauſæ in communi non eſſe vniuocam, quia ad ſubſtantiale, & accidentale nihil datur vniuocum: ſed quædam cauſæ habent cauſalitates ſubſtantiales, vt materia, & forma: quædam verò habent cauſalitates accidentales, vt efficiens: ergo non poſſunt vniuocè conuenire in ratione cauſandi.

9 Notandum tertiò, prædictam diuiſionem non fieri in ſpecies infimas, ſed in ſpecies ſubalternas. Probatur, quia cauſa efficiēs diuiditur in varias ſpecies cauſarum, nempe in efficientem, creatum, & increatum: forma in varias formas diuerſæ ſpeciei: finis ſimiliter. De materia, vtrùm ſit ſpecies infima, agēdum eſt infra.

10 *Tertia concluſio.* Formalis ratio cauſæ in actu primo non conſiſtit in entitate materiali, ſed in virtute, ſeu reali potentia cauſandi. Ita communis ſententia, pro qua videri poteſt Hurt. in Phyſ. diſp. 8. ſect. 2. ſub ſect. 2. n. 21. ad fin. quia bene poteſt cognoſci entitas cauſæ, quin cognoſcatur, vt cauſa eſt in actu primo: ergo qui cognouerit ſolem, vt cauſam, in actu primo, non ſatis erit cognoſcere eius entitatem, ſed neceſſariò cognoſcet eius virtutem, ſeu potentiam cauſandi, quæ quidem fundatur in entitate materiali cauſæ, & eſt aliquando realitèr diſtincta à cauſa, vt calor in igne. ſpecies in potentia: aliquando verò eſt indiſtincta realiter, vt omnipotētia in Deo. Supponimus tamen ad cauſam, in actu primo, neceſſariò requiri diuinum concurſum, non quidem in actu ſecundo, ſed in actu primo, hoc eſt, voluntatem, qua Deus voluit concurrere cum omni cauſa ſecunda.

Hurtad.

11 *Quarta concluſio.* Cauſa in actu ſecundo conſtituitur per actualem cauſalitatem, ſeu influxum, quo mediante, ipſa cauſa tribuit eſſe effectui: ita communis ſententia cū Soar. in Met. diſp. 12. ſect. 2. nu. 11. Hurtad. in Phyſ. diſp. 8. ſect. 2. n. 22. §. *Solutioni præmittur.* De eâdem cauſalitate agunt Conimbric. 2. Phyſ. cap. 7. q. 6. per totam. Probatur facilè concluſio, quia ſicut per actionem videndi dicimur videre actualiter, ita per actualem cauſationem dicitur cauſa operari in actu ſecundo. Vnde conſtat hanc cauſalitatem non eſſe relationem cauſæ, nam hæc relatio reſultat poſt cauſalitatem, ſeu influxum cauſæ.

Soar. Hurtad. Patres Conimbr.

Quid ſit cauſalitas?

12 Cauſalitas verò hæc nihil eſt aliud, quàm influxus ille, quo cauſa influit eſſe in effectum, quæ diſtinguitur à parte rei, tam à principio, quàm á termino, ſiue ab effectu, ad quem tēdit. Probatur, quia tam principium, quàm terminus poſſunt manere, imò & de facto perſeuerant aliquando ſine cauſalitate: ergo hæc eſt aliquid ab ipſis diſtinctum: & declaratur, quia cauſalitas eſt in effectu, vt mox dicemus; ſed effectus poteſt eſſe ſine cauſa: ergo cauſalitas diſtinguitur à parte rei à principio, ſeu cauſa; & eadem quantitas, quæ nunc eſt in ſubiecto per cauſalitatem, ſeu per eductionem, poteſt diuinitus, pereunte eductione, poni extra ſubiectum, per creationem, vt patet in quantitate ſacræ Eucharistiæ; ex quibus patet, cauſalitatem diſtingui ex natura rei à principio, & à termino; non ideò tamen erit hæc cauſalitas aliqua realitas, ſufficit enim, quód ſit modalitas.

13 Hæc cauſalitas formaliter, & immediaté per ſe ipſam pendet à ſuo principio. Probatur, quia cauſalitas eſt formalis dependentia effectus à principio, ſiue cauſa: ergo non indiget alia cauſalitate, alioquì daretur proceſſus in infinitum. Meritò tamen rogas, cum quo identificetur cauſalitas, cum cauſane, an cum effectu producto? Reſpondeo, cauſalitatem eſſe dependentiam effectus á cauſa atque adeó in re dependente, nimirum in ipſo effectu neceſſariò collocandam eſſe, & ita actio ſic eſt immediata proceſſio, ſeu dependentia à cauſa efficiente, vt nihilominùs identificetur cum termino, ſeu effectu, quia terminus, ſiue effectus eſt, qui dependet à cauſa, ratione muneris recipiendi. cauſa verò, quamuis ſit relatum tranſcendens ad effectum, non dependet ab illo. Probatur, quia effectus formalis non datur ſine cauſa formali: ſed effectus dicitur dependens: ergo in ſe habet rationem formalem dependentiæ, nēpe ipſam

Cauſalitas eſt immediata depēdentia.

ipſam cauſalitatem. Et declaratur, quia Deus propriiſſimé eſt cauſa efficiens, exemplaris, & finalis; & tamen, dum actu cauſat, nullum modum cauſalitatis in ſe admittit: at verò accidens admittit inhærentiam, quæ ideò identificatur cum accidente, & non cum ſubſtantia, quia accidens dependet à ſubſtantia, non è contrario. Similiter etiam vnio hypoſthatica, ſeu dependentia humanitatis à Verbo identificatur cum ipſa humanitate, quia non Verbum diuinum, ſed humanitas dependet.

14 Ex quibus ſatis conſtat, cauſalitatem eſſe poſteriorem naturà principio & priorem ſuo termino. Probatur prima pars, quia cauſalitas eſt operatio ipſa, omnis autem operatio ſupponit operantem, ſaltem prioritate naturæ. Probatur ſecunda pars, quia cauſalitas eſt ratio, propter quam terminus exiſtat: ergo eſt prior termino: nam ideò terminus exiſtit, quia cauſatur per cauſalitatem: ergo terminus eſt poſterior naturà, quàm cauſalitas, & ipſa cauſalitas eſt prior. Vnde colligo, cauſalitatem non eſſe in termino, tanquàm in ſubiecto propriè loquendo, quia, vt aliquid ſit in ſubiecto, debet ſupponere ſubiectum, ſaltem prius naturà, vt poſſit ſubiectum exercere ſuam cauſalitatem recipiendo formam, quæ introducitur, id verò, quod non exiſtit, nullam poteſt exercere cauſalitatem, aut aliquid in ſe recipere: atqui cauſalitas eſt prior naturà termino: ergo non ſupponit terminũ, tanquàm ſubiectum; quæ doctrina vera eſt, vt aliquando latiùs videbimus ſuo loco, quamuis ſit contra Conimbr lib. 1. de Generatione cap. 4. q. 4. art. 3 à 9. *Quòad ſecundam.* *Curſus Conimbr.*

15 Obiicis. Vnio, quæ eſt cauſalitas in compoſito materiali, non inhæret in materia, tanquàm in ſubiecto, quia identificatur cum forma; deinde non in forma, tanquàm in ſubiecto, ſiquidem non illam ſupponit: ergo vnio non habet ſubiectum. Reſpondetur, verum quidem eſſe, cauſalitatem non eſſe propriè in termino, tanquàm in ſubiecto inhæſionis, vt tamen dicatur, non eſſe extra ſubiectum, ſatis eſſe, quòd ſit in termino, per intimam coniunctionem. Et declaratur, quia cauſalitas agentis, ideſt actio, non inhæret in termino, ſiquidem illum non ſupponit; deinde non inhæret in agente, quia creatio non inhæret in Deo creante, & ſolùm habet ſubiectum denominationis, quod ſufficiens eſt. De his tamen infra latiùs agendum eſt.

(.?.)

SECTIO IIII.

De conditionibus, & relationibus cauſæ ad effectum.

1 PRima concluſio. Conditiones, quæ logicè requiruntur in cauſis ad cauſandum ſunt tres. Prima eſt, exiſtentia, cùm enim cauſa debeat aliquid efficere, neceſſariò debet priùs exiſtere. id enim quod nullo modo eſt, nullo modo poteſt aliquid cauſare: ſuffi it verò exiſtenti, prout abſtrahit ab actuali, & obiectiua, nam cauſa efficiens realis poſtulat realem exiſtentiam, in cauſa verò finali ſufficit exiſtentia obiectiua. Vnde neq; à Sacramentis poteſt phyſicè produci gratia, niſi aliquid illorum phyſicè exiſtat, quando producitur gratia, vt communiter dicimus contra Thomiſtas. *Tres conditiones requirit cauſa.*

2 Secunda conditio eſt diſtinctio inter cauſam, & effectum, quæ diſtinctio in cauſis phyſicis, de quibus loquimur, ad minimum, debet eſſe ex natura rei, nam idem non poteſt phyſicè, & realiter cauſare ſeipſum. Tertia conditio eſt, prioritas in cauſa, reſpectu effectuum; vnde communiter dicitur cauſa prior effectu. Hæc concluſio communis eſt, & certa, & ab omnibus recipitur.

3 Circa prioritatem cauſæ erga effectum videri poteſt Soar. in Metaph. diſp. 26. ſect. 2. Vaſq tom. 2. in 1. p. diſp 167. cap. 2. à n. 8. vbi agit de prioritate diuinarum perſonarum: Hurt. in Phyſ. diſp 8 ſect 6. & 7. vbi doctè, & latè agit de prioritate cauſæ. Vt tamen hæc doctrina clarior euadat, ſciendum eſt, prioritatem nihil aliud eſſe, quàm antecedentiam vnius rei ad aliam. Diuiditur hæc prioritas, ſiue antecedentia in quatuor membra. Prima dicitur prioritas durationis, quæ notiſſima eſt, quãdo ſcilicet vnum antecedit aliud tempore, vel ſaltem aliquo inſtanti. Secunda dicitur prioritas naturæ, *quæ datur inter illa, quæ ſunt diſtincta à parte rei, & nihilominùs ſunt ſimul duratione, ſiue tempore, licet vnum ſit cauſa alterius*; quæ prioritas datur v. g. in Sole, reſpectu lucis, diſtinguitur enim realiter, & tamen, ſunt ſimul duratione, non verò ſimul naturà, quia Sol eſt cauſa lucis; vnde inter diuina attributa non datur prioritas naturæ, quia non diſtinguuntur ex natura rei. *Soarius. Vaſquez. Hurtad. Quid ſit, & quotuplex ſit prioritas.*

4 Atque hæc prioritas naturæ non eſt ſufficiens, vt vnum ſimpliciter dicatur prius alio, ſed ſolùm eſt ſufficiens, vt dicatur prius naturà: neque enim ſufficiens eſt, vt res, quæ eſt prior naturà poſſit exiſtere, quã cauſa eſt, ſine ſuo effectu, vt patet exemplis; nam res eſt

Digitized by Google

prior naturà, quàm ſuum vbi, & tamen nequit ſine illo exiſtere: ſimiliter actio eſt prior naturà ſuo termino, & dari nequit ſine termino; quapropter quãdo dicitur, quòd res, quæ eſt prior naturâ, eſt independens ab alio poſteriori, intelligendum eſt de independentia à priori, non veró de independentia â poſteriori, vel à conditione, ſine qua non, vt bene aduertit Hurt. in Phyſ. diſp. 8. ſect. 7. § 8 5. Hurtad.

5 Hinc ſequitur, quòd illa, quorum vnũ eſt prius naturà, quàm aliud, poſſunt ſimpliciter dici, eſſe ſimul, quia videlicet ſunt in eodem inſtanti reali; vnde Sol, qui eſt prior naturà, quàm lux, dicitur tamen eſſe ſimul duratione cum luce: item natura in primo ſtatu habet prioritatem naturæ, reſpectu differentiarum, & tamen ſimpliciter dicitur eſſe ſimul cum differentijs: item Minor eſt prior naturá, quàm Concluſio, & tamen datur ſimul cũ Concluſione, quia datur in eodem inſtanti reali.

6 Tertia prioritas dicitur rationis, quæ nihil aliud eſt, *quàm illa antecedentia, qua vnum per rationem, cum fundamento in re, præcedit aliud, à quo non diſtinguitur ex natura rei*, quæ ſolùm datur inter illa, quæ ſola ratione ſe præcedunt, ita vt vnum, noſtro modo concipiendi, ſit cauſa alterius; qua ratione ſe habent gradus metaphyſici inferiores, reſpectu ſuperiorũ, & aliqua diuina attributa, reſpectu aliorum; ac proptereà bene valet hæc conſequutio, *Deus amat; ergo cognouit*: non vero hæc, *Deus cognouit; ergo amat*: in qua videmus prioritatem rationis in cognitione diuina, reſpectu amoris Dei; quæ prioritas non datur in vna perſona diuina, reſpectu alterius, cùm nullo modo, neque per noſtram rationem, ſit vna perſona cauſa alterius.

7 Quarta denique prioritas eſt antecedentia, ſiue ordo originis, *quæ dicitur illa, qua vnum concipitur vt principium alterius procedentis, ſed tamen cum omnimoda ſimultate temporis, naturæ, & rationis*, quæ prioritas datur in diuinis perſonis; nam Pater, reſpectu Filij, non eſt prior tempore, vel inſtanti, ſiquidem ſunt ab æterno: deinde non eſt prior naturà, ſiquidem nõ eſt cauſa Filij: Tandem non eſt prior ratione, quia, neque ſecundùm noſtrum modum concipiendi, eſt cauſa Filij, ſiquidem, præterquàm quód non habeat diſtinctam eſſentiam à Filio, eſt ſimul cognitione cum Filio, quia Pater, & Filius ſunt relata. Eſt ergo Pater Æternus prior Filio prioritate originis, ſeu ordinis, quia eſt principium, *á quo* Filij; in qua prioritate non datur ſignum, *in quo*, quamuis detur aliquod ſignum, *à quo*. Vide Vaſq. tom. 2. in 1. p. diſp. 167. cap. 2. & 3. Vaſquez.

8 Atque ex dictis circa prioritates ſatis colligitur omnem cauſam in actu primo eſſe priorem ſuo effectu, imò, & in actu ſecundo, eſſe priorem, ſaltem natura, itaut neque diuinitus poſſit cauſa in actu ſecundo habere maiorem prioritatem, quàm naturæ, nã effectus in actu poſtulat cauſam in actu.

9 Colligitur præterea, ad cauſam phyſicam (de qua loquimur) non ſufficere prioritatem originis, nec rationis. Probatur prima pars, quia prioritas originis datur tantùm inter illa, quorum vnum, nec a parte rei, nec per rationem, pendet ab alio: at verò inter cauſam, & effectum neceſſariò datur dependentia. Probatur ſecunda pars, quód ſcilicet non ſufficiat prioritas rationis, quia talis prioritas non datur á parte rei, ſed tantùm per intellectum, cauſa veró phyſica debet eſſe prior à parte rei, ſaltem prioritate naturæ, ſiquidem dat eſſe á parte rei.

10 Obijcis: ſufficit in cauſa diſtinctio rationis: ergo, & prioritas rationis. Probatur antecedens, quia definitio eſt cauſa ſubiecti; & tamen diſtinguitur a ſubiecto, ſeu a definito ſolùm virtualiter, & nihilominùs per definitiones veras facimus demonſtrationes. Reſpondetur, antecedens verum eſſe de cauſis metaphyſicis, non veró de phyſicis, de quibus loquimur; vnde ſicut in cauſis metaphyſicis ſufficit diſtinctio rationis, ita etiam prioritas rationis: at verò ad cauſas phyſicas, ſicut requiritur diſtinctio ex natura rei, ita & prioritas á parte rei, iuxta ſupradicta.

De relationibus cauſæ ad effectum.

11 SEcunda concluſio. Cauſa creata, quatenus cauſa eſt, vel in actu primo, vel in actu ſecundo, eſt relatum tranſcẽdens ad ſuos effectus: hæc concluſio mihi videtur cõmunis, & pro ea videri poteſt Hurt. in Phyſ. diſp. 8. ſect. 2. ſub ſect. 1. n. 17. & quidem, quòd materia dicat eſſentialem ordinem ad formam, & forma ſimiliter ad materiam, eſt communis ſententia cum D. Tho. Capr. Ferrar. & alijs, quos referunt, & ſequũtur Conimbr. 1. Phyſ. cap. 9. q. 3. art. 1. §. Secunda concluſio. ſubſcribit Pereira: lib. 1. Phyſ. cap. 21. Tolet. lib. 1. Phyſ. cap. 7. queſt. 14. concl. 2. Cauſa ſemper habet relatiõẽ ad effectũ. Hurtad. D Thom. Capreol. Ferrar. Patres Conimbr. Pereir. Tolet.

12 Probatur concluſio, quia omnis potentia v. g. intellectus, & voluntas, ſunt relata tranſcendentia ad ſuos actus, ſiue effectus; ſed omnis cauſa eſt potentia ad ſuos effectus: ergo eſt relatum tranſcendens. Maior ab omnibus conceditur: probatur minor, quia potentia nihil aliud eſt, quàm virtus, ſeu capacitas ad producendos aliquos effectus: ſed cauſa

Digitized by Google

cauſa, in actu primo, eſt virtus ad producendos aliquos effectus, vt conſtat ex dictis: ergo &c.

13 Confirmatur, quia cauſa non reſpicit ſuos effectus, tanquàm puros terminos: ergo non eſt ſolùm relatum prædicamentale. Explicatur antecedens, quia licet cauſa non dependeat ab effectibus à priori (hæc enim dependentia ſolùm datur in effectibus, reſpectu ſuarum cauſarum) dependet tamen tanquàm à poſteriori, ſeu tanquàm ab aliquo, à quo perficitur, vt infra videbimus, quæ depédentia non tollit perfectionem cauſæ, nam Socrates abſolutè perfectior eſt, quàm ſua ſubſiſtentia, cuius ipſe, in bona opinione, eſt cauſa, & tamen dependet à ſubſiſtentia, tanquàm à poſteriori, ſeu tanquàm à conditione, & idem cernitur in Vbicatione.

14 Obijcis primò pro contraria ſententia, quæ docet, cauſam non eſſe relatum tranſcendens ad effectum. Cauſa eſt relatum ſecundùm dici: ergo non eſt relatum tranſcendens. Probatur antecedens, quia relatum ſecundùm dici eſt illud, quod nullo modo nec à priori, nec à concomitante, nec à poſteriori dependet à ſuo termino, ſed in ſua entitate reali adhuc eſſet poſſibile, etſi terminus non eſſet poſſibilis, vt ſe habet *caput, ala, &c.* atqui ita ſe habet cauſa: ergo &c. Reſpondetur negando antecedens, & ad probationem dicendum eſt, verum quidem eſſe relatum ſecundùm dici, nullo modo pendere à ſuo termino, vt bene probat argumentum: ſed longè aliter ſe res habet in relatis tranſcendétalibus, quia vt patet, Sol pendet à luce à poſteriori, ſi enim non daretur actualiter lux, non daretur etiam Sol: & ſi non foret actualis entitas actuum poſſibilis, non foret etiam poſſibilis actualis entitas potentiæ: ex quibus ſequitur cauſam, ſiue potentiam pendére à poſteriori ab effectibus, ita vt, quemadmodùm contingens eſt actualis entitas lucis, ita etiam contingens ſit actualis entitas Solis; & quéadmodùm poterant non dari entitates actuum, ita poterant non dari potentiæ.

15 Obijcis ſecundò. Cauſa, in actu primo, eſt prior naturà, quàm effectus: ergo non poteſt ab illo pendere, neque eſſe relatum tranſcendens, quia relata debent eſſe ſimul naturà. Reſpôdetur negando conſequent. quia licet cauſa ſit prior naturà effectu, adhuc tamen pendere poteſt ab illo, tanquàm ab aliquo poſteriori, ſicut Socrates dependet à ſua ſubſiſtentia, quæ eſt poſterior, quod nullum eſt inconueniens, cùm hæc dependentia nô ſit à priori. Ad probationem dicendum eſt, ſola relata prædicamentalia eſſe ſimul naturà, vt v. g. Dominus & ſeruus; relata verò tranſcendentia non eſſe ſimul naturà, ſiquidem vnum, aut dat, aut recipit eſſe ab alio. Hæc ſolutio eſt de mente Philoſophi, dum in prædicamentis cap. 11. aſſerit; *ſimul naturà illa eſſe, quæ exiſtendi conſequentia reciprocantur, neque vnum eſt cauſa alterius.*

16 Obijcis tertiò. Cauſa non ordinatur ad effectus in particulari, quia habitudo cauſæ ad hunc numerò effectum contingens eſt, vt patet: Deinde non ordinatur ad effectus in communi, quia, prout ſic non ſunt producibiles: ergo cauſa non eſt relatum tranſcendens ad effectus. Reſpondetur, cauſam ordinari ad effectus in communi, quaſi in actu ſignato, & ad effectus ſingulares in confuſo, & indeterminatè: nam potentia videndi, cùm non poſſit producere actus videndi in communi, non dicit ordinem tranſcendentalem ad actus in communi: cùm verò neceſſariò debeat potétia producere aliquos actus, quia datur propter illos, dicit ordinem ad actum ſecundùm ſe, qui non eſt communis, neque particularis, hoc eſt, neque aliquis particularis, vt conſtat ex his, quæ dixi circa doctrinam Vniuerſalium, diſp. 2. & ita explicandus eſt noſter Arriaga, quatenus docet cauſam dicere reſpectum ad effectum in particulari, vt videre eſt in ſuo Curſu Philoſop. in Phyſica diſp. 7. ſect. 4. — *Quomodo cauſa ordinetur ad effectus.* — *Arriaga.*

17 Inſtas. Potentiæ generatiua & ſpiratiua in Deo non ſunt relata tranſcendentia: ergo neque etiam potentia creata. Reſpondetur negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia, vt aliquid ſit relatum tranſcendens, debet ſaltem ex natura rei diſtingui à ſuo effectu, nam relatum tranſcendens, vel dat, vel recipit eſſe: at verò idem non poteſt eſſe cauſa realis, vel effectus ſui ipſius; cùm verò potentiæ generatiua & ſpiratiua non ſint realiter, vel ex natura rei diſtinctæ, à perſona producta, non ſunt relata tranſcendentia. Ex dictis ſatis conſtat, in omni cauſa reali dari relationem prædicamentalem ad effectum, præter relationem tranſcendentalem, & prout ſic, eſſe ſimul naturà, & cognitione.

Proponitur vltimum argumentum, & quæritur, vtrùm diuina omnipotentia habeat relationem, & connexionem ad creaturas?

18 OBijcis vltimò. Cauſa ſecundùm ſe eſt aliquid abſolutum: ergo nô eſt relatiuum. Probatur antecédens, quia omnipotentia diuina eſt vera cauſa, & tamen non eſt relatum tranſcendens,

Digitized by Google

cendens; imó, neque habet relationem prædicamentalem, ad creaturas. Hoc argumentum tangit grauem difficultatem, vtrùm, ſcilicet, cauſa prima, ſeu diuina omnipotentia ſit relatum tranſcendens ad creaturas? Quæ difficultas modó examinanda eſt, quia ſæpe de ea occurrit ſermo.

19 Ad argumentum igitur reſpondetur primò. Omnipotentiam diuinam non eſſe relatum tranſcendens ad creaturas, ſed eſſe quid abſolutum, vt tenet Soar. in Met. diſp. 47. ſect. 3. n. 9. ad medium, vbi aſſerit, diuinā omnipotentiam ſolúm eſſe relatum ſecundùm dici, quia ad modum relatiuorum explicatur: in eadem ſententia perſtat ſect. 15. n. 15. ad medium, & 1. p. lib. 2. de Attrib. cap. 25. itē Vaſq. 1. p. diſp. 104. cap. 6. vbi agunt de modo, quo creaturæ videantur in Deo, quamuis Deus ſit quid abſolutum, & quamuis diuina omnipotentia non ſit relatum tranſcendens. Eandem ſententiam expreſſit Hurt. in Met. diſp. 15. ſect. 9. n. 84. ſubſcribit Faſſol. 1. p. q. 12. art. 8. dubit. 12 à n. 68.

Soarius. *Vaſq.* *Hurtad.* *Faſol.*

20 Probatur, quia omnis relatio tranſcēdentalis eſſentialiter reſpicit aliud, tanquàm ſuum perfectibile aliquo modo, v. g. materia, & forma inuicem referuntur tranſcendentaliter, quia materia perficit formam, vel ſuſtentando, vel ſaltem recipiendo, qua receptione indiget omnis forma, etiam rationalis, reſpectu compoſiti; & rurſus forma, quamuis non ſit cauſa materiæ, illam tamen perficit, ornat, & adiuuat, tam in eſſendo, quàm in operando; & ſimiliter cauſa efficiens creata reſpicit ſuum effectum tranſcendentaliter, vt vel ipſa perficiatur ab effectu, ſi illum in ſe recipiat, vel ſaltem vt propter effectum, recipiat in ſe aliquam relationem realem, à qua, ſuo modo perficiatur. Deinde, quia omnis cauſa agendo, ſi ſit vniuoca, conſeruat ſuum eſſe ſpecificum; ſi verò non ſit vniuoca, ſaltem conſeruat, & auget ſuam virtutem actiuam; nam, poſito effectu, plus poteſt omnis cauſa cum effectu, quàm ſine illo, vt teſtatur D. Thom. q. 7. de Potentia. art. 10. in corpore, ante medium; ex quibus patet omnem cauſam creatam habere aliquod emolumentum, ex eo quód reſpiciat tranſcendentaliter ſuos effectus; ſed nihil horum cogitari poteſt de cauſa increata: ergo omnipotentia diuina non eſt relatum tranſcendens ad creaturas poſſibiles.

D. Thom.

21 Addo tamen: Licet omnipotentia diuina non ſit relatum tranſcendens ad creaturas poſſibiles, habere tamen cum illis eſſentialem connexionem, vt obſeruat Soar. 1. p. lib. 2. de Attrib. cap. 25. à n. 22. Sal. tom. 1. in 1. 2. q. 3. tract. .. diſp. 4. ſect. 4. præcipuè à nu. 60. Faſſol. 1. p. q. 12. art. 8. dub. 12. n. 4. 8. 61. & nu. 68. ad medium, dicit hanc veritatem eſſe pluſquàm certam.

Soarius. *Salas.* *Faſol.*

22 Probo igitur primò, diuinam omnipotentiam, ſeu Deum ipſum habere eſſentialem connexionem cum creaturis poſſibilibus, ita vt ſi creaturæ eſſent impoſſibiles, etiam Deus foret impoſſibilis. Probo, inquam, primò. Deus habet eſſentialem connexionem cum ſua omnipotentia, & cum ſua diuina ſcientia, ex eo quód implicet contradictionem dari Deum ſine omnipotentia, & ſcientia; ſed etiā implicat dari omnipotentiam, & ſcientiam ſine creaturis poſſibilibus: ergo Deus habet eſſentialem connexionem cum creaturis poſſibilibus. Maior eſt certa, Minor videtur certa, neque enim intelligi poteſt omnipotentia, & ſcientia ſine obiecto. Conſequentia probatur, quia ex eo actio habet eſſentialem cōnexionem cum termino, quia implicat dari actionem ſine termino; ſed etiam implicat dari ſcientiam ſine obiecto, vel omnipotentiam, quin poſſit aliquid facere circa poſſibilia (nam omnipotentia non verſatur circa impoſſibilia) ergo omnipotentia, & conſequenter Deus ipſe habet eſſentialem connexionem cum poſſibilibus.

Deus habet cōnexionē cū creaturis.

23 Confirmatur, quia idem prorſus eſt, implicat contradictionem aliquid exiſtere, non exiſtente alio; & illud habere eſſentialem connexionem cum hoc.

24 Vnde colligo manifeſtum diſcrimen inter actus liberos Dei, & ſcientiam neceſſariorum; ideò enim Deus non habet eſſentialem connexionem cum actu, vel obiecto libero, quia ex nulla parte implicat, Deum carere denominatione, ſeu terminatione actus liberi; at implicat carere Deum ſcientia poſſibilium, quia neceſſaria eſt; imò implicat habere Deum eſſentialem connexionem cum actu libero, id eſt cum exiſtentia creaturarum, ad quam actus liber terminatur, quia tunc careret Deus facultate dominante circa creaturas, non enim poſſet deſtruere earum exiſtentiam, alioquin ſe ipſum deſtrueret; & deinde haberet Deus eſſentialem connexionem cum re contingenti, qualis eſt exiſtentia cuiuſque creaturæ, quæ ſunt indigniſſima Deo, vt patet.

25 Probo ſecundò. Si creaturæ eſſent impoſſibiles, eſſet etiam impoſſibile Deo producere creaturas, ſicut modò eſt impoſſibile Deo producere Chymæram: ergo differret eſſentialiter Deus, qui tunc daretur, à Deo noſtro, ac proinde eſſet impoſſibilis. Probatur ſequela; quia ſicut poſſe diſcurrere, & non poſſe diſcurrere, eſt ſignum diuerſitatis eſſentialis inter hominem, & equum: ita poſſe producere, & non poſſe producere creaturas, eſſet

Digitized by Google

eſſet ſignum diuerſitatis eſſentialis inter vtrũque Deum: ſed ſi creaturæ non eſſent poſſibiles, non poſſet Deus illas producere: ergo ſequitur quód habeat Deus eſſentialem cõnexionem cum poſſibilitate creaturarum.

26 Confirmatur, quia ſi repugnaret dari obiectum riſibile, repugnaret etiam dari potentiam ridendi: ergo ſi repugnaret dari creaturas factibiles, repugnaret etiam dari omnipotentiam: ex quibus ſequitur eſſentialis connexio inter diuinam omnipotentiam, ſeu inter cauſam primam, & creaturas poſſibiles.

Reijcitur opinio negans hanc connexionem.

27 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quam ſequitur Vaſq. tom. 1. in 1. p. diſp. 104. cap. 6. a n. 22. & Alarcon. 1. p. tract. de Scient. diſp. 2. cap. 4. item Hurt. diſp. 15. Met. ſect. 9. §. 78. Obijcis, inquam, primò. Deus eſſet omnipotens, quamuis creaturæ eſſent impoſſibiles: ergo diuina omnipotentia non dicit eſſentialem ordinem ad creaturas. Probatur antecedens primó, quia omnipotentia eſt ad faciendum quidquid non implicat contradictionem, vnde ſi creaturæ implicaſſent contradictionem, adhuc Deus in ſe ipſo intrinſecè eſſet omnipotens. Probatur ſecundò idẽ antecedens, quia omnipotentia eſt prior, quã poſſibilitas creaturarum, quod autem prius eſt, poteſt exiſtere ſine poſteriori. Probatur tertiò, quia, licet Deus eſſet impoſſibilis, adhuc creaturæ eſſent poſſibiles, (hi enim termini, *animal rationale*, non repugnarent inter ſe, licet Deus eſſet impoſſibilis, quia adhuc ex obiecto eſſent poſſibiles) ergo ſimiliter, quãuis creaturæ eſſent impoſſibiles, adhuc Deus eſſet poſſibilis. *Vaſquez. Alarcon. Hurtad.*

28 Reſpondetur negando antecedens, quia, cùm diuina omnipotentia non haberet obiectum, eſſet impoſſibilis: vnde ad primã probationem reſpondeo, non eſſe illo modo explicandam diuinam omnipotentiam, quaſi ſit virtus conditionata faciendi quidquid nõ implicat contradictionem; ſed potiùs hac ratione definienda eſt, *Omnipotentia eſt virtus productiua omnium effectuum abſolutè poſſibilium*; vnde in ſuo formali conceptu includit dari poſſibilia; quarè ſi hæc non darentur, non daretur omnipotentia, quia, remotis poſſibilibus, nihil remanet, niſi impoſſibile, circa quod Deus nihil poteſt operari.

29 Ad ſecundam probationem reſpondetur, poſſibilitatem actiuam creaturarum eſſe ſimul cum Deo, quia nihil eſt aliud, quã diuina omnipotentia: poſſibilitatem veró paſsiuam (id eſt eſſentiam creaturarum, quæ explicatur per negationem impoſsibilitatis, quatenus eſt effectus factibilis à Deo) eſſe poſteriorem cau â primâ, adhuc tamen dari non poſſe diuinam omnipotentiam ſine tali poſsibilitate, licet poſterior ſit, vt patet exemplis, nam Sol prior eſt luce, & tamen dari nõ poteſt ſine luce: præterquam quód, in ratione termini, & obiecti, creaturæ poſsibiles inadæquatè ſumptæ dici poſsint priores diuinà omnipotentiâ, ſicut obiectum dicitur prius potentiâ.

30 Ad tertiam probationem antecedentis dico, ſi Deus foret impoſsibilis, implicare hos terminos, *animal rationale*, quia animal rationale dicit ex ſuo conceptu formali abſolutam poſsibilitatem, vt producatur à Deo, ac proinde eſſentialem dependentiam ab ipſo Deo.

31 Obijcis ſecundò. Si Deus dicit eſſentialem connexionem cum omni re factibili, etiam quælibet res factibilis habebit eſſentialem ordinem cum Deo: imò & intellectus noſter dicet ordinem naturalem ad omne intelligibile, ac proinde ad viſionem beatam; vnde ſequetur poſſe noſtrum intellectum naturaliter videre Deum, ſiquidem ad eius viſionem dicit ordinem, ſeu connexionem naturalem. Reſpondetur concedendo antecedens, atque adeò intellectum noſtrum habere relationem tranſcendentalem, & naturalem connexionem ad poſsibilitatem viſionis beatæ, ſeu ad Deum clarè cognitum, quatenùs Deus clarè cognitus continetur intra obiectũ adæquatum intellectus creati, quod eſt omne intelligibile, nam, hoc poſito, verum eſt dicere, Deum clarè cognitum non eſſe extra obiectum intellectus, ſicut ſonus dicitur eſſe extra latitudinem obiecti viſus. *Soluitur aliud argumentum.*

32 Quamuis ergo illa relatio tranſcendẽtalis ex parte termini ſupernaturalis ſit, eſt tamen naturalis in entitate, quia naturale eſt intellectui creato eſſe productiuum viſionis beatæ, ſeu poſſe eleuari ad viſionem beatam; & ex hoc non ſequitur eſſe naturale intellectui videre Deum; quam ſolutionem apertè colligo ex D. Auguſt. lib. 1. de Prædeſt. Sanctorum cap. 5. vbi inter alia, in hæc verba, *Habere poſſe fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum, habere autem fidem, quemadmodùm & habere charitatem, gratiæ eſt fidelium; illa itaque natura, in qua nobis data eſt poſſibilitas habendi fidem, non diſcernit ab homine hominem; ipſa vero fides diſcernit ab infideli fidelem &c.* ita ſimiliter habere intellectum producibilem viſionis beatæ naturale eſt, quamuis actualis viſio Dei ſit omnino vltra naturales vires intelle- *D. Aug.*

ctus

ctus creati.

33 Noſter Faſſol. 1. p. q. 12 art. 1. dubit. 6. à nu. 37 nobiſcum ſentit in hac ſolutione, nihilominùs tamen naturalem abſolutè appellat relationem tranſcendentalem ad Deum, ideſt non violentam.

Faſſol.

Soluitur tertiũ argumentũ.

34 Obijcis tertió. Quamuis Deus non poſſit producere Chymeram, adhuc Deus omnipotens eſt: ergo etiamſi non poſſit producere formicam v. g. adhuc Deus eſſet omnipotens, ſuppoſito quòd ipſa formica eſſet impoſſibilis, quia omnipotentia eſt virtus ad efficiendum terminum in ſe non repugnantem: ergo adhuc Deus eſſet intrinſecé omnipotens, quamuis non poſſet producere formicam, ſicut dicitur omnipotens, quamuis nõ poſſit producere Chymæram; & hanc rationem, vt ait Hurtad. diſp. 15. ſect. 9. §. 79. in fine, appellat Pater Vaſq. demonſtrationem naturalem.

Hurtad.
Vaſquez.

35 Reſpondetur, conſequentiam veram eſſe, ſi loquamur ex ſuppoſitione impoſſibili, quòd formica ſit impoſſibilis; tunc veró nihil colligit argumentum, nam *ex impoſſibili* (vt inquit Philoſophus) *ſequitur quodlibet* (quod intelligẽdum eſt de impoſſibili, quod deſtruit ſuppoſitionem per locum intrinſecum) nos veró loquimur abſolutè, vel etiam ex vera ſuppoſitione, quòd formica poſſibilis ſit, & tunc dicimus, Deum neceſſarió habiturum eſſentialem connexionem cum poſſibilitate formicæ, itaut ſi deſineret poſſibilitas formicæ, deſineret etiam hic Deus.

36 Inſtas. Abſurdum, & indignum videtur Deum ipſum pẽdere à poſſibilitate vnius formicæ, itaut ſit hæc connexio adeò eſſentialis, vt ſi poſſibilitas formicæ deficeret, deſineret etiam Deus. Reſpondeo tamen, indignius eſſe, & abſurdius, Deum exiſtere ſine omnipotentia; & incredibilius multó, Deum, qui poteſt omnia facere, non poſſe formicam efficere.

37 Neque propterea dicitur Deus pẽdere á poſſibilitate formicæ; id enim verè, & realiter pendet, quod poteſt cadere à ſua exiſtentia, eſt enim id, à quo pendes, ſicut funis, cui religatus lapis tenetur, ne cadat; cùm veró impoſſibile ſit, quòd Deus cadat à ſua exiſtentia, nec vllum periculum illi emineat cadendi ab illa ex defectu poſſibilitatis creaturæ (ſiquidem impoſſibile eſt quòd creaturæ non ſint poſſibiles) meritò Deo negamus dependentiam; & propter hanc rationem, neque Filius á Patre, neque Pater à Filio dependent (quamuis habeant eſſentialem connexionem) quia impoſſibile eſt, vt alter illorum cadat ab exiſtentia. Et ideó materia eſt relatum tranſcendens ad formam, quia vt detur materia exiſtens naturaliter, debet dari forma exiſtens, à qua dependet, ſaltem tanquàm à conditione, & quia forma poteſt non exiſtere, ideò materiæ exiſtentia dependet à forma, ſaltem à poſteriori.

Proponuntur, & ſoluuntur alia argumenta circa eſſentialem connexionem Dei ad creaturas.

38 OBijcis quartò. Si Deus habet eſſentialem connexionem cum poſſibilitate Socratis, quia illum poteſt producere; ex eo quòd non poſſit producere Chymeram, habebit connexionem eſſentialem cum impoſſibilitate Chymeræ: ergo impoſſibilitas Chymæræ non ſolùm erit ex impoſſibilitate ſuorum terminorum [quia videlicet Chymæra dicit negationem eſſentialis diuiſionis inter hominem, & equum] ſed etiam ex impotentia Dei; quod tamen eſt contra Theologos docentes dicendum non eſſe, Deum non poſſe facere Chymæram, ſed Chymæram non poſſe fieri à Deo.

39 Reſpondetur concedendo illationẽ: neque vllum eſt inconueniens impoſſibilitatem Chymæræ prouenire tam ex ipſis terminis, quàm ab impotentia Dei, ad producendã Chymæram, quia nulla eſt imperfectio carere Deum potentia ad producendum Chymæram; ſicut nulla eſt imperfectio carere potentia mortis, vel mutationis, quia talis potentia non eſt vera, ſed ficta, & nulla: nihilominùs tamen non eſt ſimpliciter dicendum, Deum non poſſe producere Chymeram, ſed modeſtiùs loquendum, Chymæram, ſcilicet, non poſſe fieri à Deo; ſicut non eſt dicendum Deum pendere à poſſibilitate creaturarum, quamuis dicamus poſſibilia pendere à Deo, quia, quòad exiſtentiam pendent à Deo, nam, vt dixi, illud dicitur veré pendere, quod poteſt cadere ab exiſtentia.

40 Obijcis quintò. Si creaturæ dicunt ordinem tranſcendentalem ad diuinam omnipotentiam, ſicut Deus dicit connexionem eſſentialem cum ipſis creaturis, etiam intellectus noſter dicet ordinem tranſcendentalem ad omne intelligibile, ac proinde non poterit intellectus humanus ab Angelo comprehendi, quin Angelus comprehendat etiam, omnes illos terminos, ad quos intellectus creatus dicit naturalem ordinem, ſicut non poteſt Deus comprehendi, quin comprehendantur omnes creaturæ, ad quas Deus dicit (ſecundùm hanc ſententiam) eſſentialem cõ-

Soluitur quintũ argumentũ.

nexionem;

Digitized by Google

nexionem; hoc tamen eſt impoſſibile: ergo & illud, ex quo ſequitur.

41 Reſpondetur tamen, vt intellectus creatus dicatur comprehendi ab Angelo, non oportere quòd cognoſcat Angelus diſtinctè omnes illos terminos, ad quos intellectus creatus dicit ordinem, alioqui, vt Angelus cōprehenderet formicam, neceſſariò deberet cōprehendere Deum, ad quem formica, in omni opinione, dicit relationem tranſcendentalem; & ratio à priori eſt, quia ſæpe cognoſcere claré, aut obſcuré terminum relationis tranſcendentalis nihil auget, aut minuit cognitionem obiecti; vnde Angelus beatus, quamuis intuitiuè videat Deum, non ideó tamen formica minor, aut maior ipſi Angelo apparet, quã per comprehenſionem naturalem apparebat; & cognitio ipſa ſupernaturalis, quæ de formica habetur in Deo, licet phyſicé ſit perfectior, intentionaliter tamen non eſt maior, quàm naturalis cognitio, ſicut hæc propoſitio *Deus eſt*, phyſicé eſt nobilior, quam hæc, *Socrates eſt*, ſecundùm gradus verò intentionum nõ eſt maior.

42 Sufficit igitur cognoſcere Deum abſtractiuè, vt creatura aliqua comprehendatur, & cognoſcatur tanquàm relatum ad Deum: exemplum ſumo in re morali à furto ſacrilego, ad cuius malitiam explicandam in confeſſione, plurimùm refert confiteri commiſſum fuiſſe in templo; at verò commiſſum fuiſſe in magno templo, nihil omnino refert confeſſorem cognoſcere, ad æſtimandam malitiam peccati, ita etiam in hoc caſu ſufficit abſtractiua Dei cognitio.

43 Non ideó tamen nego, eſſe aliquos terminos eſſentialiter connexos inter ſe, qui debent, vel comprehenſiuè, vel diſtinctè ſaltem, cognoſci, vt res connexa comprehẽdatur, id tamen non oritur ex præciſa, & generali ratione connexionis: ſed, quia magnitudo virtualis illius rei talis eſt naturæ, & perfectionis, vt aliter dignè, & iuſtè cognoſci, & comprehendi non poſſit, ob ſpecialem rationem talis connexionis.

44 Hinc eſt, quód Deus non poſſit comprehendi, non comprehenſis creaturis omnibus, quia Deus habet cum illarum poſſibilitate connexionem rei eas eminenter continentis; vnde bene poterit potentia, v. g. intellectus creatus comprehendi, quin comprehendantur omnes eius actus in particulari, quia præterquamquòd hæc comprehenſio non ſit omnino perfecta, (ſicut diuina eſſe debebat) actus continentur in potentia eminenter quidem, ſed potentialiter: at verò creaturæ poſſibilitas non continetur in Deo potentialiter ſed actualiter, ſi propriè loquendum ſit de creaturis, quoad poſſibilitatem.

45 Obijcis ſextò. Creaturæ poſſibilitas eſt extra Deum: ergo non poteſt pertinere ad eſſentiam intrinſecam Dei. Reſpondetur, poſſibilitatem actiuam creaturarum, ideſt omnipotentiam, tam neceſſariam eſſe, & intrinſecã, quàm ipſum Deum, vt patet: poſſibilitatẽ verò paſſiuam creaturarum; ideſt, entitatem, & exiſtentiam creaturarum eſſe contingentem; vt etiam patet; nihilominùs tamẽ poſſibilitas harum entitatum, ideſt, veritas, factibilitas, & cognoſcibilitas tam neceſſaria eſt, quàm ipſe Deus, vt iam conſtat ex dictis; quam tamen non dicimus pertinere ad intrinſecã cōpoſitionem Dei quia Deus non cōponitur ex tali poſſibilitate, ſed dicimus, Deũ habere eſſentialem cōnexionem, cũ hac poſſibilitate, quia eſt terminus, quem ſpecialiter, & eſſentialiter poſtulat potentia, & ſcientia Dei. Soluitur ſextũ argumentum.

46 Obijcis ſeptimò. Diuina voluntas nō habet cōnexionem cum poſſibilibus: ergo neque diuina omnipotentia. Confirmatur, quia ſi Deus neceſſarió terminatur ad poſſibilia, neceſſariò amabit poſſibilia, (qui enim cognoſcit relatum, neceſſariò cognoſcet correlatiuũ; & qui amat patrem, quà patrem, neceſſarió debet amare filiũ) ſed Deus nõn amat poſſibilia: ergo &c. Reſpondetur ad argumentũ, negando conſequentiam: & maior ratio eſt, quia obiectũ intellectus latiùs patet, quàm obiectũ voluntatis, nam diuinus intellectus cognoſcit ens negatiuum, quod diuina voluntas amaré non poteſt: cùm ergo creaturæ poſſibiles, pro eo ſtatu, ſint quid negatiuum, (ſecundũ cōmunem opinionem, de qua tamen agendũ eſt ſuo loco) cognoſcentur à Deo, non tamen amabuntur. vnde iuxta hanc ſententiam Spiritus Sanctus non procedet ex amore poſſibilium, vt cum cōmuni ſententia docet Soar. de Trinit. lib ii n. 7. 9. & 10. c. 2. cum alijs. Soluitur ſeptimũ argumentũ. Soarius.

47 Ad confirmationem reſpondetur cũ diſtinctione: Deus neceſſariò amat poſſibilia ſecundùm poſſibilitatem actiuam, concedo: quia tunc amat ſuam omnipotentiam, nihil enim aliud eſt poſſibilitas actiua, quàm diuina omnipotẽtia potẽs facere quod non inuoluit contradictionem: negandum tamen eſt interim cum Soar. in Metaph. diſp. 30. ſect. 16. à num. 39 & 1. p. lib. 3. de Attrib. cap. 6. num. 10. & de Trinit. lib. 11. cap. 2. nu. 9. amari à Deo purè poſſibilia, in ſe ipſis, quia amor terminatur ad exiſtentiam, vel ad aliquid poſitiuum, creaturæ verò poſſibiles quà tales, cùm nullam habeant poſitiuam bonitatem (ſecundùm cōmunem ſententiam), nullo modo amari poſſunt. cùm tamen cognoſci poſſint, & cognoſci debeant, vt ex dictis patet. Soar.

43 Minorem difficultatem habet hoc argumentum in opinione, quæ aſſerit, Deum purè poſſibilia diligere, ſaltem amore ſimplicis complacentiæ, quam, præter aliquos antiquos Theologos, tenent Vaſq. 1. p. diſp. 79. cap 2. à n. 7. Arrub. 1. p. diſp. 53. cap. 2. nu. 10. Herice 1. p. trac. 2. diſp. 18. cap. 1. à n. 2. Granad. 1. p. tom. 3. in q. 19. diſp. 3. n. 5. Sal de Cõcept. cap. 74. n. 4. Vide quæ dico in Met. diſ. 50. ſect. 1 vbi defendo eſſentias rerum eſſe aliquid poſitiuum.

Vaſquez. Arrub. Herice. Granad. Salazar.

Proponitur ſecunda ſolutio argumenti principalis.

Deus habet relatiõnẽ tranſcendentalem.

49 RESpondetur ſecundó ad argumentũ propoſitũ num. 18. quod probare intendebat, Deum, ſeu cauſam primã eſſe relatũ tranſcendens ad creaturas; concedendo diuinã omnipotentiã, non ſolùm eſſe relatũ ſecundùm dici, ſed etiã relatum tranſcendens ad creaturas, vt tenent Sal. tom. 1. in 1. 2. tract. 1. diſp. 7. ſect. 1. n. 70. §. *Ad ſecundum*, infra medium, & trac. 2. diſp. 4. ſect 4 n. 45 §. *Et apertè*, poſt mediũ: Albertinus to. 1 q. 4. Theologica in Corol. ex primo principio Philoſophico n. 10. §. *Ad argumenta*, iuxta literam C, & alij, quos tacito nomine citat Soar. in Met. diſp. 47 ſect. 4. n. 15. Idem tenet Ægyd. Luz. de Beat. to. 1. lib. 5. q. 18. art. 1. n. 12. Ruicius item, quem citat, & ſequitur Alarcon 1. p. tra. 3 d. 4. c 7. n. 3. vbi refert Zunigam.

Salas. Albertin. Soarius. Ægydius Luſitan. Ruiz. Alarcon. Zuniga.

50 Quæ ſententia facilè defendi poteſt, ſuppoſita eſſentiali connexione, quam Deus habet cùm creaturis. Neque obſtat, quòd relatum tranſcendens creatum plerũq; perficiatur per aliquid ſuperadditum, nam relatum tranſcendens, ex ſua ratione formali, ſolùm dicit reſpicere terminum, ſub ratione disiunctiua muneris præſtandi, vel recipiendi, vt conſtat ex eius definitione Cùm igitur Deus reſpiciat creaturas, ſub ratione muneris præſtandi, erit relatũ tranſcendens ad creaturas, propter eſſentialem cõnexionem, licet nullum inde recipiat emolumentum.

51 Quamquàm aliqui Theologi non ſolùm aſſerant, Deum eſſe relatum tranſcendẽs ad creaturas, ſed etiam, nullũ eſſe inconueniẽs Deum dicere dependentiam à poſſibilitate creaturarum, tanquàm ab aliquo poſteriori; quia, vt ipſi tuentur, ſola dependentia à priori arguit imperfectionem.

52 Quia tamẽ in rebus diuinis cautiſſimè loquendũ eſt, quãuis cõcedamus, Deũ eſſe relatũ trãſcendẽs ad creaturas, recurrendũ potiùs eſt ad cõnexionẽ, quæ, vt vidimus, dari poteſt in Deo, ſine omni vmbra dependentiæ.

53 Neq; propterea admittenda eſt in Deo relatio prædicamentalis, vt admittunt pauci Nominales, quos recenter ſequutus eſt Hurt. in Met. d. 15. ſect. 2. præcipuè à n. 18. quamuis enim concedamus in Deo eſſentialem ordinẽ ad creaturas poſſibiles adhuc tamen nõ dabitur relatio prædicamentalis realis, vel quia terminus ex parte creaturarum nõ eſt poſitiuus, & exiſtẽs; vel quia relationes, in bona opinione, ſunt modi; vel quia in omni opinione, relationes, cũ ſint aliquid reale, & intrinſecũ arguunt mutationem, & imperfectionẽ, quia sũt aliquid ſuperadditum, vt probabimus in Met. diſp 62. de Relatione: & hanc ſententiam ſequuntur meliores Theologi cum Soar. in Met. diſp. 47. ſect. 15. n. 17. Vaſq 1. p. tom. 1. q. 25. diſp. 104 cap. 6 à n. 21. Imò expreſsè Albertin. tom 1. q. 4. The. in 4. Corol. ex 1. principio Phyloſophico n. 10. §. *Ad argumenta*, admittit in Deo relationem tranſcendentalem, & negat prædicamentalem, quam tamen immeritó concedit Hurt. negando tranſcendentalem. Non negamus tamen dari in Deo relationem veluti prædicamentalem rationis.

Deus non habet relationẽ prædicamentalem. Hurtad. Soar. Vaſquez. Albertin.

54 Hanc quæſtionem ſolito lentiùs obiter tractaui, quia per ſe grauis, & difficilis eſt, & quia pars affirmatiua, quæ mihi certiſſima videtur, à nullo authore, quem viderim, ita clarè proponatur, & tam laté tractetur, quam quàm ſupponatur ab auctoribus ſupra citatis; quamuis pars negatiua agitetur ab Hurtad. & Vaſq. ſupra, eorum tamen argumenta ſoluta manent.

SECTIO V.

Quomodo cauſæ ſint ſibi inuicem cauſa?

1 PRima concluſio Aliquæ duæ cauſæ acceptæ ſecundùm diuerſas exiſtentias poſſunt naturaliter ſibi inuicẽ eſſe cauſæ: ita docuit Philoſophus 2. Phyſ c. 3. tex 30 & 5. Met. c. 2. quem ibi ſequitur D. Th. & cõmuniter interpretes cũ Hurt. in Phyſ. diſp 8. ſect. 6. n. 82. & ſect. 8 n. 101. & probatur in cauſa efficiente, & finali: nam cauſa finalis accepta ſecundùm exiſtentiam obiectiuã cauſat finaliter efficientẽ, & cauſatur ab efficiente ſecundùm exiſtentiã realem. Explicatur hæc doctrina: nam, teſte Philoſopho, ſanitas apprehenſa eſt cauſa finalis exercitij, exercitium, ſecundùm ſuum eſſe reale, eſt cauſa efficiens ipſius ſanitatis, quam cauſat realiter, & effectiuè. licet exercitium cauſetur à ſanitate obiectiuè tantùm exiſtente, quia cauſa finalis,

D. Thom. Hurtad.

Digitized by Google

finalis, qualis eſt ſanitas, non requirit realem exiſtentiam, vt videbimus. Vbi notandum eſt exercitium in eſſe reali ſecundùm quod cauſatur á fine, ideſt, à ſanitate, non eſſe prius, ſed poſterius ipſa ſanitate, quia ſcilicet in eo genere exercitium eſt effectus; atque adeò non poteſt eſſe prius, ſed poſterius, quamuis in genere cauſæ efficientis realis, exercitium ſit cauſa ſanitatis realiter exiſtentis, & tunc ſit prior, & ſanitas poſterior, quia tunc eſt poſterior, quia eſt effectus.

Vna cauſa nō eſt cauſa alterius, in eodem genere.

2 *Secunda concluſio.* Nullæ cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ in eodem genere cauſæ, & ſecundùm eandem exiſtentiam realem. Ita communis ſententia, quoad priorem partem, ideſt, quòd nullæ cauſæ ſibi ſint inuicem cauſæ in eodem genere. Secunda pars, quoad exiſtentiam, ſcilicet realem, defenditur ab Scot. Gregor. Aureol. Auicen. quos citat Soar. in Met. diſ. 15. ſect. 8. nu. 5. & ſequitur à n. 17. idem tenet Hurt. diſp. 8. in Phyſ. ſect. 3. num. 2. Arriaga in Phyſica diſp. 7. ſect. 3. num. 96. Probatur, quia cauſa debet eſſe prior naturâ ſuo effectu: ergo ſi vna cauſa cauſaretur ab alia, ſecundùm eandem realem exiſtentiam, eſſet prior naturâ, & non eſſet prior naturâ ſuo effectu: eſſet prior, quia ſupponitur eſſe cauſa; non eſſet prior, quia cauſaretur ab alia, quod tamen implicat, neque enim eadem res poteſt naturaliter eſſe prior, & poſterior reſpectu eiuſdem.

Scot. Gregor. Aureol. Auicen. Soariz. Hurtad. Arriaga.

3 Confirmatur primò. Quia tunc poſſet quælibet cauſa eſſe cauſa ſui ipſius; nam ſi A, eſt cauſa efficiens B, & rurſus B, eſt cauſa efficiens A, erit quælibet res cauſa efficiens ſui ipſius, per illam regulam, *Quidquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati.*

4 Confirmatur ſecundò. Quia ſi forma v. g. eſſet cauſa realis materiæ, ſequeretur, materiam eſſe priorem ſe ipſa, quod implicat: probatur tamen ſequela, quia materia, antequàm cauſet formam, intelligitur exiſtere extra omnes ſuas cauſas, quarum vna eſſet forma: ergo ante materiam præſupponitur forma, & ſimiliter præſupponuntur omnes cauſæ formæ, extra quas debet intelligi ipſa forma exiſtens; ſed vna ex his cauſis eſt materia ipſa (omnes enim concedunt materiā eſſe cauſam formæ materialis): ergo materia præſupponitur ante formam: ergo præſupponitur ante ſe ipſam, quod tamen incredibile eſt, & abſurdum.

Reijcitur contraria opinio. *Fonſeca. Vaſquez. Patres Conimbr.*

5 Obijcis pro contraria ſententia, quæ aſſerit, cauſas poſſe ſibi inuicem eſſe cauſas in diuerſo genere, ſed ſecundùm eandem realem exiſtentiam, quam ſequuntur Fonſ. 5. Metaph. cap. 2. q. 16. ſect. 3. §. *Secunda concluſio.* Vaſquez tom. 2. in 1. 2. diſp. 212. n. 8. Conimbr. 2. Phyſ. cap. 7. q. 9. art. 2. §. *Tertia aſſertio.* In eandem ſententiam magis inclinat Rub. 2. Phyſi tract. 8. q. 2. n. 10. & ſupponit D. Tolet. lib. 2. Phyſ. cap. 3. tex. 30. §. *Secundam.* Obijcis, inquam, primò. Materia, & forma ſunt ſibi mutuo cauſæ à priori, ſecundùm eandem exiſtentiam realem, nam imprimis materia eſt cauſa formæ materialis, in genere cauſæ materialis; & rurſus forma eſt cauſa materiæ in genere cauſæ formalis: ſed non poſſunt ſe cauſare, niſi ſecundùm realem exiſtentiam, quia ſunt cauſæ reales: ergo &c. Reſpondetur, materiam eſſe quidem cauſam formæ materialis, non verò formam cauſam materiæ; quia materia à ſolo Deo cauſatur per creationem; cùm enim forma ſit poſterior ipſa materia, atque adeò eſt realis effectus materiæ, non poteſt eſſe cauſa propria, & realis ipſius materiæ. Dicitur tamen impropriè cauſa materiæ, quatenus materia per formam accipit eſſe ſpecificum hominis, v. g. quod per ſe non habebat; & quatenus materia dependet à forma à poſteriori; neque enim naturaliter eſſe, & operari poteſt ſine forma; & ita concedit Soar. in Met. diſp. 15. ſect. 8. n. 9. poſſe formam dici cauſam materiæ.

Rubius. Tolet. Soarius.

6 Inſtas primò. Ergo non datur cauſa formalis: nego ſequelam, quia adhuc datur vera cauſa formalis, nō quidem reſpectu materiæ, ſed reſpectu compoſiti.

7 Inſtas ſecundò. Actio inhæret in termino, quem producit, & conſequenter eſt prior illo in genere cauſæ efficientis, & poſterior in genere cauſæ materialis: ergo ſimiliter dicendum eſt de cauſis. Reſpondetur, actionem nō recipi in termino, tamquàm in ſubiecto, ſiquidem producit ipſum terminum, quidquid in oppoſitum ſentiant Conimbr. 1. de Generat. cap. 4. q. 4. art. 1. §. *Quoad ſecundum*, vbi pro ſe allegant D. Thom. de Potentia q. 3. art. 3. quibus tamen non fauet S. Doctor, vt legenti conſtabit.

Patres Conimbr. D. Thom.

8 Obijcis ſecundò. In diuerſis cauſarum generibus non repugnat mutua cauſalitas: ergo cauſæ poſſunt eſſe ſibi mutuó cauſæ. Reſpondetur ad antecedens, cum diſtinctione; poſſunt enim cauſæ ſibi eſſe mutuó cauſæ in diuerſo genere, & ſecundùm diuerſas exiſtentias, non verò ſecundùm eandem realem exiſtentiam.

9 Inſtabis; Cauſæ poſſunt ſibi mutuò eſſe cauſæ, ſecundùm diuerſas exiſtentias: ergo etiam ſecundùm diuerſum cauſæ genus materia erit cauſa formæ, & forma erit cauſa materiæ. Reſpondetur negando conſequētiam: maior ratio eſt, quia non repugnat eandē rem eſſe priorem obiectiuè, & poſteriorē realiter, (vt, præter exemplum cauſæ efficiētis, & finalis, patet in potentia, & actibus, nā potentia

realiter eſt prior actibus, quamuis in ratione termini actus ſint priores obiectiuè, ſiquidem potentia eſt relatum tranſcendens ad actus; relatio veró ſupponit terminum] repugnat verò, & implicat eſſe priorem realiter, & poſteriorem realiter; & ratio eſt, quia res, quæ dicitur tantùm prior obiectiuè, non dicitur prior ſimpliciter, & poſterior realiter: Si verò materia, & forma ſe cauſarét, licet foret in diuerſo genere cauſæ, cùm tamen realiter ſe cauſarent, eadem res, ideſt, eadem materia eſſet realiter prior, & eſſet realiter poſterior, reſpectu eiuſdem, & ſecundùm eandem exiſtẽtiam, quod tamen implicat.

10 Obijcis tertiò. Materia naturaliter nequit exiſtere ſine aliqua forma: ergo dependet ab ea, tamquàm à cauſa. Confirmatur, quia ideó forma dependet à materia, tãquàm à cauſa, quia non poteſt exiſtere ſine materia naturaliter: ergo &c. Reſpondetur negandò conſequentiam, ſatis enim eſt, quód materia dependeat à forma, tamquàm à conditione phyſicè neceſſaria, vt non poſſit materia naturaliter exiſtere ſine forma, ſicut dependet homo à ſubſiſtentia, non quidem tamquàm à cauſa, & nihilominùs non poteſt homo exiſtere ſine ſubſiſtentia.

11 Ad confirmationem reſpondetur non ideó materiam eſſe cauſam formæ, quia forma nequit exiſtere ſine materia; ſed quia forma veré educitur de potentia materiæ, quæ prior eſt naturá, quàm forma materialis. Cum quo ſtare poteſt, vt materia dependeat à forma à poſteriori, ſiquidem ſine illa naturaliter conſeruari non poteſt, quam dependentiam bene oſtendit Arriaga in Phyſica diſp. 2. ſect. 6. ſubſect. 3.

Arriaga.

12 Obijcis quartò. Materia nec diuinitus conſeruari poteſt ſine omni forma accidentali, vt v. g. ſine Vbi: ergo à fortiori non poterit exiſtere ſine omni forma ſubſtantiali. Reſpõdetur negando conſequentiam: maior ratio eſt, quia implicat rem exiſtere, quin alicubi exiſtat, vnde materia neceſſariò vẽdicat Vbi, quando exiſtit; poteſt tamen exiſtere ſine forma, quia ab ea realiter diſtinguitur; neque implicat ſine illa exiſtere, vt videbimus.

Actio terminata ad ſolã materiã eſt eadẽ in ſpecie, cũ alia terminata ad materiã cũ forma.

13 Atque in hac ſentẽtia ſequitur primò, nullam dari cauſalitatem veram in forma circa materiam, ſiquidem forma non eſt cauſa Materiæ. Sequitur ſecundó, actionem, per quam Deus cõſeruaret materiam ſine forma, eſſe eãdem ſpecie cum ea, qua materiam cum forma cõſeruaret. ita Soar in Met. diſp. 15. ſec. 9. n. 7. Hurt. in Phyſ. diſp. 2. ſect. 9. n. 104. Arriaga in Phyſica diſp. 2. n. 121. Probatur, quia terminus materialiter productus eſt idem: quamuis enim materia pendeat à forma à poſteriori, ſiquidem eſt relatum tranſcendens ad formam, nihilominùs tamen actio producens materiam terminatur ad ſolam materiam, quæ poſtea cauſat formam, & ab ea dependet, tamquàm ab effectu perficiente ipſam materiam.

Soarius. Hurtad. Arriaga.

14 Confirmatur, quia actio, qua Deus producit materiam cũ forma, eſt independens à forma; ſiquidem ab ea non cauſatur: ergo eſt eadem cum illa, qua Deus produceret, ſeu conſeruaret materiam ſine forma, ſiquidem vtraque independens eſt à forma.

15 Obſtas primó. Terminus eſt diuerſus: ergo & actio. Probatur antecedens, quia materia producta ſimul cum forma eſt terminus naturalis, producta veró ſine forma, non eſt terminus naturalis. Reſpondetur, in vtroque caſu terminum eſſe naturalem in entitate, licet non ſit in naturali ſtatu productus; ſicut productio animæ rationalis, tam in materia, quám extra materiam, eſt eadem, licet productio cum materia ſit naturalis: erit ergo illa actio, qua Deus produceret materiam ſine forma, indebita, & ſupernaturalis quòadmodum, quatenus ſcilicet, Deus producit, ſeu conſeruat materiam in ſtatu ſibi indebito, materia enim ſine forma naturaliter debebat perire; ſicut etiam eadem eſſet actio, qua Deus produceret animam rationalem extra corpus, cum ea, qua illam produceret in corpore, quia terminus, nempe anima, eſt idem.

16 Obſtas ſecundó. Actio, quæ terminatur ad formam materialem in materia, eſt diuerſa ab ea, quæ terminatur ad eandem formam extra materiam: ergo & actio, quæ terminatur ad materiam cum forma, erit diuerſa ab ea, quæ terminatur ad materiam ſine forma. Reſpondetur negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia, cùm materia ſit vera cauſa formæ materialis, actio, quæ terminatur ad formam in materia, terminatur ad formam cum vnione: actio veró, quæ terminatur ad formam extra materiam, terminatur ad formã ſine vnione; cùm verò forma cum vnione, & eadem forma ſine vnione, ſint termini diuerſi, inde eſt quód actiones ſint etiam diuerſæ ſpeciei; quod non cernitur in actionibus, quæ terminantur ad materiam productam cum forma, vel ſine forma, cùm enim forma nõ ſit cauſa materiæ, vtrobique idem eſt terminus, nempe ſola materia.

17 Eſt igitur forma cauſa, reſpectu cõpoſiti, non verò, reſpectu materiæ, quia, licet forma nõ tribuat eſſe materiæ, illud tamẽ tribuit cõpoſito, quod intrinſecè cõponit. Neq; obſtat, quòd forma ignobilior ſit cõpoſito; quãuis enim cauſa efficiens principalis ſemper ſit nobi-

Digitized by Google

nobilior ſuo effectu, bene poteſt cauſa formalis eſſe ignobilior. Et ratio eſt, quia cauſa efficiens principalis, eſt totalis, vt cernitur in Sole, reſpectu lucis; at veró cauſa formalis, cùm ſit cauſa partialis, poteſt eſſe ignobilior, quia totum nobilius eſt ſua parte. Hæc de Principijs, & Cauſis in communi.

DISPVTATIO XXII.

De Cauſa materiali.

1 EGi cum Ariſtotele de Principijs, ac de Cauſis in communi: modò cum eodem Philoſopho agendum eſt de Materia, quæ eſt prima omniũ cauſa, de qua tractat Philoſophus cap. 8. & 9. eſt autem materia prima, ſecundùm eundem Philoſophum cap. 9. *primum vniuſcuiuſque rei ſubiectum, ex quo aliquid fit, eo pacto, vt non per accidens inſit*, quo pacto ſe habet materia, reſpectu formæ ſubſtantialis. Diuiditur materia in primam, & ſecundam: materia prima *eſt materia per ſe ſolùm, per reſpectum ad formam ſubſtantialem*: materia verò ſecunda *eſt ipſum compoſitum ſubſtantiale, quatenus ſubiectatur formæ accidentali*, vel aliter *eſt ipſa materia affecta forma aliqua, aut diſpoſitione reddente ipſam materiam potentem proximè, ad recipiendam aliã formam vlteriorem.*

SECTIO I.

An ſit, & quid ſit primum principium materiale rerum naturalium?

2 PRima concluſio. Neceſſarió ponendũ eſt in rerum natura primum ſubiectum rerum naturalium permanens in omnibus generationibus, & ex quo res omnes naturales componantur, tamquàm ex altera parte eſſentiali, quod primum ſubiectũ dicitur *materia prima*. Hæc concluſio certa eſt, & cõmunis, vt videre licet apud Soar. in Met. diſp. 13. ſect. 1. Fonſ. lib. 1. Met. c. 7. q. 2. ſect. 1. Hurt. in Phyſ. diſp. 2 ſect. 1. Conimb. 1. Phyſ. c. 8. & 9. q. 1. ar. 1. Tolet lib. 1. Phyſ. c. 7 q. 12. Rub. 1. Phyſ. tract. 1. q. 1. án 6 Barthol. Amic. in Phyſ. tract. 10. vbi latè de cauſa materiali diſputat: idẽ præſtat tract. 5. Probatur breuiter, quia videmus fieri cõtinuas generationes, & trãſmutationes ex vna re in aliã: ergo deueniendum eſt ad aliquod primum ſubiectum, quod ex ſe ſit immutabile, vel dabitur proceſſus in infinitum.

Soarius. Fonſeca. Hurtad. Patres Conimbr. Tolet. Rubius. Barth. Amicus.

3 Confirmatur, quia experientia conſtat in continuis generationibus non generari, neque corrumpi totam ſubſtantiam, vt palam eſt in corruptione hominis, in qua videmus permanere eius corpus; quod neceſſariũ quidem eſt, cùm enim ex forma de nouo aduenieṅte fiat aliud cõpoſitum de nouo, neceſſe omnino eſt, vt iam inueniat materiam, alioqui productio cuiuslibet ſubſtantiæ eſſet ſemper ex nihilo, & corruptio eſſet anihilatio; & declaratur, quia generatio eſſentialiter eſt mutatio: at mutatio omnis poſtulat commune ſubiectum, quod per eam mutetur manens ſub vtroque termino, *à quo, & ad quem*; nam, ſolùm hoc propriè dicitur mutari: igitur, quod permanet ſub formis, quæ cõtinuò ſuccedunt, vocatur *primum ſubiectum, materia prima, principium materiale, gremium, receptaculum, nutrix, maſſa, puta potentia &c.*

4 Obijcis pro contraria aliquorum ſententia, qui anormi, craſſaque, ac Stoica philoſophia negant dari materiam primam, tuenturque nullas dari generationes de nouo, nullaſque ſubſtantias produci, ſed quæ latebant apparere: quamuis enim, vt iſti volunt, ſubſtãtiæ non intereant, aſſerunt eſſe infinitas, quæ latent, ac proinde nunquàm poſſe naturæ penum exhauriri: vel etiam aſſerunt, non interire ſubſtantias, ſed abſcondi ab externa ſuperficie, & in imo corporis fundo ſubſidere, vt inde ſuo tempore iterum prodeant. Quapropter vult hæc ſententia, ſeu potiùs deliriũ, formas, & ſubſtantias ſenſibiles eſſe quaſi hiſtriones, & mimos, qui ſe in ſcenam, vt oſtentur, recondunt, & iam inde acturi egrediuntur in proſcenium: præſtat tamen negare in genere tales ſubſtantias latentes, quàm noſtram turpiter fateri cæcitatem: quis enim cæcus adeò, qui non videat continuas tot rerum generationes, in quibus formæ omnino intereunt, & aliæ de nouo naſcuntur? quin minùs exigendum eſt, & extorquendum ab his Philoſophis, qui indignè hoc nomine gloriãtur, & potius ſtolidi, quã Stoici nũcupandi, vt locum indicent, in quo lateant tot ſubſtãtiæ, & à quo iterum prodeant in theatrum.

5 *Secunda concluſio.* Hoc principium materiale, ſiue hoc primum ſubiectum non eſt

ſubſtantia completa, aut compoſita ex materia, & forma, ſed ſimplex, & incompleta, & faciens vnum compoſitum per ſe, ſimul cum alio principio, quod eſt forma ſubſtantialis. Hæc concluſio communis eſt, & certa: pro ea videri poteſt Soar in Met. diſp 13. ſect. 3. n. 8. Et probatur, cùm enim materia prima veniat in compoſitionem totius, ſimul cum forma, non poteſt eſſe ens completum, quod, teſte Philoſopho, *eſt illud, quod, ſi fuerit ſingulare non poteſt venire in compoſitionem alterius entis completi.*

Soarius.

6 *Tertia concluſio.* Materia prima eſt pura potentia, ideſt, eſt primum ſubiectum ad receptionem actus ſubſtantialis, ideſt, formæ: Hæc etiam concluſio communis eſt, & certa: videri poſſunt pro ea Soar in Metap. diſp. 13. ſect. 5. n. 10. Conimbr. lib. 1. Phyſ. cap. 9. q. 3. art. 1. §. *Proximum eſt.* Tolet. lib. 1. Phyſ. cap. 7. q. 14. cùm igitur materia ſit pura potentia, quærẽdum eſt, vtrùm habeat aliquem actum, ſaltem metaphyſicum, qui dicitur differentia? Sed priùs ſtatuendum eſt, nullum habere actum phyſicum ſubſtantialem. Sit igitur,

Soarius. Patres Conimbr. Tolet.

7 *Quarta concluſio.* Materia non habet actum phyſicum eſſentialem, & formalem: ita communis ſententia cum D. Thom 1. p. q. 66. art. 1. Capr. Ferrar. Caiet. Sonc. Sot. quos citat, & ſequitur Rub lib. 1. Phyſ. tract. 1. de Materia q. 1. n. 12. eandem ſequitur Fonſ. 5. Met. cap. 7. q. 3. ſect. 8. Conimbr. 1. Phyſ. cap 9. q. 3. art. 1. & 2. Aſtudillo 1. de Generat. quæſt. 1. Soar. in Met. diſp. 13. ſect. 3. num 12. vbi alios citat.

D Thom. Capreol. Ferrar. Caiet. Soncin. Sotus. Rubius. Fonſeca. Conimbr. Aſtudillo. Soarius.

8 Probatur primò. Quia, actus phyſicus, ideſt, forma, diſtinguitur eſſentialiter à materia: ergo materia illum non includit eſſentialiter, nemo enim in ſua eſſentia includit aliquid à ſe diſtinctum eſſentialiter, & realiter. Probatur ſecundo. Quia materia prima eſt ſubſtantia incompleta phyſicè: ergo nequit componi ex aliqua forma phyſica, alioquì iam non eſſet incompleta phyſicè, ſed completa. Vnde ſequeretur non poſſe efficere vnum per ſe cum forma ſubſtantiali; ex quibus manifeſtè ſequitur materiam primam eſſe puram potentiam phyſicam, neque eſſe potentiã actiuam, ſeu principium alicuius actionis propriæ, hoc enim vendicat à forma.

9 Obijcis pro contraria ſententia cum Scot. & Henric. quos citat Soar. in Met. diſp. 13 ſect. 3. n. 4. Materia habet ſaltem formam genericam corporeitatis: ergo abſolutè non eſt dicendum, nullam habere formam phyſicam. Probatur antecedens, materia diſtinguitur à forma; ſed non poteſt diſtingui per ſe ipſam, neque per formam de nouo aduenientem ergo diſtinguitur per formam corporeitatis; nam, teſte Philoſopho, actus, ideſt, forma, eſt qui ſeparat, hoc eſt, diſtinctio à ſola forma prouenit. Reſpondetur negando antecedens, & ad probationem dicendum eſt, materiam ſatis diſtingui ab alijs entibus per ſuum actum metaphyſicum, ideſt per ſuam differentiam, vt videbimus: quando verò Ariſtoteles dixit, *actus eſt, qui diſtinguit*, loquutus eſt de compoſitis, in quibus diſtinctio prouenit ab actu phyſico, nam, ſaltem in ſublunaribus, materia eſt eadem ſpecie, ac proinde non ab ea, ſed à forma, prouenit diſtinctio phyſica.

Scot. Henric. Soar.

10 Quòd verò materia non habeat eam formam corporeitatis; probatur, quia dari nequit extra cauſas realiter entitas aliqua realis, niſi determinata ad aliquem gradum ſpecificum, (neque enim animal per ſe ſolum, ſed homo in Socrate eſt, qui exiſtit) cùm ergo materia ſit realiter exiſtens extra cauſas, non poteſt componi ex forma aliqua generica, ſed neceſſariò requirebat formam ſpecificam, hæc non datur, vt etiam aduerſarij fatentur: ergo &c.

Materia non habet formã corporeitatis.

11 Inſtas, Natura communis, conſtituta in eſſe cõpleto, determinatur per ſpecificam differentiam, cum qua facit vnum per ſe: ergo ſimiliter materia habebit formam genericam corporeitatis, & per ſpecificam faciet vnum per ſe completum. Reſpondetur negando conſequentiam: maior ratio eſt, quia compoſitio phyſica eſt à parte rei, ac proinde à parte rei poſtulat partes in ſuo eſſe incompletas, qualis non eſſet materia, ſi componeretur ex forma corporeitatis (nam ex materia, & forma ſubſtantiali corporeitatis reſultare deberet vnum ens completum.) Compoſitio autem metaphyſica, cùm fiat per intellectum, bene poſſunt naturæ communes concipi per intellectum, vt completæ, reſpectu inferiorũ, (quia concipiuntur vt quædam tota,) & vlterius, poſſunt compleri per differentiam ſpecificam: & ratio eſt, quia, vt materia eſſet ens completum, dari debebat à parte rei, ſiquidẽ eſt quid phyſicum; vt tamen animal, v. g. ſit completum, ſufficit quòd prædicetur in quid de ente completo ſingulari licet aliunde, per intellectum, veniat in compoſitionem hominis.

12 *Quinta concluſio.* Materia prima componitur ex actu metaphyſico, ideſt habet veram differentiam eſſentialem in genere metaphyſico. Ita Soar. in Met. diſp. 13. ſect. 5. n. 8. Conimbr. in Log. q. 2 de Genere art. 2. §. Primæ partes phyſicæ. Barthol. Amic. in Phyſ. tract. 5. q. 4. art. 3. Probatur, quia talis compoſitio non tollit quominùs materia ſit pura potentia phyſica ad actum phyſicum, ſed ſolùm facit, vt materia concipiatur, vt totum, reſpectu ſuorum inferiorum; neque tollit quòd adhuc ſit

Materia habet actũ metaphyſicum. Soar. Patres Conimbr. Barth. Amicus.

Digitized by Google

ſit pars, reſpectu compoſiti phyſici, cùm igitur materia in ſuo conceptu formali verè intelligatur differre ab alia ſubſtantia incompleta, qualis eſt forma ſubſtantialis: imò cùm ab aliquibus dicatur materia ſublunaris differre à materia cæleſti, neceſſariò componenda eſt ex genere, & differentia, ne dicamus differre ſine differentia, & conſequenter dari effectum formalem ſine cauſa formali.

13 Obijcis pro contraria ſententia, quam *Rubius.* ſequitur Rub lib.1. Phyſ. tract.1. q.2. nu.14. Si materia componeretur metaphyſicè, eſſet genus, & ſpecies, ac proinde per ſe poneretur in prædicamento; ſed materia non ponitur per ſe in prædicamento, quia eſt incompleta: ergo nec eſt ſpecies, & conſequenter non cōponitur metaphyſicè. Reſpondetur, maiorem ſupponere falſum, neque enim omne genus, & ſpecies per ſe ingreditur prædicamentum, ſed ſola genera, vel ſpecies completa, qualia ſunt illa, quæ prædicantur in quid de ente completo ſingulari, materia verò, quamuis ſit ſpecies, vel genus, ac proinde quoddam totum, non eſt tamen ens completum, ſiquidem non prædicatur in quid de ente completo ſingulari; hæc enim eſt falſa, *Socrates eſt materia.* Vnde non per ſe, ſed reductiuè, ratione compoſiti ingreditur prædicamentum, vt conſtat ex dictis 1.p. diſp.8.ſect.1. n.4.

SECTIO II.

Vtrùm materia habeat propriam exiſtentiam, qua poſſit diuinitus conſeruari ſine omni forma?

Reſoluitur eſt affirmatiua. Scotus Henric. Gabriel Gregor. Rubius. Benedict. Pereira. Tolet. Fonſeca. Soar. Conimbr. Hurtad. Molina. Vaſquez. Durand. Barth. Amicus.

1 Prima concluſio. Materia ita eſt pura potentia, vt nihilominùs habeat peculiarem actum exiſtentiæ actualis, qui prouenit à ſe ipſa, non à forma, vel à compoſito: ita Scot. Henr. Gabr. Greg. quos citat, & ſequitur Rub lib.1.Phyſ. tract. 5. de Materia.q.3.nu.19. Idem tenent Bened. Pereira in ſua Ph. lib. 5. cap.13. Tolet. lib.5. Phyſ.q.13. Fonſ. lib.1 Met.cap.7.q.3. ſect.3. Soar.in Met. tom. 1. diſp. 13. ſect.4. n. 15. Ita etiam ſupponunt Conimbricenſes 1. Phyſ. cap.9. q. 3. à §. *Sed ecce*, poſt medium: & abſolutè docent Hurtad. in Phyſ. diſp. 2. ſect. 6. n. 55. (vbi citat Molin. Vaſq. Durand.) item Barthol. Amicus in Phyſica tract.5. q.4 dub. 2. vbi n.13 citat omnes Scotiſtas, ac Nominales, cum Portio, Burl. Veracruc. & alijs, idem tenet Arriaga in Phyſica diſp.2. à n.74.

2 Vt hæc concluſio probetur, aduertendum eſt, tripliciter poſſe concipi exiſtentiam; primò, pro exiſtentia eſſentiali non neceſſariò actuali, quæ eſt veluti differentia ſubſtantiæ, ſubſtantia enim definitur, *Ens per ſe exiſtens*, & quidem de hac exiſtentia, nullum eſt dubiū, quòd inueniatur in materia, ſiquidem materia eſt vera ſubſtantia, & conſequenter ens per ſe exiſtens. Secundo modo accipitur exiſtentia pro actu accidentali, quatenùs dicitur accidentale omne id, quod non eſt de eſſentia, & in hoc ſenſu dicimus exiſtentiam actualem in Socrate eſſe contingentem, quia pereunte hac exiſtentia, manet Socrates in eſſentia. *Portius. Burl. Veracruci Arriaga.*

3 Tertio modo ſumitur exiſtentia pro actu quodam ſubſtantiali, qui eſt complementum rei poſitæ extra cauſas, & de hac exiſtentia ſubſtantiali procedit concluſio; quæ ſic probatur primò: Quia materia diſtinguitur realiter à forma, vt patebit; ergo habet ſuam exiſtentiam peculiarem: probo conſequentiam, quia exiſtentia ſolùm virtualiter diſtinguitur à re exiſtente, vt eſt communis ſententia inter nobiliores Philoſophos: ergo cùm materia diuinitus poſſit exiſtere, ſine omni forma, vt conſtabit, ſignum euidens eſt, quòd habeat ſuam peculiarem exiſtentiam, alioqui exiſteret ſine exiſtentia. Probo ſecundò. Quia materia eſt ens creabile per ſe; ergo habere debet exiſtentiam, ad quam terminetur creatio. *Probatur reſolutio.*

4 Probatur tertiò. Si materia habet exiſtentiam à forma, vel à compoſito, ſequitur tot mutare exiſtentias, quot formas habet ſucceſſiuè, quod incredibile eſt; cùm enim eſſentia materiæ ſemper perſeueret eadem, eadem neceſſariò permanet exiſtentia, cùm virtualiter tantùm diſtinguantur: alioquin ſi à forma habet exiſtentiam, cùm forma toties varietur, variabitur exiſtentia, quod eſt abſurdum: imò licet exiſtentia diſtinguatur pluſquàm virtualiter, ſi exiſtentia varietur ex variatione formarum; ſequitur quòd materia ſit diuerſum exiſtens, quoties habet diuerſam formam, quod eſt falſum. Tandem quia forma materialis dependet à materia, ergo non dat illi exiſtentiam.

5 Obijcis pro contraria ſententia, quæ aſſerit, materiam non habere exiſtentiam à ſe, ſed eam recipere à forma, vel à compoſito, quam tenent D.Thom. 1 p. q.7. art.2. ad 3. & q. 4. de Potentia art. 1. Durand in 2. diſt.12. Caiet. de Ente, & eſſentia cap.5. & 8. cum reliquis Thomiſtis. Soncin.7. Met. q.17. Zauarella de Materia lib. 1. cap.1. quibus accedūt Patres Diſcalceati in Phyſ.diſp.3. q.5. à n.48. item Curſus Thom. p.2. q.3. de principijs, ar. 2. à §. *Sit vnica*, vbi prætereà citantur Ferrar. & Capreol. *D.Thom. Durand. Caiet. Soncin. Zauarella Pater Diſcalc. Curſus Thomiſt. Ferrar. Capreol.*

6 Obijcis, inquam, primò. Materia eſt pura potentia: ergo non habet actum exiſtendi. Confirmatur, quia alioqui actus, qui ex ſe nobilior eſt, quàm potentia, procederet ex cauſa ignobiliori; ideſt, exiſtentia, quæ eſt actus procederet ex materia, quæ eſt potentia. Reſpondetur, materiam eſſe puram potentiã ad actum ſubſtantialem, ideſt, ad formam, quã uis habeat actum exiſtendi.

7 Ad confirmationem dicendum eſt, exiſtentiam non eſſe propriè effectum materiæ, cùm ab eius eſſentia non diſtinguatur ex natura rei; imò licet realiter diſtingueretur, nõ ideò eſſet nobilior in entitate, quàm materia, quia, quamuis eſſet actus diſtinctus realiter, (qui ex natura ſua ſemper nobilior eſt, quàm potentia) nihilominùs tamen entitas materiæ eſſet ſimpliciter nobilior: ſicut ſubſtantia nobilior eſt accidentibus, quæ in ipſa ſubſtantia ſubiectantur, quamuis accidentia habeant rationem actus, ſubſtantia verò habeat rationẽ potentiæ, ſeu ſubiecti.

8 Obijcis ſecundò. Actus purus nullam habet potentiam: ergo pura potentia nullum habet actum. Declaratur antecedens in Deo, qui eſt actus purus, & nihil habet potentialitatis. Reſpondetur, antecedens in hoc ſenſu eſſe verum, ideſt, ſicut purus actus nullam includit potentiam receptiuam alterius actus eiuſdem rationis, ita pura potentia nullum includit actum formalem ſubſtantialem, qui ipſam actuet: eſt, igitur, materia pura potentia paſſiua, & ſubiectiua, atque etiam, quà talis, excluſiua actus phyſici: non eſt verò excluſiua actus exiſtendi, repugnat enim, & implicat dari materiam extra cauſas ſine exiſtentia: Vnde ſicut Theologi dicunt dari ſummum bonum, quod nullum habeat malum, non tamen dari ſummum malum, quod nullam habeat bonitatem: ita, licet detur actus purus, ſcilicet, Deus ſine vlla potentialitate, non tamen poteſt dari pura potentia, quæ excludat omnem actualitatem, quia neceſſariò debet exiſtere, ſi eſt extra cauſas, & non poteſt dari effectus formalis exiſtendi, ſine aliqua cauſa, aut veluti cauſa formali.

9 Obijcis tertiò. Humanitas Chriſti Domini datur extra cauſas ſine propria exiſtentia: ergo & materia prima poterit dari extra cauſas ſine propria exiſtentia. Probatur conſequentia, quia ſicut humanitas Chriſti Domini exiſtit per exiſtentiam Verbi, ita etiam materia per exiſtentiam formæ. Antecedens huius argumenti ducetur à D. Thom. 3. p. q. 17. art. 2. quem ibi communiter ſequuntur, & ad ſuum placitum interpretantur ſeueriores Thomiſtæ. Reſpondetur ad antecedens, interpretandum eſſe Angelicum Doctorem de ſubſiſtentia Verbi, per quam humanitas ſubſiſtit, negari enim non poteſt, humanitatem Chriſti Domini habere ſuam propriam exiſtentiam, vt patet ex rationibus factis, pro exiſtentia materiæ, & bene probãt Soar. tom. 1. in 3. p. q. 17. art. 2. diſp. 36. ſect. 2. à §. *Dico primò*. Vaſq. tom. 1. in 3. p. diſp. 71. cap. 2. & videri poteſt Hurt. in Phyſ. diſp. 2. de Materia prima, ſect. 6. §. 56. Quarè argumentum nihil colligit.

D. Thom. / Soarius. / Vaſquez. / Hurtad.

10 Ex dictis colligitur, materiam eſſe puram potentiam ad formam ſubſtantialem, vnde quando Auctores dicunt aliquando, materiam ita eſſe puram potentiam, vt non habeat exiſtentiæ actum, mitiùs ſunt interpretandi de exiſtentia completa, quam nullo modo materiæ attribuimus. Neque propterea dicendum eſt, componi materiam ex ea exiſtentia, ſicut compoſitum conſtat materia, & forma, quia præterquamquòd exiſtentia non diſtinguatur, niſi virtualiter, quamuis modaliter diſtingueretur, non tolleret materiæ ſimplicitatem eſſentialem: neque vllum eſt inconueniens in vno compoſito materiali plures reperiri exiſtentias incompletas, quæ faciant vnam perfectam, ſicut non repugnat in vno compoſito naturali dari duas ſubſtantias incompletas.

Vtrùm materia exiſtere poſsit ſine forma?

11 SEcunda concluſio. Per potentiam Dei abſolutam bene poterit materia exiſtere, & conſeruari ſine vlla forma ſubſtantiali. Ita Richard. in 2. diſt. 12 q. 4. Scot. ibidem q. 2 & Tromb. 8. Met. q. 1. Conimbr. 1. Phyſ. cap. 9. q. 6. art. 3. Rub. lib. 1. Phyſ. tract. 1. de Materia, q. . n. 2. §. *Secunda opinio*, item Fonſ. Greg. Buil. Ocham. Gabr. & alij plures, quos citat Barth. Amicus in Phyſ. tract. 5. q. 4. dub. 5. n. 1. & ſequitur à n. 66. Probatur, quia materia non dependet intrinſecè à forma, & habet ſuam peculiarem exiſtentiam, per quam præſupponitur formæ, à qua realiter diſtinguitur: ergo poterit conſeruari à Deo, & produci ſine vlla forma.

Richard. / Scot. / Trombet. / Curſus Conimbr. / Rubius. / Fonſeca. / Gregor. / Burl. / Ocham. / Gabriel. / Barth. Amicus.

12 Confirmatur, & declaratur, quia materia ſolùm pendet à forma à poſteriori, ratione compoſiti, quæ dependentia ſuppleri poteſt à Deo effectiuè, ſicut ſuppletur dependentia accidentis à ſubiecto in ſacra Euchariſtia; imò à fortiori, quia entitas materiæ non prouenit à forma tamquàm à cauſa, ſed prouenit à Deo effectiuè per creationẽ: ergo etiã eius cõſeruatio prouenire poterit à ſolo Deo.

Obij-

Digitized by Google

13 Obijcis primò pro contraria ſententia, quam tenent omnes illi, qui aſſerunt, materiam non habere propriam exiſtentiā, quos citaui in hac ſect. n. 5. & præter illos, D. Bonauent. in 2. diſt. 12. art. 1. quæſt. 1. Heruæus quodlibeto. 6. q. 1. Iandun. lib. 1. Phyſ. q. 26. Hugo Victor lib. 1. de Sacr. 1. p. cap. 4. & alij, quos citant Conimbr. 1. Phyſ. cap. 9. q. 6. art. 1. §. *In hac igitur.* Durand. item Argent. Heru. Deça. Albert. Magn. Medina, Bannez, Zumel, Caiet. Tolet. & alij, quos citat Amic. ſupra n. 3.

D. Bonau. Heruaus. Iandun. Hugo. Conimbr. Durand. Argent. Heruæus. Deça. Albert. Magn. Medina. Bannez. Zumel. Caiet. Tolet.

14 Obijcis, inquam, primò. Species cuiuſque rei prouenit à forma; ſed materia, ſine forma, manet ſine ſpecie: ergo non poteſt exiſtere ſine forma, quia repugnat aliquid eſſe in rerum natura, quin ſit ſub aliqua ſpecie. Reſpondetur ad maiorem, ſpeciem cuiuſque rei prouenire à forma metaphyſica, nempe à differentia, quam cùm habeat materia, verè conſtituitur ſub aliqua ſpecie.

15 Obijcis ſecundò. Deus non poteſt cōſeruare materiam ſine ſubſiſtentia: ergo neque ſine forma. Reſpondetur negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia ſubſiſtentia eſt terminus intrinſecus, & res non poteſt eſſe interminata, vnde neceſſariò habere debet, vel ſubſiſtentiam propriam, vel alienam diuinam, vt probabo in Met. at verò forma, etſi dicatur terminus, eſt tamen valde extrinſeca materiæ, cùm ab ea realiter diſtinguatur, ac proinde bene poterit materia eſſe ſine forma. Aliter etiam reſponderi poteſt, ſubſiſtentiam ſcilicet, eſſe complementum naturæ, & rem eſſe non poſſe ſine ſuo complemento: at verò formam ſolùm eſſe complementum compoſiti, non verò materiæ; ex quo ſequitur, non poſſe compoſitum eſſe ſine forma, poſſe tamen materiam, ſaltem diuinitus, eſſe ſine formà.

16 Obijcis tertiò. Vel Deus conſeruaret materiam ſine forma, per actionem diuerſam, vel per eandem: neutrum eſt dicendum: ergo. Probatur minor: imprimis non eſſet eadem, quia terminaretur ad materiam extra formam: non eſſet diuerſa, quia terminus, nẽpe materia, eſt eadem. Reſpondetur, fieri hoc poſſe per eandem actionem, iuxta ea, quæ dixi in hoc tract. diſp. 21. ſect. 5. n. 15. Neque enim neceſſaria eſt noua exiſtentia, vel noua ſubſiſtentia in materia: ſed eo ipſo quòd corrumperetur compoſitum, poterit Deus impedire ne generetur alia forma, & manebit materia cum ſua exiſtentia, & ſubſiſtentia, ſupplente Deo, per modum efficientis, dependentiam, quam materia habet à forma; tanquàm ab aliquo poſteriori; cùm igitur terminus ſit idem, eadem erit actio, ſaltem in ſpecie.

17 Inſtas. Actio, quæ terminatur ad accidens, extra ſubiectum, eſt diuerſa ab ea, quæ terminabatur ad accidens in ſubiecto: ergo ſimiliter actio, quæ terminatur ad materiam extra formam, erit diuerſa ab ea, quæ terminatur ad materiam, quæ eſt ſub forma. Reſpōdetur, antecedens ſolum verum eſſe in opinione valde probabili, quæ tribuit accidenti extra ſubiectum nouum modum perſeitatis, quam, cum multis, tenet Soar. de Eucha. tom. 3. in 3. p. ad q. 77. art. 2. diſp. 56. ſect. 2. §. Dico ſecundó: quia tunc, cúm detur diuerſus terminus, nempe accidens cum nouo modo exiſtendi per ſe, actio erit diuerſa in ſpecie: at verò materia extra formam conſeruabitur per eandem actionem; quia cùm materia ex ſe habeat exiſtentiam, & ſubſiſtentiam, neque à forma dependeat, tamquam à cauſa, neceſſaria non eſt noua actio, vt conſeruetur, quia terminus ſemper eſt idem.

Soar.

Vtrúm actio terminata ad materiam ſine forma ſit eadem numero?

18 MAior difficultas eſt, vtrúm in accidente poſito extra ſubiectum, ſine nouo modo perſeitatis, (quod fieri poſſe per ſolam actionem creatiuam, aliqui non improbabiliter exiſtimant, vt videbimus in Met.) & vtrùm in materia exiſtente ſine forma, cum ſua eādem ſubſiſtentia, debeat dari diuerſa numerò actio, cùm detur idem numeró terminus? Dicendum exiſtimo diuerſam fore actionem numero, & diuerſum concurſum à Deo applicandum: ſufficit enim diuerſus modus producendi ex parte principij, ſiue agentis, vt actio ſit phyſicè diuerſa numero, quis enim negabit diuerſam eſſe actionem, qua Deus cōcurrit cum hoc igne, qui modò eſt Olyſſipone, ad producendum calorem ibidem, ab ea ſcilicet actione, qua Deus concurreret cum eodem igne, ad producendū calorem Romæ, vbi nō eſt? ſiquidem prior actio naturalis eſt, ſecunda verò miraculoſa?

Reſolutio eſt negatiua.

19 Confirmatur, quia per actionem, quā Deus concurrit cum materia extra formam, debet neceſſariò ſupplere naturalem dependentiam, quam materia habet à forma, (tanquàm ab aliquo poſteriori,) ſine qua naturaliter non poterat conſeruari: ergo, quamuis actio ſit eadem in ſpecie, quia terminus materialis eſt idem; nihilominus tamen erit diuerſa numero, propter diuerſam dependentiam, quam Deus ſupplet effectiuè. Quæ reſolutio eſt ſecundúm doctrinam Soar. 1. 2. diſp. 2. de Inuoluntario ſect. 4. pun. 3. n. 16. quam etiam ſup-

Soarius.

Digitized by Google

ſupponit tom. 1. in 3. p. ad q. 18. diſp. 37. ſect. 3. §. *Vltimò ergo*, ad finem: eandem reſolutionem expreſſit Rub. lib. 1. Phyſ. tra. 1. de Materia q. 5. n. 135. fine. Soar. tamen citatus, quamuis expreſsè non loquatur de noſtra ſententia; nihilominùs aſſerit diuinum concurſum neceſſitantem voluntatem creatam, futurum diuerſum in entitate phyſica, à concurſu, quo Deus influit, illæſa libertate, cùm tamen terminus ſit idem, (de quo puncto dicam in Metaphyſica, agendo de concurſu, quo Deus concurrit cum creata voluntate diſp. 68. ſect. 4. à nu. ..) quemadmodùm reſurrectio facta à Deo, licet habeat eundem terminum, eſt tamen actio ſupernaturalis, quoad modum, & diuerſa numero à prima actione, per quam Deus produxit eundem Socratem v. g. poſſunt enim actiones intra eandem ſpeciem habere maximam latitudinem.

Rubius.

20 Atque ex dictis colligitur primò, poſſe materiam diuinitus exiſtere, quamuis nulla forma exiſtat in rerum natura, quia licet relatum prædicamentale reale neceſſariò poſtulet terminum exiſtentem, non ita ſe habet relatum tranſcendens, quia non dependet à termino, quoad exiſtentiam, vt patet in conceptu tenebrarum, qui exiſtit poſitiuè, quin tenebræ, ad quas tranſcendentaliter fertur, realiter exiſtant poſitiuè.

Materia habere poteſt operationes improprias:

21 Colligitur ſecundò, Quamuis materia prima ſit pura potentia paſſiua, ad formas ſubſtantiales, cùm tamen habeat realem, id eſt, veram exiſtentiam, habere poſſe aliquas operationes improprias, ad ſuarum proprietatum emanationes, vt aduertunt Soar. in Met. diſp. 14. ſect. 3. n. 57. poſt medium: & Hurtad. in Phyſ. diſp. 2. ſect. 2. n. 31. Probatur, quia tales emanationes non ſunt propriè actiones; vnde etiam ſatis probabile eſt, ſubſiſtentiam emanare à natura: ſicut etiam concedimus, figuram reſultare à quantitate, licet quantitas operatiua non ſit. Neque ad agendum impropriè, per emanationes, requiritur in agente aliqua virtus actiua, ſiue qualitas ſuperaddita, qualis requiritur ad proprias actiones, vt in homine requiritur intellectus ad actiones intelligendi, de quo puncto in lib. de Anima diſſero. diſp. 79. ſect. 1.

Soarius. *Hurtad.*

22 Imò poterit materia prima, tanquàm inſtrumentum eleuatum à Deo, operari propriè, & per veras actiones, per ordinem ad potentiam obedientialem, vt colligo ex Soar. tom. 1. in 3. p. diſp. 31. ſect. 5, à §. *Dicendum ergo*, quatenus aſſerit in quolibet ente reali, & poſitiuo dari ſimilem potentiam obedientialem.

Soar.

23 Quærendum erat, vtrùm materia, ratione huius exiſtentiæ, dici queat actus entitatiuus? Quæſtio imprimis videtur de vocabulo: dicendum nihilominùs cum Soar. in Met. diſp. 13. ſect. 5. n. 9. Hurt. in Phyſ. diſp. 2. ſect. 2. §. 30. poſſe dici actum entitatiuum; ſiquidem materia habet entitatem actualem; neque eſt ſolùm pura non repugnantia (quidquid in oppoſitum ſentiant Rub. lib. 1. Phyſ. tract. 1. de Materia q. 2. n. 12. à §. *Probatur etiam* & n. 13. item Zauarella lib. 2. de Materia cap. 2. Conimbr. lib. 1. Phyſ. cap. 9. q. 3. art. 1. §. *Sed ſecus*.) Quamuis enim materia ſit actus entitatiuus, adhuc eſt pura potentia paſſiua, ad formam ſubſtantialem; pro eodem actu entitatiuè materiæ pugnat Balth. Amic. in Phyſ. tract. 5. q. 4. dub. 1. art. 3. n. 19.

Soarius. *Hurtad.* *Rubius.* *Zauarel.* *Patres Conimbr.* *Balth. Amicus.*

SECTIO III.

De potentia, & appetitu materiæ erga formas.

1 PRima concluſio. Potentia paſſiua materiæ ad formas non eſt accidens ſuperadditum, ſed ipſamet eſſentia materiæ: ita communis ſententia ex D. Thom. 1. p. q. 115. art. 4. ad 2. item Soar. in Met. diſp. 13. ſect. 8. n. 3. 4. 5. & 6. Conimb. 1. Phyſ. cap. 9. q. 4. art. 1. §. *Eſt autem*. Hurt. in Phyſ. diſp. 2. ſect. 4. Probatur, quia potentia accidentalis ſuperaddita ſubſtantiæ eſt neceſſaria ad actus accidentales, v. g. homo indiget intellectu, qui eſt accidens, ad actus accidentales intelligendi; (& ratio eſt, quia ſubſtantia creata non operatur per ſe ipſam, ſicut operatur increata ſubſtantia) ſed materia prima per ſe ipſam eſt receptiua formæ: ergo non indiget alia potentia ſuperaddita. Probatur minor, quia inter actum, & potentiam debet ſeruari proportio; ſed actus, id eſt, forma eſt ſubſtantialis; ergo potentia, in qua recipitur, debet eſſe ſubſtantialis: alioqui receptio formæ in materia eſſet accidentalis, neque componeret vnum per ſe, cum materia, ſiquidem vnio foret accidentalis. Confirmatur, quia alioqui daretur proceſſus in infinitum.

D. Thom. *Soarius* *Conimbr.* *Hurtad.*

2 Obijcis. Potentia deſtruitur, adueniente ſuo actu: ſed eſſentia materiæ conſiſtit in potentia ad formam: ergo, adueniente forma, deſtruetur potentia materiæ. Reſpondetur, non deperdi potentiam materiæ, per aduentum formæ, imò maximè perfici, ſicut potentia videndi perficitur per actum videndi, quia iam non permanet ſub eſſe imperfecto carentiæ formæ; ſola ergo potentia, quæ eſt ad diuiſionem deſtruitur per ſuum actum, non

verò

Digitized by Google

verò potentia, quæ eſt ad receptionem.

3 *Secunda concluſio.* Materia eſt appetitus ad formas; vel aliter, materia habet naturalẽ appetitum ad formas. Ita Ariſtot. lib. 1. Phyſ. cap 9. tex. 81. Conimbr. ibidem q. 4. art. 1. Rodenſ. lib. 1. Phyſ. tract. 1. de Materia q. 7. n. 41. Hurt. in Phyſ. diſp. 2. ſect. 3. §. 34. & eſt communis Philoſophorum ſententia, quos citat, & ſequitur Barth. Amicus in Phyſ. trac. 5. q. 7. dub. 1. n. 1. Probatur, quia vnumquodque appetit bonum ſibi proportionatum, & conueniens: ſed forma eſt bonum maximè proportionatum materiæ: ergo naturali appetitu materia deſiderat formam. Minor declaratur, quia materia ſine forma eſt maximé imperfecta, & vt cecinit ingenioſus Vates;

Ariſtot. *Patres Conimbr.* *Rodenſ.* *Hurtad.* *Barth. Amicus.*

—— Rudis indigeſtaque moles,
Nec quidquam, niſi pondus iners.

Ouid. 1. Metam.

Forma verò eſt maximè perfecta: ergo quemadmodùm omne turpe, ac deforme naturaliter appetit pulchrum, ac decorum, ita materia formæ pulchretudinem, & decorem deſiderat.

4 Eſt autem hic appetitus non cognitionis, ſed naturalis quædam propenſio, quam habet vnaquæque res ad bonum ſibi conueniens, qualem habet lapis v. g. vt deorſum feratur; qui appetitus non diſtinguitur ex natura rei ab ipſa materia, (quamuis ſit diuerſa formalitas, vt dixi de potentia ipſius materiæ) Hic appetitus ſi fuerit formæ abſentis dicitur deſiderium; ſi formæ præſentis, dicitur complacentia: quapropter etiam ad formam, quã materia habet modò, verè dicitur, habere appetitum, non quidem deſiderij, ſed complacentiæ: appetitum veró deſiderij habet ſimul ad omnes reliquas formas, licet non eas poſſit habere ſimul; ſicut idem intellectus habet ſimul, & in eodem inſtanti vim ad eliciendos duos actus contradictorios, ſed non ad eos eliciendos ſimul, in eodem inſtanti.

5 Obijcis primò cum Auicena: Materia ſemper habet aliquam formam: nec poteſt habere aliam, niſi deſtructa propria ergo ſi appetit aliam formam, appetit deſtructionem propriæ; ſed nemo appetit ſui deſtructionẽ: ergo neque materia appetit aliam formam, præter ſuam, quam habet. Reſpondetur, materiam non appetere ſui corruptionem, ſed ſui perfectionem, quam ex forma ſibi vendicat; vnde per accidens eſt; quód ſequatur corruptio formæ, quam habet, ipſa enim materia appetit formam ſecundùm ſe, nulla facta ſuppoſitione, quód iam habeat aliquam, quæ neceſſarió corrumpenda ſit, ex alterius introductione; ex hoc enim appetitu ſequitur commune bonum, propter coniunctionem cum multis formis.

Auicen.

6 Quarè dicendum eſt materiam habere appetitum etiam ad formam corruptam, nam talis forma non amiſit ſuam eſſentiam, per quam, ſuo modo, poteſt perficere materiam: neque obſtat, quòd forma corrupta ſit perfectio naturaliter impoſſibilis, hæc enim impoſſibilitas ſolùm eſt ab extrinſeco, (quia, ſcilicet, dari nequeunt eædem diſpoſitiones,) nã ab intrinſeco adhuc eſt poſſibilis illa forma. Declaratur à ſimili, quia materia habet appetitum ad omnes formas, & tamen Deus decreuit, aliquas non eſſe futuras: cùm ergo hæc impoſſibilitas ſit ab extrinſeco, non tollit intrinſecum appetitum materiæ, ad omnes formas, etiam corruptas, quidquid in oppoſitum teneat Arriaga in Phyſica diſp. 2. n 41.

Materia habet appetitum etiã ad formam corruptam.

Arriagà.

7 Inſtas: Non datur appetitus ad rem naturaliter impoſſibilem: ergo materia non appetet formam impoſſibilem, etiam ſolùm ab extrinſeco, ſiquidem naturaliter dari non poteſt. Reſpondetur, antecedens verum eſſe de appetitu ſupponente cognitionem, non veró de appetitu merè naturali, qualis datur in materia, quia hic ſolùm reſpicit bonum ſecundùm ſe, non attendit verò ad poſſibilitatem mediorum.

8 Hinc colligo cum Soar. tom. 1. in 3. p. diſp. 8. ſect. 1. §. *Sed hinc*, humanitatem Chriſti Domini habere naturalem appetitum ad propriam ſuſiſtentiam, vt probo in Met. diſp. 58 ſect. 1. à nu. 15. Et cum Rub. lib. 1. Phyſ. tract. 1. de Materia, q. 7. dub. 2. n. 50. ac cum Conimbricenſibus 1. Phyſ. cap. 9 q. 4. art. 3 §. *Sed cur*, colligo, materiam appetere formam ignobiliorem, etiã quando habet nobiliorem quia materia eſt appetitus ad omnes formas. Vnde etiam, quando eſt informata forma rationali, appetit formam materialem ignobiliorem: quamuis enim materia, ſub forma rationali, intenſiuè ſatiata ſit, non ita tamen eſt extenſiuè.

Soarius. *Rubius.* *Patres Conimbr.*

9 Inſtas. Minus bonum, comparationẽ maioris boni, eſt malum: ergo materia non poteſt appetere formam materialem, quando habet rationalem formam, quia appeteret malum. Probatur antecedens, quia, vt videre eſt in re morali, licet conſulere minus malum alicui parato ad faciendum maius malũ, quia minus malum, comparatione maioris mali, eſt bonum; vt doctè proſequitur Sanch. de Matrimon. lib. 7. diſp. 11. à n. 14. ergo ſimiliter minus bonum, comparatione maioris boni, eſt malum. Reſpondetur negando antecedens, nam minus bonum non eſt malum ſimpliciter. ſed eſt bonum, licet ſit minus bonũ; & ſimiliter licitum eſt conſulere minus malum, quia ſolùm, comparatione maioris mali,

Sanch.

eſt

eſt bonum (quamuis ſimpliciter, & nulla facta ſuppoſitione, ſit malum), & in hoc ſenſu loquitur Sanch. Additur quód materiæ appetitus non diſcernat inter maius, & minus bonum, ſed ſimpliciter feratur in quamlibet formam ſibi cõnaturalem, ſiue habeat maiorem, ſiue minorem bonitatem, aut nobilitatem; videri poteſt de hac re Barth. Amic. in Phyſ. tract. 5. q. 7. art. 3. dub. 3.

Barth. Amicus.

10 Inſtas iterum. Aſſerunt multi Theologi, humanitatem Chriſti Domini ita eſſe ſatiatam diuiná ſubſiſtentiá, vt non appetat naturalem: ergo ſimiliter materia ſatiabitur forma rationali, quæ perfectiſſima eſt. Reſpondetur, permiſſo antecedente, de quo dicemus in Metaph. diſp. 58. ſect. 1. à nu. 15. negando conſequentiam: maior ratio eſt, quia humanitas vnam tantùm appetit ſubſiſtẽtiam, quarè ſi hæc detur, & fuerit perfectiſſima ſatisfacta manet, licet non ſit propria, & naturalis: at veró materia non vnam tantùm appetit formam, ſed omnes, ſiquidem eius eſſentia conſiſtit in hoc appetitu, ac proinde ſub vna tantùm forma, licet perfectiſſima, non eſt ſatiata, ſed omnes indeterminatim appetit, quia ita conſulitur bono totius vniuerſi. Atque hoc pacto diuina prouidẽtia diſpoſuit rerum omnium ſucceſſiuum, ac perpetuum ordinẽ, vt materia prima tamquam Carpathius, & variabilis Proteus,

—— *Formas ſe vertat in omnes &c.*

Ea lege, atque omine, vt corruptio vnius ſit productio alterius, & ita indefeſſa pereuntiũ, & reuiuiſcentium formarum metamorphoſi, ſolemnia mundi damna reparentur.

SECTIO IIII.

Vtrùm materia prima ſit vna tantúm ſpecies infima?

Materiæ elementares ſunt eiuſdem ſpeciei.

1 PRima concluſio. Omnis materia elementaris, ſeu ſublunaris eſt vnius ſpeciei infimæ, ita vt materiæ particulares ſolo numero differant: ita Ariſtoteles lib. 1. Phyſ. tex. 69. D. Thom. 1. p. q. 66. art. 2. Soar. in Met. diſp. 13. ſect. 11. n. 13. Conimbric. lib. 1. de Cælo cap. 2. q 6. art. 4. Hurt. diſp. 2. in Phyſ. ſect. 5. à §. 45. Probatur, quia effectus eiuſdem rationis in cauſis efficientibus arguunt eſſentias eiuſdem rationis, (ideó enim intellectus in homine eſt eiuſdem ſpeciei, quia in omnibus habet eoſdem effectus) ergo ſimiliter effectus eiuſdem rationis in cauſa materiali arguẽt eandem ſpeciẽ cauſam: tunc ſic argumentor, ſed omnis materia ſublunaris habere poteſt effectus eiuſdem rationis: ergo omnis materia eſt eiuſdem ſpeciei. Probatur minor, quia omnis materia ſublunaris eſt capax earundem formarum, eorundemque accidentium: imò eadem numero materia poteſt habere non tot, quin plures formas diuerſæ ſpeciei, vt patet experientiá: ergo &c.

Ariſtot. D. Thom. Soarius. Patres Conimbr. Hurtad.

2 Confirmatur, & declaratur, quia potentiæ videndi ſunt eiuſdem ſpeciei, quamuis colores, circa quos verſantur, materialiter ſint diuerſæ ſpeciei, vt v. g. nigredo, & albedo, quia videlicet omnes colores conueniũt in hac ratione formali viſibilis: ergo licet formæ materialiter diſtinguantur, cùm tamen omnes reſpiciãtur à materia, ſub eàdẽ ratione formali, nẽpe merè paſsiuè cauſandi, erit materia in omnibus eiuſdem ſpeciei infimæ.

3 Obijcis primò. Forma tribuit ſpeciem cuicumque rei, nam Socrates differt ſpecie à Bucephalo, propter formam: ergo cùm materia ſemper reſpiciat formam, & ſemper ſit ſub aliqua forma, pro varietate formarum, variabit ſpeciem. Reſpondetur, formam tribuere ſpeciem compoſito, cui eſt intrinſeca, non veró materiæ, cui eſt extrinſeca, vnde nihil colligit argumentum: neque enim materia componitur ex aliqua forma, neque dicit reſpectum ad aliquam formam particularem, tamquàm ad aliquod diſtinctiuum, ſed totam ſuam ſpeciem, ac diſtinctionem ſumit ex eo, quòd merè paſſiuè ſe habeat ad formas: exemplum ſit in quantitate, quæ habet ſe, tanquàm materia reſpectu accidentium, & tamen ſemper eſt eiuſdem ſpeciei, quia ſemper recipit accidentia eodem modo, ideſt per ordinẽ ad locum replendum.

Soluuntur contraria argumẽta.

4 Obijcis ſecundó. Formæ ſublunares ſunt diuerſæ ſpeciei: ergo & materiæ: vel è cõtrario, ſi materia eſt eadẽ, idem erit de formis: probatur conſequentia, quia ideó materiæ ſublunares ſũt eiuſdẽ ſpeciei, quia omnes informantur eodẽ modo, ideſt, merè paſſiuè ſe habẽdo, ſed etiã formæ reſpiciũt materias eodẽ modo, ideſt, actuãdo, ſeu informãdo illas: ergo &c. Reſpõdetur negãdo cõſequẽtiã; maior ratio deſumitur ex eo, quód omnes materiæ ſublunares habeant eaſdem proprietates: forma veró quæuis diuerſas vendicat, nam licet forma ſit relatum tranſcendens ad materiam, quam ſemper perficit, actuando illam, hæc tamen ratio generica eſt, ſpecifica veró deſumenda eſt à natura cuiuſuis formæ, ſicut omne accidens eſt relatum tranſcendens ad ſubſtantiam, & tamen accidentia diſtinguuntur inter ſe ſpecie, & genere, propter diuerſitatem naturarum.

5 Cùm igitur materia nihil aliud ſit, quã pura

Digitized by Google

pura potentia, nihil habet vnde ſumat ſuam diſtinctionem, niſi ex receptione formarũ: at verò formæ habent maiorem perfectionem; vnde celebre eſt effatum illud Philoſophi, *Actus eſt qui diſtinguit.* Neque obſtat, quòd materia ſit ſufficiẽs ad tribuendum ſibi diſtinctionem numericam, minùs enim requiritur ad hanc diſtinctionem, quàm ad ſpecificam; nam ad vnitatem numericam ſufficit eadem eſſentia; ad ſpecificam requiritur diuerſa perfectio eſſentialis, quam materia habere non poteſt, cùm ſemper ſit pura potentia, & vt ait D. Auguſt. cum ſemper ſit *propè nihil.*

Materia cæleſtis eſt eiuſdem ſpeciei cum ſublunari.

6 SEcunda concluſio. Probabilius mihi videtur materiam ſublunarem non differre ſpecie à materia cæleſti; quã ſententiam ſequuti ſunt omnes ex antiquis Philoſophis, qui ante Ariſtotelem ſcripſére: poſt Ariſtotelem (qui contrariam induxit) illam tenent Auicen. D. Bonauentur. Guilh. Ocham. Ægyd. Rom. quos citant Conimbricenſ. lib. 1. de Cælo. cap. 2. quæſt. 6. art. 1. §. *Communis fuit.* Eidem ſententiæ adhæſit Molin. in opere ſex dierum. diſp. 5. per totam, vbi §. *Ad ſecundam*, ingenuè retractat ſuam opinionem, quam habuerat in lib. de Cælo, ex eo quòd poſtea accuratiùs æſtimauerit aliquos Scripturæ ſacræ locos; nobiſcum etiam ſentit Hurt. diſp. 1. de Cælo, ſect. 2. num. 15: (à qua tamen regula excipit materiam Cæli empyrei, de qua nihil certum concludit:) Item Præpoſitus 1. p. tract. de opere ſex dierum dub. 3. num. 19. §. *Ex quibus*. docet cælos ſydereos habere materiam eiuſdem rationis cũ materia ſublunari. Fauet huic ſententiæ Vaſq. 1. p. d. 24. n. 10. quatenus aſſerit, ſibi probabiliſſimum eſſe, omne corpus cõpoſitũ ex partibus eſſe capax corruptionis; item Arriaga in Phyſ. d. 2. n. 159.

Auicen. *Bonau.* *Ocham.* *Ægyd.* *Conimbr.* *Molin.* *Hurtad.* *Præpoſ.* *Vaſquez.* *Arriaga.*

7. Eandem ſententiam grauiter, & eruditè tractat D. Salmeron. tom. 16. totius operis, qui eſt quartus in Epiſtolas D. Pauli, & Canonicas, in explicatione Epiſtolæ primæ D. Petr. c. 3. diſp. 4. vbi inuehitur in eos, qui adeò tenaciter adhærent Ariſtotelis ſententiæ de incorruptione cæli, cùm tamen maximè repugnare videatur Scripturæ ſacræ teſtimonijs, quibus potiùs deferendum eſt, quàm Ariſtoteli: quam ſententiam ipſe D. probat ex Sybillarum, Poetarum, & Philoſophorum teſtimonijs, & quod firmius eſt ex Patrum, & Scripturæ auctoritate, de quibus ago in lib. de Cælo, d. 40. ſect. 1. Sed nequeo me cõtinere, quin Vatem hîc reponam Cordubenſem, qui lib. Pharſal. ſic mundi, cælique communem interitum lamentatur:

Salmer.

— Sic cum compage ſoluta
Secula tot mundi poſtremâque egerit hora:
Antiquum repetens iterum Chaos, omnia mixtis
Sydera ſyderibus concurrent, ignea Pontum
Aſtra petent, tellus extendere littora nollet:
Excutietque fretum; fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per ortum
Indignata diem poſcet ſibi, totaque diſcors
Machina diuulſi turbabit fœdera mundi.

Lucan. lib. 1.

Reliqua omitto quibus probari poteſt cæli corruptibilitas, quia de hac quæſt. agendũ eſt tract. 2 huius partis lib. 1. diſp. 40. quæ tamen ſuppoſitio de cæli corruptibilitate, ſi modo admittatur, (vt in lib. de Cælo tenaciter admittam) dubiũ non eſt, materiam cæli, & ſublunarem eſſe eiuſdem ſpeciei; quæſtionem tamen modó agitabimus ex ſuppoſitione communi, quòd cæli ſint incorruptibiles, in qua quæſtio habet difficultatem. Dico igitur, materiam cæleſtem eſſe eiuſdem ſpeciei cũ ſublunari, quamuis corpora cæleſtia ſint incorruptibilia, & elementaria corruptibilia.

9 Probo igitur primò. In materia cæli ſunt quædam accidentia eiuſdem ſpeciei cum ſublunaribus, vt, v.g. quantitas, raritas, denſitas, &c. Sed vbicumque reperiuntur accidentia eiuſdem ſpeciei, etiam ſubiecta ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo in cælis reperitur aliquod ſubiectum eiuſdem ſpeciei cum ſubiecto noſtrorum accidentium, quod non poteſt eſſe aliud, quàm materia prima. Maior huius ſyllogiſmi, (præterquamquòd concedatur ab aduerſarijs) vel ſenſu ipſo conſtare videtur: Minor inde probatur, quia ſæpe experti ſumus in ſubiectis eiuſdem rationis reperiri accidentia eiuſdem ſpeciei, non verò è contrario, vnde in hominibus, non veró in Angelis reperitur albedo: & deinde propterea equus nõ eſt capax intellectus, quia differt ſpecie ab homine. Deinde etiam propterea arguimus, materias omnes ſublunares eſſe eiuſdem ſpeciei, quia ſunt capaces eorundem accidentium: & ratio à priori eſt, quia, ſicut res eiuſdẽ ſpeciei habent eoſdem effectus, ita habent eadem accidentia: Cùm igitur in materia cæleſti, & ſublunari, dentur eadem accidentia, vel ſaltem aliqua eiuſdem rationis, vtraque materia erit eiuſdem ſpeciei.

Probatur quòd omnis materia ſit eiuſdem ſpeciei

10 Neque obſtat, albedinem reperiri in equo, & in homine, qui ſunt diuerſæ ſpeciei, cùm tamen albedo in vtroque ſit eiuſdẽ ſpeciei, nam materia vtriuſque, quæ eſt ſubiectũ ſuſtentationis albedinis, eſt eiuſdem ſpeciei, licet ſubiectum denominationis diuerſum ſit inadæquatè; & eodem modo reſpondendum

Digitized by Google

eſt, ſiquis forté obiecerit, in homine, & in equo, qui ſpecie differunt, reperiri potentiam uidendi eiuſdem ſpeciei, nam hæ potentiæ ſicuti, & cæteri ſenſus, ſequuntur gradũ animalis ſpecificum, animal enim, quamuis ſit genus reſpectu hominis, & equi, eſt tamen ſpecies reſpectu huius, & illius gradus animalis, qui ſunt in homine, & in equo.

11 Inſtas contra hoc argumentum. Intellectus Angelicus, & humanus differunt ſpecie, & tamen habent aliqua accidẽtia communia inter ſe: ergo bene poterunt materia cæli, & ſublunaris eſſe diuerſæ ſpeciei, quãuis habeãt aliqua accidentia cõmunia eiuſdem ſpeciei. Probatur antecedẽs, quia tã intellectus Angelicus, quam humanus iudicant formaliter, & aliquãdo intellectus Angelicus diſcurrere poteſt formaliter, ſicut humanus, vt admittam 4. p. Sũmæ tract. 2. diſp. 85. ſect. 3. §. *Secunda concluſio.* Reſpondetur negando partem antecedentis, ideſt, negando intellectum Angelicum, & humanum habere aliqua accidentia intrinſeca eiuſdem rationis; & ad probationẽ dicendum eſt, iudicium formale Angelicum differre ſpecie à iudicio formali humano, quia humanum naturaliter præſupponit plerumq; apprehenſionem, per diuerſum actum, Angelicum verò iudicium non ita, vt dicam diſp. cit. ſect. 1. §. *In omni igitur.*

12 Confirmatur, quia etiam diuinum iudicium eſt iudicium formale [vt colligo in lib. de Anima diſp. 85. ſect. 1. nu. 8.] & tamen nemo dicet eſſe eiuſdem ſpeciei cum humano, vel Angelico, & idem dicẽdum eſt de diſcurſu, eſt enim in Angelo diuerſæ ſpeciei ab humano, ſiquidem in Angelo, aut ſit diſcurſus virtualis, aut formalis (ſi aliquando datur) multó eſt perfectior, quàm diſcurſus formalis humanus: at verò quantitas eodem modo datur in materia cæleſti, & ſublunari, vt omnes fatentur: ergo &c.

Probatur ſecundò eadẽ ſententia.

13 Probo ſecundò ad hominem: vel concedunt aduerſarij materiam omnium cælorũ eſſe eiuſdem ſpeciei, vel hoc negant, credentes ſingulas materias corporum cæleſtium ita eſſe determinatas ad ſuas formas, vt quælibet materia cuiuſque cæli ſit diuerſæ ſpeciei: Si primum, iam materia vnius cæli non informatur inſeparabiliter, ſiquidem dicit ordinem ad formam aliorum cælorum. Si ſecundum, tenentur multiplicare infinitas propè materias diuerſarum ſpecierum, cum enim ſtellæ ſint etiam partes per ſe diſtinctæ à cælis, imò & quælibet ſtella ſit quoddam corpus per ſe, etiam habebunt ſuas materias ſpecie diſtinctas, quod aduerſarij libenter concedunt, non tamẽ ſine ſcrupulo, vt ego ſuſpicor, incredibile enim videtur tot materias multiplicare ſpecie diſtinctas, cùm vna tantùm ſufficiat, vt ex dicendis patebit.

14 Deinde vrgeo argumentum. Hæc materia Mercurij, vel dicit ordinem ad hanc ſolùm numero formam Mercurij, vel etiam ad alias numero diſtinctas, intra eandem ſpeciẽ; non ad hanc ſolam, quia hæc numero per accidens fuit, nec datur maior ratio, quód ad hanc numero tantùm dicat ordinem, non verò ad aliam intra eandem ſpeciem; ergo dicit ordinem ad alias formas Mercurij numero diſtinctas, vt concedunt aduerſarij, & nos infra videbimus; tunc ſic argumentor: Materia cæli Mercurij dicit hunc ordinem, ergo dicit etiam appetitum, ſiquidem idem omnino videtur eſſe ordo, & appetitus: ergo ſeparari poteſt materia Mercurij ab hac numero forma, & poni ſub alia eiuſdem ſpeciei, (quia, vt aduerſarij contra nos argumentantur, fruſtra eſt appetitus, qui non poteſt poni in actu) ergo iam poteſt ſeparari ab hac forma, ac proinde non informatur inſeparabiliter.

15 Reſpondent, hanc materiam Lunæ poſſe quidem efficere vnum per ſe cum alia forma Lunæ intra eandem ſpeciem, non appetere tamen aliam, præter illam numero formam, quam habet, quia, cùm eædem formæ intra eandem ſpeciem habeant eandem perfectionem, cum qualibet æqualiter eſt ſatiata hæc materia. Sed contra quia materia ſublunaris, quamuis habeat vnam formam, adhuc tamen ex eo quód dicit ordinem, ad aliam intra eandem ſpeciem, habet etiam ad illam appetitum: ergo materia cæleſtis habebit ſimiliter appetitum ad formam aliam, intra eandem ſpeciem, ſiquidem etiam ad illam dicit ordinem, præcipuè, quia hæc numero forma fuit per accidens. Ac tandem, quia, cùm quælibet forma intra eandem ſpeciẽ habeat eandem perfectionem, ſub qualibet ſatiabitur eodem modo (vt ipſi contendunt) materiæ appetitus: nec aſſignabit maiorem rationem, niſi, qui indecora, & inepta repetitione quærat principium.

16 Confirmatur primò. Quia materia prima eſt appetitus ad omnes formas: ergo deſiderat etiã formas incorruptibiles, alioquin iam non eſſet appetitus ad omnes; vnde ita Deus ſatiauit hunc materiæ appetitum, vt aliqua ipſius materiæ pars habeat formam ab ipſa proximé inſeparabilem, poſt vnionem: alia verò pars materię habeat formã variabilem, ſicut etiam apparet in alijs exẽplis; nam intra eandem ſpeciem creauit Deus aliquos homines omnino incapaces recipiendi aliqua accidentia, quæ alij recipere poſſunt, talis eſt relatio primi parentis, ſeu potiùs Iudi.

Digitized by Google

iudicium,quod de ſe habet Adamus,quòd ſit primus parens, quod iudicium nullus filiorũ habere poteſt.

17 Confirmatur, & illuſtratur hæc ſententia, nam hoc pacto magis relucet rerum omnium inter ſe mirabilis, & concors harmonia, quemadmodùm enim vna eſt præcipua cauſa efficiens,nempe Deus,vna præcipua cauſa illuminatiua,nempe Sol; vnus prætereà mundus; & quemadmodùm omnia ſublunaria conſtant vno ſubiecto, ita æquum erat, vt omnia mundi corpora conſtarent vna cauſa materiali; quod genus argumentandi, quantum rerum natura patitur, apud viros doctos magni eſt ponderis, ac momenti, præcipuè cùm nulla vrgens ratio appareat ex aduerſo.

Proponuntur argumenta contra hanc ſententiam.

18 OBijcis pro contraria ſententia, quæ probabilis eſt,& habet materias cæleſtes eſſe diuerſas ſpecie à materia ſublunari, quam tenent duce Ariſtotele, D.Thom. 1 p. quæſt.66. art. 2. Petrus Aluern.lib 3. de Cælo. Fonſ 5. Metaph. cap.3. q.1. ſect. 1 §. *Quidquid*, fine. Soar. in Metaph. diſp.13. ſect.11. num.13.& tom. de Opere ſex dierum lib 1 cap.3.n.6. Rub. lib. 1. de Cælo cap.1. quæſt. 6 §. *Poſterior*,(vbi citat Iauellum, Soncinnatem, & alios.) Benedict. Pereir. lib. 1. Philoſ. cap. 10. eandem ſententiam, vt probabiliorem, ſequuntur Conimbr. lib. 1. de Cæl. cap.2 quæſt.6. art 7. & 2.§.*Nihilominùs*, citant pro hac ſententia Caietan.Alenſ. & alios: idem docet Curſus Thomiſt. in ſua prima ſecundæ q. 3 de principijs, art.4. §. *De ſpecifica.*

Ariſtot. D.Thom. Aluern. Fonſeca. Soarius. Rubius. Iauel. Soncin. Pereira. Patres Conimbr. Caiet. Alenſ. Curſus. Thomiſt.

19 Obijcis, inquam, primò. Si materia cæleſtis eſſet eiuſdem ſpeciei cum ſublunari, appeteret etiam formas ſublunares, vt conſtat per omnes auctores; ſed ex hoc appetitu infertur naturale principium corruptionis in cælis:ergo, cùm cæli ſint incorruptibiles, non eſt admittenda materia cæleſtis eiuſdem ſpeciei. Probatur minor, quia propterea ſublunaria corruptibilia ſunt, quia materia elementaris informatur ſeparabiliter;& propterea cæli ſunt incorruptibiles, quia eorum materia informatur inſeparabiliter; ſed ſi detur talis appetitus in materia cæleſti, iam non informabitur inſeparabiliter:ergo materia cæli eſt diuerſæ ſpeciei: vnde hi auctores inducunt diuerſitatem materiæ cæleſtis, & ſublunaris à modo, quo ſeparabiliter, vel inſeparabiliter materiæ informantur.

20 Hoc eſt præcipuum argumentum, & ſub hoc cardine vertitur machina cæleſtis materiæ, qui ſi penitus euellatur;

—— *Emoto procumbent cardine cæli.*

Huic igitur importuno argumento, reſpondetur, imprimis materias non eſſe diſtinguendas propter diuerſos modos informandi ſeparabiliter, vel inſeparabiliter, eſſentialis enim differentia alicuius ſubſtantiæ deſumenda non eſt à modo. Deinde reſpondeo concedendo materiam cæli habere etiam naturalem appetitum ad formas ſublunares, ſed remotum, & impeditum ab extrinſeco, propter vnionem,quam habet cum forma cæleſti adeò tenaciter informante, propter diſpoſitiones, & qualitates cæleſtes, quæ per ſe ipſas repugnant contrarijs,& reddunt materiam cæli proximè incapacem alterius formæ, licet valde remotè ſit capax illius. Cùm igitur potentia paſſiua remota,quæ datur in materia cæli, ſufficiens non ſit ad recipiendam aliam formam, inde eſt, quòd materia cæli habeat appetitum valde remotum ad formas ſublunares, neque tamen reddat cælos corruptibiles,ex hoc capite.

Soluitur præcipuũ argumentum.

21 Explicatur exemplo quantitatis cæleſtis, quæ ex natura ſua eſt capax diuiſionis valde remotè,&tamen proximè diuidi non poteſt, quia per potentiam remotam, quam habet, non eſt deducibilis ad actum diuiſionis, propter inhærentiam, quam habet cum materia cæli. Declaratur alio exemplo, quia corpora Beatorum ſunt eiuſdem ſpeciei cum noſtris, neque tamen corrumpi poſſunt, quia potentia remota, quam habent ad corruptionem, impedita eſt ab extrinſeco, propter qualitates, & dotes glorioſas: hinc eſt, quòd, licet ignis elementaris applicetur cælo, non poterit illud alterare, quia,quamuis materia cæleſtis ſit capax formarum ſublunarium, poſtquàm tamen informata eſt forma cæli, redditur proximè incapax formarum ſublunarium, propter formæ cæleſtis qualitates, ſicut continget, ſi ignis applicetur corpori beato,

22 Obijcis ſecundò. Vbi dantur diuerſa accidentia, dantur etiam diuerſæ eſſentiæ; ſed in materia cæli dantur diuerſa accidentia: ergo etiam datur diuerſa eſſentia. Reſpondetur, ad maiorem diuerſitatem omnium accidentium eſſe quidem manifeſtum indicium totalis, & eſſentialis diſtinctionis, talis verò diuerſitas non datur inter accidentia materiæ cæleſtis,& ſublunaris,vt patet,ſiquidẽ ſaltem quantitas eſt eadem. Ad conuenientiam verò in aliquo genere, ſufficit pro ſigno conuenientia aliquorum accidentium, præcipuè,

Digitized by Google

ſi ſint proprietates, quæ vtrobique dentur eodem modo. Cùm igitur in materia cæleſti, & ſublunari detur eadem proprietas quarto modo, nempe quantitas, quæ fluit ab eſſentia vtriuſque materiæ eodem modo, ſignum eſt, dari eandem eſſentiam in vtraque materia. Explicatur hoc exemplo, nam licet aliquot animalcula imperfecta non habeant quinque ſenſus, ſicut habent animalia perfecta, ſed tantùm duos, nempe tactum, & guſtum, nihilominùs tamen, propter hanc conuenientiam, gradus animalis eſt eiuſdem ſpeciei in his animalculis cum gradu animalis progreſſiui: & ratio à priori eſt quia diſconuenientia eſt malignantis naturæ, & negat omnia; at veró ad conuenientiam ſufficit quicumque gradus, vel proprietas, quaré accidentia diuerſa, quæ dantur in cælis non proueniunt à materia, ſed à forma.

Materia eſt incorruptibilis. 23 Obijcis tertiò, Materia cæli eſt incorruptibilis, materia ſublunaris eſt corruptibilis: ergo ſunt diuerſæ ſpeciei. Reſpondetur negando antecedens, vtraque enim eſt incorruptibilis, & ingenerabilis, ſiquidem illud generatur, & corrumpitur, quod fit ex præſuppoſito ſubiecto, materia verò à nullo præſuppoſito ſubiecto dependet, & manet poſt formæ corruptionem; quæ doctrina certa eſt, & pro ea videri poteſt Soar. in Metaphyſ. diſp. 13. ſect. 4. num. 16. quod non tollit quominùs materia ſublunaris dicatur corruptibilis, *vt quo*, quia propter appetitum proximum, quem habet ad omnes formas reddit omnia compoſita corruptibilia; ſicut anima rationalis dicitur corporea, *vt quo*, quamuis in ſe ipſa ſpiritualis ſit: vnde materiæ cæli ab extrinſeco aduenit, non reddere corruptibilia corpora cæleſtia, quia ex natura ſua habere poterat eoſdem effectus cum materia ſublunari, à quibus impeditur ratione formæ, & qualitatum cæleſtium. Soarius.

24 Obijcis quartó. Si materia cæli eſſet capax formæ ſublunaris, & ad eam diceret appetitum, poſſet deſerere ſuam formam, & habere ſublunarem, ſed hoc repugnat, quia cæli ſunt incorruptibiles. Deinde non videtur concedendus talis appetitus in materia cæli, quia in æternum eſſet priuata formà ſublunari, cùm æterno appetitu formæ nunquàm obtinendæ; quó circa talis poteſtas eſſet otioſa, fruſtra enim eſt potentia, quæ non poteſt vnquàm ad actum reduci. Reſpondeo, materiam cæli non poſſe deſerere ſuam formam, informarique proinde ſeparabiliter, propter perpetuum impedimentum, & proximam impotentiam, quam habet ratione formæ cæleſtis, eſt igitur materia cæli perpetuó priuata forma ſublunari, habet ad illam tamen appetitum, non abſoluté, ſed ex ſuppoſitione, ſi careat forma cæleſti: nego tamen eſſe eam potentiam otioſam, cùm ſeruiat diuinæ electioni, quæ liberrimé huic materiæ dedit formam cæleſtem, cùm poſſet naturaliter dare ſublunarem; ſicut non eſt otioſa poteſtas ad peccandum in eo, qui eſt in gratia confirmatus, quamuis nunquàm eà ſit vſurus. Et arguo ad hominem: Nam aduerſarij concedunt appetitum in materia ſublunari ad formam etiam corruptam, qua tamen perpetuo carebit, & Soar. tom. 1. in 3. p. ad quæſt. 2. art. 8. diſputat. 11 ſect. 3. §. *Et placet*, concedit in humanitate Chriſti Domini capacitatem, imó & appetitum ſimplicis amoris ad propriam ſubſiſtentiam, qua in æternum carebit: ergo ſimiliter dabitur in materia cæli appetitus ad formam ſublunaré, licet ea perpetuò debeat carere. Soarius.

25 Obijcis vltimò. Perpetua carentia alicuius rei eſt apertum argumentum impotentiæ ſimpliciter, ideó enim dicimus equum non eſſe diſcurſiuum, quia nunquàm diſcurrit: ergo etiam perpetua carentia formæ cæleſtis, in materia ſublunari, argumentum erit impotentiæ ſimpliciter. Reſpondeo concedendo, carentiam perpetuam tunc eſſe argumentum impotentiæ ſimpliciter, quando ea carentia reperitur in aliquo ſubiecto, & in omnibus, de quibus conſtat eſſe eiuſdem ſpeciei, cũ illo, ſecùs ſi non reperiatur in omnibus, de quibus conſtat eſſe eiuſdẽ ſpeciei, alioquì hominem rudem, & perpetua amentia laborantem, diceremus ſecundùm ſe incapacem eſſe prudentiæ; cùm ergo conſtet, argumentis ſupra factis, materiam cæleſtem, & ſublunarem eſſe eiuſdem ſpeciei, nullum erit argumentum impotentiæ ſimpliciter, carentia perpetua formæ ſublunaris in materia cæli, cùm hæc carentia ab extrinſeco proueniat, vt probatum eſt.

26 Siquis tamen tueri voluerit, materiam primam non eſſe ſpeciem immediatam, ſed ſubalternam ad materiam cæleſtem, & ſublunarem, dicet ſpecificam diuerſitatem harum materiarum deſumendam ex eó quòd materia cæleſtis inſeparabiliter, at verò materia ſublunaris ſeparabiliter informetur; & conſequenter dicere tenetur, cuiuſque cæli, imò & ſtellarum materiam eſſe diuerſarum ſpecierum, nam ratio vtrobique eſt eadem; & probatur; ſi enim materia Lunæ eſt eadem numero, cum materia Solis, erit etiam naturaliter materia Lunæ capax formæ Solis, nam eiuſdem eſſentiæ idem eſt appetitus: ergo iam materia

materia cæli Lunæ haberet appetitum ad formam Solis, ac proinde non informaretur inſeparabiliter, in quo modo informandi conſtituunt auctores contrarij diuerſitatem ſpecierum, & ita conſequenter philoſophatur Soar. in Met. diſp. 13. ſect. 11. nu. 24. quidquid oppoſitum, & immeritò ſequatur Hurtad. de Cælo diſp. 1. ſect. 2. n. 16.

Soarius. *Hurtad.*

16 Et in noſtra opinione poterit effici vnum per ſe ex materia cæleſti, & forma ſublunari; ſecùs verò dicendum in contraria opinione, quia vnum per ſe non fit niſi ex proprio actu, & propria potentia: imó nec diuinitus educi poterit forma ſublunaris de potentia materiæ cæleſtis; quia, cùm talis forma non poſſet efficere vnũ per ſe cum materia cæleſti, efficeret vnum per accidens, ac proinde inhæreret, quod tamen implicat, nulla enim ſubſtantia inhærere poteſt, vt videbimus lib. 5. Met. d. 53. ſect. 2. in lib. verò de Cælo liberiùs oſtendam cælos eſſe corruptibiles.

SECTIO V.

De nobilitate, proprietatibus, & conditionibus materiæ primæ.

1 PRima concluſio. In ſententia, quæ diſtinguit ſpecie materiam cæleſtem à ſublunari, nobilior eſt materia cæleſtis: ita Durand. Richard. Ægyd. Abulenſ. & alij, quos citat, & ſequitur Soar. in Met. diſp. 13. ſect. 12. num. 5. Probatur, quia materia cæleſtis reſpicit formam nobiliori modo, ideſt, inſeparabiliter. Probatur deinde, quia quò res magis eſt in potentia, eò eſt magis imperfecta, (hinc eſt, quòd Deus, quia perfectiſſimus eſt, ſemper ſit in actu) ſed materia ſublunaris eſt magis paſſiua, quã cæleſtis, ſiquidem ſubeſſe poteſt omni formæ: ergo cùm magis participet rationem puræ potentiæ, erit imperfectior, imó & imperfectiſſima, infra quam non poterit Deus creare aliam ignobiliorem, neque enim dari poteſt alia, quæ ſit magis paſſiua. & cùm à D. Auguſt. dicatur hæc materia prima, *prope nihil*, certum videtur nihil dari ignobilius, niſi ſit nihil.

Durand. *Richard.* *Ægyd.* *Abulenſ.* *Soar.*

2 Obijcis. Materia ſublunaris habet intra ſuam ſphæram formas viuentes, imó & formam rationalem, quæ nobilior eſt omni formæ cæleſti: ergo cùm hæc nobilitas potentiæ deſumatur ex maiori nobilitate actus, materia ſublunaris erit nobilior, quàm materia cæleſtis. Reſpondetur negando conſequentiam, quia materia non ſpecificatur, per formam aliquam materialem, ſed per modum reſpiciendi omnes formas, vnde quamuis aliqua forma in ſe materialiter ſit nobilior, hoc parùm refert, cùm materia non ſpecificetur per hanc formam, ſed per modum reſpiciendi omnes formas, qui eſt idem ſpecie; ſicut lux materialiter quidem eſt nobilius obiectũ, reſpectu potentiæ videndi, & tamen conuenit cum alijs obiectis, in ratione viſibilitatis. Neque obſtat, quòd potentia actiua deſumat ſuam nobilitatem ex maiori nobilitate entitatiua ſuorum actuum, (potentia enim intelligendi nobilior eſt, quàm potentia videndi) non, inquam, obſtat, quia potentia actiua, cùm producat entitatem ſui actus, ab illo deſumere debet perfectionem: at verò potentia paſſiua, cùm nihil producat, ſed ſolùm recipiat non vnum tantùm actum ſpecie, ſed plures diuerſarum ſpecierum, ideò à modo recipiendi ſuam ſumit perfectionem, vel imperfectionem.

Vtrùm dari poſsit materia ſpiritualis?

3 SEcunda concluſio. Impoſſibilis eſt materia ſpiritualis: ita Soar. in Met. diſp. 13. ſect. 14. n. 14. Vaſq. 1. p. tom. 2. ad q. 50. in comm. art. 2. n. 17. Mol. etiam 1. p. ad eandem quæſt. & art. 2. vbi contra Auiſebron, & imò, & contra aliquos Theologos concludunt, Angelos non conſtare materia, & forma: circa eandem concluſionem videri poteſt Gil. lib. 1. tract. 4. cap. 4. num. 6. & Franciſcus Amicus in ſuo Curſu Theologico tom. 2. diſp. 3 ſect. 3. à n. 30. vbi citat Scot. Dur. Capr. Ban. Zumel. & alios.

Nõ poteſt dari materia ſpiritualis. *Soarius.* *Vaſquez.* *Molin.* *Gillius.* *Franciſc. Amicus.* *Scot.* *Durand.* *Capreol.* *Bannez.* *Zumel.*

4 Probatur, quia de ratione ſubſtantiæ ſpiritualis eſt, quòd ſit perfectior, & actualior, quàm quæuis forma materialis, & à fortiori, quàm materia, vt patet ex maiori nobilitate gradus ſpiritualis: ſed materia ſpiritualis deberet eſſe omnino paſſiua, & pura potentia: (hæc eſt eſſentia materiæ) ergo implicat, quòd ſit materia, & quòd ſit ſpiritualis.

5 Ex qua concluſione ſequitur primò Angelos nullo modo componi ex materia ſpirituali (quamuis ſint compleri in genere metaphyſico, vt eſt communis ſententia cum D. Th. 1. p. q. 50. art. [illegible], quæ compoſitio non derogat Angelicæ dignitati) Sequitur ſecundò, impoſſibilem eſſe materiam, quæ ſeparabiliter informetur, nobiliorem, quàm hæc, quæ de facto datur; quia quæcumque materia de poſſibili, cùm debeat eſſe pura potentia ad omnes formas, erit eiuſdem ſpeciei cum hac. Sequitur tertiò, licet accidentia ignobiliora ſint, quàm materia prima, benè

D. Thom.

S 3 poſſe

poſſe ſpiritualia eſſe, quia poſſunt habere rationem actus, nam reuerà materiam informant, & actuant, quam rationem actus habere nequit materia, cùm ſit pura potentia.

6 Obijcis primó pro contraria ſententia, quam tenent Alenſ. 2. p. q. 2. memb. 2. Richar. in 2. diſt. 3. art. 1. q. 2. Aureol. apud Capreol. in 2. diſt. 3. q. 1. quatenus aſſerunt, Angelos eſſe ſpirituales, componi tamen materia, & forma: idem videtur ſentire Arriaga de Anima diſp. 1. ſect. 5. Obijcis, inquam, primò. Datur forma ſpiritualis, quæ informat materiam corpoream: ergo poſsibilis eſt materia ſpiritualis, quæ informetur forma ſpirituali. Reſpondetur negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia forma ſpiritualis non perdit ſuã eſſentiam informando materiam corpoream, non enim repugnat rei ſpirituali eſſe actum: at verò materiæ repugnat perfectio gradus ſpiritualis, quia iam non eſſet materia, cùm enim foret ſpiritualis, iam non poſſet eſſe pura potentia, ac proinde non eſſet materia, quia nihil eſt materia, quam pura potentia.

Alenſ. *Richard.* *Aureol.* *Capreol.* *Arriaga.*

7 Obijcis ſecundò. Angelus habet ſe tanquàm ſubiectum ad ſua accidentia, quamuis Angelus ſit completus, & maximè perfectus: ergo licet materia ſpiritualis, perfectior ſit, quàm corporea, poterit ſe habere tanquàm potentia ad formam ſpiritualem. Reſpondetur negando conſequentiam: & maior ratio eſt, quia Angelus in ea receptione, non ſe habet tamquàm pura potentia, ſed ſemper eſt ens actuale, vt patet in anima rationali, quæ quamuis ſit ſubiectum ſuarum potentiarum, eſt tamen actus, reſpectu materiæ; materia verò ſpiritualis nunquàm eſſet actus, ſed ſemper deberet eſſe pura potentia, quod implicat.

8 Meritò tamen rogas, quarè ſit poſsibile compoſitum ex forma ſpirituali, & materia corporea, qualis eſt homo, non ſit tamen poſsibile compoſitum ex forma corporea, & materia ſpirituali? Reſpondeo, (præterquamquòd ſit impoſsibilis materia ſpiritualis) rationem eſſe, quia materia ſpiritualis eſſet incapax qualitatum corporalium quibus mediantibus formæ corporales poſtulant conſeruari.

9 Obijcis. Forma ſpiritualis pendere poteſt, quòad operationem ſuam ex materia corporea, quamuis materia corporea ſit incapax qualitatum ſpiritualium: ergo ſimiliter forma corporea poterit pendere à materia ſpirituali, quamuis hæc ſit incapax qualitatum corporalium. Reſpondetur negando cõſequentiam: maior ratio eſt quia agens ſpirituale poteſt naturaliter vti inſtrumento corporeo, eleuando illud, quo pacto forma rationalis eleuat materiam corpoream ad ſui receptionẽ, & intellectus agens eleuat phantaſma; at verò impoſsibile eſt agens corporeũ, quod connaturaliter vtatur inſtrumento ſpirituali, quia inſtrumentum naturaliter procedens, ſemper debet eſſe ignobilius, quam cauſa eleuans. Neque dicas poſſe fieri hanc eleuationem diuinitus, nam vnum per ſe naturaliter, non diuinitus fieri poſtulat.

Vtrùm materia ſit nobilior, quàm omne accidens?

10 Tertia concluſio. Materia prima in ſua entitate nobilior eſt, quàm omne accidens, etiam ſupernaturale: ità D. Thom. 1. p. q. 10. art. 2. ad 2. Vaſq. 1. p. ad q. 17. diſp. 214. cap. 3. n. 17. Fonſ. 7. Met. cap. 1. q. 2. ſect. 4 §. *Poſterior concl.* nec diſſentit Soar. in Met. diſp. 33. ſect. 1. in fine ſect. [quamuis ibi dubium ſe oſtendat circa vnionem hypoſthaticam, quia hæc ſubſtantialis eſt.] Probatur facilè, quia materia prima eſt ſubſtantia, quæ, cùm ſit ens per ſe, nobilior eſt omni accidente, quod eſt ens entis, ſeu ens ab alio, vel in alio.

D. Thom. *Vaſquez.* *Fonſeca.* *Soarius.*

11 Obijcis pro cõtraria ſententia, quam tenent Conimbr. lib. 3. Phyſ. cap. 8. q. 5. art. 2. §. *Ad ea verò*; Mol. 1. p. q. 12. art. 5. diſp. 2. §. *Ad ſecundum.* Accidentia ſupernaturalia nobiliora ſunt, quàm materia prima: ergo &c. Probatur antecedens, quia maior perfectio colligitur ex nobilioribus operationibus, quas habent accidentia ſupernaturalia, at verò materia prima operatiua non eſt. Reſpondetur, negando antecedens, ad probationem dicendum eſt, tunc ſolùm nobiliores operationes arguere maiorem perfectionem, quando operationes procedunt, tamquàm à cauſa principali, non verò quando procedunt, vt ab inſtrumento, cùm igitur actiones nobiliores, quæ procedunt ab accidentibus ſupernaturalibus ſupponant accidentia, vt inſtrumenta, ſolùm arguent maiorem perfectionem in cauſa eleuante.

Patres Conimbr. *Molina.*

12 Neque obſtat, quòd gratia nos reddat ſimiles Deo, in ordine diuino, nam materia prima perfectiùs nos reddit ſimiles Deo in ratione naturæ, ſiue in ratione entis per ſe ſubſiſtentis. Non negauerim tamen accidentia ſupernaturalia eſſe ſecundùm quid perfectiora materiâ primâ, ſicut cælum, in communi opinione ſecundùm quid, hoc eſt, ſecundùm incorruptionem, nobilius eſt homine. Ex quibus euidenter ſequitur, quamlibet formam ſubſtantialem eſſe ex genere ſuo perfectiorem materiâ primâ, quia ſem-

per

Digitized by Google

per talis forma habet rationem actus ſubſtantialis.

Quæ ſit materiæ proprietas?

13 QVarta concluſio. Quantitas eſt poſitiua materiæ proprietas. Ita Soar. in Met. diſput. 15. ſect. 14. num. 15. eandem ſententiam probat Benedict. Pereir. lib. 5. Phyſ. cap. 18; quidquid oppoſitum ſentiant Vaſq. 1. p. tom. 2. ad q. 53. diſp. 196. cap. 2. num. 13. & quamuis dubiuſculum ſe oſtendat Hurtad. in Phyſ. diſp. 2. ſect. 10. Probatur, quia cùm materia habeat realem eſſentiam, conſentaneum eſt, vt habeat aliquam proprietatem poſitiuam; quæ non eſt alia, quàm quantitas, ſiquidem hæc inſeparabiliter materiam comitatur: neque dici poteſt aduenire, ratione formæ, nam homo habere non poteſt quantitatem, ratione formæ ſpiritualis, cùm quantitas ſit corporea, forma verò ſit ſpiritualis. *Soarius* *Benedict. Pereira.* *Vaſquez.* *Hurtad.*

14 Confirmatur, quia quantitas eſt valde ſimilis materiæ, quia eſt receptiua reliquorum accidentium, nec perit, pereunte forma. Neque obſtat, quód materia ſit pura potentia, quia adhuc habere poteſt efficientiã ad quantitatem, vt etiam hæc habet ad ſuam Vbi, adhuc enim manet materia pura potentia ad ſuum actum ſubſtantialem. Neque præterea obſtat, quòd agentia naturalia ſemper requirant potentias diſtinctas, ad ſuas operationes, quia quantitas non procedit per veram actionem, ſed per emanationem, ad quam non requiritur potentia aliqua diſtincta, vt patet exemplo emanationum potentiarum, ad quas non requiruntur aliæ potentiæ.

15 Eſt autem quantitas cæleſtis, & ſublunaris eiuſdem ſpeciei, vt bene aduertit Soar. in Mét. diſp. 13. ſect. 14. n. 16. quod verum eſt, quamuis materiæ ſpecie diſtinguantur, quia ratio ſpecifica quantitatis deſumenda eſt ex effectu formali quantitatis, qui vtrobique eſt idem. Vel etiam dici poteſt prouenire quantitatem ab aliquo gradu communi, tam materiæ cæleſti, quàm ſublunari, qualis erit extenſio partium, quæ erit gradus ſpecificus in vtràque materia, ad eum modum, quo animal eſt gradus ſpecificus, reſpectu animalis, quod eſt in homine, & in equo. *Quãtitas cæleſtis, & ſublunaris eſt eiuſdẽ ſpeciei.*

16 Obijcis. Ex coniunctione differentiæ ſpecificæ, cum natura generica, oriuntur aliquæ proprietates: ergo ex coniunctione differentiæ, cum gradu generico materiæ, naſcetur aliqua proprietas, &, cùm non appareat, niſi quantitas, hæc erit diuerſæ ſpeciei in materia cæleſti, & ſublunari. Reſpondetur facilé, admittendo etiam ex coniunctione differentiæ cum materia cæleſti oriri alias proprietates, præter quantitatem, vt bene probat argumentum, quas tamen ignoramus, quamuis intelligamus, imò & confusè percipiamus dari in cælis, vt ex diuerſa, & maiori luce cæleſtium corporum poſſumus coniecturam facere ad alias proprietates.

17 Eſt veró quantitas neceſſaria, vt materiam reddat ſenſibilem, & aptam ad recipiendam formam ſubſtantialem, & accidentia corporea, nulla enim ſubſtantia per ſe ſenſibilis eſt, vt probatur ex fide, in myſterio Sacroſanctæ Euchariſtiæ, ſi enim ſubſtantia panis, aut vini ſenſibilis eſſet, perciperemus eorum defectum in Euchariſtia, pateretque ſenſibus miraculum ineffabile, quod tamen non eſt dicendum.

18 *Quinta concluſio*. Materia logicé requirit aliquas conditiones ad operandum: de hac concluſione videri poteſt Soar in Met. diſp. 13. ſect. 8. vbi n. 7. & 8. probat exiſtentiam realem, & actualem eſſe conditionem logicé, & intrinſecè requiſitam. Altera conditio eſt indiſtantia, de qua idem Soar. n. 9. quæ etiam logicè requiritur, neque enim materia diſtans poteſt componere. Diſtinguitur verò indiſtantia ab vnione, nam anima poteſt eſſe indiſtans à corpore, quin habeat vnionem. *Quas cõditiones requirat materia.*

19 Neque obſtat; quòd cauſa efficiens cauſare poteſt non approximata, quia cauſa efficiens operatur per influxum à ſe egredientem; materia verò cauſat recipiendo, implicat veró recipere rem diſtantem, quamuis Fonſ. lib. 5. Met. cap 2. q. 12. ſect 2. & 3 exiſtimet poſſe Deum concurrere in genere cauſæ materialis, non recipiendo, ſed ſolùm ſuſtentando, ſed de hac quæſtione agendum eſt in cauſa efficiente. *Fonſeca.*

20 Vltra has conditiones requiritur quãtitas, non quidem logicè, ſed tantùm phyſicé, quia materia denudata à quantitate diuinitus, cauſare adhuc poteſt compoſitum. Alias præterea proprietates habet materia, nempe quód ſit ingenerabilis, & ſecundùm ſe incorruptibilis, quas bene tractat Arriaga in Phyſica diſp. 2. ſect. 2. *Arriaga.*

(.·.)

DISPVTATIO XXIII.

De Cauſa formali, eiuſquè priuatione.

EGimus de materia, quæ, cùm ex natura ſua ſqualida ſit, rudis, agreſtis, horrida, informis, & impolita, dignitatem ſuam, ſpeciẽ, decus, pulchritudinem, ac venuſtatem à forma mutuatur, qua, veluti ornatu quodam, amicitur, & ad vrbanum, politioremque cultum inſtruitur, & informatur:

Ouid. 1. Met. *Sic modo quæ fuerat rudis, & ſine nomine tellus,*
Induit ignotas hominum conuerſa figuras.

Ouid. de rem. 2. Quia tamen, *Forma bonum fragile eſt, & ſpatio carpitur ipſa ſui.* Hinc oritur perpetua illa ſubſtantiarum transformatio, hinc fœcunda illa, & infatigabilis generationum viciſſitudo, quæ

Horat. Ep. 2. lib. 2. *Velut vnda ſuperuenit vndam,*
Virg 6. Æn. *Nec formis requies datur vlla renatis.*

Hæc forma, vel eſt phyſica, vel metaphyſica, hæc vel modaliter diſtinguitur, vt ſe habet ſubſiſtentia, vel tantùm per rationem ratiocinatam, vt ſe habet quæuis differentia metaphyſica, reſpectu naturæ. Forma phyſica, vel eſt ſubſtantialis, vel accidentalis, de vtraque nobis ſermo eſt cum Philoſopho in hac diſputatione.

[library stamp]

SECTIO I.

An ſit, quid ſit, & vnde educatur forma ſubſtantialis?

1 PRima concluſio: Datur vera forma ſubſtantialis, quæ eſt pars eſſentialis compoſiti phyſici. Hæc concluſio certa eſt, eam demonſtrant Soar. in Met. diſp. 18. ſect. 1. Fonſ. 1. Met. cap. 7. q. 3. ſect. 2. Conimbric. 1. Phyſ. cap. 9. q. 9. art. 2. Rub. lib. 1. Phyſ. tract. 2. de Forma. q. 1. initio. Hurt. diſp. 4. Phyſ. ſect. 1. & alij. Probatur primò, quia dantur veræ generationes ſubſtantiales, vt ſenſus fateri compellunt; ergo datur forma ſubſtantialis, quæ ſit terminus generationis, quia, vt demonſtratum eſt, materia non generatur: ergo generationes exercentur circa formam. Probatur ſecundò. Multæ ſubſtantiæ corporeæ ſunt alijs perfectiores, vt patet in homine, qui ſubſtantialiter perfectior eſt leone, vel lapide; ſed hæc differentia non prouenit ex materia, quæ in vtroque eſt eadem; ergo ex forma ſubſtantiali: ergo hæc datur. Tandem, ſi nihil ſubſtantiale datur, niſi materia, ſequitur, ignem eſſe aquam, hominem eſſe leonem, ſiquidem vterque nihil foret aliud, quàm materia: Cùm igitur conſtet, vel experientia teſte, hominem non eſſe leonem, dicẽdum neceſſariò eſt, dari has diſtinctiones, propter formas, ſiquidem materia eſt eadem.

(Margin: Soarius. Fonſeca. Patres. Conimbr. Rubius. Hurtad.)

2 Vbi notandum eſt obiter, in quolibet interitu ſubſtantiali, & repentino, nouam ſuccedere formam ſubſtantialem, vnde in morte hominis inopinata, & ſubita, ſuccedit forma cadaueris, ne dicamus dari materiam ſine forma, cùm enim in cadauere videamus proprietates omnino contrarias viuenti, neceſſariò dicendum eſt illas prouenire ab aliqua forma ſubſtantiali, quod verum eſt, etiam quando homo ſtrangulatur; alioqui ligna nullam haberent formam, quæ tamen nihil aliud ſunt, quàm quædam arborum cadauera, & tamen aliquando vnius ſecuris ictu cæduntur: ad quam formam cadaueris introducendam ſufficiunt diſpoſitiones, quæ erant in viuente, cum qualitate contraria introducente mortem; neque pro contraria ſententia audiendus noſter Ægydius Regius de Sacramentis Ægyd. tom. 1. q. 76. art. 3. dubio vnico n. 14. Zauar. Zauarel. 1. de Generatione, & Interitu cap. 6.

3 *Secunda concluſio.* Forma ſubſtantialis Definitio formæ. habet veram definitionem, quæ ſic habet: *Forma eſt actus ſubſtantialis vnum per ſe conſtituens cum materia, ipſamq́; determinans ad certam ſpeciem compoſiti:* Ita communiter omnes. Ex qua definitione, per particulam, *actus ſubſtantialis*, excluduntur accidentia: per particulam, *conſtituens vnum per ſe*, ſatis explicatur, formam ſubſtantialem debere eſſe incompletam, vt poſſit cũ materia efficere vnum per ſe; reliquæ particulæ ponuntur maioris explicationis gratiã, nã ſubſiſtentia eſt forma ſubſtantialis metaphyſica, neque tamen tribuit ſpeciem, ſicut forma phyſica: Tradita definitio comprehendit quatuor formarum genera, nempe elementares, quæ ſunt imperfectiſſimæ; deinde formas mixtorum non viuentium, vt ſunt lapides, metalla; tertiò formas plantarum; quartò tandem comprehendit formas animalium.

Circa

Digitized by Google

Forma nõ præcedit in materia.

4 Circa formarum eductionem ſit *tertia concluſio.* Forma materialis ante generationẽ non præcedit actu in materia, ſed tantùm in potentià, vnde per generationem educitur actiuè ab agente de hac materiæ potentia paſſiua. Hæc concluſio etiàm communis eſt, & pro ea videri poteſt Rub. lib. 1. Phyſ. tract. 2 de Forma, q. 1. n. 8. Probatur prima pars, quia ſi forma actu præcederet, tolleretur generatio ſubſtantialis; cùm enim materia non generetur, ſi forma iam erat, non generabitur, ſiquidem iam realiter exiſtebat, proindeque nulla dabitur generatio ſubſtantialis. quod eſt maximũ abſurdum. Probatur ſecunda pars, quòd ſcilicet, præcedere debeat ipſa forma in potentia materiæ; quia, niſi hoc modo antecederet, non educeretur; propterea enim anima rationalis non edùcitur, quia nõ continetur in potentia paſſiua materiæ.

Rubius.

Quomodo educatur, D.Thom.

5 Educi verò de potentia materiæ nihil aliud eſt, quàm pendere à materia in fieri, & in conſeruari, vt explicat D.Thom. 1.p. q.90. art. 2. ad ſecundum: quod probatur hac ratione ab ipſo D.Th. Quia, ex modo operandi alicuius rei, colligitur eius eſſe: ſed forma materialis in ſuo operari dependet à materia; ergo & in ſuo eſſe intrinſeco dependet in fieri, & in conſeruari ab ipſa materia, & conſequenter ab ipſa educitur: propterea enim dicimus rationalem animam ſeparatam à materia poſſe operari naturaliter, quia ab ea non pendet in fieri, & in conſeruari; eſt igitur eductio, *actio, qua forma producitur à ſubiecto dependenter in fieri, & in conſeruari.*

Eductio formæ.

6 *Quarta concluſio.* Ad veram eductionem requiritur aliqua antecedentia in materia, & ſufficit prioritas naturæ. Prima pars concluſionis eſt communis, nam forma educitur ex præſuppoſito ſubiecto. Secunda pars, in quá eſt aliqua dubitatio; traditur à Soar. in Met. diſp. 5. ſect. 3. præcipuè n. 7. & 8. Fonſ. 5. Met. cap. 2. q. 4. ſect. 2. §. *Ergò aliter:* Vaſq. tom. 2. in 1. p. ad q. 45. art. 4. diſp. 174. cap. 4. à n. 17. §. *Hinc colligo:* eandẽ partem inſinuant Conimbric. 1. Phyſ. cap. 9. q. 8. art. 2. §. *Ad tertium.* Probatur, quia hæc prioritas ſufficit, vt materia poſſit præbere ſuum concurſum paſſiuũ, recipiendo actionem agentis; talis enim prioritas ſufficit ad veram rationem cauſæ, vt dixi diſp. 21. ſect. 4. §. *Prima concluſio.* Declaratur exemplo vermis, qui aliquandò generatur in ſpeciebus ſacramentalibus, ad cuius generationem non præceſſit ſubiectum, ſeu materia, in aliquo tempore, ſiquidem non dabatur vlla ſubſtantia panis præexiſtens, ſed in eodẽ inſtanti, in quo generatur vermis, præexiſtit materia prioritate naturæ.

Soarius. Fonſeca. Vaſquez. Patres Conimbr.

7 Atque ex dictis facilè colligitur, omnes formas ſubſtantiales elementares, etiam in prima mundi productione, non fuiſſe propriè creatas, ſed eductas de potentia materiæ; vt expreſſit Soar. in Met. diſp. 15. ſect. 3. num. 7. Vaſq. 1. p. tom. 2. diſp. 174. cap. 4. n. 18. Rhodenſ. lib. 1. Phyſ. tract. 2. de Forma. q. 2. n. 13. Probatur, quia cùm huiuſmodi formæ ſeparabiles ſint, & corruptibiles, pendent à materia in fieri, & in cõſeruari: ergo fuére eductæ; ad quam eductionem ſufficit, quód materia præceſſerit prioritate naturæ.

Formæ elementorũ fuerũt eductæ. Soarius Vaſq. Rhodenſ.

8 Obijcis pro contraria ſententia, (quam abſolutè ſequuntur Conimbr. lib. 1. Phyſ. cap. 9. q. 12. ar. 5. §. *Propoſita concluſio.* In quam etiam inclinat Mol. 1. p. q. 45. art. 1. §. *Corpora ſimpliciter.* idem tenet Curſus Thomiſt. in Phyſ. q. 4 de Forma, art. 2.] In prima rerum molitione non præceſſit priuatio in materia, reſpectu formarum elementorum: ergo formæ elementares non fuére eductæ ſed concreatæ. Probatur antecedens, quia nullum præceſſit inſtans, in quo eſſet materia ſine forma elementari; neque in eodem inſtanti potuit eſſe forma elementaris cum eius priuatione: Conſequentia rectè infert, quia non datur eductio, vbi non datur priuatio. Reſpondetur, ad veram eductionem ſufficere, quód ſicut materia præcedit prioritate naturæ, ità priuatio præcedat in eádem prioritate negatiuè, non verò poſitiuè; ſeu [vt explicat Soar.] ſufficit; quòd illa materia in prioritate naturæ, ita fuerit diſpoſita, vt, ſi non introduceretur forma; daretur priuatio.

Curſus Conimbr. Molina. Curſus Thomiſt.

9 Vbi notandum eſt obiter, neque formas cæleſtes; neque elementares in prima mundi creatione fuiſſe propriè generatas, quamuis propriè fuerint eductæ, quia ad generationem requiritur poſitiuè priuatio præexiſtens in materia ſub alia forma, generatio enim eſt actio tranſiens ab vna forma in aliam; at veró, in prima rerum productione, nulla præceſſit forma in materia: vndé priuatio poſitiua ſolùm eſt principium naturale ad veram generationem, non verò ad eductionem, ad quam ſufficit dependentia à materia in fieri, & in conſeruari, ita aduertit Rub. lib. 1. Phyſ. tract. 2. q. 2. à num. 18. §. *Probatur.*

Generatio differt ab eductioné. Rubius.

Quid dicendum ſit de formis cæleſtibus?

10 QVinta concluſio. Formæ cæleſtes (de quibus maior eſt dubitatio) non fuére creatæ, ſed eductæ: ita videtur ſentire D.Thom. 1. p. q. 90. art. 2. ſupponit Vaſq. 1. p. tom. 2. ad q. 45. art.

D.Thom. Vaſquez.

Digitized by Google

art.4 diſp.174. cap.4. n.18. §. *Si loquamur*: vbi abſolutè docet, omnes formas (præter rationalem) eductas fuiſſe de potentia materiæ. *Rubius.* Eandem concluſionem expreſsè tenent Rub. *Hurtad.* lib.1. Phyſ, tract.2. q. 2. n.13. Hurt. in Phyſ. diſp.4. ſect. 1. à n.12. Probatur, quia, vt diximus in hac ſect. ad veram eductionem ſufficit, vt terminus productus pendeat naturaliter à materia in fieri, & in conſeruari, ſed ita ſe habent formæ cæleſtes (vt omnes concedunt): ergo fuére eductæ, non creatæ, quia creatio eſt actio ex nullo præſuppoſito ſubiecto, ac proinde requirit omnimodam de- *Vaſquez.* pendentiam à ſubiecto, vt latè probat Vaſq. tom.2. in 1.p. ad q.45. diſp. 172. contra Vuicleph. Quód veró formæ cæleſtes dependeát á materia ſatis conſtat. cùm enim modó pendeant in ſuo eſſe, ſimiliter concedunt pendere in fieri; quod verum eſt, licet priuatio nō præceſſerit primò poſitiué, ſatis enim eſt, quód præceſſerit in materia cum ſola prioritate naturæ, vt concedit Soar. circa eductiones formarum elementarium.

11 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet, formas cæleſtes fuiſſe concreatas, quā *Soar.* ſequuntur Soar in Metap cap 2. diſp.13. ſect. *Fonſeca.* 14. n.15. & de opere ſex dierum lib. 1. cap.3. *Patres* à n.5. Fonſ. 5. Met. cap.2. q.4. ſect.2. §. *Exclu-* *Conimbr.* *ditur*. Conimbr. 1. Phyſ. cap. 9 q.12. art.5. §. *Curſus* *Propoſita concluſio*. item Curſus Thomiſticus *Thomiſt.* ſupra citatus. Obijcis, inquam, primò. Actio illa, per quam producti ſunt cæli eſt indiuiſibilis, & inſeparabilis: ergo fuit creatio, & non eductio, etiam quatenus tendit ad formam. Probatur antecedens, Cælum eſt incorruptibile, ſeu inſeparabile: ergo poſtulat fieri, per actionem inſeparabilem, alioqui, ſi materia præſuppoſita eſt per aliam actionem ſeparatim creata, & deinde forma educitur, iam aliquando fuit materia cæli ſeparata, vel ſaltem erit ſeparabilis, proindeque cæli erunt corruptibiles.

12 Ad hoc argumentum imprimis reſpondetur, quód, licet cælum ſit inſeparabile, non ideò neceſſe eſt, quód fiat per actionem indiuiſibilem, & inſeparabilem, poteſt enim cælum eſſe incorruptibile, ex eo quòd materia cæli habeat limitatam virtutem ad vnam tantùm formam, quamuis aliunde fiat per actionem diuiſibilem, & ſeparabilem; quod ſic probo ad hominem; magis enim inſeparabilis eſt ſubſiſtentia à natura, quam formaà materia cæli, vt videbimus, & tamen in ſenten- *Soarius.* tia Soar. tom.1. in 3.p. diſp.8. ſect.1. §. *Sed nihilominù*, ſubſiſtentia, & natura productæ ſunt per diuerſas actiones, quarū vna eſt eductio, alia verò, quæ tendit ad naturam, poteſt eſſe creatio: ergo &c.

13 Neque ſufficit prioritas naturæ in materia, vt dicatur aliquando fuiſſe ſine forma cæli; licet ſufficiat hæc prioritas ad veram eductionem; vtrumque patet ex dictis; cùm igitur forma cæli verè pendeat à materia in fieri, & in conſeruari, nec poſſit naturaliter exiſtere ſine materia, verè dicetur educi. Datur ergo in productione cæli duplex actio partialis, prima terminatur ad materiam; & eſt creatio: ſecunda terminatur ad formam, & eſt eductio, & ex hac duplici actione partiali conſurgit vna totalis, ſicut ex materia, & forma conſurgit ipſum compoſitum cæli; quamuis autem illæ duæ actiones diuiſibiles ſint, non ſequitur, quòd in aliquo inſtanti diuiſæ fuerint, ſed vt dicantur diuiſibiles, & ſeparabiles, ſatis eſt, quòd materia cæli poſſit, ſaltem diuinitus, diuidi à forma cæli. quod nemo negabit, ſiquidem realiter diſtinguuntur; & prætereà ſufficit, quòd materia præſupponatur creata prioritate naturæ. Additur, quòd actiones ſpecificentur per terminos: ergo cùm termini, nempe materia, & forma ſint diuiſibiles, ſaltem diuinitus actio erit diuiſibilis.

14 Inſtas. Quantitas habet partes realiter ſeparabiles; & tamen fit per eandem indiuiſibilem actionem (vt eſt communis ſententia, ne dicamus in productione vnius quātitatis dari infinitas actiones, ſicut dātur propè infinitæ partes quantitatis) ergo etiam materia, & forma cæli producentur eâdem indiuiſibili actione, quamuis ſint diuinitus ſeparabiles. Reſpondetur retorquendo argumentum, nam ſi partes quantitatis realiter ſeparabiles fieri poſſunt eâdem indiuiſibili actione, etiam partes cæli indiuiſibiles, ſeu inſeparabiles fieri poſſunt eâdem actione diuiſibili. Deinde aſſigno maiorem rationem, quia videlicet omnes partes quantitatis (ſecundùm certam ſententiam) ſunt eiuſdem rationis, & propterea efficiunt vnam ſimplicem entitatem, ideſt, cōſtantem eiſdem partibus, & ideò fiunt eâdem actione: materia verò, & forma ſunt diuerſæ rationis, & ideó efficiunt vnam entitatem, non ſimplicem, ſed compoſitam, ideoque actiones ſunt diuerſæ, vnde eſt quòd ſæpe forma, pereunte materia, perſeuerat.

15 Obijcis ſecundó. Forma non poteſt introduci ſine diſpoſitionibus antecedentibus; ſed materia in prioritate naturæ non potuit habere diſpoſitiones ad formam cæli: ergo hæc non fuit educta. Hoc argumentum meritò dicitur impertinens à Soar. in Metap. *Soarius.* diſp. 15. ſect.3. n.4. nam in prima rerum molitione, cùm nulla præceſſerit forma in materia, neceſſariæ non erant antecedentes diſpoſitio-

ſitiones, vt formam expellerent, & materiam præpararent ad formam ſequentem; ſed immediatè à primo agente determinata fuit materia, ad talem formam recipiendam, ſine vllis antecedentibus diſpoſitionibus, & ſimul educta fuit forma de potentia materiæ: vnde illæ præuiæ diſpoſitiones ſolùm neceſſariæ ſunt ad generationem, quæ, ſecundùm Philoſophum, *eſt tranſitus ab vna forma in aliam*; &, vt ſupra dixi, latiùs patet eductio, quàm generatio.

16 Neque huic ſententiæ obſtat, quód cælum dicatur creatum à Deo. Geneſis 1. quia creatio ſumitur ibi ſecundùm vniuerſalē acceptionē, & non propriè pro productione ex nihilo, nam etiam terra dicitur ibidem creata, cuius tamen productio, neque à Soar. dicitur creatio, ſolùm enim intendit Diuinus Hiſtoricus oſtendere totam mundi machinam ex ſola potentia agentis fuiſſe productam. *Geneſ.* 1.

17 Meritò tamen rogas, ſi materia cæli fuit creata, & ſola forma educta, quare cælum ſimpliciter dicatur á nobis eductum, non verò creatum? Solutio huius quæſtionis patebit ex ſequenti ſectione.

SECTIO II.

Vtrùm compoſitum poßit creari, & anima rationalis educi?

Reſolutio eſt negatiua. *Vaſq.*

1 **P**Rima concluſio. Probabilius exiſtimo; nullum compoſitū phyſicum creari poſſe, etiam de potentia Dei abſoluta. Ita multi Recentiores cū Vaſq. 1. p. tom. 2. ad q. 45. diſp. 174. cap. 4. n. 16. & 17. Probatur, quia creatio eſt ex nullo præſuppoſito ſubiecto, & nullam admittit dependentiam in fieri, & conſeruari; ſed in compoſito datur aliqua dependentia: ergo creari non poteſt. Maior, vt certa ſupponitur; Conſequētia rectè infert. Probatur minor, quia vnio, quæ eſt de formali conceptu compoſiti, dependet eſſentialiter à partibus vnitis: ergo licet materia, & forma creentur (vt contingit in compoſito humano) nihilominùs non dicetur creari cōpoſitum, ſed educi, ex eo quòd vnio, quæ eſt forma totius educatur; & deinde quia creatio reijcit omnimodam dependentiam. Ac tandem quia malum ex quocumque defectu, vnde homo ſimpliciter dicitur corporeus, quamuis anima ſpiritualis ſit; imò & homo dicitur ſimpliciter generari, nō aliunde, niſi quia vnio educitur; ſeu generatur

2 Obijcis pro contraria ſententia, quæ etiam probabilis eſt, & defenditur ab aliquibus Recentioribus, inter quos eſt Hurtad. in Phyſ. diſp. 6. ſect. 4. in qua licet acriter pugnet pro noſtra ſententia, ſi quæſtio procedat naturaliter, tandem num. 35. ſi quæſtio diuinitus procedat, dubium ſe oſtēdit, in quam partem potiùs inclinet, deliberat veró diuinitus poſſe creari compoſitum. & pro ſe affert Soariū, dum aſſerit, cælos vnica actione fuiſſe creatos. Obijcis, inquam, primó. Materia prima, immò & quātitas habent ſuas partiales vniones, quibus earum partes inter ſe vniuntur; & tamē materia prima ſimpliciter dicitur creari à Deo, & quantitas dicitur poſſe creari: ergo ſimiliter compoſitum dicetur creari, quātumuis vnio non poſſit creari. *Hurtad.*

3 Hoc argumentum (vt inquit P. Hurt. cit. n. 31.) multos malé vexauit, & pro eius ſolutione non reſponſurum ciet, implorátque P. Vaſq. ego tamen pro vna ſolutione, quam exigit Hurt. triplicem repono, neque in illis fulciendis ita me macerabo, ſicut ipſe in ſua vnica ratione propugnanda. Ad argumētum igitur primó nego conſequentiam, & aſſignó triplicem maiorem rationem: prima eſt, vnio non datur propriè niſi inter partes diuerſæ rationis vt cernimus inter materiam, & formam; inter accidens, & ſubſtantiam; cùm igitur partes materiæ, & partes quantitatis ſint eiuſdem rationis, non dicentur propriè vnitæ, ſed dicentur continuæ; vnde cùm inter partes materiæ non detur propria vnio, non dicetur materia generari, ſiquidem non datur propria dependentia; at veró in compoſito phyſico datur propria vnio, vt patet: ergo nō dicetur creari, ſed educi. *Soluitur argumētū in quo triumphat P. Hurtad.*

4 Reſpondeo ſecundó dando ſecundam maiorem rationem; quia compoſitum dicit de formali vnionem, (dicit enim materiam, & formam vnitas,) & hoc totum nō creatur, ſiquidem vnio educitur: at veró materia in ſuo conceptu formali non dicit illas vniones per ſe, ſed per accidens, ex eo quód eius partes cōtinuæ ſint. ex quibus ſequitur poſſe materiam in ſuo conceptu formali dici creatam, non poſſe tamen compoſitum.

5 Tertia maior ratio eſt, quia vnio inter partes integrales, materiæ, non pendet ab ipſis partibus tamquàm à ſubiecto, ſed tamquàm ab extremis, (nam vna pars non eſt ſubiectum, reſpectu alterius partis, ac proinde nec reſpectu vnionis illius partis dicitur propriè ſubiectum) quarè bene poterit materia creari, ſiquidem in materia nulla datur propriè dependentia à ſubiecto, quæ ſola tollit creationem, nam creatio eſt productio á nullo præſuppoſito ſubiecto: cùm igitur vnio inter

Digitized by Google

inter materiam,& formam ſemper dependeat tanquàm à ſubiecto nunquàm creabitur compoſitum phyſicum ex materia,& forma.

Cur Angelus dicatur creari à Deo, non veró cōpoſitum aliquod ex materia, & forma.

6 Obijcis ſecundò. Angelus creatur à Deo, & tamen eius ſubſiſtentia educitur de potentia ipſius Angeli, & ab eo depēdet tamquàm ex ſubiecto: ergo licet vnio dependeat in compoſito humano, nihilominùs totus homo dicetur creari, ſicut totus Angelus dicitur creatus. Hoc argumentum vellem ego, vt ſolueret Pat. Hurt. Reſpondeo tamen Angelum ſimpliciter dici creatum, quia tota eius natura creatur, ſubſiſtentia verò eſt tantùm terminus, & non pertinet per ſe ad compoſitionem naturæ, ac proinde non debet tribuere Angelo talem denominationem; attamen vnio, cùm pertineat ad eſſentiam compoſiti, immò ſit forma compoſiti, meritò denominat totum compoſitum.

7 Poteſt etiam reſponderi Angelum creari, quia ſubſiſtentia non producitur à Deo, ſed deinde emanat à natura Angeli: cùm igitur in actione diuina, per quam Angelus creatur, nulla detur dependentia, verè dicitur creari Angelus: at veró nunquàm totum cōpoſitum poteſt creari, ſiquidem in ratione formali compoſiti inuenitur vnio. Quæ reſponſio certa videtur in opinione eorum, qui aſſerunt, ſubſiſtentiam non prouenire ab externo agente, nam in opinione illorum, qui aſſerunt ſubſiſtentiam Angeli produci ab ipſó Deo, difficilius eſt argumentum, ſiquidem diuina actio, prout tendit ad ſubſiſtentiam non reijcit omnimodam independentiam, ſed tunc recurrendum eſt ad primam ſolutionem, dicendumque ſufficere, vt Angelus dicatur creari, quòd tota eius natura creetur.

8 Obijcis tertiò. Materia, & forma creãtur in compoſito phyſico: deinde vnio poteſt diuinitus creari: ergo compoſitum creari poteſt. Probatur antecedens, quoàd vnionē, quia vnio non eſt immediata dependentia, ſed producitur per actionem: ergo ſicut forma equi poteſt creari, quia non dependet immediatè, ita vnio creari poterit, ſiquidem nō eſt immediata dependentia. Propter hoc argumentum ſibi perſuaſit P. Hurtad. in Phyſ. diſp 12. n.49. ſect. 6. compoſitum ſaltem diuinitus, creari poſſe, & procedit cohærenter in ſua opinione, exiſtimat enim, vnionem nō eſſe cauſalitatem, neque immediatam dependentiam; quia tamen oppoſitum nobis eſt probabilius, vt videbimus lib. 2. propterea abſolutè dicimus, compoſitum creari non poſſe, quia vnio eſt immediata depēdentia in facto eſſe, & ideò nunquàm poteſt creari. Ex hac reſolutione tandem patet, quarè cælum potiùs dicatur eductum, quàm creatum.

Hurtad.

Anima nec diuinitus poteſt educi.

9 *Secunda concluſio.* Anima rationalis nec diuinitus educi poteſt de potentia materiæ. Hæc concluſio certiſſima eſt, & præter auctoritatem Conciliorum, & Patrum, multi ex Scholaſticis eandem concluſionem tradidere. Probatio tamen, & impugnatio huius concluſionis quærenda eſt in lib. de Anima diſp.86. ſect.1. à num.4. vbi commodiorem locum nanciſcetur.

SECTIO III.

Quid ſit, & vnde educatur forma accidentalis?

1 PRima concluſio. Forma accidentalis eſt quodlibet accidens, quod ſuo modo, ideſt, accidentaliter, ſubiectū informat: ita communis ſententia. Hæc forma, vel eſt ſupernaturalis, vt gratia; vel eſt naturalis realis, vt quantitas, vel eſt intentionalis, vt ſpecies, vel eſt artificialis, ideſt, illa, quæ per artem inducitur, vt eſt forma domus, vel ſtatuæ: Concluſio patet ex terminis.

2 *Secunda concluſio.* Omnia accidentia naturalia, quæ producuntur per actionem diſtinctam à ſubiecto, qualia ſunt v.g. calor, & frigus, educuntur de potentia naturali ſubiecti. Hæc concluſio communis eſt, & certa. Probatur, quia educi de potentia materiæ, ſeu ſubiecti, nihil eſt aliud, quàm pendere ab ipſa materia in fieri, & conſeruari, tamquàm ab eo, quod ſubditur actioni agentis (per quā actionem producitur forma, quam ſimul cū actione recipit in ſe ſubiectum) ſed ſubiectū, ſeu materia prima, vel ſecūda ſubditur actioni agentis naturalis, vt v. g. lignum ſubditur igni, & ſimul cum actione agentis, ideſt, calefactione recipit calorem: ergo calor dicetur educi de potentia ſubiecti; & ſimiliter omnes formæ naturales. Cauſalitas verò ſubiecti erit ſuſtentatio accidentium, quæ ex parte accidentium realium eſt vera inhærentia; ex parte verò accidentium modalium eſt inhærentia negatiua, quia non per aliud, ſed ſe ipſis inhærent.

3 Dixi in concluſione, *Accidentia, quæ producuntur per actionem diſtinctam à ſubiecto*, quia quæſtio eſt, vtrùm accidentia, quæ non fiunt per propriam actionem diſtinctam, ſed per emanationem (qualia ſunt potentiæ, & paſſiones) dicantur propriè educi? Cùm enim propriam actionem non vendicent, non videntur propriè fieri, ſeu educi; aliunde cùm hæ proprietates phyſicæ realiter diſtinguãtur à ſub-

Digitized by Google

à ſubiecto, dici poterũt fieri per veram eductionem, quia reuera pendent à ſubiectis in fieri, & conſeruari: de hoc puncto ago in lib. de Anim. diſp. 79. ſect. 1.

4 *Tertia concluſio.* Formæ intentionales (quales ſunt ſpecies, quas in aere, vel in oculo producunt color, & lux; & ſpecies omnes ſenſibiles productæ ab obiectis) educuntur de potentia ſubiectorum, in quibus recipiuntur: ita Richard. in 2. diſt. 13. art. 2. q. 1. Soar. in Metap. diſp. 16. ſec. 2. à num. 6. Rub. lib. 1. Phyſ. trac. 2 quæſt. 3. num. 28. §. *Secunda opinio.* Probatur, quia nihil aliud eſt formam educi de potentia ſubiecti, quàm pendere in fieri, & in conſeruari à ſubiectis, in quibus recipiuntur, quia nec poſſunt fieri, neque eſſe extra talia ſubiecta; ergo &c. Neque ad veram eductionem neceſſe eſt, vt ſubiectum mutetur per phyſicam mutationem, ſed ſatis eſt quòd intentionaliter mutetur, vt latiùs proſequitur Soarius citatus.

Richard. Soarius. Rubius.

6 *Quarta concluſio.* Formæ accidentales ſupernaturales, vt v. g. lumen Gloriæ, Gratia, Fides, &c. educuntur de potentia obedientiali ſubiecti, quapropter non creantur. Ita cum D. Thom. Soar. in Metaph. diſp. 16. ſect. 2. à n. 9. Vaſq. tom. 2. in 1. p. ad q. 45. art. 4. diſput. 174. cap. 2. num. 10. 4. 5. &c. Mol. 1. p. q. 45. art. 1. §. *Denique quidquid*, & alij. Probatur, quia etiam tales formæ pendent ab anima v. g. in fieri, & conſeruari: ergo non creantur, ſed educuntur, non quidem de potentia naturali, ſed de potentia obedientiali ſubiecti. Probatur conſequentia, quia creatio pugnat cum dependentia in fieri, & in conſeruari. Neque audiendi ſunt PP. Conimbr. lib. 1. Phyſ. cap. 9. q. 12. art. 5. §. *Porrò* qui negant formas ſupernaturales educi de potentia ſubiectorum, requirunt enim ad veram eductionem potentiam paſſiuam naturalem; ſufficit tamen potentia obedientialis, vt conſtat. ſiquidem cum illa ſtat vera dependentia in fieri, & conſeruari.

Formæ i. è accidentales ſupernaturales educũtur à ſubiectis. D. Thom. Soarius. Vaſq. Molin. Patres Conimbr.

6 *Quinta concluſio.* Formæ artificiales educuntur de potentia ſubiecti. Hæc concluſio bene ſequitur ex dictis, pro ea videatur Rubius lib. 1. Phyſ. trac. 2. quæſt. 5. num. 30. Probatur, quia formæ artificiales dependent in fieri, & in conſeruari à potentia obedientiali paſſiua ſubiecti, cùm extra ſubiectum nec eſſe, nec fieri poſſint: ergo educuntur; alioquì crearentur, fierentque proinde ex nullo præſuppoſito ſubiecto, quod tamen eſt abſurdum, nam ſolus Deus creare poteſt, at verò in ligno, quod erat olim arbus, nunc artificis manus, ære decoro, ſceptri formam incluſit. Contrarium tamen opinantur Patres Conimbric. cap. 9. quæſt. 12. art. 5. §. *Porrò*, & art. 7. §. *Argumenta*: exiſtimant enim non dari veras actiones circa formas artificiales, ſed prodire per certos motus locales. Dicendum tamen eſt præter hos motus locales, dari propriam actionem ad formam artificialem, ſicut in generatione, præter motum localem, & indiſtantiam, datur vera actio.

Rubius. Patres Conimbr.

SECTIO IIII.

Quo pacto ſubiectentur in materia formæ accidentales?

1 PRima concluſio. Quantitas immediatè inhæret in materia, vt in ſubiecto ſuſtentationis. Ita D. Tho. in 1 diſt. 8. q. 5 art. 2 ad 4. Soar. in Met. diſp. 14. ſect. 3. n. 15. Fonſ. 8. Met. cap. 1 q 1 ſec 4. à §. *Tertia ſententia*, Hurt. in Phyſ. diſp. 6. ſec. 6. n. 42. Conimbr. 1. de Generat. cap 4. q. 4. art. 1. concl. 4. Arriaga in Phyſica diſp 5. à n. 19. Probatur, quia materia habet ſuam exiſtentiam, & ſubſiſtentiam, quibus poteſt eſſe cauſa materialis quantitatis. Additur quòd quãtitas multùm eſt ſimilis materiæ, eſt enim receptiua, neque eſt actiua. Confirmatur, quia in compoſito humano quantitas ſubiectatur immediatè in materia, neque enim ſubiectari poteſt in anima rationali, cùm non ſit capax effectus formalis quantitatis. Cùm igitur quantitas eodem modo videatur eſſe in homine, & in reliquis compoſitis materialibus, dicendum abſolutè eſt non in forma, ſed in materia ſubiectari. Confirmatur tandem, quia, pereunte forma, manent eadem accidentia, vt oſtendo in lib. de Gener. diſp. 71. ſec. 4.

Quãtitas immediatè eſt in materia. D. Thom. Soarius. Fonſeca. Patres Conimbr. Arriaga.

2 Obijcies. In myſterio Incarnationis materia etiam vnita eſt Verbo, quod eſt maximè ſpirituale: ergo à fortiori poterit quantitas corporea vniri animæ rationali, quæ nõ eſt adeò ſpiritualis, ſiquidem habet gradus vegetatiuos. Reſpondeo, negando conſequẽtiam, quia nobis ſermo eſt de vnione naturali, ſecundùm quam, non poteſt quantitas, quæ eſt omnino materialis, vniri animæ, quæ quãuis habeat gradum vegetatiuum; eſt tamen ſpiritualis: Illa verò vnio humanitatis ad Verbum fuit ſupernaturalis, & miraculoſa.

3 Quamuis tamen materia ſit immediatum ſubiectum quantitatis, totum compoſitũ dicetur ſubiectum, quod, & denominationis, ſicut

Digitized by Google

ſicut licet hominis anima ſolùm intelligat, ſimpliciter tamen totus homo dicitur intelligere.

4 *Secunda concluſio*. Qualitates materiales, ideſt, illæ, quæ ſunt diſpoſitiones antecedentes formam ſubſtantialem, vel accidentalem, vt v. g. calor, & ſiccitas, quæ antecedunt formam ignis in ligno, & deinde colores omnes, immediatè ſubiectantur in quantitate: Ita Soar. in Metaph. diſput. 14. ſect. 4 à num. 7. Conimbricenſ. 1. de Gener. cap. 4. quæſt. 4. art. 2. Probatur hæc concluſio in accidentibus ſacræ Euchariſtiæ, quæ ſunt extra ſubiectum ſubſtantiale, & propterea in quantitate ſubiectantur, in qua manent connaturaliter vnita, & extenſa, quin mutent ſuam inhærentiam, quod non tollit quominùs hæc accidentia denominent materiam, immò, & totum, vt ſubiectum, *quod*. Neque obſtat, quòd quantitas ſit forma, nam id quod eſt forma, reſpectu vnius, poteſt ſe habere veluti materia, ſeu veluti ſubiectum, reſpectu alterius, vt patet in intellectu, qui eſt forma reſpectu animæ, & eſt ſubiectum reſpectu ſuorum actuum; materia verò nunquàm erit forma, quia cùm ſit primum ſubiectum, nullum aliud habet ſubiectum prius ſe ipſa, quod poſſit informare. Confirmatur concluſio, quia albedo, in ſuperficie extenditur, vt experientia docet, ſed ſuperficies eſt quantitas: ergo &c.

Soarius. Curſus Conimbr.

5 *Tertia concluſio*. Potentiæ vitales corporeæ, quamuis immediatè emanent ab anima, immediaté tamen recipiuntur in quãtitate. Hæc etiam concluſio facilè colligitur ex præcedenti; quia cùm potentiæ corporeæ ſint extenſæ propter quantitatem, in quantitate immediaté recipientur, hoc enim poſtulat ordo naturalis rerum, vt ſicut ſubſtantia operatur, medijs accidentibus, ſic etiam aliqua, alijs mediantibus recipiat. Neque hinc ſequitur, ſeparata quantitate à ſubiecto, remanſuras tales potentias in quantitate ſeparata, ſicut remanet albedo; quia potentiæ vitales pendent à forma ſubſtantiali in fieri, & conſeruari; vita enim accidentalis, qualis eſt potentia, dari nequit ſine vita eſſentiali, qualis eſt anima. Neque præterea hinc ſequitur, quód potentiæ vitales communicent quantitati ſuam vitalitatem, quia quantitas non eſt capax vitalitatis: ſolùm enim communicant vitalitatem ſubiecto, *quod*, quapropter quantitas ſolùm dicetur qualificata, non veró cognoſcens.

6 Tandem non ſequitur ex hac concluſione, actus omnium potentiarum recipi in ipſa quantitate, quia cùm aliqui ſint eſſentialiter immanentes, recipiuntur immediatè in potentijs. Idem etiam dicendum eſt, in ſpeciebus, & habitibus, quia, cùm ſint inſtrumenta data ab ipſa natura ad adiuuandas potentias, in ipſis debent reſidére, vt videre licet apud Soar. Metaph. diſput. 14. ſect. 4. num. 7. poſt medium. Vt tamen actus talium potentiarum dicantur eſſentialiter immanentes, neceſſarium non eſt, vt recipiantur in omni principio, á quo adæquatè egrediuntur, ſed ſatis eſt recipi in ſola potentia. Vnde actus ſupernaturales ſolúm recipiuntur in potentijs, non veró in habitibus ſupernaturalibus, vt eſt communis ſententia.

Soar.

7 *Quarta concluſio*. Omnes modi tam ſubſtantiales, quàm accidentales pendent à ſubiectis tamquàm à cauſis materialibus. Hæc concluſio euidentior eſt, quàm præcedentes, quia modi ſunt minimæ entitatis: ergo ſi formæ ſubſtantiales, & accidentales reales pendent à materia, ſeu á ſubiecto, á fortiori pendebunt modi, qui ſuo modo ſunt formæ; quamuis enim ſolæ realitates proprié fiant in materia per generationem paſſiuam, & conſeruentur in facto eſſe, per veram vnionem, vel per veram inhærentiam: nihilominùs tamen modi fiunt per emanationem, quæ eſt quaſi actio, quamuis in facto eſſe nullam habeât vnionem, modi enim ſunt immediatæ dependentiæ. Limitatur tamen cõcluſio in actione creatiua, quæ propriè non habet ſubiectum inhæſionis, ſeu quaſi inhæſionis, vt ſuo loco ſtatuetur.

8 *Quinta concluſio*. Non repugnat, aliquem modum eſſe ſubiectum alterius modi. Probatur, quia actiones, ſeu emanationes productiuæ modorum identificantur in modis, quos producunt, ergo ſimiliter ſubiectari poſſunt in alijs modis, nam vnio, quæ datur inter partiales ſubſiſtentias in illis ſubiectatur; patet præterea concluſio in relationibus, quæ ſubiectari poſſunt in aliquibus modis, qui habent relationes reales (ſuppono relationes eſſe modos in probabili ſententia). Dantur verò aliqui modi, qui nequeunt in alijs ſubiectari, vt, v. g. vna actio in alia actione, vna relatio in alia relatione; (vt aliqui cõtendunt) vel item vnum Vbi non poteſt eſſe ſubiectum relationis ad aliud Vbi, quia in his omnibus ſequitur proceſſus in infinitum, vt videbimus in prædicamento Actionis, & Relationis.

(.?.)

SEC-

Digitized by Google

SECTIO V.

Vtrùm forma accidentalis corporea poſſit à Deo poni in ſubiecto ſpirituali, vel è contra?

Reſolutio eſt affirmatiua. 1 SIt *concluſio.* Probabilius exiſtimo, accidentia corporea realia, & realiter diſtincta (id eſt illa, quæ à ſuis ſubiectis ſeparari poſſunt) diuinitus poſſe poni in ſubiecto ſpirituali; vel etiam accidentia ſpiritualia poſſe ſubiectari in ſubiecto corporeo: In hanc ſententiam inclinant *Patres Conimbr.* Conimbr. in Logica cap. 7. de Relatione, q. 1. art. 1. §. *Propter hæc,* quatenus admittunt gratiam poſitam in creatura irrationali non reddere illam gratam, ſicut relatio in communi non facit ſubiectum relatum, ſed habens relationem. Eandem ſententiam expreſsè tenent lib. de Gener. cap. 4. quæſt. 5. art 2. §. *Secunda concluſio*: quamuis §. *Tertia concluſio*, immeritò quantitatem excipiant. Præterea id *D. Thom.* ſentit D. Thom. 3. p. quæſt. 62. art. 4. ad 1. *Ægyd.* AEgytanenſ. de Beat. tom. 2. lib. 10. quæſt. *Capreol.* 2. art. 15. §. *quinto.* num 93. vbi citat Capreol. *Caiet.* Caietan. Ferrar. Soncin. Hiſpal. Viguerium. *Ferrar.* Idem etiam ſentit Hurtad. de Anima, diſp. *Soncin.* 6. ſect. 4. num. 35. vbi aſſerit actus vitales in- *Hiſpal.* tellectus poſſe poni in lapide. & num. 37. *Viguer.* oppoſitum fundamentum leue appellat. Pro *Hurtad.* eâdem ſententia citari poteſt Albertinus *Albertin.* tom 1. in 2. Corollar. ex ſecundo principio *Arriaga.* philoſophico num. 8. item Arriaga mox citandus.

2 Probatur, quia nulla datur implicatio: ergo diuinitus fieri poteſt. Probatur antecedens, quia Deus poteſt ponere quantitatem, vel albedinem in indiuiſibili: ergo poterit eam ponere indiuiſibiliter in Angelo. Antecedens eſt certum; probatur conſequentia, non enim repugnat ex eo quòd albedo ſit corporea, Angelus verò ſpiritualis, nam materia corporalis eſt, & anima rationalis ſpiritualis, & tamen vniuntur; & ſimiliter humanitas Chriſti Domini, quamuis corporea ſit, vnitur Verbo Diuino, quod eſt maximè ſpirituale. Neque obſtat, quòd anima rationalis non dependeat à corpore in fieri, & in conſeruari, ſicut illud accidens pendere debebat à ſubiecto ſpirituali, nam ideò anima non pendet, quia eſt ſubſtantia perfectè per ſe exiſtens, ex eius tamen vnione ad corpus bene infertur poſſibilem eſſe vnionem accidentis corporei ad ſubiectum ſpirituale, quamuis hæc vnio dependentia ſit, ſiquidem eſt vnio accidentis, quod connaturaliter poſtulat dependentiam. Hæc ſententia magis confirmabitur ex ſolutione argumentorum.

3 Immò exiſtimat Arriaga de Anima, diſput. 1. ſect. 2. accidentia corporea de facto ſubiectari in anima ſpirituali, quatenus immediatè recipit actus vitales materiales vegetandi, & ſentiendi, quod non reputat inconueniens, nam ſicut ſenſatio recipitur in quantitate, quin reddat quantitatem ſentientem, ita poteſt recipi in anima, quin illam reddat extenſam, ſiquidem anima non eſt capax talis extenſionis: exemplum hoc mihi placet, quod verò attinet ad immediatam receptionem actuũ vitalium in anima, reſoluo in lib. de Anima, diſp. 80. ſect. 4. n. 7. *Arriaga.*

4 Obijcis pro contraria ſententia, quæ probabilis eſt, & defenditur à Durand. in 4. diſt. 1. quæſt. 4. Soar. de Pænit. tom. 4. in 3. p. diſp. 46. ſect. 2. num. 18. Vbi agit quo pacto ignis materialis torqueat ſpiritus. Vaſq. 1. p. diſp. 40. cap. 2. num. 4. & diſp. 145. cap. 4. num. 17. & tom. 2. in 3. p. diſput. 131. cap. 3. n. 35. Valen. tom. 4. diſp. 3. q. 3. p. 1. fol. 560. §. *Sed reijcitur,* vbi citat Sotum, idem tenet Rub. lib. 1. Phyſ. cap. 10. q. vnica, num. 17. ad medium. Omnes hi Auctores ſupponunt hanc ſententiã, tamquàm certam; pro quibus ſic poteſt *Durand. Soarius. Vaſq. Valent. Sotus. Rubius.*

5 Obijci primò. Nihil aliud eſt effectus formalis accidentis, quam accidens per intimam inhærentiam in ſubiecto: ergo ſi accidens corporeum poteſt inhærere in ſubiecto ſpirituali, præſtabit ſuum effectum formalem: ſed Angelus non poteſt reddi albus per albedinem: ergo neque poterit albedinem ſuſtentare. Reſpondetur ad antecedens, nihil aliud eſſe effectum formalem, quàm accidens per intimam inhærentiam, in ſubiecto tamen apto ad talem effectum, quia effectus formalis non eſt ſola forma; ſed eſt forma cum vnione, in ſubiecto apto, & poſita connaturali modo, nemo enim negabit, poſſe albedinem indiuiſibiliter poni in ſubiecto corporeo. & tamen non præſtabit ſuum effectum formalem ſpecificum reddendo tale ſubiectum album: talis igitur albedo ſi diuinitus educeretur ab Angelo, redderet Angelum non quidem album, ſed habentem albedinem.

6 Obijcis ſecundò. Effectus formalis ſpecificus non diſtinguitur, niſi tantùm virtute, ab effectu formali generico: ergo ſi albedo non poteſt communicare Angelo effectum

fectum formalem ſpecificum, faciendo Angelum album, non poterit etiam communicare effectum formalem genericum; vel ſi præſtat hunc effectum, communicabit etiam ſpecificum, reddendo Angelum album, quod cùm ſit impoſſibile, impoſſibilis etiam eſt concluſio. Reſpondetur negando conſequentiam; quia, quamuis effectus formalis genericus ſolùm virtualiter diſtinguatur ab ſpecifico, bene poterit communicari, quin communicetur ſpecificus, quando videlicet ſubiectum ſolius effectus generici capax ſit: explicatur naturali exemplo, quia, vt dixi ſuperiori ſectione num. 5. naturaliter ſubiectantur potentiæ corporeæ vitales in quantitate, quin quantitas reddatur vitalis, ſed ſolùm habens gradum, ſeu potentiam vitalem: ergo ſi poteſt accidens vniri non communicando vnum effectum, poterit vniri non communicando alium; quod à fortiori ſequitur diuinitus.

7 Inſtas. Ens diſtinguitur virtualiter tantùm ab exiſtentia per ſe; ergo poterit inhærere ens, quin inhæreat exiſtentia per ſe, ſicut communicari poteſt vnus effectus formalis genericus, ſine alio ſpecifico. Reſpondetur negando conſequentiam; maior ratio eſt, quia, cùm inhærentia ſit cauſalitas, neceſſarió exercenda erat circa exiſtentiam ſubſtantiæ, quia cauſalitas exercetur in re exiſtente, ac proinde iam *exiſtentia per ſe* inhæreret, quod implicat; cùm verò de eſſentia accidentis non ſit communicare actualiter ſuum effectum formalem (vt patet in accidente extra ſubiectum) bene communicare poterit vnum effectum genericum, non communicato ſpecifico, quin perdat eſſentiam. Explicatur alio exemplo: nam Socrates habet gradum animalis, & hominis, qui virtualiter tantùm diſtinguuntur, & tamen aliquando cognoſcitur Socrates à longé ſecundùm gradum animalis tantùm; quamuis non poſſit cognoſci quà homo, quin cognoſcatur quà animal, & conſequenter dicimus non poſſe communicari effectum ſpecificum, quin communicetur genericus, quamuis communicari poſſit genericus ſine ſpecifico, & ratio diuerſitatis eſt, quia cùm gradus inferior neceſſarió includat ſuperiorem, eo ipſo quòd ſubiectum eſt capax gradus ſpecifici, eſt etiam neceſſarió capax gradus generici: é contrarió verò, cùm poſſit dari gradus ſuperior ſine inferiori, vt viuens quod non ſit rationale, ſic etiam bene poterit communicari effectus genericus, ſine ſpecifico, pro capacitate ſubiecti.

8 Obijcis tertiò. Subiectum ſpirituale eſt omnino improportionatum ad tale accidens corporeum: ergo non poteſt illud recipere, alioquì dicamus etiam in Deo poſſe poni accidentia. Reſpondetur diſtinguendo antecedens, eſt improportionatum ad recipiendum effectum ſpecificum talis accidentis, concedo antecedens: ad genericum, nego antecedens; nam cùm accidens corporeum, vel ſpirituale, ſit veré accidens, quà accidens eſt, proportionatè eſt in quolibet ſubiecto. Deus verò nullo modo poteſt recipere accidens, quia nullo modo poteſt mutari; mutatio verò facta in ſubiecto, eſt effectus genericus neceſſarió conſequens poſitionem, vel inhærentiam cuiuſque accidentis realis poſitiui in quouis ſubiecto. Neque verum eſt quòd requiratur omnimoda proportio inter formam recipiendam, & ſubiectum recipiens, nam anima quæ eſt ſubſtantia recipit, & cauſat accidentia, quæ non proportionantur cum ſubſtantia; & ſimiliter materia recipit formam ſpiritualem.

SECTIO VI.

De priuatione præcedente formam.

1 PRima concluſio. Priuatio eſt principium generationum naturalium; ita cum Ariſtotel lib. 1. Phyſic. tex. 57. omnis Schola Peripatetica, & videri poſſunt Conimbricenſ. lib. 1. in Phyſic. cap. 9. quæſt. 8. art. 2. Probatur, quia generatio eſt mutatio, ſed mutatio non poteſt intelligi ſine termino, à quo incipiat, & in quem deſinat (ſicut linea percipi non poteſt ſine puncto, ex quo incipiat, & in quem deſinat): ergo cùm priuatio ſit terminus à quo generationis, erit etiam principium, non quidem influens, & componens, ſicut cauſa materialis, aut formalis, ſed eſt principium tantùm à quo. Confirmatur, quia generatio non fit ex quocumque ſubiecto, ſed ex illo, quod eſt aptum ad recipiendam formam; quod ſubiectum, cùm nondum habeat formam, ſed aptum ſit habere illam, veré dicitur habere formæ priuationem. Ideó verò vnio, quamuis requiratur ad compoſitum, non eſt tamen principium generationis, quia non requiritur, tamquàm principium, ſed tamquàm modus, & tamquàm ratio formalis cauſandi, ſicut actio reſpectu cauſæ efficien-

Quomodo ſit principium. *Ariſtot.* *Patres.* *Conimbr.*

Cur vnio nó ſit principiú generationis?

Digitized by Google

cientis, non eſt cauſa, ſed eſt ipſamet cauſalitas.

2 *Secunda concluſio.* Priuatio, quamuis non ſit purum nihil, non eſt tamen aliqua entitas realis poſitiua. Hæc concluſio eſt de mente Philoſophi, quia Philoſophus numerat priuationem inter principia rerum naturalium, principium verò non eſt omnino nihil; vnde priuatio dicit realem aptitudinem in ſubiecto ad formam. Quòd verò non ſit aliquid reale poſitiuum, ſic probatur: Quia, ſublata quacumque forma poſitiua, adhuc ſubiectum cum priuatione cenſetur aptum ad habendam formam: ex quibus ſequitur, priuationem non eſſe aliquod ens rationis, vt bene colligit D. Thom. 3. Metaph. lib. 9. quæſt. 1. de Malo. art. 1. ad vltimum, quia priuatio eſt reale principium à quo generationis: ergo non dependet ab operatione intellectus: eſt igitur priuatio non aliquid reale poſitiuum, ſed reale negatiuum, & fundamentum, ſeu principium realis generationis, quod ſic definitur: *Priuatio eſt negatio formæ in ſubiecto apto, ad habendam talem formam.*

D.Thom.

Quid ſit priuatio.

3 *Tertia concluſio.* Priuatio ſuam habet vnitatem, & diſtinctionem, ratione formarum, quas reſpicit. Probatur, quia, cùm ſit negatio, nihil ex ſe habere poteſt, niſi ratione formarum, ad quas dicit habitudinem, vel proximam, quando dantur omnes conditiones requiſitæ, vel remotam, quando adhuc non dantur diſpoſitiones; quamquam hæc aptitudo remota ſuam maiorem habeat latitudinem, quia materia cæli habet priuationem valde remotam ad formas ſublunares, & ſimiliter materia ſublunaris habet aptitudinem valde remotam ad formas cæleſtes, quod verum eſt in noſtra opinione, quæ non diſtinguit ſpecificè has materias.

4 *Quarta concluſio.* Priuatio non diſtinguitur à materia, & forma poſitiuè, ſed diſtinguitur diſtinctione reali negatiua. Probatur prima pars, quia diſtinctio realis poſitiua ſolùm datur inter entia poſitiua, vt patet. Probatur ſecunda pars, & imprimis probo diſtingui realiter, nam ea, quæ ſunt entia realia, & vnum, poteſt realiter ſeperari ab alio, realiter diſtinguuntur; ſed materia eſt ens reale poſitiuum, priuatio eſt ens reale negatiuum, quod poteſt exiſtere ſeparatum, per aduentum nouæ formæ; ergo diſtinguuntur realiter; cùm verò diſtingui non poſſint realiter poſitiuè, bene tandem ſequitur diſtingui realiter negatiuè. Quòd autem diſtinguatur à forma, ſic probatur: Quia oppoſitio realis neceſſariò exerceri debet inter extrema realiter diſtincta, ſed inter formam, & priuationem verſatur oppoſitio priuatiua realis: ergo realiter diſtinguuntur. Confirmatur, quia forma realiter, & ante operationem intellectus, remouet priuationem à materia, & priuatio etiam ſuo modo remouet formam, ante operationem intellectus, ſiquidem cum illa dari nequit: ergo diſtinguuntur realiter negatiuè.



LIBER II.

DE NATVRA, ET RELIQVIS CAVSIS NATVRALIBVS.

DISPVTATIO XXIIII.

De Natura, & Arte.

DIſputauimus de rerum principijs in communi: age nunc naturas, quas Deus ipſe rebus omnibus addidit, expediam, & ſecretiora rerum arcana ſedulus veſtigabo; ne tamen ad occultos, ac cæcos Naturæ ſcopulos impingamus, facem non importunam, ac fallacem, ſicut Nauclius, ſed opportunam, & veracem ad tollet magnus Ariſtoteles, qui in hoc ſecundo libro agit de ipſo ente naturali, quod ex tribus illis principijs conſtat, materia, ſcilicet, forma, & priuatione: quaré vt conſtituat ens naturale, explicat in hoc primo capite, quid ſit Natura? illamque comparat cum Arte; ſunt veró tam multæ, tamqué variæ Naturæ acceptiones, vt non magis illas colligas, aut ordines, quàm Vates illa ſua folia,

Virgil. Æn. 3. *Quæ diſperſa volant rapidis ludibria ventis.*

Quæ veró potior Naturæ ſit acceptio, conſtabit ex ſequenti ſectione.

SECTIO I.

Proponuntur variæ Naturæ ſignificationes, eiuſque definitio explicatur.

1 MVltipliciter ſumitur Natura primó accipitur pro Deo rerũ omnium conditore, qui dicitur Natura increata, & Natura naturãs. Secundó ſumitur pro eſſentia, ſeu quidditate rei; vnde dicimus, definitionem explicare Naturam rei, hoc eſt, eſſentiam. Tertiò ponitur pro collectione omnium cauſarum ſecundarum; vnde dicimus, miraculum eſſe ſupra Naturam, ideſt, ſupra vires omnium cauſarum ſecundarum. Quartó ſumitur pro ſolis quatuor Cauſis naturalibus; vnde dicimus, Naturam nihil fruſtra moliri. Quintò, pro temperamento, ſeu complexione cuiuſque animantis, vnde communiter dicitur, *Natura eſt opifex, medicus veró miniſter.* Sextò, pro inclinatione, more, aut indole alicuius. Septimó, pro eo quod opponitur violento. Octauó, pro eo quod opponitur artificiali. Nonó, pro eo quod opponitur ſupernaturali. Decimò tandem ſumitur pro generatione viuentium, & eſt valdè propria acceptio, quia procedit ab etymologia eiuſdem nominis, dicitur enim Natura á naſcendo, ſeu Natura quaſi naſcitura, atque hoc poſito.

2 Definitur Natura ab Ariſtotele hîc, *Principium, & Cauſa motus, & quietis eius, in quo primò ac per ſe, & non ex accidente ineſt*, comprehẽdit definitio materiam, & formam, quæ ſunt principia entis naturalis, & cauſæ omnium generationum, ſeu omnium motuum. Dicitur Natura *principium, & cauſa*, vt excludatur priuatio, quæ quamuis ſit principium, non tamen eſt cauſa, qualis eſt materia, vel forma; eſt autem forma principium actiuum motus; materia veró, quamuis ſit principium paſſiuũ, dicitur tamen agere motum, quia in ſe recipit principium actiuum motus; ſicut aqua dicitur calefacere, per calorem in ſe receptum, ſeu per denominationem ab ipſo calore, aqua enim per ſe non calefacit. Nomen, *motus*, latè ſumendum eſt, pro quauis mutatione, ſiue in tempore facta, vt eſt accretio, & augmentatio, ſiue in inſtanti edita, vt eſt cognitio. *Quæ ſit definitio Naturæ, & quomodo ſit intelligenda.*

3 Per particulam, *in quo eſt*, excludendæ ſunt cauſæ externæ, vt forma ignis, reſpectu aquæ, quam calefacit, quia Natura eſt principium intrinſecum, ignis veró extrinſecus eſt aquæ. Similiter quando corpora grauia dicũtur moueri à progenitore, progenitor non eſt Natura, quia non eſt principium motus intrinſecum, quales ſunt materia, & forma. Per particulam, *per ſe primò, & non ex accidente*, reijciendæ ſunt cauſæ, quæ per accidens inſunt,

vt

vt ars pingendi in Socrate, qua ſe ipſum depinxit, quia ab alio talis picturæ motus poterat prouenire. Ita verò intelligenda eſt particula, *primò*, vt nihil priús inſit Naturæ, vnde reijciuntur qualitates aliquæ, vt eſt grauitas, reſpectu lapidis, & leuitas, ſi datur, reſpectu ignis; quæ licet motum cauſent, nihilominús tamen materia, & forma ſunt priora, & ab his principaliùs oritur motus; immò neque ipſe Socrates, aut eius humanitas propriè dicitur Natura, quia non Socrates primó, ſed eius partes, materia ſcilicet, & forma ſunt primò cauſæ motus.

Soluũtur contraria argumẽta

4 Obijcis primò contra definitionem Naturæ: Corpora cæleſtia conſtant materia, & forma, & ſunt verè corpora naturalia, & tamen aliqua (in communi opinione) nempe decem orbes, nunquàm quieſcunt, & deinde aliquod cælum, nempe Empyrium, nunquàm mouetur: ergo datur Natura, quæ non eſt principium motus, & quietis. Huic argumento reſpondent Conimbr. lib. 2. Phyſ. cap. 1. q. 2. art. 3. §. *Si tamen*; corpora cæleſtia habere ſaltem naturalem aptitudinem ad quietem, ſicut etiam cælum Empyrium, & terra habent aptitudinem ad motum, ſi Deus nimirum inuerterat ordinem rerum naturaliũ, quod ſatis eſt, vt etiam corpora cæleſtia dicantur eſſe principia motus, & quietis.

Conimbr.

5 Hæc ſolutio mihi placere non poteſt, quia motus eſt omnino proprius, & ab intrinſeco corporibus cæleſtibus, neq; illis poteſt cõpetere naturalis aptitudo ad quietem: quod ſic probatur, quia corpora ſublunaria mouentur ad acquirendum locum, vel aliam perfectionem: at veró corpora cæleſtia, neque mouentur ad acquirendum locum, neque ad obtinendam quietem, aut ad conſequendam aliquam perfectionem, cùm ſint perfectiſſima, ſed tantùm mouentur, propter commoditatẽ vniuerſi, cui fini nullo modo inſeruire poteſt quies, vnde corpora cæleſtia (excepto Empyrio) ſolùm habent principium motus circularis, cui aptior eſt figura circularis, quàm ad quietem; quarè meritò concludit P. Bened. Per. in Phyſ. lib. 7. cap. 9. ad finem, quietem nullo prorſus modo eſſe naturalem cælos (Hæc procedunt in communi opinione de orbibus cæleſtibus, quam tuentur ipſi Conimbricenſes, contra quos modo argumentor)

Pereira.

6 Quapropter ad argumentum faciliùs reſponderi poteſt, ex mente D. Thom. in 4. diſt. 48. q. 2. art. 2. naturam eſſe principium motus, vel quietis disiunctiuè; nam ille ſenſus copulatiuus idem eſt ac dicere, *vbicumq; eſt motus, aut quies, vel in eodem, vel in diuerſis ſubiectis, oritur à Natura*: & ſimiliter ſoluendum eſt argumentum circa quietem cæli Empyrij, & terræ.

D. Thom.

7 Obijcis ſecundò. Natura cuiuſque rei idem eſt, atque ſubſtantia ipſius rei: ſed non poteſt ſubſtantia eſſe principium motus; ergo hìc non definitur ſubſtantia aliqua naturalis. Probatur minor, quia ſubſtantia non operatur per ſe, ſed per ſua accidentia. Reſpondetur, ſubſtantiam rei naturalis, ideſt, materiam, & formam eſſe principium principale, & radicale motus, & de hoc intelligenda eſt definitio, non veró de principio accidentali, & inſtrumentali, quales ſunt potentiæ, ſiue accidentia ſupradicta.

8 Obijcis tertiò. Quies eſt priuatio motus; ſed priuatio eſt nihil: ergo non poteſt habere principium reale, & ſubſtantiale, qualis eſt natura. Reſpondetur, quietem hoc loco non ſumi pro priuatione motus, ſed pro permanentia poſitiua rei in loco naturali, & hoc pacto habet principium reale, & poſitiuum, poſſuntque proinde motus, & quies procedere ab eodem principio, non quidem ſimul, ſed ſucceſſiuè, ita vt Natura non ſolùm ſit principium motus ad perficiendum compoſitum, ſed etiam ad perficienda alia ſubiecta.

Corollaria ex præcedente doctrina.

9 EX dictis colligitur primò, definitionem Naturæ conuenire propriè materiæ, & formæ, ita, cum Ariſtotele lib. 2. Phyſ. cap. 1. tex. 4. communis Philoſophorum conſenſus. Probatur, quia imprimìs materia eſt principium paſſiuum generationis naturalis: ergo eſt natura. Confirmatur, quia compoſitum ſubſtantiale eſt adæquatum principium generationis: ergò materia eſt partiale principium: cùm igitur materia ſit principium generationis, erit etiam principium motus, & propriè erit natura: immò primò erit natura, iuxta ea, quæ dixi in hac ſect. n. 3.

Ariſtot.

10 Ex his etiam ſequitur, formam eſſe principium, ſeu naturam nobiliori modo, quia quamuis non ſit cauſa materiæ, ſicut materia eſt cauſa formæ materialis, nihilominús tamen eſt principium actiuum generationis, erga compoſitum, quod eſt contra Scotum in 2. diſt. 18. q. vnica §. *Ad aliud*; aſſerentem, definitionem ſolo principio paſſiuo conuenire, nam reuerà motus vitalis eſt à principio actiuo intrinſeco, vt bene probant nutritio, & augmentatio: ergo datur in viuentibus principium actiuum motus, quod non poteſt eſſe niſi forma, quia materia actiua non eſt, immò in non viuentibus v. g. in grauibus, forma

Scot.

Digitized by Google

ma eſt principalius principium motus; ſi cōparetur cum materia, nam abſolutè generans eſt principium principalius, vt videbimus.

Patres Conimbr.

11 Sequitur præterea, animam viuentis propriè eſſe principium motus, anima enim vegetatiua, & ſenſitiua propriè eſt natura, vt concludunt Conimbricenſes 2. Phyſ. cap. 1. q. 4. art. 1. nam anima vegetatiua eſt principium motus, nutritionis ſcilicet, & augmentationis; ſenſitiua verò eſt principium motus localis, & omnium ſenſationum; idem etiam intelligendum de anima rationali, quæ etiam ſecūdùm vltimum gradum rationalitatis perfectiſſima eſt natura, & vera hominis forma, cui conuenit definitio tradita ab Ariſtotele, vt videre eſt apud Soar in Met. diſp. 1. ſect. 2. n. 17. Tolet. q. 1. de Anima in proœmio. Patres Conimbr. lib. 2. cap. præſenti, q. 4. art. 1. §. *Quòd autem.* Rub. lib. 2. Phyſ. cap. 1. q. 3. n. 30. Et confirmatur, quia anima rationalis, etiam ſecundùm gradum intelligendi, eſt principiū admirationis, actus ridendi, flendi, & aliorū motuum: ergo eſt verè natura.

Soarius. Tolet. Patres Conimbr. Rubius.

12 Neque audiendi ſunt, qui falsò opinātur, animam rationalem non informare corpus ſecundùm gradum intelligendi, quamuis enim, ſecundùm ſuum eſſe ſpirituale, non ſit anima rationalis terminus generationis, tamen, ſecundùm informationem materiæ, ſeu ſecundùm vnionem ad corpus, verè terminat generationem, modo infra explicando: & cùm gradus intelligendi in ea non diſtinguatur realiter à gradu vegetandi, & ſentiendi, ſecundùm vtroſque gradus informabit.

Deus nō dicitur principiū motus.

13 Duo ſunt aduertenda ad finem huius ſectionis, Primum eſt, Deum, & Angelos non eſſe propriè principium motus; quia Ariſtoteles haud dubie ſubintellexit ſenſibilitatem in motu, & quiete naturali, ſaltem illā, quæ eſt ſenſibilitas per accidens; quamuis iā conſuetudo obtinuit, vt quoduis principium operationis, etiam immanentis, & inſenſibilis, qualis eſt intellectio, dicatur Natura, & intellectio dicatur motus. Ex quibus tandem clariùs, & breuiùs Naturæ definitio colligi poteſt hoc pacto: *Natura eſt principium conſtituentium, & eſſentiale ſubſtantiæ completæ, & cauſa actiua, aut paſſiua motus, vel quietis naturalis.*

Horat. ſat. 3. lib. 2.

14 Aduertendum ſecundò eſt, omnem motum, etiam violentum, eſſe naturalem principio paſſiuo, nempe materiæ, quia cùm materia habeat appetitum ad omnes formas, & modò, *Fiat aper, modò auis, modò ſaxum, & cùm volet arbor*, ita etiam naturaliter capax eſt omnium motuum, naturalis ſcilicet, violenti, & præternaturalis. Quarè hæc diuiſio ſolùm ſumitur, per comparationem ad formam, ita vt is motus dicatur naturalis, ad quem forma habeat naturalem propenſionem, vt motus, quo ignis ſurſum fertur; violentus verò ſit ille, qui eſt contra formæ propenſionem, vt motus, quo ignis deorſum mouetur, ſecundùm communem opinionem: is denique dicatur præter naturam, ad quem nec forma habet propenſionem, neque ei contra reſiſtit, vt eſt motus, quo ignis mouetur ad motum Lunæ. Cùm verò forma præſtet denominationem toti compoſito, quamuis omnis motus ſit naturalis materiæ, ille tamen dicitur ſimpliciter violentus compoſito, qui eſt violentus formæ: vnde etiam quies cæli nunquàm erit naturalis, quia nunquàm poterit eſſe naturalis formæ Cæli, ſuppoſita communi opinione de motu corporum cæleſtium, quam in libris de Cælo examinabo.

SECTIO II.

De comparatione Naturæ cum Arte.

Quot modis Natura & Ars cōueniant, & differant?

1 PRima concluſio. Natura, & Ars multipliciter conueniunt, & differunt. Hæc concluſio non meliùs probari poteſt, quàm oſtendendo in quibus differant, & in quibus conueniant, aſſimilantur ergo primò, quia Naturæ, & Artis operā procedunt certis legibus, & ordine. Secundò, quia ſicut agens naturale effectum ſibi ſimilē producit, ita artifex illum producit ſimilem ideæ, quam habet in mente. Tertiò, quia vtraque procedit paulatim à minus perfectis ad perfectiora. Quartò, quia vtraque ſuam præſupponit materiam, Natura enim ſupponit materiam primam, Ars verò materiam ſecundam, v.g. Faber ſupponit lignum. Quintò, & vltimò, quia tam in Natura, quàm in arte cōtingunt aliquando monſtra, id eſt, *effectus à ſua regula decerrantes.*

2 Differunt verò primò, quia Natura eſt ipſa rerum ſubſtantia, Ars verò eſt accidens; vnde ſequitur, quòd natura ſit principium intrinſecum motus, ars verò directiuum, præſupponendo naturales motus. Secundò, quia natura format res veras, & naturales, ars verò non ita, hinc eſt quòd ars verſetur ſolùm circa externam ſuperficiem. Tertiò, differunt ex parte materiæ, nam in naturalibus natura aliquando eſt materia prima, quæ eſt ſubſtantia incompleta, in artificialibus verò, materia, quæ prærequiritur, eſt materia ſecunda, & completa, vt aurum, lignum, &c. Quartò ex parte formæ, quæ in naturalibus eſt ſubſtantia,

tia,

Digitized by Google

tia, & in artificialibus, accidens. Vltimò tandem differunt, quòd forma inducta per artē non conſequitur virtutem producendi aliam ſimilem formam, ſicut è contrario in naturalibus contingit.

3 *Secunda concluſio.* Natura eſt ſimpliciter perfectior arte. Probatur primò. Quia natura eſt ſubſtantia, ars verò accidens. Secundò. Quia tantò perfectior eſt ars, quantò naturæ aſſimilatur: ergo natura perfectior eſt, ſiquidem eſt finis, quē ſibi proponit ars, vt eò perfectior euadat, quò perfectiùs naturam repræſentat; vnde ars naturæ æmula, imitatrix, ſymiaque appellatur. Hinc laudatiſſima illa ſphæra Archimedis, de qua meminit Cicero
Cicero. lib. 1. Tuſcul. quæ ideo omnium admirationem ſuperauit, quia naturales Solis, Lunæ, ſyderumque errantium motus animaui, de qua Claudi. l. Epigram.

Incluſus varijs famulatur ſpiritus aſtris,
Claud. li. *Et viuum certis motibus vrget opus.*
Epigr. *Percurrit proprium menſtruus ſigni fer annum,*
Et ſimulata nouo Cynthia menſe redit. &c.

Hoc tamen haud tollit quominùs ars ſecundùm quid dici poſſit perfectior, quatènus ſcilicet naturam ipſam quodammodo ornat, & perficit, vt enim ille alius teſtatur,

Virgil. —— *Manus addunt ebori decus:*
AEn. 11. ad eum modum, quo dicimus ſubſtantiam ex genere ſuo nobiliorem eſſe accidentibus, nihilominùs accidentia ipſa ſubſtantiam ornare, inſtruere, & componere.

4 *Tertia concluſio.* Ars non poteſt propria virtute, & tamquàm cauſa per ſe efficere opera Naturæ, poterit tamen aliena virtute, applicando actiua paſſiuis. Probatur prima pars, quia Ars eſt quoddam accidens: ergo non poteſt propria virtute producere ſubſtantiam, qualis eſt natura, & tribuere illi motum ab intrinſeco, quem ipſa Ars non habet. Probatur ſecunda pars, imprimis auctoritate D.
D. Aug. Auguſt. lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 11. & lib. de Diuinatione dæm. cap. 3. & 5 & lib. de Trinit cap. 7. 8. & 9. vbi aſſerit dæmonum arte multos effectus naturales produci, & præter naturales, qui maximam ingerunt admirationem, & Naturam ipſam, vel ſuperare, vel imitari videntur.

Quo pacto Ars producat effectus admirandos? 5 Hoc verò duobus modis fieri poteſt, vel quando præſtigiæ ſubdolis ſycophantijs adumbrantur, quibus intuentium oculi miris modis ludificantur, vt exiſtimant Mol. 1. p. q. 3.
Molin. art. 4. & Val. 1. p. diſp. 4. q 2. pun. 2. adeó, vt
Valent. his magicis, & negromanticis incantationibus teſtetur Paſtoritius ille Damon de Mæri,

Virgil. *His ego ſæpe lupum fieri, & ſe condere ſyluis*
Eccl. 8. *Mærim, ſæpe animas imis excire ſepulchris,*
Atque ſatas aliò vidi traducere meſſes.

Poſſunt etiam prouenire tales effectus virtute rerum naturalium, tamquàm á cauſa per ſe, ab Arte verò ſolùm, vt ab applicante actiua paſſiuis, ſic magi Exodi 7. ſerpentes ediderunt, qui erant veri ſerpentes, ſecundúm veriorem ſententiam Patrum quam refert, & ſequitur P. Delrio lib. 2. Diſquiſit. magic. *Delrius.*
q. 6. à *§. Poſterius dubium*, in quo lib. á q. 5. mirabili eruditione tractat de effectibus, quos poſſunt magi edere iungendo actiua paſſiuis.

6 Rogas tamen meritó, quo pacto ſerpētes illi ita magni ſtatim prodire potuerunt, quod tamen nec virtute cauſarum naturalium ita repente fieri poteſt? Reſpondeo tamen, hoc factum eſſe adiuuāte diuina virtute, propter bonum finem, vt ſcilicet ſerpens è Moyſis virga procreatus mirabilior appareret, vtpote qui tam magnos ſerpentes vno hauſtu facillimé deuoraret. Quaré cúm magi ac dæmones tam bene norint virtutes herbarum, lapidum, & omnium cauſarum naturalium, mirum non eſt, ſi per artem efficiant aliquando effectus nimis admirandos, habet namque natura in ſe virtutum theſauros reconditos, ac ditiſſimos, qui nunquàm ſatis poterunt exhauriri.

7 Quæſtio tamen eſt, vtrúm per artem *Vtrùm per*
Chymicam verum aurum efficiatur? in qua *Artē fieri*
certum exiſtimant D. Thom. 2. diſt. 7. q. 3. art. *poſſit ve-*
1 Ægyd Rom. quodlib. 3. q. 8. Bened. Per. *rū aurū?*
lib 8 Phyſ. cap 19. per artem Chymicam non, *D. Thom.*
niſi fucatum, apparens, deluſorium, ac ſophi- *Ægyd.*
ſticatum aurum, (vt loquitur D. Thom. 2. 2. *Pereira.*
q. 77. art. 2. ad 1.) poſſe prodire. Probatur, quia *D. Thom.*
in naturalibus illud videtur ſimpliciter impoſſibile, quod nunquàm potuit reduci ad actum; ſed nūquàm per hanc artem fuit productum verum aurum: ergo &c. Probatur minor, quia tale aurum, vt experientià compertum eſt, vim ignis nequit ſuſtinere, deinde facilé amittit colorem: præterea non eſt ita ductile in tenuiſſimas bracteolas; ideoque vſus talis artis damnatus eſt ab Eccleſia in extrauaganti, *Spondent*; declaraturque illud vendentes teneri ad reſtitutionem in integrum.

8 Quód verò alià vià fieri poſſit aliquādo per artem verum aurum applicando actiua paſſiuis, non eſt improbabile apud D. Th. *D. Thom.*
2. 2. quæſt 77. art. 2. ad 1. nam in alijs rebus ars naturam in diſcreta ſimilitudine exprimit, & multa in dies meditando homines inueniunt, quæ anteà omnino latebant, vt demonſtrant ars typographyca, & vſus pulueris tormentarij. Patres tamen Conimbric. lib. 2. *Patres*
Phyſ. cap. 1. q. 7. art. 2. credunt non eſſe im- *Conimbr.*
poſſibile chymicæ artis induſtria verum aurum produci; verúm, vt ego veriús ſuſpicor,

ipſi

Digitized by Google

ipſi Patres Conimbricenſes nunquàm tale aurum efficere potuerunt, quarè illis, in hac parte, non ita facilè credendum eſt, atque adeò opinio hæc auri per chymicam faciendi, tota chymica eſt, & deluſoria.

DISPVTATIO XXV.

De Cauſalitatibus omnium Cauſarum.

IN primo libro egit Ariſtoteles de principijs rerum naturalium, quæ latiùs patent, quàm cauſæ, & ſimiliter occaſione principiorũ multa egit de Cauſis ipſis. Et proptereà eius ordinem ſequendo diſputaui cum Philoſopho de principijs, & cauſis in communi, nec non de cauſa materiali, & formali. In hoc igitur libro iterũ ad cauſas in particulari deſcendit Philoſophus, quas, vt demonſtret verè dari, agit cap. 4. & 5. de Caſu, & Fortuna. & cap. 6. oſtendit in quo differant, & cap. 7. numerat cauſarum genera, concludit enim omnia cauſis attribuenda, non veró Fortunæ, cui falsò Numinis prærogatiuam veteres arrogabant: nihil enim eſt aliud Fortuna, quam *Cauſa per accidens in ijs, quæ propter finem òperantur*, quod patet quantùm diſtét à vera Deitate, *Quid ſit Fortuna?*

—— Sed te
Nos facimus Fortuna Deam, cæloq; locamus. *Iuuen. ſat. 10.*

Reſpectu tamen cauſæ primæ nullus datur euentus fortuitus, aut per accidens, vel caſualis. Similiter etiam inſurgit Philoſophus aduersùs eos, qui omnia fatis attribuebant: negari tamen non poteſt in vero ſenſu veré dari fatum, quod nihil eſt aliud, quàm *Cauſarum immobilis diſpoſitio, ſecundùm quam, diuina prouidentia omnia ſuis ordinibus ita diſponit, vt ſemper ſuauiter, ac fortiter Fata viam inueniant*, & hoc pacto verè omnia tribuenda ſunt fato, tamquàm rerum omnium cauſæ vniuerſali: Quãquàm, vt docet Fides, hoc fatum non tollat libertatem, nec tollat quominùs aliquando cauſæ ſecundæ impediri poſſint, nam hoc ipſum efficaciter ſtatuit Deus ab æterno, quia prædefiniuit concurrere cum cauſis creatis, accommodando ſe naturis earum. Cùm igitur Fortuna non impediat cauſarum ordinem, neque prætereà Fatum ſit aliquid, præter cauſarum ordinationem, bene ſequitur dandas eſſe rerum naturalium cauſas, de quibus in communi commodiùs egi libro primo, & proptereà modo agendum reſtat de earum cauſalitatibus, & diſp. ſequentibus tractabo de Cauſa efficiente, & finali cum eodem Philoſopho, *Quid ſit fatum?*

SECTIO I.

De cauſalitate Cauſæ materialis.

1 PRima concluſio. Cauſalitas materiæ in fieri, per quam ſcilicet forma materialis procedit à materia, eſt eductio, ſiue generatio ipſa, non quidem prout egreditur ab agente, quia prout ſic, eſt actio, ſed prout recipitur in patiente, ſeu in materia, & dicitur Paſſio, qua mediante materia, non ſolùm cauſat formam materialem, quæ eſt terminus formalis generationis, ſed etiam cauſat vnionem, & compoſitum ipſum. Ita Soar. in Met. diſp. 13. ſect. 9. à n. 5. qui primus hanc ſententiam feliciter inuexit, quem poſteà ſequuti ſunt graues Recentiores, inter quos eſt Rub. lib. 2. Phyſ. tract. 2. de Cauſa materiali à n. 65. §. *His ſuppoſitis.* Hurt. in Phyſ. diſp. 5. ſect. 3. à nu. 22. (quamquàm hic auctor nullam aliam cauſalitatem agnoſcat in materia, præter ipſam paſſionem.) item Barthol. Amicus, in Phyſ. tract. 10. q. 4. dub. 1. art. 5. n. 13. *Quæ ſit materiæ cauſalitas in fieri?* *Soarius.* *Rubius.* *Hurtad.* *Barth. Amicus.*

2 Probatur breuiter, quia Cauſalitas eſt concurſus, ſeu ratio ipſa, per quam cauſa actualiter cauſat: ergo ſicut cauſa effectiua, per actionem, tribuit ſuum concurſum effectui, ita cùm cauſa paſſiua, qualis eſt materia, tribuat ſuum concurſum, per paſſionem, ipſa paſſio, ſeu ipſa generatio erit cauſalitas materiæ. Probatur ſecundò, quia, vt aliquid ſit cauſalitas, debet immediatè, & per ſe pendere à cauſa, &, mediante hac cauſalitate, debet pẽdere effectus, vt eſt communis ſententia; ſed hæc reperiuntur in generatione paſſiua formæ: ergo hæc generatio eſt cauſalitas materiæ in fieri, reſpectu formæ in fieri. Probatur minor, quia generatio paſſiua pendet immediatè à materia, ideſt nullo alio modo mediante, & deinde illa mediante ſit forma, vnio, & compoſitum: ergo &c.

3 Eſt igitur hæc cauſalitas eadem realiter reſpectu formæ in fieri, & reſpectu compoſiti in fieri, & ſolùm virtualiter diſtinguitur: per eandem enim actionem, per quam forma educi-

Digitized by Google

educitur, generatur compoſitum; ſicut enim idem modus, ſub diuerſis formalitatibus, habet rationem actionis, & paſſionis, ita ſub diuerſis formalitatibus, poteſt eſſe cauſalitas efficientis, & materialis cauſæ; & poteſt eſſe cõpleta, reſpectu compoſiti, & incompleta, reſpectu formæ, cum qua forma, magis extrinſecè materia comparatur (ſiquidem materia nõ eſt de eſſentia formæ) reſpectu verò compoſiti materia magis eſt intrinſeca, quia eſt de illius eſſentia, Et quamuis hæc generatio ex eo quód identificetur cum forma realiter diſtincta à materia, realiter etiam diſtinguatur ab ipſa materia, non ideò tamen poterit exiſtere extra materiam, quia cùm hæc generatio ſit fieri formæ in materia, neceſſariò requirit eſſe in materia, ſicut actio immanens diſtinguitur realiter ab agente, & tamen ſuppoſito quód ſit immanens, ſeparari non poteſt ab agente.

Satisfit cõtrarijs argumẽtis. 4 Obijcis primò pro contraria ſententia, quæ nullam cognoſcit cauſalitatem materiæ in fieri, erga formam, præter vnionem in facto eſſe, quam tenent Conimbr. lib 2. cap. 7. q. 6. art. 2. vbi nullam mentionem faciunt de cauſalitate in fieri; idem videre eſt q 8. art. 1. citari etiam poteſt Fonſ. 5. Met. cap. 2. q. 1. ſect. 3. quatenus pro cauſalitate materiæ ſolùm adducit ſuſtentationem paſſiuam, quæ datur in materia, erga formam. Vaſq. etiam tom. 1. in 3. p. ad q. 2. art. 8. diſp. 19. poſt nu. 24. §. *Ex parte verò*: Vbi negat paſſionem eſſe cauſalitatem materiæ. Obijcis, inquam, primò. Paſſio non eſt immediata dependentia à materia, ergo non eſt cauſalitas, hæc enim debet immediatè dependere: ergo &c. Probatur antecedens, quia cùm paſſio non ſit formaliter vnio ad materiam, indiget vnione, qua vniatur, ideòque immediatè non dependet. Reſpondetur negando antecedens, quia paſſio eſt virtualiter vnio ſui ipſius, vt contingit in aliquibus modis, qui non per aliquid ſuperadditum vniuntur, quales ſunt Actio, Vbi, &c.

Patres Conimbr. *Fonſeca.* *Vaſquez.*

5 Obijcis ſecundò. Vnio in facto eſſe eſt cauſalitas materiæ, reſpectu formæ, & compoſiti in facto eſſe: ergo & ipſa vnio in fieri, & non generatio, erit cauſalitas reſpectu formæ, & compoſiti in fieri. Reſpondetur negando conſequentiam, quia cauſalitas debet priùs naturà intelligi, quàm effectus, ſiquidem cauſalitas eſt fieri effectus, vnio veró etiam in fieri non intelligitur priùs naturà, quám forma, immó intelligi debet poſterior naturâ: & ratio eſt, quia vnio etiam in fieri, neceſſarió præſupponit partes vniendas.

6 Inſtas: ergo etiã vnio in facto eſſe nõ erit cauſalitas, reſpectu formæ, & compoſiti, ſiquidem quà cauſalitas debet eſſe prior, & tamen, cùm ſit vnio, præſupponere debet partes vnitas. Reſpondetur negando ſequelam, quia vnio in facto eſſe, licet præſupponat partes productas, nihilominùs in facto eſſe eſt prior ipſis partibus vnitis, quia prior naturà eſt vnio, quàm ſit compoſitum, vel forma vnita, ac proinde in facto eſſe poteſt eſſe cauſalitas.

7 Obijcis tertió cum Vaſq. ſupra. Actio eſt eadem res cum Paſſione: ergo, tranſacta actione agentis, non poteſt manere paſſio in materia, quæ ſit cauſalitas materiæ. Reſpondetur, actionem, & paſſionem ita eſſe eundem modum, vt ſint diuerſæ formalitates, vnde, tranſacta prima actione agentis, ſicut perſeuerat alia actio conſeruatiua, ita & paſſio; & ſicut eademmet actio egreditur à principio immediaté, & recipitur in termino, qui ſæpe realiter diſtinguitur, ita idemmet modus ſub diuerſis formalitatibus, prout egreditur ab agente eſt actio, & prout recipitur in patiente, iam eſt paſſio.

Quæ ſit cauſalitas materiæ in facto eſſe?

8 SEcunda concluſio. Vnio eſt cauſalitas materiæ in facto eſſe, reſpectu formæ, & compoſiti. Ita Soar. in Metap. diſp. 13. ſec. 9 à n. 9. Vaſq. tom. 1. in 3. p. ad q. 2. art. 8. diſp. 19. cap. 2. à n. 21. Rub. lib. 2. Phyſ. trac. 2. de Cauſa mater. nu. 67. & lib. 1. trac. 2. q. 6. à n. 57. Murſia 2. Phyſ. diſp. 3. q. 2. & probabile credit Amicus in Phyſic. trac. 10. q. 4. dub. 1. art. 3. num. 17. Probatur, quia materia cauſat in facto eſſe coniungendo ſe effectui, & recipiendo illum per vnionem: ſed hæc vnio eſt immediata dependentia á materia, vt à ſubiecto (ſiquidem nec diuinitus dari poteſt vnio ſubſtantialis ſine materia) & deinde, mediante vnione, conſurgit compoſitum, ſeu forma vnita materiæ: ergo vnio eſt cauſalitas materiæ in facto eſſe.

Eſt cauſalitas in facto eſſe. *Soarius* *Vaſquez.* *Rubius.* *Murſia.* *Barth.* *Amic* &c.

9 Confirmatur, quia poſita vnione, & ſublato per intellectum quocumque alio modo, ſtatim forma materialis intelligitur depẽdens á materia, & facere cum illa vnum per ſe: ergo vnio eſt cauſalitas materiæ in facto eſſe, erga compoſitum, ſeu erga formam vnitam. Et declaratur, quia actio, quæ procedit ab agente, quæ vocatur vnitio, realis eſt: ergo neceſſarió debet habere aliquem terminum formalem ſubſtantialem, qui ſit vnio ſubſtãtialis earundem partium. Probatur tandem, quia materia exercet propriam cauſalitatem circa formam, & compoſitum in facto eſſe, in quan-

Digitized by Google

quantùm vnitur formæ ſubſtantialiter: ſed hoc ſolùm præſtat per vnionem: ergo per vnionem eſt cauſa actu; quod idem eſt atque vnionem eſſe cauſalitatem, hac enim ſublata, impoſſibile eſt, quód forma ſit vnita, vel quod idem eſt, impoſſibile eſt, quòd detur compoſitum.

Patres Conimbr. 10 Obijcis cùm Patribus Conimbric. 2. Phyſ. cap. 7. q. 6. ar. 2. §. *Tertium pronunciatum*, vbi in compoſito nullam aliam agnoſcunt tertiam entitatem, præter materiam, & formam, idem tenet Curſus Thomiſt. in Phyſ. q. 6. de Toto comp. ar. 3. à §. *Nihilominùs*. *Curſus Thomiſt.* Obijcis, inquam, primó. Materia, & forma immediatè ſe ipſis vniuntur: ergo non interuenit aliqua tertia entitas, ſeu aliqua vnio, quæ ſit cauſalitas in facto eſſe. Probatur antecedens, quia genus, & differentia nullam requirunt vnionem, quæ ſit aliqua entitas diſtincta, vt conſtituant Socratem: ergo neque materia, & forma, vt conſtituant compoſitum. Reſpondetur negando antecedens, ad probationem datur maior ratio, quia gradus metaphyſici, cùm non diſtinguantur realiter, non indigent phyſica vnione, vt conſtituant totum; at verò gradus phyſici, cùm realiter diſtinguantur, indigēt reali vnione, vt cōſtituāt cōpoſitū: materia verò non vnitur formæ, antequàm illam cauſet, ſed cauſat illam, per generationem in fieri, ita vt priùs naturá intelligatur generatio, quàm ipſa forma, & deinde, ſuppoſitâ formâ generatâ, ſubintelligitur vnio inter formam, & eandem materiam. Neque obſtat, quòd materia, & forma per ſe ſint vnibiles in actu primo; nam in actu ſecundo requirunt formalem vnionem, ſicut accidens requirit inhærentiam, quamuis per ſe ſit inhæſiuum.

Hurtad. 11 Obijcis ſecundó cum P. Hurt. in Phyſ. diſp. 5. ſect. 3. num. 23. qui exiſtimat ſolam paſſionem, ſiue generationem paſſiuam eſſe cauſalitatem materiæ, erga formam, & compoſitum, tam in fieri, quàm in facto eſſe, pro qua etiam ſtat Curſus Thomiſt. in Phyſ. q. 11. *Curſus Thomiſt.* de cauſa materiali, ar. 1. Obijcis, inquam, ſecundò. Actio eſt cauſalitas agentis in fieri, & eadem actio, quatenus conſeruat, eſt cauſalitas ipſius agentis in facto eſſe: ergo ſimiliter generatio paſſiua erit cauſalitas materiæ in fieri, quatenus eſt primó productiua formæ, & ſimiliter in facto eſſe, quatenus eſt conſeruatiua eiuſdem formæ. Reſpondetur ſupponere falſum, quòd ſcilicet actio poſſit eſſe cauſalitas in facto eſſe, quia cauſa efficiens ſolùm eſt cauſa ſui effectus in fieri, tam in prima productione, quàm in conſeruatione, quia conſeruatio eſt quædam continuatio ipſius fieri effectus: quapropter paſſiua conſeruatio formæ in fieri nequit eſſe cauſalitas materiæ in facto eſſe; cùm igitur actio ſolùm dicat fieri rei, & vnio non dicat fieri, ſed ſupponat rem factam, bene ſequitur, vnionem eſſe diuerſam cauſalitatem ab actione, immó & à generatione, & conſeruatione formæ in materia. Hinc eſt, quòd ſi per impoſſibile tolleretur actio ipſa, & generatio conſeruatiua, & adhuc partes eſſent vnitæ, adhuc intelligeretur ibi cauſalitas materiæ in facto eſſe, idest, vnio: ergo ſignum eſt, vnionem in facto eſſe diſtingui à conſeruatione in fieri.

12 Obijcis tertió. Cauſa efficiens, finalis, & exemplaris vnam tantúm habent cauſalitatem: ergo ſimiliter materia vnam tantùm habebit in fieri. Reſpondetur negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia cùm materia ſit cauſa intrinſeca, non ſolùm cauſat in fieri, vt reliquæ cauſæ, ſed etiam in facto eſſe, conſeruando; quamuis diuerſo modo ſe habeat materia ad formam, & compoſitum, nam reſpectu compoſiti eſt intrinſeca, & eſſentialis cauſa, reſpectu verò formæ materialis, eſt tantùm cauſa phyſica.

13 Obijcis quartó, & principaliter. Vnio non eſt immediata dependentia à materia: ergo non eſt cauſalitas materiæ. *Vnio eſt immediata dependentia.* Conſequentia videtur bona, quia omnis cauſalitas debet eſſe immediata dependentia (vt ſæpe dixi). Probatur antecedens, quia vnio pendet à materia, mediante paſſione, idest mediante generatione, ſiue mediante fieri ipſius vnionis: ergo quemadmodùm forma non eſt immediata dependentia, quia fit, mediante paſſione, ita neque vnio, &c. Reſpondetur ad antecedēs, cum diſtinctione, nam licet vnio in fieri non ſit immediata dependentia à materia, ſiquidem dependet, mediante actione agentis, & mediante generatione, nihilominùs tamen vnio in facto eſſe, cùm non dependeat, mediante alia vnione, vel alio quouis modo, eſt immediata dependentia, & cauſalitas in facto eſſe, vt enim bene aduertit Soar. in Met. diſp. 13. ſec. 9. num. 9. *Soarius.* ſi vnio in facto eſſe penderet, mediante alio modo, poſſet Deus, auferendo modum illum, conſeruare vnionem ſine materia, ſicut poteſt conſeruare formam ſine materia: ſed hoc eſt impoſſibile, quia implicat dari vnionem, quin actu vniat: ergo ſignum eſt, vnionem in facto eſſe, eſſe immediatam dependentiam, quamuis talis non ſit in fieri.

14 Obijcis quintó. Cauſalitas debet eſſe dependentia effectus à cauſa; ſed vnio non eſt dependentia effectus, idest formæ à materia: ergo non eſt cauſalitas. Probatur minor, quia anima rationalis, cùm non dependeat à materia, eius vnio non poteſt eſſe dependentia.

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondetur, verum quidem eſſe, non omnem vnionem eſſe dependentiam identificatam cum forma, datur enim quædam pura vnio, qualis eſt inter materiam, & formam rationalem, quæ non eſt dependentia, nec cauſalitas, (& idem ſimiliter dicendum de vnione, quæ datur inter partes integrantes, cùm vna ab alia non dependeat) alia verò datur vnio, quæ ſimul eſt dependẽtia identificata cum forma, qualis eſt illa, quæ datur inter materiam, & formam materialem.

Datur aliqua pura vnio, quæ nõ eſt dependentia.

15 Inde colliges, effectum formalem puræ vnionis eſſe ſolùm vnire, effectum verò adæquatum vnionis, quæ eſt dependentia, eſſe vnire extrema, & reddere vnum dependens ab alio. Vbi diligenter aduertendum eſt, vnionem inter animam rationalem, & materiam, ſi comparetur vel cum materia, vel cum forma, eſſe purè vnionem, non verò dependentiam, aut cauſalitatem, ſiquidem nec materia dependet ab anima, nec anima á materia: ſi verò comparetur cum compoſito, eſſe cauſalitatem materiæ, & formæ erga compoſitum, quia vnio eſt id, quo mediante materia, & forma cauſant compoſitum, quo pacto ſuprà dixi vnionem eſſe immediatam dependentiam; & in hoc conuenimus cum Hurtad. in Phyſ. diſp. 6. ſect. 3. num. 24. Quarè ſi Deus crearet animam materialem, & illam vniret materiæ, perſeuerante tali actione creatiua, talis vnio eſſet diſtincta ſpecie ab ea, quæ modò datur, ſiquidem haberet diuerſa extrema, nam vnio formæ creatæ terminaretur ad formam independentem á materia, ſimul cum modo exiſtendi per ſe, vnio verò formæ eductæ eſſet dependentia, & terminaretur ad ſolam formam dependentem.

SECTIO II.

Quænam ſit Formæ cauſalitas, & quotuplex detur vnio inter materiam, & formam.

Formæ cauſalitas eſt vnio.

1 PRima concluſio. Cauſalitas formæ erga compoſitum eſt vnio in facto eſſe; hæc concluſio eſt de mente omnium Auctorum vbi ſuprà; vide Soar. in Metap. diſp. 15. ſect. 5 num. 6. & probatur breuiter, quia forma cauſat compoſitum, non per generationem, neque efficiendo illud actiuè, ſed tantúm per vnionem; ergo vnio eſt cauſalitas formæ erga compoſitum.

Soar.

Aduertendum verò eſt, materiam habere duplicem cauſalitatem, erga formam materialem, vel erga compoſitum, primam in fieri, aliam in facto eſſe, formam verò vnam tantùm habere cauſalitatem erga compoſitum in facto eſſe, & ratio diuerſitatis eſt, quia materia eſt primum ſubiectum, à quo primò educitur forma, & deinde conſeruatur; & præterea eſt pars eſſentialis compoſiti in facto eſſe: at verò forma, cùm, in noſtra opinione, non ſit cauſa materiæ, nullam habet cauſalitatem in fieri erga materiam, & ideò ſolùm habet cauſalitatem in facto eſſe erga compoſitum, quia ſolùm eſt cauſa, poſtquam educta eſt.

2 *Secunda concluſio.* In compoſito phyſico omnino materiali vna tantùm datur vnio, quæ identificatur cum forma. Hæc concluſio procedit in noſtra opinione, quæ docet formam non eſſe cauſam materiæ, ſed materiam eſſe cauſam formæ materialis; eam tradit Soar. in Metaph. diſp. 13. ſect. 9. num 13. Vaſq. de Incarnat. tom. 1. ad quæſt. 2. art. 8. diſp. 19. cap 2. num. 24. Rub. lib. 1. Phyſ. tract. 2. q 6. num. 66. Probatur prima pars, quòd ſcilicet vna tantúm detur vnio; quia vnio ex natura ſua eſt vinculum inter duo extrema: ergo fruſtra additur alia vnio, cùm vna tantùm ſatis ſit ad duo extrema vnienda. Probatur ſecunda pars, quòd ſcilicet debeat identificari cum forma; quia, vt ſupponimus, ſola materia eſt cauſa formæ materialis; vnde cùm forma ſit effectus dependens, & vnio ſit cauſalitas, ſeu dependentia, neceſſariò identificari debet cum effectu depẽdente, ideſt, cum forma; quarè non placet noſter Arriaga in Phyſica diſp. 4. n. 118. docens eandem ſimplicem vnionem ſubiectari in vtroq; extremo, videtur enim implicare quòd idem modus ſubiectetur, ſiue identificetur cum duplici termino realiter diſtincto, vt patet. Quamuis autem vnio identificata ſit cum ſola forma, hoc non tollit quominùs vniat duo extrema, nempe materiam, & formam, ſicut relatio, inter extrema non mutua, eſt intrinſecè in vno extremo & terminatiuè, ſiue extrinſecè tantùm, attingit aliud extremum.

Soarius. Vaſquez. Rubius. Arriaga.

3 Obijcis. Licet forma non ſit ſimpliciter cauſa materiæ, ſemper tamen habet aliquam cauſalitatem erga materiam, quia illam actuat, ornat, & perficit: ergo materia habet aliquam dependentiam à forma, proindeque in materia ponenda eſt aliqua vnio. Reſpondetur negando conſequentiam, quia talis dependentia non eſt ſimpliciter dependentia materiæ, ſed tantùm ſecundùm quid: cùm ergo forma ſolùm ſimpli-

Digitized by Google

ſimpliciter dependeat, in ſola forma ponenda eſt dependentia. Exemplum ſit in accidente, quod ſuo modo actuat, & perficit materiam, & tamen cauſalitas, ſeu dependentia, identificatur cum accidente, non verò cū materia.

Datur aliquãdo duplex vnio in eodem cōpoſito. 4 Aduertendum tamen eſt in opinione, quæ admittit formam eſſe cauſam materiæ dandam eſſe duplicem vnionem, ſeu duplicem dependentiam. Probatur, quia vbi datur duplex effectus, debet dari duplex cauſalitas; ſed in hac opinione datur duplex effectus; nempe forma cauſata à materia, & materia cauſata à forma: ergo etiam datur duplex cauſalitas, &, quod idem eſt, datur duplex vnio, ſeu duplex dependentia. Confirmatur, quia non poteſt vnus, & idem modus identificari cum rebus realiter diſtinctis, ſcilicet, cum materia, & forma, quæ realiter diſtinguuntur. Vnde vtraque hæc vnio vnit adæquatè, quælibet verò vnit inadæquatè; ita tamen, vt ſi quælibet ex illis deſtruatur, totum compoſitum diſſoluatur, ſic enim vna eſſentialiter ordinatur ad aliam, vt nec diuinitus vna dari poſſit ſine alia.

Rubius. Arriaga. 5 Rubius tamen lib. 1. Phyſ. tract. 2. q. 6. poſt num. 66 & Arriaga proximè citatus vnam tantùm abſolutè agnoſcunt vnionem, quia, vt ipſi dicunt, vbique ſatis eſt vna vnio ad vnienda duo extrema, vt patet ex ratione vnionis, quæ de ſe eſt vinculum inter duo. Reſpondendum tamen eſt, ſufficere quidem vnam tantùm vnionem ad vniendã duo extrema, non verò ad cauſandã; vnde licet vna tantùm detur vnio, ſeu cauſalitas vna, inter accidens, & ſubſtantiam, inter Verbum Diuinum, & humanitatem, ex eo quòd ſolum accidens, & ſola humanitas dependent; in compoſito tamen phyſico materiali, vbi dantur diſtincti effectus dependentes, dari etiam debent duæ cauſalitates, ſeu duæ vniones.

6 Neque obſtat, quòd tota actiuitas, ſiue intentio agentis ſit ad formam producendã, nam eo ipſo etiam producere debet quidquid neceſſarium eſt ad formæ conſeruationem, ac proinde debet eſſe producere vnionem in materia, vt cum ipſa poſſit forma conſeruari. Neque prætcrea ex eo quòd ſit duplex vnio, bis vnientur inter ſe materia, & forma, nam vnaquæque vnio partialis eſt, & per vtramque adæquatè vniuntur materia, & forma.

7 *Tertia concluſio.* In compoſito humano vna tantùm datur vnio: hæc concluſio communis eſt, vt patebit ex Auctoribus infra citandis. Probatur, quia, vt dixi in ſuperiori concluſione, ſatis eſt vna vnio ad vnienda duo extrema, præcipuè cùm ad inuicem non cauſantur, ſed nec materia eſt cauſa formæ rationalis, nec forma eſt cauſa materiæ: ergo ſufficiet vna vnio ad vtramque vniendum.

Vtrùm vnio humana ſit ſpiritualis?

8 Sed quæſtio eſt vtrùm hæc vnio ſit ſpiritualis, ac proinde identificetur cum anima, an ſit corporea, & conſequenter identificetur cum materia? Soar. in Met. diſp. 15. ſect. 3. n. 11. cum alijs infra citandis aſſerunt eſſe ſpiritualem, identificarique cum forma; addūt verò, quòd, licet talis modus vnionis ſpiritualis ſit, habet tamen aliquas cōditiones rei materialis, quia à materia omninò pendet, & quia coextenditur materiæ, quamuis ex parte animæ nullam habeat extenſionem; & hæc reſponſio communis eſt. Soar.

Quo pacto vnus homo dicatur alium generaret 9 At quo pacto dicetur vnus homo generare alium hominem, ſiquidem nec producit materiam, nec formam (quia vtraque creatur à Deo) nec etiam producit vnionem, cùm hæc ſit ſpiritualis? Reſpondent D. Thom. 1. p. quæſt. 118. art. 2. ad 4. Soar. in Metaph. diſp. 18. ſect. 2. num. 10. cum Scoto, Richard. & Henriq. quos ibi allegat, & idem ſupponit Mol. 1. p. quæſt. 12. art. 1. diſp. 2. §. *Neque rectè*: Reſpondent, inquam, Socratem patrem ſolùm concurrere effectiuè ad producendas diſpoſitiones corporeas, quamuis non attingat vnionem ſpiritualem, & tunc à Deo per modum naturæ produci effectiuè vnionem, ſufficereque diſpoſitionum harum productionem, vt Socrates abſolutè dicatur pater, quia tales diſpoſitiones naturaliter exigunt talem vnionem. D. Thom. Soarius. Scotus. Richard. Henric. Molin.

10 Non improbabiliter tamen ſentiunt Capr. in 2. diſt. 15. q. vnica, art. 3 & Patres Conimbr. 1. de Gener. cap. 4 q 13. art. 2. ad 2. (qui ſe allegant in Phyſ. lib. 3. cap. 3. q. 1. ar. 2.) diſpoſitiones productas à generante attingere eleuatas vnionem animæ rationalis cum materia, quamuis hæc vnio ſit ſpiritualis, quia hoc non eſt propriè producere rem ſpiritualem, ſed eſt producere vnionē rei ſpiritualis, quæ vnio nō videtur omnino ſpiritualis, cùm pendeat à materia in fieri, & habeat ſui extenſionem ex parte materiæ: qui modus philoſophandi non erit difficilis his, qui fideliter credunt materiale phantaſma eſſe connaturale inſtrumentum, ad efficiendam ſpeciem intelligibilem ſpiritualem: & in hoc modo Capreol. Conimbr.

Digitized by Google

modo dicendi facilè apparet, quo pacto vnus homo dicatur alium generare, ſiquidem medijs diſpoſitionibus attingit, & producit vnionem inter animam, & corpus; nam ſicut ille verè dicitur Socratem interficere, qui deſtruit eius vnionem, ita etiam ille dicetur Socratem producere, qui producit eius vnionem.

11 Obijcis tamen contra hunc modum philoſophandi. Si vnio inter materiam, & formam ſpiritualis eſſet, eſſet etiam indiuiſibilis, ac proinde, abſciſa quacumque portione materiæ, peribit integra vnio, & alia de nouo adueniet, & conſequenter naturaliter in homine dabitur mors, & reſurrectio. Reſpondetur negando conſequentiam; quia nō quælibet amiſſio vnionis dicēda eſt mors, ſed totalis eius amiſſio; ſicut quando abſcinditur manus, licet tota anima ibi deſinat eſſe, non tamen datur mors, quia non deſinit eſſe totaliter, præcipuè, quia, vt dixi, talis vnio non eſt omnino indiuiſibilis, neque omnino ſpiritualis, cùm habeat extenſionem in materia.

Probabile eſt, quòd hæc vnio ſit materialis.

12 Probabile etiam exiſtimo, hanc vnionem eſſe materialem, produciq́ue proinde naturaliter à generante ſine vlla eleuatione, educiq́ue de potentia materiæ, quæ identificabitur cum materia, ſiquidem materialis eſt; & deinde quia materia magis dependet à forma humana, quàm forma humana à materia, hæc enim nequit naturaliter conſeruari ſine forma, cùm tamen anima poſſit naturaliter eſſe ſine materia: qui modus dicendi probabilis erit, dummodò non videatur alicui difficile, vnionem materialem eleuari ad vniendam animam ſpiritualem; & potentiam generatiuam, quæ eſt accidens eleuari à Generante ad producendum modum ſubſtantialem, nempe vnionem, nam tales eleuationes faciliùs deuorandæ ſunt, quàm admittere, poſſe eandem potentiam generatiuam eleuari ad productionem modi ſubſtantialis ſpiritualis, nempe vnionis ſpiritualis: vel etiam admittere, poſſe diſpoſitiones materiales eleuari ad producendam vnionem ſpiritualem; & in hoc modo dicendi, patet, quo pacto generans dicatur pater, quia ſcilicet verè producit vnionem corpoream inter animā, & corpus. Scio aliquos aſſerere ab anima matris eleuari potentiam generantis ad producendam vnionē ſpiritualem.

13 Obijcis contra reſolutionem, qua abſolutè aſſero, vnam tantùm dari vnionem in compoſito humano. Quando vtrumque extremum compoſiti eſt independens ad inuicem, non datur maior ratio cur vnio cum vno, quàm cum alio identificetur, & propterea datur duplex vnio: ergo ſimiliter dabitur duplex vnio in compoſito humano, cùm vtrumque extremum ſit independens. Reſpondetur, antecedens eſſe verum in compoſitis integralibus, in quibus nulla datur maior ratio, cur vnio magis cum vno, quàm cum alio identificetur, vt contingit inter partes homogeneas alicuius totius integralis, v. g. inter duas partes aquæ, quæ, cù ita vniantur, vt neutra habeat rationem formæ, vel materiæ, reſpectu alterius, nulla etiā datur maior ratio, vt vnio ſit in vno, & non in alio, & propterea datur duplex in vtroque extremo; cùm verò in compoſito humano, materia magis dependeat à forma, quàm forma à materia, ſi hæc vnio fuerit materialis, identificabitur cum materia, ſi verò fuerit ſpiritualis, maior datur ratio cur identificetur cum anima: ex quibus ſequitur, vnam tantū eſſe vnionem in compoſito humano, quamuis ſit duplex in compoſito integrali homogeneo.

Reſoluitur quædam quæſtio circa vnionem.

14 QVæſtio hic inſurgit, vtrùm ſcilicet poſſit anima rationalis propria virtute vniri materiæ iā diſpoſitæ, & præparatæ à Deo ſine forma alia? Reſpondeo negatiuè cum Scoto in 4. diſt. 43. q. 3. Soar in Metap. diſp. 5 ſect. 6. num. 9. Rub. 2. Phyſ tract. 3 de Cauſa formali, à num. 81. Probatur, quia licet forma natura ſua ſit apta, vt vniatur materiæ, & ideò ſit naturaliter propenſa ad vnionem, non poteſt tamen hoc præſtare ſine adminiculo cauſæ efficientis, ſicut etiam non poteſt efficere ſuum effectum formalem ſine concurſu cauſæ materialis, & finalis, forma enim ex vi ſua ſolùm poteſt informare, non verò effectiuè concurrere ad hanc informationem. Probatur præterea exemplo cauſæ efficientis, ignis v. g. qui vi ſua poteſt generare ſibi ſimilem, & ad hoc habet propenſionem, non poteſt tamen hoc præſtare ſine cōcurſu materiæ, & aliarum cauſarum, vt patet. *Scot. Soarius. Rubius*

15 Confirmatur, quia ſi anima rationalis propria virtute ſe vniret corpori efficiendo ſuam vnionem, iam inde ſequeretur, quòd non generans, ſed ipſa anima, in eo caſu, eſſet cauſa generationis ſubſtantialis, ſiquidem ipſa produceret vnionem. Neque placent Patres Conimbricenſ. qui tenent contrariam opinionem 1. Phyſ. cap. 9. quæſt. 11. art. 1. addentes, quòd, ſi ponatur diſpoſita materia *Patres Conimbr.*

Socratis demortui, poſſet anima Socratis iterum illam materiam informare, ita vt Socrates reuiuiſceret: huius tamen opinionis deceptio in eo eſt, quòd exiſtiment ſufficere virtutem cauſæ formalis cum inclinatione, quam habet ad materiam; cùm tamen (vt oſtenſum eſt) ad quemlibet effectum realem naturalem requiratur concurſus omnium cauſarum ſimul concurrentium.

SECTIO III.

Vtrùm plures formæ poſsint habere vnionem cum vna tantùm materia?

1 PRima concluſio. Naturaliter vna tantùm forma ſubſtantialis vniri poteſt vni materiæ, quamuis plures poſſit habere ſucceſſiuè: Ita cum D. Thom. Caietan. Capreol. & alijs communiter Soar. in Metaph. diſput. 15. ſect. 10. num. 62. Probatur breuiter, quia forma ſubſtantialis dicit eſſentialem ordinem ad compoſitum: ſed vna tantùm forma ſufficit cum vna materia ad conſtituendum vnum compoſitum: ergo &c. Hoc tamen non obſtat quominùs vna forma habeat in ſe plures gradus metaphyſicos, nam anima rationalis ſimpliciter dicitur vna, quamuis habeat gradus vegetandi, & ſentiendi.

D. Thom. Caietan. Capreol. Soar.

2 *Secunda concluſio.* Plures formæ ſubſtantiales poſſunt ſimul diuinitus habere vnionem cum eâdem materia. Ita probat P. Rub. lib. 1. Phyſ. tract. 2. q. 7. n. 72. & admittit Fonſ. 5. Met. cap. 4. q. 4. ſect. 5. §. *Ad tertiam obiectionem:* ſupponitque Soar. in Metap. diſp. 15. ſect. 10. num. 60. cui ſubſcribunt Hurtad. in Phyſ. diſput. 4. ſect. 3. num. 22. Arriaga in Phyſica diſp. 3. ſect. 6. à num. 106. Probatur, quia materia eſt pura potentia ad formas ſubſtantiales: ergo hæc potentia non deſtruetur per aduentum alterius formæ, ſed potiùs maximè perficietur: ergo ex parte materiæ nulla datur repugnantia, ſed ſolùm ex parte formæ introductæ, quæ ſimul non poteſt eſſe cum alia, immò naturaliter illam expellit; cùm verò Deus poſſit impedire hanc naturalem expulſionem (poteſt enim ſimul conſeruare calorē intenſum cum frigore intenſo, vt melior docet Philoſophia) bene poterunt ſimul diuinitus dari in eàdem materia non tot, quin plures formæ ſubſtantiales.

Rubius. Fonſeca. Soarius. Hurtad. Arriaga.

3 Confirmatur, quia quemadmodùm naturaliter nequit vnum corpus eſſe in eodem ſpatio cum alio; & tamen poſſunt eſſe diuinitus, ita ſimiliter duæ formæ in eàdem materia. Neque ex eo, quód materia poſſit recipere ſimul non tot, quin plures formas, arguitur in ea potentia infinita, ſiquidem hoc præſtat virtute cauſæ efficientis diuinæ, in qua ſolùm arguitur talis infinita poteſtas.

4 Obijcis pro contraria ſententia, quam tenet Vaſq. tom 1. in 3. p. ad quæſt. 3. art. 6. diſp. 39. cap. 4. à num. 25. vbi noſtram ſententiam appellat ſine fundamēto, & rationes in oppoſitum friuolas vocat, futiles, & inanes (cui in hac opinione adhærent Patres diſcalceati in Phyſica, diſp. 4 quæſt. 6. num. 6.) pro quo obijcis, inquam, primò. Si materia dum eſt ſub vna forma adhuc retinet potentiam ad plures ſimul, poterunt tales formæ naturaliter ſimul introduci per aliquod agēs naturale: ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Probatur maior. Quia omnis potentia naturalis paſſiua reſpicit potentiam naturalem actiuā. Reſpondetur ad maiorem. Materiam ſub vna forma, adhuc habere potentiam ad plures formas ſimul habendum, vt tamen ſecunda introducatur, non requiritur naturalis virtus actiua, ſed ſufficit diuina, cùm enim illa potentia paſſiua ad plures ſimul formas, non ſit naturalis, ſed obedientialis, neque etiam potentia actiua introducens erit naturalis; quarè licet potentia, & indigentia naturalis materiæ ſatis expleatur per vnam formam, potentia veró obedientialis, quam habet, non expletur per vnam, ſed pluros poteſt admittere.

Soluūtur contraria argumēta. Vaſquez. Patres Diſcalc.

5 Obijcis ſecundó. Eadem forma non poteſt ſimul, vel ſucceſſiuè informare plures materias: ergo eadem materia non poteſt ſimul informari pluribus formis: antecedens maximé approbatur à P. Benedict. Pereira in ſua Phyſ. lib. 6. de Forma, cap. 4. §. *Tertia quæſtio:* & probatur, quia virtus formæ eſt naturaliter limitata ad præſtandum ſuum effectum formalem vni tantúm materiæ: ergo cúm effectus formalis non poſſit variari, non poterit eleuari ad informandum duas, vel plures materias. Reſpondetur negando antecedens; admittimus enim quód vna forma poſſit informare plures materias, ſicut vna materia poteſt informari pluribus formis. Probatio antecedentis falſa eſt, effectus enim formalis formæ non variatur in eo caſu, ſed tantùm ampliatur extenſiuè; ſicut poteſt Deus ampliare virtutem ignis ad calefaciendum in alio loco, ſi in eo reproducatur; & ita admittit, & probat antecedens P. Fonſ. in Metap. lib. 5. cap. 4. quæſt 4 ſect. 3.

Pereira. Fonſeca.

Digitized by Google

6 Obijcis tertiò. Si duæ formæ ſubſtantiales eſſent in eâdem materia, confunderentur inter ſe, quia poſſent ad inuicem prædicari, ſicut affirmatur hoc dulce de hoc albo, propterea quòd ſubiectum eſt idem, dicimus enim, *hoc album eſt hoc dulce, & hoc dulce eſt hoc album*. Reſpondetur negando hanc ſequelam, quia ſi fingamus in eâdem materia eſſe formam auri & ligni, non propterea diceretur, *aurum eſt lignum, & lignum eſt aurum*. & ratio diuerſitatis eſt, quia formæ ſubſtantiales eſſentialiter diuerſæ, non prædicantur de ſe inuicem, niſi ratione vnius ſuppoſiti, illæ autem duæ formæ ſubſtantiales auri, & ligni non conueniunt ratione vnius ſuppoſiti, ſiquidem vtraque illa forma retineret ſuam ſubſiſtentiam, vel ſaltem ſuum modum ſubſiſtentiæ diuerſæ; & quamuis materia ſit eadem, ſufficiens non eſt ad præſtandam communicationem illarum prædicationum: vnde ſi prædicata naturæ humanæ dicuntur de Verbo diuino, hoc prouenit ratione ſuppoſiti, quod eſt vnum tantùm. Cùm verò forma ſit quæ tribuit diſtinctionem, ſi daretur duplex forma in eâdem materia, daretur duplex compoſitum per ſe, inadæquatè diſtinctum ab alio.

SECTIO IIII.

Vtrùm quando plures formæ fuerint in eâdem materia, reſultent plura compoſita?

1 DIfficultas tamen eſt nō leuis vtrùm in caſu, in quo Deus poneret plures formas in vna materia, darentur ne plura compoſita, an vnum tantùm? & ſimiliter, ſi vna tantùm forma informaret plures materias, reſultarent ne plura compoſita, an vnum tantùm? Ad hanc difficultatem reſpondeo imprimis cum Rub. lib. 1. Phyſ. trac. 2. q. 7. n. 77. Si eadem forma informaret plures materias, vnum tantùm reſultare compoſitum, quia identitas numerica, & phyſica compoſiti, aut à ſola forma, aut ab ea præcipuè, ſicut à parte principali ſumitur: quapropter, ſi vna tantùm anima rationalis eſſet in pluribus materijs, vnus tantùm reſultaret homo.

Rubius

Vna forma cū multiplici materia reſultat vnum cōpoſitū.

2 Addò prætereà, quòd ſi multiplicentur plures formæ cum pluribus vnionibus, in vna tantùm materia (neque enim dari poteſt diuerſum compoſitum ſine diuerſa vnione) tunc quidem plures homines v. g. multiplicandos, nam multiplicatio, & diſtinctio ſumitur à forma; vt à principali parte, non verò à materia. Hinc eſt, quòd, perſiſtente ſæpe eâdem numero materia, multiplicentur, & varientur ſucceſſiuè formæ, & compoſita: & ideò hanc partem ſupponunt Suar. in Metaph. diſput. 15. ſect. 10. num. 60. fine. & Patres Conimbric. in Log. cap. de Æquiuocis, quæſt. 1. art 3. § *In ſecunda vſurpat.*

Suarius
Patres Conimbr.

3 Obijcis primò. Vnum ſuppoſitum non fit, niſi multiplicata natura, & ſubſiſtentia: ergo ſimiliter vnum compoſitum non fiet, niſi multiplicata materia, & forma; vnde, vt dentur diuerſa compoſita, debent dari diuerſæ materiæ, & formæ. Huic argumento facilis eſt reſponſio in ſententia aſſerentium concreta ſubſtantialia ſolùm dicere naturam de formali, vt ſentit Vaſquez cum multis, quos allegat tom. 2. in 1. p. ad quæſt. 39. art. 3. diſput. 155. cap. 4. in principio capitis: nam in hac ſententia tres humanitates aſſumptæ ab vna tantùm perſona diuina dicerentur tres homines, quia homo ſolùm dicit de formali naturam humanam connotando ſubſiſtentiam; & è contrariò, ſi tres diuinæ perſonæ aſſumerent vnam tantùm humanitatem, non dicerentur tres homines, quia ad multiplicationem concretorum ſubſtantialium requiritur multiplicatio ſignificati principalis, nempe naturæ: vnde Deus eſt vnus, quia habet vnam naturam, quamuis habeat tres ſubſiſtētias; cùm igitur forma ſubſtantialis ſit præcipua compoſiti pars, quoties hæc multiplicatur, multiplicatur etiam compoſitum.

Soluuntur contraria argumenta.

Vaſq.

4 Inſtas. Compoſitum non dicit ſolùm formam, ſed dicit formam, & materiam: ergo ad multiplicationem compoſiti etiam requiritur multiplicatio materiæ. Reſpondeo in hac re multùm aduertendum eſſe ad nomina, (cùm hic quæſtio ſit de modo ſignificandi.) vnde admitto, hoc nomen *compoſitum*, dicere vtrumque de formali, nempe materiam, vel quaſi materiam, & formam, vel quaſi formam, ſicut hoc nomen *ſuppoſitum*, dicit ſubſiſtentiam de formali; verùm hoc nomen *homo* (quod quidem aliunde eſt compoſitum) ſolùm dicit de formali humanitatem in concreto, quæ eſt forma hominis; homines enim potiùs voluerunt explicare diſtinctiones rerum, & formas earum, quàm materiam, quæ eſt eadem ſpecie, quarè, cùm homo v. g. de formali dicat ſolam formā, quoties hæc multiplicatur, multiplicabitur homo.

5 Atque hinc etiam patet ſolutio argumenti in opinione aſſerentium, concretum ſubſtantiale dicere de formali naturam, & ſubſi-

Digitized by Google

...ſiſtentiam; (quam tenent multi cum D. ...m. 4 p. q. 4. art. 3. & probabiliorem cen... Conimbr. in Log. c. 5. de Subſtantia, q. 1. ... 5. *Verum quidquid.*) Dicendum enim eſt in caſu, in quo tres humanitates aſſumerentur ab vna diuina perſona, non dicendos tres homines, quia homo in ea opinione dicit naturam, & ſubſiſtentiam de formali (quamuis qualibet illarum humanitatum cum ſubſiſtentia diuina poſſit dici homo, quia habét naturam, & ſubſiſtentiam diuinam, ſicut Pater dicitur Deus, & Filius dicitur Deus, & ſimiliter Spiritus Sanctus, nec tamen dicuntur tres Dij,) & nihilominùs tamen aſſero dicendos eſſe multos homines ex ſola multiplicatione formarum rationalium, quia homo in vtràque opinione ſolùm dicit de formali animam rationalem, & cõnotat materiam: ſed de his in Met. lib 5. diſp. 59.

6 Obijcis ſecundò. Variata quàlibet parte eſſentiali compoſiti, variatur totum compoſitum: ſed materia eſt pars eſſentialis: ergo quoties hæc variatur, variabitur, & multiplicabitur compoſitum. Reſpondeo, variari quidem compoſitum, propter rationem factam, ſed non multiplicari plures homines; aliud enim eſt variari compoſitum, aliud veró multiplicari; ſicut quoties deperditur pars aliqua materiæ, variatur quidem compoſitum, ſed non multiplicatur; & ſicut ſi ponerentur tres ſubſiſtentiæ in vna humanitate, quamuis variaretur ſuppoſitum, non tamen darentur tres homines.

7 Obijcis tertió. Si multiplicetur duplex albedo in vno lapide, non dicerentur abſolutè duo albi, ſed tantùm formaliter: ergo ſimiliter, ſi multiplicetur duplex forma rationalis, non erunt ſimpliciter duo homines. Reſpondetur negando conſequẽtiam, maior ratio eſt, quia forma accidentalis, cùm ſit minimæ, & imperfectæ entitatis, ſufficiens non eſt ad præbendam abſoluté denominationem multiplicationis, quam tamen præſtare poteſt forma rationalis, quæ habet ſuam ſubſiſtentiam; vel qualibet alia forma ſubſtantialis, quæ vel habet ſubſiſtentiam, vel ſaltem modũ ſubſiſtentiæ, vt videbimus lib 5. Met. diſp. 57. ſect. 2. & 3.

8 Obijcis quartò. Si ex duabus formis ſubſtantialibus in vna materia duplex reſultaret compoſitum, eadem materia ſpectaret ad eſſentiam duorum compoſitorum. Deinde eadẽ materia in Petro poſſet puniri à Deo in inferno, propter Petri demerita, & ſimul beatificari in Cælo, propter Pauli merita. Reſpondetur, nullum eſſe inconueniens, quòd eadem materia numero pertineat ad eſſentiã duorum compoſitorum ſimul, ſiquidem naturaliter poteſt pertinere ſucceſſiuè, & eodẽ modo. Reſpondetur ad ſecundum inconueniens, quód cùm eadem numero materia ſucceſſiuè poſſit inſeruire multis compoſitis, & cùm hæc pars ſit minùs præcipua, ad diuinam prouidentiam pertinet ſupplere aliam de nouo materiam, ne miracula multiplicentur, vt eadem ſit in inferno, & in Cælo, quod tamen fieri poteſt.

9 Sed meritò quæris, ſi iungerentur duæ, vel plures materiæ cum vna tantùm forma, fieret ne vnum per accidens, an vnum per ſe? Reſpondeo fieri vnum per ſe, ſicut tres ſubſiſtentiæ diuinæ faciunt vnum per ſe cum natura diuina: quod faciliùs intelligitur, ſi ponamus, per diuinam potentiam, illam formam in diuerſis locis, cum illis diuerſis materijs, haberet enim ſe veluti idem homo, qui haberet plures præſentias locales, & tamen eſſet idem homo. Et quamuis illæ plures materiæ eſſent in eodem loco, cum qualibet illarum efficeret forma vnum per ſe, quod non eſt difficiliùs, quàm eundem effectum prouenire à pluribus cauſis, de quo infra dicendum eſt: & ex ſuperiùs dictis conſtat quænam ſit maior ratio, quarè non poſſit idem effectus prouenire á duplici forma, cùm tamen poſſit idem effectus, vel idem compoſitum prouenire à duplici materia. Ex vna forma cũ multiplici materia reſultaret vnũ per ſe.

DISPVTATIO XXVI.

De Cauſa efficiente, eiuſque cauſalitate.

DIXI de Cauſalitatibus materiæ, & formæ, reſtabat agere de cauſalitate efficientis cauſæ, ac finalis: in hac diſputatione tractabo de cauſalitate efficientis, ſimulque de ipſa cauſa efficiente, quæ plures requirit conditiones ad operandum, & eſt prima cauſa extrinſeca, in cuius explicatione quæſtiones aliquas graues, ac difficiles ſunt inculcandæ, ac reſoluendæ.

SECTIO

SECTIO I.

Quod ſit Cauſa efficiens, & quomodò diuidatur, & quæ ſit eius cauſalitas?

Definitur cauſa efficiens.

1 PRima concluſio. Cauſa efficiens *eſt primum principium extrinſecum, à quo per ſe primò eſt, aut fit mutatio*; vel aliter, *eſt Cauſa, extrinſeca, à qua effectus per actionem realiter dependet.* Hanc definitionem tradit Philoſophus. & explicatur à Soar. in Metaph. diſp. 7. ſect. 1. Per particulam, *cauſa extrinſeca*, reijcitur materia, & forma: per Ly *per ſe.* reijciuntur cauſæ omnino per accidens: per Ly, *realiter*, excluduntur cauſæ finalis, & exemplaris. Dicitur autem Cauſa efficiens, *primum principium*, quia eſt primum ordine executionis, à quo incipit motus prioritate naturæ: ex quibus patet, Cauſam efficientem, neque eſſe illam, *ex quà*, vt ſe habet materia; neque, *ad quam*, vt ſe habet forma; neque, *propter quam*, vt ſe habet finis; ſed eſſe illam, à qua, vià executionis, primò procedit actio.

Soar.

Diuiditur.

2 *Secunda concluſio.* Cauſa efficiens per ſe varias habet diuiſiones. Primò diuiditur in phyſicam, & moralem: phyſica eſt, quæ realiter influit in effectum, vt ſe habet Sol, reſpectu lucis. Cauſa moralis eſt, à qua moraliter dependet effectus, quales ſunt cauſæ conſulentes, præcipientes, atque etiam non impedientes, cùm poſſint, & teneantur: vnde id, quod in genere phyſico eſt cauſa per accidens. in genere moris erit cauſa per ſe, nam conſilium malum ad furtum in genere phyſico eſt cauſa per accidens, at in genere moris eſt cauſa per ſe.

3 Secūdò diuiditur Cauſa efficiēs phyſica, ſeu naturalis in principalē, & inſtrumentalē. Principalis eſt, quæ propria virtute attingit effectum, quo pacto etiam cauſa ſecunda dicitur principalis. Inſtrumentalis verò cauſa eſt, quæ non attingit effectum propria virtute, ſed virtute alterius cauſæ principalis, vt ſe habent accidentia in productione Subſtantiæ, & phantaſma in productione ſpeciei intelligibilis: vnde talis cauſa inſtrumentalis ſemper indiget eleuatione, ſiue naturali, ſiue ſupernaturali. Tertiò Cauſa principalis diuiditur in primam, & ſecundam. His poſitis circa diuiſionem cauſæ efficienti: dicendum eſt de eius cauſalitate.

Explicatur eius cauſalitas quæ eſt actio. D. Thom.

4 *Tertia concluſio.* Cauſalitas efficientis cauſæ eſt actio: ita cum D. Thom. 5. Met. cap. 2. Conimbricenſ. 2. Phyſ. cap. 7. q. 7. art. 2. Soar. in Met. diſp. 18. ſect. 10. n. 5. Hurtad. in Phyſ. diſp. 8. ſect. 2. ſubſect. 1. n. 21. Sal. tom. 1. in 1. 2. q. 1. ar. 1. & 2. trac. 1. d. 3. ſect. 2. nu. 18. cùm ageret de cauſalitate cauſæ finalis. Idem ſupponit Vaſq. tom. 2. in 1. p. q. 45. art. 2. diſp. 173. cap. 2. n. 5. agendo de creatione: nec diſſentit Fonſ. in Met. lib. 5. cap. 2. q. 5. ſect. 3. quamuis in modo loquendi diſſentire videatur: idem tenet Barthol. Amic. in Phyſ. tract. 12. q. 2. art. 3. n. 9.

Conimbr. Soarius. Hurtad. Salas. Vaſquez. Fonſeca. Barth. Amicus.

5 Probatur breuiter concluſio, quia cauſalitas efficientis non poteſt eſſe modus ipſius cauſæ efficientis (nam Deus eſt verè cauſa efficiens, & tamen in ſe nullum admittit modum) immò, cùm cauſalitas ſit dependentia effectus, eſt modus effectus, & non ipſius cauſæ, vt vidimus in cauſalitate materiæ, & formæ: cùm igitur cauſa efficiens conſtituatur actu cauſans, per actionem, &, ea mediante, effectus dependeat ab efficiente, procul dubio actio erit cauſalitas efficientis.

6 Quæ actio, cùm propriè non ſit effectus agentis, non requirit aliam cauſalitatem, (ne demus proceſſum in infinitum) dicetur tamen effectus ſecundùm quid, & *vt quo*, ſeu *mediante quo*; &, tranſacta actione, iam efficiēs non denominatur propriè cauſa actu, niſi quis dicat denominari poſſe cauſam ab actione præterita, vel à relatione cauſæ. Atque ex dictis ſoluta manent argumenta contraria Heruæi, Soncin. & Iauel. quos citant Conimbr. 2. Phyſ. cap. 7. q. 7. art. 1. initio articuli.

Herueus. Soncin. Conimbr.

7 Aduertendum eſt, actionem, ſicut & reliquas cauſalitates diſtingui ſaltem ex natura rei à ſua cauſa, ſiquidem identificantur cū effectu, qui ſaltem ex natura rei diſtingui debet à ſua cauſa; hinc eſt quòd cauſa materialis poſſit conſeruari à Deo, quin actu cauſet, & idem cernitur in cauſa formali, & à fortiori cernitur in cauſa efficiente naturaliter. Præterea aduertendum eſt actionem diſtingui ex natura rei, non ſolùm ab efficiente, ſed etiam ab ipſo effectu. Probatur, quia, ſi actio ſolùm per intellectum diſtinguitur ab effectu, euidenter ſequitur quòd efficiens ſit actu cauſa per terminum productum, qui eſt effectus, quod falſum eſt, quia effectus debet in ordine naturæ præſupponere cauſam in actu, ac proinde debet præſupponere cauſalitatem; identificatur igitur actio, ſeu cauſalitas agentis cum effectu producto dependente: vnde non eſt mirum, quòd diuinæ proceſſiones actiuæ identificentur cum perſona, vel perſonis producentibus, non verò cum productis, ſiquidem non ſunt productiones per dependentiam, & per veram cauſalitatem, vt ſatis conſtat.

Digitized by Google

SECTIO II.

Quid ſit principium cauſandi in efficiente, & quas conditiones logicé requirat?

Formale principiū cauſandi per emanationem eſt ſubſtātia.
1 Prima concluſio. Formale principium, ſeu ratio cauſandi per emanationē, ſeu reſultantiam naturalem eſt ipſamet entitas rei, quæ cauſat efficienter per has reſultantias: Hæc eſt communis ſententia duce D.Thom. 1.p. q.77.art.6. Probatur, quia ſi ſimiles reſultantiæ fierent, mediante alio principio ſubſtantiali, vel alio accidente, daretur proceſſus in infinitum: quarè ſi ea, quæ reſultant, ſunt accidentia ſpiritualia, vt eſt intellectus v. g. fiunt immediatè à ſubſtantia ſpirituali: ſi ſint potentiæ corporeæ, ab ipſa ſubſtantiali forma corporea procedunt, & in materia ſubiectantur, quæ doctrina ampliùs patebit ex lib. de Anima, diſp.79. ſect.1. & 2. *D. Thom.*

2 *Secunda concluſio.* Formale principium, & ratio cauſandi proxima cauſæ efficientis per actionem, quæ non eſt naturalis reſultantia, eſt accidens realiter diſtinctum á cauſa, quæ ita efficienter operatur. Hæc concluſio communis eſt, vt cum D.Thom. Caietan, Capreol Soto, AEgyd. & Heru. ſentit Soar. in Met. diſp.18. ſect.3. n.13. Probatur primò inductione; intelligimus enim per intellectum realiter diſtinctum, amamus per voluntatem realiter diſtinctam &c. ſunt enim hæ potentiæ accidentia, anima verò ſubſtantia, quæ propterea debent realiter diſtingui. Probatur ſecundó ratione, quia anima de ſe indifferens eſt ad plura genera actionum: ergo indiget potentijs actiuis à ſe realiter diſtinctis, à quibus determinetur ad effectus producendos: quæ potentiæ non poſſunt diſtingui modaliter, quia modus non eſt actiuus; nec virtualiter tantùm, quia iam realiter potentia eſſet eadem anima. Confirmatur, quia ſola diuina ſubſtantia per ſe ipſam operatur, quin auxilium aliquod ab accidentibus imploret. *D. Thom. Caiet. Capreol. Sotus. AEgyd. Heruaus. Soarius.*

3 Oppoſitam tamen ſentit Hurtad. de Anima, diſp.4. ſect.4. num.41. defendit enim potentias animæ re ipſa non diſtingui ab ipſa anima, & pro ſe allegat Guilhelmum, Ocham, & Gabr. cum vniuerſa Nominalium familia, contra quos in lib de Anima, diſp.70. ſect.1. in campum præliaturi deſcendemus. Interim tamen obijcis, non datur maior ratio, quòd ſubſtantia operetur per ſe ipſam ad ſuas emanationes, & non ad reliquos effectus: ergo quemadmodùm anima per ſe ipſam producit ſuum intellectum, ita etiam efficiet actus intelligendi. Reſpondetur negando antecedēs. Maior ratio eſt, quia cùm emanationes pertineant ad perfectionem ſubſtantiæ, vt cum illis conſtituatur in ſuo eſſe perfecto in operādo, ne detur proceſſus in infinitum, per ſe ipſam determinatur ad has emanationes: at verò cùm reliqui effectus non ita ſpectent ad perfectionem cauſæ in ſuo eſſe, non determinatur ad illos cauſa per ſe ipſam immediaté, ſed per potentias ſuperadditas. *Hurtad. Guilhelm. Ocham. Gabriel.*

Prima cōditio eſt exiſtentia.
4 Circa conditiones logicé requiſitas, ſit tertia concluſio. Exiſtentia eſt conditio logicé requiſita in cauſa, quæ efficienter operatur, ita vt nec diuinitus poſſit actio egredi à principio non exiſtente; ita communis ſententia cum Soar. tom.1. in 3 p. ad q.13. art.4. diſp.31. ſect.7. vbi §. *Hæc eſt ſecunda*, aſſerit hunc eſſe communem conſenſum, non ſolùm omnium Philoſophorum, ſed etiam omnium hominū; ita ſupponit in Met. diſp. 18. ſect.7. nu.2. Pro eàdem ſententia ſtat Rub. lib.7. Phyſ. cap.2. q.2. n.22. Conimbr. ibid. q.2. art.2. Albertin. tom.1. ſecundo principio phyloſophico, Corollar. 1. q. 1. dubitatione 1. §. *Ad argumenta.* idem prætereà amplectūtur Hurtad. in Phyſ. diſp.8. ſect.5. Soncin. & Maſius, quos citat, & ſequitur Barthol. Amicus in Phyſ. tract. 12. q.3 dub. 1. & 2. item Arriaga in Phyſica diſp. 7. ſect.5. Probatur concluſio, quia cauſa efficiens realiter tribuit exiſtentiam effectui, per actionem, quæ eſt realis cauſalitas, & immediata dependentia ab ipſa cauſa: ergo implicat procedere hanc actionem realiter, & immediaté à cauſa, quæ non exiſtat realiter; effectus enim in actu eſſentialiter poſtulat cauſam in actu. *Soar. Rubius. Patres Conimbr. Albert. Hurtad. Soncin. Maſius. Barth. Amicus. Arriaga.*

5 Obijcis pro contraria ſententia, quam ſequuntur imprimis aliqui Thomiſtæ, qui aſſerunt humanitatem Chriſti Domini ante exiſtentiam fuiſſe inſtrumentum phyſicum, quo Deus gratiam conferebat, quales ſunt Capr. in 4. diſt. 13. q vnica, art. 3. ad argumenta cōtra primam concluſionem. Sot in 4. diſt. 1. q.2. art.3. in fine, & alij: contra eandem concluſionem citati poſſunt alij, qui exiſtimant poſſe actionem egredi à principio non exiſtente, dummodò extiterit aliquando, quibus maximé fauet Fonſ. 8. Metap. cap.4. q.2. ſect.1. vbi ad marginem citat D.Thom. Alenſ. Caiet. qui omnes exiſtimant, qualitates, quæ diſponunt materiam ad introductionem formæ ſubſtantialis non exiſtere in inſtanti generationis, ſed immediaté anteà extitiſſe, cenſent enim hi omnes Auctores ſimul cum Conimb. lib.1. de Generat. cap.4. q.18. art.2. & 3. in genera- *Capreol. Sotus. Fonſeca. D. Thom. Abulenſ. Caiet.*

Digitized by Google

generatione ſubſtantiali dari reſolutionem ad materiam primam, ac proinde in eodem inſtanti generationis, diſpoſitiones iam non exiſtentes concurrere effectiuè, ad introductionem nouæ formæ, quibus adhæret Cabrera 3. p q.16. ar 1. diſp.5. §.15. n. 13.

Cabrer.

6 Reſpondetur igitur, non potuiſſe humanitatem Christi Domini eſſe phyſicum inſtrumentum, ad cauſandam efficienter gratiam in illis, qui extitere, antequàm Christi humanitas exiſteret, ex defectu, ſcilicet, exiſtentiæ, vt bene probat Soar. citatus, & patet ex probatione facta pro noſtra concluſione. Deinde reſolutoriè negamus reſolutionem illam vſque ad materiam primam, vt videbimus lib. 1. de Gener. diſp. 71. ſect. 4. Immò, licet admittatur, conſtanter negandum eſt poſſe diſpoſitiones iam non exiſtentes concurrere effectiuè ad introductionem nouæ formæ, ſi enim ſufficit rem extitiſſe in inſtanti antecedente, vt poſſit cauſare, ſufficiet etiam, quòd res immediatè poſt in inſtanti ſubſequenti ſit extitura, vt realiter cauſare poſſit: & ſimiliter homo poterit bene, vel malè operari, cùm iam non exiſtat; quæ abſurda, neque ipſi aduerſarij concedunt, cùm tamen ex eorum ſententia rectè colligantur.

7 Obijcis ſecundò. Partes temporis futuri vniuntur cum partibus temporis præteriti, (ſiquidem tempus eſt aliquid continuũ, & non habet partes præſentes, quia, vt dicunt Philoſophi, de tempore ſolùm inſtans nobis eſt præſens) ergo ſi poteſt dari vnio inter res non exiſtentes actualiter, poterit dari actio realis à re non exiſtente realiter. Reſpondetur negando antecedens, nam partes temporis præteriti, & futuri non vniuntur inter ſe, quia impoſſibilis eſt vnio inter extrema non exiſtentia: quarè ſolùm vniuntur partes temporis præſentis, ſed quia hæ partes ſunt incertæ, ideò Philoſophi dicunt, de tempore nihil dari præſens, niſi aliquod inſtans, hoc eſt nullas dari partes certas, quæ poſſint aſſignari. Facilior eſt reſponſio in opinione, quæ docet continuum componi ex ſolis indiuiſibilibus; de qua diſſero diſp. 35. ſect. 1. & 2.

8 Obijcis tertiò. Non requiritur identitas loci, vt vnũ corpus poſſit operari in aliud corpus: ergo ſimiliter non requiritur identitas exiſtentiæ. Reſpondetur negando conſequentiã. diuerſa ratio eſt, quia vt vnũ corpus poſſit in aliud operari, ſufficit, quòd illi ſit contiguum, ſaltem in vltima ſuperficie, vnde ſaltem in hac vltima ſuperficie ſe tangunt: at verò cauſa, quæ immediatè anteà præterijt, iam nullo modo eſt cum effectu exiſtens.

9 Inſtas. Poteſt cauſa efficiens operari vbi non eſt præſens: ergo poteſt operari licet non ſit exiſtens. Reſpondetur, permiſſo antecedente (de quo lib. 7. Phyſ. diſp. 36. ſec. 1.) negando conſequentiam. Maior ratio eſt, quia res, quæ iam alicubi exiſtit, poteſt obedientialiter eleuari ad operandum vbi non eſt, quia indiſtantia ſolùm phyſicè requiritur (ſufficit enim approximatio) vel per ſuam virtutem, vel ſaltem per actionem) res verò, quæ nullam habet exiſtentiam, non poteſt neque operari per ſe, neque eleuari ad operandum per ſuam virtutem, nam id, quod non eſt actualiter, eleuari non poteſt actualiter ad operandum, vt patet ex ipſis terminis.

10 Atque hinc eſt, quòd Sacramenta nouæ legis adhuc exiſtant quando cauſant gratiam, ſaltem ſecundùm ſuum vltimum complementum, quamuis non exiſtant ſecundùm ſe tota, ſiquidem fiunt per motum: neque propterea gratia ſolùm tribuetur huic vltimo complemento, quod exiſtit ſimul cum gratia, nam illud, quod ratione vnius partis compoſiti fit, tribuitur toti ſuppoſito, ſic enim ſimpliciter totus homo dicitur videre, cùm tamẽ non videat ſecundùm omnes ſui partes.

11 *Quarta concluſio.* Altera conditio logicè requiſita in cauſa efficiente ad operandum eſt, vt inter agens, & effectum detur aliqua diſtinctio, ſaltem modalis: ita communiter omnes, & videri poteſt Soar. in Met. diſp. 18. ſect. 7. à n. 11. Conimbric. 7. Phyſ. cap. 1. q. vnica, (vbi explicant quomodo id, quod mouetur ab alio diſtincto moueri debeat) Hurtad. in Phyſ. diſp. 6. ſect. 8. Barthol. Amicus in Phyſ. tract. 9. q. 2. dub. 2. ar. 3. nu. 6. Probatur, quia efficiens operatur per actionem realem; ſed nihil poteſt habere actionem realem ad ſe ipſum: ergo inter agens, & effectum debet dari aliqua diſtinctio, ſaltem modalis. Dico, *ſaltem modalis*, quia aliqua, quæ procedunt per emanationes ſolùm modaliter diſtinguuntur, vt patet in ſubſiſtentia, quæ in bona opinionẽ cauſatur effectiuè ab ipſa anima: quapropter proprietates aliquæ negatiuæ, quæ tantùm virtualiter diſtinguuntur, vt non repugnantia, quæ datur in intellectu ad intelligendum, aptitudo naturæ communis ad inferiora, immò & relationes reales, ſi virtualiter tantùm diſtinguantur, ſolùm dicuntur effectus ſecundùm quid.

Altera conditio eſt diſtinctio inter agẽs, & effectũ. Soarius. Patres Conimbr. Hurtad. Barth. Amicus.

12 Obijcis. Sufficit aliquando diſtinctio virtualis inter agens, & patiens: ergo eadem ſufficiet inter agens, & effectum. Reſpondetur, conceſſo antecedente, cum Soar. in Metaphyſ. diſput. 18. ſect. 3. num. 11. & negando conſequentiam: Maior ratio eſt, quia non implicat effectum recipi in eadem cauſa effectiua, vt patet in actionibus immanentibus intellectus, & voluntatis, in quibus eædem po-

ten-

tentiæ ſunt agentes & patientes: at verò idem non poteſt eſſe cauſa, & effectus, quia cauſa, quæ actualiter agit, debet efficere effectum, qui non ſit eadem cauſa, quamuis poſſit recipere in ſe ipſa effectum.

Vtrùm idem poſsit ſe ipſum diuinitus reproducere?

Reſponſio eſt affirmatiua.

13 Contra eãdem quartam concluſionem eſt celebre argumentum. Obijcis ergo ſecundò. Idem poteſt ſaltem diuinitus ſe ipſum reproducere: ſed idem non diſtinguitur à ſe ipſo: ergo inter cauſam efficientem, & effectum nõ requiritur vlla diſtinctio ex natura rei. Maior huius argumenti docetur à Soar. varijs in locis, præcipuè tom. 3. in 3. p. ad q. 175. diſp. 50. ſect. 4. §. *Sed ex hac*; quam ſententiam confirmat ex auctoritate multorum Doctorum, ac Patrum, quos citat à §. *Quintus ergo modus*; qui aſſerunt humanitatem Chriſti in Cælo exiſtentem ſe ipſam reproducere in Euchariſtia, inter quos citat Cyprian. Ambr. Auguſt. Damaſc. D. Thom. Palud. &c. eandem probabiliorem dicit Arriaga in Phyſica diſp. 7. ſect. 9. n. 114.

Soar.

Cyprian. *Ambroſ.* *Auguſt.* *Damaſc.* *D. Thom.* *Arriaga.*

14 Probatur hæc ſententia, quæ probabilior videtur: quia ſi aliquid repugnaret ad hãc reproductionem ſui ipſius, foret, quia inter idem, & ſeipſum nulla daretur diſtinctio, & dependentia; ſed ex hoc non repugnat: ergo &c. Probatur minor, quia inter reproducens ſe ipſum adæquatè, & inter ſe reproductum, datur diſtinctio realis: ergo ex hoc capite non repugnat. Declaratur antecedens: quia ex vna parte ſumitur reproducens, cum cauſa prima eleuante, & ex parte effectus, ſumitur reproductum per ſe ſolùm: manifeſtum verò eſt, dari diſtinctionem realem, inter hæc duo extrema; ſicut idem corpus poſitum in duplici loco, diſtinguitur realiter à ſe ipſo, ratione locorum: ac proinde poterit Deus ſumere Socratem, qui modo eſt Romæ, ad ipſum reproducendum Conimbricæ. Confirmatur, quia diſtinctio, quæ hîc datur, eſt includentis ab incluſo, hæc verò ſufficit ad veram rationem cauſæ, & effectus, nam materia cauſat totum, in quo ipſa materia includitur. Ex quibus patet ſolutio ad argumentum cõtra noſtram concluſionem: & conſtat quid dicendum ſit.

Soluuntur contraria argumẽta.

15 Obijcis pro cõtraria ſententia, quam ſequitur Fonſ. 5. Met. cap. 8. q. 2. ſect. 2. §. *Verum*, fine; Vaſq. 1. p. diſp. 176. cap. 6. num. 36. ad finem. Val. 3. p. diſp 1. q. 13. pun. 1 §. *ſecundò probatur*; eandem probare nititur P. Hurtad. in Phyſ. diſp. 9. ſect. 13. à n. 124. Obijcis, inquam, primò. Idem non poteſt ſe ipſum producere: ergo neque reproducere. Reſpõdetur negando conſequentiam; maior ratio eſt, quia in primo caſu nulla datur exiſtentia, neque diſtinctio, ex parte cauſæ ad effectum; at verò in reproductione datur realis diſtinctio, vt ſatis conſtat ex probatione concluſionis; & datur vera exiſtentia ipſius cauſæ.

Fonſeca. *Vaſq.* *Valent.* *Hurtad.*

16 Inſtas. Implicat eandem rem pendere à ſe ipſa: ergo idem non poteſt ſe ipſum reproducere. Reſpondetur diſtinguendo antecedens; implicat pendere, vt à cauſa principali, concedo antecedens; vt ab inſtrumentali, nego antecedens.

17 Inſtas ſecundò. Actio reproductiua tota debet eſſe à cauſa principali, quæ eſt Deus, & tota ab inſtrumento; ſed non poteſt vllo modo pendere idem à ſe ipſo, neque tanquàm ab inſtrumento: ergo &c. Reſpondetur, diſtinctionem, & dependentiam in hac reproductione non eſſe conſiderandam, niſi per ordinem ad totale principium, reſpectu cuius non eſt dubium, dari diſtinctionem, ac dependentiam: ſicut ſimiliter aſſerunt Philoſophi actionem creatiuam, & eductiuam, circa eundem terminum, non diſtingui ſolùm ratione termini partialis, quia vt ſic non diſtinguerentur, ſed ratione termini totalis, nẽpe creatio accidentis diſtinguitur ab eductione eiuſdem accidentis, quia hæc tendit ad accidens cum inhærẽtia, creatio veró ad ſolum accidens.

18 Obijcis ſecundò. Ideò Theologi colligunt diuinas perſonas realiter diſtingui, quia inter producens, & productum debet dari diſtinctio realis: ergo idem non poteſt ſe ipſum reproducere, quia idem non diſtinguitur á ſe ipſo. Reſpondetur Theologorum ſententiam nullo modo infringi ex noſtra opinione, cùm etiam in ea detur realis diſtinctio inter productum, & reproducens. Neque obſtat, quòd inſtrumentum ipſum, quod eſt partiale principium, non diſtinguatur realiter ab ipſo termino producto, nam etiam in productionibus diuinis eſſentia Patris, qui eſt producens, non diſtinguitur realiter ab eſſentia diuina Filij, qui eſt terminus productus.

19 Duæ hic reſtabant quæſtiones: prima, vtrùm idem effectus prouenire poſſit à duplici cauſa totali efficienter? Illam tamen ſpatijs excluſus iniquis remitto ad prædicamentum Actionis, in quo pro dignitate tractabitur.

20 Secunda quæſtio erat de diſſimilitudine inter agens, & paſſum, qua de re Soar. in Met. diſp. 18. ſect. 9. Hurtad. in Phyſ. diſp. 9. ſect.

Soarius. *Hurtad.*

Digitized by Google

Conimbr. ſect. 9 à num. 84. Conimbricenſes 1. de Gener. cap. 9 quæſt. 2. vbi nobis de hac quæſtione agendum eſt. Et interim breuiter dico, ſemper dandam eſſe aliquam diſſimilitudinẽ, ſaltem in prioritate naturæ, quia efficiens cauſa, vt operetur, debet eſſe in actu, paſſum vero in potentia.

DISPVTATIO XXVII.

De efficientia Cauſæ primæ, & ſecundæ.

EXplicatum eſt quid ſit cauſa efficiens in communi, & quæ eius cauſalitas; modò agendum reſtat de cauſa efficiente in particulari, quæ, vel eſt prima, vel ſecunda. In his igitur duabus ſect. audentiori volatu primæ cauſæ efficientis ineffabile principium operandi reuerentiſſimè contemplabimur, ſimulque modum inueſtigabimus, quo ſimul, cum cauſis ſecundis, concurrit ad operandum, & in ſequentibus ſectionibus, relicta Cauſa prima, ad ſecundas deſcendemus, & illarum principia ad operandum rimabimur, tam in cauſis ſubſtantialibus, quàm etiã in accidentalibus.

SECTIO I.

Quod ſit principium operandi in Cauſa prima, & quomodo concurrat cum ſecunda?

Omnipotentia eſt principiũ operandi. Durand. Suarius. 1 PRima concluſio. Principium formale, per quod Deus operatur ad extra eſt diuina omnipotentia, prout exequutiua eſt. Ita Durand. in 1. diſt. 88 q 1. & colligitur ex Soar. in Met. diſp. 30. ſect. 17. nu. 2. quæ potentia exequutiua nihil eſt aliud, quam ipſa diuina Omnipotentia diſtincta virtualiter ab intellectu, & voluntate diuina, idem ſequitur Arriaga in Phyſica, diſput. 9. ſect. 4. à n. 40. quatenus docet creationem in Deo diſtingui ab actu diuinæ voluntatis. Probatur concluſio, quia illud eſt principium formale operationis, per quod res ponitur in actu primo operandi: ſed Deus per ſuam potentiam exequutiuam eſt in actu primo operandi: ergo, ſicut per concurſum diuinum, ſeu actionem ponitur in actu ſecundo, ita per potentiam exequutiuam conſtituitur in actu primo. Arriaga.

2 Confirmatur primó. Quia actus intellectus, & voluntatis formaliter, quà tales ſunt, attingunt res intentionaliter, & extrinſecè: actus veró omnipotentiæ exequentis attingunt res realiter (dicitur enim res cognita ab actu intellectus extrinſeco, dicitur autem facta ab actione reali, quæ intrinſecè recipitur in termino) Confirmatur ſecundó. Quia Deus non eſt formaliter omnipotens, quatenus intelligit omnia, vel quatenus vult, ſed quia poteſt omnia facere: ergo ſimiliter formale principium operandi erit ipſa potentia exequutiua, non veró intellectus, vel voluntas.

3 Ex quibus patet, hanc potentiam exequutiuam virtualiter diſtingui ab intellectu, vel voluntate diuina: & probatur, quia potentiæ diſtinguuntur per actus; actus veró diuini intellectus, & voluntatis ſunt immanentes, actus autem potentiæ exequutiuæ ſunt tranſeuntes: ergo virtualiter diſtinguuntur: præterquamquòd diuerſa formalitas ſit intelligere, aut velle ad intra, & operari ad extra: immó hæc eadem omnipotentia poteſt à nobis diuidi in plures, cum fundamento in re, v. g. in creatiuam, quatenus creat per ſe ſolam; in generatiuam, quatenus generat ad extra, ſimul cum cauſa ſecunda.

4 Ex dictis facilè ſoluuntur argumenta pro contraria ſententia, quæ docet, potẽtiam exequutiuam Dei ad extra non diſtingui virtualiter à voluntate diuina, ſed eundem actũ voluntatis, quo Deus vult hoc, aut illud, eſſe immediatum principium efficiens rerum creatarum; quam ſententiam ſequitur Mol. 1. p. q. 25. art. 1. diſp. 2. §. *Secunda concluſio*, & pro ea in §. *Contraria ſententia*, citat aliquos Auctores Vaſq. etiam tom. 1. in 1. p. ad q. 25. art. 1. diſp. 102. cap. 3. exiſtimat diuinam potẽtiam exequutiuam non diſtingui ab intellectu, & voluntate diuina, vbi in n. 6. plures allegat. Verũ horum auctorum rationes non probant, non dari diſtinctionem virtualem. Principiũ Dei ad extra nõ eſt diuina voluntas. Molina. Vaſq.

5 *Secunda concluſio.* Cauſa prima per ſe, & immediaté concurrit cum cauſa ſecũda. Hæc concluſio eſt valde conformis principijs Fidei, & oſtendunt Patres Conimbr. 2. Phyſ. cap. 7. q. 12. art. 2 vbi in primo, & ſecundo §. doctè probant, hanc veritatem Doctorum, Patrum, Patres Conimbr.

Arriaga.

trumque teſtimonijs, idem præſtat Arriaga in Phyſica diſp.10.à nu 7. Probatur, quia Deus eſt intimè præſens rebus omnibus, vt vel Ethnici cognouere, iuxtà illud Vatis Andini:

Virgil. Æn.6.

Principio cælum, ac terram ——
Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem. &c.

Teſtes tamen habemus firmiores, Paulum videlicet tonantem apud Athenienſes; & regiũ Pſalmiſtam canentem apud Hieroſolymas, ſic enim ille Act.17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.&c.* Paſtor verò regius Pſal.138. *Quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades. &c.* Eſt autem hæc veritas valde conformis naturali rationi; cùm enim res omnes pendeant eſſentialiter à Deo in fieri, & in conſeruari, & cùm detur cauſa prima, neceſſarium eſt etiam fateri Deum conſeruare omnia per ſe immediatè, nam ſi id faceret, mediantibus alijs cauſis, procul dubio infinitus proceſſus cauſarum non euitaretur.

Actor.17. Pſal.138.

Falsò credidit Durand. Deũ remotè tãtùm cõcurrere cum cauſis ſecundis.

6 Ex hac doctrina colliges quàm falſa ſit, & erronea ſententia Durand. in 2.diſt.1. q. 5. & diſt 37.q.1. aſſerentis Deum remotè tãtùm concurrere cum cauſa ſecunda, nihil per ſe ipſum immediatè operando, ſicut Rex aliquis, qui non per ſe, ſed per ſuos miniſtros operatur; quaſi verò maximè dedeceret diuinam illam, & immenſam maieſtatem, immediatè per ſe ipſum, res infimæ notæ in ſuo eſſe conſeruare. Verum enim verò hæc ſententia Durandi ſuſtineri non poteſt, & communiter ab omnibus exploditur, illud enim genus remoté gubernandi ſolùm pertinet ad quandam hominum perfectionem, ſuppoſita eorum imperfectione, multò enim perfectius, ac ſublimius eſt, per ſe ipſum rebus omnibus, & effectibus imperioſè adeſſe; præcipuè cùm id præſtari poſſit, ſine diſtractione infinitæ virtutis, & ſine nota auguſtiſſimæ maieſtatis. Hæc lentè proſequitur P.Hurt. in Phyſ. diſp. 10.ſect.1. à n.9. & lentiùs P.Bened.Per. in ſua Phil. lib 8.cap.7.8.& 9.

Hurtad. Benedict. Pereira.

Agit Deus immediatione virtutis, & ſuppoſiti.

7 *Tertia concluſio.* Deus, ſeu cauſa prima agit cum cauſis ſecundis, non ſolùm immediatione virtutis, ſed etiam immediatione ſuppoſiti. Hæc concluſio certa eſt, & probatur à Soar. in Met. diſp. 30.ſect.7. à n.12. eandem tradunt Patres Conimbr. 2. Phyſ.cap.7. q.14. art.2. Rub. 2. Phyſ.tract.4. q.7. nu.69. illam etiam attigit Hurtad. in Phyſ. diſ.18.ſect.2. n. 18. & euidenter colligitur ex D.Thom. 1.p. q.105 ar.5. Probatur, quia propterea Sol. v.g. agit ſolùm immediatione virtutis, hoc eſt, mediante luce, vel calore, quia cùm ſit valde remotus, non poteſt per ſe attingere effectũ: ſed Deus eſt intimè præſens omnibus rebus, vt patet ex ſuperiori concluſione: ergo non ſolùm agit immediatione virtutis, ſed etiam immediatione ſuppoſiti.

Soarius. Patres Conimbr. Rubius Hurtad. D.Thom.

8 Confirmatur, & declaratur, quia illa virtus, per quam Deus concurreret, vel eſſet increata, & tunc iam foret idem Deus; vel eſſet creata, & tunc, ſi Deus non concurrat cum hac virtute immediatè per ſe, incidimus in ſententiam Durandi, qui negabat concurrere Deum immediatè per ſe cum cauſis ſecũdis. Cùm igitur actio quælibet cauſæ creatæ immediatè egrediatur, tam à cauſa prima, quàm etiam à creata, dubium non eſt, quòd cauſa prima operetur etiam immediatione ſuppoſiti: vnde communiter ab omnibus reijcitur ſententia Ferrar. aſſerentis lib.3. contra Gent. cap. 7. Deum ſolùm concurrere cum cauſis ſecundis immediatione virtutis.

Ferrar.

9 Igitur in hoc modo concurrendi cum creaturis, ita ſe illis Deus accommodat, vt tam cauſa prima, quàm ſecunda in ſuo genere ſit totalis, nam vtraque tribuit concurſum in ſuo genere ſufficientiſſimum; vnde neutra dicenda eſt cauſa partialis, quia cauſa partialis nunquàm adhibet ſufficientem concurſum, id eſt, totalem: procedit ergo effectus totus à Deo, & totus à cauſa ſecunda, quamuis (vt ita loquar) à neutra totaliter, ſed ab vtràque ſimul totaliter. Atque etiam conſequenter dicendum eſt, non eſſe factibilem à Deo creaturam, quæ ab ipſo Deo non dependeat in fieri, in conſeruari, & in operari, quia hæc dependentia eſt intrinſeca eſſentialiter in ratione, & conceptu creaturæ: ergo &c.

Vtrùm requiratur præuia qualitas ad actionem cauſæ ſecundæ?

Reſolutio eſt negatiua.

10 Q*uarta concluſio.* Concurſus cauſæ primæ cum ſecunda non eſt aliqua præuia qualitas impreſſa in cauſa ſecunda, ante actionem, per quam phyſicè moueatur ad operationem: ſed eſt ipſamet actio cauſæ ſecundæ, prout prouenit etiam à cauſa prima. Hæc concluſio nobis eſt omnino vera, eam tradũt Conimbr. 2.Phyſ. cap.7. q 13. ar.1.& 2. Molin. in Concord. q.14. ar.13. diſp. 16. Soar. in Met. diſp. 22. ſect.2. vbi n.10. citat Scot. Caiet. Almain. & alios, Hurt. in Phyſ. diſp. 10. ſect. 3. à nu. 3. immò etiam noſtra hæc ſententia colligitur ex D.Thom. 1.p. q.105. ar. 5. Probatur prima pars, quòd ſcilicet non detur aliqua præuia motio, per aliquam qualitatem phyſicam, quia vel illa præuia qualitas indiget aliquo præuio concurſu ad operandum, vel non: ſi indiget, dabitur proceſſus in infinitum; ſi nõ indiget, idem

Patres Conimbr. Molina. Soarius Scot. Caietan. Almain. Hurtad. D.Thom.

Digitized by Google

idem dicendum erit de ipſa cauſa ſecunda. Confirmatur, quia ſi cauſæ creatæ non poſſet operari, niſi excitarentur illa præuia motione, manifeſtè ſequitur excitare Deum voluntatē etiam ad actus vitioſos: hoc eſt falſum, vt patet, ergo nulla datur præuia qualitas prædeterminans cauſas ſecundas. Circa hoc punctū latè prælibabimus in Met. diſp. 68.

11 Ex quibus ſequitur ſecunda pars concluſionis, ſcilicet, nihil aliud eſſe concurſum Dei cum cauſa ſecunda, quàm efficere Deum ſimul eandem actionem cum cauſa ſecunda; procedit igitur eadem actio à Deo, & creatura, quamuis actio hæc, cùm ſit tranſiens, non in Deo, ſed in creatura recipiatur.

12 Obijcis pro contraria ſententia, quæ celebris eſt inter aliquos Thomiſtas (quos citant Conimbr. ſup. q. 13. ar. 1. in initio) quibus morigerantur Fratres diſcalceati in Phyſ. diſ. 1. q. 3. à n. 14. Cauſa ſecunda per Philoſophū non mouet, niſi mota: ergo priùs naturâ excitatur per concurſum diuinum, antequàm operetur. Confirmatur, quia cauſa prima non ſolùm dicitur prima in eſſendo, ſed etiam in operando. Reſpondetur explicando Ariſtotelem; idem enim eſt dicere, *Cauſa ſecunda non mouet, niſi mota à prima*, ac dicere cauſam ſecundam non poſſe operari per ſe ſolam, ſed indigere motione, ſeu concurſu cauſæ primæ; cùm tamen cauſa prima poſſit agere ſine ſecunda: nunquàm tamen Philoſophus dixit, cauſam ſecundam debere priùs naturâ excitari ad operandum; ex quibus patet ſolutio ad confirmationem; dicitur enim Deus cauſa prima, primò in eſſendo, ſecundò etiam in operando, quia eſt nobilior, & independens à ſecunda. Plura hac de re affert Mol. in ſua Concordia q. 14. ar. 13. diſp. 26. Neque obſtat, quòd eadem actio procedat à duplici cauſa totali ſubordinata, obſtaret verò, ſi non eſſent ſubordinatæ.

Conimbr. Curſus Complut.

Molina.

13 Atque hinc eſt, quòd prima cauſa determinet ſecundam quòad indiuiduum: ſecunda verò determinet primam, quòad ſpecificationem; tunc verò datur determinatio quòad ſpecificationem, quando effectus, vel actio eſt illius, vel huius ſpeciei: ſed Deus ideò concurrit ad producendum calorem v. g. & non frigus, quia determinatur à cauſa ſecunda, nempe ab igne: ergo &c. Determinatio quòad indiuiduum tunc datur, quando cauſa determinatur ad producendum effectum hunc numero, intra eandem ſpeciem; ſed cauſa ſecunda eſt indifferens ex ſe ad producendum hunc, vel illum effectum numero, hanc, vel illam actionem: ergo determinatur à prima; quemadmodùm enim cauſa prima, quia eſt cauſa vniuerſalis, i. differens eſt ad producendum calorem, vel frigus, & ideò debet determinari, quòad ſpeciem, à cauſa ſecunda; ita cauſa ſecunda, (quamuis ſit determinata ad producendum calorem v. g.) eſt tamen indeterminata ad producendum hunc, vel illum calorem, & ideò determinari debet à cauſa prima ad indiuiduum ſui effectus.

Quomodo cauſa prima, & ſecūda ad inuicē determinentur

14 Neque ex hac determinatione ad indiuiduum, ſequitur, quòd Deus ſit cauſa malitiæ huius peccati: nam ideò Deus te determinat ad hunc potiùs actum in indiuiduo, quia tu vis facere actum huius ſpeciei. Neque præterea te neceſſitat, ſed determinat conditionatè, id eſt, ſuppoſito quòd vis exire in aliquem actum huius ſpeciei. Quarè nullo modo Deus eſt cauſa peccati, neque etiam quando concurrit ad ipſum peccatum, quia ſolùm concurrit ad phyſicam actus entitatem, non verò ad malitiam moralem, vt oſtendit Hurtad. in Phyſ. diſp. 10. ſect. 4. nu. 42. & doctiſſimè idem docet Mol. in ſua Cōcord. quæſt. 14. ar. 13. à diſp. 30. quæ doctrina communis eſt, & certa. Et videri poteſt Soar. in Metaphyſ. diſput. 22. ſect. 4. item Arriaga in Phyſica, diſput. 10. ſect. 1. ſubſect. 5.

Deus concurrendo cum cauſa ſecūda nō cauſat peccatum.

Hurtad.

Molina.

Soarius.

Arriaga.

15 Ex dictis etiam euidenter ſequitur, diuerſo modo influere Deum ſe ſolo in effectum, atque dum cum cauſa ſecunda ſimul concurrit, quia quando ſe ſolo operatur, adhibet totum concurſum neceſſarium ad productionem effectus; cùm verò concurrit ſimul cum cauſa ſecunda, minorem adhibet cōcurſum, quia tunc etiam cauſa ſecunda ſuo modo operatur, & Deus operando ſe ſolo debet ſupplere concurſum cauſæ ſecūdæ, quod non tollit, quominus vtraque cauſa ſit totalis in ſuo genere.

16 Obijcis. Si cauſa ſecunda efficiens dicitur totalis in ſuo genere, etiam materia v. g. dicetur cauſa totalis in ſuo genere: Conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Reſpōdetur negando ſequelam; non enim dicitur totalis in aliquo genere cauſa illa, quæ admittit conſortium alterius cauſæ partialis, vt ſe habet materia, quæ, vt cauſet compoſitum, requirit formam, tanquàm cauſam partialem: Cauſa verò ſecunda efficiens non requirit conſortium alicuius partialis cauſæ, ſed eſt per ſe cauſa totalis, & completa, quamuis producere non poſſit in actiones, ſine cauſa prima: ſicut intellectus dicitur cauſa totalis, ac completa ſuorum actuum, licet eos nequeat elicere, ſine animæ conſortio. Quarè acriter pugnat P. Rub. 2 Phyſ. tract. 4. q. 7. num. 73. tam cauſam primam, quàm ſecundam dicendas eſſe cauſas totales: quamuis Molina in ſua Con-

P. Rubius.

P. Molin.

Concord. quæſt. 14. ar. 13. diſput. 26. §. *Ex dictis intelligetur*, admittat cauſam primam, & ſecundam dici poſſe partiales partialitate cauſæ, non verò partialitate effectus: Certum tamen ſemper eſt, cauſam primam, & ſecundam efficere vnum agens perfectum; vnde non dicetur actio prouenire à duplici agente abſolute, ſed vel dicetur prouenire a duplici agente ſubordinato, vel ab vno agente perfecto, quod conſtatur ex cauſa prima, & ſecunda.

SECTIO II.

Vtrùm Deus concurrat ſolùm in genere cauſæ efficientis?

Deus non concurrit in genere cauſæ materialis.

1 Concluſio ſit. Probabilius exiſtimo nô poſſe Deum concurrere in genere cauſæ materialis, vel formalis, & conſequenter ſolùm concurrere in genere cauſæ efficientis realiter, aut etiam in genere cauſæ finalis, aut exemplaris, ita Soar. in Met diſp. 22 ſec. 1. à n. 25. Ægyd. tom. 2. de Beat. lib. 8. 2. p. q. 4. ar. 1. § 4 à n. 21. Rubius 2 Phyſ. trac 4. de Cauſa efficiente q. 7. n. 88. in editione anni 1605. Hurtad. eam ſupponit, tamquàm omnino certam, in Phyſ. diſp. 11 ſec. 7. n. 42. fine & diſp. 10. ſec. 2. n. 19. aſſerit hoc eſſe luce clarius; item Erice 1 p. tra. 4. diſp. 41. cap 2. à n. 5.

Soarius. Ægydius. Rubius. Hurtad. Eric.

2 Probatur ratione, quia impoſſibile eſt dari cauſam in actu, ſine eius cauſalitate in actu: ergo ſi Deus actualiter operatur materialiter, vel formaliter, debet actualiter habere cauſalitatem harum cauſarum: ſed Deus nequit habere in ſe cauſalitatem materiæ, & formæ: ergo &c. Probatur minor. Quia Deus nequit in ſe recipere formam: ergo nequit habere cauſalitatem materiæ, quæ eſt vnio, vel generatio; & ſimiliter, cùm Deus non poſſit informare, nequit habere in ſe cauſalitatem formæ. Confirmatur, quia proptereà Deus poteſt concurrere in genere cauſæ efficientis, finalis, & exemplaris, quia poteſt producere actiones, quæ ſunt cauſalitates harum cauſarum: cùm ergo non poſſit in ſe habere cauſalitatem materiæ, & formæ euidenter ſequitur, non poſſe concurrere in genere cauſæ materialis, vel formalis.

3 Obijcis pro contraria ſententia, quam primus ingenioſé inuexit ſapientiſſimus P. Petr. Fonſ. 5. Metap. cap 2. quæſt. 12. ſec. 2. vbi §. *Videtur*, credit nullum eſſe Scriptorem, Theologum, aut Philoſophum, qui non ſit defenſurus ſuam hanc ſententiam. & lib. 7. Metaph. cap. 7. quæſt. 3. ſec. 4. ſuam opinionem multorum oppugnationibus laborantem, ac nutantem rationum præſidio fortiter corroborat, quem poſteà illuſtres aliqui Recentiores in manuſcriptis ſequuti ſunt.

D. Fonſeca.

4 Concedit igitur hæc ſententia, Deum non ita concurrere in genere cauſæ materialis, vel formalis, vt intrinſecè ingrediatur cōpoſitionem phyſicam, euidentiſſimum enim eſt, Deum non eſſe partem compoſiti alicuius, cùm ſit ens completum, & infinitum: aſſerit tamen cùm certum ſit, Deum concurrere cū omni cauſa ſecunda, non concurrere cum illis ſolùm efficienter, ſed accommodando ſe cauſis ſecundis, ita vt, cum cauſa materiali, concurrat etiam materialiter, non quidem recipiendo in ſe formam, ſed ſuſtentando illam: atque adeò ſentit Fonſ. vnionem materiæ habere duos effectus, vnum ſcilicet, quo dat eſſe effectui, alium, quo vnit extrema; ac proinde cauſalitatem materiæ, prout eſt à cauſa ſecunda, habere illum duplicem effectum, quatenus verò eſt à cauſa prima, habere tantùm vnum effectum, nempe dare eſſe, ſeu ſuſtentare, quin vniat.

5 Hæc ſententia ſic explicata non caret omni probabilitate, licet illam acerbâ, nimiſque cenſoria ſeueritate, aſperiús, quàm tanti Doctoris grauitas poſtulabat, caſtiget, & cōdemnet Soar. cit. n. 29. exiſtimoque cum AEgytanenſ. tom. 2. de Beat. lib. 8. 2. p. q 4 ar. 2. § 4. num. 23. exercitij gratia (vt ipſe ait) defendi poſſe, dummodò quis conſtanter credat, ſufficere ad rationem cauſæ materialis ſuſtentationem, ſine receptione; receptionemque ipſam ſolùm requiri in cauſa materiali phyſica, & creata, non verò in cauſa materiali increata: ſicut contactus phyſicus neceſſariò requiritur ab agente corporeo, non tamē ab agente diuino, & incorporeo.

Hæc ſententia eſt probabilis. Soarius. AEgytan.

6 Obijcis, inquam, primò pro ſententia Fonſ. Materia in compoſito humano recipit formam, quin illam ſuſtentet; Verbum diuinum, mediante vnione hypoſthatica, ſuſtentat humanitatem, quin illam in ſe recipiat: ergo bene fieri poteſt, vt Deus concurrat in genere cauſæ materialis ſuſtentando ſolam formam, & non illam in ſe recipiendo, præcipuè, quia Deus ſemper ſe accommodat naturis rerum. &c. Reſpondetur negando conſequentiam, & ad exemplum animæ rationalis reſpondetur, mirum non eſſe dari receptionem ſine ſuſtentatione, quia materia non eſt cauſa formæ rationalis: impoſſibile tamen eſſe in vera cauſa materiali dari ſuſtentationem ſine receptione, quia nihil

Soluuntur argumenta pro ſententia Fonſecæ.

Digitized by Google

nihil eſt aliud eſſe cauſam materialem, quàm recipere in ſe formam, per veram eductionẽ, ſiue generationem.

7 Ad ſecundum exemplum de humanitate, quæ ſuſtentatur à Verbo, quin recipiatur in illo, reſpondetur, humanitatem dependere à Verbo, tamquàm à termino, quæ dependentia ex natura ſua nõ includit receptionem, vt patet ex dependentia, quam habet vnum relatum à ſuo termino, ita enim eſt relatio identificata cum fundamento, vt non recipiatur in termino, tamquàm in ſubiecto: at verò dependentia à cauſa materiali, cùm ſit à ſubiecto, nequit dari ſine receptione: immò ſic retorqueo argumentum ad hominem; Verbum diuinum ſuſtentat humanitatem terminatiuè, & tamen non dicitur concurrere cum illa in genere cauſæ materialis, quia illam in ſe non recipit: ergo licet Deus concurrat cum materia, ſuſtentando formam effectiuè, cùm tamen illam in ſe non recipiat, non dicetur concurrere in genere cauſæ materialis.

8 Obijcis ſecundò: Deus concurrit cum cauſa ſecunda ſubordinata primæ, per eundem numero concurſum; ſed concurſus iſte, prout ſe habet ex parte materiæ, eſt materialis: ergo ſimiliter, prout ſe habet ex parte Dei, erit materialis, propter maximam ſubordinationem, quæ datur inter cauſam primam, & ſecundam. Reſpondeo diſtinguendo maiorem, Deus concurrit cum cauſa ſecunda per eundem numero concurſum efficienter, concedo maiorem; materialiter, nego maiorem, non enim in ſe recipit formam; cùm tamen Deus eminentiori modo contineat in ſe omnes cauſas creatas, nobiliori etiam modo præſtat efficienter id, quod cauſa ſecunda materialiter facit, vel formaliter: vnde cauſarum ſubordinatio in eo ſiſtitur, quód materialis etiam, & formalis cauſa, earumque cauſalitates immediaté pendeant à cauſa prima, quòad efficientiam, quia nihil reale eſt, cum quo Deus efficienter non concurrat immediatè: itaque eademmet cauſalitas, per quam materia cauſat, dependet à Deo efficienter. Neque obſtat ſimultas eiuſdem concurſus, nam idemmet concurſus procedit à cauſa materiali materialiter, & à Deo efficienter.

9 Obijcis tertiò. Receptio, & ſuſtentatio in materia ſunt effectus ſaltem virtualiter, diſtincti: ergo poterit Deus præſtare vnum, nempe ſuſtentationem, quin alium præſtet, nempe receptionem. Probatur conſequentia, quia effectus ſpecificus accidentis virtualiter tantùm diſtinguitur ab effectu generico, & tamen poteſt accidens communicare in ſubiecto inepto effectum genericum, quin communicet ſpecificum, quando ſubiectum non eſt huius effectus capax, iuxta ea, quæ dixi in hac 2. p. tract. 1. diſp 23. ſect. 5. à n. 1. ergo ſimiliter poterit Deus concurrere cum cauſa materiali præſtando formæ ſuſtentationem, non verò receptionem, quia huius receptionis Deus non eſt capax.

10 Reſpondetur, concedendo poſſe dari receptionem ſine ſuſtentatione (vt patet in materia, quæ in ſe recipit formam rationalem, non tamen ſuſtentat) ſicut etiam dari poteſt effectus genericus accidentis ſine ſpecifico; negamus tamen dicendam propriè cauſam materialem illam, quæ non habet vtrumque effectum, quia vterque eſt de eſſentia cauſalitatis materiæ: vnde materia non dicitur cauſa, nec dicitur habere cauſalitatem reſpectu formæ rationalis, cùm verò de eſſentia accidentis non ſit præſtare vtrumque effectum formalem genericum & ſpecificum (cùm, vel ſine vtroque effectu, ſi ſit in abſtracto, ſit verum accidens) inde eſt, quód poſſit communicare vnum effectum genericum, quin communicet ſpecificum, & tamen adhuc conſeruet ſuam eſſentiam. Vnde non obſtat diſtinctio virtualis inter receptionem, & ſuſtentationem materiæ, nam quamuis virtualiter diſtinguantur, ambæ ſunt de eſſentia cauſalitatis materiæ, & ideò vna non poteſt reperiri ſine alia, ſicut homo reperiri non poteſt ſine animali, & rationali, quamuis hi gradus virtualiter diſtinguantur.

11 Obijcis quartó. Subiectum poteſt actuari à forma, quin forma illi tribuat aliquod eſſe, quantitas enim, & reliquæ formæ accidentales materiam informant, nullum eſſe illi præſtando: ergo, è conuerſo, poterit forma tribuere eſſe compoſito, quin illud informet; & conſequenter poterit Deus concurrere formaliter, quin informet. Reſpondetur negando conſequentiam, & ratio eſt, quia ſicut illæ formæ accidentales præſtare nequeunt ſuum effectum, niſi per inhærentiam, ita forma ſubſtantialis nequit ſe communicare, niſi per vnionem, & informationem, quæ cùm repugnent Deo, nunquàm Deus poterit concurrere formaliter, vel materialiter: præcipuè cùm Deus contineat eminenter, & perfectiori modo, cauſalitates omnium cauſarum, & poſſit perfectiori modo, hoc eſt, efficienter, cauſare, quod materialis, & formalis cauſa exercent modo imperfecto.

(?)

SECTIO III.

An, & quomodo cauſæ ſecundæ, & accidentia veram habeant efficientiam?

Cauſæ ſecundæ habent verā virtutem operatiuā

1 PRima concluſio. Cauſæ ſecundæ verā habent virtutem operandi communicatam à prima cauſa efficiente, nō ſolùm circa accidentia, ſed etiam circa veras generationes ſubſtantiales. Hæc concluſio certa eſt, & catholica iuxta illud Geneſeos 1. *Germinet terra herbam virentem*, vbi Deus veram efficientiam tribuit elementis; idem cernitur ex Luc. 21. *Arbores cùm producunt iam ex ſe fructus*. Pro hac veritate videri poteſt Soar. in Met. diſp. 18. ſect 1. qui n. 4. illam probat auctoritate Scholaſticorum, & n. 11. illam confirmat Scripturæ, ac Patrum teſtimonijs. Pro ea ſimiliter videri poſsūt Rub. 2. Phyſ. tract 4. q. 2. á num. 16. Hurt. in Phyſ. diſp 9. ſec. 2. Tol 2. Phyſ. cap. 3. â §. *Pro huius*; Barthol. Amicus in Phyſ. trac. 11. q. 6. dub. 2. art. 3. qui num 4. §. *Quinta opinio*, citat D. Thom. Albert. Durand. Maſium, & alios. Idē probat Arriaga in Phyſica diſp 11. ſect. 2. ſubſect. 4.

Gen. 1. Luca 21. Soar. Rubius. Hurtad. Tolet. Barth. Amicus D Thom. Albert. Magn. Durand. Maſius. Arriaga.

2 Hæc concluſio non indiget probatione longiùs petita, quàm ab ipſa experientia, quæ maximam habet vim contra abſurdam aliquorum opinionem, qui nullam efficientiam tribuebant cauſis ſecundis, quis enim negabit Solem illuminare, ignem producere alium ignem. Et confirmatur, quia decebat diuinam bonitatem communicare ſe creaturis non ſolùm quoad eſſe earum, ſed etiam quoad operationes, vt in vtroque eas ſibi ſimiles efficeret: non ergo cenſendus eſt ſuperfluus concurſus creaturarum, quia licet reſpectu Dei neceſſarius ſimpliciter non foret (poterat enim Deus omnia efficere per ſe ſolùm) fuit tamen valde conueniens ad vniuerſi gubernationem.

3 Ex quibus patet quàm temeraria ſit, & erronea oppoſita ſententia, quæ communiter tribui ſolet Petro Aliacenſi in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. cui aliquantulùm patrocinatur Gabriel. in 4. diſt. 1. quæſt. 1. artic. 3. Colligitur etiam falſitas alterius opinionis Auicenæ lib. 1. ſuæ Sufficient. cap. 10. vbi ſolùm tribuebat ſubſtantijs efficientiam erga accidentia, non veró erga ſubſtantias.

Petrus Aliacenſ. Gabriel. Auicen.

4 *Secunda concluſio*. Suppoſitum eſt principale principium efficiendi, & *vt quod*, forma veró ſubſtantialis eſt principale principium, *vt quo*. Hæc concluſio certa eſt. Probatur prima pars ex illo communi effato, *actiones ſunt ſuppoſitorum*. Probatur ſecunda pars. quia forma ſubſtantialis eſt principium eſſendi principale, & ſubſtantiale: ergo etiam debet eſſe principium operandi, ex quo, tamquàm ex radice, procedant actiones, quæ prouenire non poſſunt à materia, quia hæc operatiua non eſt.

Subſtātia immediatè concurrit ad producēdā ſubſtantiam.

5 *Tertia concluſio*. Forma ſubſtantialis concurrit immediaté ad actiones ſubſtantiales, ſimul cum accidentibus, itaut tam ſubſtantia, quàm accidentia immediatè concurrant ad productionem alicuius ſubſtantiæ: ita Soar in Met. diſp. 18. ſect. 2. á n. 14. Hurtad. in Phyſ. diſp. 9 ſect. 3. à n. 25. Deinde quoad primam partem, quòd ſcilicet ſubſtantia ſit immediatum principium, traditur ab Scoto, & Ochamo, quos citat Soar. num. 5. idem tenet Murſia 2. Phyſ. diſp. 5. q. 10. dub. 2. Quóad ſecundam partem, quód ſcilicet, accidentia, etiam immediatè, attingant ſubſtantiam, eſt omnium Thomiſtar. quos citat Soar. cit. num. 9. eandem tenet Fonſ. 5. Metaph. cap. 2. quæſt. 6. ſect. 3. à §. *Tertia igitur*. Valent 3. p. diſp. 6. quæſt. 5. pun. 2. à §. *Hinc ſequitur*.

Soar. Hurtad. Scotus. Ocham. Soar. Murſia. Soarius. Fonſeca. Valent.

6 Probatur cōcluſio. Quia accidēs tribuitur à natura ad ſubſtantiā iuuandā in operatione: ſed accidens, cùm ſit ignobilioris notæ, producere nequit ſe ſolo ſubſtantiam: ergo indiget actuali concurſu ſubſtantiæ. Declaratur concluſio ex concurſu cauſæ primæ cum ſecunda ad aliquem effectum, ex eo enim quód cauſa ſecunda non poteſt per ſe ſolam operari, concurrit immediatè ad effectum cauſa prima. Quòd verò accidentia ipſa immediatè concurrant, videtur, vel experientia ipſa conſtare, nam ignis immediaté per calorem cauſat alium ignem. Et confirmatur, quia cùm ſubſtantia ex ſe operatiua non ſit, requirit accidentia, cum quibus operetur.

Soluūtur cōtraria argumenta.

7 Obijcis pro contraria ſententia, quæ aſſerit, nullam ſubſtantiam eſſe immediatum principium operandi, quæ eſt communis inter Thomiſtas, quos citat Soar. ſupra num. 9. quam etiam tradunt Conimbricenſ. 2. Phyſ. cap. 7. q. 18. art. 2. §. *Secunda aſſertio*, & Rub. 2. Phyſ. tract. 4. q. 6. à n. 55. & expreſſiùs n. 61. ex quibus patet, quàm male Hurt. ſup. n. 25. citet pro noſtra ſententia Conimbr. & Rubium, cùm ipſi oppoſitum doceant, vt videre licet locis á nobis allegatis.

Patres Conimbr. Rubius. Hurtad.

8 Obijcis, inquam, primó. Subſtantia non eſt per ſe operatiua: ergo non poteſt immediatè, & effectiuè attingere aliam

ſubſtan-

ſubſtantiam. Reſpondetur explicando antecedens, nam ſubſtantia, quamuis non ſit per ſe propriè operatiua, per veras actiones; eſt tamen per ſe operatiua ſuarum proprietatum, per emanationes. Deinde diſtinguendum eſt conſequens. Non poteſt effectiuè attingere productionem alterius ſubſtantiæ, per ſe ſolam; concedo conſequentiam: per ſe immediatè, & ſimul cum accidentibus immediatè; nego conſequentiam. Vnde quando ſubſtantia dicitur operari, mediantibus accidentibus, non ita intelligendum eſt, quaſi verò ſubſtantia influat virtutem in accidentia, & poſteà accidentia ſolùm immediatè attingant effectum; ſed ita intelligendum eſt, quód ſubſtantia, quamuis immediatè attingat effectum, non poſſit hoc efficere ſine opera accidentium; ad eum modum, quo cauſa prima dicitur operari, mediante ſecunda, cùm tamen vtraque immediatè attingant effectum.

9 Obijcis ſecundó. Sufficit, quód accidentia immediaté influant in effectum virtute ſubſtantiæ: ergo neceſſarius non eſt concurſus immediatus ſubſtantiæ, præter immediatum accidentium concurſum. Probatur antecedens primó, in generatione Socratis, cuius pater iam non exiſtat, cùm ipſe generetur. Secundò in generatione multorum viuentium, quæ generat Sol, quin immediaté ipſa attingat. ſed ſolúm per qualitates lucis, & caloris. Reſpondetur negando antecedens, nam in abſentia generantis, qui fuit pater Socratis, Deus per modum naturæ ſupplet eius defectum, eleuando diſpoſitiones, quas generans produxit, & concurrendo cum illis immediatè; & idem dicendũ eſt in generationibus viuentium imperfectorum, quæ generãtur ex putri materia, medijs qualitatibus ſolaribus. Quamquàm in generatione Socratis, vel alterius perfecti animalis, aliqui probabiliter recurrant ad ſubſtantiam matris, quæ eleuat illa accidentia, ac diſpoſitiones relictas à generante.

Deus per modũ naturæ ſupplet defectum ſubſtantiæ.

10 Inſtas. Si Deus in abſentia generantis inducit formam viuentis, cùm generans plerumque ſit abſens, nullo modo generans dicetur cauſa principalis. Reſpondetur negando ſequelam, adhuc enim generans dicetur cauſa principalis, ratione diſpoſitionũ, quas introduxit in materiam, quibus poſitis, vnio à Deo ex naturali lege producta eſt. Vbi aduertendum eſt, vt generans dicatur cauſa principalis, debere vitaliter producere diſpoſitiones, quarè licet Angelus per motum localem producat illas diſpoſitiones ſufficientes ad generationem Socratis, non dicetur tamẽ pater Socratis.

11 Ex hac doctrina ſequitur, quando accidentia vini in ſacra Euchariſtia conuertunt in ſe ſubſtantiam aquæ, (ſi aliquando forté aliqua aquæ ſtilla infunderetur in calicem conſecratum) non attingi per ſe ſolùm ab accidentibus hanc generationem, ſed recurrendum eſſe ad cauſam primam, quæ actualiter eleuat illa accidentia; proprium enim eſt cauſæ primæ in ſimilibus defectibus ſupplere, per modum naturæ, defectum cauſæ creatæ, vt ſupplet quando generans eſt abſens, & ita philoſophatur P. Soar. in Metap. diſput. 18. ſect. 2. num. 27. vbi agit de modo, quo accidentia ſeparata à proprio ſuppoſito poſſunt producere effectus ſubſtantiales, per virtutem cauſæ primæ, quæ per modum naturæ tunc operatur. Ex dictis tamen conſtat probabilitas oppoſitæ ſententiæ, quæ facilè defendi poteſt dicendo, ſubſtantiam ſolùm immediatè concurrere ad accidentia & deinde accidentia concurrere immediatè in virtute ſubſtantiæ.

Quomodò vnum accidens producat aliud accidens?

12 QVarta concluſio. Vnum accidẽs poteſt producere aliud ſibi ſimile, non tanquàm inſtrumentum, nec tanquàm principalis cauſa, ſed tanquàm cauſa propria, quæ habet virtutem innatam: ita Scot. in 4. diſt. 12. q. 3. AEgyd. Rom. Palud. & alij quos tacito nomine citat, & ſequitur Rub. lib. 2. Phyſ. trac. 4. q. 4. n. 49. Soar. in Met. diſp. 18. ſec. 6. n. 2. item Barthol. Amicus in Phyſ. trac. 12. q. 10. dub. 2. ar. 1. n. 18. Vnde in hac ſententia intellectus noſter ſimpliciter dicitur cauſa ſuorum actuum. Probatur concluſio, quia inſtrumentum debet eſſe inferioris notæ quàm ſit effectus (quæ regula certa eſt in his inſtrumentis, quæ naturaliter eleuantur, vt patet in phantaſmate expreſſo reſpectu ſpeciei intelligibilis) atquì vnum accidens aliud non excedit, quando ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo vnum accidens eſt propria cauſa alterius. Confirmatur, quia hìc maximam habet vim experientia, qua videmus calorem in aqua ſeparatum ab igne producere alium calorem: idem etiam experimur in accidentibus ſacræ Euchariſtiæ, quæ ſeparata á ſubiecto producunt naturaliter alia accidẽtia, nempe ſaporem, frigus, &c. vt bene aduertit Val. 3. p. diſp. 6 quæſt. 5. pun. 2. §. *Secundò ſequitur.*

Vnũ accidẽs eſt cauſa alterius

Scot. AEgyd. Rom. Palud. Rubius. Soarius. Barth. Amicus.

Valent.

13 Obijcis pro contraria ſententia; (quã defendunt Conimbr. 2. Phyſ. cap. 7. q. 18. ar. 3. §. *Quinta aſſertio.* P. Fonſ. 5. Metaph. cap. 2. q. 6. ſect.

Patres Conimbr.

Digitized by Google

ſect.6 per totam.) Accidens nihil eſt aliud, quàm virtus ſubſtantiæ: ergo nunquàm operatur virtute propria: ſed id, quod non operatur virtute propria, eſt inſtrumentum: ergo cùm accidens, etiam in productione alterius accidentis, operetur virtute ſubſtantiæ, ſequitur quòd etiam tunc ſit inſtrumentum, & nõ cauſa propria. Ad hoc argumentum concedimus accidens ſemper operari virtute ſubſtantiæ, nihilominùs tamen, cùm inſtrumentum naturaliter operans ſit diuerſæ ſpeciei ab effectu, & ignobilius, (vt patet in phantaſmate, reſpectu ſpeciei intelligibilis,) & cùm aliunde accidentia habeant virtutem intrinſecam, & proportionatam effectui, quam non habent inſtrumenta, ſequitur quòd potiùs dicenda ſint cauſæ propriæ.

14 Neque obſtat, quòd hæc virtus participata ſit à ſubſtantia, hoc enim non tollit quominùs ſit intrinſeca accidenti, ſed ſolùm probat eſſe accidentia cauſas valde imperfectas, ſicut cauſa ſecunda eſt imperfecta reſpectu primæ, à qua licet dependeat, nihilominùs tamen cauſa ſecunda dicitur cauſa propria. Similiter etiam forma materialis operatur dependenter à materia, & tamen eſt cauſa principalis, *vt quò*, ſuorum effectuum. Habet igitur accidens virtutem propriam ad producendum aliud accidens, ſed participatam à ſubſtantia. Non negauerim tamen hanc quæſtionem videri de vocabulo, vt aduertit ſuprà Soar. n. 3 Vnde ſi nomine, *inſtrumenti*, ſignificetur habitudo, quam habet accidens ad ſubſtantiam, vocari poteſt inſtrumentum, licet potiùs abſolutè dicendum ſit accidens virtus ſubſtantiæ. *Soar.*

15 Reſtabat quærere vtrùm potentiæ vitales ita ſint cauſæ propriæ ſuorum actuum vitalium, vt non concurrat immediatè anima ad ſimiles actus? Soar. in Met. diſp. 18. ſect. 5. n. 1. aſſerit, concurrere etiam animam immediatè cum potentijs vitalibus ad ſimiles actus: oppoſitum exiſtimat Sal. 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 6. §. *Id probabilius*: ſed de hac quæſtione ago in lib. de Anima, diſp. 80. ſect. 4. *Salas.*

SECTIO IV.

Quid ſit potentia obedientialis, & quid per eam poſſint efficere inſtrumenta eleuata?

1 PRima concluſio. Potentia obedientialis nihil eſt aliud, quàm ipſa entitas cuiuſque rei connotans extraordinarium concurſum Dei, ad faciendos effectus ſupra vires naturales illius inſtrumenti: ita colligo ex Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 13. diſp 31 ſect. 5. §. *Quòd ſi*: quem ſequitur Hurt. in Phyſ. diſp 9 ſect. 14. ſubſect. 3. n. 170. & eſt communis ſententia, & certa, de qua etiam videri poteſt Ægitan de Beat tom. 2. lib. 10. q. 2. art. 12. n. 7. & Ripalda citandus. Probatur, quia ſi à qualibet creatura tollatur omne poſitiuum ſuperadditum, ſi adhuc relinquatur eius entitas, adhuc per illam poterit eleuari; ergo &c. *Soarius. Hurtad. Ægyd. Luſitan. Ripalda.*

2 Vnde communiter reijcitur ſententia aliquorum Thomiſtarum exiſtimantium, potentiam obedientialem eſſe quandam non repugnantiam creaturæ ad obediendum creatori: cuius opinionis falſitas ex eo probatur, quia creaturæ poſſunt actiuè concurrere obedientialiter, vt patebit ex dicendis; non repugnantia veró non poteſt concurrere actiuè: ergo potentia obedientialis, non eſt non repugnantia, ſed ipſa res in ſe, quatenus habet annexam non repugnantiam, vt benè explicat noſter Vuadingus tract. de Incar. diſp. 7. dub. 2. n. 10. *Vuading.*

3 Ex dictis etiam colligitur, quàm falſó alij aſſeruerint, potentiam obedientialem eſſe qualitatem aliquam ſuperadditam. Colligitur tandem obiectum huius potentiæ eſſe quidquid non implicat contradictionem (ſiquidem operatur in virtute Dei, quæ extenditur ad omne factibile) Actio verò huius potentiæ erit ipſa productio effectus ſupernaturalis, prout exit à tali inſtrumento eleuato.

4 *Secunda concluſio.* Datur in rebus omnibus potentia obedientialis actiua ad faciendum omne id, quod non implicat contradictionem, licet inter inſtrumentum eleuatum, & effectum, nulla detur naturalis, vel ſaltem inchoata, proportio. Ita cum D. Thom. Soar. tom. 1. in 3. p ad q. 13. diſp. 31. ſect. 5. (vbi agit de potentia obediẽtiali humanitatis Chriſti Domini) & præcipuè §. *Dicendum ergo.* & tom. 3 in 3. p. ad q. 62. diſp. 9. ſect 1. (agens de Sacramentis) & in Met. diſp. 43. ſect. 4 nu. 6. Idem tenet Val. 3. p. diſp. 1. q. 13. pun 2. à § *Secundò duo.* (loquens de humanitate Chriſti Domini, quam dicit phyſicum, & actiuum miraculorum inſtrumentum.) Hurt. in Phyſ. diſp. 9. ſect 14. ſubſect. 2. num. 145. Didacus Nunes, 3. p. q. 62. in 7. difficultate, (loquens de Sacramentis) Franciſcus à Chriſto lib. 4. prælectionum de Incarnat. q. 8. & alij graues Theologi Recentiores, inter quos hæc opinio communis ferè eſt: de ea latè Ægitan. de Beat. tom. 2. lib. 10. q. 2. & inſtar omnium P. Ripalda de Ente ſupern. lib. 2. diſp. 30. quæ latiſſima, & doctiſſima eſt: ac tandem Arriaga in Phyſica *D. Thom. Soar. Valent. Hurtad. Didacus Nunes. Franciſc. à Chriſto. Ægyd. Luſitan. Ripalda. Arriaga.*

Digitized by Google

in Phyſica diſp. 11. ſect. 4. ſubſect. 3.

5 Probatur, quia ſi in creaturis non daretur potentia obedientialis actiua, non poſſet Deus vti creaturis pro libito ſuæ diuinæ voluntatis, ad faciendos effectus ſupra vires naturales, quod tamen videtur eſſe contra lumen naturale. Confirmatur primò, quia intellectus noſter eleuatus actiuè concurrit ad viſionem beatam, cum qua nullam habet proportionem, ſecundùm noſtram ſententiam, ſiquidem viſio eſt ſupernaturalis, intellectus verò omnino naturalis. Confirmatur ſecundò. Quia Sacramenta nouæ legis phyſicè, & actiuè producunt gratiam, vt ex Conciliorum, Patrum, & Scholaſticorum auctoritate latè probat Soar. tom. 3. in 3. p. ad q. 62. diſput. 9. ſect. 2. à §. *Dicendum eſt enim*; ergo ſimiliter poterunt inſtrumenta actiuè concurrere per potentiam obedientialem. Confirmatur tertiò. Quia calor v. g. poteſt naturaliter actiuè attingere ſubſtantiam, quæ eſt nobilior accidente, & cum qua non habet proportionem: ergo creatura diuinitus eleuata poterit actiuè producere aliquid, cũ quo nullam habeat proportionem.

Soar.

6 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet non dari potentiam obedientialem actiuam, niſi ad illos effectus, ad quos res habet aliquam inchoatam proportionem, quam ſequitur Vaſq. 1. p. q. 45. diſp. 176. cap. 3. & 4. & 3. p. diſp. 57. cap. 5 Raguſa 3. p. diſp. 106. § 3. vbi citat Scot. Ocham. Marſil. Durand. Henric. Bon. qui aſſerunt humanitatem Chriſti non fuiſſe phyſicum miraculorum inſtrumentum, ſed tantùm morale: In eàdem ſententia nouiſſimè eſt P. Gaſpar Hurt. tract. de Incarnat. diſp. 8. difficult. 4. n. 11. § *Vaſques verò*: eandem ſequutus eſt olim Mol. 1. p. q. 45. art. 5. diſp. 2. §. *Potiſſima ratio*.

Vaſq. Raguſa. Scotus. Ocham. Marſil. Durand. Henric. Gaſpar. Hurtad. Molina.

7 Obijcis, inquam, Propterea intellectus eleuatur ad videndum Deum, & concurrendum actiuè ad actus ſupernaturales, quia habet virtutem innatam inchoatam: ergo illa ſola inſtrumenta poterunt eleuari, quæ habeant ſimilem virtutem. Reſpondetur negãdo antecedens, quia tota vitalitas actus ſupernaturalis eſt omnino ſupra vires naturæ; vnde intellectus nullam habet proportionem cũ ſimili actu, ſiquidem tota virtus intellectus naturalis eſt.

Intellectꝰ creatus nullã habet proportionẽ cũ viſione beata ad quã eleuatur.

8 Inſtas. Deus non poteſt aſſumere lapidem, vt ſit inſtrumentum Viſionis beatæ, cùm tamẽ de facto aſſumat intellectum: ergo propter proportionem, quã habet intellectus. Reſpondetur negando cõſequentiam: Ratio eſt, quia non ideò eleuatur intellectus ad hanc viſionem, quia hàbeat aliquam proportionẽ, ſed quia actus ille viſionis beatæ eſt vitalis, & fieri nequit niſi à potentia vitaliter operante; cum tamen hæc vitalitas contracta ad actus ſupernaturales iam ſit omnino ſupernaturalis iuxta ea, quæ dixi 1. p. Sum. trac. 2. diſp. 10. ſect. 11. §. *Circa hanc*; non poterit ergo lapis aſſumi, vt inſtrumentum ad videndum Deum, quia implicat contradictionem, (nam viſio beata debet eſſe vitalis, actus verò non poteſt habere vitalitatem, niſi procedat à potentia vitali) potentia autem obedientialis ſolùm eſt ad ea, quæ non implicant contradictionem: neque dicendum eſt dari proportionẽ inter res naturales (qualis eſt vitalitas intellectus) & ſupernaturales, (qualis eſt vitalitas viſionis beatæ) nam proportio eſſe debet inter res eiuſdem ordinis.

9 Et declaratur, quia ſi Deus vellet nunc, mediante aqua, producere gratiam, neceſſariò ſumeret aquam, quæ exiſteret, non verò aquam, quæ non exiſteret, & tamen non inde probatur, quod aqua exiſtens habeat proportionem cum gratia: ſic etiam, quamuis ad viſionem beatam neceſſariò aſſumatur intellectus, non inde probatur proportio intellectus cum tali viſione.

10 *Tertia concluſio*. Bene poterit creatura aliqua aſſumi à Deo, vt inſtrumẽtum ad creãdum phyſicè, & actiuè in virtute cauſæ primæ, Ita Soar. tom. 1. in 3. p. diſp. 31 ſect. 8. & tom 3. in 3. p. diſp. 61. ſect. 1. §. *Dico tertiò*, vbi pro ſe refert D. Thom. Maiorem, & Gabrielem. Idem tenent Durand, Bachonius, Vega, quos citat, & ſequitur P. Franciſcus Amicus tomo 2. qui eſt de Angelis, diſp. 2. ſec. 4. à n. 63. & in hanc partem magis inclinat Præpoſitus 1. p. q. 45. dub. 3. vbi citat Tannerum, Mendoçam, & Granad. Eandem ſententiam docuit Magiſter ſententiarum in 4. diſt. 5. Hæc concluſio bene ſequitur ex dictis, quia in rebus omnibus datur potentia obedientialis actiua, ad faciendum id, quod non implicat contradictionem, quæ nulla hic viſitur, ſiquidem creatura non præſtaret hunc effectum creandi proprijs viribus, ſed in virtute cauſæ primæ: neque neceſſarium eſt, quòd creatura ſemper agat ex præſuppoſito ſubiecto, etiam quando agit virtute diuina, nam tranſſubſtãtiatio, quæ fit in Euchariſtia, non eſt actio ex præſuppoſito ſubiecto, vt docet D. Thom. 3. p. q. 75. art. 3. & tamen verba Sacerdotis eleuantur ad faciendam hanc diuinam trãſubſtantiationem, ſeu reproductionem corporis Chriſti Domini.

Poteſt Deꝰ aſſumere, creaturam vt inſtrumentũ ad creandũ. Soarius. D. Thom. Maior. Gabriel. Durand. Bachon. Vega. Franciſc. Amicus. Præpoſit. Tannerus. Mendoça. Granad. Magiſter ſent.

D. Thom.

11 Aduertendum verò eſt, ita eſſe proprium Dei creare aliquid ex nullo præſuppoſito ſubiecto, vt nulla creatura, quamuis ſit Angelus inter omnes perfectiſſimus, poſſit aliquid virtute propria creare, eſt enim creatio

 produ-

productio ex nullo præſuppoſito ſubiecto; cùm igitur inhabilitas rei creandæ ſumma ſit, potentia etiam, quæ poſſit creare, debet eſſe ſumma, quæ ſola datur in Deo. Quod non tollit quominùs creatura poſſit eſſe cauſa cõpoſiti, quà compoſitum eſt, licet non ſit aliquando cauſa partium compoſiti. Ratio diuerſitatis eſt, quia compoſitum fit per generationem, partes veró compoſiti aliquando fiunt per creationem, vt contingit in materia, & forma, quibus homo componitur.

Vaſquez. 11 Scio P. Vaſq. 1. p. tom. 1. ad q 45. diſp. 176. cap. 2. & 3. cum multis, quos refert n. 2. oppoſitum omnino ſentire, conſtanterque defendere, nullam creatutam aſſumi poſſe, vt inſtrumentum ad creandum, ex eo quòd nullam omnino habeat proportionem cum creatione. Sed non eſt otium, vt poſſim hanc rixam componere, præcipuè cùm eius fundamenta ex dictis ſatis poſſint impugnari. Scio præterea P. Petrum Vuadinguum trac. de Incarn. diſp. 6. dub. 4. media via incediſſe, nec tantùm laxaſſe diuinam potentiam, quàm Soar. nec tam reſtrinxiſſe ſicut Vaſq. ſcio tandem P. Arriagam in Phyſica diſp. 11. ſec. 5. ſubſec. 2. aſſerere quòd ſit producibilis creatura, quæ virtute propria creare poſſit. *Vuading.* *Arriaga*

DISPVTATIO XXVIII.

De Cauſa exemplari.

EXemplar, vt videbimus, pertinet ad Cauſam efficientem, & proptereà ſequitur, vt de Cauſa exẽplari diſputemus. Sumitur ergo exemplar, ex vi nominis, pro quacumque re, quæ ante oculos proponitur imitanda, in qua ſignificatione Horat. in Arte Poet. paulò poſt medium,

Horat. in Arte Poet.

Reſpicere exemplar vitæ, morumq́; iubebat
Doctum imitatorem &c. ——

Vnde qui laudandum aliquod facinus perpetrabat, exemplar alijs edere dicebatur, de quo eſt illud eiuſdem Vatis Epiſtol. lib. 1. Epiſt. 2.

Hora. Ep. 2. lib. 1.

—— *Quid virtus, & quid ſapientia poſſit,*
Vtile propoſuit nobis exemplar, Vlyſsem.

Diuiditur exemplar analogicè in internum, & externum. Externum eſt imago Cæſaris v. g. quæ pictoris oculis obijcitur, vt penicillo exprimatur, de quo intelligi poteſt illud Exodi 21. *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt &c.* Eòdem reſpicit illud Horatianum Epiſtol. lib. 1. Epiſt. 19. *Exod. 21.* *Hora. Ep. 19. lib. 1.*

Decipit exemplar vitijs imitabile &c.

Nobis ſermo non eſt de hoc externo exemplari, ſed de interno, quod eſt in mente cuiuſuis artificis, & dicitur Idea, ſeu ratio exemplaris, eſtque vera cauſa, quamuis non extrinſece, ſed intentionaliter cauſet.

(⁂)

SECTIO I.

Quid ſit exemplar, & quæ eius cauſalitas, & ad quam cauſam pertineat?

1 PRima concluſio. Exemplar eſt *forma, quã effectus imitatur ex intentione agentis determinantis ſibi finem*: ita communiter omnes cum D. Thom. q. 3 de Veritate art. 3. Ponitur, *forma*, loco generis, quæ debet eſſe interna in intellectu, ſed externa effectui. Additur, *ex intentione agentis*, vt excludantur illæ formæ, ſeu imagines, quæ caſu repræſentant aliquos effectus, vt imago Cæſaris, quæ caſu Socratem repræſentauit, cùm nihil tale pictor intenderet: excluduntur etiã agentia naturalia, quæ non intendunt producere effectus ex formæ alicuius imitatione; quamquàm hæc agentia clariùs excludantur per vltimam particulam, *determinantis ſibi finem*, nam ignis v. g. non agit propriè propter finẽ, ac proinde nihil ſibi proponit imitandum; ex quibus bene colligitur exemplar ſolùm reperiri in agentibus intellectualibus. *D. Thom.*

2 *Secunda concluſio.* Cauſalitas exemplaris cauſæ eſt ipſa actio cauſæ efficientis, prout pẽdet, vel prout dicit ordinem ad exemplar, tamquàm ad cauſam dirigentem, & menſurantem opus, quod fit: ita communis hodie ſententia, pro qua videri poteſt P. Rub. lib. 2. Phyſ. trac. 6. q. 1. §. *Hoc eſt vltimum.* Probatur, quia artefactum, mediante actione artificioſa agentis, pendet à cauſa exemplari: ergo cau- *Rubius.*

Digitized by Google

cauſalitas exemplaris conſiſtit in actione agentis ſecundùm illam formalitatem regulæ, ſeu ideæ, a qua intentionaliter dependet artefactum. Confirmatur, quia cauſalitas Finis eſt eadem actio agentis, prout à fine egreditur: ergo etiam imitatio, ſeu aſſimilatio, quæ eſt cauſalitas exemplaris, erit eadem actio agentis, cum hac formalitate, ſicut eadem res ſub diuerſis formalitatibus eſt Actio, & Paſſio, & hæc actio eſt immediata dependentia in genere cauſæ exemplaris.

3 Objicis. Cauſa exemplaris debet dare ſpecificationem effectui: ergo non concurrit per actionem cauſæ efficientis. Reſpondetur negando conſequentiam, quia bene poteſt aliqua cauſa concurrendo effectiuè tribuere ſpecificationem, vt patet in ſpecie intelligibili, quæ, quamuis effectiuè concurrat ad conceptum, illi tamen tribuit ſpecificationem, & eodem modo ſe habet obiectum, reſpectu ſpecierum, quibus effectiuè tribuit ſpecificationem.

Exemplar pertinet ad cauſam efficientē.

4 *Tertia concluſio.* Exemplar non conſtituit nouum genus cauſæ, ſed pertinet ad cauſam efficientem. Prima pars ſatis liquet ex ſufficiente enumeratione quatuor cauſarum, quã tradidimus in hoc 1. tract. lib. 1. diſp. 21. ſect. 3. num 6. Secunda pars, quòd ſcilicet exemplar pertineat ad cauſam efficientem, eſt magis cõtrouerſa; affirmat tamen Hurtad. de Anima, diſp 11 ſect. 5. n. 33. aſſerere *neſcio quem*, ideam concurrere efficienter ad opus, ego tamẽ neſcio quis certè eſt ille Auctor, qui dicitur. *Neſcio quis*; ſcio tamen graues Auctores aſſerere ideam, ſeu exemplar pertinere ad cauſam efficientem, concurrereque proinde effectiuè, inter quos videri poteſt D. Thom. in 1. diſt. 2. q. vnica. Soar. tom. 1. Met. diſp. 25 ſect. 2. num. 8. Per. in ſua Phil. lib 8. cap. 1. § *Verum Ariſtoteles*, Rub. lib 2. Phyſ. tract. 6. q. 3. n. 80. Albertin. 6. principio philoſophico q. 6. phyſ. 3. difficultate nu. 13 vbi aſſerit ideam non conſtituere diſtinctum genus cauſæ formalis, ſed potiùs pertinere ad efficientiam intellectualem, allegatque pro hac ſententia, quam dicit cõmuniorem, Scot. & Henric. Idem tenet noſter Dandinus de Anima lib. 2. fol. 954. §. *Propterea*.

Hurtad. D. Thom. Soarius. Pererius. Rubius. Albertin. Scotus. Henric. Dandin.

5 Probatur ratione, quia forma agentis naturalis effectiuè concurrit, in ratione principij, ad ſuos effectus naturales; ergo ſimiliter forma exemplaris concurret effectiuè intẽtionaliter. Probatur, & declaratur conſequẽtia, quia, quemadmodùm agens naturale conſtituitur in eſſe effectiuo, per formam naturalem, ſeu per animam; ita agens intellectuale conſtituitur in eſſe effectiuo intentionali, per formam intellectualem, quæ vel eſt habitualis, vt ars, vel actualis, vt Idea, ſeu exemplar, de quo agimus: ergo, ſicut forma naturalis agentis eſt cauſa efficiens phyſica, ita exemplar eſt cauſa efficiens intẽtionalis effectuum procedentium ab agente intellectuali.

6 Confirmatur, quia ſi pertineret ad aliã cauſam, foret ad cauſam formalem, vt contendunt aduerſarij: ſed non pertinet ad cauſam formalem: ergo &c. Probatur minor: quia proprium munus cauſæ formalis eſt informare: atqui exemplaris (quamuis per accidens inhæreat in intellectu) proprium munus non eſt informare, ſed dirigere intellectualiter: ergo, cùm efficienter concurrat, per intellectum, erit cauſa efficiens intellectualis. Ex quibus colligo, exemplar non reuocari reductiuè ad cauſam efficientem, ſed propriè eſſe genus cauſæ efficientis, quia habet propriam rationem cauſandi huius cauſæ; nam agens intellectuale propriiſſimè eſt agens; imò eſt cauſa efficiens perfectior, quia perfectius eſt agere per intellectum, quàm per inſtrumentum materiale: hinc eſt quòd Deus ſit verè primum efficiens intellectuale.

7 Objicis pro contraria ſententia, quæ docet exemplar eſſe genus cauſæ formalis externæ diſtinctæque à cauſa formali intrinſeca, quam ſequuntur Patres Conimbric. lib. 2. Phyſ. cap. 7. q. 4. art. 2. Fonſ. 1. Met. cap. 7. q. 1. ar. 5. à §. *Neutra tamen*, eandem ſententiam ſequuntur alij auctores ex antiquis, quos citant Conimbr. ſuprà ar 1. §. *Verſimilior*; vbi ſuam hanc ſententiam nituntur confirmare auctoritate D. Dioniſ. & Auguſt. idem oſtendit M. Petrus Cornejo tom. 1. in 1. p. trac 1. q 14. ar. 4. diſp. 2. dub. 5. n. 8 §. *Reſpondetur*. Objicis, inquam, primò: Exemplar, vt patet, ex eius definitione, eſt forma, deinde eſt forma tribuens ſpecificationem, per imitationem paſſiuam, & non per effectiuam: ergo, cùm non ſit forma intrinſeca, erit tamen forma extrinſeca, conſtituetque diuerſum genus cauſæ formalis.

Colleg. Conimbr. Fonſeca. D. Dioniſ. Auguſt. Cornejo.

8 Reſpondetur, exemplar eſſe quidem formam, hoc tamen non impedire quominùs ſit forma efficiens, ſicut forma quæuis naturalis, quamuis ſit forma reſpectu materiæ, & compoſiti, eſt tamen cauſa efficiens reſpectu ſuarum actionum: atque ita ſe habet exemplar, tribuit enim ſpeciem effectui efficienter ſuo modo. Neque obſtat, quòd exemplar informet intellectum, nam etiam anima informat materiam, & ſpecies intellectum: & tamẽ anima eſt principium efficiens ſuorum effectuum, & ſpecies eſt principium efficiens ſuorum conceptuum. Ex quibus colligo, obiectũ non eſſe propriè Cauſam exemplarem reſpectu actuum intellectus, quia eſt quid externum, quod formaliter tantùm concurrit;

exem-

Digitized by Google

exemplar veró eſt forma interna reſidens in intellectu,& concurrens efficienter : vnde illa imitatio meré paſſiua , quæ datur in obiecto , potiùs pertinet ad cauſam formalem externam,de qua modò non eſt quæſtio.

9 Obijcis ſecundò. Ideæ diuinæ dantur in Deo ante actum diuinæ voluntatis,ac proinde ante omnem efficientiam : ergo ratio Ideæ in Deo non pertinet ad cauſam efficientem , ſed ad formalem. Reſpondetur ad antecedens; Ideas in Deo dari quidem ante omnem efficientiam in actu ſecundo,non tamen ante omnem efficientiam in actu primo; cùm enim Ideæ repræſentent res factibiles, dicunt ordinem ad efficientiam , ſaltem in actu primo, quod ſufficit, vt ideæ pertineant ad cauſam efficientem , ſiquidem in actu ſecundo dari nequeunt,quin efficiant exemplariter.

10 Obijcis tertiò. Cauſa finalis conſtituit diuerſum cauſæ genus,quamuis eius cauſalitas ſit eadem actio agentis : ergo ſimiliter cauſa exemplaris conſtituit aliud genus cauſæ , licet eius cauſalitas ſit actio efficientis. Reſpondetur negando conſequentiam. Diuerſa ratio eſt,quia cauſa exemplaris nihil eſt aliud,quàm quoddam efficiens intellectuale: at verò Cauſa finalis eſt aliud genus cauſæ omnino diuerſum. Neque obſtat, quód eius cauſalitas ſit actio agentis , eſt enim eadem actio materialis , ſed ſub diuerſa formalitate, vt videbimus.

11 Inſtas. Exemplar eſt quoddam efficiens intellectuale: ergo etiam finis erit quoddam efficiens finaliter. Repondetur negando ſequelam , quia finis nullo modo eſt efficiens, non enim mouet efficienter,ſed finaliter: nam propriè loquendo finis non dicitur facere rem aliquam,ſed dicitur res fieri,propter finem: at veró exemplar eſt verè cauſa efficiens, cúm dirigat agens intellectuale, in aliquo opere faciendo.

SECTIO II.

In quo conſiſtat exemplar.

Conſiſtit in cõceptu formali.

1 *Conclusio ſit.* Exemplar conſiſtit in conceptu formali , quem agens intellectuale apud ſe format dum operatur,non quidem ſub materiali ratione qualitatis , ſed ſecundùm rationem formalem , qua repræſentat rem faciendam, v. g. cauſa exemplaris domus faciendæ eſt conceptus formalis , quem artifex format in ſuo intellectu,in quo eadem ſingularis domus repræſentatur, Ita D.Thom.1.p. q.15.art. 1.

D. Thom.

Bonauent. in 1. diſt.25 . q.1. ar.1. Capr. in 1. diſt.26. q. 1. Soar, in Met.diſp.25.ſec.1. n 10. & n. 12. & 13. probat hanc ſententiam multorum Patrum auctoritate,quam etiam tenet Rub. lib.2. Phyſ. trac.6. q.2. à n.70.eandem ſequuntur Altiſiod. Alenſis, Maior, Henric. Marſil. & alij apud Barthol. Amic. in Phyſ. trac.11. q.13. dub.2. ar.2. n.11.& ipſe ſequitur ar. 3. à n.17. Probatur primò ratione,quia exemplar eſt forma reſidens in anima, vt omnes fatentur, ſed conceptus obiectiuus,ideſt, res facienda , non eſt forma reſidens in anima intrinſecè, ſed tantùm obiectiuè,& extrinſecè,per denominationem cogniti: ergo exemplar non eſt conceptus obiectiuus,ſed formalis.

D. Bonau. Capreol. Soarius. Rubius. Altiſiod. Alenſ. Maior. Henric. Marſil. Barth. Amicus.

2 Probatur ſecundò. Si exemplar eſſet conceptus obiectiuus, vel eſſet eadem res facienda , vel alia: non eadem , quia idem non poteſt eſſe cauſa realis ſui ipſius (conſtat autem, rem vt cognitam , & ſe ipſam à parte rei,non diſtingui realiter , ſed per rationem, nec proinde dari hìc relationem realem, quæ neceſſarió requiritur inter cauſam realem, & effectum , quando cauſa habet realem exiſtentiam, vt habet exemplar) Deinde non eſt alia res, quia experientià conſtat, ſæpe artificem operari, quin habeat in mente rem aliam diſtinctam a facienda.

3 Probatur tertiò. Ex diuinis Ideis,quæ non conſiſtunt in conceptu obiectiuo , ſed in formali, vt ex communi ſententia Patrum docet Soar. de Attrib. lib.3. cap. 5. Fonſ. 7. Met. cap.8. q.2. ſec 4. vbi etiam pro hac ſententia numerat multos ex Patribus : idem tenet Vaſq. tom.1. in 1.p. ad q 15. diſp.72. cap. 2. n.11 Mol. 1.p. q.15. ar. 1. diſp.2. §. *Sequentibus.* & eſt expreſſa D. Thomæ ſupra citati. Et probatur , quia Ideæ in Deo non ſunt ipſæ creaturæ exiſtentes obiectiuè in intellectu diuino , ſed ſunt aliquid in Deo intrinſecè, & formaliter exiſtens , vt bene cecinit Philoſophicus,& Sanctiſſimus Vates Boet. 3. de Conſolatione, metro 9.

Soarius. Fonſeca. Vaſquez. Molina. D.Thom. Boet. 3. de Conſol.

——— *Pulchrum pulcherrimus ipſe*
Mundum mẽte gerens, ſimilique ab imagine formãs.

& ratione probatur,quia ſi Idea foret creatura ipſa obiecta diuino intellectui,dependeret Deus à creatura extra ſe , quam haberet pro exemplari,quod dicendum non eſt.

4 Neque præterea dicendum eſt , quòd eſſentia diuina à Deo cognita , per modum conceptus obiectiui,ſit Idea, vt volunt aliqui (de quibus infra) quia exemplar eſt forma intellectualis ; at verò eſſentia diuina, nec ſecundùm ſe, neque vt cognita habet rationem formæ intellectualis: ergo &c. Quod ſic probo , quia eſſentia diuina ſecundùm ſe non con-

Digitized by Google

concipitur, vt forma intra intellectum; deinde, ſecundùm eſſe obiectiuum, concipitur extra intellectum: ergo eſſentia diuina ſolùm habet rationem exemplaris, quando, per modum formæ intellectualis, repræſentat creaturas eidem diuino intellectui inſpicienti ideam, tamquam rationem exemplarem creaturarum, ad eum modum quo dicimus Socratem reſpicere ad ſuum conceptum formalẽ, tamquam ad exemplar.

5 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet exemplar conſiſtere in conceptu obiectiuo, ideſt, in ipſa re facienda, prout obiectiuè repræſentatur in mente artificis: v. g. vult artifex facere aliquam domum determinatam, concipitque domum aliquam vagam, & indeterminatam, ad cuius imitationem format domum: aſſerit igitur hæc ſecunda ſententia, cauſam exemplarem talis domus cõſiſtere in illa domo facienda, prout obijcitur: ita Conimbr. 2. Phyſ. q. 3. cap. 7. ar. 2. vbi §. *Hæc poſterior*, citant D. Thom. & alios. Eandẽ ſententiam ſequitur Vaſq. loquens de exemplari creato tom. 1. in 1. p. ad q. 15. diſp. 72. n. 10. Eandem valde probabilem dicit Albertin. 6. principio philoſophico. q. 6. difficult. 3. n. 24. idem ſupponit AEgytan. de Beat. tom. 1. lib. 5. q. 11. ar. 1. §. 3. n. 5. §. *Quarè*: Hurtad. de Anim. diſp. 11. ſec. 5. n. 27. dicit obiectum ipſum, ad cuius imitationem aliquid fit, propriè vocari exemplar: hanc etiam opinionem tuentur Scot. Ocham. Gabr. Maior, Durand. & alij apud Amic. ſupra citatum, ar. 2. n. 9.

Patres Conimbr. D. Thom. Vaſq. Albertin. AEgytan. Hurtad. Scot. Ocham. Gabriel. Maior. Durand.

6 Obijcis, inquam, primò. Exemplar eſt illud, ad cuius imitationem aliquid fit: atqui artifex non imitatur conceptum formalem, ſed obiectiuum: ergo exemplar ſolùm conſiſtit in conceptu obiectiuo. Reſpondetur diſtinguendo minorem; artifex non imitatur conceptum formalem, ſecundùm ſuam entitatem qualitatiuam, concedo minorem: non imitatur conceptum formalem, quòad repræſentationem, ſecundùm quam eſt vera imago rei faciendæ, nego minorem. Et quamuis ſpecies repræſentet obiectum, ſecundùm eſſe intentionale, non tamen erit exemplar, quia ſpecies ſolùm eſt principium cognitionis, & non cognitio, exemplar verò poſtulat actualem cognitionem.

7 Obijcis ſecũdò. Exemplar debet priùs cognoſci, vt cauſet: ſed quando artifex operatur, non reſpicit ſuum conceptum, neque illum priùs cognoſcit: ergo conceptus formalis non eſt cauſa exemplaris. Probatur minor, quia alioqui quælibet cognitio reflecteret ſupra ſe ipſam, quod tamen experientiæ repugnat. Reſpondetur ad minorem, artificem cognoſcere ſuum conceptum, & reflectere ſupra illum, *vt quò*, & per actum virtualiter reflexum, quod ſatis eſt ad rationem exemplaris: quamquàm negandum non ſit aliquãdo dari actum formaliter reflexum, per quem artifex reſpicit ſuum conceptum formalem, quem intendit imitari; & talis conceptus erit ſignum inſtrumentale, ſiquidem eſt priùs cognitum, neque hoc eſt contra experientiam, ſed pro illa, quamuis non ſemper ſentiatur talis reflexio.

8 Obijcis pro ſententia, quæ aſſerit Ideas in Deo non conſiſtere in conceptu formali, ſed eſſe eſſentiam diuinam, prout imitabilis eſt à creaturis (quam tuentur D. Thom. 1. p. q. 15. ar. 1. Caietan. & Ferrar. ibi. Mol. 1. p. q. 15. ar. 1. diſp. 1. §. *Sequentibus nihilominùs*. Faſſol. 1. p. q. 12. ar. 8. dub. 16. nu. 90.) Effectus productus à Deo non imitatur diuinam cognitionem, ſed ipſam diuinam eſſentiam: ergo eſſentia diuina, per modum obiecti, erit exemplar diuinum. Reſpondetur ad antecedens, cum diſtinctione ſupra tradita: nõ imitatur diuinam cognitionem quòad eſſe entitatiuum, concedo: quòad eſſe expreſſiuum, & repræſentatiuum, nego antecedens. Cùm igitur diuina eſſentia, ſecundùm ſe, non ſit ſimilis creaturis, immò maximè diſſimilis non erit exemplar, nam hoc, ſimile eſſe debet rei faciendæ: neque ex eo quòd eſſentia diuina eminenter contineat creaturas, dicetur illarũ exemplar, lux enim calorem continet eminẽter, & tamen non eſt idea caloris: erit igitur in Deo idea ipſe formalis, & eſſentialis conceptus, quem Deus habet de creaturis poſſibilibus, & ita explicat Soar. de Attrib. lib. 3. cap. 5. n. 6. quem in hoc ſequitur Vaſq. tom. 1. in 1. p. ad q. 15. diſp. 72. cap. 1.

Exemplar in Deo nõ eſt ipſa diuina eſſentia.

D. Thom. Caiet. Ferrar. Molina. Faſſol.

Soarius. Vaſquez.

9 Inſtas. Antequàm concipiatur à nobis in Deo conceptus formalis creaturarum, iam creaturæ ſunt poſſibiles (ſiquidem priùs concipimus ſubſtantiam ipſam, & omnipotentiã Dei, quàm actum aliquem prouenientem ab ipſa ſubſtantia Dei) ſed non poſſunt creaturæ eſſe poſſibiles, quin priùs dentur ideæ in Deo (ſiquidem ſecundùm eſſe poſſibile ſunt creaturæ effectus diuinarum idearum) ergo ſignum eſt quòd idea in Deo non ſit conceptus formalis ſed ipſamet eſſentia diuina. Reſpondetur diſtinguendo maiorem: iam creaturæ ſunt poſſibiles, tamquàm aliquid perfectè regulatum per artem; nego maiorem, cũ enim adhuc non dentur perfectæ ideæ, ſecundùm noſtrum modum concipiendi, nihil datur perfectè idearum: iam creaturæ ſunt poſſibiles tamquàm aliquid imperfectum, ideſt, ſolùm tamquàm aliquid non implicans contradictionem, quod dicat ordinem ad diuinã omnipotentiam, concedo maiorem: Sed hoc nihil

nihil contra nos, qui loquimur de rebus perfectè ideatis, quæ ſolæ veras habent ideas.

Exemplar adæquatè conſiſtit in conceptu obiectiuo, & in conceptu formali. Granad.

10 Probabile etiam exiſtimo, poſſe exemplar adæquatè conſiſtere tam in cõceptu formali proximè, quàm etiam in obiectiuo remotè, ita vt artefactum proximè dependeat exemplariter à conceptu formali, & remotè á conceptu obiectiuo; & ita vtramque opinionem, more ſuo, conciliare nititur Granad. tom.1 in 1.p. ad q.15. tract. 7. diſp.1. ſect.3. á num.10. Neque erit inconueniens prouenire vnum effectum à duabus cauſis ſubordinatis, nam intellectio prouenit proximè ab intellectu & ab anima, vel proximè etiam, vel ſaltē remotè: & ſimiliter aſſerit Gran cit. num. 11. Eſſentiam diuinam, quatenus eſſentia eſt, eſſe ideam obiectiuam, cognitionem verò eſſe ideam formalem; quòad hoc tamen magis approbo ſententiam Soarij, & Vaſq. nam eſſentia diuina, quà talis, nullo modo videtur habere poſſe rationem ideæ, ſeu ſimilitudinis reſpectu creaturarum. Hæc de exemplari; Ideiſque diuinis ſatis ſint, reliqua Theologi ſuppeditabunt.

DISPVTATIO XXIX.

De Cauſa finali.

FINIS apud Latinos ſignificat metam, ſeu terminum alicuius rei. ſic apud Virgilium 2. AEneid.

Virg. AEneid. 2. AEn. 1.

Hæc finis Priami fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit. ——— Et in 1.
—— *Quem das finem, Rex magne, laborum.*

Apud Philoſophos verò, ac Theologos ſignificat Finis cauſam, *cuius gratià aliquid fit*, de qua multa diſputant Auctores, eius enim cognitio multúm iuuat ad intelligentiam rerum naturalium, quæ non temerè procedunt, ſed quælibet in ſuos fines ordinãtur, vel per ſe, & ab intrinſeco, vt contingit in ſolis agentibus intellectualibus; vel ab extrinſeco, vt accidit in agẽtibus neceſſarijs, quæ ad ſuos fines à prima cauſa diriguntur.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Finis, & quæ eius cauſalitas?

Finis eſt cauſa vera, & realis. Hurtad.

1 PRima concluſio. Finis eſt cauſa non ſolùm moralis, ſed propria, & realis. Hæc concluſio eſt contra Hurt. de Anima diſp.13. ſect.5. vbi n.28. aſſerit Finem non eſſe cauſam realem, & ideò eius diſputationem eſſe à Phyſico alienã: nihilominùs tamen, pace habita Patris Hurt. nemo nobis iure poterit ſuccenſère, ſi inter cauſas phyſicas, & reales, finalem etiam adnumeremus, cúm hoc, vt aſſerit Soarius in Met. diſp.23. ſect.1. nu 11. ſit receptum dogma, & quaſi primum principium Philoſophiæ, & Theologiæ, á quibus, vel latum vnguem deuiare, flagitium putamus, & piaculum nullis victimis expiandum; præcipuè, cùm hæc ſit expreſſa Ariſtotelis ſentẽtia, in hoc lib. cap.2. & 3. quem vnanimi conſenſu ſequuntur Philoſophi, ac Theologi; & præter Soarium citatum, videri poſſunt Salas tom.1. in 1.2. q.1. ar.1. tra.1. d.3. ſec.1. à n.3. Rub. 2. Phyſ tra.5. q.1. n.14. Conimbr. lib. 2. Phyſ. cap.7 q 20. & ſequentibus; idem ſupponunt Vaſq. tom. 1. in 1.2. ad q.1. diſp.2. cap.2. § *Neque obſtat.* Val. 1.2. diſp 1. q.1. pun.1. Murſia, Maſius, & alij quos citat Barthol. Amic. in Phyſ. tract.13. q. 3. ar.2. n.7. & ipſe ſequitur ar.3. à n.8.

Soar. Salas. Rubius. Patres Conimbr. Vaſquez. Valent. Murſia. Maſius. Bartholo. Amicus.

2 Probatur ratione. Id, quod per ſe verè, & realiter mouet, eſt verè, & realiter cauſa; ſed finis non imaginariè ſolùm, ſed verè, & realiter mouet: ergo eſt vera, & realis cauſa. Probatur minor experientiâ eorum, qui ob aliquem finem operantur: ægrotus enim realiter mouetur ad ſumendum pharmacũ. propter ſanitatem, quæ, vt finis obijcitur. Cùm igitur illa ſit vera, & realis cauſa, quæ realiter & per ſe cauſat effectum, ſequitur quòd finis ſit vera, & realis cauſa.

3 Obijcis pro ſententia Hurtad. Finis aliquando non exiſtit realiter: ergo non eſt realis cauſa. Reſpondetur negando conſequentiam, ſufficit enim exiſtentia obiectiua, vt verè dicatur cauſa realis, & ratio eſt, quia cùm finis non operetur, per phyſicum influxum egredientem phyſicè ab ipſo fine. (ſicut reliquæ cauſæ mouent) ſed cùm moueat ſolùm metaphoricè, per actionem phyſicè egredientem à voluntate operantis, propter finem, vt dicemus ſtatim, non requirit realem exiſtentiam, ſed ſufficit obiectiua. Quarè mirum non eſt, ſi in hac cauſa nõ detur aliquãdo

rela-

Digitized by Google

relatio realis ad effectum, nam etiam Deus eſt cauſa realis, & tamen non habet relationem realem ad creaturas, vt melior tenet ſententia.

4 Obijcis ſecundò. Cauſa debet eſſe principium, quia principium eſt veluti genus ad omnes cauſas: ſed finis non eſt principium: ergo non eſt cauſa. Probatur minor, quia principium, & finis opponuntur. Reſpondetur diſtinguendo minorem. Finis non eſt principium in exequutione, concedo minorem: non eſt principium in intentione, nego minorem; quamuis enim in exequutione finis ſit poſterior, in intentione tamen eſt prior ſuo effectu, poteſtque proinde dici principium; non enim hic ſumimus hoc nomen, *Finis*, quatenus ſignificat vltimum terminum alicuius rei, ſed quatenus ſignificat cauſam finalem, quæ, in ſuo genere, non ſolùm eſt prior effectu, ſed etiam verè dicitur eſſe omnium cauſarum prima, nam efficiens ſemper agit propter finem: ergo ante actionem efficientis, iam datur finis, ſaltem prioritate intentionis; atqui cauſa efficiens prior eſt, quàm materialis, & formalis: ergo ſequitur quòd Fini, ſit omnium cauſarum prima, in modo excitandi, vt bene docent Patres Conimbr. lib. 2. Phyſ. cap. 7. q. 20. ar. 2. *Patres Conimbr.*

5 Obijcis tertiò. Nulla cauſa ſe ipſam cauſare poteſt: ſed Finis apprehenſus cauſat ſe ipſum in eſſe reali: ergo non eſt vera cauſa. Probatur minor, quia diuitiæ apprehenſæ cauſant ſe ipſas in diuite, mediante negotiatione. Reſpondetur diſtinguendo minorem, Finis cauſat ſe ipſum remotè, & mediatè, concedo minorem. Cauſat ſe ipſum proximè, & per ſe, nego minorem. Et declaratur, quia Finis, vt proprium, & per ſe cauſat actus internos voluntatis, qui à Fine realiter diſtinguuntur, poſteà verò à voluntate applicantur aliæ potentiæ, à quibus in re cauſatur res illa, quæ repræſentatur in intellectu. Aduertendum tamen eſt, cauſalitatem Finis non eſſe ſolùm actionem illam voluntatis, quæ proximè mouetur à Fine, ſed etiam actionem externam remotam imperatam à voluntate, vt bene obſeruat Soar. in Metaph. diſp. 23 ſec. 4. à num. 16. neque eſt inconueniens diuitias apprehenſas cauſare ſe ipſas realiter, non enim prouenit hæc cauſalitas phyſicè ab apprehenſione diuitiarum, ſed à cauſa efficiente realiter exiſtente. *Soarius.*

Diuiditur Finis.

6 Secunda concluſio. Variæ dantur Finis diuiſiones, de quibus videri poteſt Soar. in Metaph. diſput. 23. ſect. 2. Fonſ. 5. Metaph cap. 2. quæſt. 10. ſec. 1. Vaſq. 1. 2. ad q. 1. diſp. 2. cap. 3. Conimbric. 2. Phyſ cap. 7. q. 20. ar. 2. Eſt ergo nota diuiſio in Finem *cuius*, & in finem *cui*: Finis *cuius*, dicitur ille, *cuius gratia aliquid fit*, qualis eſt ſanitas v.g. cuius amore ſumitur pharmacum. Finis *cui*, eſt homo ipſe, v.g. cui volumus ſanitatem. *Soarius. Fonſeca. Patres Conimbr.*

7 Aduertendum verò eſt Finem *cuius*, & Finem *cui*, propriè loquendo non eſſe duos fines, ſed vnum factum ex vtroque, ſicut ex obiecto materiali, & formali alicuius potentiæ fit vnum obiectum completum, & ratio eſt, quia Finis *cuius*, non habet rationem Finis, niſi vt coniungitur Fini *cui*; nam ſanitas non habet rationem Finis, niſi prout homini appetitur. Fit ergo diuiſio in membra veluti incompleta, & ita D. Thom. 1. 2. quæſt. 1. ar. 8. & quæſt. 2. ar. 7. Aduertendum etiam Finem *cuius*, aliquando eſſe nobiliorem, quàm Finem *cui*, vt patet in Deo, qui eſt vltimus, & nobiliſſimus Finis *cuius*: aliquando verò eſſe ignobiliorem, vt patet in ſanitate, quæ eſt ignobilior Fine *cui*, id eſt, eſt ignobilior homine, cui deſideratur. Reliqua apud auctores citatos, vltra quos videri etiam poteſt Rub. lib. 2. Phyſ. trac. 5. q. 1. *D. Thom. Rubius.*

Quæ ſit eius Cauſalitas.

8 Tertia concluſio. Cauſalitas Finis eſt motio metaphorica. Ita, cum communi ſententia antiquorum, Conimbr. 2. Phyſ. cap. 7. q. 21. ar. 2. Quæ concluſio patebit explicando quid ſit hæc motio metaphorica; dicendum ergo eſt, non eſſe aliquid præcedens actionem voluntatis, ſed eſſe actionem ipſam realem voluntatis procedentem realiter ab agente, in quantùm gratiâ finis egreditur talis actio. Ita D. Thom. 1. 2. q. 9. ar. 1. Soar. in Met. diſp. 23. ſec. 4. num. 8. (vbi citat Ocham. & alios) & n 12. Sal. tom. 1. in 1. 2. q. 1. ar. 1. & 2. trac. 1. diſp. 2. ſec. 2. n. 17. Fonſ. 5. Met. cap. 2. q. 10. ſec 4. Per. in ſua Phil. lib. 8. de Cauſis cap. 2. à §. *Efficiens definitur*; idem docet P. Barthol. Amic. in Phyſ. trac. 15. q. 4. dub. 1. ar. 2. n. 11. citat Scot. Caiet. Vaſq. Soncin. Sot. Burid. & alios. *Patres Conimbr. D. Thom. Soarius. Ocham. Salas. Fonſeca. Pereira. Barth- Amicus. Scot. Caiet. Vaſquez. Soncin. Sotus. Buridan.*

P. Balthazar Tellez in Philoſophia.

9 Probatur ratione, quia ante actionem voluntatis nihil factum eſt propter finem: ergo ante illam actionem nulla datur cauſalitas finis. Deinde poſt actionem voluntatis iam datus eſt finis, ſiquidem actio fuit propter Finem: ergo cùm hæc cauſalitas non poſſit eſſe aliquid poſteriùs Fine conſequuto, debet eſſe aliquid ſimultaneum actioni voluntatis: ac proinde cauſalitas Finis eſt eademmet realis actio voluntatis, prout dicit habitudinem ad Finem, propter quem voluntas operatur, quæ actio phyſicè egreditur à voluntate, & metaphyſicè à fine, quatenus allicit, ſeu mouet ipſam voluntatem.

10 Dicitur veró hæc motio Finis metaphorica, non quia non ſit aliquid reale, cùm enim ſit effectus voluntatis, quæ realiter operatur, & cùm ſit cauſalitas cauſæ realis, debet eſſe realis; ſed dicitur metaphorica, ſumptâ metaphorâ à motu locali, nam ſic quodammodo fertur, & mouetur voluntas in finem; & ita habet vſus loquendi, vt cùm quidpiam facinus alicuius gratiâ, dicamur id feciſſe ab eo moti; quapropter, quamuis hæc cauſalitas explicetur per motionem metaphoricam, eſt tamen realis cauſalitas, ſicut amænitas prati eſt quid reale, & tamen metaphoricè dicitur riſus, Sic apud Petronium (puriſſimæ impuritatis auctorem) dicuntur lilia ridere. *Petronius. Arbit. 171.*

Albaq; de viridi riſerunt lilia prato.

11 Obijcis primó. Talis eſt cauſalitas, qualis eſt cauſa: ſed finis aliquando non exiſtit realiter: ergo eius cauſalitas non poteſt eſſe realis actio voluntatis. Reſpondetur diſtinguendo maiorem, talis eſt cauſalitas, qualis eſt cauſa, ideſt, ſi cauſalitas eſt realis, etiam cauſa debet eſſe realis, concedo maiorem; nam reuera tam cauſalitas finis, quàm ipſe finis reales ſunt. Talis eſt cauſalitas, qualis cauſa, ideſt, vtrumque debet exiſtere poſitiuè, nego maiorem: Cúm enim cauſalitas finis non procedat phyſicè à Fine, ſed tãtùm terminatiuè, quamuis Finis ſolùm obiectiuè exiſtat, poteſt eius cauſalitas realiter exiſtere in voluntate.

12 Obijcis ſecundò. Bonitas Finis attrahit, ſiue inuitat ad ſe voluntatem, antequàm detur vlla actio ipſius voluntatis, & ex illa bonitate ſequitur actus voluntatis: ergo hæc inuitatio, ſeu attractio voluntatis eſt motio metaphorica, & cauſalitas Finis. Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Bonitas Finis ante operationem voluntatis excitat illam ſignatè, & in actu primo, concedo antecedens: exercitè, ſiue in actu ſecundo, nego antecedens, ponitur enim in actu ſecundo per actionem voluntatis, quæ eſt propter finem: Cauſalitas autem illa eſt, quæ ponit cauſas in actu ſecundo. Vnde non intelligitur Finis actu finalizare, niſi dum in actu ſecundo appetitur, ac deſideratur, per actionem realem egredientem à voluntate, ad conſequutionem Finis.

13 Obijcis tertiò. Actio ipſa voluntatis eſt propter finem: ergo potiùs eſt effectus Finis, quàm cauſalitas Finis. Reſpondetur, actionem eſſe propter Finem, *vt quo*, & vt medium per quod fit effectus Finis, non veró, *vt quod*. Ex qua ſolutione bene ſequitur, actionem poſſe eſſe cauſalitatem Finis, ſicut etiam diximus, eandem actionem eſſe cauſalitatem reſpectu cauſæ efficientis, & eſſe effectum, *vt quo*.

SECTIO II.

Quæ ſit ratio cauſandi in Fine, & quomodo ſupponat cognitionem?

1 PRima concluſio. Bonitas eſt proxima ratio cauſandi in Fine, & per bonitatem cognitam attrahit ad ſe Finis voluntatem, per eandemque conſtituitur in actu primo. Ita cum communi ſententia Soar. in Met. diſp. 23 ſect. 6. à num. 7. Vaſq. tom 1. in 1. 2. ad q. 1. diſp. 2. cap. 2. à §. *Hiis premiſſis*; & ita innuunt Patres Conimbric. 2. Phyſ. cap. 7. q. 21. ar. 2. §. *Quia tamen*; & ſupponit Grar. 1 2. Controuerſ. 1. trac. 1. diſp. 1. n. 1. ad medium. Probatur, quia metaphorica motio eſt cauſalitas, per quam Finis ad ſe trahit, mouetque voluntatem; ſed nulla res, niſi ſit bona veré, vel apparenter, poteſt ad ſe perducere voluntatem: ergo bonitas eſt proxima ratio cauſandi, per quam Finis ponitur in actu primo. *Bonitas eſt proxima ratio cauſandi in fine.* *Soarius. Vaſquez. Colleg. Conimbr. Granad.*

2 Vnde communiter reijcitur opinio Nominalium, qui, vt aliquid noui more ſuo extunderent, aſſeruére, poſſe voluntatem appetere malum, ſub ratione mali, contra quos acriter pugnat P. Vaſq. tom. 1. in 1. 2. ad q. 8. diſp. 31. à cap. 1. Quarè ſi aliquis venenum appetit, vel mortem, ſemper eſt ſub aliqua ratione boni, v. g. ad fugiendas vitæ ærumnas; quapropter, ſi per impoſſibile detur aliquod obiectum indifferens, quod non ſit bonum, neque malum, non feretur voluntas in illud, ſiquidem non habet rationem boni, vt ametur, nec mali, vt fugiatur. Dixi, *per impoſſibile*, quia quoduis obiectum habet ſaltem bonitatem entis tranſcendentalem: ex quibus euidenter ſequitur, nullam *Nominal.* *Vaſquez.*

Digitized by Google

lam negationem per ſe mouere poſſe voluntatem, cùm negatio nullam habeat bonitatem; ratione tamen alicuius poſitiui, bene poterit mouere voluntatem, vt v. g. carentia paupertatis, ratione diuitiarum.

3 Obijcis primò. Malum etiam eſt obiectum voluntatis: ergo etiam habet rationem finis: vnde non ſola bonitas erit ratio, per quam Finis conſtituatur in actu primo. Reſpondetur ex communi ſententia Patrum, ac Theologorum; malum, prout ſic, cùm habeat negationem conuenientiæ naturæ rationali, non poſſe eſſe obiectum proſequutionis, de quo procedit quæſtio; non enim negamus malum eſſe obiectum voluntatis repudiantis, per actus diſplicentiæ, timoris, fugæ, iræ, & odij: vnde voluntas quando odio habet malum, non fertur in illud tamquàm in finem, ſed recedit ab eo, tamquàm à termino: ſic etiam dixi circa doctrinam Poſteriorum, *verum*, eſſe obiectum intellectus aſſentientis; *falſum*, eſſe obiectum ipſius intellectus diſſentientis.

4 Obijcis ſecundò. Cauſalitas Finis eſt actio realis: ſed bonitas aliquando non eſt realis: ergo hæc non poteſt eſſe ratio cauſandi. Probatur minor. Quia aliquando bonitas ſolùm apparens mouet voluntatem. Reſpondetur negando conſequentiam: nullum enim eſt inconueniens, quòd realis cauſalitas procedat à bonitate ficta, ab eaque dependeat eſſentialiter, ſiquidem actio non procedit à fine phyſicè, ſed per naturalem ſympathiam, quæ datur inter intellectum, & voluntatem; & ideò, vt voluntas moueatur, ſufficit bonitas apparens propoſita ab intellectu; nam vel ipſe finis aliquando non exiſtit realiter, & tamen cauſat realiter; quamuis talis bonitas ſemper poſſit realis dici, vel ſecundùm ſe aliquando, vel ſaltem obiectiuè, ideſt, ſecundùm actus intellectus, in quibus repræſentatur illa bonitas, qui actus ſecundùm ſe ſunt etiam reales; & quamuis voluntas non intendat, niſi bonum, prout eſt à parte rei, nihilominùs tamen bene poteſt cauſari actus voluntatis à bono, prout apprehenditur intẽtionaliter ab intellectu.

5 Inſtas. Actus intellectus, vt ſit verus, debet conformari cum obiecto non apparente, & ficto, ſed prout eſt à parte rei: ergo ſimiliter actus voluntatis, vt operetur propter Finem, requirit obiectum, quod ſit bonum à parte rei, & non tantùm apparenter. Reſpondetur negando conſequentiam: maior ratio eſt, quia actus iudicatiui debent intellectum certificare, quia per illos immediatè tendit in obiectum: at verò cùm voluntas non feratur immediatè in obiectum, prout eſt, ſed mediante cognitione, vt eius actus ſit bonus; immò, vt ſit ſupernaturalis, ſatis eſt, quòd cõformetur cum obiecto, prout obijcitur. Vnde poteſt eſſe ſupernaturalis eleemoſyna, quæ tribuitur diuiti exiſtimato pauperi, dummodò ſit propter motiuum ſupernaturale miſericordiæ.

Quæ bonitas ſit ratio cauſandi?

6 SEcunda concluſio. Bonum, quod mouet voluntatem eſt honeſtum & delectabile. Ita cum communi ſententia Soar. 1. 2. diſput. 1. ſec. 4. à num. 1. Probatur, quia vtrunque bonum poteſt propter ſe appeti à voluntate: imprimis de bono honeſto, non eſt dubium; de bono deinde delectabili, ſaltem phyſicè loquendo, non eſt etiam dubitandum, cùm hoc bonum ſemper moraliter ordinari debeat ad bonum honeſtum. Bonum verò vtile, cùm ſit medium ad conſequutionem boni honeſti, vel delectabilis, non erit per ſe appetibile. Probatur, quia medium, quatenus medium, non poteſt habere rationem Finis: ergo, cùm bonum vtile ſolùm conſideretur, vt eſt medium ad aliquem Finem comparandum, non poterit, vt ſic, ſubire rationem finis. Confirmatur, quia tota bonitas medij eſt per ordinem ad finem: ergo mediũ non poteſt habere rationem, nec bonitatem Finis, & conſequenter nullum bonum vtile poteſt appeti per ſe.

Bonũ mouens voluntatem debet eſſe honeſtum, & delectabile.

Soarius.

7 Obijcis. Media ſunt obiectum voluntatis: ſed omne obiectum voluntatis habet aliquam bonitatem: ergo medium habet bonitatem diuerſam à fine; ac proinde bonum vtile poterit appeti propter ſe, ſicut concluſio, licet fiat à præmiſſis, habet ſecundùm ſe diuerſam veritatem à præmiſſis. Reſpondetur ad minorem cum diſtinctione: Media habent aliquam bonitatem ratione Finis, cõcedo minorem: ratione ſui, nego minorem. Ad exemplum de Concluſione danda eſt diuerſa ratio, quia ſcilicet concluſio, etiam quà talis, habet diuerſum obiectum, cum quo conformetur, ratione diuerſæ connexionis cum prædicato, & ſubiecto: at verò medium, cùm ſemper ſit propter finem, nullam habet bonitatem propriam, & intrinſecam. Quæ ſolutio eſt ſecundùm doctrinam Soar. in Met. diſp. 23. ſec. 5. n. 18. & ſec. 6. à num. 5. Qui etiam videri poteſt 1. 2. diſp. 1. ſec. 4 à nũ. 5. quidquid in oppoſitum obſtrepat Hurtad. de Anima, diſp. 3 ſec 4. num. 21. & quamuis pro ſe habeat P. Vaſquez, pro quibus.

Soarius. Hurtad. Vaſq.

Digitized by Google

8 Inſtas. Voluntas aliquando ex duobus medijs eligit vnum potiùs, quàm aliud, ſed nō eligeret, niſi in medio, quod præligitur, appareret maior bonitas: ergo media ſuam etiam habent bonitatem. Reſpondetur negando conſequentiam; ideò enim voluntas eligit hoc potiùs medium, quàm aliud, non quia per ſe habet hoc medium maiorem bonitatem, ſed quia illam habet ratione finis conſequendi, qui per tale medium faciliùs poteſt acquiri.

9 Inſtas ſecundò. Medium proximum appetitur propter remotum, vt v.g. ſumptio potionis appetitur propter purgationem coleræ, quæ eſt medium remotum, reſpectu potionis: ergo medium propter ſe poteſt appeti. Reſpondetur, tam medium proximum, quàm remotum appeti propter finē, vt patet in adducto exemplo, nam tam pharmacum ipſum, quàm purgatio coleræ appetuntur, propter ſanitatem.

Quomodo requiratur cognitio ad Finem?

Prærequiritur neceſſariò.

10 TErtia concluſio. Cognitio ita neceſſariò prærequiritur ad cauſalitatem Finis, vt implicet contradictionem, quòd voluntas tendat in Finem non priùs cognitum: Ita cōmunis ſententia Philoſophorum, ac Theologorum; & videri poſſunt Soar in Metaph. diſp. 23. ſec. 7. num. 1. (qui num. 7. citat aliquos Patres) & 1. 2. diſp. 1. ſec. 3. poſt num. 2. §. *Secundò certum*; Vaſq. tom. 1. in 1. 2. ad quæſt. 13. diſp. 36. num. 17. Fonſ. 5. Met. cap. 2. q. 11. ſect. 3. à §. *Potiùs ergo*. Rub. lib 2. Phyſ. trac. . q. 4. num. 35. fine. Arriaga de Anima diſp. 7. ſec 4 ſubſect. 1.

Soarius. Vaſquez. Fonſeca. Rubius. Arriaga.

11 Probatur, quia implicat ferri potentiam extra ſuum obiectum; ſed obiectum voluntatis eſt bonum cognitum: ergo &c. Probatur minor, quia voluntas eſt appetitus quidam rationalis; ſed implicat rem aliquam agere ſine ſua forma naturali: ergo ſimiliter implicat voluntatem non agere per rationem, vel cognitionem præſuppoſitam; vnde eſt illud Philoſophi, *nihil volitum quin præcognitum*. Confirmatur, quia aliquando finis, qui appetitur non eſt in rerum natura: ergo ſi non eſt intentionaliter, ſaltem in intellectu, impoſſibile eſt, quòd ametur.

Eſt conditio ſine qua non. *D Thom. Henric.*

12 Eſt ergo cognitio non ratio formalis cauſandi, ſed conditio ſine qua non, logicè requiſita, ſicut etiam exiſtentia in agente, & ita ſentiunt D. Thom. Henric. Iauel. Scot. Hiſp. Azor. Martin. & alij apud Barth. Amicum in Phyſ. trac. 13 q. 5. dub. 7. §. *Secunda opinio*: item Soar. ſupra n. vlt. Hurt. de Anima diſp. 14. ſec. 5. & ſupponitur hæc doctrina tamquàm certa à Vaſq. tom. 1. in 1 2. ad quæſt. 1. diſp. 2. cap. 2. §. *Ex hac doctrina*, & in eodem tom. ad quæſt. 9. diſp. 35. cap. 3. num. 15. Val. 1. 2. diſp. 2. quæſt 4. pun. 1. à §. *Tertia ſententia*. Vnde communiter refutantur Palud. in 4. diſt. 49. q. 1. ar. 2. & alij ex myſticis Theologis, qui aſſerunt, eos, qui in altiſſima contemplatione ſunt, ad eum ſtatum poſſe rapi, in quo voluntas ſine præuia cognitione eliciat actum amoris diuini.

Iauel. Scot. Hiſp. Azor. Martin. Barthol. Amic. Soarius. Hurtad. Vaſquez. Valent.

13 Aduertit tamen Soar. 1. 2. diſp. 1. ſec. 4. n. 3. poſſe quidem aliquando cognitionem ipſam eſſe rationem formalem Finis, & non ſolùm conditionem ſine qua non, vt quando aliquis v. g. ſolùm appetit cognoſcere roſam, & in ea cognitione ſiſtit, quin vlteriùs appetat ipſam roſam; extra quem caſum cognitio Finis ſolùm erit conditio requiſita logicè, non verò ratio formalis. Vbi aduertendum eſt cognitionem obiecti, non ſolùm eſſe conditionem logicè neceſſariam ad agentia intellectualia, ſed etiam ad operationes appetitus brutorum, neque enim appetitus equi ferri poteſt in obiectum, ſine præuio phantaſiæ iudicio, vt docet D. Th. 1. p. q. 59. ar. 3. §. *Reſpōdeo*, his verbis: *Ouis fugit lupum ex quodam iudicio, quo exiſtimat eum ſibi noxium. &c.* *D. Thom.*

Refutatur contraria ſententia. *Capreol Medina.*

14 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet, cognitionem Finis ingredi rationem formalem Finis, & non ſolùm eſſe conditionem; quam tenent Capr. in 2. diſt. 25. & Medina 1. 2. q. 1. ar. 1. §. *Tertia concluſio*, (qui in hac re adeò non videt, vt ſuam opinionem appellet euidentem.) Obijcis, inquam, primò. Eadem bonitas ſi ſit apprehenſa ab intellectu, eſt obiectum voluntatis, ſi verò ſit apprehenſa à phantaſia, eſt obiectum appetitus: ergo ſignum eſt, quòd illæ diuerſæ cognitiones ingrediantur rationem formalem Finis, ſiquidem, ratione illarum, diſtinguitur voluntas ab appetitu. Reſpondetur tamen, voluntatem, & appetitum diſtingui propter rationes formales ſuorum obiectorum, quæ non ſunt illæ bonitates ſecundùm diuerſas apprehenſiones; ſed ratio formalis diſtinguendi voluntatem ab appetitu eſt ipſa bonitas ſecundùm ſe, prout eſt conformis naturæ rationali: Deinde bonitas, prout eſt conueniens naturæ ſenſitiuæ, eſt ratio formalis diſtinguens appetitum à voluntate.

15 Eſt optimum exemplum ad hoc explicandum in Log. Conimb. cap. de Verbo, q. 4. ſec. 3. §. *Obijcies ſecundò*; Tempus enim v. g. præſens, præteritum, & futurū non ingreditur *Conimbr.*

ratio.

Digitized by Google

rationem formalem verbi cuiuſuis, & tamen ſignificatio formalis verbi in tempore præſenti differt eſſentialiter à ſignificato formali eiuſdem verbi in tempore futuro, quia videlicet actio vt exercita, vel exercenda inducit diuerſum ſignificatum formale. Aliud exemplum afferri poteſt, nam amor Dei in patria, & in via, in bona opinione differt ſpecie, non ex eo quòd cognitio obſcura in via, & clara in Patria ingrediatur eius rationem formalem, ſed quia propter diuerſas cognitiones, attingitur diuerſa ratio formalis in obiecto; per cognitionem enim claram apparent perfectiones, quæ per cognitionem obſcuram latebant.

16 Obijcis ſecundò. Aliquando Finis eſt impoſſibilis, & tamen voluntas illum appetit; ſed nō appeteret, niſi intellectus ibi fingeret, per cognitionem, aliquam bonitatem, (id enim, quod impoſſibile eſt, nullam habere poteſt bonitatem) ergo apprehenſio, ſeu cognitio intellectus ingreditur rationem formalem bonitatis Finis. Maior, quòd ſcilicet, volūtas aliquando appetat impoſſibile, patet in eo ægroto, qui appetit ſalutem iam deſperatam, iuxta illud ingenioſi Vatis,

Ouid. lib. 1. de Pōt. Eleg. 7.

Sæpe aliquem ſolers medicorum cura reliquit,
Nec ſpes huic, vena deficiente, cadit.

Reſpondetur tamen, voluntatem nunquàm diligere impoſſibile, quá tale (ſicut dixi de negationibus) neque intellectum tribuere fini aliquam bonitatem, ſed ſolùm tribuere modum exiſtendi intentionalem, & in hoc eſſe intentionali, ſeu in hac cognitione, apparere bonitatem Finis, quæ priùs erat obiectiuè in eodem Fine, ſiquidem priùs eſt, obiectum habere eſſentiam, ſeu bonitatem, quàm ſecundùm eam concipi; quapropter cognitio non tribuit bonitatem obiecto, ſed concipit eam, vel veram, vel apparentem; vnde etiam quando Finis apparet impoſſibilis, adhuc remanet bonitas obiectiua, quæ apprehenditur per cognitionē, quæ bonitas dici poteſt realis, ratione conceptus obiectiui realis, & ad hanc bonitatem obiectiuam, requiritur cognitio, tanquàm conditio, ſine qua non.

Quæ cognitio requiratur ad Finem?

Requiritur cognitio intellectiua. D. Thom. Caiet. Barth. Amicus.

17 Quarta concluſio. Vt voluntas feratur in finem, non ſufficit cognitio ſenſitiua phantaſiæ, ſed requiritur cognitio intellectus: ita comunis ſententia ad 1.2. D. Th. q. 9. ar. 1. & 3. vbi laté Caiet. q. 10. ar. 2, item Barth. Amic. in Phyſ. tr. 13. q. 5 dub. 6. n. 10. Soar. in Met. diſp. 23. ſec. 7. n. 8, & n. 9. oſtendit hanc cognitionem debere eſſe iudicatiuam. Vaſq. tom. 1. in 1. 2. ad q. 9. diſp. 35. cap. 3. num. 17. Probatur prima pars: quia cognitio phantaſiæ nullam cum voluntate habet proportionem, præſertim, cùm hæc ſit ſpiritualis, phantaſia verò corporea; & præterea additur, quòd phantaſia nullum cognoſcat obiectum, quod ab intellectu non percipiatur. Vnde colligitur ſecunda pars concluſionis; immò addo, nec diuinitus poſſe volūtatem ferri in obiectum, quod ſibi ſolùm proponatur, per cognitionē ſenſitiuam. *Soarius. Vaſquez.*

18 Obijcis primò. Sufficit ſympathia, quæ datur inter potentias eiuſdem ſuppoſiti, vt phantaſia corporea poſſit mouere voluntatem, quamuis hæc ſit ſpiritualis: ergo neceſſaria non eſt cognitio intellectus. Probatur antecedens primò. Quia corporeum phantaſma producit ſpeciem ſpiritualem. Probatur ſecundò. Quia appetitus corporeus mouetur ab intellectu ſpirituali, cùm ſæpe propter rem aliquàm ſpiritualem concipiat lætitiam, vel triſtitiam, iuxta illud Vatis diuini. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* *Pſal. 83.*

19 Reſpondetur negando antecedens, & ad primam illius probationem dicendum eſt phantaſma corporeum ſolùm concurrere ad ſummum effectiuè, & per eleuationem ab intellectu agente ad ſpeciem intelligibilem ſpiritualem: concurſus autem phantaſiæ, non eſſet ſolùm effectiuus, ſed haberet ſe ex parte obiecti formalis, quod antecedit ipſam voluntatem; nam licet cognitio non ſit ratio formalis, eſt tamen conditio neceſſaria pertinens ad obiectum formale. Vnde, ſi cognitio eſt improportionata, non poteſt eleuari à voluntate, ſiquidem cognitio antecedit ipſam voluntatem. Ad ſecundam probationem dicendum eſt, quód phantaſia in ſimili lætitia, vel triſtitia appetitus, nō cognoſcit rem ſpiritualem, vt in ſe eſt, ſed ad inſtar rei corporeæ, tunc verò mirū non eſt, ſi phantaſia moueat cor, vel appetitum.

20 Obijcis ſecundò. Naturalis cognitio intellectus poteſt mouere voluntatem, vt actum ſupernaturalem eliciat: ergo ſimiliter cognitio ſenſitiua poterit mouere volūtatem ſpiritualem. Reſpondetur negando conſequētiam, maior ratio eſt, quia voluntas in eo caſu non fertur extra ſuum obiectum adæquatū, quod eſt bonum ſupernaturale, aut naturale; ferretur verò amando bonū propoſitū à phātaſia, quia obiectū formale voluntatis eſt bonū conueniens appetitui rationali; ac proinde debet eſſe cognitum per intellectum, ſiquidē

 appe-

appetitus rationalis eſt potentia ſpiritualis, ſicut eſt ipſe intellectus.

11 Ex tradita doctrina patet, requiri cognitionem intellectiuam: vnde, quando voluntas fertur in finem perfecto modo, requirit cognitionem perfecté iudicatiuam, quia ad ſimilem amorem Finis requiritur cognitio proportionis inter media, & finem: ſi veró volitio non tendat in finem, cognoſcendo formalem proportionem inter media, & ipſum Finem, ſed tantúm feratur materialiter, tunc ſufficiet notitia apprehenſiua: quamuis apprehenſio, quæ ſit virtualiter iudicatiua, ſimpliciter ſit ſufficiens. Debet autem hæc cognitio eſſe actualis, neque ſufficiet habitualis, quia niſi actu repræſentetur Finis, non poteſt actu cauſare.

SECTIO III.

Quæ agentia propter finem operentur?

Agentia quæ non habẽt cognitionem nõ operantur propter finem.

1 Prima concluſio. Agentia merè naturalia, quæ non agunt, præuiâ cognitione, qualia ſunt ignis, & aqua &c. nõ operantur propter Finem à ſe intentum ſed ab auctore naturæ. Probatur, quia illa ſolùm agentia operantur propter finem, quæ dirigunt ſuas actiones in aliquem Finẽ: ſed agentia, quæ nullam habent cognitionem, non poſſunt dirigere ſuas actiones in finem aliquem: ergo &c.

2 Secunda concluſio. Agentia naturalia, quæ operantur, præuiâ cognitione, ſed ratione carent, operantur materialiter tantùm propter finem. Probatur, quia, cúm non cognoſcant conuenientiam formalem inter media, & finem, non poſſunt formaliter agere, propter Finem; cùm tamen aliunde ferantur in bonũ ſibi conueniens, non eſt dubium, quód materialiter ferantur in finem, quia videlicet naturali inſtinctu mouentur. Supponit hæc concluſio, tamquàm omnino certum, brutas animantes omni prorſus ratione carere, de qua veritate videri poſſunt Patres Conimbricenſ. 2. Phyſ. cap. 9. q. 4. quam probo in lib. de Anima, diſp. 8?. ſect. 4.

Patres Conimbr.

3 Tertia concluſio. Sola agentia quæ vtuntur ratione, operantur formaliter propter finem. Probatur, quia ſola agentia intellectualia participant, & cognoſcunt Finem, ſub ratione formali bonitatis: ſola etiam attingunt proportionem mediorum cum fine, & delectum inter ipſa media. Sed quæſtio eſt, vtrùm omnes actiones creaturæ rationalis ſint propter Finem, an illæ tantúm, quæ verſantur circa media? Deinde quæſtio eſt, vtrùm monſtra, quæ aliquando eueniunt, etiam inter agẽtia intellectualia, ſint propter finem? de hac ſecunda quæſtione agendum eſt ſectione ſequenti, circa primam, ſit.

Omnes & ſolæ actiones creaturæ rationalis ſunt propter finem.

4 Quarta concluſio. Omnes actiones Angelicæ, & humanæ, ſiue ſint circa media ipſa, ſiue circa Finem, immediaté ſunt propter Finẽ. Ita colligitur ex D. Thom. 1. 2. q. 1. ar. 1. eandem tradit Soar. in Met. diſp. 23. ſect. 3. & 1. 2. diſp. 2. ſec. 1. à n. 21. Sal. tom. 1. in 1. 2. trac. 1. diſp. 4. ſec. 2. à n. 26. Quam etiam ſequuntur Patres Conimbr. 2. Phyſ. cap. 7. q. 12. ar. 1. §. Hæc tamen. Probatur, quia illæ ſunt actiones propter finem, quæ fiunt gratiâ finis: ſed tam dilectio finis, quàm electio medij, ſunt propter finem, vel proximè, vel remotè: ergo omnes actiones voluntatis Angelicæ, & humanæ, quæ verſantur, vel circa media, vel circa Finẽ, ſunt propter Finem.

D. Thom. Soarius. Salas. Patres Conimbr.

5 Confirmatur primò. Quia voluntas veré, ac proprié mouetur ad amandum Finem: ergo vbi datur motio metaphorica Finis, datur vera cauſalitas ipſius Finis: cùm igitur voluntas propriè moueatur ad amorem Finis ab ipſo Fine, talis amor propriè mouetur à Fine. Confirmatur ſecundó. Quia aſſenſus intellectus circa prima principia, licet immediatè non verſentur circa aliqua priora principia, ſunt tamen propter ipſa prima principia: ergo ſimiliter actus voluntatis, qui immediaté verſantur circa Finem, erunt propter Finem, licet non verſentur circa media, quæ conducunt ad ipſum Finem: vnde Amor, Deſiderium, Gaudium, & Delectatio Finis, ſunt propter ipſum Finem.

6 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet ſolas actiones, quæ verſantur circa media, eſſe propter Finem, quam ſequuntur Gabr. in 2. diſt. 1. q. 5. ar. 1. Medin. 1. 2. q. 8. in principio. Vaſq. tom. 1. in 1. 2 ad q. 1. diſp. 3. cap. 2. & alij, quibus adde quendam Petrum de Lorca 1. 2. diſp. 3. à §. Mihi tamen. Obijcis, inquam, primó. Simplex amor Finis non eſt propter Finem: deinde actiones, quæ ſequuntur poſt aſſequutionem Finis, non ſunt propter Finem, ſiquidem finis iam præterijt: ergo &c. Probatur antecedens. Quia illæ ſolùm actiones, quæ operantur gratiâ finis, ſunt propter Finem: At ſimplex amór Finis non eſt propter Finem, ſed eſt veluti apprehenſio, & intentio Finis: ergo &c. Reſpondetur negando antecedens: quia gratiâ Finis fieri aliquid, non ſolùm ſignificat aliquid diſtinctum ab ipſo amore Finis, ſed etiam ſignificat ipſum amorem, & ſimplicem intentionem Finis: nã etiam hæ actiones procedunt à Fine: ſimiliter actio-

Gabriel. Medina. Vaſq. Lorca.

Digitized by Google

actiones, quæ ſequūtur poſt finem, ſunt propter Finem perfectiori modo; ſiquidem iam habent Finis aſſequutionem, quales ſunt Fruitio, Delectatio, & Gaudium de Fine.

7 Obijcis ſecundò. In eo diſtinguitur brutum à creatura rationali, quòd licet brutum, & homo ferantur in bonum delectabile, homo tamen, & non brutum, dicitur operari propter finem, quia homo cognoſcit ordinem mediorum ad finem, non verò brutū: ergo ſolæ actiones, quæ verſantur circa hunc ordinem, ſiue circa media, ſunt propter finē. Reſpondetur, non in eo diſtingui hominis, & bruti operationem; ſed quia homo fertur in finem propter eius bonitatem formaliter cognitam, vt conuenientem naturæ rationali: at verò brutum fertur in finem neceſſariò, & per cognitionem materialem; quamuis etiam creaturæ rationales cognoſcant ordinem mediorum ad Finem, quem non attingunt brutæ animantes.

8 Inſtas. Amor Dei in Patria eſt neceſſarius: ergo non eſt propter Finem: ergo non omnes actiones creaturæ rationalis, quæ verſantur circa finem, ſunt propter finem. Probatur conſequentia, quia ideò brutum non operatur propter finem, quia neceſſariò operatur. Reſpondetur negando vtramque conſequentiam, & illius probationem; ideò enim brutum non operatur propter finem, quia nō habet cognitionem intellectualem, & non ſolùm, quia operatur neceſſariò; quarè, quāuis agentia intellectualia neceſſariò aliquando operentur, poterunt tamen operari propter finem, quando videlicet talis operatio procedat ex cognitione finis, vt contingit in amore beatifico.

9 Ex quibus colligitur, non ſolùm actiones internas voluntatis humanæ, & Angelicæ, ſed externas etiam eſſe propter Finem. nam omnes hæ actiones, ſiue ſint elicitæ, ſiue imperatæ à voluntate, ſunt formaliter propter finem.

Vtrùm Deus operetur propter Finem?

Deus ad intra non operatur propter Finem.

1 *Quinta concluſio.* Deus ad intra nō operatur propter cauſam finalem tam quoád actus liberos immanentes, quàm quoád neceſſarios; ita D. Thom. 1. p. q. 19. ar. 5. Soar. in Met. diſp. 23. ſec. 9. n. 3. Sal. tom. 1. in 1. 2. trac. 1. diſp. 4. ſect. 3. Barthol. Amic. in Phyſ. trac. 13. q. 6. dub. 1. n. 22. Fonſ. 5. Met. cap. 2. q. 10. vbi ſec. 4. abſolutè docet, Deum non agere propter finem, tamquàm propter cauſam. Arrub. 1. p. diſp. 57. c. 1. eandem ſententiam tenet ex antiquioribus Alenſ. Dried. & alij, quos citat Soar. ſuprà. Probatur, quia vbi non datur vera dependentia, non datur vera cauſalitas: ac proinde, nec vera cauſa finalis: ſed in Deo ad intra nulla datur dependentia, nec cauſalitas: ergo &c. Confirmatur, quia voluntas diuina, quoád ſuam entitatem, eſt ipſamet eſſentia diuina, nam terminatio ad extrinſecum nullam Deo addit entitatem: ergo Deus non habet cauſalitatem aliquam, circa actus liberos, neque enim habere poteſt cauſalitatem circa ſe ipſum.

D. Thom. Soarius. Salas. Barth. Amicus Fonſeca. Arrub. Alenſ. Dried.

11 Obijcis. Deus amat ſe, & creaturas propter ſuam bonitatem diuinam, ergo operatur propter Finem. Reſpondetur negando conſequentiam, quia non ſatis eſt amor ad rationem finis, ſed neceſſaria eſt vera ratio, & dependentia Cauſæ, quæ non datur in Deo circa ſuos actus internos. Quemadmodùm ergo Deus intelligitur ſe amare quin amet aliquid extra ſe, ita intelligitur amare ſe, & creaturas propter ſuam bonitatem, ſine aliqua cauſalitate, vel dependentia; nam eiuſdem ad ſe ipſum dari non poteſt dependentia.

12 *Sexta concluſio* Deus ad extrá operatur propter finem. Hæc eſt communis ſententia, pro qua videri poteſt Barthol. Amic. trac. 13. q. 6. dub. 1. n. 22. & Arriaga in Phyſica diſp. 8. ſec. 1. n. 61. Probatur, quia omnes actiones ad extrà (qualis eſt v. g. creatio animæ rationalis) pendent à Deo, vt à vera cauſa efficiente, & Finali, omnes enim fiunt à Deo propter ſuam diuinam bonitatem, tamquàm propter vltimum Finem; cùm igitur actio Dei tranſiens, non ſit ipſe Deus, nec ſit in Deo, ſed in creatura, ideó habere poteſt veram cauſam finalem; licet enim Deus non habeat finem ſui ipſius, habet tamen finem ſuæ actionis tranſeuntis, quæ verè dependet à Deo, ſicut dependet ipſe terminus, cum quo actio identificatur. Cùm dico, *actionem Dei tranſeuntem, v. g. creationem, non eſſe ipſum Deum*, intelligo creationem paſſiuam, id eſt, prout recipitur, & identificatur cum termino, nam creatio actiua eſt ipſe Deus, ſicut dixi de poſſibilitate actiua creaturarum.

Barth. Amicus. Arriaga.

13 Neque obſtat, quòd in agentibus intellectualibus creatis nulla exerceatur cauſalitas ad extrà propter finem, quin priùs detur aliqua interna, v. g. antequàm detur ſciſio venæ, debet dari amor ſalutis internus: nam agens intellectuale increatum ſine aliqua reali actione, & mutatione cauſalitatis intelligitur intrinſecé velle, & moueri modo perfectiſſimo; non ſic autem agens intellectuale creatum

14 Ex tota hac ſectione bene colligitur, naturam ipſam non temere, ſed propter finem operari, vt Fides docet, & erudité probat Rub. 2. Phyſ. cap. 8. q. vnica, eruditiſſiméque hoc præſtant Conimbric. 2. Phyſ. cap. 9. q. 1. enim verò nemo adeò ferus eſt, nemo tam *Barbarus in craſſo Bœotum ſydere natus*, vt audeat affirmare artificioſam hominum ſtructuram, admirandam orbis harmoniam temere, & caſu erupiſſe. Quæ doctrina vera eſt non ſolùm ſi nomine naturæ intelligatur prima cauſa, ſed etiam ſi intelligantur cauſæ ſecundæ, quarum aliquæ, licet ratione careant, naturali inſtinctu feruntur in ſuos fines determinatos ab auctore naturæ, eo modo, quo ſagitta fertur á dirigente, qui inſtinctus non eſt aliud, *quàm actus quidam phantaſiæ, per quem imperfecto modo indicat brutum, hoc eſſe proſequendum, vel fugiendum.* Et tandem inſenſibilia diriguntur ab auctore naturæ ad ſuos fines, medijs qualitatibus, vt v. g. lapis ad centrum per ſuam grauitatem.

P. Rubius. Colleg. Conimbr.

Quid ſit inſtinctus?

SECTIO IV.

An monſtra, quæ accidunt, caſu eueniant, vel propter finem aliquem á natura intentum?

1 CONtra ſuperiorem doctrinam, in qua dixi, omnia agẽtia agere propter finem, ſurgit hoc dubiũ, vtrùm, ſcilicet, monſtra, quæ eueniunt, caſu accidant, an propter aliquem finem intendantur? Monſtrum igitur eſt imprimis ſignũ aliquod, per quod fatales euentus portendũtur. Vnde monſtrum dicitur à monſtrando, ſic apud Virgilium,

Dat ſignum cælo, quo non præſentius vllum
Turbauit mentes Italas, monſtroq; fefellit.

Virg. Æneid. 12.

Apud Philoſophos verò dicitur monſtrum, *effectus aliquis naturalis à ſolita diſpoſitione, ſecundùm ſpeciem, degenerans*, quale foret homo, qui bouino capite naſceretur. Per ly, *naturalis effectus*, excluduntur monſtra artificialia. Dicitur deinde, *degenerans à vero*, quia illud ſolùm eſt mõſtrum, in quo aliquis datur error: dicitur prætereà, *a ſolita diſpoſitione*, quia monſtrum eſt vitium naturæ deerrantis, & propterea rarò debet contingere: vnde Pygmæi non ſunt mõſtra in ea regione, vbi communiter procreantur. Dicitur tandem, *ſecundùm ſpeciem*, quia neceſſe non eſt, vt monſtrum ſit alterius ſpeciei, quarè ſi quis homo naſceretur duplici capite, verè eſſet intra eãdem ſpeciem humanam.

Definitur monſtrũ.

2 Ad generationem monſtri multa concurrunt, virtus ſcilicet formatiua fœtus; deinde materia, ex qua formatur, quæ poteſt eſſe adeò copioſa, vt monſtrum eueniat, quale fuit illud (de quo Albert. Magn. quem citat Tol. 2. Phyſ. cap. 9. q. 13. §. *Quartò ſit*) quod habebat vndecim ora, & vndecim linguas. Nec diſſimile fuit illud apud principem vatem, quod tamen nunquàm fuit,

Albertus Magn. Tolet.

Ægeon qualis, centum cui brachia &c. Æn. 10.

Concurrit etiam matrix, in qua formatur fætus; permixtio prætereà qualitatum, v. g. ſi ſit nimius calor: temperatura deinde generantium, ac tandem parentum vehemẽs imaginatio.

3 Quibus poſitis, quæſtioni reſpondet Tolet. 2. Phyſ. cap. 9. q. 13 §. *Sed mihi*, monſtrũ non intendi à cauſa generante, propter aliquem finem, ſed caſu euenire reſpectu generantis, quia videlicet generans intendit producere ſibi ſimile: nihilominùs tamen aſſerit, intendi monſtrum per ſe á cauſa impediente: at verò Patres Conimbric. 2. Phyſ. cap. 9 q. 6. ar. 1. ſentiunt, ab vtraque cauſa tam impediẽte, quàm impedita, per ſe intendi monſtrum: nam licet cauſa impedita monſtroſum effectum fugiat, prout tamen adiũgitur cum cauſa impediente, relinquit ſuam primariam intẽtionem, tamquàm impoſſibilem, & ad productionem monſtri inclinatur: ad quam generationem neceſſariò vtraque cauſa debet concurrere, quia fætus non, niſi à duplici parente, naturaliter poteſt prouenire.

Tolet. Colleg. Conimbr.

4 Pater Ant. Rub. 2. Phyſ. cap. 11. q. vnica, n. 42. citat Soar. tom. 1. Met. diſp. 19. ſec. 12. n. 4. aſſerentem, monſtrum non intendi à cauſis particularibus, quia hæ limitatæ ſunt ad vnum tantùm effectum, quem ſemper ſibi ſimilem volunt producere, intendi tamen á cauſis vniuerſalibus, nempe à corporibus cæleſtibus, quæ, cùm maiorem habeant ambitum, vniuerſaliorem etiam continent virtutem ad cauſandos, & intendendos diuerſos, & inſolitos effectus: verùm Soar. in eo loco, non agit de hac quæſtione, ſolùm enim ibi probat, nullum eſſe effectum caſualem reſpectu Dei.

Rubius. Soarius.

5 Dicendum ergo exiſtimo cum D. Th. in 4. diſt. 36. q. 1. ar. 1. ad 2. Cauſas ſecundas non intendere monſtrum primaria intentione, ſed ſecundaria. Probatur prima pars, quia natura ex ſe intentat perfectam aſſimilationẽ effectus, vt omnes concedunt: ſed quod natura ex ſe intentat, dicitur intendere primaria intentione: ergo &c. cùm verò aliquando natura non poſſit producere effectum ita perfectum, propter cauſas ſupra numeratas, intendit ſaltem producere effectum ſub eſſe imperfecto, ac proinde ſecundarió intendit monſtrum:

D. Thom. Monſtrũ intenditur ſecũdarió.

ſtrum: ex quibus patet ſecunda pars concluſionis. Quæ doctrina vniuerſalis eſt cauſis omnibus tam impedienti, quàm impeditæ, immó etiam corporibus cæleſtibus. Atque hinc eſt, quòd, cùm monſtrum intentum nō ſit primariâ intentione, dicatur ſimpliciter caſuale, licet ſecundariò intendatur, quod enim prima intentione non intenditur, caſuale dici poteſt, quamuis aliunde, ex eo quòd ſecundariò intendatur à natura, dici poteſt effectus naturalis.

6 Obijcis. Si ſufficit ſecūdaria naturæ intentio, vt effectus dicatur aliquo modo per ſe, & naturalis, (ſicut etiam monſtrum dicitur naturale) ſequitur quòd nullus detur effectus omnino caſualis, nec purè per accidens, ſiquidem quicumque poteſt ſecundariò intendi à natura. Reſpondetur negando ſequelam; quia dantur aliqui effectus, qui neque ſecundariò intenduntur à natura, quales ſunt effectus merè per accidens, & omnino contingentes ab extrinſeco, vt eſt percuſſio Petri facta à lapide temere proiecto.

7 Hic tamen aduertendum eſt, ſi natura ſumatur pro cauſa prima, nullum eſſe monſtrum, quod à Deo primarió non intendatur, quia nullus omnino effectus, vel monſtruoſus, vel caſualis per accidens euenit reſpectu cauſæ primæ. Vult enim Deus efficaciter, vt cauſæ naturales operentur ſecundùm illam virtutem conditionatam, ac defectuoſam, quam habent, & quamuis Deus poſſit impedire hos effectus, non tamen tenetur de lege naturali, ita enim omnia ſapientiſſimè diſpoſuit, vt res omnes operari ſinat, ſecūdùm ſuas vires naturales.

Reſpectu cauſæ primæ nullū datur mōſtrum.

8 Obijcis. Monſtrum eſt vitium, & malum naturæ: ergo neque à natura ipſa ſecundarió, neque à Deo primariò intendi, ſiue permitti poteſt. Reſpondetur negando conſequentiam; quamuis enim ſit malum phyſicè, non eſt tamen malum morale, immó habet phyſicam aliquam bonitatem, ſecundùm quā poteſt à Deo primariò intendi, & ſecundariò à natura ipſa. Si verò foret malum morale, cùm ſit malum ſimpliciter, nullo modo poſſet à Deo intendi.

9 His omnibus præſuppoſitis, ad quæſtionem in titulo ſectionis propoſitam, directè reſpondeo, permitti, ſeu intendi à natura, hoc eſt à Deo hæc monſtra, propter ſuos fines occultos; & vniuerſaliter loquendo, propter pulcherrimam vniuerſi varietatem, nam ſicut tenebræ, atque vmbræ lucem commendant, horribileſque, ac deformes Laruarum facies picturam graphycè inſtruūt, & eleganter exornant, ita ſimiliter mundi pulchritudinem hæc monſtra clariùs faciunt elucceſcere, & euidentiùs nobis demonſtrant,

Quid velit, & poſſit rerum concordia diſcors? *Horà. Epiſt. 12. lib. 1.*

SECTIO V.

Vtrùm aliquis poſsit operari propter duos fines vltimos?

1 PRima concluſio. Omnes actiones creaturæ rationalis ſemper fiunt aliquo modo propter vltimum finem poſitiuè, ſiue expreſſè, ſiue implicitè, & interpretatiuè: ita D.Thom. 1. 2. q. 1. ar. 6. Vaſq. tom. 1. in 1. 2. ad q. 1. diſp. 6. cap. 1. §. *Communis autem.* Valen. 1. 2. diſp. 1. q. 1. pun. 5. Gran. 1. 2. Controu. 1. trac. 1. diſp. 2. n. 8. Martin. ibidem ad q. 1. ar. 6. dub. 1. Monteſin. 1. 2. diſp. 2. q. 4. Durand. in 1. diſt. 38. q. 1. vt probetur concluſio, aduertendum eſt, Finem vltimum, vel talem eſſe ſimpliciter, & in quo plenè voluntas acquieſcit (qui ſi in abſtracto ſumatur dicitur Beatitudo, ſi in concreto eſt ipſe Deus:) vel eſſe Finem vltimum ſecundùm quid, qui dicitur ille, qui in certo genere eſt vltimus, vel ſaltem offertur, vt vltimus ſimpliciter, vt quando auaro obijciuntur diuitiæ, tamquàm Finis vltimus ſimpliciter.

Omnes actiones morales ſēpēr fiunt aliquo modo, propter finem vltimum. *D. Thom. Vaſquez. Valent. Granad. Martin. Monteſ. Durand.*

2 Probatur igitur concluſio de Fine vltimo poſitiuè ſimpliciter, quia omnes volūtatis creatæ actiones fiunt, propter aliquē Finē, ergo ſi ille finis talis eſt, vt ſatiet voluntatem, eſt vltimus Finis ſimpliciter: ſi veró talis non ſit, ſanè propterea amatur, quia aliquo modo conducit ad Finem vltimum ſimpliciter, (inſitus enim eſt naturæ rationali vehementiſſimus amor beatitudinis, ideſt, boni ſine admixtione mali) ergo ſemper creatura rationalis operatur aliquo modo propter vltimum Finem, ideſt, propter beatitudinem, ſiue expreſſè, vt contingit in homine iuſto, ſiue interpretatiuè, vt contingit etiam in homine non iuſto, qui, quantùm eſt ex ſe, ſemper vellet ſummum bonum adipiſci.

3 Confirmatur, quia cauſa prima ſemper concurrit efficienter cum omni actione creata: ergo etiam ſemper concurrit finaliter: vnde vel peccata ipſa, quæ directò tendunt cōtra Deum, qualia ſunt odium ipſius Dei, & Idololatria, referuntur in Deum, non vt in finem, quatenus ſunt malum morale, ſed quatenus habent phyſicam bonitatem, ſecundùm quam appetuntur à creatura. Immó etiam, ſecundùm malum morale, referuntur in Deum, non vt medijs illis obtineatur, ſed quatenus, ei inſeruiunt ad manifeſtandam iuſtitiam, dū punit; vel miſericordiam, dum parcit; vel ſapien-

Digitized by Google

ſapientiam dum permittit.

4 Objcis pro contraria ſententia, quam ſequitur Soar. 1. 2. diſp. 3. ſec. 4 à n. 3. ſequutus Scotum in 4. diſt. 49. q. 10. & Medin. 1. 2. ad q. 1. ar. 6. eiuſdem quæſt. concl. 4. Homo non ſemper operatur propter Deum, qui eſt vltimus Finis ſimpliciter: ergo non omnes actiones morales ſunt propter vltimum finem ſimpliciter. Probatur antecedens, quia imprimis multi non cognoſcunt Deum verum. Deinde multi operantur propter aliquem finem creatum, quem ſibi conſtituunt tamquàm vltimum. Reſpondetur diſtinguẽdo conſequens: Homines non ſemper agunt explicitè propter vltimum finem ſimpliciter, concedo conſequentiam; quia, vt bene probat argumentum, aliqui non cognoſcunt Deum: non ſemper agunt implicitè ſaltem, propter finem aliquem vltimum fictitium ſaltem, & chymericum, quem ſibi fingunt, nego conſequentiam. Vnde ſaltem interpretatiuè tunc operâtur propter vltimum finem ſimpliciter, nam ratio ipſa docet, ſemper homines in ſuis actionibus potiùs electuros (ſi ipſis daretur optio) bonum ex omni parte perfectiſſimum, quàm quoduis aliud imperfectum.

Soar. Scotus. Medina.

Poteſt aliquis operari propter duos fines.

5 *Secunda concluſio.* Duo Fines vltimi ſecundùm quid, ſeu particulares, quorum vterque ſit vltimus, ſaltem negatiuè, poſſunt ſimul intendi; ideſt, poſſunt homines exercere actionem aliquam externam, propter duos Fines particulares, totales in ſuo genere, (quorum alter per ſe foret ſufficiens) quamuis inter ſe non ſint ſubordinati: ita communis Theologorum ſententia: & videri poſſunt Soar. 1. 2. diſp. 3. ſec. 2. à n. 3 Vaſq. tom. 1. in 1. 2. ad q. 12. ar. 1. diſp. 40. dubit. circa ar. 3. n. 15. Sal tom. 1. in 1. 2. trac. 1. diſp. 8. ſec. 2. P. Hurt. de Anima, diſp. 13. ſec. 7. Probatur, quia ſcientia, & honor rectè coniunguntur in vno homine: ergo poterit quis dare operam literis, propter ſcientiam, & propter honorem; cùm verò quilibet horum finium ſufficiens eſſet, euidenter ſequitur, ſaltem à poſteriori, quòd poſſit quis operari propter duos Fines totales, qui tamen non ſint ſimpliciter vltimi, & vniuerſales.

Soar. Vaſquez. Salas. Hurtad.

6 Confirmatur, quia duo actus intellectus, propter diuerſa motiua, ſinguli adæquati in ſuo genere, poſſunt concurrere ſimul ad eandem actionem externam: ergo & duo actus voluntatis, propter duos fines, poterunt concurrere ad vnam, eandemq́ue actionem externam. Probatur antecedens, nam Chriſtus Dominus, per ſcientiam naturalem, & per ſcientiam per ſe infuſam, & per beatam cognoſcebat idem obiectum; & propter hæc diuerſa motiua plures actiones externas exercebat, ad quas vnum tantùm motiuum ſufficiebat: ergo ſimiliter voluntas poterit intendere idem obiectum, propter duos Fines adæquatos, ſed particulares.

7 Obijcis. Non poteſt idem effectus, nec diuinitus, procedere à duplici cauſa formali, neque naturaliter prodire à duplici cauſa effectiua: ergo neque à duplici cauſa finali. Reſpondetur negando conſequentiã. Maior ratio eſt, quia Cauſæ finales ſunt veluti cauſæ morales, & intentionales, valdeq́ue arbitrariæ, ad quas proinde poteſt, pro libito, referri eadem actio externa, ſeu idem effectus externus, quod non cernitur in alijs cauſis. Dico, *actionem externam*, quia quando quis operatur propter duos Fines totales, dantur in operante duo actus voluntatis interni, qui ſunt effectus immediati finium, vnde actio externa poteſt eſſe vna, cùm tamen actiones internæ ſint duæ; & ex hac ſolutione probata manet concluſio à priori.

8 *Tertia concluſio.* Duo Fines vltimi, quorum alter ſit vniuerſalis, & ſimpliciter vltimus, alter verò particularis, & ſecũdùm quid, poſſunt ſimul intendi. Ita Soar. 1. 2. diſp. 3. ſec. 4. à n. 4. nec diſſentit Vaſq. tom. 1. in 1. 2. ad q. 1. diſp. 5. cap. 2. Probatur exemplo Iuſti habentis habitum gratiæ, qui tamen peccat venialiter ad captãdam propriam æſtimationem, quam ſibi proponit, tamquàm finem vltimum particularem in tali operatione, qui tamen homo, cùm ſit iuſtus, habet Deum, vt Finem vltimum ſimpliciter.

Soarius. Vaſquez.

9 *Quarta concluſio.* Plures Fines ſimpliciter vltimi poſſunt appeti ſucceſſiuè, dummodò aliquis eorum, quamuis non ſit finis vltimus ſecundùm ſe, tamen concipiatur, vt talis: Ita communis ſententia, vt videre licet apud Granad. 1. 2. Controu. de Fine hominis diſp. 3. à nu. 6. Probatur exemplo illius, qui ductus errore gentilico conſtituebat ſuum vltimum Finem in Idolo, & poſteà, luce Fidei illuſtratus, ad Deum verum omnia refert, tãquàm ad vltimum finem ſimpliciter.

10 *Quinta concluſio.* Duo Fines vniuerſales, & ſimpliciter vltimi non poſſunt ſimul intendi: Ita D. Thom. 1. 2. q. 1. ar. 5. quem ibi ſequuntur Caiet. Conrad. & Medin. Valent. diſp. 1. q. 1. pun. 6. Soar. 1. 2. d. 3. ſec. 3. n. 4. Vaſq. 1. 2. ad q. 1. diſp. 5. cap. 3 Granad. 1. 2. Controu. 1. de Fine vltimo trac. 1. diſp. 3. à nu. 4. Sal. 1. 2. trac. 1. diſp. 8. ſec. 2. Probatur concluſio. Quia Finis ſimpliciter vltimus, & vniuerſalis neceſſariò obijcitur, vt ſummum bonum eſt adeò perfectum, vt nihil illi deeſſe debeat: ergo neceſſariò concipitur vt vnum tantùm; ſi enim conciperetur ſimul cum alio,

D. Thom. Caiet. Conrad. Medina. Valent. Soarius. Vaſq. Granad. Salas.

tam

tam non eſſet ſummum; & perfectiſſimum bonum, ſiquidem participabat perfectionem aliquam ex conſortio alterius Finis. Concluſio intelligenda eſt per ſe loquendo, & ſecundùm rectam rationem, nam bene poterit aliquis falsò ſibi perſuadère felicitatem conſiſtere in duplici fine vltimo vniuerſali, & ambos ſimul appetere.

Hæc circa diſputationes cauſarum huius libri ſecundi, quarè in cauſa finali ſiſto,

——— *Faſſeque hic Fine quieſco.* *Virgil, Æn. 9.*

LIBER III.

DE MOTV ET INFINITO.

DISPVTATIO XXX.

De natura Motus.

ARiſtoteles *Naturæ, veriq́, induce me, pulcherrimus auctor*, Naturam definiès aſſeruit, *illam eſſe principium motus, & quietis*; quapropter in hoc tertio libro agit de Motu, qui eſt præcipua paſſio corporis naturalis, qui rebus omnibus tamquàm vita quædam motrix, adhæret, & vt concinit Phyſicus Poeta Lucretius lib. 1. de Natura rerum,

Lucre. lib. 1. de Nat. rerum. *Semper in aſſiduo motu res quæq́, geruntur.*

Cæterùm, quia motus (vt inquit Philoſophus) eſt de genere Continuorum: Continuũ autem definiri ſolet per infinitum, eſt enim Continuum ſecundùm Ariſtotelem, *id, quod in infinitum diuidi poteſt*, propterea explicato motu, agendum etiam eſt de Infinito, & quia Motus identificatur cum actione, & paſſione; ideò aliqua agenda ſunt de his prædicamentis. Supponendo igitur, teſte experientià, dari motum in rerum natura, circa eius definitionem, ſit.

SECTIO I.

De Definitione, Diuiſione, & Succeſſione Motus.

Definitur motus. Ariſtot. 1 PRima concluſio. Definitur Motus ab Ariſtotele lib. 3. Phyſ. cap. 1. *Actus entis in potentia, prout in potentia eſt.* Quæ definitio, vt intelligatur, aduertendum eſt, in calefactione, quæ motus quidam eſt ad calorem, duo, inter alia, reperiri, ſcilicet calorem ipſum, qui actu acquiritur, & caloris acquiſitionem, vel fluxum illũ caloris: Motus igitur non conſiſtit in illa forma, quæ acquiritur, nempe in calore, quia forma, quæ acquiritur, nempe calor, per ſe non eſt mutatio; neque conſiſtit in forma ſimul cum fluxu, quia tunc eſt compoſitum per accidens, de cuius definitione non curant Philoſophi: eſt ergo Motus fluxus ille, ſeu acquiſitio formæ, quia moueri nihil eſt aliud, quàm accedere ad formam; vnde motus prior eſt naturà, quàm ipſa forma, ad quam datur motus, ſiquidem per motum adquiritur ipſa forma.

2 Cùm igitur Motus nihil aliud ſit, quã continua, & ſucceſſiua alicuius formæ acquiſitio, neceſſariò id, quod intereà mouetur, habet potentiam ad mouendum ſe. Dicitur verò Motus, *Actus*, ideſt perfectio, prout perfectio abſtrahit ab actu perfecto, & imperfecto, nam motus, ſecundùm ſe, non eſt omnino perfectus. Dicitur, *entis in potentia*, vt intelligamus ad motum requiri ſucceſſionem; vnde reijciuntur creationes, quia fiunt in inſtanti; & ſimiliter reijciuntur formæ acquiſitæ, quia ad illas iam non datur potentia. Nomine, *Motus*, etiam comprehenditur generatio ſubſtantialis, non quidem prout ſolùm dicit inductionem, aut expulſionem formæ ſubſtantialis, quæ momento peragitur, ſed prout generatio comprehendit alterationem antecedentem, quia, prout ſic, generatio ſucceſſiua eſt, vt bene hic aduertunt Conimbricenſes cap. 1. q. 1. ar. 2. §. *Ad tertium*, aduerſùs quos circa hanc definitionem inſurgit Hur. tad. in Phyſ. diſput. 11. ſect. 2. à num. 2. huius *Colleg. Conimbr. Henric.*

huius ſect. verùm. *Non vacat inter tot tales componere lites.*

3 Aduertendum eſt primò in hac definitione, non comprehendi motum ſpiritualem, quia non eſt naturalis, idest, non conſtat materiâ, & formâ. Aduertendum ſecundò, in Motus definitione ſatis declarari terminum, *ad quem*, & terminum, *à quo*, eſt enim Motus via quædam, quæ ſine his terminis nequit explicari.

Diuiditur Motus.

4 *Secunda concluſio.* Motus diuiditur in quatuor mẽbra, ſcilicet in Generationẽ, Augmentationem, Alterationem, & Lationem. Ita communis ſententia. Probatur, quia tot ſunt ſpecies Motus, quot ſunt termini: ſed quatuor ſunt termini: ergo &c. Probatur minor: vel enim terminus eſt ſubſtantia, & motus ad ſubſtantiam dicitur generatio; vel terminus eſt quantitas, & dicitur augmentatio; vel eſt qualitas, & eius motus dicitur alteratio, quia ſubiectum per qualitatem redditur alterum: vel terminus eſt Vbi, & eius motus dicitur latio, quia mobile fertur ad Vbi. Ex hac collectione manifeſta eſt concluſio: neque enim propriè datur motus ad relationem, vel quia non diſtinguitur modaliter, ſed eſt tantùm virtualitas quædam logica, qualis eſt duratio, ad quam nullo modo datur motus; vel quia propriè non alteratur ſubiectum, per relationem, quamuis modaliter diſtingueretur, ſiquidem relatio eſt quoddã accidens minimæ entitatis reſultãs ex ſola poſitione termini.

5 Aduertendum verò eſt, omnes has ſpecies eſſe ſubalternas, præter Augmentationem. Probatur, quia Generatio eſt ad formas ſubſtantiales materiales ſpecie diuerſas. Alteratio eſt ad qualitates ſpecificè diſtinctas: Idẽ dicendum de Latione, quæ eſt ad Vbi ſpirituale, & corporale: at verò Augmentatio eſt ad ſolam quantitatem, quæ ſumpta, ſecũdùm ſe totam, prout componitur ex linea, ſuperficie, & corpore, eſt veluti quædam ſpecies infima, & prout ſic terminat augmentationem. Neque obſtat, quòd linea, ſuperficies, & corpus ſint tres ſpecies quantitatis, nam Augmẽtatio non tendit ad has ſpecies per ſe, (neque enim datur motus ad ſolam lineam, vel ad ſolam ſuperficiem) ſed tendit ad quantitatem ſecundùm ſe, prout conſtat ex linea, ſuperficie, & corpore. quæ prout ſic in genere Phyſico poteſt dici ſpecies, quamuis in genere Metaphyſico ſit genus.

6 Aduertendum ſecundò hanc diuiſionem eſſe vniuocam. Probatur, quia ſicut actiones quæ tendunt ad ſubſtantias, & accidentia, conueniunt vniuocè, per reſpectum ad principium, ita etiam motus; datur enim eadem ratio vtrobique; quamuis actiones ſint entia completa, & per ſe conſtituant prædicamentum, motus verò, quà ſucceſſiuus, ſit ens incompletum, quia eſſentialiter eſt imperfectus; ac proinde, prout ſic, non poteſt poni in aliquo prædicamento, ſed reducitur ad formam, cuius eſt motus, vtrùm verò Motus, ſaltem quà continuus eſt, ingrediatur per ſe prædicamentum quãtitatis? diſcutitur l.b. 5. Met, diſp. de Quantitate.

Succeſſio eſt de eſſẽtia Motus. *Tolet. Patres Conimbr. Barthol. Amic.*

7 *Tertia concluſio.* Succeſſio eſt de eſſentia motus: ita communis ſententia, pro qua videri poſſunt Tol. 3. Phyſ. cap. 1. q. 1. à 5. *Secunda concluſio.* Conimbricenſes 3. Phyſ. cap. 2. q. 2. ar. 2. item Barthol. Amic. in Phyſ. trac. 25. q. 1. dub. 1. fol. 934. Probatur, quia motus nihil eſt aliud, quam tendentia ad formam; ſed tendentia concipi non poteſt ſine ſucceſſione: ergo &c. Confirmatur, quia motus per ſucceſſionem eſſentialiter differt ab inſtanti; vnde generatio ſubſtantialis, quæ fit in inſtãti, vel dicitur motus latè loquendo, prout comprehendit mutationes inſtantaneas; vel ſumitur Generatio, prout comprehendit etiã alterationem antecedentem formam ſubſtantialem: vel etiam ſumi poteſt Generatio pro adgeneratione, vel nutritione, quæ non, niſi in tempore, fit: ac proinde per motum, & ſucceſſionem. Neque motus dicendus eſt ſucceſſio ſui ipſius, ſed ſucceſſio formæ.

Quo pacto continuitas pertineat motui?

8 *Quarta concluſio.* Continuitas non eſt de eſſentia motus. Probatur, quia ſi continuitas ſeparetur à motu, adhuc remanebit eſſentia motus, nam adhuc motus haberet ſucceſſionem, continuitate quadam negatiua coniunctam. Confirmatur ex motu diſcreto, qui concipi non poteſt ſine ſucceſſione, poteſt verò concipi ſine omnimoda continuitate. Confirmatur ſecundò. Quia poteſt concipi continuitas ſine motu, vt patet in illuminatione, quæ fit in inſtanti, cuius tamen productio continua eſt: ergo bene poterit concipi ſucceſſio ſine continuitate, hoc eſt, quin partes fluant continuè. Fatendum tamen eſt, continuitatem eſſe proprietatem motus, quia ſucceſſio ſemper inuoluit, ſaltem in potentia, aliquam continuationem, ſed non proinde erit de conceptu formali motus: ſi verò continuitas ſumatur, quatenus eſt extenſio quædam, tunc quidem, talis continuitas eſſentialis eſt motui, vt probo in Metaph. diſp. 60. ſect. 2. n. 12.

Digitized by Google

SECTIO II.

De Diſtinctione Motus á termino, & á mobili.

Motus à termino diſtinguitur modaliter. *Venetus. Capreol. Aureol. Argent. Rubius. Soarius. Hurtad.*

1 PRima concluſio. Motus à termino diſtinguitur ex natura rei, ſiue modaliter. Ita Venetus, Capreol. Aureol. Argent. quos citat, & ſequitur Rub. 3. Phyſ. trac. 1 q. 4 n. 26. qui affirmat, communem iam eſſe hanc ſententiam inter omnes fere Modernos, in eàdem ſententia eſt Soar. in Met. tom. 2. diſp. 49. ſec. 2. à n. 5. Hurt in Phyſ. diſp. 11. ſec. 2. à n. 6. loquens de actione tranſeunte (de qua eadem eſt ratio, quia identificatur cum motu.) Probatur, quia motus eſt eſſentialiter ſucceſſiuus, terminus verò eſt ens permanens, vt ſubſtantia, & quantitas, quæ realiter non ſunt viæ: ergo motus eſt entitas diſtincta à termino, ne dicamus idem eſſe viam ad ſe ipſum.

2 Confirmatur, quia ea, quæ ad inuicem ſeparantur, diſtinguuntur pluſquàm virtualiter: ſed ita ſe habet motus, ſiquidem motus nequit exiſtere ſine termino, terminus verò exiſtere poteſt in facto eſſe ſine motu, vt ſatis conſtat: ergo, ſaltem modaliter, diſtinguuntur, & nō per intellectum, nam ante operationem intellectus concipitur motus, vt diſtinctus à forma. Neque obſtat quòd relatio diſtinguatur tantùm virtualiter, & tamen fundamentum aliquando ſit ſine relatione, aliter enim ſe res habet in motu, qui eſt ens phyſicum, & in relatione, quæ eſt ens logicū, cui ſufficit diſtinctio virtualis, ſecundùm diuerſas formalitates.

Collegiū Conimbr. Toletus. Benedict. Pereira.

3 Obijcis primò pro contraria ſententia, quam ſequuntur Conimbricenſ. 3. Phyſ. cap 2. quæſt. 3 ar. 2 Tol. 3. Phyſ. cap. 3. q. 3. Benedict. Pereir. in ſua Phil. lib. 13. cap. 10. à 5. *Altera ſententia*, quam probat ſeptem argumentis. Qui omnes docent, motum non diſtingui modaliter, ſeu formaliter, ſed per rationem. Obijcis, inquam, primó. Motus non habet diuerſam exiſtentiam à termino: ergo non diſtinguitur à termino. Reſpondetur ad antecedens, non habere quidem diuerſam exiſtentiam realiter diſtinctam à termino, habere tamen diuerſam exiſtentiam diſtinctam modaliter à termino, quia cùm ſit modus realis, ſuam etiam exiſtentiam habere debet, ſicut eam vendicat ſubſiſtentia, quãuis ſit modus.

4 Inſtas. Ergo ſi motus habet diuerſam exiſtentiam producetur diuerſa actione, ab ea, qua producitur terminus. Reſpōdetur negādo ſequelam, vtrumq; enim producitur per eandem actionem adæquatum, ſicut per eandem actionem ignis producit calorem, & eius inhærentiam in ſubiecto.

5 Obijcis ſecundò. Res in fieri, & in facto eſſe eſt eadem: ſed nihil eſt aliud, *fieri* quàm via, ſeu motus: ergo motus, ſeu res in fieri non diſtinguitur à re in facto eſſe. Reſpondetur negando minorem, nam via, ſeu motus formaliter eſt aliud, quàm res in fieri, repugnat enim idem eſſe viam ad ſe ipſum; cùm igitur res in fieri, & in facto eſſe ſit eadem, neceſſe eſt, quòd via, ſeu motus, per quem fit, ſit aliquid modaliter diſtinctum, alioqui idem erit via ad ſe ipſum, quod implicat.

6 Inſtas. Res in fieri nequit eſſe ſine motu: ergo ſaltem res in fieri non diſtinguitur á motu. Reſpondetur explicando antecedens, nam res in fieri ſumitur reduplicatiuè quatenus eſt in via, & tunc nequit eſſe ſine motu: ſed hoc per accidens eſt; neque propterea dicendum non diſtingui; & ſit exemplum, nam homo albus, quà albus, nequit ſeparari ab albedine, & tamen, quia ſpecificatiuè ſeparari poteſt, ideó realiter, & ſimpliciter diſtinguitur homo ab albedine.

7 Obijcis tertió. Mobile recipit in ſe tā formam, quàm etiam motum: ergo ſi motus diſtinguitur á forma ex natura rei, v. g. calefactio à calore, ſequitur quód ſubiectum, ſeu mobile, recipiat in ſe duas mutationes, ſeu duas formas, nempe ipſum motum, & formam. Reſpondetur, mobile vtramque formam in ſe recipere, quamuis recipiat vnam tantùm mutationem, nempe motum ipſum, forma enim non eſt mutatio, ſed eſt, ad quam fit mutatio.

8 Inſtas. Res in facto eſſe aliter ſe habet, atque in fieri: ergo qui recipit rem in facto eſſe, recipit mutationem. Reſpondetur, rem in facto eſſe non mutari, ſed mutatam eſſe, ac proinde qui recipit formam in facto eſſe, non recipit mutationem; cùm igitur in ſolo fieri rei detur motus, in ſolo fieri datur mutatio.

De Diſtinctione Motus á mobili.

9 SEcunda concluſio. Motus à mobili, ſeu à ſubiecto diſtinguitur ex naturá rei. Hæc concluſio bene ſequitur ex præcedenti, & probatur facilè eiſdem rationibus, quæ efficaciùs hoc probant in motu, reſpectu ſubiecti: datur enim ſubiectū ſine motu, Motus à ſubiecto modaliter diſtinguitur.

Digitized by Google

motu, non datur verò motus, de quo procedit concluſio, ſine ſubiecto: & declaratur, quia motus identificatur cum terminis; ſed termini, qui per motum acquiruntur, diſtinguuntur ex natura rei à ſubiecto, ſeu quaſi ſubiecto: ergo &c. Probatur minor, quia quantitas, quæ per augmentationem acquiritur, & qualitas, quæ per alterationem comparatur, diſtinguuntur realiter à ſubiecto, in quo fiunt. Similiter ſubſtantia, quæ acquiritur, per nutritionem (quæ eſt quædam generatio) diſtinguitur realiter à ſubſtantia, cui de nouo additur. Tandem Vbi, quod per lationem acquiritur, diſtinguitur modaliter à mobili, ſeu ſubiecto, ex quibus patet, omnes motus diſtingui ex natura rei realiter, vel modaliter à mobili: quarè immeritò Conimbric. 3. Phyſ. cap. 2. quæſt. 3. ar. 2. §. *ſi tertia*, limitant concluſionem noſtram circa lationem.

10 Sed eſt quæſtio, an omnis motus formaliter ſit in mobili? Cui reſpondendum eſt primò, motum augmentationis, & alterationis ſemper eſſe in ſubiecto, per realem inhærentiam. Probatur, quia hi motus identificantur cum terminis, qui ſunt formæ realiter inhærentes, nempe quantitas, & qualitas: ergo neceſſe eſt, vt ipſi motus realiter etiam inhæreant eidem mobili. Reſpondendum ſecundò, lationem, ſeu motũ localem, de quo maior eſt dubitatio, ſubiectari etiam in mobili. Probatur, quia terminus lationis non eſt locus, ſeu ſuperficies ambiens, ſed eſt Vbi: atqui Vbi recipitur in ſubiecto: ergo & latio, quia fieri rei non poteſt ſeparari ab ipſa re.

11 Obijcis. Latio dicitur motus localis, quia terminatur ad locum: ergo non terminatur ad Vbi, & conſequẽter eſt, & recipitur in loco, & non in ſubiecto. Reſpondetur, lationem propterea dici motum localem, quia naturaliter ſemper acquiritur Vbi cum loco; quia tamen dari poteſt motus localis, diuina virtute, in vacuo ſine loco, ſeu ſine ſuperficie ambiente, neque tamen dari poteſt latio ſine Vbi, inde eſt, quód motus localis ſemper propriè, & per ſe terminetur ad Vbi, ad locum autem non, niſi conſequutiuè, & ſecundariò.

SECTIO III.

Vtrùm Actio tranſiens ſit in ſubiecto, & Vtrùm diſtinguatur à motu, & Paſsione?

Actio trãſiens recipitur in paſſo.

1 PRima concluſio. Actio tranſiens non eſt in agente, tamquàm in ſubiecto inhæſionis, ſed quando eſt illatiua paſſionis tranſit ad paſſum, & in eo recipitur tamquàm in ſubiecto inhæſionis. Ita communis ſententia, quam ſequuntur Ferrar. Capreol. Heru. Soncin. Iauel. quos citat Soar. in Met. diſp. 48. ſect. 4. num. 6. & ipſe explicat, & ſequitur num. 12. fine Eandem ſententiam tenent Pereir. lib. 13. cap. 7. Tol. 3. Phyſ. cap. 3. q. 2. Conimb. 3. Phyſ. cap. 3. q. 1. ar. 2. Rub. 2. Phyſ. trac. 1. q 6. n. 19. qui alios auctores citat; videri item poteſt Barth. Amic. in Phyſ. trac. 19. q. 8. fol. 631.

Ferrar. Capreol. Herucus. Soncin. Iauel. Soar. Pereira. Tolet. Colleg. Conimbr. Rubius. Barth. Amicus.

2 Ad cuius ſententiæ explicationem, ſupponendum eſt primò, in eodem motu eſſe actionem, & paſſionem, nam, prout egreditur ab agente, eſt actio; & prout recipitur in mobili (quod etiam vocatur paſſum) eſt paſſio. Supponendum ſecundò, actionem immanentem eſſe in agente, tanquàm in ſubiecto, vt intellectio in intelligente; vnde in his actionibus immanentibus idem eſt agens, & patiẽs, ſed diuerſa formalitate; nam in quantùm per potentiam actiuam elicit actionem, dicitur agens: in quantùm verò eam in ſe recipit, per potentiam paſſiuam, dicitur patiens: quarè concluſio procedit de actione tranſeũte, quæ ſcilicet non manet in agente.

3 Supponendum eſt tertió, aliquam eſſe actionem tranſeuntem, quæ nullum habet ſubiectum inhæſionis, vt v. g. creatio, quia de ratione creationis eſt, vt fiat ex nullo præſuppoſito ſubiecto; ex quo ſequitur quód non ſit de formali ratione, ſeu de eſſentia actionis habere ſubiectum inhæſionis, ſiquidẽ eſſentia tolli non poteſt: at verò creatio eſt vera actio tranſiens, & tamen nullum habet ſubiectum inhæſionis, & ratio á priori eſt, quia de eſſentia actionis ſolus eſt reſpectus ad terminum, & ad principium.

4 His poſitis, probatur concluſio. Quia actio tranſiens eſt idem cum termino, vt v. g. calefactio cum calore: ſed terminus, id eſt, calor, recipitur in ſubiecto, in ligno v. g. ergo & calefactio: ergo omnis actio illatiua paſſionis, id eſt, quæ ſit in ſubiecto, recipitur in paſſo. Confirmatur primò, quia ſi actio tranſiens inhæreret in agente, non eſſet tranſiens, ſed immanens; propterea enim dicitur tranſiens; quia tranſit ab agente, & recipitur in alio ſubiecto. Vnde creatio eſt actio tranſiens, licet non recipiatur in aliquo ſubiecto, quia illud non habet: & ex eo dicitur tranſiens, quia non manet in agente: ergo actio tranſiens, quæ ſit in aliquo ſubiecto, cùm non maneat in agente, neque ſit in termino, tamquàm in ſubiecto, ſubiectabitur in paſſo, ne dicamus, nullũ habere ſubiectum inhæſionis. Confirmatur ſecundó, quia actio, & paſſio,

& paſſio, quando ſimul dantur, ſunt eadem res realiter: ſed paſſio eſt in ſubiecto: ergo & actio, alioquì vel realiter diſtinguuntur; vel vna, & eadẽ res erit in duobus ſubiectis, quæ non ſunt dicenda.

Improbatur contraria ſententia. 5 Obijcis pro contraria ſententia, quam ſequuntur Scot. in 4. diſt. 13. q. 1. Raymund. Lul. lib. 2. Prouerb. Flandr. 5. Met. q. 22. ar. 2. Andre. in 2. de ſex principijs cap. de Actione. Auicen. 2. de Sufficient. cap. 5. & alij, quos citat Rub. ſup. num. 37. Obijcis, inquam, primò. Actio, vel ſit immanens, vel tranſiens ſemper eſt actus agentis: ergo ſemper eſt in agente: alioquij prædicamentum actionis eſſet ſola extrinſeca denominatio. Confirmatur, quia actio eſt perfectio agentis: ſed perfectio debet eſſe in re, quam denominat perfectam: ergo &c. Reſpondetur negando conſequentiam, actio enim ſolùm eſt in agente, tamquàm in termino à quo egreditur, & poſteà identificatur cum termino ad quem, & recipitur in ſubiecto, quãdo illud habet. Neque obſtat, quòd actio ſit forma extrinſeca agenti, & ſubiectetur in paſſo, nam etiam viſio eſt in vidente, & tamen denominat parietem viſum. *Scot. Raym. Lul. Flandria. Andre. Auicen. Rubius.*

6 Ad confirmationem reſpondetur, actionem eſſe perfectionem agentis, prout ab illo egreditur, non verò prout recipitur in agente; ſiquidem, vt vidimus, recipitur in paſſo; & quamuis effectus formalis dari nequeat ſine cauſa formali, poteſt tamen forma denominare rem aliquam, in qua non eſt, vt viſio denominat parietem, in quo non eſt: vnde actio vtrumque denominat, agens ſcilicet, & patiens, hoc paſſiuè, illud actiuè; cùm verò vnus ignis duo ligna calefacit, duæ dantur actiones, duoque calores, ne dicamus eandem actionem identificari cum duobus terminis, & cum duobus ſubiectis; neque propterea dabuntur duo agentia ſimpliciter, quia non quælibet formarum multitudo ſatis eſt, vt abſolutè multiplicentur concreta; libenter tamen dabo, propter multiplicationem actionum, dici poſſe plura agẽtia formaliter.

Actio, & paſſio virtualiter tãtùm diſtinguũtur inter ſe. 7 Circa diſtinctionem inter actionem, & paſſionem ſit *ſecunda concluſio.* Actio, & Paſſio ſunt idem actus à parte rei, & ſolùm virtualiter diſtinguuntur: ita communis ſententia, de qua videri poſſunt Hurta. in Phyſ. diſp. 11. ſect. 3. num. 14. Soar. in Metap. diſp. 49. ſec. 2. præcipuè à num. 11. vbi oſtendit, Paſſionem non diſtingui à motu, & eadem eſt ratio de Actione, & Paſſione, ſiquidem identificantur cum motu. Eandem ſententiam probat Pereir. in ſua Philoſoph. lib. 13. cap. ſeptimo, contra Scotum, cuius rationes ſoluit cap. 8. Neque omnino diſſentiunt Conimbricenſ. 3. Phyſ. cap. 3. quæſt. 1. ar. 2. §. *Secundum pronuntiatum*, quamuis in modo loquendi nobiſcum diſſentire videantur, dum aſſerunt Actionem, & Paſſionem formaliter differre, penes diuerſos modos abſolutos; qua forma loquendi vſus eſt D. Fonſ. 1. Metaph. cap. 7. quæſt. 3. ſec. 3. §. *Ad primum*, fine, dicens Actionem, & Paſſionem eſſe eandem entitatem habentem duos modos eſſendi. Expreſſiùs tamen pro noſtra ſententia ſtat Ariſtot. 3. Phyſ. 3 quem ſequutus eſt D. Thom. 11. Met. lect. 9. & 2. contra gentes cap. 9. ac tandem Barth. Amic. in Phyſ. trac. 19. q. 7. dub. 5. & 7. *Hurtad. Soarius. Pereira. Conimbr. Fonſeca. Ariſtot. D.Thom. Barth. Amicus.*

8 Probatur concluſio. Quia Actio, & Paſſio ſunt idem omnino motus, quando ſimul dantur, non enim poteſt ſeparari actio à paſſione, nec paſſio ab actione, impoſſibile enim eſt fieri paſſionem in aliquo ſubiecto, quin egrediatur ab aliquo agente, ac proinde impoſſibilis eſt paſſio ſine actione: impoſſibile etiam eſt fieri actionem in ſubiecto, quin ſit illatiua paſsionis, quia ſi actio ſit ex ſubiecto, in ſubiecto recipitur eius terminus, & in eo ſimiliter recipitur actio. Ex quo ampliùs conſtat certitudo ſuperioris concluſionis, actionem videlicet, non eſſe in agente, cũ enim non diſtinguatur à paſſione, & cùm paſſio ſit in ſubiecto, bene ſequitur inibi eſſe ſimiliter actionem: hoc tamẽ ſubiectum actionis, & paſsionis aliquando erit ſubiectum inhæſionis, quando ſcilicet terminus, nempe accidens inhæret; aliquãdo verò erit ſubiectum ſuſtentationis, vt quando terminus, forma v. g. materialis non inhæret in materia, ſed tantùm ſuſtentatur ab illa.

9 Obijcis cum Scotò. Datur aliqua actio ſine paſsione, qualis eſt creatio: ergo modaliter diſtinguuntur, ſiquidem actio poteſt eſſe ſine paſsione, paſsio verò eſſe non poteſt ſine actione. Reſpondetur negando conſequentiã, nobis enim ſermo eſt de eductionibus, quæ ſemper ſunt actiones illatiuæ paſſionum, ſiquidem ſemper fiunt in ſubiecto, & tunc quidem actio, & paſsio ſunt idem actus egrediens ab agente, & receptus in patiente. Neque obſtãt diuerſæ definitiones, quas habent actio, & paſsio, nam ſolùm probãt habere diuerſas formalitates, modò enim concipitur idem motus, vt egrediens, & conſtituit formalitatem actionis, modò cõcipitur, vt receptus in ſubiecto, & conſtituit paſſionem: quæ duæ formalitates habent ſufficiens fundamentũ, vt virtualiter diſtinguantur, & conſtituant duo prædicamenta primò diuerſa: ſicut idem calor, prout egreditur ab ãgẽte, & prout recipitur in patiẽte, diſtinguitur virtualiter à ſe ipſo, quia *Scot.*

Digitized by Google

res in fieri, & in facto eſſe diſtinguitur per rationem ratiocinatam.

De diſtinctione Actionis, & Paſsionis á Motu.

Hæc diſtinctio virtualis tantum eſt.

10 TErtia conclusio: Actio, & Paſſio quãdo ſimul coniunguntur, virtualiter tantúm diſtinguũtur à Motu. Hæc eſt cõmunis ſententia ſuprà, iuxta Philoſophũ 3. Phyſ. cap. 3. tex. 22. pro qua, inter alios, videri poteſt Barth. Amic. in Phyſ. tract. 19. q. 7. dub. 5. fol. 619. Probatur, quia Actio, & Paſſio non poſſunt dari ſine motu, neque motus ſeparari poteſt ab actione, & paſſione: ergo non diſtinguuntur realiter; quod tamen virtualiter diſtinguantur, patet ex diuerſis definitionibus, quas vendicat actio; paſſio, & motus: quæ diſtinctio ſufficiens eſt, vt actio, & paſſio per ſe conſtituant prædicamẽta, motus verò quia ſucceſſiuus eſt, ad nullum per ſe pertineat prædicamentum, quia eſſentialiter eſt ens incompletum, & imperfectum, eſt enim ille fluxus formæ, quo tendit ad perfectionem: at verò actio, licet ſit ipſum fieri formæ, eſt tamen quid completum, & perfectum, quia ſolúm concipitur, vt eſt quædam egreſſio; & ſimiliter Paſſio ſolúm concipitur vt eſt quædam receptio eiuſdem termini in paſſo, in quibus duabus rationibus nihil reperitur incompletum.

Barth. Amicus.

11 Obijcis. Nihil aliud eſt mouere, quàm agere: ergo motus nõ eſt formalitas diſtincta ab actionibus. Reſpondetur negando totum; quia motio dicit de formali viam, ſeu mutationem ab vno termino in alium: at verò actio ſolùm dicit de formali egreſſionem actualem effectus ab aliquo principio. Similiter paſſio materialiter eſt idem cum motu, quamuis ſit diuerſa formalitas. De his etiam diſputo in prædicamento Actionis, diſp. 63.

DISPVTATIO XXXI.

De natura, & ratione Infiniti.

QVIA Motus eſt quid continuũ, cui cõuenit finitum eſſe, vel infinitũ, explicatà naturà motus, accedit Philoſophus ad explicãdũ, quid ſit infinitũ, quod præſtat per quinque capita huius tertij libri. Infinitũ igitur, vel tale eſt in actu, & dicitur *Infinitũ cathegorematicè, quod, ſcilicet, in ſua ratione actuali nullis terminis clauditur; & ſi diuiſibile ſit continet actu partes infinitas æquales vni certæ, & non cõmunicantes inter ſe, ſimulq; exiſtentes*: aliud eſt Infinitũ in potentia, & dicitur *infinitũ ſincathegorematicè, quod illud eſt, cuius actus determinatur ſemper, & eſt finitus, at verò in potentia, & in eſſe poſsibili caret terminis, & eſt infinitus*, vt v.g. multitudo dierũ, quæ erit poſt hanc diẽ. Prætereà infinitũ, vel tale eſt ſimpliciter, vel in aliquo certo genere; infinitũ in certo genere, vel tale eſt ſecundùm extenſionẽ, v.g. quãtitas infinita, ſi daretur; vel ſecũdúm intenſionẽ, quale eſſet qualitas, quæ haberet gradus infinitos; vel tale eſſet ſucceſſiuẽ, vt motus infinitè ſucceſſiuus; vel tale eſſet diuiſione, vt quantitas, quæ ita ſecari poſſet in infinitũ (ſi conſtaret partibus diuiſibilibus) vt nullus daretur terminus; vel tale eſſet adiectione, vt numerus, qui poteſt augeri in infinitum. Infinitum verò ſimpliciter nullis terminis clauditur.

Quid, & quotuplex infinitũ?

SECTIO I.

Vtrùm detur Infinitũ in rerũ natura?

1 PRima concluſio. Datur in rerum natura Infinitum actu ſimpliciter, & ſecundùm ſuam eſſentiã, qui eſt Deus. Hæc concluſio non indiget probatione, ſolus enim ſtultus, & inſipiens illi audebit in corde ſuo contradicere, quã inter alios nuper eruditè tractat P. Iul. Cæſ Recupitus, tom. de Deo lib. 4. per totum. *Iul. Cæſar Recupitus*

2 *Secunda concluſio*. Infinitum in potentiã datur in rerum natura. Hæc etiam concluſio certa eſt: probatur, quia dantur compoſita quantitatiua, quæ ratione ſuæ quantitatis poſſunt diuidi ſincathegorematicè in non tot, quin plures partes; & ſimiliter ex diuiſione horum corporum poteſt conſequenter fieri infinitum additione. In his tamen diuiſionibus procedendum non phyſicè, ſed more mathematico, ac veluti imaginario, ſed cum fundamento in re, & ratio eſt, quia res omnes phyſicæ habent certos terminos, quos vltra, citràque nequeunt conſiſtere, vt diximus in hoc tractatu lib. 1. diſp. 20. ſect. vlt. Deinde etiam probabile eſt, dari in quantitate infinita indiuiſibilia, & infinitas partes communicantes, quæ cúm non ſint partes æquales conſtituere nõ poſſunt aliquod infinitum actu.

3 Obijcis: ergo quantitas bipedalis erit æqualis quantitati centum cubitorum, quia vtraque eſt ſyncathegorematicè infinita, vtraque enim diuidi poteſt in infinitũ, & cõſequẽter quælibet pars erit æqualis toti, quod eſt

Digitized by Google

eſt contra proloquium, *Omne totum eſt maius ſua parte.* Reſpondetur negando ſequelam, adhuc enim quantitas maior, dicitur inæqualis minori, tum quia poteſt diuidi in partes maiores, tum quia æqualitas, vel inæqualitas non ſumitur ſecundùm indiuiſibilia mathematica, ſed ſecundúm partes magnitudinis phyſicæ. Vtrùm veró de facto dentur hæ partes infinitæ in continuo? dicam lib. 6. diſp. 35.

Ariſtot. D. Thom. Patres Conimbr. Probatur nullũ dari ens creatũ infinitum.

4 *Tertia concluſio.* Infinitũ actu ſecundùm extenſionem permanentem, vel ſecundùm intenſionem, vel ſecundùm numerum, non datur, neque dari poteſt viribus naturæ: Ita communis ſententia duce Ariſtotele hoc loco. Quem ſequitur D. Tho. 1. p. q. 7. ar. 3. & 4. Patres Conimbr. 3. Phyſ. cap. 8. q. 1. ar. 3. Probatur imprimis de infinito ſecundùm extenſionem, quia omne corpus naturale moueri debet motu recto, vel circulari, ſiquidem natura, hoc eſt, materia, & forma, eſt principiũ motus; ſed corpus infinitum non poteſt moueri: ergo &c.

5 Probatur minor. Imprimis non moueretur motu recto, nam ad huiuſmodi motum neceſſe eſt, vt vnus locus acquiratur, & alius deſeratur, vel ſaltem neceſſe eſt, vt alius de nouo locus acquiratur: ſed corpus infinité extenſum non poteſt deſerere ſuum locum, cũ ſit infinitum, neque etiam poteſt acquirere alium de nouo: ergo &c. Probatur deinde in motu circulari: quia in hoc motu neceſſe eſt, vt pars aliqua ſuccedat loco alterius partis, vbi antea nõ erat: ſed hoc repugnat, quia quẽadmodùm hæ partes infinitè diſtarẽt à cẽtro, ita deberent inter ſe in infinitum diſtare: ergo vna pars non poterat alteri ſuccedere.

6 Probatur deinde nullum dari infinitũ ſecundùm intenſionem: Imprimis ſi ſermo ſit de intenſione ſecundùm nobilitatem eſſentiæ, impoſſibilis eſt ſubſtantia naturalis infinita, neque enim eſſet materia, cúm hæc debeat eſſe propè nihil; neque forma eſſet, quia hæc dependet ex materia, in qua recipitur, vel ex cauſa prima à qua dependet. Neque præterea poterat eſſe compoſitum aliquod, quia ſemper conſtaret duabus partibus finitis: Id autem, quod conſtat ex ſolis duabus partibus finitis, nempe materia, & forma, non poteſt eſſe infinitum: præterea ſecundùm intenſionem gradualem dari nequit aliquod infinitum, quia qualitates, quibus intenſio conuenire poteſt, ſunt naturales virtutes alicuius ſubſtantiæ; ſed ſubſtantia eſt finita: ergo & qualitates, quæ procedunt à ſubſtãtia finita.

7 Probatur tandem concluſio de infinito ſecundùm numerum, quia ſi darentur corpora infinita, neceſſarió poſtularent locum infinitum (neque enim naturaliter poſſent penetrari) ſed intra cæli ambitum non eſt locus infinitus: ergo talia corpora non poterant intra cæli vaſtitatem contineri. Deinde neque extra cælum poſſunt naturaliter generari, vel conſeruari talia corpora, nã extra cælum nihil eſt, Natura autem ex nihilo nihil facit, & ad conſeruationem talium corporum naturaliter multa requirebantur, quæ extra cælum nullatenus reperiuntur.

8 Obijcis primó. Quælibet quantitas habet infinitas partes actu, & inter eas habet relationes reales: ergo datur actu infinitum corpus, & infinitæ relationes. Reſpondetur (permiſſo interim antecedente) nos ſolùm negare modò infinitatem rerum, quæ habeãt partes non communicantes inter ſe, quæ conſtituunt infinitum ſimpliciter, ſaltem in aliquo genere: quamuis darentur partes cõmunicantes infinitæ mathematicè, hæ enim non efficiunt infinitũ ſimpliciter, ac phyſicè, ſed tantùm mathematicè. Vtrùm verò inter has partes detur relatio realis? quæſtio eſt, cui negatiuè reſpõdent Conimbr. 3. Phyſ. c. 8. q. 1. ar. 1. §. *Ad ſecundum*, fine: quia videlicet nõ ſunt hæ relationes inter entia actu ſeparata. Conimbr.

Inter partes quãtitatis datur relatio realis.

9 Sed contra eſt, quia ad relationem realem non requiritur actualis ſeparatio, ſed diſtinctio, & ſeparatio poſſibilis, nam inter materiam, & formam, quando ſunt ſimul in eodem compoſito, datur relatio realis, ex eo quòd realiter diſtinguuntur, quia realiter ſeparari poſsũt: ita ergo dicẽdum videtur de his partibus, quæ, quia ſaltẽ aliquæ diuinitus ſeparari poſsũt, habebũt actu relationes reales, ſed incompletas, quemadmodùm natura earũ incompleta eſt. Quód æqué procedit in opinione, quæ docet quantitatem conſtare partibus diuiſibilibus, quàm in mea ſententia, qua defendam diſp. 35. componi partibus indiuiſibilibus.

10 Obijcis ſecundò. Fruſtra eſt potentia, quæ non poteſt reduci ad actum; ſed Deus vt agens naturale, habet potentiam infinitam: ergo poterit facere infinitum, ac proinde naturaliter dabitur, vel dari poterit infinitum. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia Deus, vt agens naturale, debet ſe accommodare rerum naturis. Cùm igitur Cauſæ ſecundæ naturales ſint limitatæ ſecundùm materiam, formam, locum &c. non poteſt virtus Dei naturaliter agere, niſi accommodando ſe his rebus, quæ ſunt ex ſua natura finitæ: vt verò potentia ſit infinita, ſatis eſt quód poſſit efficere ſucceſſiuè infinita ſincathegorematicè. Et præterea ſatis eſt, quòd infinitæ potentiæ reſpondeat infinitus effectus, quòad modum, nam

Digitized by Google

modus producendi Dei eſt infinitæ potentiæ, ſiquidem producit ex nihilo.

Vtrùm Deus poſſit producere infinitum?

Reſolutio eſt negatiua.

11 Q*varta concluſio.* Probabilius exiſtimo, impoſſibile eſſe, Deum producere poſſe infinitum actu. ſeu cathegorematicè (quod ſit infinitum ſimpliciter in aliquo genere rerum) ſiue ſecundùm intenſionem ſiue ſecundùm extēſionem, ſiue ſecundùm numerum: ita D. Tho. quodlibeto 9 ar. 1. ad vlt. & 1 p. q. 7. ar. 3. & 4. quem ibi ſequuntur Caiet. Ferrar. & alij Thomiſtæ. Eandem ſententiam tenent D. Bonau. in 1. diſt. 43 ar. 1. q. 2. Durand. ibidem q. 2. Scot. in 2. diſt. 1. q. 3. Marſil. in 2. q. 41. ar. 3. concl. 6. & 7. Henr. Richard. Ioan. de Neap. Petr. de Aquil. Auicen. Algazel. & alij multi quos citat Faſſol. 1 p. q. 7. ar. 3. & 4. n. 4. item Rub 3 Phyſ. trac. 2 q. 3. n. 8. vbi aſſerit hāc ſententiam communem eſſe inter omnes ferè Modernos. Per. in ſua Phil. lib. 10. cap. 10: & 11. Tol. 3 Phyſ cap. 8. q. 7. à §. *Sic igitur,* eandem etiam vt probabiliorem ſupponit P. Soar. in Met. diſp. 30. ſec. 17. n. 18 fine, & tom. 1. in 3. p. ad q. 7. ar. 13. diſp. 22. ſec. 1. à §. *Dico primò*, quatenus in Chriſto Domino non admittit gratiam infinitam ſecundùm intenſionem ex implicatione infinitudinis: eandem ſententiam ſequuntur Fonſ. lib. 1. Met. cap. 2. q. 1. ſec. 3. §. *Secunda concluſio*, quam quæſtionem tractare promittit ex profeſſo 11. Met. Val. 1. p. diſp 1. generali q. 7. de Infinitate Dei pun 3. à § *Sed quæſtio iam omnis eſt*; & §. *Mihi verò*, aſſerit hāc ſentē iā veriſſimā eſſe: Mol. 1. p. q. 14. ar. 5. & 6. diſp. vnica, §. *Quòd ad ſecundū*; vltra quos citant Patres Conimbric. ſup. ar. 2. ad marg. Capreol Hiſpal. Burgium. & Sotum: pro eādem concluſione ſtat Curſus Thomiſt. in Phyſ. q. 15. de Infinito, ar. 2. illamque probabilem credit Barth. Amic. in Phyſ. trac 18. q. 6. dub. 2. fol. 487. & 489.

D. Thom. Caiet. Ferrar. D. Bonau. Durand. Scot. Marſil. Henric. Richard. Ioannes Neapol. Aquilen. Auicen. Algazel. Faſſol. Rubius. Pereira. Tol. Soarius. Fonseca. Valent. Molina. Patres Conimbr. Capreol. Hiſpal. Burgius. Sotus. Curſus. Thomiſt. Barth. Amicus.

12 Ad probandum impoſſibilem eſſe rerum infinitudinem actu, infinitam propè argumentorum congeriem multiplicant citati auctores, ad quos remitto curioſum, quibus omnibus ſuperſedeo, quia vel facilè ſolui poſſunt, vel non ita facilè probant intentum, vnā igitur tantùm rationem pro cunctis repono: ſic argumentor. Deus non poteſt ſimul facere omne poſſibile & factibile: ergo non poteſt facere infinitum actu in aliquo genere. Antecedēs, vt certum docetur à Soar. in Met. diſp. 30. ſec 17. n. 17. vbi non ſolùm aſſerit eſſe omnino certum, ſed oppoſitum eſſe falſum; quod ſic probatur ratione, quia ad infinitatē potentiæ non ſolùm ſpectat poſſe facere quācumque rem poſſibilem; ſed etiam pertinet non poſſe exhauriri: ſed ſi Deus ſimul faceret omne poſſibile, iam diuina omnipotentia exhauriretur, ergo &c. Probatur minor. Quia facto omni poſſibili, iam nihil reſtat, niſi impoſſibile: ſed Deus nihil poteſt circa impoſſibile: ergo ſi Deus de facto efficeret omne poſſibile, & factibile, iam de facto exhauſta, & diminuta foret diuina omnipotentia.

Soar.

13 Suppoſito antecedente, modò probo conſequentiam: propterea Deus non poteſt ſimul facere omne poſſibile, & factibile, quia exſiccaretur diuina omnipotentia: ſed ſi faceret aliquod infinitum, etiam exhauriretur: ergo vtrumque repugnat Deo. Probo minorem. Infinitum *eſt illud, quod nullis terminis clauditur,* cui propterea nihil addi poteſt (ſi enim aliquid poſſet addi infinito, ſine dubio, aliquo termino claudebatur, ſiquidem de nouo habere potuit aliquod additamentū; & propterea Deus eſt infinitus ſimpliciter, quia nihil illi de nouo aduenire potuit) ſed ſi Deus efficeret aliquod infinitum in certo genere, nihil illi infinito poſſet addere: ergo circa tale infinitum exhauriretur diuina omnipotētia.

14 Neque infringet vim argumenti, qui dixerit, adhuc diuinam omnipotentiam poſſe efficere alia multa, quamuis exhauriretur circa illud infinitum: non inquam, infringet, quia ſi Deus poſſet efficere hoc infinitum in hoc certo genere, etiam poſſet efficere aliud in alio certo genere, & ſic de cæteris, atque adeò poſſet conſequenter efficere omne poſſibile, quia non datur maior ratio circa vnum infinitum, quàm circa aliud.

15 Immò quamuis aliquis liberè diceret in eo caſu Deum ſolum effecturum vnum, vel alterum tantùm infinitum, adhuc ſaltem circa illud vnum infinitum erat exhauſta diuina omnipotentia: at verò non magis repugnat Deo impotentia ad faciendam vnam formicam, quam impotentia ad faciendos mille mūdos; quapropter ad diuinam omnipotentiam ſpectat non facere aliquod infinitum actu, magis enim elucet infinita illa, incomprehenſibilis, & interminabilis poteſtas in eo videlicet, quòd ſucceſſiuè efficiat omne factibile, quàm ſi ſimul efficeret aliquod infinitum, nam hoc pacto, nunquàm diminui, neque exhauriri poteſt diuina potentia.

(∴)

Proponitur

Proponitur, & refutatur contraria ſententia.

16 Obijcis pro contraria ſententia, quæ probabilis eſt, quam ſequuntur imprimis Nominales, Ocham. in 1. diſt. 13. q. vnica, Gabr. in 2. diſt. 1. q. 3. §. *Tertiò notandum.* Greg. in 1. diſt. 43. q. 4. In eandem ſententiam conſpirant graues alij Thomiſt. Petrus Aliacenſ. in 1. diſt. 42. q. 13. ar. 3. (pro qua citat D. Thom. 1. p. q. 7. ar. 4. ſed quo iure ipſe viderit) Mairon. diſt. 19. q. 1. in 1. dicto 2. 3. & 4. Adam. in 3. diſt. 14. q. 10. ar. 2. dub. 2. Holchot. in 2. diſt. 9. q. 2. ar. 5. ad 3. Argent. in 2. diſt. 1. q. 2. ar. 2. ad 11. & 13. Maior. in 1. diſt. 44. q. 3. Almain. in 1. diſt. 13. q. 1. §. *Illis ſuppoſitis.* Gratian. 3. Phyſ. q. 8. Vaſq. tom. 1. in 1. p. ad q. 7. ar. 4. diſp. 26. cap. 1. & 3. eandem ſententiam ſequitur, & eruditiſſimè probat Hieron. Faſol. 1. p. q. 7. de Infinitate Dei ar. 3. & 4. dubit. 12. Magiſtrum Vaſq. ſequitur Hurt. in Phyſ. diſp. 13. de Infinito ſec. 2. & 3. & Arriaga in Phyſica diſp. 13. ſec. 4. ac tandem, vt probabilem proponunt Patres Conimbric. cap. 5. q. 11. ar. 4. in lib. 3. Phyſ.

Ocham. Gabriel. Gregor. Petrus Aliacenſ. D. Thom. Mairon. Adamus. Holchot. Argent. Maior. Almain. Gratian. Vaſquez. Faſol. Hurtad. Arriaga. Patres Conimbr.

17 Obijcis, inquam, primò euertendo noſtrum fundamentum. Scientia Dei terminatur ad omne cognoſcibile: ergo etiam omnipotentia terminari poterit ad omne factibile, ita vt, ſicut Deus omnia actualiter cognoſcit, ita poſſit omnia poſſibilia actualiter producere. Reſpondetur negando conſequentiam. Maior ratio eſt, quia actus diuinæ ſcientiæ eſt omnino neceſſarius in Deo, vnde neceſſariò debet Deus ab æterno cognoſcere omne cognoſcibile, alioquì ſi aliquid in tempore cognoſceret de nouo, cùm hic actus ſit intrinſecus Deo, mutaretur Deus, per eius aduentum vel phyſicè, vel ſaltem moraliter, vt oſtendam ſuo loco: at verò actus, & actiones diuinæ omnipotentiæ, cùm ſint liberæ, & extrinſecè identificatæ cum creatura, quamuis ſucceſſiuè dentur, non arguunt in Deo vllam mutationem; neque vlla eſt perfectio in Deo producere ſimul omne factibile, alioquì careret Deus ab æternò hac perfectione, ſiquidem, vt fides, & ratio naturalis docet, Deus modò multa de nouo producit: immò implicaret producere Deum ſimul omne factibile, quia videlicet eius potentia exhauriretur: vt igitur dicamus dari in Deo potentiam infinitam, ſatis eſt, quòd poſſit ſucceſſiuè ſingula producere, quin vnquàm poſſit diminui potentia.

18 Inſtas primò. Scientia diuina nō clauditur terminis, quamuis cognoſcat omne cognoſcibile, & quamuis vlteriùs nihil ſuperſit quod poſſit cognoſcere: ergo ſimiliter diuina omnipotētia nō exſiccatur, ſi produceret omne poſſibile, quamuis vlteriùs nihil remaneret, quod poſſet efficere: immò quemadmodum diuina Scientia perfectior apparet, quādo actu habet totum ſuum obiectum: ita etiā diuina potentia perfectior euaderet quando haberet extra cauſas ſuum obiectum adæquatum. Reſpondetur negando inſtantiam, & maior ratio eſt, quia diuina cognitio ita ab æterno fertur in ſuum obiectum adæquatum, vt ſemper Deus perſeueret in hoc actu cognitionis; vnde nunquam Deus limitatur circa cognitionem, in qua ſemper perſtat, quod tamen non cernitur in actibus diuinæ omnipotentiæ, hi enim, cùm ſint tranſeuntes, ſi ſemel darentur ſimul, iam omnino finiti forēt, neque ampliùs perſeuerarent, proindeque euidenter diuina potentia exhauriretur.

Solutur quinque inſtantiæ.

19 Inſtas ſecundò. Quamuis actus diuinæ potētiæ, quoad primam productionem, ſemel tantùm darentur, adhuc Deus conſeruaret infinitas illas creaturas, quas produceret: ergo ſicut Deus perſeuerat in cognitione poſſibilium, ita etiam perſeueraret in conſeruatione creaturarum, nam actio productiua, & conſeruatiua (vt probabilior docet ſententia) non diſtinguuntur. Reſpondetur negando paritatem rationis: quamuis enim Deus perſeueraret in conſeruatione illarum creaturarum, reuera tamen nullam de nouo poterat producere, & ſaltem ex hac parte diuina omnipotentia erat exſiccata. Neque obſtat, quòd actio productiua non diſtinguatur à conſeruatiua, immò ex hoc capite maximè repugnat, quòd poſſet Deus efficere vnam actionem conſeruatiuam, & non poſſet efficere aliam productiuam intra eandem ſpeciem actionum. *Secunda inſtantia.*

20 Inſtas tertiò. Si Deus produceret omne factibile, tunc temporis nihil poſſibile remanebat, niſi id, quod de facto daretur: ergo nullum erat inconueniens, quòd Deus de nouo nihil poſſet producere, quia diuina omnipotentia ſolùm eſt ad ea, quæ non implicāt; ſed tunc implicabat contradictionem poſſe Deum aliquid vlteriùs efficere: ergo &c. Et declaratur, quia nullum eſt inconueniens non poſſe Deum facere chymæram, ex eo quòd repugnet ex parte obiecti: ſed tunc illa repugnantia potiùs foret ex parte obiecti, quàm ex parte diuinæ omnipotentiæ: ergo nullum erat inconueniens, quòd Deus de nouo nihil poſſet efficere. *Tertia inſtantia.*

21 Ad hanc inſtantiam reſpondetur, diuinam omnipotentiam non bene explicari per illam conditionatam ad faciendum, ſcili-

Digitized by Google

cet, quod non implicat contradictionem, ſed potiùs definiendam per potentiam ad faciendum omnia poſſibilia ſucceſſiuè; ſi enim ſupponamus omnia iam eſſe facta actualiter, ac proinde implicare contradictionem dari aliquid de nouo factum per diuinam potẽtiam, procul dubio daretur potentia integra, & perfecta, ac independens ab alio, quæ tamen nihil poſſet efficere, quod imprimìs mirabile, & deinde abſurdum videtur; nam illa repugnantia non ſolùm eſſet ex parte obiecti, qualis cernitur in chymæra, ſed etiam foret ex parte potentiæ, ſiquidem hæc, cùm ſit omnino independens ab obiecto, nulla ratione deberet exhauriri, vt patet ex dictis.

Quarta inſtantia.

22 Inſtas quartò. Sicut non eſt inconueniens quòd diuina ſciẽtia nihil de nouo ſciat, ita nullum erit inconueniens, ſuppoſito quòd Deus omnia actu produceret, ſi diuina potẽtia nihil de nouo efficeret: ergo &c. Reſpondetur negando paritatem rationis. Maior ratio eſt, quia ſi Deus de nouo aliquid ſciret, mutaretur, quia (vt dixi) actus diuinæ ſcientiæ eſt immanens, & intrinſecus: at verò ſi de nouo aliquid faceret, non mutaretur, immò perficeretur accidentaliter; & præterea ſi nihil de nouo efficere poſſet, ſequeretur prædictum inconueniens, quòd videlicet diuina potentia terminaretur.

23 Inſtas quintò. Si Deus produceret infinitum actu, non finiretur diuina potentia circa tale infinitum: ergo falſum eſt noſtrum aſſumptum. Probatur antecedens, quia Deus poſſet tunc anihilare aliquas creaturas ex illo numero infinito, & iterum illas reproducere: ergo adhuc diuina potentia otioſa non foret, ſed haberet obiecta, circa quæ poſſet verſari, & ſe ipſam exercere. Reſpondetur negando antecedens, & ad illius probationẽ dicendum eſt, indecens omnino, & indecorum videri in eas anguſtias redigere diuinam potentiam, ita vt nihil de nouo poſſit efficere, quin priùs aliquid reducat in nihilum, quarè ne immenſam Dei poteſtatem malignè coarctemus, dicendum potiùs ex eo eſſe infinitam potentiam Dei, quia poteſt producere ſucceſſiuè omnia poſſibilia, neque admittendum eſt, productionem vnius creaturæ non niſi ex corruptione alterius poſſe prouenire, ſicut contingit in pauperrimo, & anguſtiſſimo rerum naturalium penu, in quibus non niſi ex corruptione, & incommodo alterius, alterius commodum comparatur.

Proponũtur, & ſoluũtur alia argumẽta.

Soluitur ſecũdũ argumentũ.

24 OBijcis ſecundò. Ab infinito detrahi poteſt quin exhauriatur: ergo etiam vltra infinitum poteſt fieri additio, quin deſinat eſſe infinitum: ergo licet Deus producat infinitum aliquod, adhuc poterit vltra illud efficere multa, proindeque ex productione vnius infiniti non exhauriretur diuina potentia. Antecedens certum eſt: prima conſequentia, quod ſcilicet, infinitæ multitudini addi poſſit alia multitudo finita in infinitũ, auctores habet Mairon. Adam. Arimin. Gabr. Holchot. quos citat, & ſequitur Faſſol. 1. p. q. 7. de Infinitate Dei art. 3. & 4. dub. 4. à num. 1.

Mairon. Adam. Arimin. Gabriel. Holchot. Faſſol.

25 Reſpondetur tamen negando conſequentiam cum communi ſententia, quam ſequuntur auctores allegati pro noſtra ſententia, & maior ratio eſt, quia ſicut Deus creare poteſt, quin ipſe ab aliquo creetur, ita ab infinito detrahi poteſt, quin aliquid addatur ipſi infinito, hæc enim eſt ratio infiniti formaliter, vt nihil extra illud addi, aut excogitari vltra poſſit in ſuo genere: nam infinitum formaliter explicamus per negationem terminorum: ſi autem poſſit illi fieri aliqua additio, iam nõ eſſet infinitum formaliter, ſiquidem habebat anteà aliquem terminum.

26 Inſtas primò. Deus poteſt ex infinita multitudine Angelorum (ſi daretur) anihilare centum, & illos poſteà reproducere: ergo poſſet Deus iterum creare, & addere infinitudini Angelorum: ergo poteſt fieri additio infinito: & idem argumentum fieri poſſet, ſi infinitum aliquod in duas medietates diuideretur, nam ambæ eſſent infinitæ, & iterum poſſent ſe copulare, quandoquidem enim anteá coniunctæ erant, nulla dabitur repugnantia, vt iterum coniungantur: & in eo caſu iam infinito non ſolùm adderetur aliquid finitũ, ſed etiam aliquid infinitum. Ad hanc inſtantiam reſpondetur, imprimìs ſupponere falſum, quód poſſit dari tale infinitum, circa quod tales diuiſiones fiant, vt aduerſarij contendunt. Deinde negandũ eſt, fieri in illis caſibus aliquam propriam additionem; & ratio eſt, quia tales partes iam aliquando pertinuerant ad compoſitionem illius infiniti.

Soluitur tertiũ argumentũ.

27 Obijcis tertiò. In aliquo continuo ſunt partes proportionales infinitæ: ſed Deus poteſt illas ſeparatim conſeruare: ergo tunc daretur infinitum actu. Probatur conſequẽtia. Illæ partes in toto erant infinitæ: ergo etiã extra totum. Reſpondetur negãdo minorem, implicat enim Deum cõſeruare ſeparatas partes infinitas alicuius continui: & ratio eſt, quia tales partes ſolùm ſunt infinitæ, quatenus ſunt communicantes inter ſe, in toto, extra totum verò conſeruari non poſſunt, quia ſimul eſſent diuiſibiles, & indiuiſibiles, quod implicat; eſſent indiuiſibiles, quia ſupponũtur

omnino

Digitized by Google

omnino diuiſæ; diuiſibiles, quia continuum ſecari non poteſt, niſi in partes diuiſibiles, quibus conſtat. Hæc procedunt in ſententia communi admittente partes infinitas in continuo: in alia veró, quam ſequar diſp. 35. nullam difficultatem habet hoc argumentum, vt patebit, quia vt oſtendam quodlibet cōtinuū conſtat ſolis partibus finitis.

29 Inſtas, Saltem puncta, quæ vniunt illas partes, in communi opinione, ſunt infinita indiuiſibilia, quæ cùm realiter diſtinguantur à partibus, poterunt diuina virtute exiſtere ſeparata: ergo iam daretur infinitum actu. Reſponderetur non valere argumentum de infinito ſecundùm quid in genere entis incompleti, & ſecundùm mathematicam menſuram, ad probandum Infinitum ſimpliciter in aliquo genere entis completi, & phyſici: præterquamquòd caſus ſit incertus, & negetur etiam ab illis Auctoribus qui admittunt in continuo puncta infinita.

Soluitur quartū argumentū.

30 Obijcis quartò. Si Deus crearet mundum ab æterno, & ſingulis diebus crearet vnum Angelum, darentur modò infiniti Angeli: ergo poſſibile foret infinitum actu. Reſpondetur, mundum quidem potuiſſe fieri ab æterno, quóad res permanentes, non tamen quòad res ſucceſſiuas, tempus ſcilicet, & motum, vt probabimus lib. 8. Cùm igitur dies non potuerint eſſe ab æterno, neque Angelorum creationes factæ ſingulis diebus eſſent infinitæ.

31 Inſtas. Quælibet hora habet infinita inſtantia: ſed Deus poteſt ſingulis momentis creare ſingulos Angelos. ergo in fine horæ darentur infiniti Angeli actu. Reſpondetur diſtinguendo minorem. Poteſt Deus creare ſingulos Angelos ſingulis momentis diuiſiuè, & ſucceſſiuè, concedo minorem; ſingulis momentis collectiuè, nego minorem. Et ratio eſt, quia inſtantia non dantur ſimul, ſed fluūt copulando partes temporis: ergo cùm illæ creationes deberent incipere in aliquo determinato inſtanti, & ſimul deſinere etiam in aliquo certo, & determinato inſtanti, iam non eſſent ſimpliciter infinitæ creationes Angelorum, quia infinitum non debet habere primum, neque vltimum. Neque obſtat, quód inſtantia vnius horæ dicantur infinita, iam enim dixi, hanc infinitatem eſſe veluti mathematicam, & potiùs dicendam eſſe infinitatem negatiuam, quia ſcilicet, nullum certum inſtās aſſignari poteſt,: præterquamquòd in mea opinione, vt oſtendam diſp. 35. non dentur infinita inſtantia.

32 Inſtas ſecundò Angeli ſunt res permanentes: ergo ſi Deus illos ab æterno creaſſet, vt poterat, modò eſſent infiniti. Reſpondetur ad conſequentiam; vel illos Angelos eſſe creandos ſimul, quod fieri non poſſet, quia implicat dari ſimul infinitos; vel eſſe creandos ſucceſſiuè, quod nos concedimus, ſed nunquam eſſent infiniti actu, quia ſemper Deus poſſet alios in infinitum procreare.

Soluitur quintū argumentū.

33 Obijcis quintò. Si Deus operaretur ex neceſſitate naturæ, applicaret infinitam potentiam, quam habet, poſſetque proinde facere aliquod infinitum actu: ſed quod Deus poſſet neceſſariò, poſſet liberè operans: ergo modò poterit efficere aliquod infinitum. Reſpondetur, imprimis non valere argumentū; nam ex impoſſibili ſequitur quodlibet, quamuis enim concedam impoſſibilia aliquando admittenda eſſe inter diſputandum, nihilominùs tamen dico nullo modo permittenda eſſe ad inferendum aliquid contra eam partem, quam quiſque tuetur. Deinde facilè dici poteſt, quia etiam dato quòd Deus operaretur neceſſarió, non poſſet creare actu infinitum, quia videlicet eius potentia reſtringeretur; ſatis enim tunc declararetur infinita potentia Dei, ex eo quòd poſſet creare infinita ſincathegorematicè.

Soluūtur ſextum, & ſeptimū argumentū.

34 Obijcis ſextò. Deus cognoſcit ab æterno infinitos actus, qui ab hominibus, & Angelis faciendi ſunt: ſed hi actus ſimul ſunt obiectiui in intellectu diuino: ergo datur infinitum actu. Reſpondetur, noſtram quæſtionem non eſſe de infinito obiectiuè exiſtēte actualiter in mente diuina, nam ſectione ſequenti admittimus tale infinitum: ſed quæſtionem eſſe de infinito realiter, & actualiter extra cauſas exiſtente, quod nullo modo dari poteſt; vt probare intendimus.

35 Obijcis ſeptimò. Infiniti homines poſſibiles, ſunt ſimpliciter ens reale: ſed omne ens reale poteſt exiſtere realiter: ergo poſſibile eſt infinitum actu. Reſpondetur diſtinguendo maiorem, Infiniti homines poſſibiles ſingilatim ſumpti ſunt ens reale, ac potens exiſtere, concedo maiorem. Infiniti homines collectiuè ſumpti ſunt aliquid reale, & ſimul factibile, nego maiorem.

36 Inſtas. Singuli illi homines ſunt entia realia: ergo etiam omnes ſimul. Reſpondetur diſtinguendo conſequens: omnes ſimul ſunt entia realia producibilia ſucceſſiuè, concedo conſequentiā: producibilia ſimul, nego: iuxta rationem factam pro noſtra concluſione n. 12. & 13. Hoc vltimo argumento exiſtimabat Hurtad. in Phyſ. diſput. 13. ſect. 3. à num. 33. ſe non ſolùm vnum actum, ſed totam Infiniti fabulam efficaciter confeciſſe: at enim Hurtad.

—— Fragili quærens illidere dentem

Offendit ſolido; —— *Hora. ſat. 1. lib. 1.*

Ne

parte poſt, poſſunt cognoſcere infinitas cogitationes cordis, quas habituri ſunt. Vnde colligo Angelum, qui, in communi opinione, voluit Solis ſphæram, non cognoſcere infinitas reuolutiones, imprimis, quia mundus non erit æternus, deinde quia repugnat cognoſcere infinita; quarè, licet mundus foret æternus, non cognoſceret Angelus expreſsè infinitas reuolutiones cæli, vel infinitos effectus, quos poſſet producere, ſed ſolùm hæc omnia cognoſcere in confuſo, & ſucceſſiuè.

7 Dixi in concluſione (proprijs viribus) quia anima Chriſti Domini, propter vnionē hypoſtaticam, cognoſcit in Deo infinita actu; cognoſcit enim omnia, quæ fuerunt, quæ ſunt, & erunt, vt probant Theol. 3. p. q. 10. ar. 3. vbi latè Vaſq. tom. 1. diſp. 51. cap. 1. Soar. 3. p. q. 10. diſp. 26. ſec. 3. Immò & Beati poſſunt etiam cognoſcere in Verbo infinitum aliquod in aliquo genere, quia etiam hæc perfectio pertinet ad felicem illum ſtatum; non cognoſcet tamen Chriſtus Dominus omnia poſſibilia, quia in bona opinione comprehenderetur Deus ab anima Chriſti, quarè dicendum eſt, cognoſcere Chriſtum omnia futura, non tamen omnia poſſibilia. Neque hæc cognitio ſupponit infinitam eſſentiam in anima Chriſti, quia non procedit hæc cognitio in Chriſto Domino viribus naturalibus animæ, ſed ratione vnionis hypoſthaticæ, vnde ſolùm in cauſa eleuante arguitur poteſtas infinita.

Vaſquez. *Soarius.*

Vtrùm vnum Infinitum ſit maius alio?

8 Tertia concluſio. Inter infinita ſub ratione infinitudinis non datur æqualitas propria, & poſitiua, ſed negatiua tantùm, qua vnum non excedit aliud: ita Mairon. Aliacenſ. Gabriel. Durand. quos citat, & ſequitur Faſſol. 1 p. q. 7. ar. 3. & 4. dubitat. 5. à n. 1. Hurt. in Phyſ. diſp. 13. ſec. 2. §. 21. Conimbr. 3. Phyſ. cap. 8. q. 2. ar. 4. §. *Pro explicatione.* Probatur, quia infinitum eſt id, quod nullis poſitiuis terminis coercetur: ergo cùm nullos habeat terminos poſitiuos, nequit alteri infinito æquale eſſe poſitiuè: vnde infinitus numerus ternariorum non erit propriè maior numero infinito binariorum, nec propriè erit æqualis, vel inæqualis, quia ad rationem maioritatis pertinet exceſſus. ad rationem verò minoritatis requiritur defectus; ad rationem deinde æqualitatis requiritur commenſuratio, quæ omnes proprietates poſtulant aliquam finitatem: erit tamen vnum infinitum æquale alteri negatiuè, quia ſcilicet, vnum non eſt poſitiuè maius alio.

Mairon. *Aliacenſ.* *Gabriel.* *Durand.* *Faſſol.* *Hurtad.* *Patres Conimbr.*

9 *Quarta concluſio.* Vnum infinitum ſub materiali ratione poteſt eſſe maius alio, non tamen ſub formali ratione: Ita D. Thom. 3. p. q. 10. ar. 3. Caiet. ibid. Soncin. 12. Met. q. 31. ad 1. quatenus abſolutè docent, vnum infinitum poſſe aliud excedere. Roden. 3 Phyſ. trac. 2. q. 4. §. *Secunda concluſio*: immò Soar. in Met. diſp. 40. ſect. 5. n. 49. ſimpliciter, ingenuéque fatetur ſe non poſſe capere, cur non ſint plura puncta in toto aliquo continuo, quàm in aliqua eius parte. Neque oppoſitum abſolutè ſenſit Vaſq. tom. 1. in 1. p. q. 7. ar. 4. diſp. 26. cap. 3. n. 23. poſt medium, interpretandus enim eſt iuxta ſenſum harum concluſionum: pro noſtra concluſione pugnat etiam Barthol. Amic. in Phyſ. trac. 18. q. 3. dub. 10. fol. 404. & Arriaga in Phyſica diſp. 13. ſect. 1. n. 2. & Albertin. in Corol. prædicam. quantit. diſp. 4 q. 1. à n. 9.

Quo pacto vnum infinitum ſit maius alio? *D. Thom.* *Caiet.* *Soncin.* *Roden.* *Soarius.* *Vaſquez.* *Barth. Amicus* *Arriaga.* *Albertinus*

10 Probatur concluſio, & à me declaratur in hunc modum: ſi Deus crearet infinitos Gygantes. & infinitos Pygmæos, infinitudo Gygantum non eſſet maior infinitate Pygmæorum: nihilominùs tamen infinitas Gygantum materialiter eſſet maior, hoc eſt illa materia, ſiue illa corpora, quibus conſtabat numerus Gygantum, eſſet molis vaſtioris. Sed tota difficultas eſt circa indiuiſibilia, ſeu circa puncta vnius minimæ quantitatis, [com-paratæ cum alia maiori, v. g. circa indiuiſibilia vnius grani milij, ſi comparentur cum indiuiſibilibus totius terræ, nam vtraque puncta ſunt infinita (in communi opinione in qua res habet difficultatem in ſententia enim Zenonis de punctis finitis res eſt clara) neque puncta terræ dici poſſunt maiora, vt de corporibus Gygantum philoſophati ſumus, quia vtraque ſunt indiuiſibilia. Aliunde verò incredibile videtur, non habere totam terram plura puncta, quàm vnum granum milij; quòd ſi plura concedantur, iam vnum infinitum erit formaliter maius alio. Hæc eſt difficultas, quam D. Soar. ſuprà apertè fatetur ſe non intelligere, & proptereà in columna bipedali ponit plura puncta, quàm in pedali, rem igitur definio iuxta principium propoſitum in hac concluſione.

11 Aſſero enim, vnum numerum infinitum punctorum v. g. (ſi fortè puncta ſunt infinita) materialiter tantùm eſſe maiorem alio, non verò formaliter, quod ſic declaro: Granum milij, vel quæuis alia minima quantitas, habebit vnam tantùm ſpeciem numeri infiniti, ideſt, habebit ſolas vnitates, ſeu habebit ſolam infinitatem vnitatum; vna verò quantitas bis maior habebit aliam ſpeciem, nempe infi-

infinitatem parium; alia veró quantitas, quæ ſit centiens maior, habebit aliam ſpeciem numeri centenarij, & ſic in infinitum; cùm enim numerus poſſit creſcere in infinitum (loquimur enim in his concluſionibus ex ſuppoſitione) maxima quantitas, quæ dari poterit, conſtabit vna ſpecie infinitorum numerorum.

Quo pacto vnum infinitum ſit maius alio?

12 Explicatur hic modus philoſophādi, quia quemadmodùm genus non eſt formaliter magis Vniuerſale, quàm ſpecies, quamuis habeat infra ſe plura inferiora, & quamuis materialiter ſit maius Vniuerſale; ita illud infinitum, quod conſtat infinitis centenis, erit materialiter maius, quàm illud infinitum, quod ſolum conſtat ex infinitis vnitatibus; non tamen erit maius formaliter, neque erit magis infinitum; & ſicut *Animal*, v.g. quamuis infra ſe habeat ſpecies, & indiuidua ſincathegorematicè infinita, nihilominùs tamen pro relatione eſt vnum numero genus (ſicut Socrates eſt vnum numero indiuiduum) ita ſimiliter numerus infinitus, ex numeris infinitis, eſſet vna ſpecies formaliter, quamuis eſſet infinitus ſimpliciter, quia conſtabat omnibus numeris infinitis; ac proinde materialiter eſſet maior alio numero, qui ſolùm eſſet infinitus, ſecundùm quid in aliqua ſpecie numeri; non eſſet tamen maior formaliter; ſicut genus non eſt formaliter magis Vniuerſale, quàm ſpecies.

13 Aduertendum verò eſt primó, Infinitum numerum vnitatum v, g. eſſe infinitum ſecundùm vnitates, & finitum ſecúdùm alios numeros, ac proinde poſſe illi fieri additionem in infinitum, ſecundùm alias ſpecies numerorum, non verò ſecundùm ſpecies vnitatum: vnde columnæ pedali, ſi habeat infinitas vnitates punctorum, non poteſt illi fieri additio in his vnitatibus, quamuis illi addatur noua quantitas; fiet tamen additio in alia ſpecie numerorum, & ratio eſt, quia quà vnitates ſunt infinitæ, quibus nihil addi poteſt, ſunt tamen finitæ in alio genere numerorum.

14 Aduertendum ſecundò, numerum infinitum ſecundùm quid tantúm, hoc eſt, in aliqua ſpecie numeri, v.g. in ſpecie vnitatum, nunquàm ſecundùm has vnitates exhauriri poſſe; & quamquàm aliquis lentè, & per trāquiliſſimum otium demat vnum, & demat etiam vnum,

Horat. Epiſt. 1. lib. 2. Epiſt.

Haud cadet illuſus ratione ruentis aceruí:

Secus verò dicendum, ſi loco vnitatum, binarios quis extulerit, nam ea infinitudo non erat binariorum, ſed ſolùm vnitatum: at verò binarium habet in ſe duas vnitates, vnitas verò non habet binarium, proindeque ille infinitus numerus vnitatum tandem aliquando erat finiendus, per extractionem binariorum.

15 Numerus verò, qui foret infinitus ſimpliciter, quia conſtaret omnibus numeris, nunquàm erat exhauriendus: vnde conſequēter dicendum eſt, ſi infiniti homines congerant in vnum cumulum ſinguli ſingulos aureos, & poſteá illos inde extrahant, finiendos eſſe aureos, neque poterunt extrahere ſinguli binos aureos, cùm enim ille numerus aureorum ſolùm ſit infinitus circa vnitates, & finitus circa binarios, neceſſariò exhaurietur aliquando per extractionem binariorum; oppoſitum verò, non ſolum ridiculum, ſed miraculoſum apparet: neque vllum eſt inconueniens, numerum infinitum aureorum exhauriri per alium infinitum numerum hominum extrahentium, immò ita eſt neceſſarium (ſicut nullum eſt inconueniens infinitam Dei potentiam comprehendi per infinitam Dei ſcientiam) & ita Vaſq. tom. 1. in 1. p. ad q. 7. diſp. 26. cap. 3. Faſſol. 1. p. q. 7. ar. 3. & 4. dub. 6. n. 14. qui conſequenter. n. 16. colligit ex infinitis phialis aquæ non poſſe repleri infinita dolia. Ingenuè tamen fatetur Faſſol. n. 16. ſuauiùs ſe capere, Hyrcoceruos, & Hyppocentauros, quæ mens humana damnauit, quàm aliquod infinitum. Vaſquez. Faſſol.

Vtrùm, poſita quauis ſpecie, poſſit Deus aliam perfectionem in infinitum producere?

Reſolutio eſt affirmatiua.

16 Data quauis ſpecie ſub quouis genere, poteſt Deus aliam perfectiorem in infinitum ſucceſſiuè producere ſecundùm maiorem perfectionem eſſentialem: ita D. Thom. quæſt. 1. de Potentia, ar. 2. ad 5. & 1. p. q. 25. ar. 6. Caiet. ibid. & plures alij, quos citant, & ſequuntur Patres Conimbr. 2. Phyſ. cap. 8. q. 3. ar. 2. Faſſol. 1. p. q. 7. ar. 3. & 4. dub. 11. à nu. 4. Rub. 3. Phyſ. tract. 2. q. 5. à §. *Secunda opinio*, idem præſtant Barthol. Amic. in Phyſ. tract. 18. q. 5. dub. 4. fol. 453. Arriaga in Phyſica, diſp. 13. ſect. 3. item P. Iul. Cæſ. Recupit. tom. de Deo, lib. 4. quæſt. 8. cap. 4. vbi citat Henric. & Bannez. D. Thom. Caiet. Patres Conimbr. Faſſol. Rubius. Barthol. Amic. Arriaga. Recupit. Henric. Bannez.

17 Probatur hæc concluſio, quæ vera eſt. Quia hoc non repugnat, neque ex parte creaturarum, neque ex parte Creatoris: ergo &c. Probatur antecedens, quóad creaturas; nam, cùm aliæ alias excedant naturaliter, nihil repugnat, quòd in infinitum ſe excedant, ſub eodem genere. Probatur etiam ex parte Dei, nam Deus ſecundùm ſuas ideas eſt imita-

Digitized by Google

imitabilis,& participabilis, ita vt à nulla ſpecie ſic perfectè participetur, quin ab alia perfectiùs participari poſſit: quarè hoc pertinet ad extenſiuam,& intenſiuam Dei potentiam. Hæc veró perfectionis additio non erit arithmetica,ſed geometrica, ſecundùm eſſentiã; vnde nunquàm deueniendum erit ad aliquã ſpeciem infinitæ perfectionis;ſicut nunquàm exhauriri poteſt perfectio alicuius ſpeciei quamuìs ſit infima aliqua ſpecies , qua nulla dari poſſit imperfectior,vt eſt materia prima; & quemadmodùm,vt dicunt multi,non cognoſcitur à Deo vltima diuiſio in continuo, quia non eſt poſſibilis, ita neque à Deo cognoſcitur vltima ſpecies perfectior , quia non eſt factibilis.

18 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet , poſſe quidem Deum efficere multa alia, præter ea,quæ fecit, vt Fides,& naturalis ratio demonſtrat, nihilominùs tamen perueniendum eſſe vſque ad certum perfectionis gradum, vltra quem non ſint poſſibiles creaturæ aliæ perfectiores,quam ſequitur Durãd, in 1.diſt.44 q.1.& alij,quos citant Conimbr. ſup.ar.1.§.*Nonnulli*: in eandem ſententiam inclinat Scot.in 3. diſt.13.q.15. affirmat enim, gratiam, quam Deus infundit animæ, ad talẽ gradũ perfectionis poſſe peruenire, vltra quẽ non poſſit creſcere: eandem ſententiam confirmare videtur D. Auguſt. in Enchyrid. cap. 10. quatenus aſſerit,hunc mundum non potuiſſe à Deo fieri pulchriorem.

Durand. *Conimbr.* *Scotus.* *D. Aug.*

19 Obijcis,inquam, primò. Probabilius eſt,Deum non poſſe creare infinitum actu:ergo etiam probabilius erit , Deum non poſſe creare infinitum ſucceſſiuè ſub eodem genere. Probatur conſequentia. Si Deus poſſet creare infinitum in potentia,tota latitudo perfectionis creaturarum foret actu infinita. Reſpondetur negando conſequentiam.Maior ratio eſt petenda ex implicationibus , quæ ſequuntur, ſi detur infinitum actu: quæ tamen non ſequuntur ex eo quòd ſucceſſiuè poſſit Deus creare infinitum:immò hoc maximé neceſſarium eſt, vt intelligamus diuinæ omnipotentiæ theſaurum infinitum.

20 Obijcis ſecundò Ex eo poſſet Deus creare infinitum ſucceſſiuè ſub aliquo genere, quia haberet infinitam potentiam: ſed ex hoc non ſequitur:ergo &c. Probatur minor Quia ſatis oſtenditur diuina omnipotentia in modo creãdi quamlibet creaturam ex nihilo. Reſpondetur ad maiorem: verum quidẽ eſſe, nõ ſequi hanc doctrinam ex eo præciſé, quòd Deus ſit omnipotens , vt probat argumentũ, ſed ex eo etiam, quòd ſit infinitè imitabilis à creaturis, vnde ex vtroque capite neceſſe eſt, quód poſſit producere infinitas ſpecies perfectiores ſucceſſiuè ſub eodem genere.

21 Obijcis tertiò. Deus non poteſt creare aliam ſpeciem hominis perfectiorem:ergo falſa eſt concluſio. Probatur antecedens: quia iã non eſſet homo , ſiquidem haberet maiorem perfectionem eſſentialem. Reſpondetur negando antecedens, quia poteſt Deus creare homines diuerſos ſpecie , ſicut poteſt creare Angelos diuerſarum ſpecierum : neque enim dicimus poſſe addi alicui ſpeciei nouum gradum perfectionis eſſentialis (vt neque poteſt addi vnitas quaternario , quin conſtituat diuerſam ſpeciem numeri) ſed dicimus poſſe Deum efficere aliam ſpeciem hominis alterius eſſentiæ,ſub eodẽ genere,Neque obſtat,quòd homo ſit ſupremum inter creaturas corporeas,reſpectu infimi Angelorum,nam ſi Deus crearet alias ſpecies hominum perfectiores, hic homo , qui modo datur,iam non eſſet ſupremum.

Deus poteſt creare homines perfectiores.

22 Neque prætereà obſtat, dari ſubſtantiam aliquam,qua nulla poſſit eſſe ignobilior, nempe materiam primam: diuerſa ratio eſt, quia materia prima eſt prope nihil, infra quã dari poteſt nihil,quod non eſt factibile: at verò perfectio,quæ dari poteſt in re, creſcit per acceſſum ad diuinam perfectionem,quæ nũquàm exhauriri poteſt. D. Auguſt. ſuprà,explicandus eſt de ordine , & diſpoſitione vniuerſi,quæ non poſſunt fieri perfectiora, certũ enim aliunde eſt, poſſe Deum alios infinitos mundos efficere infinité perfectiores, vt probabo tract.2.lib.1.de Cælo,diſp 41.ſect.1.

Soluitur aliud argumentum.

23 Hæc ſint ſatis pro tertio libro Phyſicorum , quæ tamen ſint in laudem Virginis Beatiſſimæ, in cuius Annuntiationis optatiſſimo peruigilio hanc diſputationem de Infinito finiuimus: vtinam Sanctiſſima Virgo, quæ Deum infinitum,

—— *Quem totus non capit orbis,*

vtero clauſit ſacratiſſimo , ita mentem nobis cælitus aperiat, & dilatet , vt verum illud, & infinitum Verbum capere valeamus.

Digitized by Google

LIBER IV.
DE TERMINO MOTVS.
DISPVTATIO XXXII.
De Loco Vacuo, & Pleno.

DEuenimus ad locũ difficilẽ, vbi cum Philoſopho, de Loco agendum eſt, qui poſtquàm libro tertió egit de Motu, tractat in hoc libro de Termino motus, hoc eſt, de Loco, de cuius ratione formali quot capitũ viuunt, totidẽ ſententiarũ millia. Deinde, occaſione loci, diſputat etiã de Vacuo, vel quia Vacuum eſt *quidã locus priuatus corpore,* vel quia aliqui Philoſophi, Vacui propugnatores, non diſtinguebant Vacuum à loco pleno. De Tempore tandem diſſerit, quia omnis motus fit in tempore.

SECTIO I.
Quid ſit Locus, & quomodò dicatur immobilis?

Definitur Locus. 1 PRima concluſio. Locus propriè *eſt vltima ſuperficies corporis ambientis rem locatam*: hæc eſt expreſſa doctrina Ariſtotelis in hoc lib. cap. 4. vbi multorum Philoſophorum innumeras ſententias refutat, quem poſteá ſequuti ſunt meliores ſectatores, vt videre licet apud D. Th. in Opuſc. 51. Pereir. in ſua Phil. lib. 11. de Loco, (vbi c. 6. & 7. proponit, & ſoluit quindecim argumenta, contra ſententiam Ariſtotelis) Rub. lib. 4. Phyſ. tract. 1. de natura Loci. q. 1 à n. 24. Tolet. 4. Phyſ cap. 5. q. 4. à §. *Quarta concluſio.* Qui omnes referunt, & latè impugnant modernos aliquos Philoſophos oppoſitum exiſtimantes: eandem Ariſtotelis ſententiam ſequuntur Conimbr. 4. Phyſ. cap. 5. q. 1. ar. 2. §. *Ex omiſſis.*

2 Ex qua concluſione ſequitur, locum non eſſe interuallum ipſum, ſeu dimenſionem inter latera continentis, hoc eſt, vt explicat Auicena, non eſſe illud Vacuum, in quo recipiuntur corpora; nam ex hac opinione ſequeretur, locum non eſſe quid poſitiuum, ſed priuatiuum, quod tamen non eſt dicendum, habet enim locus proprietates poſitiuas, qualis v. g. eſt continere locatum: ſed nihil negatiuum continet proprietates poſitiuas: ergo locus debet eſſe aliquid poſitiuũ, præcipué cùm acquiratur per motum, qui cùm ſit realis, habere debet terminum realem. Ex eàdem concluſione colligitur non bene exiſtimaſſe Iandunum, Locum eſſe qualitatem: & minùs probabiliter aſſeruiſſe Scot. Locum eſſe relationem, vt videre eſt apud citatos auctores.

3 Pater Hurt. in Phyſ. diſp. 14. ſect. 1. à nu. 2. acriter impugnat noſtram ſententiam quamuis Ariſtotelicam eſſe fateatur, & inſurgit aduerſus Patres Conimbr. 4. Phyſ. cap. 5. quæſt. 1. ſuam deinde ſtatuit opinionem ſect. 2. vbi locum non diſtinguit ab Vbicatione, ſiue præſentia locali; ſed in contrarium imprimis eſt expreſſa ſententia Ariſtotelis, cuius veſtigia in rebus phyſicis officioſé veneramur. Deinde, quia ratio formalis Vbicationis eſt diuerſa à ratione formali Loci, nam Vbi eſt exiſtentia, ſiue præſentia rei in ſpatio: ratio veró formalis Loci eſt, quòd ſit ſpatium ipſum, ſeu ſuperficies, quæ continet rem in ſpatio: hinc eſt quòd de loco dicuntur aliquæ proprietates, quæ non dicuntur de Vbi, nam locus dicitur continere locatum, quod non dicitur de Vbi; de Vbi veró affirmatur, quòd rem conſtituat in loco. Hurtad. Patres Conimbr.

4 Præterea non placet Hurtad. quia confundit locum internum, quale eſt Vbi, cum loco externo, nempe cum ſuperficie corporis continentis, & amplectentis rem in loco interno: nec me mouet exemplum de Vtre pleno vini, quo vtitur nu. 2. nam hoc exemplum ſoluetur à nobis infrà n. 15. cùm ſermo erit de loci immobilitate. Et iuxta hanc ſententiam Ariſtotelis, per motũ localem, qui fiat in ple-

Digitized by Google

in pleno, acquiritur duplex locus, internus ſcilicet, & externus, hoc eſt, Vbi, & ſuperficies ambiens locatum, nam vterque locus eſt adæquatus terminus motus localis: ſicut ex materia, & forma vnitis, fit terminus adæquatus generationis. Diligẽter tamen aduertendum eſt. ſuperficiem non eſſe locum, quatenus extendit corpus, ſic enim pertinet ad quantitatem, ſed quatenus extrinſecè continet, denominatque rem locatam.

5 Atque ex propoſita doctrina ſatis probata eſt concluſio. Aduerto tamen, ſuperficiem hanc ſumendam non eſſe ſolitariè, ſed cum quadam veluti forma, quæ appellatur continentia, ſecundùm quam ſuperficies continet corpus, & ratio eſt, quia ſuperficies, quà talis, ſolùm ordinatur ad extendendam ſubſtantiam: ergo, vt habeat rationem loci, neceſſariò vendicat aliquam formam, per quã cõſtituatur in ratione loci; eſt igitur locus concretum quoddam, quod ex ſuperficie, tãquàm ex materia, & ex continentia, tanquàm ex forma conſlatur.

6 Obijcis primò. Res eſt in loco ſecundùm trinam dimenſionem: ſed ſuperficies non habet profunditatem: ergo non poteſt eſſe locus. Reſpondetur ad minorem, Superficiem ſecundùm ſe non habere profunditatem, eſſe tamen terminum profunditatis corporis, vnde cùm vnum corpus non tangat aliud, per ſuam profunditatem, ſed per terminum huius profunditatis, qui eſt ſuperficies, inde eſt, quòd vnum corpus poſſit aliud corpus profundum circunſcribere, & ambire per ſuam ſuperficiem externam concauam, quæ alterius corporis ſuperficiem conuexam attingit, qua mediante, tangit etiam profunditatẽ alterius corporis.

7 Obijcis ſecundò. Superficies etiam eſt in loco: ergo non eſt locus. Reſpondetur, ſuperficiem externam vnius corporis aliud ambientis, quatenus ſubit rationem loci, eſſe in loco vt, *quo*; ſicut ipſum Vbi, & reliquæ rationes formales, quæ non exercent ſuos effectus formales circa ſe ipſas.

8 *Secunda concluſio.* Locus ſecundùm ſe eſt immobilis. Hæc eſt expreſſa Ariſtotelis, & omnium Philoſophorùm antiquorum, vt videre eſt apud auctores ſuprà. Et probatur, quia corpora per motum localem mouentur ad acquirendum locum, neceſſe eſt igitur, quòd locus ſit immobilis, alioquì nullo modo quæreretur, ſi ipſe locus ex vna parte in aliam tranſiliret: vel etiam ſequeretur locum poſſe mutari, quin corpus moueretur; vel etiam mutari corpus, quin locus moueretur, quod vtrumque falſum eſt, vt videbimus.

9 Magna tamen eſt difficultas, quomodò verum ſit locum eſſe immobilem, ſiquidem conſtat ſuperficiem ambientem aliquam turrim, flante vento, ſæpè moueri, turri immota? Neque ſoluet difficultatem, qui dixerit moueri ſuperficiem materialiter, non verò eius formalem continentiam: nam hæc continentia eſt in ſuperficie: ergo ſi hæc mouetur, ad eius etiam motum, moueri debet formalis continentia. *Quo pacto verum [illegible] locum [illegible] immobilem.*

10 Aliqui igitur aſſerunt, motum eſſe accidentalem Loco: ſed contra, quia id, quod eſt eſſentiale, nec per accidens tolli poteſt (ſicut homo nec accidentaliter reddi poteſt irrationalis) ſed Ariſtoteles dixit, Locum eſſe eſſentialiter immobilem: ergo &c. Reſpondent alij locum eſſe immobilem, non quidem ſimpliciter, per aliquam certam immobilitatem, ſed per æquiualentiam, ita vt, licet mutetur hæc, vel illa ſuperficies alia æquiualens ſuccedat; & inde eſſe, quòd nemo poſſit aſſerere turrim mutare locum: ita Scotus, in 2. diſt. 2. quæſt. 6. artic. 1. & alij. *Scotus* Sed contra, quia, cùm conſtet variari ſuperficiem, neceſſariò etiam varianda erit continentia illa numero, quæ cum ſuperficie identificatur: quamuis ergo ſuccedat altera ſuperficies eiuſdem ſpeciei, iam eſt diuerſa numero, & ſimul erit continentia illa diuerſa numero, ac proinde neceſſariò diuerſi numero loci variantur, ſicut aqua, quæ ſuccedit certæ alicui parti fluminis, licet ſit eadem in ſpecie, reuera eſt diuerſa numero: ergo etiam totus ille locus, qui mutatur, erit diuerſus numero, licet accidentaliter ſit idem continuatione, veluti aqua fluminis dicitur eadem accidentaliter, ideſt, ratione ſimilitudinis, & æquiualentiæ; & hoc non tollit quominùs ſimpliciter loca in indiuiduo mutentur, quod tamen eſt contra Ariſtotelem aſſerentem, locum eſſentialiter eſſe immobilem.

11 Pater Pereira in ſua Phil. lib. 11. de Loco cap. 3. & aliqui aſſerunt immobilitatem ſolùm conuenire locis naturalibus elementorum, de quibus conſtat moueri non poſſe, cùm non poſſit rerum naturalis ordo mutari. *Pereira.* Sed contra, quia Ariſtoteles loquitur de omni loco in vniuerſali. Alij verò locum diuidunt in intrinſecum, & extrinſecum, atque hunc concedunt variari, illum verò minimè. Sed contra, quia locus eſt omnino quid extrinſecum, vt docet Ariſtoteles: at verò ille locus intrinſecus, nihil eſt aliud, quàm Vbi, quod eſt valde diuerſum à loco, & ideò pertinet ad prædicamentum Vbi; Locus verò

 tedu-

reducitur ad prædicamentũ quantitatis: præterea Vbi eſt quædam paſſiua præſentia rei, & terminus per ſe intrinſecus motus localis: at verò Locus de ſe importat quandam actiuam circunſcriptionem.

Reſoluitur in quo formalis ratio Loci conſiſtat.

12 Communis igitur inter modernos Philoſophos ſententia eſt, locum, præter ſuperficiem ambientem, includere reſpectũ præſentiæ ad partes mundi fixas, ſcilicet ad centrum terræ, & ad polos mundi, vel veros, vel imaginarios: dixi (vel imaginarios) quia, etſi auferantur poli, & centrum, adhuc remanebunt cætera corpora in ſuis locis. Probatur hæc ſententia ex confutatione aliarum, & quia impoſſibile eſt, locum conſiſtere in ſola ſuperficie, & eſſe immobilem.

13 Confirmatur, quia centrum, & cælum ſunt loci communes omnium corporũ, centrum quidem, quia ad illud tendunt omnia corpora grauia; Cælum, & poli, quia amplectuntur omnes alios locos ſuo ambitu: ergo loci particulares debent dicere ordinem ad hos locos communes, vel veros, vel imaginarios; & hos reſpectus neceſſariò includit Ariſtoteles, dum aſſerit locum eſſe immobilem: quia locus imaginarius, & centrum ſunt immobilia.

14 Sed adhuc quæſtio eſt, ſuppoſito quòd locus tria illa includat, nempe ſuperficiem, & præſentiam, ſeu reſpectum ad ſpatium, & ad centrum, ſiue ad illas duas ſuperficies imaginarias, an ſcilicet quemadmodùm, vt ſit hic numero locus, neceſſe eſt, vt ſit idem numero reſpectus ad ſpatium imaginarium, ita etiam neceſſarium ſit, vt ſit eadem numero ſuperficies? Nam ſi neceſſarium eſt, vt ſit eadẽ numero ſuperficies, cùm hæc ſemper varietur, immota turri v. g. licet non varientur reſpectus, iam variabitur locus, ac proinde incidimus in eaſdem difficultates.

15 Dico igitur hunc numero locum conſiſtere in hòc numero reſpectu ad ſpatium, & ad centrum, ſeu in hac numero ſuperficie imaginaria ad centrum, & ad cælum; & in qualibet ſuperficie, vel in hac, vel in alia æquiualente; ad eum modum, quo Socrates ſemper eſt idem numero, dum habet hanc numero animam, licet materia ſucceſſiuè ſit diuerſa; & ita licet varietur ſuperficies hæc numero, ſi non variantur etiam illi reſpectus, ſiue ſuperficies imaginariæ, non variatur locus, quia non variantur illi duo reſpectus intrinſeci ſuperficiei. Ita contingit turri, in qua, variata ſuperficie aeris ambientis, ipſa non eſt dicenda variare locum, quia non variantur reſpectus ad ſpatium, & ad centrum. Similiter etiam, licet non varietur hæc numero ſuperficies, ſi tamen varientur illi duo reſpectus (vt contingit in cimba, ſecundo flumine labente) ſimpliciter variatur locus; & ita ſolutus manet, & euacuatus vter plenus vino, qui nobis à P. Hurtad. obijciebatur. Ex quibus cõſtat locum eſſe omnino immobilem, neque tamen vnquàm rem moueri quin mutet locum, propterea quòd mutet illos reſpectus.

16 Obijcis contra hunc modum explicandi locum. Ariſtoteles dixit, locum eſſe ſuperficiem ambientem, & nullam mentionem fecit de his reſpectibus. Confirmatur, quia iuxta hanc explicationem, magis dependet locus ab his reſpectibus, quàm à ſuperficie, ſiquidem ab huius variatione non pendet variatio loci, pendet verò à variatione illorum reſpectuum: ergo &c. Ad argumentum reſpondetur, Ariſtotelem dixiſſe, locum eſſe ſuperficiem ambientem, ſed quia dixit, locum debere eſſe immobilem, neceſſariò confugiendum eſſe ad hunc modum explicationis, quem ipſe non negauit, ſed tacitè aſſeruit, dum dixit eſſe immobilem. Soluũtur argumẽta cõtra hũc modũ explicandi Locum.

17 Ad confirmationem dicendum eſt, magis pendere locum ab illis reſpectibus in ratione diſtinctiua locorum, non verò in ratione locantis poſitiuè, nam ſuperficies eſt, quæ locat actualiter, & cui conueniunt denominationes loci, quia ipſa eſt, quæ dicitur locare, hæ enim affectiones conuenire nequeunt illis reſpectibus, ſeu illis ſuperficiebus imaginarijs. Ariſtoteles autem loquebatur de loco externo, & materiali corporum, nam in vacuo ſtari poteſt motus verus, & tamen nulla datur ambiens ſuperficies, in eo loco, qui in vacuo per motum acquireretur, quia ille motus non fieret naturaliter; immò neque naturaliter ſemper requiritur illa ſuperficies ambiens, vt patet in vltimo cælo, quod eſt naturaliter in loco, & tamen non habet ſuperficiem aeris ambientis, ex parte ſuperiori, quia ſolo ſpatio imaginario circundatur, nihilominùs tamen dicitur eſſe in loco, ratione reſpectuum ad centrum, & ad ſpatiũ imaginarium. Quo pacto locus dependeat ab illis reſpectibus ad ſpatiũ.

18 Obijcis ſecundò. Hæc numero ſuperficies dicit eſſentialem ordinem ad ſuperficies illas ſpatij imaginarij: ergo ſi variatur hæc numero ſuperficies, neceſſe eſt, vt etiam varientur ſuperficies imaginariæ. Reſpondetur

detur negando conſequentiam, nam etiam hæc numero materia dicit eſſentialem ordinē ad formam; & tamen quælibet materia poteſt inſeruire huic numero formæ, & ita ſe habet ſuperficies reſpectu loci imaginarij, nam quælibet ſufficiens eſt ad eundem locum, ſiquidem hæc, vel illa per accidens eſt.

19 Quæ veró dixi, intelligenda ſunt de locis naturalibus corporum. Deus enim non habet locum, nec definitiuum, nec circunſcriptiuum, propter ſuam immenſitatem: ſimiliter corpus Chriſti Domini in Euchariſtia non eſt in loco certo, & determinato, modo naturali, & circunſcriptiuo, cùm in multis locis eſſe poſſit, ratione ſpecierum conſecratarum. Angeli vero, & anima rationalis ſunt in loco diffinitiué, quia vbique eſſe non poſſunt, eorum veró motus non terminatur ad locum extrinſecum, ſiue ad ſuperficiem, ſed ad ſuum Vbi intrinſecum; non loquimur verò de modo, quo res ſpirituales ſunt in loco, quia ſolùm ſermo eſt de loco naturali, hoc eſt de loco, qui conuenit rebus conſtantibus materia, & forma.

SECTIO II.

Vtrùm elementa, & cæli habeant vera, & propria loca?

Reſolutio eſt affirmatiua. *Patres Conimbr.*

1 PRima concluſio. Singula elementa ſuum habent proprium locum. Ita cōmunis omnium Philoſophorum ſententia, quam tradunt Conimbr. 4. Phyſ. á cap. 1. q. 3 ar. 1. Vbi eleganter vniuerſi mundi bene ordinatam harmoniam partiuntur, ac diſponunt. Probatur. & explicatur concluſio; nam imprimis Terra, quia grauior, & craſſior, infimo loco ſubſedit, cuius naturalis, & proprius locus foret ſuperficies aquæ, ſi obſeruanda foret diſpoſitio, quam natura eius poſtulabat, ſed propter viuentium generationem, & conſeruationem, diuinâ prouidentiâ factum eſt, vt aquæ in vnum congregarentur; quapropter locus terræ partim eſt aquæ, partim eſt aeris ſuperficies.

2 Sequitur deinde aqua, quia minùs craſſa, & grauis, cuius locus eſt aeris ſuperficies à parte ſuperiori. Subſequitur poſteà Aer, quia ſubtilior, cuius naturalis locus eſt ignis ſuperficies. Ignis tamen, omnium elementorum ſubtiliſſimus, locum naturalem vendicat ſub concauo Lunæ, à quo tanquàm á proprio loco circūnſcribitur. Suppono, cum communi ſententia, hunc locum eſſe proprium Ignis, qui quamuis, neque etiam nocturno tempore, ſplendeat in ſua ſphæra, non ideò tamen negandus eſt, cùm enim ibi ſit valde rarus, & tenuis, ſplendorem ſuum non ita longè eiaculatur; & quæ de elementis dixi, conſequenter intelligenda ſunt de cælis vſque ad vltimum, de quo infra dicam, loquendo de cælis ſecūdùm communem ſententiam.

Cur ignis in ſuo naturali loco non appareat?

3 Probo deinde, eum eſſe proprium elementorum locum, nam ignis ſemper furſum aſcendit, vt ſcilicet natiuum locum acquirat: aer ſimiliter, ſi fortè enim terræ viſceribus abſtruſus deliteſcat, terræmotus ciet horrendos, vt erumpat, & locum proprium adipiſcatur. Terra præterea, & Aqua grauitate ſua deorſum feruntur: ergo ſignum eſt locos à nobis aſſignatos proprios eſſe, & naturales elementorum; nec pigebit ingenioſum Vatem adire, & audire, hunc mundi ordinem ſuo carmine pulchrè diſponentem lib. 1. Met. principio.

Ouid. 1. Met.

Ignea conuexi vis, & ſine pondere cæli
Emicuit, ſummàque locum ſibi legit in arce;
Proximus eſt Aer illi leuitate, locoque:
Denſior his Tellus, elementàque grandia traxit;
Et preſſa eſt grauitate ſui, circumfluus humor
Vltima poſſedit, ſolidumque coercuit orbem.

Oſtēditur ordo Elementorum circa locū.

4 Probo tandem eſſe hos locos optimè ordinatos, quia elementa ſic locata, qualitate vna aſſociantur, alia diſſociantur, vnde licet vna qualitate interimantur, amicantur alia; Terra enim eſt arida, & frigida; Aqua eſt frigida, & humida, atque ita conueniunt in frigiditate, & diſconueniunt in ariditate, & humiditate. Deinde Aer humidus eſt, & calidus, concordatque proinde cum aqua in humiditate, depræliatur tamen ſecundùm caliditatem, & frigiditatem. Tandem Ignis calidus eſt, & ſiccus, conſentitque cum Aere in caliditate, diſſentit verò ſecundùm ſiccitatem, & humiditatem: atque ita prouidè, & ſapienter diuinus ille Opifex diſcordem elementorum concordiam temperauit, &, vt veré cecinit idem Vates ſupra, hoc modo

Diſſociata locis concordi pace ligamur.

Ouid. 1. Met.

De Loco vltimi Cæli, in opinione admittente cælos incorruptibiles.

5 TOta difficultas eſt circa vltimum cælum, quod Ariſtoteles appellauit primum mobile, quia ſecundùm commu-

Digitized by Google

communem ſententiam ſuo motu reliquos cælos rapit ab Oriente in Occidentem: hoc etiam cælum nominauit ſtellarum, neque agnouit aliud cælum, quod Patres communiter dicunt empyreum. Quod igitur dixerimus de hoc vltimo cælo, de empyreo dictum volumus, quod nos dicimus eſſe vltimum.

Auicen. 6 Affirmat igitur Auicena lib. 2. Sufficientiæ cap. 8. vltimam ſphæram non eſſe in loco, nec ſecundùm ſe totam, nec ſecundùm partes, quia locus eſt vltima ſuperficies corporis continentis: ſed vltima ſphæra nulla circunſcribitur ſuperficie alterius corporis: ſiquidè extra illam ſolùm datur vacuum. Difficile tamen videtur aſſerere ſimpliciter vltimã ſphæram non eſſe in loco.

Pereira. Alpharab. Auenpac. Patres Conimbr. 7 Pater Perer. in Phil. lib. 11. cap. 9. ſecutus Alpharabum, & Auenpace. conſtituit centrum pro loco cæli. Sed contra Per. & ſuos Arabes bene argumentantur Patres Conimbr. 4. Phyſ. cap. 5. q. 2. ar. 1. Neque enim centrum mundi dicitur vltimum cælum continere, quod neceſſariò dicendum eſt de loco; locus enim debet continere locatum. Alij exiſtimant, eſſe in loco per vltimam ſui ſuperficiem. Sed contra: quia locus debet eſſe extrinſecus, ac proinde debet eſſe ſuperficies diſtincta à corpore contenta. Aſſerunt alij, eſſe in loco, ratione ſuperficiei orbis inferioris ſibi coniuncti. Sed contra eſt, quia ex eo quòd vnum corpus circunſcribat aliud, non ſequitur quòd circunſcribatur ab eo: neque etiam eſſe in loco, eſt circunſcribere aliud corpus, ſed circunſcribi ab eo, alioqui Aqua, & Aer duplicem haberent locum (Aqua enim circunſcribitur ab aere) & propterea habent pro loco vltimam aeris ſuperficiem; & præterea aqua circunſcribitur à terra, à parte inferiori, habereque proinde duos locos.

8 Communis ſententia inter Philoſophos, hodièque inter Recentiores recepta ſtatuit, vltimam ſphæram non eſſe in loco actualiter, nec ſecundùm ſe, nec per ſuas partes, ſed ſolùm eſſe in loco in potentia ſecundùm partes, in quãtùm pars quælibet diuidi poteſt à toto, & tali modo diuidi, vt ambiat, contineat, & circunſcribat aliam; ita Ariſtoteles cap. 5. huius libri (quamuis non ita expreſſè loquatur) D. Thom. quodl. 6. ar. 3. Ferrar. q 5. 4 lib. Phyſ. Heruæus quodlib. 10. q 7. Conimbr. 4 Phyſ. cap. 5. q. 2. ar. 2. fundantur, quia locus eſt vltima ſuperficies corporis cõtinentis: ſed vltima ſphæra nullo alio corpore circunſcribitur: ergo ſimiliter nulla ſuperficie: ergo non eſt in loco actualiter. Deinde cùm non implicet, vnam partem diuidi ab alia, neque etiam implicabit, vnam partem poſſe aliam circunſcribere: ergo omnes partes cæli modò ſunt in alijs, tanquàm in locis potentialibus, qui locus, quamuis ſit improprijſſimus, nihilominùs tamen, cùm cælum propriè moueatur, quamuis non motu recto, ſed ſaltem circulari, congruens eſt, vt aliquo modo dicatur eſſe in loco. Hanc etiam explicationem ſequitur Rubius 4. Phyſ. tract. de Natura Loci. q. 4. à n. 47. *Rubius.*

Ariſtot. D. Thom. Ferrar. Heruæus. Patres Conimbr.

9 Inter has, & alias opiniones, quæ numero ſuo cælos ipſos ſuperant, *Auſus me credere cælo*, & nouam aliam, ſed facilem inueſtigare, quæ non eſt contra Ariſtotelem, cuius ſola auctoritas me moueret, vt acquieſcerem communi ſententiæ; ſit igitur,

10 *Secunda concluſio.* Vltima ſphæra actualiter eſt in loco, non quidem vero, ſed imaginario, circunſcribiturque proinde à ſuperficie, non quidem corporis ambientis (ſiquidè nullum datur corpus extra vltimam ſphærã) ſed à ſuperficie imaginaria: Ariſtoteles verò ſolum negauit vltimam ſphæram habere ſuperficiem, ſeu locum corporeum, quod veriſſimum eſt. Moueor primò ad hanc ſententiã, quia vltima ſphæra actu mouetur: ergo actu debet eſſe in loco, neque ad motum actualè ſufficiens videtur locus potentialis. Moueor ſecundò, quia ſi Deus conſtitueret Socratem v.g. in ſpatio imaginario, cùm realiter poſſet moueri (vt videbimus) realitèr etiam eſſet in loco imaginario, non quidem per locum extrinſecum, & corporeum, ſed per locum alium intrinſecum, nempe per Vbi, & hoc poſito, dico vltimam ſphæram habere locum intrinſecum, & extrinſecum negatiuè, ideſt, per ſuperficiem, non quidem veram, & corpoream, ſed imaginariam.

11 Circa motum circularem cæli, aduertendum eſt, vltimam ſphæram, ſecundùm ſe totam moueri, ſicut etiam reliquæ ſphæræ continuò circumrotantur: diuerſo tamen modò ſe habent totum corpus, & partes eius in motu circulari, nam partes mutantur quidem de vno loco in alium, & de vno Vbi in aliud, modò enim ſunt in Oriente, modò in Occidente: at verò tota aliqua ſphæra nec mutat totum locum per ſe, nec totum Vbi, quia ſemper eſt præſens eidem ſpatio: ſed de his locis in lib. de Cælo erit locus diſputandi, vbi circa cælorum numerum aliter à me reſoluendum eſt, hìc tamen loquor ex communi ſententia, in qua habet quæſtio difficultatem.

(:?:)

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO III.

Vtrùm diuerſa corpora poſsint ſimul eſſe in eodem loco?

Materialiter non poſſunt.

1 PRima concluſio. Non poſſunt naturaliter duo corpora, vel plura ſimul eſſe in eodem loco. Ita communis Philoſophorum ſententia, quam, duce Ariſtotele hîc textu 27. ſequuntur Conimbr. lib. 4. Phyſ. cap. 5. q. 4. ar. 1. Rubius lib. 4. Phyſ. tract. de Natura Loci, q. 5. à n. 55. & alij, communiter, quos citat & ſequitur Barthol. Amic. Phyſ. tract. 10. q. 7. dub. 1. ar. 1. n. 2. Probatur imprimîs experientiâ; deinde ratione, quia impoſſibile eſt duo corpora trinæ dimenſionis ſimul eſſe in eodem loco, niſi ſe penetrent: ſed penetratio eſt naturaliter impoſſibilis: ergo impoſſibile eſt, duo corpora eſſe in eodem loco. Probatur minor. Quia quantitas, ex qua conſtant corpora quantitatiua, naturaliter eſt repletiua loci, & naturaliter reijcit aliud corpus ab eodem loco, non quidem effectiuè, quia quantitas non eſt actiua, ſed per naturalem incompoſſibilitatem.

Ariſtot. Patres Conimbr. Rubius. Barth. Amicus.

2 Obijcis pro contraria ſententia, quam defendunt venerabilis Beda, & alij apud Lorinum in Actib. Apoſtolorum cap. 5. num. 19. quatenus ſentiunt per vires Angelicas fieri poſſe corporum penetrationem. Obijcis, inquam, primò. Illa qualitas, per quam corpora reſiſtunt penetrationi, non eſt infinita: ergo poterit Deus creare Angelum tantæ perfectionis, vt vincat illam qualitatem reſiſtentē penetrationi. Reſpondetur negando conſequentiam, & ratio eſt, quia licet illa reſiſtentia ſit finita ſimpliciter, eſt tamen infinita ſecundùm quid, & ſimilis illi, qua tota natura reſiſtit vacuo, quæ, cùm ſit reſiſtentia totius naturæ, non poteſt naturaliter ſuperari.

Beda. Lorinus.

3 Obijcis ſecundò. Duæ ſuperficies, quæ ſunt veræ quantitates, naturaliter penetrari poſſunt: ergo &c. Probatur antecedens, quia tunc penetrantur duo corpora, quando ſunt in eodem ſpatio: ſed duæ ſuperficies duorum corporum, quæ ſe tāgunt, ſunt in eodem ſpatio: ergo &c. Reſpondetur primò, nobis quæſtionem eſſe de corpore quantitatiuo, ſecundùm trinam dimenſionem, non verò de indiuiſibilibus. Reſpondetur ſecundò, duas ſuperficies non eſſe in eodem ſpatio, quatenus quantitates ſunt, id eſt, quatenus extenſiuæ, quamuis ſint in eodem ſpatio, quà profundæ ſunt, quia tunc non ſunt quantitates, ſed indiuiſibilia quantitatis. Reſpondetur tertiò, tales ſuperficies, quamuis ſecundùm totas ſe tangant, non tamen eſſe in eodem loco, vt probo diſp. 35. ſect. 2. n. 9. 10. & 11.

4 Tertiò poterit quis obijcere experientiam de vaſe pleno cinere, quod eandem quātitatem aquæ in ſe recipit, ac ſi eſſet vacuum: ergo naturaliter datur penetratio: & idem cernitur, vt teſtatur Plinius lib. 2. Naturalis hiſtoriæ cap. 61. in amphora aquæ plena, quæ nummos intra ſe recipit, ſine aliqua expulſione aquæ. Reſpondetur tamen ad primam experientiam, id prouenire ex eo, quòd cinis valde ſit bibulus, habeatque proinde plurimos meatus, intra quos aqua recipitur: experientia Plinij eàdem facilitate, qua ab eo proponitur, à nobis ſeponitur.

Plinius.

5 *Secunda concluſio.* Per potentiam Dei abſolutam poſſunt diuerſa corpora ſimul eſſe in eodem loco, etiam retenta extenſione partium. Ita communis ſententia Theologorum, & maximè conformis myſterijs Fidei; quam tenet D. Thom. in 4. diſt. 44. q. 2. ar. 2. Soar. tom. 2. in 3. p. ad q. 54. ar. 4. diſp. 48. ſec. 5. Vaſq. tom. 2. in 3 p. ad q. 28. diſp. 121. Sal. tom. 1. in 1. 2. q. 5. ar. 5. trac. 2. diſp. 14. ſec. 19. à n. 165. Valen. 3. p. diſp. 2. q. 2. pun. 2. vbi latè probat ex Patribus Chriſtum Dominum, illæſa ſanctiſſimæ Virginis integritate, prodijſſe, quod fieri non poterat ſine corporum penetratione: eandem ſententiam ſupponit Hurt. in Phyſ. diſp. 14. ſec. 5. n. 42. & fusè illam probat M. Ægydius tom. 3 de Beatitud. lib. 5. q. 6. ar. 3. Conimbr. lib. 4. Phyſ. cap. 5. q. 4. ar. 2. vbi §. *Nihilominùs*, multos allegant ex Scholaſticis, & Patribus, idem tenet Arriaga in Phyſica diſp. 14. ſec. 4.

Diuinitus poteſt hoc fieri.

D. Thom. Soarius. Vaſquez. Salas. Valent.

Hurtad. Ægydius. Patres Conimbr.

Arriaga.

6 Probatur concluſio imprimis ex myſterio natiuitatis Chriſti Domini, illæſo Virginis vtero; & ex myſterio reſurrectionis, nā Chriſtus Dominus egreſſus eſt ex ſepulchro, lapide ſuperimpoſito; & ingreſſus eſt ad diſcipulos, ianuis clauſis: & ratione deinde probatur, nam de eſſentia quantitatis nō eſt quòd actu excludat aliud corpus, neque quòd actu repleat locum, ſed in eo poſita eſt, quòd ſit repletiua loci aptitudinaliter, cui, tamquàm naturalis proprietas, & phyſica adiungitur expulſio alterius corporis, quæ proinde diuinitus poteſt tolli, ſicut etiam diuinitus aufertur repletio actualis. Confirmatur primò, quia poteſt vnum corpus quantitatiuum eſſe totū in toto, & totum in qualibet parte, vt patet ex myſterio Euchariſtiæ: ergo etiam poterunt duo corpora eſſe ſimul. Confirmatur ſecundò, quia poſſunt diuinitus eſſe duo contraria in gradibus intenſis in eodem loco, vt oſtendunt Conimbr. 2. de Gener. cap. 3. q. 7. ar. 2. & po-

Patres Conimb

Digitized by Google

& poteſt Deus ponere vnum corpus in duobus locis, vt ſtatim videbimus: ergo etiam poterit ponere duo corpora in eodem loco.

Reijcitur contraria opinio. *Paludan. Durand.*

7 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quam immeritò tenet Palud. in 4. diſt. 44. q. 3. &, quod indignius videtur, probabilem iudicat Durand. in 4 diſt. 44. q. 6. fatetur enim idem auctor in 4. diſt. 10. q. 2. difficile ſibi eſſe credere, quód quantitas corporis Chriſti Domini, ſimul cum eius ſubſtantia, ſit ſub ſpeciebus conſecratis, & ideó n. 7. exiſtimat probabiliter defendi poſſe quòd ſola ſubſtantia Chriſti, ſine quantitate, ſit in Euchariſtia, ad euacuandas videlicet difficultates, quæ ex permixtione duarum quantitatum oriuntur: hæc tamen ſententia nullo modo, vt probabilis, audienda eſt, quia eſt valde periculoſa in Fide, & errori proxima, nam, vt docet Fides, totus Chriſtus eſt in Euchariſtia, ſicut modò eſt in Cælo.

8 Obijcis, inquam, primò. De eſſentia quantitatis eſt, habere partem extra partem actualiter repletiuam loci: ergo neceſſariò vna pars expellet aliam, impoſſibile enim eſt dari cauſam formalem in actu ſine effectu formali. Reſpondetur, non eſſe de eſſentia quantitatis habere actualiter partem extra partem, replentem locum, ſed tantùm aptitudinaliter. Neque quantitas eſt cauſa formalis expulſionis alterius corporis, ſed tantùm radicalis: cauſa autem formalis mediata quidem, & remota eſt Vbi circunſcriptiuum, immediata verò, & proxima eſt impenetratio, quæ eſt quædam negatio concomitans Vbi circunſcriptiuum neceſſitate phyſica: quantitas autem eſt cauſa radicalis prædictæ expulſionis: non repugnat autem diuinitus cauſam radicalem vnius effectus formalis dari in ſubiecto ſine tali effectu formali, vt patet mille exemplis.

9 Obijcis ſecundò. Duæ quantitates ſucceſſiuæ, v.g. motus, & tempus non poſſunt ſimul eſſe in eodem inſtanti: ergo neque duæ quantitates permanentes poterunt ſimul eſſe in eodem loco. Probatur conſequentia, quia non minús eſt de eſſentia quantitatis ſucceſſiuæ actualis extenſio ad ſpatium ſucceſſiuū, quàm ſit de eſſentia quantitatis permanentis actualis extenſio ad locum, ſeu ſpatium permanens. Reſpondetur negando conſequentiam: Maior ratio breuiter eſt, quia id quod eſt per ſe formaliter tale, nec diuinitus poteſt non eſſe tale, ſed quantitas ſucceſſiua per ſe formaliter eſt actu extenſa ad ſpatium ſucceſſiuum: ergo nec diuinitus poteſt eſſe non extenſa actu: at verò quantitas permanens non eſt per ſe formaliter actu extenſa ad ſpatium permanens, ſed tantùm aptitudine; actu verò eſt formaliter extenſa per Vbi circunſcriptiuum, quo diuinitus priuari poteſt, ſiquidem poteſt poni in puncto, vt patet ex myſterio Euchariſtiæ, quod non negat Durand. ergo &c.

Aduertuntur aliqua circa penetrationem corporum.

10 TRia hîc obiter aduertenda ſunt, quæ in Met. lib. 5. diſp. de Quantitate commodiorem locum nanciſcentur. Primum eſt, Corpora, quæ penetrantur, conſeruare ſuas Vbicationes circunſcriptiuas, & ratio eſt, quia illa corpora alicubi exiſtunt, cùm ſint entia extra cauſas: ergo habent ſuas Vbicationes. Deinde quia, cùm corpora repleant locum formaliter, per Vbi circunſcriptiuum, niſi haberent tale Vbi, nullum eſſet miraculum ſi penetrarentur. Neque dicendum eſt, quòd ipſa Vbi propriè penetrentur, ſed quòd corpora, quæ habent Vbi penetrentur; ſicut dicemus poſſe naturam ſubſiſtentem aſſumi, non quòd ſubſiſtentia formaliter aſſumatur. Quaré non eſt audiendus Scotus in 4. diſt. 49. q. 16. ad 2. vbi aſſerit, quando duo corpora ſunt in eodem loco, vnum tantùm dari Vbi circunſcriptiuum.

Corpora, quæ penetrantur, cõſeruãt Vbi circũſcriptiuum.

Scot.

11 Secundum aduertendum eſt, licet corpora formaliter ſint in loco per Vbi circũſcriptiuum, non reſiſtere tamen penetrationi formaliter per Vbi, ſed per negationem penetrationis. Probatur, quia replere locum, & eſſe impenetratum, ſunt diuerſi effectus formales: ergo debent præſtari à diuerſis cauſis formalibus: atqui replere locum habet pro cauſa formali Vbi circunſcriptiuum: ergo eſſe impenetratum habere debet aliam cauſam formalem: forma igitur, per quam corpus quantitatiuum immediatè, & formaliter redditur impenetratum, eſt quædam negatio, quæ dicitur impenetratio, quæ negatio tollitur per penetrationem, ſicut impotentia tollitur per potentiam.

Corpora nõ reſiſtũt formaliter penetrationi per Vbi, ſed per negationẽ penetrationis.

12 Confirmatur primó: quia Vbi circunſcriptiuum non tollitur in penetratione duorum corporum, tollitur verò negatio penetrationis: ergo corpus non reſiſtit formaliter penetrationi, per Vbi circunſcriptiuum, ſed per negationem penetrationis.

13 Confirmatur ſecundò, & declaratur, quia eſſe impotens eſt effectus formalis, & immediatus impotentiæ, & eſſe incapax eſt effectus formalis immediatus incapacitatis: ergo etiam eſſe impenetratum eſt effectus formalis immediatus impenetrationis: quamuis

Digitized by Google

ergo quantitas per Vbi circunſcriptiuum formaliter replet locum, non tamen redditur formaliter impenetrata per tale Vbi; nam, vt dixi, diuerſi effectus formales requirunt diuerſas cauſas formales: non negamus tamen prouenire impenetrationem ab Vbi circunſcriptiuo remotè, immò, & radicaliter ab ipſa quantitate, nobis enim ſolùm ſermo eſt de cauſa formali, & immediata, quæ non eſt aliud præter negationem penetrationis.

In penetratione ſolùm tollitur negatio penetrationis.

14 Tertiò aduertendum eſt ex dictis, vt duo corpora penetrentur, opus non eſſe, vt ab illis tollatur aliquid poſitiuum, ſed ſolùm vt tollatur illa negatio penetrationis. Probatur prima pars, quia, ſicut vt duo contraria intenſa ſint in aliquo ſubiecto, opus non eſt, vt ab illis tollatur aliquid poſitiuum, ita ſimiliter &c. Probatur ſecunda pars, quia negatio, ſeu priuatio neceſſariò tollitur per penetrationem aduenientem. Neque eſt inconueniens, quòd ſimpliciter tollatur, eſt enim negatio phyſica, quæ non fundatur in eſſentia quantitatis, ſed in Vbi circunſcriptiuo: ſolùm autem illæ negationes tolli non poſſunt, quæ fundantur in eſſentia rei, vt negatio bruti à Socrate: at verò negationes phyſicæ, quæ non fundantur in eſſentia, diuinitus tolli poſſunt, vt negatio albedinis, quæ datur in lapide nigro, & negatio hominis, quæ dabatur in Verbo diuino.

15 Poteſt autem fieri penetratio duobus modis: primò, vel ſuſpendente Deo concurſum, quo vna quantitas naturalis aliam formaliter expellit: vel ſecundò per concurſum Dei extraordinarium actualem, cum quo concurrat cum vna quantitate, ita vt alterius reſiſtentiam vincat, & cum ea ſimul penetretur.

16 Dicendum igitur eſt, non ſolùm duo corpora, ſed plura etiam, immò, & plures partes eiuſdem corporis diuinitus poſſe poni in eodem loco; immò, & totum corpus in aliqua minima particula, & ingentem montem poſſe per exiguum foramen acus tranſire, ſicut tota quantitas Chriſti Domini eſt ſub qualibet parte minima hoſtiæ; & adhuc remanet eſſentia quantitatis, quæ nõ conſiſtit in actuali repletioni loci, ſed in aptitudinali. Hæc meliùs conſtabunt ex dicendis in Metaph. diſp. de Quantitate.

SECTIO IV.

Vtrùm, & quomodò vnum corpus poſſit eſſe in diuerſis locis?

Reſolutio eſt affirmatiua.

1 P*rima concluſio.* Idem numero corpus ſimul eſſe poteſt diuinitus in pluribus locis. Hæc concluſio de Fide eſt, quoad plures præſentias ſacramentales. Deinde etiam de Fide eſt, quoad vnam præſentiam circunſcriptiuam, & plures ſacramentales, vt patet ex myſterio Euchariſtiæ, nam ſimul Chriſtus Dominus eſt in Cælo, per Vbi circunſcriptiuum, & in pluribus locis per Vbi ſacramentalia: procedit ergo concluſio de pluribus præſentijs circunſcriptiuis, in quo ſenſu veram exiſtimo, cum Scot. in 4. diſp. 10. q. 2. Soar. tom. 3. in 3. p. ad q. 75. diſp. 48. ſect. 4. vbi §. *Dicoterttiò*, citat Alenſem, Richard. Maior. Ocham. Gabr. Marſil. Aliacenſ. Adam. Aureol. Palatios, Ruard. Alanum. Claudium: eandem ſententiam ſequuntur Conimbr. 4. Phyſ. cap. 5. q. 5. ar. 2. Val. tom 4. diſp. 6. q. 3. pun. 1. à §. 23. vbi hanc ſententiam latè probat ex Scriptura, Patribus, & ex rationibus (& in fine §. 27. affirmat oppoſitam ſententiam reijci à Catholicis) item Bellar. lib. 3. de Euchariſtia cap. 3. & 4. Ægyd. de Sacramentis q. 75. ar. 1. Becanus de Euchariſtia cap. 17. q. 14. Gaſpar Hurtad. diſp. 5. de Euchar. difficultate 12. & multi alij noſtri, cum P. Lugo de Euchariſt. diſp. 5. ſect. 1. n. 12. Pro eadem veritate pugnant Barthol. Amic. in Phyſ. tract. 10. q. 7. dub. 1. ar. 3. n. 19. & Arriaga in Phyſica, diſp. 14. ſect. 8. ſubſect. 2.

Scot. Soarius. Alenſ. Richard. Maior. Ocham. Gabriel. Marſil. Aliacenſ. Adam. Aureol. Palatios. Ruard. Alanus. Claudius. Patres Conimbr. Valent. Bellar. Ægyd. Becanus. Hurtad. Lugus. Barth. Amicus. Arriaga.

2 Probatur hæc ſententia primò ex myſterijs Fidei; conſtat enim inter Catholicos corpus Chriſti Domini ſimul eſſe in multis hoſtijs, in diuerſis locis, per Vbi definitiuum; & ſimul eſſe in cælo præſens per Vbi circunſcriptiuum: ergo idem corpus poterit ſimul eſſe in pluribus locis per diuerſa Vbi circunſcriptiua. Reſpondent aduerſarij bene poſſe idem corpus habere plures præſentias definitiuas, non tamen circunſcriptiuas. Sed cõtra, quia ſicut duo corpora poſtulant naturaliter duas præſentias locales diſtinctas inter ſe, & tamen poſſunt diuinitus ſimul eſſe in eodem loco, vt probatum eſt ſuperiori ſectione; ita, licet vnum corpus poſtulet naturaliter vnam tantùm præſentiam circunſcriptiuam, poterit nihilominùs diuinitus habere plures præſentias, ſeu plures locos circunſcriptiuos.

3 Declaratur hoc argumentum: nam tota repugnantia aduerſariorum in eo eſt, quòd vnum corpus per ſuam præſentiam localem circunſcribitur, & coarctatur à ſuperficie ambiente: ſed contra, quia quamuis Corpus Chriſti Domini in Cælo eſt circunſcriptiuè, nihilominùs in terra poteſt eſſe definitiuè, per ſimplices præſentias: ergo locus circunſcriptiuus non ita limitat corpus, vt non poſſit alibi exiſtere: ergo poterit etiam exiſtere circunſcriptiuè, mirabilius enim eſt, corpus habere Vbi definitiuum, quam circunſcriptiuũ: ſed

ſed corpus Chriſti Domini extra cælum habet Vbi definitiuum: ergo etiam habere poterit circunſcriptiuum.

4 Probatur ſecundò ratione, quia Deus poteſt efficere quidquid non implicat contradictionem: ſed non implicat poni idem corpus in diuerſis locis: ergo &c. Probatur minor. Non tollitur enim eſſentia corporis, per multiplicationem multarum vbicationũ: & explicatur modus, quo Deus hoc poſſit efficere, vel per actionem ſcilicet adductiuam, vel per actionem reproductiuam: nam cùm idem poſſit ſe ipſum reproducere, iuxta ea, quæ dixi in hoc tract. diſp. 7. ſect. 2. à nu. 13. ita etiam Deus poterit reproducere idem corpus in multis locis, & tunc habebit plures præſentias circunſcriptiuas; cùm enim vtrobique ſit eadem quantitas, vtrobique habebit eundem effectum extendendi corpus. Confirmatur, quia hæc ſententia eſt magis pia, magiſque explicat quomodò idem corpus Chriſti Domini poſſit eſſe in pluribus locis.

Reiicitur contraria ſententia. 5 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet, nec diuinitus poſſe idem numero corpus ſimul eſſe in diuerſis locis circunſcriptiuè (quamuis concedant diuerſas præſentias ſacramentales, vel vnam naturalem cum multis ſacramentalibus, quod ex Fide concedere tenentur) quam tuentur D. Thom. in 4. diſp. 10. q. 1. ar. 1. & alijs in locis. Bonauent. Durand. Henric. Ægyd. Heru. Cartuſ. Capreol. Palud. Ferrar. quos citat Rubius 4. Phyſ. trac. de Loco, q. 7. §. *Et circa*, qui eàdem q. nu. 71. hanc ſententiam probabilem iudicat, & abſolutè ſequitur Vaſq. tom. 3. in 3. p. ad q. 76. ar. 6. diſp. 189. cap. 5. pro eàdem ſtat Curſus Thomiſt. in Phyſ. q. 16. de Loco, ar. 5.

D. Thom. Bonau. Durand. Henric. Ægydius. Heruæus. Cartuſ. Capreol. Paludan. Ferrar. Rubius. Vaſquez. Curſus. Thomiſt.

6 Obijcis, inquam, primò cum D. Thom. n. 6. Si idem corpus poſſit eſſe in duobus locis, poſſet eſſe in multis, & conſequenter in omnibus, ac proinde poterit eſſe vbique, quod D. Thom. hæreticum dicit. Reſpondeo, concedendo, tale corpus poſſe eſſe vbique, neque tamen erit immenſum, quia ad immẽſitatem requiritur immenſitas infinita, ideſt, talis, quæ ex natura ſua, & ab intrinſeco ſit immenſa, nec poſſit deſinere eſſe in omni loco: at veró talis creatura, quæ eſſet vbique, ex natura ſua poterat deſinere eſſe vbique: ita expreſſè Recupit. 2. p lib. 4. q. 15.

Recupit.

7 Obijcis ſecundò cum eodem D. Tho. Si idem corpus poſſet eſſe in pluribus locis foret idem diuiſum à ſe ipſo: ſed hoc non eſt dicendum: ergo &c. Reſpondeo diſtinguendo maiorem, foret diuiſum à ſe ipſo ſecundùm præſentias locales, concedo maiorem (ſed hoc nullum eſt inconueniens, vt patet in præſentijs ſacramentalibus) foret diuiſum à ſe ipſo ſimpliciter, nego maiorem. Neque obſtat, quód non poſſit eadem res coexiſtere ſimul duobus temporibus, nam tempora ſunt eſſentialiter ſucceſſiua, & non poſſunt ſimul exiſtere: at verò loca ſimul exiſtunt.

8 Obijcis tertiò cum D. Bonauent. Eſſe in loco circunſcriptiuè nihil aliud eſt, quàm quantitatem ita circunſcribi à ſuperficie ambiente, vt totum corpus ſit intra illam, & nihil extra: ergo repugnat quantitatem eſſe extenſam in vno loco, & contineri ab alio. Reſpondeo negando antecedens, quia eſſe in loco circunſcriptiuè formaliter, & eſſentialiter eſt, quòd totum corpus ſit in toto, & pars in parte, non verò quòd illud corpus alibi non ſit, quapropter limitatio quantitatis ſolùm eſt naturalis, & ſupernaturaliter vinci poteſt.

9 Obijcis quartò cum Vaſq. citato ſect. 6. qui hoc argumento noſtram veram ſententiã conclamatam eſſe exiſtimat. Si idem corpus eſſet in duobus locis ſequeretur planè, quòd poſſit habere ſimul duos motus, & conſequẽter duo Vbi, vt ipſe bene demonſtrat: ſed hoc eſt abſurdum, vt ipſe exiſtimat: ergo &c. Hoc vno argumento animum ſibi deluſit P. Vaſq. ita vt meritò admiretur Hurtad. in Phyſ. diſp. 14. ſect. 5 n. 46. tam robuſtum militem, tam imbecillia tela torquere: dicimus enim nullũ eſſe inconueniens idem corpus poſſe habere duos motus, & duo Vbi, ſicut habet duos locos: immò addimus, cum communi ſententia de qua D. Fonſ. 5. Met. cap. 4. ſect. 5. §. *Sed ſecretum eſt*, poſſe idem corpus locis extrarijs in contraria moueri, & ſe ipſum in anguſto calle impedire, ne progrediatur, ſi fortè velit trãſilire; immò & ſe ipſum poterit malè pulſare, & contra ſe ipſum degladiari, quæ ſunt mira quidem, ſed quæ, poſito priori miraculo, conſequuntur, vt infrà magis conſtabit. Quarè in alijs potiùs reſponſis conſulendus eſt Bellomontanus Apollo.

Hurtad. Fonſeca.

10 Obijcis quintò. Si idem corpus poſſit eſſe in diuerſis locis, poterunt de eo affirmari priuatiuè, & contradictoriè oppoſita: ſed hoc non eſt dicendum: ergo &c. Probatur maior, quia in vno loco poterit viuere, in alio emori, in vno poterit ſcire, in alio neſcire. Occaſione huius argumenti quærendum eſt.

Quæ accidentia conueniant corpori poſito in duobus locis?

11 Secunda concluſio. Accidentia, quæ dicunt ordinem ad locum, ſunt diuerſa, ſicut loci ipſi ſunt diuerſi; ita communis ſententia, quæ videri poteſt apud

Digitized by Google

Patres Conimbr. *Rubius.* *Hurtad.* *Barth. Amicus.* apud Conimbr. lib. 4. Phyſ. cap. 5. q. 5. ar. 2. §. *Hæc ſunt.* Rub. lib. 4. Phyſ. tract. de Loco. q. 7. à n. 78. Hurt. in Phyſ. diſp. 14. de Loco, Barthol. Amic. in Phyſ. tract. 20. q. 7. dub. 1. ar. 3. ſect. 5. n. 50. Probatur, quia accidentia, quæ dicunt ordinem ad locum, neceſſariò diuidi debent, ſicut ipſe locus diuiditur; talia igitur ſunt Vbi, iacère, ſtare, cubare, atque adeò in vno loco poterit ſtare, in alio iacère, in vno percuti, in alio verò non percuti.

12 *Tertia concluſio.* Accidentia, quæ omnino abſtrahunt à loco, qualia ſunt proprietates, vt intellectus; & aliqua accidentia, vt albedo, & nigredo, vtrobique conueniunt eadem. Hæc etiam concluſio communis eſt, & *Soarius.* videri poteſt apud Soar. tom. 3. in 3. p. & ratio eſt, quia corpus eſt idem in vtroque loco, vt ipſe probat ad q. 75. diſp. 48. ſect. 5. §. *Dico ſecundò*, ergo proprietates intrinſecæ debent comitari connaturaliter idem corpus; & dicendum eſt idem de his accidentibus contingentibus, quæ omnino abſtrahunt à loco, qualis eſt albedo, quæ naturaliter vtrobique datur eadem: idem videri poteſt apud P. Lugo de Euch. diſp. 5. ſect. 2. n. 37. *P. Lugo.*

Patres Conimbr. *Hurtad.* 13 Addunt verò Conimbr. 4. Phyſ. cap. 5. q. 4. ar. 2. §. *Secundum pronuntiatum*, & Hurt. ſuprà, accidentia, quæ aliquo modo abſtrahũt à loco omnino eſſe eadem vtrobique, v. g. corpus in vno loco poſſe accedere ad ignem, non ideò tamen accedet in alio loco, nihilominùs tamen vtrobique calefiet, quia calor aliquo modo abſtrahit à loco, non verò acceſſio ad ignem; ſimiliter poſſet percuti in vno tantùm loco, dolorem tamen vtrobique ſentit, & *P. Lugo.* idem tenet P. Lugo de Euchar. diſp. 5. ſect. 2. n. 32. Addunt præterea Conimbr. §. *Tertium pronuntiatum*, diuinitus, nouoque miraculo fieri poſſe, vt, etiam quæ non dicunt ordinem ad locum, vtrobique varientur, atque adeò requirunt nouum miraculum, vt Socrates Romæ non ſentiat dolorem ex vulnere illato Olyſſipone.

14 Meliùs tamen meo iudicio philoſophatur Soar. tom. 3. in 3. p. q. 75. ar. 1. diſp. *Soarius.* 48. ſect. 6. §. *Dico ergo*, qui aſſerit non poſſe ignem Romæ calefacientem, connaturaliter Olyſſipone calefacere idem corpus; & ratio eſt, quia ignis non habet virtutem naturalem, niſi ad agendum intra ſuam ſphæram. Deinde quia ſicut ſolùm ſupernaturaliter poteſt idem corpus eſſe in duobus locis, ita etiam idem calor ſola diuina virtute, nouoque miraculo poterit eſſe in eodem corpore poſito in diuerſis locis. Neque obſtat identitas eiuſdem corporis, philoſophãdum enim eſt quaſi eſſet duplex, vel multiplex corpus, & ſicut in diuerſis temporibus poteſt idem Socrates viuere, & mori; ita etiam in diuerſis locis, quia ſicut priuatiuè, & contradictoriè oppoſita ſolùm opponuntur reſpectu eiuſdem temporis; ita etiam ſolùm reſpectu eiuſdem loci; vnde ſi poſt cænam Dominicam aſſeruatus fuiſſet in triduò panis conſecratus, in illis accidentibus remaneret viuus Chriſtus Dominus, quamuis in cruce moreretur: nam hæc accidentia aliquo modo dependent à loco: & ideò in concluſione dixi, ſolùm ea accidentia vtrobique eſſe eadem, quæ omnino abſtrahũt à loco.

15 Maior difficultas eſt circa actus vitales amoris, & odij; ſcientiæ, & opinionis, vtrùm ſcilicet idem intellectus in diuerſis locis poſſit ſimul habere hos actus? Negatiuè reſpondet Soar. ſit nihilominùs *Quarta concluſio* affirmatiua, quam tenet Lugo de Euchar. diſp. 5 ſect. 3. n. 76. Probatur primò, quia intellectus in duobus locis poteſt habere duo accidentia contradictoriè oppoſita, [redacted] ergo à fortiori habere poterit hos duos actus. Antecedens conceditur ab aduerſarijs mox citandis, concedunt enim poſſe eundem intellectum in vno loco ſcire, & in alio neſcire: probatur conſequentia, quia propterea idem intellectus poterit in vno loco ſcire, & in alio neſcire, quia in vno habebit medium ſcientificum, & in alio minimè: ſed etiam in vno loco poterit habere medium ſcientificum, & in alio medium opinatiuum, ratione diuerſorum obiectorum: ergo &c. *Poteſt idẽ intellectus in diuerſis locis habere actus diuerſos.* *Lugo.*

16 Probatur ſecundò. Quia ideò non poſſet idem intellectus ſimul ſcire, & opinari in diuerſis locis, propter ſympathiam, quæ datur inter idem, & ſe ipſum: ſed hæc ratio nulla eſt: ergo &c. Maior ita conceditur: probatur minor; quia ſympathia eiuſdem potentiæ non tollit quominùs poſſint dari duo actus contradictorij ſimul, reſpectu eiuſdem potẽtiæ, vt admittunt aduerſarij: ergo ſimiliter non tollet quominùs poſſint dari duo actus contrarij, qui minùs pugnant inter ſe. Probatur deinde eadem minor, quia naturaliter dari poſſunt diuerſæ mutationes in eodem corpore poſito in diuerſis locis, vt concedit Soar. citatus, de alteratione, & augmentatione, quæ ſunt actiones vitales: ergo ſimiliter naturaliter dari poterunt diuerſi actus vitales ſcientiæ, & opinionis.

17 Probatur tertiò eadem minor, quia poſſum exercere actum vitalem videndi vnũ obiectum Romæ, quin illud videam Conimbricæ, quia videlicet poſſum habere obiectũ Romæ ante oculos, non verò Conimbricæ (alioquì videbit oculus obiectũ abſens, quod impli-

implicat; quia oculus non cognoſcit abſtractiuè) ergo ſimiliter, ſi adſit medium ſcientificum Romæ, & medium opinatiuum Conimbricæ, Romæ poterit naturaliter ſcire, & Conimbricæ opinari: neque oberit ſympathia eiuſdem potentiæ, ſicut non obeſt ad actus vitales videndi, & non videndi, vel vidēdi album, & ſimul videndi nigrum.

Reijcitur contraria ſententia. Soarius. Patres Conimbr. Arriaga.

18 Obijcis pro contraria ſententia, quā ſequuntur Soar. tom. 3. in 3. p. ad q. 75. diſp. 48. ſect. 6. §. *Atque hinc*; Conimbr. in Log. de Poſteriori reſolutione. cap. 26. q. 2. art. 3. §. *Ad tertium*. Arriaga in Phyſica diſp. 14. ſect. 9. §. *Tertia concluſio*, qui hoc, nec diuinitus, fieri poſſe contendit. Intellectus in vno loco non poteſt ſimul ſcire, & opinari: ergo neque in duobus. Probatur conſequentia, quia non augetur eius virtus. Reſpondeo negando cōſequentiam; ad probationem dicendum eſt, augeri eius virtutem, ſaltem extenſiuè: exemplum ſit, nam oculus Romæ videre poteſt ſaltem ad quatuordecim leucas, & non ampliùs: at veró Conimbricæ ex eo quòd iam ſit in alio loco, poteſt videre, ſeu viſionem extendere ad quatuordecim leucas diuerſas ab illis, quas videt Romæ: ergo ſicut hîc augetur vis potentiæ extenſiuè, ita in intellectu &c.

19 Obijcis ſecundò. Si fingeremus vnū hominem tantæ magnitudinis, vt pars illa corporis, in qua eſt phantaſia, eſſet Romæ, & pars illa corporis, in qua eſt appetitus, eſſet Olyſſipone, adhuc appetitus appeteret Olyſſipone id, quod phantaſia proponeret Romæ: ergo à fortiori id, quod Socrates cognoſcit Romæ ſcientificè, neceſſariò cognoſceret Olyſſipone ſcienter, propter maiorem ſympathiam, quæ datur inter idem, & ſe ipſum, quàm inter phantaſiam, & appetitum. Reſpondeo, cognitionem phantaſiæ Conimbricæ, vel Romæ mouere talem appetitū illius vaſtiſſimi corporis Olyſſipone, propter ſympathiam inter potentias eiuſdem corporis; verúm ſi eadem phantaſia, quæ eſt Romæ, repræſentet Socrati obiectum Romæ repudiabile, non poterit non appetitus illud Romæ repudiare, licet ab alio phantaſmate proponatur Conimbricæ, vel Olyſſipone, vt amabile: neque dabitur vnquàm maior ratio, quarè potiùs appetitus debeat excitari à phantaſmate diſtante, & non potiùs á phantaſmate coniuncto Romæ: quapropter, cùm intellectus poſſit habere medium ſcientificum Conimbricæ, & medium opinatiuum Romæ, naturaliter ſcire poterit Conimbricæ, & Romæ opinari.

20 Neque obſtat quòd actus amoris, & odij, ſcientiæ, & opinionis opponantur poſitiuè; nam imprimis poteſt Deus augere virtutem ſubiecti, ad habendum duo contraria, quæ poſitiuè pugnant, vt concedunt aduerſarij, ergo, ſaltem diuinitus, hoc fieri poterit, quod negat Arriaga ſupra. Deinde cùm virtus illius ſubiecti extenſiuè ſit maior, ratione loci, poterit naturaliter habere tales actus, quia ſolúm ratione eiuſdem loci ſunt contrarij; ergo, dato priori miraculo, quòd diuinitus ſit intellectus in duobus locis, naturaliter ſequitur illa maior virtus extenſiuè.

SECTIO V.

Vtrúm detur Vacuum in rerum natura, & vtrùm in eo daretur motus in inſtanti?

1 PRima concluſio. Nullum vacuum naturæ viribus dari poteſt. Ita communis ſententia, vt videre eſt apud Conimbr. lib. 4. Phyſ. cap. 9. q. 1. ar. 2. qui hoc, vt ait Hurtad. in Phyſ. diſp. 14. ſec. 6. §. 58. peracuté, & eleganter oſtendunt. Probatur, quia quemadmodùm, vt corpus alicuius viuentis conſeruetur, vna pars non debet eſſe ab alia ſeparata; ita, vt totus mundus cōſeruetur, qui eſt quoddam veluti corpus, requiritur, vt partes ſint inter ſe vnitæ, atque adeò, vt nulla ſit vacua, vel ſéparata à toto: vnde eſt, quòd ſicut brachium ſe exponit periculo, ne caput, quod eſt præcipuum in animali, periclitetur, ita natura multis modis intentat ne detur vacuum, propter bonum cōmune; eſſet enim maxima deformitas naturalis, & quæ impediret naturalem rerum conſeruationem; quapropter quando vnum corpus loco mouetur, immediatè ſuccedit aliud, vt docet experientia, ad occupandum locum à priori deſertum, & ideó aer circumquaque diffuſus eſt, vt omnium corporum latebras, receſſus, atque meatus, inſinuando ſe, compleat.

Reſolutio eſt negatiua. Patres Conimbr. Hurtad.

2 Aduertendum eſt primó, non ſumi à nobis Vacuum negatiuè, prout ſignificat ſpatium imaginarium (ſi quod eſt extra cælum) ſed ſumimus Vacuum priuatiuè, pro interuallo illo, quod occupatur corpore aliquo, ſi forté non occuparetur; & ſecundùm hanc acceptionem, definitur Vacuum, *Locus ſublunaris non repletus corpore, ſed aptus repleri*; vnde ſpatium imaginarium, ſi datur extra cælum, propriè non eſt Vacuum, ſiquidem naturaliter repleri non poteſt corpore aliquo.

3 Aduertendum ſecundò, varijs modis occurrere naturam ad impediendum vacuū, aliquando negatiuè, vt cùm vnum corpus nequit

Quot modis natura occurrat vacuo.

Digitized by Google

nequit ab alio ſeparari; hinc eſt quòd follium latera, ſi conſtricta ſint, & bene obturato orificio, nulla vi deduci queant, donec aer interiectum ſpatium ſubeat occupare: aliquando reſiſtit natura poſitiuè, vt quando vnum corpus occurrit occupaturum locum ab alio relictum, inde eſt quód, ſi daretur vacuum in aere, concurreret, & aſcenderet terra ipſa, vt vacuum impediret. Qui effectus à nulla alia virtute procedũt, quàm à naturali inclinatione cuiuslibet corporis in bonum, & conſeruationem totius vniuerſi. Atque ex dictis facilé ſolui poſſunt argumenta, quæ afferunt, & diluunt Conimbr. 4. Phyſ. cap. 9. q. 1. nam vas illud aquæ plenum, ſi obturetur, & congeletur aqua, neceſſarió frangendum eſt, quamuis ſit fortiſſimum.

4 *Secunda concluſio.* Sola virtute diuina dari poteſt vacuum: ita communis ſententia. Probatur, quia poteſt Deus totum elemẽtum ignis in nihilum redigere, & denegare concurſum alijs corporibus, quæ occurrerent ad reſiſtendum vacuo. Probo deinde, ſola diuina virtute abſoluta hoc præſtari poſſe, quia cùm vacuum ſit contra ordinem vniuerſi, illum ſolùm naturæ Auctor poteſt inuertere.

5 Obijcis primó. Vacuum eſt contra ordinem vniuerſi: ſed Deus non poteſt facere aliquam inordinationem: ergo neque vacuũ. Reſpondeo ad maiorem, cum diſtinctione: eſt contra ordinem vniuerſi, ſi res ſecundùm ſe ſpectentur, concedo maiorem: ſi res conſiderentur per ordinem ad diuinam omnipotentiam, & obedientiam, nego maiorem: nam id, quod eſt contra ordinem vniuerſi, poteſt eſſe ſecundùm ordinem diuinum.

6 Obijcis ſecundò. Vis Angelorum eſt maior, quàm ſit illa, quam habent latera follium: ergo Angeli poterunt ea aperire, & vacuum admittere. Reſpondeo, negando antecedens, quia hæc vis ad impediendum vacuũ eſt totius naturæ: ac proinde veluti infinita ſyncathegorematicè.

7 Inſtas. Licet inducatur vacuum inter follium latera, non ideó ordo vniuerſi cõfunderetur: ergo bene poterunt Angeli hoc præſtare, & conſequenter friuolum eſt confugere ad vniuerſi conſeruationem. Reſpondeo ad antecedens, cũ diſtinctione, ex tali vacuo præciſé non cõfunderetur ordo vniuerſi, cõcedo antecedens: non confunderetur conſequenter, nego antecedens, quia ſi ſemel alicubi detur aliquod vacuum, licet perexiguum, eâdẽ ratione poterit dari alibi aliud maius, & ſic vbique &c.

8 *Tertia concluſio.* Si diuina virtute daretur vacuum, poſſent in illo moueri corpora, non quidem in inſtanti, ſed in tempore. Ita communis ſententia, quam ſequuntur D. Thom. in 4. diſt. 44. q. 2. ar. 3. Scot. in 2 q. 9. Tol. hic cap. 9. q. 9. Conimbr. 4. Phyſ. cap. 9. q. 4 & 5. Hurtad. in Phyſ. diſp. 14. ſect. 6. n. 60. Barth. Amic. in Phyſ. tract. 21. q. 4. dub. 1. ar. 2. nu. 5. fol. 696. Probatur prima pars concluſionis, quod ſcilicet poſſint corpora naturaliter moueri in vacuo, nam lapis, ſi eſſet è regione ignis, naturaliter poſſet deſcendere ſua grauitate depreſſus, quamuis in medio nullum haberet corpus; immò faciliori negotio tranſiret: neque ad motum neceſſarió requiritur locus externus, ideſt ſuperficies ambiens in mobili ſed ſufficit locus, ſeu Vbi internum. D. Thom. Scot. Tolet. Patres Conimb. Hurtad. Barth. Amicus.

9 Probatur ſecunda pars, quòd ſcilicet non moueretur in inſtanti, ſed in aliquo tempore, quamuis breuiſſimo, quia ſucceſſio eſt de eſſentia motus, non ſolùm propter impedimentum medij, ſed etiam propter diſtantiam terminorum, inter quos datur motus: ſed hæc diſtantia manet in ſpatio vacuo: ergo, ne dicamus eandem rem ſimul poſſe reſpondere duobus terminis ad quem, & à quo, & eſſe illis æqualem, dicendum neceſſarió eſt, quòd talis motus non poſſit fieri in inſtanti; ſucceſſio enim motus non ſolùm prouenit ex reſiſtentia medij, ſed etiam ex diſtantia terminorum.

10 Ideò verò illuminatio, & viſio fiunt in inſtanti, quia, præterquamquód non habeant contrarium, non fiunt per motum, & ſucceſſionem, ſed obiectum mittit ſui ſpeciẽ in inſtanti, & lux totam ſuam ſphæram ſimiliter ſine ſucceſſione in inſtanti extendit. P. Pereir. in ſua Philoſ. lib. 10. de Loco, cap. 12. oſtendit, propterea non poſſe fieri motum in vacuo, quia deberet fieri in inſtanti, propter defectum impedimenti: ſed implicat dari motum in inſtanti, ergo ſecundùm opinionem Pereir. non poteſt fieri motus in vacuo, quod non approbo. Hæc de Loco pleno, & Vacuo, nec nobis tantùm eſt loci, vt de Loco pleno, & Vacuo vacet ampliùs diſputare. Pereira.

(?)

Bb DIS-

P. Balthazar Tellez in Philoſophia

Digitized by Google

DISPVTATIO XXXIII.

De Tempore.

MOTVS neceſſarió fit in tempore, & ideò de Tempore modò, cum Philoſopho, diſputandum eſt, ſed quia Tempus eſt duratio quædam, aduertendum imprimìs eſt, multas dari durationes, prima, & præcipua eſt æternitas, quæ eſt propria Dei; ſequitur deinde æuum, quod rebus incorruptibilibus attribuitur: datur præterea æternitas participata, quæ eſt propria Beatorum. Tempus prætereà aliud eſt continuum, & ſucceſſiuum, & eſt propria duratio motus; ac tandem Tempus aliud eſt diſcretum, quod componitur ex multis operationibus momentaneis agentium ſpiritualium: nobis agendum eſt de tempore, prout eſſentialiter eſt quid ſucceſſiuum, menſurans motum, ſecundùm quam acceptionem meritò dicitur tempus edax rerum, volubile, irreuocabile, & irreparabile; ſané veró dum hæc ſcribimus de tempore,

Virg. Georg. 3. *Et fugit intereà, fugit irreparabile tempus.*

SECTIO I.

Quomodo definiatur Tempus, & Vtrùm ſit ens reale?

Propoſitio definitio tēporis. Ariſtot. 1 PRima concluſio. Tempus definitur ab Ariſtotele, *Numerus motus ſecundùm priùs, & poſteriùs*: vt hæc definitio intelligatur, ſciendum eſt, tria in tempore reperiri. Primum eſt, quód ſit duratio quædam ſucceſſiua motus. Secundum habet tempus tanquàm propriam paſſionem, quód poſſit menſurare motum (in quātùm, ſcilicet, intellectus vti poteſt quibuſdam partibus tēporis, v. g. horis, minutis, &c. vt poſſit motum menſurare.) Tertium habet tempus tanquàm accidens, quòd, ſcilicet, actualiter menſuret ipſum motum.

2 Aliqui igitur Philoſophi, cum Auerr. aſſerunt definitum fuiſſe tempus ab Ariſtotele, prout eſt numerus actiuus, & actualis mēſura motus, ita vt ſit menſura imprimìs primi mobilis, & deinde reliquorum motuum ſecundùm priùs, & poſteriùs, hoc eſt, ſecundùm partes motus, quæ ſimul non exiſtunt, ſed ſucceſſiuè procedunt.

3 Magis tamen placent Tol. 4. Phyſ. q. 12 Pereir. lib. 12 c. 2. Rub. 4. Phyſ. tract. priori de Tempore, q. 2. n. 33. qui duce D. Tho. opuſc. de Tempore cap. 2, aſſerunt Ariſtotelem non definiſſe tempus, prout eſt numerus actiuus, aut mēſura actualis partium motus, quia hoc pacto motus non eſt omnino quid reale, ſiquidem dependet ab operatione intellectus actualiter numerantis partes motus. Deinde quia tempus eſt quid abſolutum, menſura veró actiua eſt quid relatiuum: vnde meritò exiſtimant, Ariſtotelem definire eſſentiam temporis, quæ conſiſtit in menſura paſſiua, hoc eſt, in diſcretione, ſeu multitudine partium numeratarum motus, nam in his conſiſtit eſſentia durationis, & temporis, actualis enim menſura per accidens eſt: at veró extenſio intrinſeca partium, quæ numerari poſſunt, eſt de eſſentia durationis, & temporis. Neque obſtat definitio, in qua tempus dicitur numerus motus, non veró numerus numeratus; nam numerus etiam ſignificat rem numeratam, dicimus enim Ioannem v. g. commedere duos panes, hoc eſt, panes numeratos. Toletus. Pereira. Rubius. D. Thom.

4 *Secunda concluſio.* Tempus ita eſt quid reale, vt nullo modo pendeat ab intellectu, etiam prout menſura eſt actionum, & partitur à nobis in ſæcula, in annum, menſem, &c. Ita cum D. Thom. Pereir. lib. 12. cap. 1. Tol. ſup. q. 15. & alij, cum Barthol. Amic. tract. 21. q. 1. dub. 1. fol. 834. Probatur breuiter, quia duratio nihil eſt aliud, quàm permanentia rerum in ſua exiſtentia: ſed res, quæ exiſtit realiter perſeuerat: ergo realiter durat: ſed duratio motus eſt tempus: ergo cùm motus duret realiter, verè datur in rerum natura tempus reale, quod non ſolùm eſt tempus primi mobilis, ſed aliud etiam antiquius, vniuerſalius, & æquabilius, quod, quamuis imaginarium dicatur, non eſt quid rationis, ſed verè, & realiter datur. Vnde ſi hoc tempus primi mobilis modò ſiſteret, adhuc diceretur res durare in ſua exiſtentia; dicitur ergo imaginarium, quia concipimus in eo dimēſiones reſpondentes noſtro tempori, ſcilicet, ſucceſſionem, continuitatem, &c. D. Thom. Pereira. Toletus. Barth. Amicus.

5 Vnde non approbamus ſententiam Conimbr. 4. Phyſ. cap. 4. q. 1, art. 2. §. *Porro*, vbi ... aſſerunt Patres Conimbr.

aſſerunt accipere tempus ab anima comple-mentum illud menſurante, ſecundùm priùs, & poſteriùs, illudque diuidente in annum, menſem &c. quos ſequitur idem Amic. ſuprà fol. 833. Non, inquam, approbamus, quia tempus etiam vt menſura eſt, ſeu numerus, numerans motum, ſecundùm priùs, & poſteriùs, eſt aliquid reale, non quidem quà menſura eſt actualis, ſic enim pendet ab intellectu, ſed prout quædam aptitudo eſt, quæ dicitur menſurabilitas, ſeu numerabilitas, quæ eſt realis quædam paſſio, ſecundùm quam tempus aptum eſt vt ſit actualis menſura motus, & ſecundùm hanc realem paſſionem explicari debet tempus; cùm enim ſit quædam ſpecies quantitatis, eius extenſio non eſt ponenda in aliquo actuali, ſed in aptitudinali, quia menſura actualis per accidens eſt, & rationis, aptitudinalis verò propria eſt, & realis.

6 Obijcis. Tempus nihil habet reale exiſtens, & præſens: ergo nihil eſt reale. Probatur antecedens, Quia tempus conſtat præterito, atque futuro: ſed præteritum iam non eſt; futurum adhuc non exiſtit; præſens nihil habet, niſi inſtans, quod eſt quoddam indiuiſibile: ergo tempus non eſt quid ſucceſſiuum reale. Reſpondeo negando antecedens, quia, licet tempus non ſit quid realiter permanens, eſt quid reale ſucceſſiuum: habet igitur tempus realem ſucceſſionem, quæ non minùs realis eſt, quàm permanentia quæuis realis, atque adeò præſens eſt, vel per inſtantia, vel etiam per ſuas partes, quæ ſunt in continuo fluxu, iuxta diuerſas opiniones, de quibus ago diſp. 35. de Indiuiſibilibus.

SECTIO II.

De comparatione temporis cum Motu.

Tēpus virtualiter diſtinguitur à motu.

1 PRima concluſio. Tempus reale (non enim ſermo eſt de imaginario, quia hoc nihil eſt reale, & diſtinguitur à motu, tanquàm non ens ab ente) virtualiter tātùm diſtinguitur ab exiſtentia motus, & conſequenter ſolùm virtualiter diſtinguitur ab ipſo motu. Ita Soar. in Met. tom. 2. diſp. 50 ſect. 1. num. 5. vbi aſſerit, durationem, quæ eſt idem cum tempore, ſolùm virtualiter diſtingui ab exiſtentia, pro qua ſententia citat Ocham. Gabr. Scot. Capre. Soncin. idem probat Soar. diſp. 9. ſect. 1. Vaſq. 1. p. tom. 1. ad quæſt. 10. diſp. 33. cap. 3. num. 18. Pereir. lib. 12. cap. 1. §. *Sed hæc ſententia*, & cap. 5.

Soarius. Ocham. Gabriel. Scot. Capreol. Soncin. Vaſquez. Pereira.

§. *Tertia propoſitio.* Probatur, quia ex eò diſtinguerentur pluſquàm virtualiter, quia exiſtentia dicit ſolùm rem extra ſuas cauſas, duratio dicit permanentiam rei in ſua exiſtentia, tempus autem dicit ſucceſſionem; ſed inter has formalitates ſufficit diſtinctio virtualis: ergo &c. Probatur minor: quia etiam productio, & conſeruatio rei, actio, & paſſio dicunt diuerſas formalitates, & ſolùm virtualiter diſtinguuntur: ergo &c.

2 Vt hæc concluſio meliùs intelligatur, recolendum eſt in vno, eodemque motu, præter actionem, & paſſionem, & præter formam fluentem, dari exiſtentiam rei, quæ mouetur, permanentiam rei in ſua exiſtentia, quæ eſt duratio, efficitque prædicamentum durationis; dari præterea motum ipſum, qui eſt fluxus ille continuus formæ; reperirique tandem tempus, ſeu ſpatium illud ſucceſſiuum quo motus durauit. Actio igitur, & paſſio diſtinguuntur inter ſe virtualiter, ab agente realiter, & à forma fluente modaliter. Duratio, & tempus ſolùm virtualiter diſtinguuntur, quia idem motus, prout permanet in ſua exiſtentia, eſt duratio, prout continuatur, ſecundùm priùs, & poſteriùs, eſt tempus, reduciturque ad prædicamentum quantitatis.

3 Nobis igitur ſermo eſt in concluſione de diſtinctione temporis à motu, ſeu de diſtinctione temporis ab exiſtentia motus, nec loquimur de tempore aliquo externo, v. g. de tempore primi mobilis; nam, cùm hoc ſit externum, realiter diſtinguitur à tempore interno, de quo agimus: neque etiam loquimur de tempore imaginario, quod eſt complementum temporis realis, ſicut ſpatium imaginarium eſt complementum loci, ſeu ſpatij realis: loquimur igitur de tempore interno cuiuſque rei, per quod res propriè dicitur durare, nam per durationem externam non durat res, ſed dignoſcitur eius duratio.

4 Confirmatur ergo concluſio, quia nunquàm duratio, ſiue tempus ſeparari poteſt à motu, nec motus à tempore: ergo neque modaliter diſtinguuntur: & declaratur, quia ex vi ſolius exiſtentiæ cuiuſcumque rei, vel cuiuſque motus, intelligitur res durare: ergo duratio non eſt aliquid diſtinctum ex natura rei ab exiſtentia motus: cùm enim motus dari non poſſit ſine aliqua mora, & tempus nihil aliud ſit, quàm mora motus, bene ſequitur non diſtingui ex natura rei. Quòd verò virtualiter diſtinguantur, patet ex diuerſis definitionibus, nam Motus definitur, *Actus entis in potentia, &c.* at verò Tempus definitur,

Probatur, & declaratur concluſio.

Digitized by Google

tur, *numerus motus &c.*

Reijcitur contraria ſententia. Patres Conimbr. Rubius. 5 Obijcis pro contraria ſententia, quæ probabilis eſt, & docet, tempus à motu diſtingui ex natura rei, quam ſequuntur Conimbricenſ. 4. Phyſ. cap. 14. quæſt. 2. ar. 1. & 2. Rub. ibidem tract. priori de Tempore, quæſt. 4. §. *Secunda opinio* Obijcis, inquam, primò, & principaliter: aliquando motus eſt velox, non ſic autem tempus: ergo diſtinguuntur ſaltem modaliter. Declaratur antecedens: Si duo motus fiant per vnum ſpatium temporis, poteſt vnus eſſe velocior alio: & tamen tempus, ſeu duratio eſt eadem, nam ſpatio vnius horæ poteſt vnus homo moueri, & diſcurrere per vnam leucam, & alter per dimidiam: ergo cùm à parte rei motus ſit velocior tempore, à parte rei diſtinguitur à tempore.

Soarius. 6 Hoc argumentum difficile eſt in hac materia, illudque proponit, & ſoluit Soar. in Metaph. diſp. 50. ſect. 9. à num. 3. vſque ad num. 9. Faciliùs tamen, & breuiùs reſponderi poteſt, motum habere eandem velocitatem, vel tarditatem, ac tempus: licet ſecundùm tempus extrinſecum primi mobilis, habeat maiorem, vel minorem extenſionem: ſunt igitur in quolibet motu tot partes durationis intrinſecæ, quot ſunt partes motus, licet tempus extrinſecum primi mobilis, ſit breuius, aut extenſius.

7 Obijcis ſecundò. Vbicatio, per quam res reſpondet ſpatio imaginario eſt modus diſtinctus ſaltē modaliter: ergo ſimiliter duratio, per quam res reſpondet tempori imaginario, erit diſtincta modaliter. Reſpondeo negando conſequentiam. Diuerſa ratio eſt, quia ad Vbi datur actio, nempe latio: at verò ad durationem nulla datur actio, quia actio ſolùm datur ad exiſtentiam rei, non verò ad durationem, quà talem.

Deus poteſt reproducere idē tempus. 8 Obijcis tertiò. Deus poteſt reproducere eundem motum: & tamen non poteſt reproducere idem tempus (quia tempus, quod ſemel fuit, non poteſt non fuiſſe) ergo diſtinguuntur ſaltem modaliter. Reſpondeo poſſe Deum reproducere eundem motum numero, cum eodem tempore: neque obſtat illud principium, *Ad præteritum non datur actio*, licet enim Deus reproducat tempus præteritum, non faciet, vt quod fuit, non fuerit, ſed faciet, vt id, quod ſemel fuit, iterum ſit, quod non eſt contra commune illud effatum: cùm igitur motus, & tempus ſint quid reale, iterum poterunt reproduci.

9 Obijcis quartò. Duratio eſt menſura motus: ſed menſura diſtinguitur à re menſurata: ergo &c. Reſpondeo primò diſtinguēdo maiorem, duratio extrinſeca, ſeu tēpus primi mobilis eſt menſura, concedo maiorem: duratio intrinſeca, ſeu tempus intrinſecū, quod eſt permanentia rei in ſua exiſtentia, eſt menſura, nego maiorē: vnde nihil colligit argumētum. Reſpondeo ſecundò. Non omnem mēſuram debere realiter diſtingui, niſi ſit menſura extrinſeca, & propria.

10 Obijcis quintò. Diuina duratio, ſeu æternitas diſtinguitur à Deo, ſolùm virtualiter: ergo duratio creata diſtinguetur pluſquàm virtualiter. Probatur conſequentiā, quia, cùm nulla detur diſtinctio in diuinis à parte rei, deſumenda eſt diſtinctio rationis, per ordinem ad diſtinctionem rerum creatarum: cùm ergo in Deo demus diſtinctionem virtualem inter durationem, & exiſtentiam, debet dari aliquod fundamentum reale in creaturis, vnde ſumatur talis diſtinctio in diuinis, quod fundamentum eſſe non poteſt, niſi detur diſtinctio ſaltem modalis, inter exiſtentiam rei creatæ, & inter durationē eius. Reſpōdeo, opus non eſſe, ad hoc, vt omnia attributa diſtinguantur virtualiter, quòd habeant fundamentum in rebus creatis, ſatis enim eſt, quòd hoc cernatur in aliquibus; hinc eſt, quód exiſtentia diuina non diſtinguatur ab eſſentia, quamuis creatæ exiſtentiæ non diſtinguantur, niſi tantùm virtualiter ab eſſentia creata.

11 Obijcis ſextò. Duratio eſt accidens, ſiquidem res creata non durat per ſuam eſſentiam; ſed accidens reale non eſt eadem entitas cum ſubſtantia: ergo diſtinguitur ante operationem intellectus. Confirmatur, quia res permanens habet durationem in inſtanti; & tamen non habet motum in inſtanti: ergo duratio, ſeu tempus diſtinguitur à motu. Reſpondeo ad argumentum, durationem eſſe quidem accidens reale, & tamen virtualiter tantùm diſtingui, ſicut relatio eſt accidens reale, & tamen, in bona opinione, virtualiter tantùm diſtinguitur à fundamento. Ad confirmationem reſpondeo primò ex mente Soar. in Metaph. diſp. 50. ſect. 2. num. 9. Soarius. rem permanentem non dici propriè durare in inſtanti, vnde ſicut ad durationem requiritur tempus, ita requiritur motus, ſeu quaſi motus, hoc eſt, ſucceſſio. Reſpondeò ſecundò, motum ſolùm virtualiter diſtingui à re mobili, & cum ea fieri debere comparationem, ſicut actio ſimpliciter dicitur ſolùm virtualiter diſtingui à paſſione, quamuis aliquando non ſit illatiua paſſionis, quia ſolùm ſit comparatio cum actione, quæ infert paſſionem; quæ ſolutio ampliùs patebit ex ſequenti concluſione.

Secun

Quo pacto motus cõparetur cũ tẽpore.

12 *Secunda concluſio.* Motus per ſe primò eſt in tempore. Hæc concluſio eſt Ariſtotelica lib. 4. Phyſ. cap. 12. tex. 114. per eundem enim Philoſophum, *eſſe in tempore*, idem eſt, atque menſurari tempore: ſed ſolus motus per ſe primó menſuratur à tempore, quia tempus eſt numerus motus ſecundùm priùs, & poſteriùs, & ſolus motus habet veram ſucceſſionem: ergo ſolus motus per ſe primò eſt in tempore; & conſequenter omnia mobilia dicuntur eſſe in tempore ratione motus; ſola verò alteratio, latio, & augmentatio propriè dicuntur eſſe in tempore. Immobilia veró, qualia ſunt Deus, & Angeli, non dicuntur propriè eſſe in tempore, ſiquidem non menſurantur per motum, & ideó non habent priùs, & poſteriùs: & idem dicendùm eſt de rerum eſſentijs: hinc eſt quód duratio Dei non dicatur tempus, ſed æternitas, & ſimiliter duratio rerum incorruptibilium non appellatur tempus, ſed æuum.

Vtrũ ſubſtantiæ dicantur eſſe in tẽpore?

13 Difficultas tamen eſt, vtrùm res corruptibiles, quæ motui ſubijciuntur, ſecundùm aliquas ſui partes, & tamen componuntur ſubſtantia, vel eſſentia, quæ motui non ſubijcitur, ſiquidem eſt tota ſimul, vtrùm, ſcilicet, tales res dicantur ſimpliciter eſſe in tempore? Tolet. lib. 4. cap. 12. quæſt. 14 ad 1. Fonſec. 5. Metaph. cap. 15. quæſt. 11. ſect. 3. & 4. affirmant tales res dici poſſe per accidens ſubijci tempori, & motui, quia licet eſſentia Socratis ſit tota ſimul, nihilominùs tamen ſecundùm diuerſa tempora dicitur Socrates fieri ſenex, aut eſſe prior; & pro hac ſententia citat ad marginem D. Thom. Scot. & alios. Idem ſupponit Salas tom. 1. in 1. 2. quæſt. 18. ar. 1. vſque ad 7. tract. 7. diſp. 2. ſect. 15. num. 122. §. *Sed credo*, vbi ſupponit omnem durationem creaturæ eſſe ſucceſſiuam, & promittit laté, de hoc ſe acturum 1. part. q. 10.

Tolet. Fonſeca. D. Thom. Scot. Salas.

14 Alij verò negant cum Soario in Met. diſp. 50. ſect. 7. Conimbr. 4. Phyſ. cap. 12. q. 3. ar. 1. §. *Quòd attinet.* Rub. 4. Phyſ. tract. priori de Tempore q. 4. n. 62. quia tales res, licet ſint corruptibiles per accidens, & licet per accidens ſubijciantur motui, habent tamen totum ſuùm eſſe ſimul, tempus veró ab intrinſeco, & per ſe ſucceſſiuum eſt: ergo non poteſt eſſe menſura harum rerùm, quia menſura debet eſſe accommodata menſurato: quapropter duratio harum eſſentiarum non eſt propriè vocanda tempus, cùm per ſe non ſubiaceat tempori. Deinde non eſt vocanda æuum, quia æuum non ſubijcitur varietatibus, quas patiuntur ſubſtantiæ corruptibiles quoad exiſtentiam: dicitur ergo hæc duratio, modus æui, ſicut aliqua accidentia ſupernaturalia dicuntur durare, & menſurari per modum æternitatis: & hæc ſententia probabilior videtur.

Soarius. Patres Conimbr. Rubius.

15 Reſtabat agere de æternitate, cuius tractationem remittimus in 5. lib. Met. diſp. 65. hîc enim tantùm egimus de Duratione têporaria; atque vtinam ſic tranſeamus per temporalia, vt non amittamus æterna. At nos de ſpatio, ac tempore,

——— *Immenſum ſpatijs confecimus æquor,*
Et iam tempus equum ſpumantia ſoluere colla.

Virgil. Georg. 2.

LIBER V.

ITERVM DE MOTV.

DISPVTATIO XXXIV.

De Speciebus, Vnitate, & contrarietate Motus.

PHiloſophorum princeps Ariſtoteles nullum non mouet lapidẽ, vt motus naturam nobis enucleatè explanet. Poſtquàm igitur libro tertio eius definitionẽ inculcauit, mox de Vnitate, & diuerſitate motuum erat acturus, hanc tamen tractationem libro quarto interrupit. quia neceſſarió explicandum erat, quid locus eſſet, ac tempus, in quibus motus ſucceſſio exercetur: ergo iterũ eandẽ incudem tundit, & inchoatũ opus libro tertio proſequitur in hoc libro quinto, in

in cuius primo, & ſecundo capite illud præci-
puè inquirit, ad quænam prædicamenta, ſeu
ad quos terminos tendat motus.

SECTIO I.

Ad tria tantùm prædicamenta termi-nari Motum, communis ſen-tentia docet.

1 *Conclusio ſit.* Motus ſolùm datur ad tria prædicamenta, nempe ad quantitatem, Qualitatem, & Vbi. Ita communis Interpretum ſententia, & videri poſſunt Patres Conimbr. 5. Phyſ. cap. 1. & 2. q. 1. ar. 3. §. *His ita.* P. Rub. lib. 5. Phyſ. cap. 1. & 2. q. vnica. Fonſ. 5. Met. cap. 13. q. 9 ſect. 4. à §. *Ad quartum.* Ioan. Gandauenſ. lib. 5. Phyſ. q. 3. Vt hæc conclusio probetur, aduertendum eſt, motum hic accipi propriiſſimè pro mutatione per ſe ſucceſſiua. Deinde aduertendum eſt, vt aliquid propriè terminet motum, tres requirere conditiones. Prima eſt, vt habeat contrarium: ſecunda eſt, vt ſit aliquid ſucceſſiuum: tertia eſt, vt in ſubiecto detur aliqua mutatio: quæ conditiones ex ipſa natura motus colliguntur: nam motus habet contrarium, quod vincit, & propterea ſucceſſiuus eſt; & per formam acquiſitam per motum datur aliqua mutatio in ſubiecto.

Patres Conimbr. Rubius. Fonſeca. Gandau.

2 Explicantur hæ conditiones in hoc exemplo. Calor eſt terminus motus, quia calor habet contrarium, nempe frigus, deinde ſucceſſiuè acquiritur, quia habet talem latitudinem gradualem, quæ non poteſt acquiri in inſtanti: ac tandem per receptionem caloris mutatur ſubiectum de non calido in calidum. Contrarietas verò non ſumitur rigoroſè pro contrarietate, quæ reperitur inter qualitates aliquas, ſed pro quacumque latitudine in extenſione rei, quæ eſt terminus motus, & non poteſt ſimul acquiri, ſed ſucceſſiuè perquirenda eſt.

Quo pacto terminetur motus ad quãtitatem?

3 His poſitis, probatur concluſio per partes. Illud poteſt per ſe terminare motum, quod habet contrarietatem alicuius latitudinis, quæ ſucceſſiuè percurrenda eſt: ſed ita ſe habet quantitas: ergo imprimis quantitas per ſe poteſt motum terminare. Probatur minor, quia quantitas non poteſt tota ſimul acquiri, ſed ſucceſſiuè (inter maiorem enim, vel minorem quantitatem datur contrarietas incõpoſſibilitatis, quòd ſcilicet non poſſit ſimul eſſe, & acquiri, ſiquidem quantitas per partes acquiritur, modò enim minor, modò maior eſt, ſecundùm conuerſionem, quæ fit in ſubſtantiam aliti) cùm igitur in nutritione, vel augmentatione acquiratur quantitas ſucceſſiua, & ſubiectum, per eius aduentum, verè mutetur, verè etiam datur motus ad quantitatẽ, qui dicitur augmentatio.

4 Ex hac probatione euidenter ſequitur, motum etiam terminari ad qualitatem, ſiquidem qualitas habet omnes conditiones requiſitas, habet enim contrarium, vt patet in prioribus quatuor qualitatibus; habet etiam latitudinem gradualem, quæ ſucceſſiuè acquiri debet, & per eius receptionem alteratur, ſiue mutatur ſubiectum. Aduertendum verò eſt, qualitatem eſſe terminum motus, non ſolùm ratione intenſionis gradualis, ſed etiam ratione extenſionis eiuſdem qualitatis corporeæ, quæ naturaliter acquiri nequit in inſtanti: calor enim v. g. ſucceſſiuè, & paulatim difunditur à manu in brachium &c. hanc verò extenſionem entitatiuam habet qualitas corporea, licet extenſionem repletiuam loci vendicet à quantitate.

5 Probatur tandem motum terminari ad Vbi, quia Vbi habet omnes conditiones, nam imprimis inter diuerſa Vbi dantur contraria aliquo modo, qualia ſunt ſurſum, & deorſum. Deinde per Vbi mutatur ſubiectum ratione loci; habet præterea Vbi latitudinem extenſionis per ſpatium verum, vel imaginarium, cui dicitur corpus eſſe præſens, vnde & præſentia ipſa, ſeu Vbi, eandem habet latitudinem ſucceſſiuè percurrendam. Loquimur verò de Vbi circuſcriptiuo, quia hoc eſt Vbi naturale corporum.

6 Obiicis primò, & efficaciter. Motus etiam terminatur ad ſubſtantiam corpoream; ergo motus non ſolùm terminatur ad tria prædicamenta. Probatur antecedens, quia ſubſtãtia corporea acquiritur per mutationem ſucceſſiuam, quæ fit ratione nutritionis, per quã compoſitum mutatur. Deinde in eàdem ſubſtantia corporea datur contrarietas incompoſſibilitatis, neque enim poteſt ſimul acquiri; quod ſic probatur, quia ſubſtantia corporea habet extenſionem entitatiuam: ſed hæc extenſio ſufficit in quantitate, & qualitate, vt poſſint terminare motum: ergo etiam ſufficiet in ſubſtantia corporea.

Proponitur præcipuũ argumentũ, & ſoluitur.

7 Hoc argumentum non caret difficultate, cui manus non damus, ne à communi ſententia recedamus. Reſpondeo igitur negando antecedens: & ad probationem dicendum eſt, ſubſtantiam ſolùm per accidens acquiri ſucceſſiuè: quamuis enim habeat extenſionem entitatiuam, quæ acquiritur per ſucceſſionem, nihilominùs tamen eius eſſentia conſiſtit in indiuiſibili; & propterea neque pro-

Digitized by Google

propriè, neque impropriè habet contraria; neque ad ſubſtantiam propriè datur accretio, & augmentatio, ſed ſolùm ratione quantitatis. Atque hinc eſt, quòd ſubſtantiæ corporeæ denudatæ quantitate non repugnet eſſe in pun-

Soarius. cto, ſine nouo miraculo, vt docet Soar. in Met. diſp. 40. ſect. 4. num. 20. cùm enim ſubſtantia conſiſtat in indiuiſibili, non illi repugnat conſeruari in puncto, quod tamen naturaliter repugnat quantitati, quia eſſentialiter eſt ens per ſe extenſum. Deinde etiam qualitas corporea, ratione ſui, habet extenſionem entitatiuam, nam qualitas non conſiſtit in indiuiſibili, ſicut ſubſtantia, & proptereà ad quantitatem, & qualitatem dari poteſt motus, non verò ad ſubſtantiam; quarè quando ſup. lib. 3. diſp. 30. ſect. 1. n. 4. numerauimus generationem ſubſtantialem inter ſpecies motus, non ita ſtrictè, & propriè loquebamur de motu, ſicut modò: & prætereà ibi diximus ſolúm ratione præcedentium alterationum dici poſſe, dari motum ad ſubſtantiam.

Cur non detur motus ad relationem?

8 Obijcis ſecundò. Ad relationem etiam datur motus: ergo &c. Reſpondeo negando antecedens, quia relatio per ſe, nec habet contrarietatem, nec latitudinem ad ſucceſſionem, vt conſtat. Ad prædicamentum Situs non datur propriè motus ſeparatus à motu, qui terminatur ad Vbi, non enim diſtinguuntur, niſi tantùm virtualiter. Ex quibus etiam patet ad reliqua prædicamenta non dari propriè motum, propter rationes ſuprà factas.

SECTIO II.

Vnde Motus ſumat ſuam ſpecificationem?

1 Prima concluſio. Motus non ſumit ſuã ſpecificationem ab agente, vel à paſſo. Probatur concluſio, quæ eſt omnino certa, quia eſt quædam via, ſiue fluxus à termino *à quo*, ad terminum *ad quem*; neque obſtat, quòd ab agente egrediatur, & quòd in paſſo recipiatur; habet enim ſe quemadmodùm actio, quæ non ſumit ſuam ſpecificationem ab agente, neque à paſſo, ſed omnino tendit in terminum, à quo ſumit ſpeciem, & cum quo identificatur.

2 *Secunda concluſio.* Motus ſumit ſuam ſpecificationem non à termino *à quo*, ſed à termino *ad quem*. Ita D. Thom. 2. contra gentes cap. 17. cum communi Philoſophorum, quam ſequuntur Conimbr. lib. 5. Phyſ. cap. 4. q. 1. ar. 2. Rhoden. 5. Phyſ. cap. 4. q. 1. nu. 26. Per. lib. 13. Phyſ. cap. 8. Probatur primò à poſteriori, motus enim, qui habent eundem terminum *ad quem*, ſunt eiuſdem ſpeciei, licet habeant diuerſos terminos *à quibus*: & è contra, motus qui habent terminos ad quos diuerſos ſpecie, ſunt etiam diuerſæ ſpeciei, licet terminus *à quo*, ſit vnus, & idem: ergo &c. Probatur aſſumptum quoad primam partem, quia dealbationes v. g. quæ ſunt motus ad albedinẽ, poſſunt habere diuerſos terminos *à quibus*, vt ſi vna incipiat à nigro, altera à pallido, & tamen dealbationes ſunt eiuſdem ſpeciei.

D.Thom. Patres Conimbr. Rubius. Pereira.

3 Probatur deinde aſſumptum, quoad aliam partem, nam dealbatio, & denigratio poſſunt procedere ab eodem termino *à quo*, vt ſi vnum corpus ex cæruleo fiat album, aliud verò ex eodem cæruleo mutetur in nigrum; in quo exemplo manifeſtè ſequitur, diſtinctionem motus non deſumi à termino *à quo*, ſed à termino *ad quem*. Aliud exemplum erit, ſi aer, & ignis ab eodem centro terræ ad ſua loca naturaliter moueantur; in quo caſu motus ſpecie differunt, non propter terminum *à quo*, qui eſt idem centrum, ſed propter terminos, *ad quos* tendunt.

Probatur quòd motus ſumat ſuã ſpecificationẽ à termino ad quem.

4 Probatur ſecundò eadem concluſio à priori. Quia ad eſſentiam motus peraccidẽs eſt, quòd ab hoc, vel ab illo termino procedatur, eſt enim motus diſceſſio, ſiue ſeparatio à termino *à quo*, & per ſe eſt tendentia in terminum *ad quem*, ſicut in actione communiter dicunt Philoſophi: ergo talis erit motus, qualis fuerit terminus *ad quem*. Habet igitur ſe terminus veluti forma extrinſeca tribuens ſpeciẽ motui, ſicut de actione dixi. Non negamus tamen motum habere intrinſecum ordinem ad utrumque terminum, ſicut actio ad agens, & ad terminum: aſſerimus tamen deſumere ſuam ſpecificationem ſolùm à termino ad quem.

5 Obijcis primò. Mutatio, & motus diſtinguuntur eſſentialiter; ſed non per terminum *ad quem*, quia poſſunt habere eundem: ergo per terminum *à quo*. Probatur conſequentia, quia mutatio diſtinguitur à motu, ex eo quòd proueniat à termino negatiuo, cùm tamen motus proueniat à termino poſitiuo. Reſpondeo primò, ſecundùm Patres Conimbric. citatos in ſecunda cõcluſione ar. ſuo 3. 5. *Nihilominùs*, motum, & mutationem non diſtingui eſſentialiter; quamuis enim mutatio ſit à termino negatiuo, & motus ſit à termino poſitiuo, cùm tamen habeant eundem terminum materialem, ſolùm accidentaliter diſtinguentur.

6 Reſpondeo ſecundò, diſtingui eſſentialiter, non quidem per terminos *à quibus*, ſed per terminos *ad quos*, ſub diuerſa tamen for-

 malita-

Digitized by Google

malitate, ſicut intellectus, & voluntas verſantur circa idem obiectum materiale, nempe circa ens, per actus tamen ſpecie diuerſos, quos diſtinguunt rationes formales veri, & boni. Licet ergo terminus ſit idem materialiter, cùm tamen ſub diuerſa formalitate attingatur à mutatione, quæ fit in inſtanti, & ſub diuerſa à motu, quia motus fit in tempore, propterea mutatio, & motus eſſentialiter diſtinguentur: ſed prior ſolutio facilior apparet.

7 Obijcis ſecundò. Motus naturalis, & violentus diſtinguuntur ſpecie; ſed non per terminum *ad quem*, ſiquidem poteſt eſſe idem terminus: ergo per terminum *à quo*. Declaratur minor, quia ſi terra moueatur ſurſum in regionem aeris, & in eundem locum moueatur aer, qui erat incluſus in terra, dabitur idē terminus *ad quem*; & tamen motus ſunt ſpecie diuerſi, quia vnus eſt naturalis, alter violentus. Reſpondeo, ex D. Thom. q. 6. de Potentia, ar. 8. & ex communi Philoſophorum, motum naturalem, & violentum, quando fit in eundem terminum, accidentaliter tantùm differre, quia videlicet terminus eſt idem: atque hinc eſt quód motus rectus, & circularis ab aliquibus non diſtinguatur ſpecie, ſiquidē poſſunt habere eundem terminum, vt ſi ad eundem locum, in quem mouetur corpus circulariter, tendat aliud corpus, per motum rectum. D. Thom.

8 Quia tamen hoc exemplum eſt expreſſè contra Ariſtotelem lib. 1. de Cælo cap. 3. propterea ibi modus alius quæretur diſtinguendi motum circularem à recto. Interim illud ſtatuimus, motum ſcilicet naturalem, & violentum non conſtituere duas ſpecies motus eſſentialiter diuerſas, ſed tantùm accidentaliter, & phyſicè inter ſe contrariari. Ariſtot.

9 *Tertia concl.* Motus ad qualitatē; id eſt, alteratio, & motus ad Vbi, id eſt, latio, ſunt ſpecies ſubalternæ: at verò motus ad quātitatē, id eſt, accretio, eſt ſpecies infima. Probatur prima pars, quia motus diſtinguuntur per terminos: ſed qualitates diſtinguūtur ſpecie: ergo & motus. Quod argumētū idē probat circa lationes, nā Vbi, ad quæ tendunt, ſpecie etiam diſtinguuntur. Diuerſa ratio eſt in motu, qui tendit ad quantitatem, quia quamuis hæc habeat ſub ſe lineam, ſuperficiem, & corpus; nihilominùs tamen non datur motus ad ſolam lineam, vel ad ſolam ſuperficiem, ſed ad quantitatem, prout conſtat ex linea, ſuperficie, & corpore, quæ prout ſic eſt vna ſpecies infima, & proptereà motus ad quantitatem eſt ſpecies infima: ex quibus probata manet ſecunda pars concluſionis. Motus ad qualitatē eſt genus: motus verò ad quātitatē eſt ſpecies, & quarè?

10 Aduertendum eſt accretionem, & decretionem in quantitate; intenſionem, & remiſſionem in qualitate, non diſtingui eſſentialiter, quia vtraque habet eundem terminū. nam quód ſit maior, aut minor quantitas, quód ſit intenſior, vel remiſſior qualitas, per accidens eſt. Iam verò decretio, vel remiſſio, quæ fit in fine motus, vſque ad non gradum, cùm non habeat terminum poſitiuum, non debet comparari cum motibus poſitiuis, de quibus eſt quæſtio, nam motus debet eſſe inter terminos poſitiuos, vt oſtendit Fonſ. in Met. lib. 5. cap. 13. q. 9. ſect. 1. §. *Deinde illud*, & ſect. 4. §. *Ad ſecundum*, docet non comprehendiſſe Philoſophum ſub ratione motus decretionem, & remiſſionem; vnde decretio vſque ad non quantitatem, & remiſſio vſque ad non gradum diſtinguuntur à vera accretione, & intenſione realiter negatiuè. Vtrùm verò colores medij ſpecie differant ab extremis, & conſequenter motus ad hos colores? Vide apud Pereir. in ſua Phil. lib. 13. cap. 8. à num. 5. Fonſeca. Pereira.

SECTIO III.

De Vnitate, & Vniuocatione Motus.

1 PRima concluſio. Ad vnitatem numericam motus tria requiruntur, & ſufficiunt, nempe vnitas mobilis, vnitas temporis, vnitas formæ, ſeu termini. Ita expreſſè Philoſophus, quem communiter ſequuntur interpretes in hoc lib. cap. 4. & videri poſſunt Albertus Saxon. q. 5. Conimbr. q. 5. Tol. ibid. tex. 45. q. 3. Rub. q. 1. Probatur concluſio quòad vnitatem mobilis, quia motus eſt accidens adhærens mobili: ſed vnū numero accidens non poteſt eſſe in pluribus ſubiectis adæquatis: ergo repugnat naturaliter, quód idem motus ſit in duobus ſubiectis, ſeu mobilibus. Ariſtot. Saxon. Patres Conimbr. Toletus. Rubius.

2 Circa vnitatem temporis probatur cōcluſio: quia ſi ſemel tempus interrumpatur, per ceſſationem motus, etiam ſi parùm quieſcat mobile, dum iterum moueri cœperit, iam hoc fiet per alium numero motum, quia præteritus totus tranſijt, ac proinde non poteſt iā continuari, quia indiuiſibilia, quibus copulabatur, omnino deſierunt. Circa vnitatem formæ, ſeu termini, idem probatur, quia cùm forma, ſeu terminus ſpecificet motum, ſi motus habuerit duplicem formam, non erit vnus, ſed duplex; vnde ſi lapis à concauo Lunæ ad centrum terræ dimittatur, licet acquirat plures ſuperficies, ſeu plures locos inter medios,

Digitized by Google

dios, cùm tamen Vbi, quod eſt proprius terminus motus, ſaltem ſucceſſiuè ſit idem, idem etiam erit motus.

3 Obijcis primò, Si canis viuus præcipitetur à turri, & moriatur in medio aeris, continuabit eundem motum: & tamen ſubiectū, ſiue mobile diuerſum eſt, cùm modò ſit viuus, modò cadauer: ergo motus indiuiduatio, non requirit omnino vnitatem mobilis. Reſpondeo primò, illos motus fore diſtinctos numero, propter diſtinctionem mobilium, non tamen diſcontinuari in medio per tempus, ſed per mutatum eſſe extrinſecum; & ratio eſt, quia, cùm corpus viuens deſinat per primum non eſſe, ita vt verum ſit dicere, nunc non eſt viuens, & immediatè ante fuit; & cùm cadauer incipiat per primum ſui eſſe, vt verum ſit dicere in eodem inſtanti, nunc eſt cadauer, & immediatè ante non fuit: euidenter ſequitur, non perueniſſe corpus viuum ad hoc inſtans temporis, quod eſt primum non eſſe viui, & primum eſſe mortui: ergo neque peruenit ad hoc Vbi, quod habet cadauer in eodem inſtanti, & à quo incipit moueri deorſum.

4 Reſpondetur ſecundò. Illum motum canis poſſe dici eundem, tam in cane viuo, quàm in cane mortuo, quia ſecundùm Philoſophos boni nominis, ſubiectum motus eſt ſola materia, quæ vtrobique eſt eadem. Et ſecundùm priorem ſolutionem dicendum eſt, arborem partim ſiccam, & partim viridem duplici motu numero à ventis agitari. Et ſimiliter dicendum illas partes virides, & ſiccas non eſſe continuas, ſed tantùm cōtiguas; quamuis hoc ſibi perſuadere non poſſit Tol. lib. 5. Phyſ. c. 4. q. 3 §. *ſed ego*, & propterea recurrit ad ſecūdam ſolutionem de motu canis, quam propoſuit, & ſequitur à §. *Multi tamen.* Sed hæc ſatis de motu canis è turri cadentis, qui nec mortuus ſuo nos lapſu perterrefecit, immò nec viuus timorem intulit latratu ſuo, quamuis *Toletus.*

Æternùm latrans exangues terreat vmbras. *Virgil. Æn. 6.*

5 Obijcis ſecundò. Motus qui fit à frigore in calorem eſt vnus; & tamen formæ, ſeu termini ſunt duo, nēpe deſitio frigoris, & acquiſitio caloris: ergo, ad vnitatem motus, non requiritur vnitas formæ. Reſpondeo negādo antecedens: talis enim motus eſt duplex realiter negatiuè, quia antequàm ſit motus ad calorem, datur alius ad corruptionem frigoris; ſicut generatio vnius eſt corruptio alterius præexiſtentis: motus verò ad corruptionem frigoris talis appellari poteſt, iuxta ea, quæ dixi ſuperiori ſect. n. 10.

6 Probabile etiam eſt, ad vnitatem indiuiduam motus, requiri, vt cauſa efficiens, ſiue motor ſit idem numero, quia cùm motus ſit eadem res cum actione, ſicut actio, ita & motus indiuiduabitur ab agente, & ita ſentiunt Patres Conimbr. lib. 5. Phyſ. cap. 4. q. 5. ar. 2. Sed quia Philoſophus nullam hìc mentionem fecit de motore, probabilius exiſtimo, tres cōditiones, ſuprà traditas, ſufficere ad vnitatem motus, quà motus eſt, & ſolùm per accidens indiuiduari à motore, quatenus motus eſt idē cum actione, quæ indiuiduatur à cauſa efficiente. *Patres Conimbr.*

7 *Secunda concluſio.* Motus ſecundùm ſe eſt vniuocus, quamuis ſit incompletus, id eſt, ſemper in fieri. Fauet huic concluſioni Soar. in Met. diſp. 49. ſect. 2. n. 19 nec diſſentit omnino Fonſ. Met. lib. 5. cap. 8. q 8. ſect. 3. §. *Secunda aſſertio*, quatenus aſſerit, motum, quà cōtinuus eſt, conſtituere ſpeciem quandam quantitatis; quamuis § *Prima aſſertio*, abſolutè doceat, omnes Auctores ſentire, motum, quà talis eſt, eſſe analogum: omnes tamen rationes horum Auctorum ſolùm probant, motum eſſe quid imperfectum, & incompletum, quod non negamus, ſed aſſerimus eſſe vniuocum, & nihilominùs ratione incompletionis ad nullum prædicamentum per ſe pertinere: ſicut materia eſt vniuoca, quamuis ſit incompleta. *Quo pacto motus ſit vniuocus.* *Soarius.* *Fonſeca.*

8 Probatur concluſio, quia licet motus tendat ad terminos analogicos, nempe ad quantitatem, qualitatem, & Vbi, quæ conueniunt analogicè, nihilominùs in ſe, & ratione ſui, poteſt eſſe vniuocus, ſicut actio eſt vniuoca, quamuis termini ſint analogici: neque obſtat imperfectio motus, nam eadem reperitur in paſſione, vt bene obſeruat Soar. ſuprà, & tamen paſſio vniuoca eſt.

9 Obijcis. Forma quæ fluit, partim eſt in fieri, & partim in facto eſſe, & tamen forma pertinet ad aliquod prædicamentum: ergo idem dicendum eſt de motu, quamuis ſit incompletus. Reſpondeo negando conſequentiam; maior ratio eſt, quia per accidens eſt formæ, quòd partim ſit in fieri, partim in facto eſſe, quapropter ingreditur prædicamentum ſecundùm ſe, & quà forma eſt, & idem cernitur in actione, & paſſione: at verò motus eſſentialiter eſt in fieri, & ideò ſēper eſt imperfectus. prædicamentum verò ſolùm admittit entia completa: vtrùm verò, quà continuus eſt, ponatur in prædicamento? dicam in Met. diſp. 60. ſect. 2. Sed iam nobis in motu quieſcendum eſt ne plus æquó extendatur,

Mobilitate ſua, vireſq; acquirat eundo.

(*)

LIBER.

LIBER VI.

DE CONTINVO.

DISPVTATIO XXXV.

De Indiuiſibilibus.

AGGREDIOR materiam de compoſitione Continui, *quam nullus Philoſophus non exhorreſcit*, vt ait Hurt. in Phyſ. diſp. 15. initio, quia, vt ipſe teſtatur, *eius difficultates opprimunt humanum ingenium.* Cùm verò ipſe de ſe dicat ibidem, *nullum ſibi hanc materiam infundere amarorem, immò de ea interdum delectari:* & cùm nos etiam nullis indiuiſibilium laruis terreamur. *Hurtad.*

Ne tantos mihi finge metus ——— *Virgil. Æn. 9.*

neque nobis in his *indiuiſibilibus infinitis ſincategorematicè, labores augures ſincategorematicè infinitos*, ſed potiùs dextro numine, & pede fauſto feliciùs ordiamur.

Accedit igitur Philoſophus ad agendum de partibus integrantibus, quæ pertinent ad compoſitionem motus: ſed cùm motus ſit cõtinuus, neceſſariò diſputandum fuit de compoſitione continui, quod, ſuo modo, componitur ex partibus, inter ſe continuis. Hæ partes vel ſunt diuiſibiles, vel indiuiſibiles, iuxta diuerſa philoſophorum placita, de quibus placet illico diſputare.

SECTIO I.

Vtrùm Continuum componatur ex Solis indiuiſibilibus?

Reſolutio est affirmatiua.

1 SIt vnica concluſio. Quodlibet Continuum ex ſolis conſtat indiuiſibilibus finitis, & vnitis. Vnde, ſicut ex pluribus arenis reſultat aceruus maior, vel minor arenarum, ita ex pluribus indiuiſibilibus vnitis, quæ ſunt partes cõponẽtes, reſultat maius, aut minus Continuũ. Hanc concluſionem communiter docuerunt antiquiores philoſophi, duce Zenone, item Pithagoras, Democritus, & Leucipus relati à Conimbricenſibus lib. 6. Phyſ. cap. 2. quæſt. 2. art. 1. item Plato apud Ariſtotelem 2. Phyſicor. cap. 2. & alij plures, quos poſteà ſequuti ſunt nõ pauci philoſophi, ac theologi Chriſtiani: & in primis Ioannes Maior in 2. diſt. 2. q 1. concl. 1. Gregorius Ariminenſis in 1. diſt. 36. q. 1. & in 2. diſt. 2, q. 2. (quatenus ait poſſe Continuum diuina virtute diuidi in omnes ſui partes, cuius diuiſionis extrema ſint indiuiſibilia, ergo ſunt finita, & ex illis conſtat Continuum) item Gerardus in 2. diſt. 2. q. 2. Tartaretus 6. Phyſ. q. 1. Cancellarius Oxonienſ. apud Scotum in 2. diſt. 2. q. 9. ad 1. & apud Lichetum ibi. §. *Ad iſtud reſpondet.* Item Franciſcus Patrit. lib. 2. de rerum natura cap. 2. Nicolaus Taurinus, & alij. Hanc præterea ſententiam propugnat Sebaſtianus Baſſone in tract. contra Ariſtotelem, intentione 6. toto libro de Motu: ac tandem illam defendunt, vt teſtatur Arriaga in Phyſica diſp. 16. ſect. 2. n. 20. multi, & graues recentiores noſtræ Societatis, qui Auctor noſtram ſententiam faciliorem, & veriorem eſſe teſtatur; pro eâdem multos, & graues Recentiores nominatim citat, & ſequitur ſapientiſſimus P. Cornelius de S. Patricio in tractat. doctiſſimo de Continuo ſect. 2. num. 1.

Zenone. Pithagor. Democr. Le cip. Conimbr. Plato. Maior. Gregor. Arimin. Gerard. Tartaret. Cancel. Oxonienſ. Lichetus. Franciſc. Patrit. Nicolau. Taurin. Sebaſtia. Baſſone. Arriaga. Cornel. de S. Patric.

2 Hanc item ſententiam docuit P. Ioannes de Lugo in 1. & 6. Phyſ. eamque vt probabilem ſemper ſupponit tom. de Incarn. d. 26. ſect. 8. n. 111. & tom. de Sacram. diſp. 4. ſect. 6. & tom. de Pœnit. diſp 16. ſect. 1. Fauent etiam Capreolus in 2. diſt. 1. q. 2. Caiet. 3. p. q. 4. ar. 2. & alij plures dicentes Continuum actu componi ex partibus, quæ ſunt idem realiter cum indiuiſibilibus continuatiuis. Fauet præterea Aureolus in 1. diſt. 9. q. 2. ar. 1. Onba lib. 6. Phyſ. q. 1. ar. 2. §. *Sed quæres*; Pereira, & alij, quatenus docent indiuiſibilia Continui non diſtingui realiter ab eius profundi.

Lugo. Capreol. Caiet. Aureol. Onba. Pereira.

Digitized by Google

D.Thom. funditatem. Fauet denique D.Thomas, in opuſc. 36. de inſtantib. cap. 1. dicens ens ſucceſſiuum componi ex inſtantibus indiuiſibilibus, quam doctrinam Gillius lib. 2. cap. 12 Gillius. §.10. dicit eſſe communem doctorum. Denique multi ingenioſi, ac nobiles magiſtri hanc ſententiam in Hiſpania, Germania, hodieque in Luſitania, non ſine plauſu tuentur. Ex quibus conſtat deceptos fuiſſe aliquos Recentiores aſſerentes hanc opinionem ſingularem eſſe, & ſine auctoritate.

Proponitur, & defenditur primum fundamentum huius ſententiæ.

Probatur ex tactu Globi. 3 PRobatur ratione primò. Globus perfectè ſphæricus tangit perfectè planum in puncto, ſiue in indiuiſibili: ergo ſi moueatur, vel circumrotetur per totum planum, non niſi in indiuiſibili tanget planum: ergo corpus planum vltimatè conſtat ex ſolis indiuiſibilibus. Antecedens docet Euclides lib. 1. propo. 16. illud- Euclides. que admittit Ariſtoteles lib. 3. de Cælo, cap. Ariſtot. 8. tex. 69. & conſequenter admittitur ab auctoribus contrariæ ſententiæ, apud quos habetur pro demonſtratione, quam proſequitur Soar. in Met. diſp. 40. ſect. 5. n. 11. & 12. & ratio Soarius. manifeſtè conuincit, quia ſi non tangeret in puncto, ſed in parte diuiſibili, & extenſa, iam non eſſet globus perfectè ſphæricus, nec corpus planum perfectè planum, quod eſt contra ſuppoſitionem. Prima conſequentia patet, quia illud indiuiſibile globi moti non poteſt immediatè poſt tangere partem plani, indiuiſibile enim correſpondere non poteſt parti diuiſibili; nec datur maior ratio, cur magis huic, quàm illi parti correſpondeat, ſiquidem partes ſunt infinitæ, vt dicunt aduerſarij. Dato igitur hoc motu globi, per indiuiſibilia plani, planè ſequitur ſecunda conſequentia, ſi enim globus circumuoluatur per totum planum, tangendo ſemper indiuiſibilia, planum profectò eſt, quòd ſolis indiuiſibilibus conſtet continuum plani.

4 Hoc argumentum de globo, globum, ſeu pilam continet tormentariam vulnere ineuitabili: Enim veró

Virg. 12. *—— muralı tormenta nunquàm*
Tormento ſic ſaxa fremunt.

Et propterea aduerſarij coacti ſunt varias excogitare ſolutiones, quibus ictum, aut illiderent, aut illuderent. Reſpondet primò Hurt. Refutatur reſponſio P. Hurt. in Phyſ. diſp. 15. ſect. 2. §. 12. 13. & 21. Corpus perfectè ſphæricum in tẽpore immediatè ad inſtans, tangere partem ſpatij, non determinatam, & cognoſcibilem, ſed proportionalem, ita vt minor, & minor poſſit aſſignari à Deo, quæ attingatur ab eo puncto globi. Hæc tamen ſolutio confugiens ad latebras partium proportionaliũ facilè reijcitur, quia eſt inintelligibilis, & contra ſuppoſitionem factam, & conceſſam communiter ab aduerſarijs, quòd ſcilicet ille tactus ſit in puncto. Deinde, quia ſicut pars diuiſibilis, & extenſa, non poteſt æqualiter correſpondere puncto, inextenſo, ita neque tangi à puncto, quia ſemper illa pars, quamuis ſit minima, extenſa eſt, & diuiſibilis in infinitum, vt dicunt aduerſarij; ergo ſicut pars diuiſibilis non poteſt æquari puncto indiuiſibili, ita neque punctum, ſiue pars indiuiſibilis, correſpondere poterit parti diuiſibili.

5 Reſpondet Rubius lib. 6. Phyſ. tract. de Refellitur reſponſio P. Rubij. cõpoſitione cõtinui q. 1. §. Tertio argumẽto, pag. mihi 771. col. 1. n. 23. Spatium, per quod mouetur ſphæricum *non eſſe planum, nec eius puncta, ſed aerem, qui circumſcribuntur*: at hæc ſolutio de aere circumſcripto, aerea imprimis eſt, & futilis. Deinde eſt contra ſuppoſitionem ab omnibus fere auctoribus vtriuſque ſententiæ acceptam: experientiâ enim conſtat moueri poſſe globum per planum. Ac tandem, quia circa ipſum aerem, per quem globus moueretur, eadem redderet difficultas, videlicet circa id, quod immediatè poſt punctum tactum in plano, vel in aere correſponderet puncto globi moti.

6 Nec minùs diſplicet tertia ſolutio, quã Reijciũtur aliorũ ſolutiones, Patres Diſcalc. afferunt Patres Diſcalceati in ſuo Curſu, quẽ vocant Complutenſem, 6. Phyſ. diſp. 25. q. 1. §. 4. pag. mihi 599. col. 2. aſſerentes, *Corpus illud ſphæricum non moueri per planum, niſi per ſaltus de puncto in punctum, ita vt inter vnum, & aliud tantiſper eleuetur à plano.* At certè hæc ſolutio de ſaltibus globi ridicula imprimis eſt, ſiquidem ad ſaltus, & ad choreas miſerum globum compellit; quarè ipſi nec ſaltando quidem effugient ictum noſtri globi: eſt enim hæc ſolutio contra experientiam, quis enim credet globum, dum mouetur per planum, maximè ſi manu ſuperpoſita trahatur, ſaltare, & non continuò moueri? Quarè ſi nolint extra chorum ſaltare, à ſuo choro remoueant hos ſaltus.

7 Inſtant nihilominùs experientiá conſtare motum illum fieri per ſaltus, licet non ita perceptibiles: verùm hæc experientia ſolùm debet eſſe inter Complutenſes: immò ſi ſaltus illi non perceptibiles ſunt, dicant mihi Patres Diſcalceati vnde habuerunt talium ſaltuũ experientiam? Cùm potiùs experientia ipſa reclamet tales ſaltus eſſe imperceptibiles, atque adeò inintelligibiles; quapropter qui per ſaltus intendit ab hoc puncto effugere,

Digitized by Google

re, argumentum potiùs ſaltat, quam ſoluit.

8 Reſpondet quartò Pater Pereira in ſua Philoſ. lib. 10. cap. 14. ad 3. Globum, ſcilicet, non tangere planum in puncto, cùm mouetur, ſed ſolùm eùm quieſcit: ſed meo conſilio quieſcat P. Pereira cum hac ſua ſolutione, ne dum globus mouetur, nos moueat ad riſum, nam de hoc ipſo eſt quæſtio, cur ſcilicet non debeat tangere planum in puncto, cum mouetur. Probatumque eſt à nobis debere etiã motum illum fieri per puncta plani. Nec minùs abſona eſt aliorum intentata ſolutio dicentium, motum illum immediatè fieri de vno puncto ad aliud, abſtrahendo à medio, & non tranſeundo per partem interiacentem; non enim poteſt dari tranſitus de extremo ad extremum, quin fiat per medium.

9 Quidam ingenioſus magiſter, vt difficultatem declinet, confugit ad puncta virtualiter diſtincta, aſſerit enim globum tangere planum in puncto virtualiter diſtincto, & deſcribere ſuper planum puncta continuata virtualiter diſtincta à quantitate. Hæc tamen puncta virtualia, virtutem quidem, & præſtantiam eius ingenij explicant, at implicant ſolutionem: quia puncta in communi opinione realiter diſtinguuntur, vt conſtabit, nõ licet autem nouas inuehere opiniones, ad difficultates veteres declinandas. Verùm qui iã concedit ſemper tangi puncta virtualiter diſtincta, in proximo eſt vt noſtram concluſionem realiter admittat, & expreſſé, ſicut eam virtualiter, & implicitè concedit.

10 Tandem reſpondet alius, punctum globi in eo motu, ſemper correſpondere alteri puncto imaginario, ex parte ſpatij imaginarij; ſed hæc ſolutio de punctis imaginarijs, vt omnino imaginaria explodenda: ſuppono enim dari propria, & realia puncta, tam in globo, quàm in plano. Alias duas ſolutiones huius noſtri argumenti minùs difficiles afferunt, & bene refutant Patres Conimbr. lib. 6. Phyſ. cap. 2. q. 1. ar. 2. §. *Septimo, Globus*, vbi impugnant eos, qui dicunt tactum globi, & plani realem non eſſe; quis enim ſanus audebit dicere globum ingẽtis magnitudinis, qui planum realiter ſuo pondere deorſum trudit, planum realiter non tangere?

Patres Conimbr.

Proponitur, ac defenditur ſecundum fundamentum.

Nō poſſũt dari in cō-tinuo partes infinitæ.

11 Probatur ſecundò, quia ſi Continuũ non conſtaret ex ſolis punctis finitis, haberet partes in infinitum diuiſibiles; ita vt facta qualibet diuiſione, reſtarent aliæ, & aliæ ſine termino: ſed hoc implicat; ergo & illud, ex quo ſequitur. Maior ita proponitur ab aduerſarijs. Minor probatur, quia datis illis partibus infinitè diuiſibilibus, daretur in qualibet etiam minima quantitate infinitum ſimpliciter, ſed repugnat, ſaltem naturaliter, poſſe dari infinitum ſimpliciter: ergo &c. Probatur ſequela, quia ideó Deus dicitur poſſe creare homines infinitos ſimpliciter, quia etſi ſingulis inſtantibus creet homines vnum poſt alium, nunquàm numerus hominum poterit exhauriri; ſed idem cernitur in quolibet continuo, ſi conſtaret partibus infinitis: ergo &c. Probatur hæc minor, quia Angelus ſoluens aliquod continuũ in quolibet inſtanti, nunquàm illud poterit exhaurire, ſed ſemper plures, & plures reſtabunt partes; ergo erunt infinitæ. Et ſanè ſiquidem quæuis pars eſt extra aliam (nõ enim penetrantur) & ideò ſeparari poſſunt in infinitum, non video quomodo non ſint ſimpliciter infinitæ partes.

12 Hoc argumento malè vexantur aduerſarij, & cùm non audeant aperto Marte, luce, palam confligere, ad inertes proportionalium partium latebras furtim ſe recipiunt, quibus ſolemnes quaſdam ſolutiones confingunt, & confundunt,

Defenſi tenebris, & dono noctis opacæ. Virgil. Æn. 2.

13 Reſpondent igitur continuum non habere partes ſimpliciter infinitas, ſed tãtùm ſecundùm quid, quia tales partes non ſunt inter ſe æquales, ſed, vt vocant, proportionales, communicantes aliquotas &c. verùm hoc effugium, præter verba obſcura, nihil habet, quod ſic oſtendo, factis enim diuiſionibus, ſub hac proportione, propter quam dicuntur proportionales, in fine vnius horæ manerent infinitæ diuiſæ, & æquales cum illa parte, quæ diuideretur poſt infinitas diuiſiones: ergo facerent infinitum ſimpliciter, quod naturaliter ſaltem repugnat.

Refutatur ſolutio.

14 Probo, & ſic declaro conſequentiam. Diuidat Deus continuum aliquod, & dimidietatem illius proijciat poſt cælum Empyreum, & iterum medietatem medietatis, &c. tunc ſic argumentor, in continuo ſunt actu infinitæ partes hoc modo proijcibiles; ſed partes hoc modo proijcibiles, ſunt determinatæ (quia indeterminatum non poteſt determinatè proijci) ergo in eo continuo ſunt partes actu determinatæ infinitæ, ſiue maiores, ſiue minores, ſiue æquales. Et quamuis ſint minores, & minores, parùm refert ad multitudinẽ infinitam, dummodó omnes ſint determinatæ, ſignabiles, & tangibiles, vt neceſſariò debent eſſe ad hoc, vt proijciantur.

15 Tandem confirmatur, quia licet illæ partes continui non facerent infinitum ſimpliciter

Digitized by Google

plicitet in magnitudine, facerent tamen in multitudine, quod æquè repugnat, ſaltem naturæ viribus: quod ſic probatur, nam cuilibet illarum partium proportionalium (quæ quidem, vt volunt, reales ſunt, & vt tales à Deo numerari poſſunt) certè correſpondere poteſt vnus numerus realis, & cũ partes illæ ſint infinitæ, infiniti numeri illis reſpõdebũt; vnde vitari non poteſt ſaltem numerus ſimpliciter infinitus, quem tamẽ auarè nobis negãt aduerſarij, ſed re vera ſequitur ex illorũ doctrina, quãuis ſe abſcondãt in partibus illis infinitis, quibus infinitas deuorãt implicationes; & in continuo continuis erroribus innodantur.

Probatur eadem concluſio ex abſurdis contrariæ ſententiæ.

In contraria ſententia nõ dareutur indiuiſibilia.

16 PRobatur tertiò eadem concluſio ex multis incõmodis, quæ ſequũtur ex oppoſita ſẽtẽtia. Primò enim ſequeretur nõ dari pũcta, vel alia indiuiſibilia in cõtinuo, quod eſt cõtra cõmunem, & Ariſtotelicã doctrinã: probatur, quia pũctum cùm ſit indiuiſibile, requirit ſubiectũ proportionatũ, nẽpe aliud indiuiſibile, in quo ſit: ergo nõ poteſt modificare, ſiue vnire partẽ aliquã diuiſibilẽ; ſicut modus omninò ſpiritualis nõ poteſt vnire rẽ corporeã, cũ qua idẽtificetur: ergo cùm in oppoſita ſententia pũcta dentur ſolùm ad vniendas partes cõtinui, & cũ pũcta illas nõ poſſint vnire, ſequitur quòd in ea ſententia nõ dentur puncta: niſi fortè confugiant ad aliquam eleuationem, quæ ſola deerat huic opinioni.

17 Sequitur ſecundò aliquod eſſe tẽpus in quo Deus, in genere cauſæ naturalis, nequeat creaturam aliquam producere; nam rogo, an poſſit Deus immediatè poſt hoc inſtans animam Petri creare? ſi neges poſſe, ſequela procedit optimè: ſi affirmes poſſe, cõtra eſt, quia poſt illud inſtãs, in contraria opinione ſequitur aliqua pars diuiſibilis, in qua Deus non poteſt creare animã, anima enim indiuiſibilis nõ poteſt proportionari cũ tẽpore diuiſibili: ergo in eo tẽpore, ſeu in ea parte tẽporis, quod ſequitur poſt inſtans, impeditus eſt Deus ad creãdum animã: vel ſi eã immediatè poſt creare poteſt, ſequitur, quòd poſt vnum inſtans, immediatè ſequatur aliud inſtans, & non aliqua pars.

18 Tertiò ſequitur ad generationem, nutritionem, & augmentationem nõ eſſe motus cõtinuos, ſed per morulas, vt conſtabit ex dicendis. Quartò ſequitur quodlibet punctum terminatiuum continui immediatè terminare partes infinitas eiuſdem continui; ſed hoc videtur impoſſibile; ergo & illud, ex quo ſequitur, ſequela tamen oſtenditur, nam vel illa pars, quam terminat, eſt diuiſibilis, vel indiuiſibilis: ſi indiuiſibilis, habemus intentum; ſi diuiſibilis, poteſt diuidi in infinitas: ergo pũctum tangit id, quod habet partes infinitas. Et idem poteſt fieri argumentum de quolibet puncto continuatiuo, ſeu copulatiuo, quod tamen inconueniens non cernitur in noſtra ſententia, in ea enim vnum indiuiſibile terminat aliud immediatè.

19 Præterea in Theologia multa ſequũtur incommoda: & imprimis in materia de merito, ſequitur quòd meritũ vnius horæ, imò & vnius quadrantis, ſit meritũ infinitum. Probatur, quia in quolibet inſtãtis, in quo haberet homo charitatis actũ, haberet nouũ meritũ determinatũ, vt probaui, & cũ in cõtraria ſentẽtia in quolibet tẽpore dẽtur infinita inſtãtia, & homo ceſſare poſſit, vel operari in quolibet illorũ, ſequitur, quòd homo quilibet habere poſſit meritum infinitum, quod meritò admittere non debent aduerſarij, ſiquidem in ſolo Christo Domino conceditur. Quæ abſurda ſequũtur in Theologia.

20 Deinde in materia de Euchariſtia ſequitur vbiquationẽ Chriſti Dñi, in hoſtia, infinitã eſſe, atque adeò impoſſibilẽ: probatur, quia quælibet pars illius vbiquationis eſt extẽſa, ſicut eſt totũ ſpatiũ hoſtiæ, vt in illo ſpatio collocet eã partẽ corporis Chriſti Dñi, cuius eſt vbiquatio: cũ ergo partes corporis Chriſti Dñi eſſet infinitæ, ſicut etiã eius indiuiſibilia, tot etiã erũt partes vbiquationis illius, æquales quòad ſpatiũ: atque adeò erũt infinitæ partes æquales, facientes infinitum ſimpliciter.

21 Hæc, & alia infinita ſequũtur incõmoda ex partibus infinitis, à quibus omnibus ſe tutos exiſtimãt Ariſtotelis propugnatores, cũ implorato auxilio infinitarũ partiũ, & ab infinito pũctorũ agmine, cõmunicatoque periculo inter partes cõmunicãtes, in doloſum obſcuritatis labyrinthum ſe abſcondũt, à quo neque ipſi, ſi verum fateri velint, ſe queunt extricare.

SECTIO II.

Proponitur, & impugnatur ſententia defendens Continuum non conſtare ex ſolis indiuiſibilibus.

1 OBijcies tamen primò, pro cõtraria ſententia, quæ docet Continuum non componi ex ſolis partibus indiuiſibilibus finitis, hoc eſt ex pũctis, lineis, & ſuperficiebus certis, & determinatis; ſed ex infinitis partibus diuiſibilibus,

C c copu-

Digitized by Google

Ariſtot. D. Thom. Scot. Albertus Magn. Ægydius. Burleus. Algazel. Patres Conimbr. Durand. Soarius. Pereira. Clauius. Rubius. Hurtad. Albertin. Curſus Complut. Fromond. Barth. Amicus.

copulatiſque per indiuiſibilia; quæ ſententia magna nititur auctoritate: illam in primis inuexit Ariſtoteles 6. Phyſ. c. 1. & 2. quem omnes ferè Peripatetici ſequuntur, cum D. Thoma ad locum citatum, & Scot. in 2. diſt. 2. q. 9. quos duces vtraque familia poné ſequitur, itē Albertus Magn. Ægyd. Burl. Algazel. quos citant, & ſequuntur Patres Conimbr. 6. Phyſ. c. 2. q. 2. Idem tenent Durand. in 2. diſt. 2. q. 9. Soar. in Met. diſp. 40. ſect. 5. n. 35. Benedict. Pereira in ſua Philoſoph. lib. 1. c. 13. Clauius ſuper ſphær. c. 1. titulo de ordine ſphærarum cæleſtium fol. 65. Rubius 6. Phyſ. q. 2. §. *Oppoſitam partem.* Hurtad. in Phyſ. diſp. 15. ſect. 5. ſubſect. 2. Albertinus in corollarijs ad Prædicament quantit. diſp. 3. q. 5. dub. 1. á n. 9. Fratres Diſcalc. in ſuo Curſu Complut. 6. Phyſ. diſp. 2. q. 2. Fromōd. in ſuo Labyrintho c. 25. Barthol. Amicus in Phyſ. tract. 15. q. 6. dub. 5. ar. 1. à fol. 80 eſtque valde probabilis ſentētia, & proculdubio communior.

Prima obiectio ex Concilio Conſtant.

2 Obijcis, inquam, primó: ſententia, quæ docet Continuum ex ſolis indiuiſibilibus cōponi, damnata eſt ab eccleſia: ergo ſuſtineri nō debet. Conſequentia eſt optima: probatur antecedens, ex Concilio Conſtātienſi, quod ſeſſ. 15. notauit, nō ſolùm errores, quos habuit Ioānes Huss hæreticus cōtra fidē, ſed etiam quos habuit cōtra verā philoſophiā, quatenus docuit, Cōtinuū cōſtare ex ſolis indiuiſibilibus, cuius ſeſſionis hæc ſūt verba: *Linea aliqua mathematica continua cōponitur ex tribus, vel quatuor pūctis immediatis, aut ſolùm ex punctis ſimpliciter finitis: vel tēpus eſt, fuit, vel erit cōpoſitum ex ſolis inſtantibus immediatis. Itē non eſt poſsibile, quin tēpus, & linea, ſi ſint, taliter cōponantur, &c.* Mox additur cenſura his verbis. *Prima pars eſt error in philoſophia, ſed vltima errat contra diuinam potentiam.*

Rubius. Patres Diſcalc.

3 Hoc argumento vtitur P. Rub. in Phyſ. de cōpoſitione Cōtinui q. 2. §. *Oppoſitā partem,* cui in hac parte amicabiliter adhærent Patres Diſcalc. in ſuo Curſu Complut. 6 Phyſ. diſp. 25. §. 2. n. 17. & aliqui meticuloſi minuſque diligentes, exiſtimantes citata verba continere definitionem aliquā præfati Concilij: at enim qui meæ ſententiæ adhæſerint, bono animo eſſe poſſunt; primò quia talia verba non inueniūtur in prioribus editionibus huius Cōcilij, nec item in Summa Conciliorum.

Solutio huius argumenti petiti ab auctoritate Concilij.

4 Secundò, quia, licet inueniantur in editione Coloniæ Aggripinæ anno 1567. tom. 3. Conciliorum, ſeſſ. 15. Concilij Conſtant. pag. 836. non tamen ſunt verba Cōcilij, ſed cuiuſdam Henrici de Piro Promotoris, & Procuratoris, qui tunc accuſabat Ioannem Huſſ, vt euidentiſſimé patebit legenti dictū Cōcil. ſeſſ. 15. pag. 834. vbi diſtinctis, & diſertis caractetibus habetur eius petitio, in qua ponit articulos, quos petebat damnari ab eccleſia cōtra prædictum hæreticum, inter quos poſuit, tanquàm errorem in Philoſophia, prædictam propoſitionem. Quam tamen Concilium, vel Eccleſia non cenſurauit; præfata enim ſeſſ. 15. pag. 838. & 839. numerans triginta errores Ioannis Huſſ, nullam mentionem fecit illius propoſitionis.

Vaſquez. Valent.

5 Et meritò quidem, quia vt rectè aduertit Vaſquez tom. 2. in 3. p. diſp. 214. n. 12 & Valent. tom. 3. diſp. 1. puncto 7. §. 41. in reſponſ. ad 4. Concilia ſolùm definiunt eam propoſitionem, quæ colligitur, vel ex ſacra Scriptura, vel ex traditione Eccleſiæ, vel ex principijs fidei, per diſcurſum Theologicum: ſed illa propoſitio, *Linea componitur ex ſolis indiuiſibilibus finitis*, nulli loco ſacræ paginæ, aut Eccleſiæ traditioni, aut concluſioni ex principijs fidei deductæ repugnat: ergo non debebat à Concilio definiri: ſiquidem expreſſè dicitur de tali propoſitione quód ſit error in Philoſophia.

Bellarm. Arriaga.

6 Confirmatur, quia Martinus Quintus Summus Pontifex ſeſſ. 45. & vltima dicti Cōcilij enumerans omnes errores Ioannis Vuicleff, & Ioannis Huſſ, condemnandoque illos, nullam huius propoſitionis mentionem fecit, vt videre licet tom. 3. Concil. pag. 917. dicta editione Colon. ann. 1567. Adde cum Bellarm. tom. 1. Controuerſ. lib. 2. de Concil. auctoritate cap. 19. & cum Patre Arriaga in Phyſ. diſp. 16. ſect. 8. ſubſect. 6. n. 113. Concilium Conſtant. non fuiſſe legitimè congregatum, quia nullius Sum. Pontificis auctoritate fulciebatur, licet poſteà approbatum fuerit à Martino Quinto, quó ad decreta fidei. Accedit, quòd non omnia, quæ contra reum opponūtur à promotoribus iuſtitiæ, acceptentur á iudicibus, tanquàm ſint rés culpabiles; immò quādo nō reprehendūtur, ſignū eſt, quòd non merentur condemnationem, ſed potiùs tacitè approbantur. Quarè licet præfatus promotor contra noſtram ſententiam adeó acriter inſurrexit, nemo nobis iure ſuccenſeat, ſi potiùs tacitā Cōcilij approbationē ſequamur, quàm eiuſdē promotoris expreſſam reprobationē.

Quid ſenſerit D. Auguſtin. de hac re.

7 Neq; me á loco mouet P. Rub. 6. Phyſ. tra. de cōpoſit. Cōtinui, q. 2. §. *Oppoſitā.* aſſerens ſanctos Patres, qui de hac re loquuti ſunt, opinionem Ariſtotelis, tāquàm certam in Philoſophia veritatē habuiſſe, & ibi pro ſe ſolùm affert S. Auguſtini verba. 11. de trinit. c. 12. At enim D. Auguſtin. ſi attētè legatur, ſolùm vult minutiſſima etiam corpuſcula poſſe per phātaſiā, vt ibi loquitur, hoc eſt per rationē infinitè diuidi: diuiſio verò per rationem non eſt realis, & Phyſica, de qua loquimur, ſed formalis. Neque Hugo tom. 8. Bibliothecæ Patrum *Hugo.* lib.

Digitized by Google

Baſilius. D.Thom.

lib. 2. de hæreſibus cap. 8. videtur ſentire, contra me; ſolùm enim dicit, cõtinuum eſſe, quod conſtat partibus vnitis, quod nos etiã defendimus. Neque tandẽ cõtra nos pugnat D. Baſil. in Exameron Homil. 1. litera D, quatenus ait: *Id quod ſemel diſſectũ eſt, in alia rurſus ſegmina intercidi poteſt*; ſolùm enim loquitur de corpore phyſico, & ſenſibili, quod item ſenſibili modo poteſt diuidi, & eodẽ modo explicari poteſt D. Thom. vbi ſuprà, & aliàs ſæpe.

Hurtad.

8 Huic argumẽto ex auctoritate petito ſolito lõgiùs ſatisfeci, vt cõſtet, quã incõſtãter in Cõſtãtieſi Cõcilio ſine debito cõſilio decipiãtur aliqui Recẽtiores, qui fortè religione moti à noſtra ſentẽtia receſſerunt: inter quos Hurt. in Phyſ. diſ. 15. ſec. 5. ſubſ. 1. n. 50. ait placuiſſe illã ſolis duobus, vel tribus Recẽtioribus, qui, vt ipſe addit, *ſuſcitarunt hanc opinionẽ, apud inferos iã diu ſepultã*: veriùs tamẽ diceret eã fuiſſe apud antiquos philoſophos cõmuniſſimã, & poſteà à multis Philoſophiæ, ac Theologiæ magiſtris inculcatã, & propugnatã. Quæro tamẽ ab illo, quis vnquàm talẽ opinionẽ ad inferos cõdemnauit? Ipſe ne Hurtadus? certè caret auctoritate detrudendi ad inferos doctorũ, ac catholicorum hominum opiniones: Ariſtoteles fortaſſe, qui tãto ſtomacho infeſtoque animo illã eſt inſectatus? Ipſe tamen apud inferos iam diu iacet: Cõcilium, Eccleſia, vel Summus Põtifex? Iam oſtẽdi nullã mẽtionem eius fuiſſe factam. Quid ergo reſtat? deceptos fuiſſe viros alioquin doctos, opinionẽque noſtrã, de compoſitione cõtinui ex ſolis indiuiſibilibus, non apud inferos ſepultam cõticuiſſe, ſed viuẽtem adhuc, ac ſpirantem, in ore omnium, ac luce, inter ſuperos effloreſcere.

Proponitur, & confutatur ſecundum argumentum.

Secunda obiectio petita ex ratione.

9 OBijcis ſecundò: vel vnum indiuiſibile in continuo tangit aliud ſecundùm ſe totum, vel non, ſi primum, penetratur cum illo, ac proinde non poteſt facere maius continuum, ſiquidem idem eſt aliqua tangi ſecundùm ſe tota, atque omnino adæquari, & penetrari. Si verò dicatur quòd vnum indiuiſibile non tãgit aliud ſecundùm ſe totum, ſed ſecundùm aliquam partem, ſequitur quòd vnum indiuiſibile habet diuiſibilitatem, quod eſt contra rationem indiuiſibilis. Ex quo argumento deductum eſt illud commune axioma: *Indiuiſibile additum indiuiſibili non facit maius.* Confirmatur, quia quod eſt intra aliud non facit cum illo extenſionem, ſed vnum indiuiſibile, in ſententia Zenonis, eſt intra aliud, ſiquidem tangit illud ſecundùm ſe totum: ergo &c.

10 Hoc eſt præcipuum aduerſariorum telum: hic eſt Gordius ille nodus, qui vel Alexandro dicitur formidabilis: verùm ego non ero Alexander, ſoluam enim, non ſcindam. Concedo igitur ſecundum indiuiſibile tangere totum primum, nego verò inde ſequi penetrationem cum illo, & prætereà nego ex coniunctione ſecũdi indiuiſibilis, cum primo, non fieri maiorem extẽſionem. Ratio vtriuſque eſt quia, ad hoc vt vnum punctum tãgat aliud, ſufficit eſſe illi vel vnitum, vel ſaltem cõtiguum; & cùm aliunde non dentur partes diuiſibiles, eo ipſo quòd primum punctum contiguum ſit ſecundo, cenſetur illud tangere ſecundùm ſe totum. Ad hoc verò vt cenſeantur non penetrari, ſufficit quòd vtrique puncto reſpondeant in ſpatio extrinſeco diuerſa puncta, vt reuera correſpondent, ſiquidem eſt vnum pũctum poſitum immediatè poſt aliud, atque adeò in diuerſis locis, iuxta ea, quæ dixi loquendo de loco.

Quo pacto vnum punctum non penetretur cũ alio.

11 Ad cõfirmationẽ reſpondeo, negando minorem, nam licet vnum indiuiſibile tangat aliud immediatè, non eſt contra, ſed extra illud; quod in primis declaratur in puncto terminatiuo linearum in centro circumferẽtiæ, quod quamuis tangat, ſecũdùm ſe totum, omnes lineas deductas ad centrum, non eſt tamẽ intrinſecè in lineis deductis ab ipſo puncto centri, alioquin ſequeretur, quòd eſſet ſimul intrinſecè in infinitis lineis realiter diſtinctis, & conſequenter, quòd eſſet naturaliter ſimul in pluribus locis, quod repugnat.

12 Declaratur prætereà, nam ſicut vna ſuperficies, licet aliam totã tãgat, nõ penetratur cum alia ſuperficie immediata (alioquin vna quãtitas, qualis eſt ſuperficies, penetraretur cũ alia, quod repugnat naturaliter, ſicut naturaliter repugnat accidẽs per ſe exiſtẽs) ita vnũ pũctum, quãuis ſit immediatũ cũ alio, nõ penetrabitur cum illo, quia vt ſe habet ſuperficies ad ſuperficiem, ita punctum ad punctum. Declaratur vlteriùs, nam Ariſtoteles ipſe concedit corpus perfectè ſphæricum tangere perfectè planum in indiuiſibile, ea verò duo indiuiſibilia corporis plani, & ſphærici, quãuis ſe tangant adæquatè, non ſunt in eodem loco; vt patet, nam punctum corporis ſphærici eſt intrinſecum tali corpori, & extrinſecum corpori plano, cum quo non eſt vnitum, ſicut eſt vnitum cum globo ſphærico.

13 Declaratur tandem, quia ſi ponatur vna ſuperficies indiuiſibilis intermedia, & vnus accedat ad illam ex Oriente, non poterit rectà vià tranſire ad Occidentem, niſi illam ſuperficiem penetrando: poterit tamen vnus manere ex parte Orientis, & alter ex

parte occidentis, ita vt illam ſuperficiem habeant in medio, & tamen non ſint in loco illius: ergo illi homines erunt contigui ſuperficiei indiuiſibili, & ſimiliter punctis illius, & tamen illa non penetrabunt, ſed erunt extra illa. Ex quibus tandem concludit Arriaga citatus ſect. 8. num. 94. debilem valde eſſe argumentationem eorum, qui ſemper inculcant, *Tangit totum, ergo penetrat illud*: ſiquidem contactus non eſt per modum informationis, ita vt res tacta debeat in ſe recipere tangentem, quaſi per penetrationem, vel informationem.

Arriaga.

14 Reſtat ſoluẽdum ſolemne illud inter aduerſarios axioma, quatenus dicunt, *Indiuiſibile additum indiuiſibili non poſſe efficere maius*, atque adeò ex vno puncto, quod additur alteri puncto, non poſſe reſultare maius continuum. Hoc eſt Palladium illud inexpugnabile, vnde aduerſùs puncta, cæſim, & pũctim præliaturi egrediuntur: at enim vt vulnus declinem,

Virgil Æn. 9.

Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Eſt opus &c.

Quo pacto vnum indiuiſibile additum alteri efficiat continuum.

Dico enim ex duobus ſaltem, vel pluribus pũctis inter ſe vnitis reſultare extenſionẽ lineæ, quod probatur, & declaratur exemplo, nã vnitas numerica (quæ eſt quoddã indiuiſibile, ſiquidem vna vnitas diuidi non poteſt) addita alteri vnitati numericæ; ideſt addita alteri indiuiſibili, facit maius, ſeu maiorẽ numerũ: ergo ſimiliter vnũ indiuiſibile quantitatis cõtinuæ additum alteri indiuiſibili faciet maius. Antecedens huius argumenti admittunt Patres Diſcalceati citati, & negant conſequentiam dicentes, *Indiuiſibile additum indiuiſibili non facit maius, facit tamen plus, vel magis.* Sed non eſt cur plus, vel magis reſpõdeãt, nam de hoc ipſo debebãt reddere maiorẽ rationem, ſi enim vnum indiuiſibile additum alteri facit magis, cur non faciet maius?

15 Ad illud ergo axioma, *Indiuiſibile additũ indiuiſibili, &c.* dico ſolũ admittẽdũ eſſe in opinione cõtraria, quarè nõ debet eius cãcellos trãſilire, ſicut dici ſolet de articulis Pariſienſibus, qui nõ tranſeunt Sequanam: poſſunt enim eſſe puncta indiuiſibilia, & tamen facient quãtitatem diuiſibilem, & extẽſam, ſicut materia, & forma, quãuis ſint incompletæ, & neutra ſit totum phyſicum, poſſunt efficere totũ phyſicũ, & cõpletũ: immò, & quinq; digiti, quãuis neuter ſit manus poſſunt manũ efficere: ita ergo pũcta indiuiſibilia, ſi ſint cõiuncta, & vnita, poterunt efficere lineam diuiſibilem; lineæ verò ſuperficiem &c. Quod vlteriùs declaro communi exemplo, & ab omnibus concedendo, quia ſi Deus tollat â pyramide punctum terminatiuum, non manebit in eſſe propriæ pyramidis, & cum extenſione illi debita, quam tamen habebit, ſi reſtituatur illi tale punctum, in quo angulus perficitur: ergo ſignum eſt, quòd punctum vnitum alteri rei poteſt efficere maiorem extenſionẽ addendo aliquid, quo anteá res carebat.

Proponitur, & confutatur tertium argumentum.

16 SEd quia ſatis non ſunt argumenta; neque à Theologia, neque à Philoſophia petita ad euertendam punctorum arcem, propterea auxiliares copiæ è mathematicis efflagitantur. Obijcis ergo tertió ex Euclide lib. 1. element. vbi ait, *Supra quamlibet lineam rectam poſſe deſcribi triangulum*, hoc autem verificari non poteſt niſi continuum conſtet ex partibus infinitis: quod ſic oſtẽditur; detur linea conſtãs ex tribus pũctis, & ſupra illam deſcribatur triangulus ex lateribus, quorum ſingula conſtent ex ſex punctis, tunc ſi inter primum pũctum proximum angulo ſuperiori ex vno latere, ducatur linea ad aliud punctum proximum angulo ex alio latere, inter ea puncta ad minùs dabuntur duo puncta; & in alia linea ducta â ſecundo puncto ad aliud ex aduerſo correſpondente, erunt ad minús tria; & in alia ſubſequente linea erunt ſaltem quatuor, &c. vnde ſequetur, quód hæc linea conſtans quatuor punctis, eſſet maior, quàm linea, quæ eſſet baſis (ſiquidem hæc, vt ſupponimus, ſolùm conſtaret tribus punctis) quod repugnat baſi, hæc enim in triangulo eſt omnium linearum maxima.

Euclides.

17 Verùm hoc argumẽtum etiã malè vexat Peripateticos, nã ex eorũ ſẽtẽtia ſequitur, quód linea baſis ſit æqualis cum linea, quæ ſit proximior angulo, probatur, quia cũ vtraq; linea habeat partes infinitas, bene ſequitur quòd linea baſis nõ habeat plures partes, quã linea proximior angulo, ſiquidẽ vtraq; habet partes infinitas, atq; adeó quòd ſint æquales. Immó tot anguli fieri poterũt ex linea quæ ſit proximior angulo, quã ex linea baſis, quæ eſt remotior angulo: vt enim docet Euclides li. 6 prop. 13. *Datis rectis lineis, poteſt media inter illas inueniri*, & cõſequẽter poteſt ex illis ãgulus fieri: quapropter ſicut in qualibet parte lineæ baſis poteſt fieri angulus, ita in quolibet puncto lineæ proximioris angulo, poterit fieri alius angulus: ſed in linea proximiori angulo ſunt tot pũcta infinita, quot ſunt in linea baſis; ergo ſimiliter tot anguli fieri poterũt: vnde ſequitur lineã proximiorẽ angulo eſſe æqualẽ lineæ baſis, quod eſt cõtra Euclidẽ, & cõtra experiẽtiã

Retorquetur argumentum.

Euclides.

Ad

Digitized by Google

Reſpõdetur ad hoc argumentum.

18 Ad argumentum ergo reſpõdeo, principium illud Euclidis, ſolùm intelligi de corpore mathematico, & de lineis mathematicis (quæ ſemper ſunt ſufficienter diuiſibiles, ad hoc vt ex illis fiat triãgulus) nõ verò de corpore, & linea phyſica, quæ ita poteſt eſſe exigua, vt ex illa nõ poſſit reſultare triangulus. Dico igitur ſuper quamlibet lineam rectã dari poſſe triangulum, ſi detur ſufficiens diſtãtia; qualis non datur in linea, quæ conſtaret tribus tantùm punctis; quod infertur ex alio principio Mathematico, quod ſic habet, *Quò lineæ facientes angulum magis eleuantur à baſi, eò magis proximè ſunt inter ſe*: cùm ergo quando eleuantur à baſi trium punctorum, in baſi ſolùm diſtent diſtantia vnius ſolùm puncti; quò ad ſecundam lineam, ſecundũm quam eleuarentur, deberet eſſe minor diſtãtia, quàm in baſi; ſed non eſt minor diſtantia, quàm diſtantia vnius puncti; ergo nulla diſtantia diſtarent inter ſe, vnde conſequenter non facerent figuram angularem. Si verò baſis habeat plura puncta, quàm tria, poterit tunc ex ea fieri triãgulus, vt patet: & in hac ſuppoſitione loquitur Euclides, ſiquidem loquitur de corpore mathematico, & de lineis ordinarijs, quæ ſemper ſunt ſufficienter diuiſibiles, vt ex illis angulus oriatur.

Refutantur quartum, & quintum argumentum.

19 Obijcis quartò. Hæc ſententia repugnat alteri principio Mathematico, nam Euclides 6. Elemẽt. docet *quamlibet lineam poſſe diuidi in tot partes æquales, in quot poteſt alia diuidi*. Item lib. 8. propoſit. 10. docet *quamlibet lineam poſſe diuidi, in duas partes æquales*, quæ principia optimè procedere exiſtimant aduerſarij in ſua ſententia, cùm enim admittant partes infinitas in qualibet linea, in his partibus, quantumuis paruulis, ſe recondunt, ac difficultates, per has partium latebras abſcondunt; quia cùm ſint infinitæ, poſſunt abundè præſtare materiam ad diuiſiones, & æqualitates, quod tamẽ effici non poteſt in noſtra ſententia, nam linea conſtans quatuor punctis non poteſt diuidi in tot partes, in quot poteſt linea conſtans decem punctis; item linea conſtans quinque punctis diuidi non poteſt in duas partes æquales, numerus enim impar ſecari non poteſt in numeros pares, atque adeò æquales.

Euclides.

Retorquetur itẽ hoc argumentum.

20 Verùm hoc item argumentum retorqueri poteſt in aduerſarios, nam ipſi, vt conſtat ex diſput. 31. ſect. 2. à num. 9. admittunt vnum infinitum maius alio: tunc ergo ſi vna linea vlnaris, & alia linea palmaris diuidantur in duas partes, illæ partes lineæ vlnaris facient maius infinitum, quàm partes lineæ palmaris, ſiquidem illæ partes proportionales ſunt maiores, quàm partes proportionales lineæ minoris. Et certè, vt verùm fatear, neſcio quo pacto ſibi, vel nobis perſuadere intendunt hi philoſophi, quòd vna linea longitudinis vnius digiti diuidi poſſit in tot partes, in quot diuidi poteſt linea, quæ extendatur ab Vlyſſipone vſque ad vltimos Orbis incolas: & conſequẽter quòd tot partes habeat vnum granum milij, quot partes habet Orbis vniuerſus: certè ego potiùs vellem ſemel negare hãc opinionẽ, quàm toties admittere ſequelam adeò abſonam, & paradoxam. Aliã deinde viã retorquet argumentum iſtud Arriaga in Phyſ. diſp. 16. ſect. 8. ſubſect. 3. n. 114. Arriaga.

Reſpondetur ad quartum argumentum.

21 Reſpondeo igitur illud principium Euclidis ſolùm valere in lineis, iuxta longitudinem, quæ ineſt illis materiali, & rudi modo, ſicut enim quoduis corpus vlnare diuidi poteſt in decem partes maiores, ſic corpus palmare diuidi poteſt in alias decẽ partes minores: ſi verò accidat vt corpus, vel linea aliqua habeat quinque tantùm phyſica pũcta, tunc nõ poteſt diuidi in partes æquales, cùm ex vna parte ſint duo pũcta, ex alia verò tria, & vnum ex illis nõ poteſt diuidi, ſiquidẽ quoduis pũctũ eſt indiuiſibile. Vnde quãuis illud principium Euclidis verificetur in lineis mathematicis, phyſicè tamẽ loquẽdo eſt falſum, vt cõſtat ex dictis. Neq; nobis iure iraſci poſſũt mathematici, ſi dicamus aliquod illorũ principiũ nõ verificari in Philoſophia, ſiquidẽ ipſi philoſophica principia nobis toties negãt, vt patet in ea opinione modò inter Mathematicos celebratiſſima, quatenus contendũt ſpecies viſus eſſe viſibiles, cùm tamẽ oppoſitũ ſit in philoſophia principiũ valde receptũ, ſiquidẽ nõ ſunt lucidæ, neq; coloratæ. Quarè patet quid dicẽdũ ſit ad illud principiũ: *Quæcũq; linea poteſt diuidi in tot partes æquales, in quot alia*, eſt enim falſũ, ſi loquamur de lineis inæqualibus inter ſe, nã cùm maior habeat plures partes, in plures poteſt diuidi.

Quintũ argumẽtum ex alio principio Mathematico.

22 Obijcis quintò ex alio principio mathemathico: *Datis enim duobus circulis concentricis, tot ſunt pũcta in circulo minori incluſo, quot in maiori includente*: ergo ſi iſti circuli ex ſolis punctis, ſiue indiuiſibilibus cõſtarent, erũt inter ſe æquales, quod experiẽtiæ, & veritati repugnat. Antecedẽs probatur, quia à quibuſcũq; duobus pũctis immediatis circuli maioris poſsũt duci duæ lineæ rectæ ad cẽtrũ; ſed iſtæ duæ lineæ tãgũt circulũ minorẽ in duobus alijs pũctis immediatis (nã vt demonſtrãt Mathematici, duæ

Digitized by Google

lineæ rectæ ductæ à circūferētia circuli, nō poſſunt cōuenire ad vnū pūctū, donec perueniat ad centrū) ergo in toto ſpatio medio inter circunferentiam, & centrum, nullum vnum pūctum erit commune vtrique lineæ; ergo conſequenter tot ſunt puncta in circulo paruo, ac in magno, atque adeò circulus minor erit æqualis circulo magno.

Retorquetur hoc argumentū in aduerſarios.

23 Verùm hoc item argumentum habet eandem vim contra Ariſtotelis ſententiam, ſiue enim concedantur puncta finita, ſiue partes infinitæ, non eſt dubium quòd plures partes habeat circulus maior exterior, quam circulus minor interior, ſi enim tot præcisè haberet, non eſſet maior, & conſequenter vnum granum milij tot partes haberet, quot cælum Empyreum, quód ſi concedant aduerſarij, non eſt quòd ampliùs contra illos argumentemur. Quæro igitur vtrùm partes lineæ circuli maioris deſcendentes ad centrum, hoc præſtent per partes item lineæ minoris, an non? ſi per partes, proculdubio penetrantur, quod non concedent, ſed facilè probatur, quia quò magis accedunt ad centrum, eò magis coniunguntur, ergo donec penetrentur. Si verò deſcendunt ad centrum, non tamen per partes linearum circuli minoris, hoc idem dici poterit de punctis finitis. Soluant ergo aduerſarij hoc argumentum, atque vt quieſcant porrò moneo.

Soluitur quintū argumentū.

24 Ad quintum igitur argumentum reſpondeo negando antecedens, & ideò dico plura puncta eſſe in circulo maiori, quàm in minori, velint, nolint Mathematici: vnde aliquæ lineæ ductæ à punctis immediatis circuli maioris conueniunt in vno puncto circuli minoris, ſaltem quando ab omnibus punctis circuli maioris ducerentur lineæ ad centrum, per circulum minorem, quia hic neceſſariò habet pauciora puncta, quàm circulus maior, vt ſuppono, & euidens eſt. Quarè illud principium non valet, cùm ſit contra lumen naturale, & manifeſtam experientiam. Dici etiam poteſt duas lineas circuli maioris non deſcendere ad centrum, niſi quatenus conuerſæ ſunt in vnam in ordine ad ipſum centrum, nam quó magis diſtant à circulo maiori, eò proximiores ſunt inter ſe, vnde in certa diſtantia vniuntur inter ſe in puncto circuli minoris, in quo terminantur; atque adeò non vt plures, ſed quaſi vna, deſcēdere poſſunt ad cētrū.

Soluuntur alia argumenta philoſophica.

Sextū argumentū petitum ex motu veloci & ex motu tardo.

25 SEd quia neque è Mathematicis imploratæ ſuppetiæ aduerſarijs prodeſſe poſſunt, ad Philoſophiam iterum reuertuntur: obijcis ergo ſextò ex Ariſtotele 6. Phyſ. textu 8. Si linea conſtaret ex ſolis punctis finitis, nō daretur motus velocior, & motus tardior, hoc eſt contra experientiam: ergo &c. Maior oſtenditur, quia motus tardior eſt ille, *qui longiori tempore conficit idem ſpatium*, velocior verò eſt ille, *qui idem ſpatium conficit breuiori tempore*: demus igitur, quòd aquila, & teſtudo incipiant ſimul moueri ſuper duas lineas conſtantes ex decem punctis, tunc verò tempore, quo aquila pertranſit vnum pūctum, vel teſtudo etiam pertranſit illud, vel aliquid minùs, vel nihil: ſi vnum, ergo eſt æqualis in curſu cum aquila, quod eſt contra experientiam: ſi minùs, ergo punctum habet partes, quod vult Ariſtoteles; ſi nihil, ergo non incipit ſimul moueri cum aquila, quod eſt contra ſuppoſitionem.

Solutio.

26 Reſpondeo ad argumentum, quòd aquila minùs tempus inſumit in percurrendo eo ſpatio, quàm teſtudo, vnde ſi teſtudo inſumit quatuor inſtantia in conficiendo ſpatio quatuor punctorum, aquila, ſiue quoduis mobile duplò velocius, inſumet duo tantùm inſtantia, & ita in vno inſtanti percurret duo puncta: nam velocitas eſt modus quidam poſitiuus ab ipſo motu diſtinctus, quo mobile velox duplò, vel triplò plus ſpatij percurrit in eàdem duratione; quàm aliàs percurreret, ſine tali modo: exemplum ſit in multis alijs modis, nam *Vbi* eſt modus, & tamen corpus aliquod habens Vbi circumſcriptiuum videtur naturaliter, cùm tamen idem corpus cum Vbi definitiuo videri non poſſit naturaliter.

27 Nec eſt inconueniens quòd idem mobile velox in eodem inſtanti ſit in pluribus punctis ſpatij, quia licet locus adæquatus pūcti ſecundùm ſe, & prout quieſcit, ſit pūctum ſpatij, tamen vt habet coniunctum illum modum celeritatis, adæquatus locus, quem ſimul in inſtanti poteſt occupare, eſt illa pluralitas punctorum ſpatij, ad quam in vno inſtanti percurrendam habet vim ab illo modo velocitatis. Neque prætereà hinc ſequitur, quòd idem mobile dicatur eſſe ſimul in pluribus locis adæquatis, quamuis dici poſſit quód ſit in pluribus locis inadæquatis, & continuatis, quorum vnus immediaté ſuccedit alteri, vt patet in ligno, quod ſimul ſit in aqua, & in aere inadæquaté.

Hoc argumentū magis vrget aduerſarios.

28 Ita ſolutum manet hoc argumentum, quod quamuis ſit difficile, maiorem habet difficultatem in contraria opinione, quæ admittit partes, ſi enim difficile apparet, quòd in vno inſtanti percurrantur duo puncta, multò difficilius erit, ſi in vno inſtanti, vel in vna parte temporis, percurrantur duo partes ſpatij; quamuis enim pars temporis ſit minor quā pars

Digitized by Google

pars ſpatij percurrendi, ſicut in parte minori temporis, poteſt dari ad quatio cum parte ſpatij maioris, cur non poterit vnum inſtans ratione velocitatis correſpondere duobus punctis ſpatij?

Vltimũ argumẽtum ex corpore denſo, et raro.

29 Obijcis vltimò. Si continuum conſtat ſolis partibus indiuiſibilibus, & finitis, ſequitur quód idem corpus, prout eſt rarum, habet plura puncta, quàm prout eſt denſum; quod repugnat, ne dicamus idem corpus ſe ipſo eſſe maius;& minus. Sequela probatur; detur cera denſa habens quatuor puncta, tūc ſi liquefiat per idem ſpatium ceræ cui tātùm correſpondebant quatuor puncta ſpatij, reſpondent octo, quia ponitur in ſpatio duplò maiori: ergo idem erit ſe ipſo maius, & minus, quod repugnat. Hoc argumentum retorqueri poteſt in aduerſarios, quia ſi vnum Continuum conſtaret ex quatuor partibus æqualibus vnius palmi,& poſteà rareſiat, per raritatem correſpondentem octo palmis ſpatij; cùm vnicuique palmo correſpōdeat ſuus palmus continui illius, ſequitur reddi in rarefactione duplò maiorem ſe ipſo; ſiue enim partes, & puncta finita ſint, ſiue infinita, tamen lumine naturæ certum eſt non poſſe eaſdem partes occupare nunc plus ſpatij, quàm anteà, niſi vel anteà aliquæ eſſent penetratæ, vel nunc aliquæ ſint in duobus, aut pluribus locis.

Solutio huius argumenti.

30 Reſpondeo tamen in corpore rarefacto non dari plura puncta, quàm anteà, cùm erat denſum, ſed ſolùm dari nouam qualitatem, vt dicam 4. p. diſp. 73. & nihilominùs dico tale corpus conſtans illis quatuor punctis, poſſe correſpondere octo punctis ſpatij. Ratio eſt quia per rarefactionem pori illius corporis fiunt maiores, ita vt dentur in illo tot noua internalla, quot ſunt partes ſpatij de nouo acquiſitæ: conſtat enim dari in rebus maiores, & minores poros, ſecundùm quos poteſt quantitas magis aut minùs rareſcere, quin noua puncta acquirantur. Ita philoſophantur Soar. tom. 1. in 3. p. diſp. 48. ſect. 1. Fonſeca 5. Met. cap. 13. ſect. 4. ad 2. Sotus in Log. cap de Quantitate:& alij apud Conimb. de generatione, c. 5. q. 17. ar. 3 quibus ipſi ſubſcribunt: quod multò faciliùs intelligetur, ſi dicamus cum Ochamo, Gabriele, & Valleſio (quos citat, & ſequitur Arriaga in Phyſica, diſp. 16. ſect. 10. ſubſect. 2.) fieri rarefactionē per introductionem aeris, vel alicuius alterius corpuſculi, per illas vacuitates pororum, vnde mirum non eſt ſi corpus rarum correſpondeat pluribus punctis.

Soarius. Fonſeca. Sotus. Patres Conimbr. Ocham. Gabriel. Valleſius. Arriaga.

Fertur iudicium de his ſententijs.

31 Alia argumenta afferuntur pro hac ſententia, ſed quæ faciliorem habent expeditionem. Ex quibus tandem conſtat quàm immeritó, ex ſola fide parentum, vt aiunt, oppoſita ſententia damnetur: hanc veró ſententiam de partibus infinitis, propter ſolam auctoritatem tot, ac tantorum ſapientium virorum, libenter ſequerer, niſi me ingentium difficultatum fluctus detinerent, fateor tamē illam communiorem eſſe, ac magis tritam, nō veró faciliorem, ac planiorem, quod etiam aduerſarij, vel inuiti, fatentur, vt videre eſt apud Toletum, & Hurtad. ſuprà citatos; quapropter ita Zenonis ſententiam approbabo, vt Ariſtotelem non videar omnino reprobaſſe, & ideó ſequentes quæſtiones iuxta vtrāque opinionem ventilabimus.

SECTIO III.

Vtrùm, dentur indiuiſibilia realia tam copulatiua, quàm terminatiua, & quo pacto diſtinguantur, & numerentur?

In ſententia Zenonis dātur realia indiuiſibilia.

1 PRima concluſio. In ſententia Zenonis, quæ mihi probabilior eſt, dātur indiuiſibilia realia, quæ alijs indiuiſibilibus copulatiuis vniuntur. Prima pars huius concluſionis, quòd ſcilicet dētur indiuiſibilia realia, communis eſt in omni ſententia, & in hac facilè probatur, quia continuum eſt ens reale, cùm veró conſtet ex ſolis indiuiſibilibus, tanquàm ex partibus realiter componentibus, neceſſarió dicendum eſt, quòd puncta, lineæ, & ſuperficies ſint entia realia, quia ens reale, quale eſt continuum, componi non poteſt ex partibus non realibus.

Cur ex negationibus non poſſit fieri ens reale.

2 Obſtas. Quamuis puncta ſint indiuiſibilia, poſſunt tamen in hac ſententia componere continuum diuiſibile: ergo ſimiliter; quamuis puncta non forent entia realia, ſed meræ negationes, aut entia rationis, poſſent componere quantitatem, ſiue lineam continuam, & realem. Probatur conſequētia, quia quemadmodùm quod non habet diuiſibilitatem poteſt illam tribuere, ita illud, quod nō habet realitatem, poterit illam præſtare. Reſpondetur negando conſequentiam: diuerſa ratio eſt, quia puncta, quāuis non ſint extenſa, debent tamen realiter vniri, vt mox cōſtabit, & ſuppoſita hac vnione, poſſunt componere continuum: ſicut materia, & forma, quamuis non ſint entia completa, cùm tamen ſint partes reales, ratione vnionis, efficiunt ens completum. At veró negationes, & entia rationis realiter vniri non poſſunt ad componēdum

Digitized by Google

aliquod tertium (ſiquidem in re nihil ſunt reale,& vnio realis debet ſupponere extrema realia) ideò igitur ex negationibus,& entibus rationis non poteſt componi ens reale, cùm tamen poſſit ex indiuiſibilibus componi ens extenſum.

3 Secunda pars huius cõcluſionis, quòd ſcilicet etiam puncta habeant inter ſe alia indiuiſibilia copulatiua, facilè conſtabit ex dicendis pro ſecunda concluſione: illud tamen mihi ſatis probabile videtur continuatiua harum partium in ſententia Zenonis ſolùm diſtingui modaliter, neque enim multiplicādæ ſunt realitates ſine neceſſitate; cùm ergo ſufficiant modales vniones inter indiuiſibilia,nõ eſt cur reales inducantur. Et declaratur à ſimili, quia ſufficit vnio modalis inter materiā, & formam: ergo a fortiori inter puncta, vel inter partes indiuiſibiles continui. Probatur præterea ex ſententia P.Vaſquez 1. 2. tom. 1. diſp.82. cap.6. n. 2. vbi inter partes qualitatis negat continuatiua realiter diſtincta. Cùm veró non detur maior ratio cur hæc vnio idẽtificetur cum vno potiùs extremo,quàm cum alio, danda eſt duplex vnio, ſiue duplex modus vnionis, correſpondens vtrique extremo.

Vniones indiuiſibiliũ ſunt ſolũ modi.

Vaſquez.

4 *Secunda concluſio.* In ſententia Ariſtotelis dantur etiam indiuiſibilia copulatiua omnium partium proportionalium, ideſt dantur puncta lineæ,& ſuperficies. Ita,duce Ariſtotele,antiqui philoſophi, quos referunt, & ſequuntur Conimbric.6. Phyſ.cap.1. q. 1.ar.2. Soar in Met.diſp.40.ſect.15.præcipuè à n.18, & n.9. citat D.Thom.Capreol. Soncin. Hiſpal. Sot. Scot. Caiet. Alenſ.Burl. idem tenet Rub. 6. Phyſ. tract. de Compoſitione Cõtinui,q.1.§ *Quinta ſententia.* Tolet.6.Phyſ.cap.2. q. 1. Albertin. tom.2. diſp.2 de Quantit.q.3. n.3.& q.7. n. 2. Patres Diſcalc.in Phyſ. diſp. 25. q.1.

Ariſtot. Patres Conimbr. Soarius. D.Thom. Capreol. Soncin. Hiſpal. Sot. Scot. Caiet. Alenſis. Burlæus. Rubius. Tolet. Albertin. Patres Diſcalc.

5 Vt probetur concluſio ſupponendum eſt, vt certum,in vtraque ſententia, partes cõtinui neceſſariò vnitas eſſe inter ſe,medio aliquo modo vnionis,alioquin continuum eſſet aliquod aggregatum partium ſeparatarum, vt eſt aceruus lapidum, quæ enim vnita non ſunt,ad ſummum ſunt contigua(Non eſt autem ſermo de vera vnione, hæc enim ſolùm propriè datur inter res diuerſæ rationis, vt inter materiam,& formam.) Quo poſito probatur, quòd hæ vniones ſint quædam indiuiſibilia quæ dicuntur continuatiua: nam in ſententia Ariſtotelis Continua ſunt ea, *quorum partes communi termino copulantur*: ſed hic terminus non poteſt eſſe aliquid diuiſibile,ergo eſt aliquid indiuiſibile. Probatur minor, quia ſi talis terminus eſſet diuiſibilis, eſſet etiam cõtinuus,nam omne diuiſibile eſt continuum, ac proinde alio termino copularetur, vnde neceſſariò ſequeretur proceſſus infinitus. Et confirmatur,quia ſi talis terminus eſſet diuiſibilis, non foret ſimpliciter communis,ſed tãtùm ſecundùm vnam partem communicaretur vni parti,& alteri ſecundùm aliam.

Proponitur, & refutatur ſententia contra indiuiſibilia copulatiua.

6 Obijcis tamen pro contraria ſentẽtia,quæ docet, nulla dari indiuiſibilia in continuo, ſed lineam nihil aliud eſſe,quam longitudinem corporis vlteriùs non procedentem, ſuperficiem veró nihil aliud eſſe, quàm corpus vlteriùs non extenſum,ſecundùm latitudinem, & ſic philoſophantur de corpore: atque adeò indiuiſibilia nihil reale eſſe; ſed ſolùm eſſe quaſdam negationes diuiſionum excogitatas ab intellectu, ad diſtinguendas mathematicas dimenſiones; vnde conſequenter negant vniones inter has dimenſiones. Ita Durand. in 2. diſt. 4. q. 4. & omnis ſchola Nominalium, duce Ochamo in tract.de Euchar.cap.1. & 2. & in Logica cap.de Quantitate: eandem ſententiam probabilem credit Pereira in Phyſ. lib.10.de Quantit. cap. 6. §. *Reſtabant.* Item Dandin. lib.3. de Anima Comment. 111. digreſſione 20. ait indiuiſibilia in continuo eſſe meras negationes: contra eadem indiuiſibilia tam continuatiua,quàm terminatiua pugnat Fromond. in ſuo Labyrintho, præcipuè à cap.3. vbi negans realia indiuiſibilia,imaginaria tantùm admittit,qua in re ipſe nimis imaginationi ſuæ indulget, & in alias cæciores fortè ſpiras humanum torquet intellectum.

Durand. Nominal. Ocham. Pereira. Dandin. Fromond.

7 Obijcis,inquam,primó. Talia indiuiſibilia non haberent ſubiectum proportionatum: ſed cùm ſint accidentia, non poſſunt naturaliter dari extra ſubiectum: ergo ex defectu ſubiecti non dantur. Reſpondeo negãdo maiorem, nam indiuiſibilia continuatiua quantitatis,& aliorum accidentium materialium ſubiectantur in continuatiuis indiuiſibilibus materiæ primæ; & idem dicendum de partibus proportionalibus quantitatis in opinione hac,quæ illas admittit, quæ ſubiectantur in partibus eiuſdem materiæ primæ. Cùm enim materia prima ſit primum ſubiectum omnium accidentium, omnibus debet ſe accommodare: & cùm eadem materia ſit quoddam continuum entitatiuum,neceſſarió eius partes debent communi aliquo termino copulari,

Indiuiſibilia quãtitatis ſubiectantur in indiuiſibilibus materiæ.

Digitized by Google

copulari; alioquin eſſet aliquod aggregatum partium non vnitarum: & hæc eſt hodie receptiſſima ſententia, duce Soar. in Met. diſp. 40. ſect. 5. n. 46. cum alijs, quos citat Barthol- Amic. in Phyſ. tract. 15. q. 11. dub. 1. ar. 11. fol. mihi 174. quidquid in oppoſitum teneat Curſus Thomiſt. in Phyſ. q. 20. ar. 2.

Soariu. Barth. Amicus. Patres Diſcalc.

8 Obijcis ſecundò. Si darentur aliqua indiuiſibilia, præter punctum, eſſent lineæ, & ſuperficies: ſed hæc non dantur: ergo &c. Probatur minor, quia vel linea, & ſuperficies componerent corpus quâ indiuiſibilia ſunt, vel quâ diuiſibilia: non primum, quia vnum indiuiſibile additum alteri non poteſt facere corpus diuiſibile: non ſecundum, quia, quâ diuiſibilia ſunt entia completa, quæ nõ poſſunt venire in compoſitionem alterius entis completi. Confirmatur, quia non datur aliquod verum ens, quod ſimul ſit diuiſibile, & completum, & ſimul indiuiſibile, & incompletum.

9 Hoc argumentum facilè ſoluitur in ſententia Zenonis, vt conſtat ex dictis, in qua patet quomodo indiuiſibilia poſſint facere maius, nõ ſolùm per vnionem, ſed etiam per compoſitionem. In ſententia verò Ariſtotelis dicendum eſt lineam, & ſuperficiem ſolùm componere corpus, vniendo, vel terminãdo, quâ indiuiſibilia ſunt, & tunc eſſe entia incompleta. Ad confirmationem reſpondetur peculiare hoc eſſe his indiuiſibilibus, quòd ſimul ſint entia completa, quâ diuiſibilia ſunt & extenſa, & ſimul ſint incompleta, quatenus ſunt vniones, & termini, ſeu quatenus componunt copulando, & terminando: cuius rei aliquale habemus exemplum in Actione, hæc enim, per reſpectum ad terminum, eſt incompleta, quia pertinet ad eius compoſitionem, & per ordinem ad agens eſt completa. Hæc magis conſtabunt ex dicendis in Metap. diſp. de Quantit.

10 Obijcis tertiò. Quando continuum diuiditur, illa indiuiſibilia, per quæ fit diuiſio, anihilarentur, quia, cùm ſint indiuiſibilia, diuidi non poſſunt; & cùm ſint infinita non poteſt diuidi quantitas, niſi per indiuiſibilia. Similiter quando ex duobus continuis ſeparatis fit vnum, illa indiuiſibilia, per quæ copulantur in vnum, crearentur de nouo, quod vtrumque videtur incredibile, quia non datur vis aliqua naturalis, quæ poſſit anihilare, vel creare: ergo potiùs neganda ſunt indiuiſibilia copulatiua. Reſpondetur non repugnare quòd indiuiſibilia copulatiua deſinant, & reſultent alia de nouo terminatiua, ſi linea diuidatur, cùm enim ſint vniones, & termini quantitatis, neceſſe eſt, vt quoties variatur quantitas, varientur termini, & vniones, & ſicut quantitas deſinit eſſe continua, ità neceſſe eſt, vt deſinant eius vniones, ſicut pereunte Socrate, perit eius vnio. Indiuiſibilia verò terminatiua, vel copulatiua, quæ de nouo gignuntur, erant in quantitate, non actu, ſed potentialiter.

Quo pacto reſultent indiuiſibilia.

11 Alia argumenta afferuntur contra indiuiſibilia copulatiua petita ex illorum numero infinito, qui repugnare videtur, verùm vt iam conſtat ex dictis, hanc infinitudinem ſecundùm quid, non ſecundùm quid, ſed ſimpliciter integram deuerant, qui hanc ſententiam tuentur.

De Indiuiſibilibus Terminatiuis.

12 Tertia concluſio. In continuo permanente dantur indiuiſibilia terminatiua: ita communis, & vera ſententia cum Soario in Metap. diſp. 40. ſect. 5, n. 18. Sotus in Logica cap. de Quãtitate q. 2. fine. Conimbr. 6. Phyſicor. tom. 1. q. 1. ar. 2. concluſ. 2. Rub. tract. de compoſitione cõtinui n. 11. Vaſq. 1. p. diſp. 172. n. 9. vbi ait de ſuperficie terminatiua corporis nullum vſque adhuc dubitaſſe; quod tamen nõ ita audenter dicerem, ſiquidem multi, vt dixi, negant omnino indiuiſibilia poſitiua. Concluſio in primis certa eſt in ſententia Zenonis, eùm enim in hac ſententia continuum ex ſolis conſtat indiuiſibilibus finitis, vltima indiuiſibilia dicentur terminatiua continui, quia per illa terminatur, ſiue finitur continuum.

Soarius. Sotus. Patres. Conimbr. Rubius. Vaſquez.

13 In ſententia verò Ariſtotelis, probatur, quia continuum debet eſſe poſitiuè finitum: ergo per aliquod indiuiſibile terminatiuum. Antecedens probatur, nã infinitum eſt poſitiuè infinitum, per plures, & plures partes, ſine termino: ergo etiam finitum per aliquid poſitiuum debet eſſe terminatum: ſed non per partes, nam quælibet illarum habet infinitas alias: ergo per aliquod indiuiſibile finitum. Confirmatur nam indiuiduum metaphyſicum eſt finitum per aliquod poſitiuũ indiuiſibile metaphyſicè, nempe per differẽtiam indiuiduantem: ergo etiam indiuiduum phyſicum integrale, ſiue continuum, ſuum terminum vendicabit. Confirmatur prætereà, quia ſubſtantia terminatur per aliquid poſitiuum, nempe per ſubſtantiam, ergo ſimiliter quantitas per aliquid à ſe diſtinctum terminari debet. Confirmatur tandem ex tactu ſphærici ſuper planum, ex quo conſtat dari puncta, & ex tactu vnius columnæ ſupra aliam, ex quo conſtat dari lineam &c.

Verùm

Vtrùm indiuiſibilia ſeparari poſſint à continuo?

14 Sed quæſtio eſt, vtrùm hæc indiuiſibilia terminatiua realiter ſeparari poſſint à quantitate, ita vt maneat quantitas ſine omni termino? Reſpondeo probabile mihi videri, nec de potentia abſoluta fieri poſſe hanc realem ſeparationem, quia licet realiter diſtinguatur hoc indiuiſibile à continuo, aliunde tamen inuoluit repugnantiam, quia videlicet talis quantitas eſſet, & non eſſet terminata; primum ita ſupponitur: probatur ſecundum, quia maneret ſine termino poſitiuo; ſicut etiam communiter dicitur repugnare dari naturam aliquam ſubſtantialem ſine ſubſiſtentia propria, vel aliena. Neque obeſt realis diſtinctio inter lineam, & punctum terminatiuum, nam (vt bene argumentatur Fonſ. 5. Met. cap. 13. q. 6. ſect. 6. §. *Sed hæc*, citans pro ſe ad marginem Magiſt. D. Tho. Henr. Capr. Caiet.) nō omne id quod realiter ab alio diſtinguitur, ab eo ſeparari poteſt, quando videlicet eſt diſtinctio includentis ab incluſo, vt hìc etiam contingit. Non improbabiliter etiam dicet aliquis poſſe continuum diuinitus manere ſine indiuiſibili terminatiuo, ſicut aliqui exiſtimant de natura ſubſtantiali, quam diuinitus admittunt ſine ſubſiſtentia propria, vel aliena, tunc verò tale continuum negatiuè tãtùm terminatum diceretur.

Reſolutio eſt negatiua, circa terminatiua.

Fonſeca. Magiſt. D. Thom. Henric. Capreol. Caiet.

15 Circa indiuiſibilia copulatiua dicendum eſt poſſe aliquot à continuo ſeparari, deſtructis partibus continui, quas copulabãt (implicat enim manere partes vnitas ſine vnionibus) quod verum exiſtimo tam in ſententia Zenonis, quàm etiam in opinione Ariſtotelis; in vtráque enim ſententia dicendum eſt indiuiſibilia non eſſe meras vniones (illud enim, quod ſolùm eſt vnio, conſeruari non poteſt ſine partibus, quas vnit) ſed indiuiſibilia eſſe quaſdam realitates componentes cõtinuum reale, nempe eſſe lineas, ſuperficies, & puncta. Neque obſtat quòd hæc indiuiſibilia dicantur copulatiua, & vnitiua partium, ſolùm enim ſunt vniones mediatæ, punctum enim ita eſt vinculum inter duas partes lineæ, vt ipſum punctum vniatur lineæ, interueniẽte aliquo modo vnionis diſtincto ex natura rei à puncto, & identificato cum puncto, terminato tamen ad partes lineæ, vel ad aliud punctum lineæ, in quo etiam ſit alius modus vnionis ad aliud punctum, & ſimiliter dicendum de linea erga ſuperficiem, & de hac, erga corpus, ad eum modum, quo philoſophamur circa vnionem formæ materialis erga materiam. Hæc lentiùs proſequitur Soar. in Met. diſp. 40. ſect. 5. à n. 37.

Aliquot copulatiua poſsũt ſeparari.

Punctum nō eſt mera vnio.

Soarius.

16 Obijcis tamen pro contraria ſentẽtia, quæ docet indiuiſibilia non eſſe realitates, ſed immediatas vniones ac modos, proindeque non poſſe ſeparata exiſtere à partibus, quas vniunt. Ita Rub. 6. Phyſ. tract. de compoſ. Cõtin. q. 1. dub. 2. à §. *Secundum igitur*, Hurtad. in Phyſ. diſp. 15. ſect. 3. à n. 36. qui ſe obarmat auctoritate D. Auguſt. & in hanc opinionem magis inclinat Tol. 6. Phyſ. cap. 2. quæſt. 1. à concluſ. 1. Obijcis, inquam, primò; indiuiſibilia in ſententia Ariſtotelis ſolùm dantur ad vniendas partes, ſed ad hoc ſufficit quòd ſint vniones modales inter materiam, & formam. Reſpondetur negando maiorem, nam linea, & ſuperficies non ſolùm dantur, vt indiuiſibiles, ad vniendas partes; ſed aliunde ſunt entia completa, prout ſunt extenſæ, & ſumptæ ſecundùm ſe. Punctum verò, licet ſemper ſit indiuiſibile, quia tamen eſt inter duas partes realiter diſtinctas, & nō poteſt eſſe idem cum vtráque, quia identificaretur cum duplici re realiter diſtincta (quod implicat) neque detur maior ratio cur ſit idem cum vna potiùs parte, quàm cum alia, dicendum eſt quòd ab vtráque realiter diſtinguatur, ac proinde quód aliqua puncta poſſint exiſtere ſeparata.

Rubius. Hurtad. D. Aug. Toletus.

Probatur quòd punctũ nō ſit mera vnio.

17 Dixi *aliqua puncta*, nam in ſententia Ariſtotelis implicat quód omnia ſeparentur, daretur enim infinitum actu, quod fieri non poteſt, vt conſtat ex dictis. Et aliunde repugnat, quia ſi Deus ſepararet à quantitate omnia puncta, iam partes continuæ omnino manerent ſine vnionibus, ac proinde eſſent diuiſibiles, & non eſſent diuiſibiles, primum ita ſupponitur, nam quælibet pars dicitur diuiſibilis in infinitum: & deinde eſſent indiuiſibiles, ſiquidem id quod nullam habet vnionem non poteſt eſſe extenſum, aut diuiſibile, vt bene argumentatur Arriaga in Phyſ. diſp. 6. ſect. 5. ſubſect. 2.

Arriaga.

18 Obijcis ſecundò. Si puncta non ſunt modi, ſed res, vnientur alijs vnionibus: ſed tales vniones erunt etiam reales entitates: ergo indigebunt alijs vnionibus, atque adeò dabitur infinitus proceſſus. Reſpondeo negando minorem, nam vniones, per quas puncta vniuntur partibus, ſunt modi, & non realitates, & ideò non indigent alijs vnionibus. Quando verò Philoſophi dicunt indiuiſibilia eſſe vniones partium, non dicunt eſſe meras vniones, ſed aſſerunt nullam dari partem, quæ, mediantibus indiuiſibilibus, non ſit vnita alteri parti, quamuis indiuiſibilia ipſa ſolùm ſint vniones mediatæ. Verùm ex dictis ſatis

liquet,

Digitized by Google

Equet, quomodò hæ difficultates in ſententia Zenonis faciliùs diſſoluantur.

Vtrùm partes continui ſint finitæ?

Reſolutio eſt affirmatiua.

19 QVarta concluſio. In ſententia Zenonis, quam mihi duxi probabiliorem, indiuiſibilia, nempe puncta, lineæ, & ſuperficies, ſunt finita, ita defendunt Auctores ſupra citati, ſect. 1. n. 1. vno vel altero excepto, qui minùs cohærenter loquuntur. Probatur facilè concluſio, nã ſuppoſito, quód continuum ſimpliciter finitum componatur ex ſolis indiuiſibilibus, eius partes, vel indiuiſibilia non poſſunt eſſe infinita; ergo finita: nam ſi eſſent infinita, forent infinitum ſimpliciter, eſſent enim partes infinitæ, & determinatæ. Probatur ſecundó ad hominem, quia ſi aduerſarij infinita puncta ponunt in continuo, vt faciant maiorem quãtitatem, fruſtra macerantur, nam ſi vnum pũctum in eorum opinione penetrat aliud, etiã infinita penetrabuntur, & coaleſcẽt in vnum, ergo non facient maius. Neque eſt cur confugiant ad partes illas proportionales, quas ſatis confutaui.

Nullo modo admittenda ſunt indiuiſibilia infinita.

20 Probo deinde nullo modo admittenda eſſe indiuiſibilia infinita, ſed ſimpliciter eſſe finita: nam inter partes cõtinui datur pars aliqua media: ergo partes continui ſunt finitæ. Patet conſequentia, quia inter partes infinitas non poteſt aſſignari medium, quia habere medium eſt proprietas rei finitæ, ſicut habere primum, & vltimum. Antecedẽs probatur, nam quando lignum, verbi gratia, diuiditur in duas partes, aliqua pars determinata continui deſtruitur: ergo illa pars inter alias mediabat, ſeu erat media.

Non ſunt admittendæ partes infinitæ.

21 Probatur tertió, quia ſi in continuo darentur infinitæ partes diuiſibiles, eſſent inter ſe æquales in magnitudine, & extenſione; ſed hoc repugnat, quia facerent infinitum ſimpliciter, ergo & illud, ex quo ſequitur. Maior probatur, nam vna linea, verbi gratia, poteſt diuidi in duas dimidietates æquales, & hæ dimidietates in quatuor quartas æquales, & iſtæ quartæ in octo octauas, & hæ in ſexdecim æquales, & ſic in infinitum: ergo daretur infinitum ſimpliciter. Hoc argumento coacti Ariſtotelici ſuis infinitis partibus proportionalibus ſe protegunt, atque ita, ſi non abſcondunt, ſaltem obnubilant veritatem: dicunt enim non poſſe continuum actu diuidi in tot partes æquales, ſed in proportionales minores, & minores ſine termino; ſed contra, quia ſaltem diuinitus poterit continuum diuidi in omnes ſuas partes, & per conſequens in partes æquales, nam Deus poteſt omnes partes continui æquales reddere; tunc veró rogo vtrùm ſint infinitæ, vel finitæ? Si dicas eſſe infinitas, ergo datur infinitum ſimpliciter: ſi negas eſſe infinitas, habemus intentum, quod ſcilicet continuum finitum componatur ex partibus finitis. Additur quòd illæ partes proportionales eſſent infinitæ, ſaltem numero, quod negare non poſſunt aduerſarij; at verò inter philoſophos non minùs repugnat infinitum numero, quàm infinitum longitudine, & magnitudine.

22 Probatur quartò. Quælibet pars continui conſtat ex partibus finitis: ergo omnes partes ſunt finitæ. Antecedens probatur, nam quælibet influit in ſuum continuum, non poteſt verò influere per partes infinitas: ergo quælibet conſtat ex finitis. Minor probatur primò, quia ex illis partibus infinitis aſſignatis, & cognitis à Deo, non omnes immediatè vniuntur, ſed earum dimidietas: ergo non influit per partes infinitas. Secundò, quia ſi ex illis infinitis numeraret Deus mille ſe excedentium in proximitate ad continuatiuum, milleſſima illi immediatê proxima eſt, quæ influit, & non reliquæ. Tertió, ad quid neceſſariæ ſunt partes infinitæ? ſuperfluunt enim, cũ ſufficeret vna ex illis ad eam finitam cauſalitatem indiuidualem, terminatam ad indiuiſibile. Quartó, ſi partes, vt partes ſunt, influunt, ergo infinita earum indiuiſibilia ad vnum ſolùm punctum cõiungentur, quod quis credet?

23 Probatur quintò, quia pũctum poteſt eſſe immediatum puncto, & poteſt eſſe antè, vel retro, vt patet ex tactu globi ſuper planũ: ergo tria puncta poſſunt componere longitudinem, quia ita poſſunt diſponi, vt vnum ſequatur aliud, & primum non tangat tertium, quamuis tangat ſecundum; ſed hæc longitudo non erit infinita, vt vel ſenſui patet, ergo erit finita ex punctis finitis. Confirmatur, quia nunquàm intelligibiliter explicatur, cur ad finitam extenſionem, requirantur partes infinitæ aut puncta infinita? aut cur ex punctis finitis non fiat aliquid extenſum? vt patet ex dictis ſect. 1.

24 Probatur ſextò, nam ſi continuum componeretur ex infinitis partibus diuiſibilibus, vel indiuiſibilibus; proportionalibus, vel improportionalibus: ſimiliter etiam tempus componeretur ex infinitis partibus, ſed, hoc dato, ſequitur quód nullum corpus ſucceſſiuo motu poſſet conficere ſpatium palmare, niſi in æternitate, quod certé nollent aduerſarij concedere: ſed probatur iſta ſequela, quia in omni ſententia nullæ duæ partes temporis ſunt ſimul, ſed vna ſuccedit poſt aliam: atquè immediatè poſt hoc inſtans non poterit

mobile

Digitized by Google

mobile pertranſire duas partes temporis, prout ſunt duæ, quia vna earum eſt remotior ab hoc inſtanti, & ita non eſt immediatè poſt hoc inſtans: ergo ſi in hora ſunt infinitæ partes in infinitum diuiſibiles, mobile nunquàm poterit peruenire ad finem horæ, quia nullum eſt in hora inſtans, poſt quod non ſint tranſeundæ infinitæ partes temporis, quarum nullæ duæ poſt vllum inſtans immediatè peragantur: atque adeò ſequitur in ſententia Ariſtotelis, quód ſpatium palmare nunquàm poſſit pertranſiri.' Quòd tamen argumentum in ſententia Zenonis facillimè ſoluitur, cùm enim non dentur partes infinitæ, neque infinita indiuiſibilia in ſpatio, vel in hora, nullo modo nos vrget, vt patet. Multis prætereà argumentis ſuperſedeo, quæ mihi facilè occurrunt contra hanc partium infinitudinem.

Refellitur contraria ſententia.

25 Obijcis tamen primó pro contraria ſententia, quæ docet partes continui eſſe infinitas, ſicut etiam indiuiſibilia, quibus hæ partes copulantur, & terminantur: quam ſequuntur Scotus. Durand. Gregor. Soncin. Sot. & alij, quos citat, & ſequitur Rubius ſupra citatus. Item Pereira in ſua Philoſophia lib. 10. cap 13. & 15. Soar. & Hurtad. ſupra allegati, idem quóad partes in infinitum diuiduas amplectitur Fromondus in ſuo Labyrintho, à cap. 32. quod latè probare intendit ſcholaſticorum, & patrum teſtimonijs. Eandem tenēt reliqui auctores, quos ſupra citaui, quatenus exiſtimant continuum non componi ex ſolis indiuiſibilibus.

Scot. Durand. Gregor. Soncin. Sotus. Rubius. Pereira. Soarius. Hurtad. Fromond.

26 Obijcis, inquam, primó. Ariſtoteles definit continuum *eſſe id, quod eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia*; ergo habet infinitas partes, & pūcta. Reſpond. quòd hanc definitionem omnino reijcimus, vt ſatis conſtat ex dictis: & ſanè quis ſanæ mentis admittet continuum vnius palmi v. g. ſemper poſſe diuidi, ſine fine? quamuis enim homo fortaſſe non poſſet illud in omnes ſuas partes diuidere, poterit tamen Angelus, vel Deus: vnde neganda eſt conſequentia.

27 Obijcis ſecundò. Conſtat in continuo dari partes (vt patet experientiâ in diuiſione alicuius tabulæ, in qua etiam ante diuiſionem neceſſarió ſunt admittendæ partes: quod bene confirmat Rubius citatus n. 42. ex Tridētino ſeſſ. 13. Canon. 3. definiente totum, & integrum Chriſti corpus veré, & realiter, & ſubſtantialiter contineri in hoſtia conſecrata, & in ſingulis eius partibus) Ex quo ſequitur has partes neceſſariò eſſe infinitas. Probatur, nam qualibet minima pars, cúm eſſentialiter ſit extenſa, neceſſariò ſemper erit diuiſibilis, alioquin perdet eſſentiam partis; vnde conſequenter puncta vnientia has partes erunt infinita. Reſpondetur tamen partes non eſſe eſſentialiter extenſas, vt conſtat ex dictis; atque adeò non implicat quód partes diuiduæ tandem diuidantur in partes indiuiſibiles, vnumquodque enim reſoluitur in ea, ex quibus conſtat; vnde nihil contra nos colligit Rubius ex Tridentino, non enim negamus partes in continuo, ſed dicimus has partes tādem conſtare ex indiuiſibilibus: vnde corpus Chriſti Domini verè, & realiter eſt, vel in aliqua parte maiori hoſtiæ conſtante ex pluribus indiuiſibilibus, vel etiam in quolibet reali puncto, quod eſt pars indiuiſibilis hoſtiæ.

SECTIO IV.

Vtrúm indiuiſibile ſeparatum á continuo poſsit moueri localiter.

1 SIt concluſio. Punctum, diuina virtute ſeparatum à linea, poterit naturaliter moueri motu locali, non virtute propria, ſed aliena, & ab extrinſeco. Hæc concluſio eſt valde controuerſa, habet tamen illuſtres auctores, illam ſequitur Scot. in 2. diſt. 2. q. 9. §. *Ad tertium argumentum*. Lichet. & Baſſol. ibi q. 4. ar. 2. Mairon. q. 12. Greg. q. 2. ar. 1. Valleſ. controu. 58. ad Tyrones, quam etiam veriorem credit Tol. 6. Phyſ. cap. 2. q. 1. ſub titulo Dubia quædam &c. § *Tertia ſolutio*. Fauet maximè P. Barth. Amic. in Phyſ. tra. 25. q. 1. fol. 1011. vbi defendit punctum ſeparatum poſſe ſupernaturaliter per ſe moueri. Hanc præterea tenent omnes, qui docent continuum conſtare ex ſolis indiuiſibilibus, in qua ſententia nullam difficultatem habet hæc concluſio.

Poteſt moueri localiter.

Scotus. Lichetus. Baſſol. Mairon. Gregor. Valleſ. Tolet. Barth. Amicus.

2 Probatur, quia motus ex ſua ratione formali ſolúm dicit, vt id, quod mouetur modò ſit in termino à quo, & modò ſit in termino ad quem, & propterea eſſentialiter poſtulat ſucceſſionem, ſed punctum ſeparatum poteſt eſſe modò in termino à quo, & modò in termino ad quem: ergo poteſt moueri. Maior videtur certa: probatur minor; propterea pūctum nō poſſet eſſe modó in termino à quo, & modò in termino ad quem, quia id, quod mouetur, debet ſucceſſiuè commenſurari partibus ſpatij veri, aut imaginarij, indiuiſibile autem, cùm nullas habeat partes extenſas, quæ poſſint commenſurari partibus extenſis ſpatij, nullo modo poterit moueri per partes ſpatij: atqui hoc non obſtat: ergo &c.

3 Probatur hæc minor, quia ſpatium, quod percurritur, totum etiam conſtat ex indiuiſibilibus, in hac ſententia, ergo poterit

punctum

Digitized by Google

punctum moueri correſpondendo punctis ſpatij per quod mouetur. Vnde quando Philoſophus requirit ſucceſſionem in motu, nunquàm aſſeruit, ſubiectum motus, ſeu mobile debere eſſe diuiſibile, ſed requirit ſucceſsionem, & diuiſibilitatem ſaltem ex parte ſpatij percurrendi, quam nos admittimus in puncto indiuiſibili, ſi moueatur per ſpatium diuiſibile, ad eum modum, quo *Soarius.* Soar. lib. 4. de Angelis cap. 17. à n. 1. philoſophatur de Vbi Angelico, quod in ſe eſt indiuiſibile, quamuis ratione ſpatij ſit diuiſibile. Ita ſimiliter aſſero mobile indiuiſibile, nempe punctum, non poſſe moueri motu continuo continuitate mobilis, nihilominùs tamen moueri poſſe motu continuo continuitate ſpatij.

4 Confirmatur ex motu recto, quo trahitur globus perfectè ſphæricus ſuper planum, in quo motu neceſſariò dicendum eſt punctum ſolum habere ſucceſſionem ex parte ſpatij, quod percurrit, tangendo ſemper eius indiuiſibilia, vt patet ex ſect. 1. huius diſp. Neque ſoluet argumentum qui dixerit punctum globi nō moueri per ſe, ſed per accidens: in hoc enim non eſt difficultas, ſed in commēſuratione ſucceſſiua, dato enim quód ſemel punctus ſit ſeparatus, cùm aliunde non repugnet ratione commēſurationis cum partibus ſpatij, facilè poterit ipſe ſolus punctus moueri.

5 In ſententia veró Ariſtotelis, cùm poſt aliquod punctū immediatè ſequatur pars extenſa, & cū punctū omnino indiuiſibile non poſſit commenſurari parti diuiſibili, liquidò cōſtat nō poſſe pūctū nèque ſeparatū, neque vnitū per ſe moueri, quia implicat rē indiuiſibilē correſpondere parti diuiſibili. Quarè cū aliunde pūctus ſaltem adiunctus, & vnitus in globo ſphærico moueatur, vt experientia teſtatur, inde eſt quòd ſuprá ſententiam Zenonis potiùs approbaui, cū in ea hæc, & aliæ difficultates facilliſsimè reſoluantur.

6 Dixi in concluſione, poſſe punctū moueri naturaliter, non tamē ab intrinſeco, ſciēdū enim eſt primò, punctū, cū ſit omnino indiuiſibile, nō habere potētiam motiuam, per quā poſsit moueri ab intrinſeco, cū nō ſit natura, quæ ſola eſt principium motus, vel quietis; quarè ſolùm ab extrinſeco poterit moueri. Sciendum prætereà eſt ſecundò: aſſerere aliquos, ſola ſupernaturali virtute moueri poſſe punctum ſeparatum, quod mihi placere nō poteſt, ſi enim ſemel vincitur repugnātia, quæ dari videtur in motu puncti, conſequēter dico quouis etiam leuiſsimo flatu impelli poſſe maximam punctorum multitudinem, cū ſint minimæ reſiſtentiæ.

7 Neque obſtat, quód pūctum, cū ſit indiuiſibile, non videatur per ſe capax contactus phyſici, qui requiritur ad illū motum ab extrinſeco, concedo enim non eſſe capax cōtactus phyſici diuiſibilis, nego tamen nō poſſe in ſe recipere impulſum impreſſū per alia indiuiſibilia; nam quemadmodùm punctum quantitatis ſubiectatur in puncto ſubſtantiali illi correſpondente (vt eſt communis noſtrorum ſententia, quos citat, & ſequitur Barthol. Amic. in Phyſ. tract. 15. q. 11. dub. 1. a 11. fol. 174.) Ita ſimiliter impulſus, cúm ſit qualitas corporea, & diuiſibilis, atque adeò pūctis copulata, poterit per punctum aliquod attingere punctum ſeparatum; nec dabitur maior ratio, quarè punctum ſubſtantiæ corporeæ ſit ſubiectum proportionatum, ad recipiendum punctum quantitatis, punctum veró impulſus non ſit proportionatum ad agēdum in aliud punctum; præcipuè cúm hoc fiat in virtute cauſæ impellentis: quamuis etiam bene poſſit Angelus ſine impulſu deferre punctum per ſpatium ſucceſsiuè: quod licet alicui mirum videatur, nihilominùs inter tot indiuiſibilium mirabilia, miſerrimum argumenti genus eſt admiratio ſola. *Barthol. Amicus.*

Proponitur & reijcitur contraria ſententia.

8 OBIICIS pro contraria ſententia, quæ communis eſt, quam defēdunt D. Th. Alb. Mag. AEgyd. Sot. Iand. Capr. quos citat, & ſequitur Rub. 6. Phyſ. cap. 10. q. vnica á n. 16. eandem ſententiam ſequuntur PP. Conimbr. 6. Phyſ. cap. 10. q. 1. art. 2. qui alios allegant. Obijcis, inquam, primò, & principaliter. Motus localis neceſſariò eſt continuus: punctum eſt omnino indiuiſibile: ergo non poteſt moueri cōtinuè, & ſucceſsiuè, implicat enim rem indiuiſibilem correſpōdere ſpatio diuiſibili. Hoc argumentum in ſententia Ariſtotelis difficillimum eſt: nos tamen valeo ictu hunc nodum cædimus; reſpondetur igitur, motum ſemper continuum eſſe, ſaltem ex parte ſpatij percurrendi: deinde concedimus, non poſſe punctū tangere ſpatium diuiſibile tactu adæquato, & permanente: negamus veró de tactu inadæquato, & ſucceſſiuo. cùm enim ſpatium conſtet indiuiſibilibus, poteſt punctum indiuiſibile per motum correſpondere indiuiſibilibus ſpatij, quod patet exemplo globi tangentis planum in puncto, ſi per planum moueatur, vt probaui in ſect. 1. *D. Thom. Albert. Magn. AEgid. Sotus. Iand. Capreol. Rubius. Patres Conimbr.*

9 Obijcis ſecundó Motus augmentationis, & alterationis, nec diuinitus propriè reperiri poteſt in puncto: ergo neque etiam motus localis propriè in puncto reperietur, ſiquidem in omnibus eadem videtur dari implicatio, propter ſucceſſiuam continuitatem. Reſpondeo negando conſequentiam; maior ratio eſt, quia ad propriam rationem motus localis, ſufficit ſucceſſio ratione ſpatij, qua res concipiatur modò in vno termino, modò in alio, id enim propriè ſignificat motus localis, ideſt, mutationem vnius loci ad alium: at verò ad rationem propriam augmentationis, & alterationis, requiritur, vt idem ſubiectum augmentetur, & alteretur, quod nullo modo poteſt conuenire puncto, vt vidimus in hac ſecunda parte: at veró eſſe in diuerſis locis nullo modo repugnat puncto, omnes enim concedent, poſſe punctum, quod eſt Conimbricæ diuinitus reproduci Olyſippone.

10 Obijcis tertiò. Motus non poteſt dari in inſtanti ex eo, quòd ſit eſſentialiter ſucceſſiuus: ergo neque in puncto. Probatur conſequētia, quia tam indiuiſibile eſt inſtans, quā punctum. Reſpondeo negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia inſtans nec ratione ſui, nec ratione alterius habet ſucceſſionem; at verò punctum poteſt habere ſucceſſionem ratione ſpatij: motus igitur eſſentialiter quidem poſtulat ſucceſſionem, non poſtulat tamen eſſentialiter diuiſibilitatem ex parte ſubiecti: conſequenter tamen dicendum exiſtimo poſſe Deum conſeruare aliquod inſtans per annum integrum (correſpondendo ſcilicet inſtantibus, quibus ſolùm in hac ſententia Zenonis conſtat tempus) & adhuc ratione ſui erit indiuiſibile, quamuis ratione temporis ſit diuiſibile, ad eum modum, quo pūctum indiuiſibile ratione ſpatij mouetur ſucceſſiuè; adhuc tamen dari non poterit motus in eo inſtanti, licet dari poſsit in tempore, in quo à Deo conſeruatur.

11 Obijcis quartò. Punctum eſt accidens corporeum, ſiquidem eſt punctum quantitatiuum: ergo debet moueri motu corporeo: ſed motus corporeus ſemper eſt diuiſibilis: ergo nunquàm poteſt abſtrahere à correſpondentia partium, ſicut abſtrahit motus Angeli, qui eſt ſpiritualis. Reſpondeo concedendo, punctum eſſe accidens corporeum, quatenus reperitur in corpore, ſeu potiùs negatiuè, quatenus ſpirituale non eſt: nego tamen non poſſe moueri niſi motu corporeo, hoc eſt, niſi motu correſpondente partibus diuiſibilibus ſpatij; nam punctum ita eſt corporeum, vt nullo modo ſit corpus diuiſibile, ac proinde mirum non eſt, ſi non correſpondeat corpori, vel cuiuis alteri extenſioni: neque obſtat, quòd non ſit ſpirituale, nam inter corporeum, & ſpirituale dantur indiuiſibilia corporis, quæ propriè nō ſunt corpus, neque ſpiritus. Interim tamen quieſcat punctum ab hoc motu cōtinuo, inutile enim videtur tot extēdere argumenta circa punctum inextenſum.

SECTIO V.

Quo pacto incipiant, & deſinant tam indiuiſibilia, quàm continua?

ANTEQVAM concluſiones aliquæ proponātur, neceſſarió explicandi ſunt termini: eſt igitur inceptio initium durationis, deſitio eſt finis: duobus modis poſſunt res incipere, & duobus deſinere: primò ita res incipit, vt nunc, ideſt, in hoc inſtāti, ſit, ſed immediatè anteà, ideſt, in tempore antecedente non fuerit, quod eſt incipere intrinſecè, & per primum ſui eſſe: ſecundò ita res incipit, vt nunc, ideſt, in hoc inſtanti, non ſit, ſed immediatè pòſt, ideſt, in tempore ſubſequenti ſit, quod eſt incipere per vltimum non eſſe, quia eſt vltimum inſtans, in quo res non eſt, ſed immediatè in tempore ſtatim ſequenti poſt illud inſtans erit, & hoc dicitur incipere per vltimū non eſſe, ſiue extrinſecè. *Quid ſit inceptio, & deſitio?*

2 Præterea primus modus deſinendi dicitur primum non eſſe, quod eſt deſinere extrinſecè, & eſt primum inſtans, in quo verum eſt dicere, nunc, ideſt, in hoc inſtanti, non eſt, ſed immediatè ante hoc inſtans habuit ſuum eſſe: ſecundo modo deſinit res per vltimum eſſe, quia habet vltimum inſtans, in quo res habet eſſe, & in tempore ſtatim ſubſequēti non habebit tale eſſe, & dicitur deſinere intrinſecè. Tandem ſupponendum eſt, dari præfixos quoſdam terminos, *ac certos denique fines, quos vltra, citràque nequit conſiſtere corpus*, iuxta ea, quæ dixi in hoc tract. lib. 1. diſp. 20. ſect. 3.

3 De hac materia agit Philoſophus in hoc lib. 6. cap. 6. breuiter tamen, & compendioſè, eandem tractant latè, & doctè PP. Conimb. 8. Phyſ. cap. 8. quia iterum ibi Philoſophus perſtrinxit hanc materiam, de qua ipſi diſputant q. 2. per totos ſex articulos. De eādem re diſſerunt Rubius 6. Phyſ. cap. 6. tract. de modo incipiendi rerum omnium, Pereira in Phil. libro 14. capit. 9: Hurt. in Phyſ. diſput. 15. ſect. 8. Toletus 6. Phyſ. cap. 7. quæſt. 4. videri etiam poteſt *Ariſtot.* *Patres Conimbr.* *Rubius.* *Pereira.* *Toletus.*

P. Soar,

Digitized by Google

Soarius. Arriaga. P. Soar de Sacrament. tom. 1. in 3. p. ad q. 42. diſp. 8. ſect. 1. per totam, agit ibi de inceptione & deſitione, item Arriaga in Phyſica diſpu. 16. ſect. 12. ex quibus collegi has cõcluſiones.

Prima Concluſio. Motus, & tempus, in communi Ariſtotelis ſententia, incipiunt per vltimum non eſſe, deſinuntque per primum non eſſe. Probatur breuiter, quia motus, & tempus non poſſunt eſſe in inſtanti: ergo non habent primum, neque vltimum inſtans, in, quo poſſint incipere, & deſinere: vnde ſequitur non eſſe verum dicere in principio motus, nunc, ideſt, in hoc inſtanti, eſt motus, & immediatè anteà non erat; ſed potiùs, nunc, ideſt, in hoc inſtanti, non eſt motus, & immediatè pòſt in tempore ſequenti erit motus. Et ſimiliter in fine motus non eſt verum dicere, nunc, ideſt, in hoc inſtanti, eſt motus, & immediaté pòſt non erit, quòd dicitur deſinere per vltimum eſſe: ſed potiùs verum eſt dicere, nunc in hoc inſtanti iam non eſt motus, ſed fuit immediaté anteà in tempore antecedente, ac proinde motus deſinit extrinſecé. Et quod dixi de motu intelligendum eſt de rebus permanentibus, quæ cum motu incipiunt, ac deſinunt.

5 *Secunda Concluſio.* Indiuiſibilia motus, ac temporis, nempe mutata eſſe, & inſtantia incipiunt per primum ſui eſſe, & deſinunt per vltimum ſui eſſe. Probatur, quia hæc indiuiſibilia carent partibus, atque adeò totum ſuum eſſe habent ſimul, quarè verum eſt dicere cùm incipiunt, nunc eſt mutatum eſſe, vel inſtans, & immediatè antè in tempore antecedente non erat: deſinunt ſimiliter in inſtanti, ideſt, ad ince[illegible] partis motus ſubſequentis, & ita ve[illegible] eſt dicere, nunc eſt mutatum eſſe, & immediatè pòſt tempore ſequenti non erit.

6 *Tertia Concluſio.* Res permanentes, ſi ſint viuentia corporea incipiunt per primum ſui eſſe: at verò non viuentia incipiunt per vltimum ſui non eſſe, ſicut motus. Probatur prima pars, quia viuentia quoad ſui generationem poſtulant materiam certæ magnitudinis, ſiue terminum intrinſecum paruitatis, qui dicitur minimum quod ſic, infra quẽ non poteſt introduci in aliqua eius medietate viuens, ſed neceſſariò requirit illam certam magnitudinem, in quam introducitur viuens in inſtanti, iuxta ea, quæ diximus lib. 1. diſput. 20. ſect. 4. numero 4. ergo incipiunt per primum ſui eſſe, quia verum eſt dicere nunc in hoc inſtanti, & in hac materia eſt viuens, & immediatè anteà in tempore antecedente, vel in materia antecedente non erat.

7 Probatur ſecunda pars, ideſt, non viuentia incipere per vltimum ſui non eſſe. Quia non viuentia non generantur in inſtanti, ſed ſucceſsiuè, priùs enim introducitur forma in medietate paſsi, quæ eſt proximior agenti, deinde in remotiori (vt patet in productione caloris) ac proinde progreditur forma ſucceſsiuè, & per motum, quarè nunquàm erit verum dicere, nunc in hoc inſtanti eſt, & immediatè anteà non fuit, ſed potiùs verum eſt dicerè, nunc, ideſt, in hoc inſtanti non eſt, & immediatè pòſt erit: quod non tollit quominùs forma cadaueris, quæ ſuccedit animæ rationali, incipiat in inſtanti, ſicut etiam ipſa anima deſinit in inſtanti: alioqui eſſet aliquando materia ſine aliqua forma, nam, cùm anima deſinat in inſtanti, niſi cadauer incipiat in ſequenti inſtanti, daretur aliquod inſtans, in quo pars aliqua materiæ eſſet naturaliter ſine forma.

8 *Quarta Concluſio.* Res ſpirituales, vt Angelus, & anima rationalis incipiunt per primum ſui eſſe. Probatur, nam hæc incorruptibilia totum ſuum eſſe habent ſimul ergo in inſtanti incipiunt, ita vt verum ſit dicere, nunc, ideſt, in hoc inſtanti, eſt Angelus, & immediatè anteá non erat, quod eſt incipere per primum ſui eſſe. Vnde colligo implicare quòd res ſpirituales incipiant per vltimum non eſſe, ideſt, per motum, quia eſſe harum rerum eſt totum ſimul, nec illis tribui poteſt, niſi in inſtanti. Quo pacto incipiant res ſpirituales.

9 *Quinta Concluſio.* Si res ſpirituales à Deo anihilarentur, deſinerent per vltimum ſui eſſe. Probatur, quia eſſe rerum ſpiritualium eſt totum ſimul, ergo ſicut in primo inſtanti, in quo acceperunt eſſe, verum eſt dicere, nunc eſt Angelus, & immediatè anteá non erat, ita in hoc ipſo inſtanti deſinent, vt verum ſit dicere, nunc in hoc inſtanti eſt Angelus, & immediaté pòſt non erit, ſicut diximus de indiuiſibilibus motus.

10 *Sexta Concluſio.* Subſtantiæ corruptibiles, quæ gignuntur, & intereunt, incipiunt per primum ſui eſſe, & deſinunt per primum non eſſe. Probatur prima pars, quia forma ſubſtantialis introducitur in inſtanti poſtquàm ſcilicet, materia eſt diſpoſita: ergo verum erit dicere, nunc in hoc inſtanti eſt forma ſubſtantialis, & immediatè antè non erat: ſed hoc eſt incipere intrinſecè, ſeu per primum ſui eſſe: ergo, &c. Probatur ſecunda pars, quia ſemper generatio vnius rei eſt coniuncta cum corruptione alterius: ergo quando res vna deſinit, incipit alia, ac proinde deſinit per primum ſui non eſſe, ita vt verum ſit dicere, nunc in hoc inſtan-

Digitized by Google

inſtanti non eſt res, ſed immediatè antè fuit, ſiquidem fuit toto tempore antecedente; ſi enim foret ſolùm in inſtanti, tunc verum eſſet dicere, nunc eſt in hoc inſtanti, & immediatè pòſt non erit tempore ſubſequenti, proindeque deſineret intrinſecè per vltimum ſui eſſe, ſed his rebus non repugnat eſſe in tempore (ſicut repugnat indiuiſibili motus) ergo dicendum eſt, quòd deſinant per primum nõ eſſe, ita vt verum ſit dicere, nunc in hoc inſtanti non eſt Socrates, & immediatè antè toto tempore antecedente fuit.

Quo pacto res incipiant, et deſināt in ſententia Zenonis.

11 Hæc procedunt in communi Ariſtotelis ſententia, quæ defendit continuum non conſtare ex ſolis indiuiſibilibus, in qua ſatis conſtat quàm multis obſcuritatibus hæc doctrina in his inceptionis, & deſitionis termini ſine termino obruatur: cùm aliunde in ſententia Zenonis hæc omnia facillimè expediantur: in ea enim dicendum eſt, res omnes, tam permanentes, quàm ſucceſſiuas incipere, tum extrinſecè per vltimum ſui non eſſe, tum etiam intrinſecè, per primum ſui eſſe: item deſinere intrinſecè per vltimũ ſui eſſe, & extrinſecè per primum ſui non eſſe: exemplũ ſit in linea, hæc enim habet vltimum ſui non eſſe, ideſt punctum aliquod, quod eſt immediatè ante ipſam, & in quo ipſa adhuc non eſt: & habet primum ſui eſſe, ideſt primum punctum, ex quo incipit eius compoſitio.

12 Item eadem linea habet primum ſui non eſſe, ideſt punctum, quod eſt immediatè poſt ipſam; & habet vltimum ſui eſſe, ideſt pũctum vltimò illam complens; quæ omnia in ſententia Zenonis, quæ mihi probabilior eſt, euidenter apparent, in ea enim opinione omnia continua conſtant ir diuiſibilibus: & deinde res ſpirituales nõ habẽt partes extenſas. Ratio verò à priori eſt, quia ad primũ eſſe alicuius rei antecedit nõ eſſe ipſius rei: item vltimo nõ eſſe ipſius rei non poteſt immediatè ſequi, niſi primũ ſui eſſe; & ad vltimũ eſſe nõ poteſt ſequi immediatè, niſi primũ nõ eſſe: ergo omnes res debẽt incipere, & deſinere modis prædictis, nec poſſunt per vnum incipere, & deſinere, quin per aliud ſimul incipiant, vel deſinant.

13 Neque hinc ſequitur motum incipere, & deſinere totum ſimul, vel in inſtanti; ſolùm enim incipit per puncta, quæ propriè nõ ſunt motus, ſed partes motus, & ideò motus, ſecundùm ſe, totus non poteſt ſimul exiſtere, cùm eſſentialiter ſit ſucceſſiuus, & conſequenter eſſentialiter poſtulet non conſeruari in vna parte indiuiſibili, in inſtanti ſcilicet, aut puncto. Sed qui iam tandem in his definitionibus definit diſputare de punctis, is profectò. *Omne tulit punctum.*

14 Hæc ſunt quæ de compoſitione Continui breuiter aut explicaui, aut implicaui, hic ille eſt Labyrinthus, vel Dedalæo remigio inueſtigabilis,

Hic labor ille domus, & inextricabilis error. *Virgil. Æn. 6.*

LIBER VII ET VIII.

DE PRIMO MOTORE.

DISPVTATIO XXXVI.

De indiſtantia, quæ debet intercedere inter primum motorem, & rem motam.

EXtremam tanto operi manũ imponit Ariſtoteles, cuius præſtantiſſimi ingenij ſplẽdor in his vltimis libris præſtãtiùs eluceſcit; dum ab his rerum naturaliũ motibus accedit ad primum motorem demonſtrandum, qui fuit ſcopus, quò omnes Ariſtotelici motus diriguntur. Ergo paulatim progreditur, & vt deueniat in cognitionem huius primi motoris, ſupponit in hoc ſeptimo lib. requiri neceſſariò indiſtantiam inter eum, qui primò mouet, & rem motam, de qua ſuppoſitione agendum nobis eſt in hac diſputatione.

SEC.

Digitized by Google

SECTIO I.

Vtrùm cauſa creata mouens aliam debeat eſſe approximata paſſo?

Indiſtantia requiritur phyſicè. Ariſtot. Soarius. D. Thom. Durand. Caiet. Farrar. Capreol. Albertus Magn. Aphrodiſ. Auerroes. Molina. Vaſquez. Hurtad. Arriaga.

1 PRima concluſio. Indiſtantia inter cauſam mouentem, & rem motam eſt conditio phyſicè neceſſaria ad agendũ: ita imprimis Ariſtot. lib. 7. Phyſ. cap. 2. quem communiter ſequuntur Philoſophi, ac Theologi, vt videre eſt apud Soar. in Met. diſp. 18. ſect. 8. vbi n. 10. citat D. Thom. Durand. Caiet. Ferra. Capr. Alb. Magn. Aphrodis. & Auerr. Idem tenet Mol. 1. p. q 8. art. 1. Vaſq. tom. 2. in 1. p ad q. 52. ar. 1. diſp. 189. ca. 2. à nu. 5. vbi oſtendit neque Angelum poſſe operari, niſi ſit approximatus effectui; idem ſequitur Hurtad. in Phyſ. diſput. 9. ſect. 6. num. 56. & Arriaga in Phyſica diſp. 7. ſect. 6. ſubſect. 1.

2 Probatur concluſio, quotidianâ experientiâ, ſi enim inter agens, & patiens interponatur corpus incapax talis actionis, non poterit agens operari in paſſum; vt ſi inter ignem, & Socratem interponatur paries, vel magna aliqua diſtantia: atque huius experientiæ ratio ea eſt, quia cùm agentia naturalia ſint limitatæ virtutis, non poſſunt extra ſuam ſphæram operari: & cùm non agant, niſi per actionem, ſi hæc recipi non poteſt in corpore intermedio, tanquàm in ſubiecto capaci, per quod tranſire poſſit in aliud corpus, nihil operabitur talis cauſa in rẽ diſtantem.

3 Dixi in concluſione, *indiſtantiam eſſe neceſſariam phyſicè*, quia quæſtio eſt, vtrùm agentia creata poſſint eleuari à Deo ad operandum immediatè in remotum, ſiue vbi non ſunt neque per ſe, neque per ſuam virtutem? Cuius quæſtionis duplex poteſt eſſe ſenſus. Primus eſt, vtrùm cauſa ſecunda, v. g. hic ignis poſſit eleuari ad producendum effectum, calorem, ſcilicet, in parte remota, quæ tamen ſit intra ſphæram ſuæ actiuitatis, nihil producendo in medio? v. g. poteſt ignis intra ſuam virtutem diffundere calorem in viginti paſſus, ita tamen, vt priùs calefaciat in primo, deinde in ſecundo, vſque ad vigeſimum: Quæſtio igitur eſt, vtrùm diuinitus poſſit calefacere in vigeſimo, non priùs calefaciendo, neque aliquid producendo in paſſibus intermedijs? Secundus ſenſus eſt, vtrùm poſſit quoduis ens creatum aſſumi à Deo, tanquàm inſtrumentum ad operandum, vbi nullo modo exiſtit, v. g. vtrùm poſſit ignis, qui eſt Conimbricæ diuinitus calefacere Olyſſiponem?

4 Sed antequàm quæſtio in hoc ſenſu reſoluatur: obijcis contra concluſionem pro contraria opinione, quæ docet non requiri indiſtantiam inter agens & patiens, quam tenet Scot. in 1. diſt. 7. q. vnica. Ocham. & Gabr. ibid. cum reliquis Nominalibus, præter alios, quos citant Conimbric. lib. 7. Phyſ. cap. 2. quæſt. 1. ar. 2. Obijcis, inquam, primò. Phantaſia reſidet in capite, & tamen effectiuè mouet appetitum, qui eſt in corde: ergo cauſa mouens poteſt naturaliter mouere rem diſtantem. Huic argumento admittunt maiorem, & minorem Patres Conimbricenſes 7. Phyſ. cap. 2. q. 1. art. 7. & negant conſequentiam, exiſtimantes ſatis eſſe quòd phantaſia, & appetitus ſint in eodem ſuppoſito, vt phantaſia non dicatur agere in rem diſtantem.

Scotus. Ocham. Gabriel. Nominal. Patre. Conimbr.

5 Hæc tamen ſolutio non placet, & meo quidem iudicio reponenda eſt in numero illarum, quas ijdem Patres meritò reijciunt in eodem articulo; & ratio eſt, quia licet hæ potentiæ ſint in eodem ſuppoſito, non ideò tollitur diſtantia inter illas; quemadmodùm actio dicitur tranſiens, licet recipiatur in eodem ſuppoſito, dummodò procedat ab vna parte ſuppoſiti, & in alia recipiatur; ſic enim dicitur tranſiens productio ſpeciei intelligibilis ab intellectu agente, in patientem. Quapropter ad argumentum dicendum eſt, phantaſiam non effectiuè mouere appetitum, ſed tantùm eſſe conditionem, *ſine qua non*, ſicut ſe habet intellectus ad voluntatem, nam potentiæ appetentes ſunt cauſæ totales ſuorum actuum, vnde nihil colligit argumentum, non enim mouet phantaſia appetitum, ſed eſt tantùm quædam conditio, ad quam non requiritur indiſtantia, ſed ſufficit naturalis ſympathia potentiarum in eodem ſuppoſito, quam ſolutionem non auſi ſunt reponere Patres Conimbr. licet illos non effugerit, in fine articuli.

6 Obijcis ſecundò. Si lebes ahenus aquâ, plenus ad ignem applicetur, quamuis intus magno æſtu ardentes latices exultent, nihilominùs tamen lebetis fundus frigeſcit: ergo ignis agit in aquam feruentem, ac diſtantem, quin priùs agat in proximum, ſcilicet, in fundum lebetis: & idem argumentum fieri poteſt ex alijs experimentis, ſi enim liquorem aliquem infundas in papyrum, ipſum liquorẽ cohibentem, incaleſcet liquor, papyro innocua. Cõfirmatur idẽ ex morſu Torpedinis, quæ piſcatoris manum mirabiliter ſtupefacit;

& tamen non agit in proximum, ideſt in hamum, vel ſetam, & nihilominùs neruos ligat, & brachium compeſcit; teſtante enim Claudiano in lib. Epygram.

Claud. lib. Epigr.

Damnoſum piſcator onus, prædamq; rebellem Iactat, & amiſſa redit exarmatus habena.

7 Huic argumento de fundo lebetis frigeſcente, nimis frigidè, & friuolè negant aliqui experientiam, qui tactum lebetis meticuloſé refugientes, exhorreſcunt gelidum fundum, commodiùs ducentes negare totum, quàm probare vtrùm pars lebetis calefaciat, an frigefaciat: nihilominùs tamen huic experientiæ bene reſpondent Patres Conimbr. 7. Phyſ. cap. 2. q. 1. ar. 6. nam partes aquæ craſſiores, & frigidiores deſcendunt ad fundum lebetis, ad reſiſtendum igni, donec tota aquæ frigiditas debelletur; nihilominùs tamen per alias partes remotiores lebetis, ſcilicet per eius latera ignis penetrat, & varijs aſſultibus vrget aquam. Et eodem modo reſpondetur ad experientiam de liquore infuſo in papyrum. Ad aliam experientiam de Torpedine reſpondet optimè ipſe Vates ibidem: agit enim piſcis ille, per quandam occultam qualitatem, priùs in ſetam, ac tandem in manum:

Patres Conimbr.

Claud. ibi

Per ſetam vis alta meat, ſtructuſq; relinquit
Abſentem vinctura virum, metuendus ab imis
Emicat horror aquis, & pendula fila ſequutus,
Tranſit arundineos occulto frigore nodos,
Victricemque ligat, concreto ſanguine, dextram.

8 Obijcis tertiò. Angeli in bona opinione loquuntur imprimendo ſpecies; ſed ſi inter eos daretur vacuum, adhuc loquerētur, dirigendo ſpecies, quin tales ſpecies tranſirent per medium: ergo cauſa efficiens poteſt agere in remotum, quin priùs agat in proximū. Reſpond. primò, illam loquutionem abſtrahere à medio, iuxta ea, quæ dixi 1. p. tract. 2. diſp. 10. ſect. 5. n. 16. Reſpond. ſecundò, illas ſpecies produci à cauſa prima in audientem, iuxta ea, quæ ibidem dixi, §. *Dubium tamen eſt.* & ſecundùm hunc philoſophandi modum dicendum eſt, quòd ſi vnus Beatus ponatur in vltima cæli ſuperficie, videret naturaliter alium Beatum, qui ſit in vacuo, per ſpecies ſcilicet productas à Deo, tanquàm auctore naturæ.

De virtute Magnetis & Remoræ.

9 Multa hic diſputant Patres Conimbr. de occulta vi Magnetis, de quo ſic Plin. lib. 36 cap. 16. *Quid ferri duritiâ pugnacius, ſed cedit, & patitur mores, trahitur namque à magnete lapide, domitrixque illa rerum omnium materia ad inane neſcio quid currit, atque vt propiùs venit, aſſilit, teneturquè, & complexu hæret. &c.* Similis eſt occulta Remoræ virtus, de qua idem Plin. lib. 32. cap. 1. *Ruant venti liceat, & ſæuiant procellæ, imperat furori, vireſq; tantas compeſcit, & cogit ſtare nauigia &c.* quæ naturæ miracula non aliam habent cauſam, niſi occultam aliquam qualitatem, quæ priùs communicat ſuam virtutem, per medium, licet non edat mirabiles illos effectus in medio, ſed in ferro v.g. diſtante, ſicut lux ſolaris, quæ calefacit corpora ſublunaria, non verò cæleſtia, quamuis in eis primò recipiatur. Et eodem modo dicendum eſt circa maleficum faſcinantium afflatum, de quibus omnino adeundi ſunt Patres Conimbric. 7. Phyſ. cap. 2. q. 1. ar. 3. 4. & 5. vbi doctè, & eruditè de his, & alijs philoſophantur. Circa virtutem magnetis videri item poteſt P. Ioan. Euſebius Nieremberg, in ſuo theſauro mirabilium, lib. 5. vbi nouam inuexit Philoſophiam.

Patres Conimbr.

Ioannes Euſebius Nieremb.

Vtrùm hæc indiſtantia logicè requiratur?

10 NVnc agitanda eſt quæſtio in hoc ſenſu, ſecundùm ea, quæ dixi n. 3. quærendum enim reſtat, vtrùm hæc conditio etiam diuinitus requiratur? quærimus ergo vtrùm Deus eleuare poſſit ignem, qui modó eſt Conimbricæ, ad producendum calorem Olyſſipone, vbi non eſt præſens? In qua quæſtione certum imprimìs exiſtimo, bene poſſe Deum extendere virtutem ignis, vſque ad Olyſſiponem, & ibi producere alium ignem, quin aliquid ignis ageret in medio, impediente Deo virtutem actiuam ignis in medio; quamuis tunc temporis ignis, qui eſſet Conimbricæ, eſſet ſolùm inſtrumentum ignis producti Olyſſipone. Et in hoc ſenſu nulla eſt difficultas huius quæſtionis, quia ignis, qui eſt Conimbricæ, eſſet præſens Olyſſipone, per ſuam virtutem.

11 Tota difficultas eſt, vtrùm ignis, qui eſt Conimbricæ, poſſit diuina virtute operari Olyſſipone non ſolùm nihil in medio producendo, ſed quin ſit præſens Olyſſipone, vel per ſe, vel per ſuam virtutem? Affirmant multi cum Scot. in 1. diſt. 37. q. vnica. Soar. tom. 1. in 3. p. q. 11. diſp. 31. vbi citat Palud. Caiet. & Bellarm. lib. 1. de Sacrament. in genere cap. 11. Conimb. lib. 7. Phyſ. cap. 2. q. 2. ar. 1. ſit nihilominùs.

Scot. Soarius. Paludan. Caiet. Bellarm. Patres Conimbr.

12 *Secunda concluſio.* Approximatio inter agens, & patiens ita eſt conditio logicè requiſita, vt cauſa efficiens nihil poſſit agere, quin attingat effectum, ſeu paſſum per ſe, aut per ſuam virtutem, ita D. Gillius tom. 1 lib. 2. tra. 9. cap. 4. n. 8. Rub. lib. 1. de Gener. cap. 6. q. 7. n. 26. & lib 7. Phyſ. cap. 2. q. 2. n. 21. Mol. 1. p. q. 8. ar. 1. diſp. 2. fine. Probatur primò. Quia cauſa efficiens non poteſt agere niſi per actionem:

Approximatio logicè requiritur.

Gillius. Rubius. Molin.

Digitized by Google

nem: ſed hæc actio eſt immediata dependentia: ergo implicat, quód detur actio propria alicuius cauſæ, vel inſtrumenti, quin immediatè procedat, vel ab ipſa cauſa,vel á virtute ipſius cauſæ, alioquì talis effectus productus ſolùm tribueretur cauſæ primæ,ſi videlicet nō procedit neque à cauſa ſecunda,neque à virtute cauſæ ſecundæ.

13 Dicunt tamen aduerſarij citati n. 16. pro ſua contraria ſententia, illam actionem immediatè prodire à cauſa prima, quæ eſt in vtroque loco, & ſimul à cauſa ſecunda, quæ tantùm eſt Conimbricæ v. g. Sed contra eſt, quia cùm Olyſſipone nullo modo ſit cauſa ſecunda neque per ſe, neque per ſuam virtutē, nullo etiam modo ei poteſt attribui effectus; immò inintelligibile eſt,quo pacto actio,quæ eſt immediata dependentia, prodire poſſit à cauſa ſecunda, quæ eſt alibi per ſe, & per ſuā virtutem: neque enim habet illa actio agens principale,quod immediatè reſpiciat, *vt quod*, neque habet ſaltem virtutem cauſæ,quam reſpiciat, *vt quo*, ſicut quando Sol abſens producit actiones ſuas, mediante luce, illæ actiones immediatè procedunt à virtute Solis,quæ eſt præſens.

14 Confirmatur iterum, quia præſentia cauſæ per ſe,vel per ſuam virtutem ita logicè requiritur in eodem tempore,vt non ſufficiat, quód in tempore præterito iam extiterit: ergo ſimiliter præſentia cauſæ, vel virtutis eius, in eodem loco, vbi datur effectus, eſt logicè requiſita. Reſpondent, dari maiorem rationem, quia exiſtentia præterita iam de facto non datur; at veró exiſtentia rei abſentis de facto datur, quamuis ſit ſeparata ab effectu. Sed contra eſt, quia reſpectu loci abſentis ita ſe habet cauſa alibi exiſtens, ac ſi nullibi exiſteret, ſiquidem reſpectu effectus nullā ibi habet præſentiam, nec per ſe, neque per ſuam virtutem.

Sicut requiritur præſentia cauſæ in eodē tēpore, ita in eodē loco.

15 Confirmatur iterum: quia ſi Deus per impoſſibile non exiſteret in aliquo loco, non poſſet ibi operari, licet in alio haberet actualiter exiſtentiam: ergo ſimiliter res creata operari non poteſt in lo o,vbi non exiſtit,quāuis in alio habeat exiſtentiam. Reſpondent, dando maiorem rationem, quia indiſtantia, ſeu exiſtentia cauſæ creatæ ſuppletur á Deo, quatenus per ſuam exiſtētiam eſt vbique præſens: at verò ſi Deus per impoſſibile non exiſteret in aliquo loco, à nullo poſſet ſuppleri eius præſentia. Sed contra eſt, quia in noſtro caſu cauſa ſecunda non eſt præſens,neque per ſe, neque per ſuam virtutem (immó nec per actionem,vt vidimus) ergo totus ille effectus procederet à ſolo Deo,vnde ſequitur cauſam ſecundam nihil omnino ibi operari,& conſequenter iam quæſtio tolleretur.

16 Obijcis. Humanitas Chriſti Domini, & ſacramenta operantur aliquando vbi non ſunt,docet enim D.Thom. 3.p.q.13.ar.2.animam Chriſti Domini fuiſſe inſtrumentum Dei ad efficienda miracula; conſtat autem ſæpé Chriſtum Dominum feciſſe aliqua miracula in locis, vbi non erat præſens; ſimiliter etiam conſtat ſacramenta operari aliquando, vbi non ſunt, præſertim matrimonium inter abſentes contractum: ergo &c. Reſpond. tamen iuxta ſententiam eiuſdem Diui Thomæ humanitatem Chriſti Domini, & ſacramenta inſtrumēta eſſe diuinitatis; humanitatem quidem inſtrumentum coniunctum, ſacramenta verò inſtrumenta ſeparata, quæ tamen omnia ſolùm,dum præſentia ſunt,operantur,per modum inſtrumentorum phyſicorum; quando verò ſunt abſentia ſolùm operantur,vt inſtrumenta moralia, quæ non requirunt præſentiā phyſicam.

D.Thom.

17 Quæ dixi de qualibet cauſa ſecunda, intelligenda etiam ſunt de quouis inſtrumento, quod operari non poteſt, vbi nullo modo eſt præſens; neque ſufficit quód cauſa eleuās ſit vbique præſens,nam tota actio tribueretur cauſæ primæ. Ad exemplum de phantaſia operante in appetitum, quod hîc afferri ſolet, iam reſponſum eſt in hac ſect. n. 4. Quærendum modó eſt, vtrùm quando cauſa habet ſphæram ſuæ actiuitatis per viginti palmos, v.g. & impeditur á Deo in medio, ne perducat ſuam virtutem in primos decem palmos, & nihilominús producit in alios decem remotos, vtrùm, inquam, talis cauſa, reſpectu huius effectus, dicenda ſit cauſa principalis, an tantùm inſtrumentalis? & hîc eſt alter ſenſus quæſtionis de quo egi n.3. ſit igitur.

Nullū inſtrumētū operari poteſt vbi non eſt.

18 *Tertia concluſio.* Non poteſt cauſa principalis operari per virtutem naturalem priús in remotum, quàm in proximum, licet illa pars remota contineatur intra ſphæram ſuæ naturalis actiuitatis, v. g. ignis cuius ſphæra extenditur ad viginti palmos,non poteſt producere naturaliter calorem in palmum vigeſſimum, non producendo in medium; ſi veró producat calorem in palmum vigeſimum, nō producendo priús in medium,operabitur tāquàm inſtrumentum,non verò tanquam principalis cauſa. Hæc concluſio, quamuis non admittatur communiter à Recentioribus,certa tamen videtur: illam colligo ex Mol. 1. p. q.8. ar.1. diſp.2. §. *Opinio hæc*, Arriaga n.49. Ratio huius concluſionis colligitur ex dictis; quemadmodùm enim non poteſt cauſa naturalis operari,virtute propria,extra ſuam ſphæram,agendo in remotum vbi non eſt, ita ſimiliter non poteſt virtus cauſæ naturalis producere

Cauſa debet priùs operari in medio.

Molina. Arriaga.

ducere aliquam entitatem in remotum (quã-uis aliunde contineatur intra ſphæram ſuæ actiuitatis) quin priùs agat in proximum; vt experientia docet.

19 Confirmatur ex Mol. ibidem. Quia ſicut corpus non poteſt naturaliter tranſire, ex vno loco ad alium, quin tranſeat per medium (licet naturaliter poſſit corpus acquirere vtrumque locum) ita non poteſt connaturaliter cauſa producere ſuum effectum in remotum, intra ſuam ſphæram, quin priùs agat in proximum: quapropter ſi ad talem effectũ eleuetur illa cauſa, non concurret modo connaturali, ſed quatenus eleuata, atque adeò vt inſtrumentum.

20 Obijcis pro contraria ſententia. Illa cauſa dicitur principalis, quæ producit effectum, qui continetur intra virtutem talis cauſæ: ſed ille effectus, vt ſupponimus, continetur intra ſphæram, & virtutem illius cauſæ: ergo reſpectu illius dicetur cauſa principalis. Reſpondeo, talem effectum, quamuis quòad entitatem contineatur intra virtutem cauſæ principalis, non contineri tamen quò ad modum; vnde non poteſt cauſa ſecunda illum producere, virtute propria; ſufficit enim quòd effectus ſupernaturalis ſit quò ad modum, vt non dicatur contineri intra virtutem cauſæ naturalis; ſicut calor productus Conimbricæ ab igne, qui eſt Olyſſipone, ex eo quòd ſit ſupernaturalis quò ad modum, dicitur omnino effectus ſupernaturalis reſpectu ignis abſentis, & ignis dicitur tantùm inſtrumentum, quamuis aliunde ignis naturaliter producat calorem.

21 Inſtas. Cauſa inſtrumentalis dicitur illa, quæ eleuatur ad effectum nobiliorem, & per actionem diuerſam ab ea, quæ daretur, ſi agens produceret illum effectum, modo ordinario: ſed neque effectus eſt nobilior, neque actio diuerſa, ſiquidem vtrumque continetur intra virtutem illius cauſæ: ergo non eſt inſtrumentum. Reſpondetur tamen illum effectum in modo producendi eſſe nobiliorem, & excedere conditionem talis agentis; ſimiliterque actionem illam, quæ priùs ageret in remotum, quàm in proximum, diuerſam fore, ſaltem quò ad modum.

22 Conſtat igitur ex dictis, indiſtantiam requiri ad cauſas mouentes, & naturaliter operantes. Conſtat deinde poſſe Deum eleuare cauſas ſecundas ad operandum, tam intra ſphæram, ita vt agant immediatè in remotum; quàm extra ſuam ſphæram in loco, quãtumuis diſſito, ſupplendo in vtroque euentu indiſtantiam, quæ requiritur inter agens, & patiens, quando naturaliter operantur.

SECTIO II.

Vtrùm ex operatione cauſæ primæ in loco colligatur eius indiſtantia?

1 *Concluſio ſit* affirmatiua, quam ſequũtur Soar. in Met. diſp. 30. ſect. 7. nu. 8, Mol. 1. p. q 8. ar. 1 diſp. 2. Rub. lib. 7. Phyſ. cap. 2. q. 1. n. 13. & ſupponunt vt omnino certam Conimbr. 7. Phyſ. cap. 2. q. 1. ar. 2. eam tandem ſequitur Gil. to. 1. lib. 2. tract. 9. de Immenſitate Dei cap. 3. qui hanc ſententiam latè probat teſtimonijs ſacræ paginæ, auctoritate multorum, & illuſtrium Theologorum, & pro eàdem refert quadraginta Patres. Probatur primò ex noſtra ſententia, de qua egimus ſuperiori ſectione, quia impoſſibile eſt, quòd agens operetur vbi nullo modo eſt, vel per ſe, vel per ſuam virtutem: ergo vbi Deus operatur, ibi Deus eſt, vel per ſe, vel per ſuam virtutem: cùm igitur Deus non poſſit eſſe præſens, per virtutem à ſe diſtinctam (operatur enim per ſuam omnipotentiam, quæ eſt ipſe Deus) neceſſarió ſequitur, per locum intrinſecum, ibi eſſe, vbi operatur.

Reſolutio eſt affirmatiua. *Soarius. Molina. Rubius Patres- Conimbr. Gilius.*

2 Probatur ſecundò, & abſolutè, quia Deus non operatur ad extra, niſi per ſuam ſubſtantiam, ſeu per ſuam omnipotentiam, quæ non diſtinguitur à ſubſtantia: ergo ex operatione Dei bene colligitur præſentia, ſubſtantiæ Dei. Conſequentia rectè infert. Probatur antecedens, nam vel Deus ageret ad extrà per aliquid à ſe diſtinctum, vel per aliquã actionem, vel per aliquam creaturam: ſed nõ poteſt agere per actum à ſe diſtinctum, quia agit per ſuam omnipotentiam, indiſtinctam; deinde illa actio, cùm ſit immediata dependentia, neceſſarió ſupponit præſens principium, à quo egreditur, Deus enim non habet ſuperiorem, à quo illa actio eleuari poſſit ad operandum, vbi non ſit Deus: tandem impoſſibilis eſt creatura, per quam Deus operetur, quæ non dependeat immediatè ab ipſo Deo, ſi enim penderet ab alia creatura, daretur proceſſus in infinitum: ergo &c. Hæc ſententia ampliùs patebit ex ſolutione argumentorum.

3 Obijcis pro contraria ſententia, quam ſequuntur Scot. in 1. diſt. 37. quæſt. vnica. Ocham. Gabriel. Baſſol. Mairon. Aquilanus, Lichet. Bargius, Nouo Caſtro, quos citat Gil. ſup. n. 1. & ſequitur Vaſq. tom. 1. in 1. p. ad q. 8. art. 1. diſd. 28. cap. 5. Valent. 1. p. diſp. 1. q. 8. pun. 1. quæ opinio non eſt omnino improbabilis

Reijcitur contraria ſententia. *Scotus. Ocham. Gabriel. Baſſol. Mairon. Aquilan*

babilis

Digitized by Google

Lichet. Nouo-caſtr. Olbus. Palat. Vaſquez. Molina. Præpoſit.

b. bilis (quamuis ſeuerè nimis damnetur á Mol. 1. p. q. 8. diſp. 2. §. *Opinio hæc*, illam enim dicit in Fide parùm tutam) nihilominùs iudico nullo modo demonſtrari à P. Vaſq. vt ipſe iactat; modeſtiùs tamen illam, vt probabilem, defendit Præpoſit. 1. p. quæſt. 8. art. 1. dub. vnico.

4 Obijcis, inquam, primò. Deus eleuare poteſt agens creatum, vt operetur in remotũ: ergo idem poterit facere per ſe ſolúm, propter ſuam infinitam omnipotentiam; nam ignis, qui eſt Conimbricæ, poteſt operari Olyſſipone, vbi non ſit præſens realiter, ſed tantùm per ſuã virtutem: ergo ſimiliter poterit Deus operari, vbi non ſit præſens, per ſuam ſubſtãtiam. Reſpondeo negando conſequentiam. Maior ratio eſt, quia agens creatum agit per virtutem à ſe diſtinctam, vt v. g. Sol per lucẽ, Ignis per calorem, & propterea poteſt eſſe in vno loco, & operari per talẽm virtutẽ in alio: at veró agens increatum agit per virtutem à ſe indiſtinctam, vnde non poteſt eſſe virtus Dei, vbi non ſit ipſe Deus.

Infringitur præcipua inſtantia.

5 Inſtas, & efficaciter: ſecundùm probabilem Soarij opinionem, de qua ſect. ſuperiori n. 11. & 13. bene poteſt operari cauſa, vbi nõ ſit præſens neque per ſe, neque per ſuam virtutem, ſed ſolùm per actionem; ſed actio diſtinguitur realiter ab agente: ergo ſimiliter bene poterit operari Deus, per actionem, quæ realiter diſtinguatur ab ipſo Deo: ergo, ſicut non colligitur immediata præſentia cauſæ ſecundæ ex eius actione, quia actio diſtinguitur realiter à cauſa ſecunda: ita etiam non colligetur præſentia Dei ex actione Dei, ſiquidem actio Dei ad extra diſtinguitur realiter ab ipſo Deo. Reſpondeo negãdo cõſequentiã. Maior ratio eſt, quia cauſa ſecũda agit per ſuã actionem realiter quidem diſtinctam, ſed tamen agit in virtute cauſæ primæ, quæ eſt proxima effectui, eleuando talem actionem: at verò cũ prima cauſa non habeat aliam cauſam, à qua eleuetur, neceſſariò debet eſſe immediata effectui, ſaltem per ſuam virtutem, cúm actio ſit immediata dependentia ab aliquo principio. Vnde ex vi operationis cauſæ primæ infallibiliter colligitur eius præſentia.

6 Obijcis ſecundò. Deus operatur ad extra per ſuam volũtatẽ: ergo poterit operari vbi non eſt: ergo ex eius operatione non colligitur eius indiſtantia. Reſpondeo diſtinguendo antecedẽs, operatur ad extra per ſuam voluntatem; hoc eſt, prout ipſe vult, concedo antecedẽs: operatur ad extra per ſolã ſuã volũtatem, ſine omnipotentia, vel alio influxu, nego antecedens. Cùm enim voluntas diuina extrinſeca ſit effectui, vltra illam requiritur diuina actio applicata ab omnipotentia, & cùm actio ſit immediata dependentia, neceſſariò requirit principium proximum, à quo egrediatur.

7 Obijcis tertiò. Deus creauit mundum in aliqua parte ſpatij imaginarij, in quo Deus ante creationem mundi non erat: ergo neceſſaria non eſt præſentia Dei in loco, vbi operatur. Reſpondeo negando antecedens, nam Deus ante mundi conſtitutionem, vel fuit in ſpatio imaginario, ſi datur; vel ſi non datur, erat Deus præſens in ſe ipſo, & per ſe ipſũ poterat operari, vt videbimus diſp. 39 de ſpat. imagin. ſect. 2.

8 Obijcis quartò. Propterea requiritur indiſtantia inter agens creatum, & effectum, quia habet limitatam ſphæram, intra quam poteſt diffundere ſuam virtutem: ſed Deus propter ſuam infinitam virtutem, nulla clauditur ſphæra: ergo bene poterit operari vbi non ſit. Reſpondeo negando maiorem, neque enim coniunctio agentis cum paſſo, vel effectu requiritur, ex eo, quód agens habeat virtutem limitatam, ſed fundatur in ratione agẽtis, & cauſantis vt ſic, cúm verò omnes effectus dependeant à Deo, neceſſariò requirunt Dei præſentiam.

9 Ex quibus ſatis colligitur, nullam habere vim argumentum, quo vtitur Vaſq. quód ſcilicet, ſicut non colligitur immediata præſentia Solis ex eo, quòd Sol operetur hìc per ſuam lucem, ita etiam nõ bene colligitur præſentia ſubſtãtiæ Dei, ex eo quód Deus operetur hìc, quia, vt ipſe ait, poterat operari per aliquam virtutem à ſe progredientem, ſicut lux procedit à Sole: non, inquam, valet hoc argumentum, quia Sol operatur per virtutem à ſe realiter diſtinctam, at verò illa virtus Dei, per quam Deus operaretur, diſtingui non poterat ab ipſo Deo, vel ſaltem non poterat eſſe independens ibi ab ipſo Deo; quaré ſi Deus præſens foret per ſuam virtutem, conſequẽter etiam foret per ſuam ſubſtantiam. Diligenter tamen aduertendum eſt, non negari ab Auctoribus huius contrariæ opinionis, infallibiliter colligi præſentiam Dei ex eius immenſitate; id enim, tanquám certiſſimum, ſupponũt, ſolúm enim aſſerunt non colligi, per locum intrinſecum eius præſentiam ex eius operatione, quod tamen omnino negamus.

(?)

DIS-

DISPVTATIO XXXII

Fuerit ne Mundus ab æterno?

VT Ariſtoteles demonſtret dari primum aliquem motorem, docet, nihil moueri à ſe ipſo, quod vt perficiat à rerum creatarum motibus accedit tandem ad cognitionem primi motoris; ſupponit igitur mũdum, eiuſque motum, fuiſſe ab æterno, & cõſequenter habere debuiſſe aliquam primam cauſam hui us motus, quæ ſimiliter æternam haberet durationem: vtrùm veró hæc ſuppoſitio vera ſit, inquirendum eſt in hac diſputatione.

SECTIO I.

Sola fide conſtat Mundum non fuiſſe ab æterno.

1. SIT *concluſio*. Nulla creatura ſpiritualis, vel corporea æterna fuit à parte anteà, & ideò omnia à Deo in principio temporis initium habuere, iuxta illud Geneſ. *In principio creauit Deus cælum, & terram*; vnde communiter damnatur ſuppoſitio Philoſophi, qui mundum fecit æternum.

2 Nihilominùs tamen nulla ratione naturali demonſtrari poteſt mundũ fuiſſe creatum ab initio temporis, vt docet D. Th. 1. p. q 46. art. 2. quod ſic probatur, vt enim dicemus ſectione ſequenti potuit Deus ab æterno creare creaturam aliquam, imò mundum ipſum, etiam circa res ſucceſſiuas, vt probabiliter aliqui exiſtimant: ergo demonſtrari non poteſt, quòd Deus mundum non produxerit ab æterno; immò ſecundùm ſententiã deductam ex principijs Philoſophi bene probatur, mundum fuiſſe æternum, cùm enim ipſe Deũ efficeret ſpiritualem, & intellectualem, operantem que ex neceſſitate naturæ, neceſſarió mundum produceret ab æterno. *D. Thom.*

3 Sunt tamen aliquæ congruentiæ, & probabiles rationes, quibus temporaria mundi creatio nobis innoteſcit quas doctè proſequuntur PP. Conimbr. lib. 8. Phyſ. q. 5. cap. 1. cũ enim mundus conditus ſit ad manifeſtandam notitiam creatoris faciliùs hæc colligi poterat ex eo quòd in tempore fuerit creatus, quã ſi ab æterno; facilé enim aliquis exiſtimare poſſet, non fuiſſe mundum à Deo factum, ſiquidem tam æternus erat, quàm Deus ipſe. Deinde quia ſic clariùs nobis apparet, Deum non agere ex neceſſitate naturæ, ſed liberè, ſiquidem non ab æterno, ſed in tempore, cùm maximè voluit, mundum produxit. Tandem cùm conſtet quo tempore floruerint artium inuentores: & cùm prætereà conſtet, ſine illis artibus non potuiſſe conſeruari hoc vniuerſũ, ſignum eſt, mundum in tempore initium habuiſſe; quamuis enim quidquid Deus ſcit, neceſſariò ſciat non tamen quidquid vult, neceſſariò vult; & ratio eſt, quia ſcientia Dei pertinet ad eius comprehenſionem, quæ omnino neceſſaria eſt, at verò volitio diuina pertinet ad voluntatem, quæ libera eſt quoad actus ad extra. *Patres Conimbr.*

SECTIO II.

Potuerit ne Deus creaturam aliquam ab æterno producere?

1 PRIMA *Concluſio*. Non implicat quòd aliqua creatura permanens produci poſſit à Deo ab æterno. Ita D. Bonauẽt. Caiet. & Ferrar. Durãd. Ocham. Gabr. & alij, quos citant, & ſequuntur Rub. 8. Phyſ. cap. 2. tract. de Æternitate Mundi q. 2. Conimbr. 8. Phyſ. cap. 2. q. 6. art. 2. idem ſupponit Per. in Phil. lib. 15. c. 1. & probat Soar. in Metaph. d. 29. ſect. 1. Vaſq. 1. p. d. 177. c. 3. & alij cum noſtro Ioanne Præpoſ. 1. p. q. 46. dubio vnico. Item Hurtad. in Phyſica diſp. 16. ſect. 1. & Arriaga in Phyſ. diſp. 17. ſect. 2. ſubſect. 2. Probatur, quia duratio non eſt aliquid eſſentiale, ſed accidentale creaturæ: ergo, ſalua eius eſſentia, poteſt creatura habere æternam durationem, vel temporariam: ergo ex parte creaturæ nõ repugnat æternitas: atquì ex parte Dei nulla poteſt eſſe repugnantia, propter infinitam Dei potentiam: ergo &c. *Bonauent. Caietan. Ferrar. Ochamus Gabriel Rubius. Patres. Conimbr. Pereira. Soarius. Vaſquez. Præpoſ. Hurtad. Arriaga.*

2 Declaratur concluſio. Si enim Sol eſſet ab æterno, ab æterno illuminaret: ergo cùm Deus ſit ab æterno, poterat aliquid producere, non enim implicat fieri proceſſionem aliquam æternam, vt patet in proceſſione Verbi Diuini; quamuis enim Verbum neceſſarió, & creatura libere procederet, neceſſitas, vel libertas in hac parte non tollit æternitatem. Neque obſtat repugnare creaturæ infinitã eſſe, non enim propterea illi repugnabit duratio infinita, hæc enim duratio cùm ſit participata ab alio, & accidentalis non repugnat creaturæ quamuis repugnet infinitum eſſe ſubſtantiale. Confirmatur tandem, quia diuina omnipotentia

Digitized by Google

tentia limitata non eſt.neque à parte antè,ne que à parte pòſt:ergo ſuppoſito, quòd poteſt facere creaturas æternas a parte pòſt, qualis eſt Angelus,& anima rationalis,ſimiliter eaſdem poterit facere à parte antè.

Reijcitur contraria ſententia.

3 Obijcis pro contraria ſententia, quam ſequuntur Alb.Magn.D. Bonauent. Richar. Gulhel.Pariſienſ.& alij quos citant Rub. 8. Phyſ.de Æternitate Mundi.q.2.& Conimbr.ſup.art.1.vltra quos Tol.8.Phyſ.cap.2. q. 2.§ *At oppoſita pars* citat. Ambr. Baſyl.Damaſc. Auguſt.& Hug. de Sãcto Victore,idem tenet Val.1.p.diſp 3.q.3.p.2.ſect.3.

Albert. Magn. Bonau. Richard. Gulhelm. Rubius. Conimbr. Paris. Toletus. Ambroſ. Baſyl. Damaſc. Auguſt. Hugo. Valent.

4 Obijcis,inquam,primò. Talis creatio non eſſet libera:ergo non poterat dari ab æterno.Probatur antecedẽs. Actio libera eſt illa,quæ potuit non eſſe;ſed nullum præceſſit inſtans,in quo illa creatio non potuit non eſſe:ſiquidem eſt ab æterno: ergo &c. Reſpondeo illam creationem liberam futuram eſſe, quamuis nullum præceſſerit inſtans,in quo non foret,quia cauſa libera etiam in inſtanti, in quo operatur, libere operatur, iuxta ea, quæ dixi 1.p lib.Perierm.diſp.13.ſect.1.à n.9

5 Obijcis ſecundò. Creatio eſt productio ex nihilo:ergo neceſſe eſt,vt priùs ſit illud nõ eſſe rei,ſeu illud nihil,alioquì,cũ creatio debeat eſſe ex nihilo, ſimul eſſet aliquid, & ſimul eſſet nihil,quod tamen implicat.Reſpondetur negando conſequentiam, neque enim creatio procedit ex nihilo,vt ex termino à quo,ita vt neceſſariò præcedat illud nihil,in aliquo tempore,vel inſtanti; ſed ita intelligẽdũ eſt,vt illud ex nihilo,ſit ex nullo præſuppoſito ſubiecto;quando verò Patres communiter dicunt,æternitatem repugnare creaturæ,hoc ita intelligẽdum eſt, vt repugnet æternitas poſtulata ab ipſa natura creaturæ, non veró quòd repugnet effectus æternus per participationem, neque bene infertur, quòd poſſit etiam Deus ab æterno anihilare creaturã, ſicut poteſt creare,nã anihilatio priùs ſupponit eſſe rei iam præhabitũ,vnde implicat fieri anihilationem ab æterno.

Non poteſt dari motus ab æterno.

6 *Secunda Concluſio.* Implicat, ſucceſſiuum aliquod,ideſt,motum,vel tempus ab æterno produci.Ita Duran. in 2.diſp.1.q.2.art.3. Sot. 8.Phyſ.cap.3 Soar.in Met tom.2 diſp.29.ſect 1.n.9.Rub 8.Phyſ.tract.de Æternitate Mundi q.3.n.27.immò Conimbr.8.Phyſ.cap.2. q. 7.art.2.loquentes de motu recto,& de circulari,(in quo eſt peculiaris difficultas, ſiquidẽ ex ſua natura non poſtulat certum principiũ, & terminum) hanc ſententiam probabiliorẽ iudicant art 4. Probatur tamen de vtroque motu,quia de eſſentia ſucceſſiuorum eſt habere partes priores,& poſteriores:ergo implicat eſſe motum,& eſſe ab æterno;quia eſſet,& nõ eſſet ab æterno,eſſet,quia ita ſupponitur,non eſſet,quia cùm haberet partem poſteriorem alia parte,iam pars illa poſterior non eſſet æterna,quia haberet aliam priorem. Hæc procedunt in communi ſententia de cõpoſitione continui ex partibus diuiſibilibus,(nam in contraria Zenonis,facilè admitti poteſt motus ab æterno,ſiquidem cõſtat partibus,ideſt punctis certis, & finitis, quæ non præſupponunt alia priora puncta in infinitum.

Durand. Sotus. Soarius. Rubius. Pares. Conimbr.

7 Similiter etiam generatio non poſſet eſſe ab æterno eodem modo,quo illam definiuit Ariſtoteles,quia,inquit,generatio eſt proceſſio à priuatione formæ:ergo ante formam neceſſariò danda erat priuatio, & conſequenter non erat æterna,quia vbi datur prius, & poſterius, ſaltem ſecundùm aliquòd inſtans (vt neceſſariò dandum erat in ſententia Ariſtotelis) non poteſt dari æternitas: qua in re lapſus eſt noſter Ariſtoteles,qui generationes poſuit ab æterno,& tamen definiuit generationem ſupponendo priuationem antecedentem in materia.

8 Obijcis pro contraria ſententia, quam ſequuntur D.Th.1.p.q 46.art. 2. & 2. contra Gent.cap.38.Ferrar ibidem.Per.in ſua Phil. lib.15.cap.13.§ *Quarta propoſitio*, & communiter Nominales;quæ ſententia propter authoritatem D. Th. probabilis eſt,quatenus loco cit.ad 7.admittit generationes ab æterno. Obijcis,inquam, primò. Dixi non poſſe ratione naturali demonſtrari,mundum nõ fuiſſe creatum ab æterno:ergo ſaltem probabile eſt,potuiſſe creari ab æterno;ſed non poterat mundus eſſe ſine motu cæli;ergo ſi mundus poterat eſſe ab æterno,neceſſariò etiam motus deberet eſſe ab æterno.Confirmatur,quia de fide eſt mundum incepiſſe cum motu: & cõſequenter motum non eſſe æternum, ergo demonſtrari non poteſt, non potuiſſe motum mundi eſſe ab æterno, quia articuli fidei, cũ ſint obſcuri,non poſſunt naturaliter demonſtrari.

D.Thom. Ferrar. Pereira. Nominales.

9 Ad argumentũm reſpõdetur, bene potuiſſe mundum eſſe ab æterno,quin motus eſſet etiam ab æterno,ita vt crearet Deus mundum,& cælum ipſum ſecũdùm res permanẽtes,quæ per aliquod breue tempus conſeruari poſſent ſine motu cæli, vt videbimus in lib. Cælorum:atque immediatè poſt creationem mundi,daretur motus. Ad confirmationem reſpondetur,aliqua dari myſteria in fide,quæ nulla ratione naturali,vel demõſtrari, vel attingi poſſunt,qualia ſunt myſteria Trinitatis, & Incarnationis:alia veró eſſe,quæ ratione aliqua naturali poſſũt demonſtrari, vt v.g.Deũ eſſe,& eſſe vnum &c. ita ergo contingit in noſtro caſu,quòd licet ſit fidei articulus, mũdum

Digitized by Google

dum incepiſſe in tempore cũ motu: ſeu potiùs motum habuiſſe principium: nihilominùs tamen bene poteſt hic articulus demonſtrari ex ratione facta pro noſtra concluſione; neque enim propterea hinc ſequitur, mundũ fuiſſe æternum, vt patet. Qua de re videri poteſt Perer. in ſua Phil lib. 13. cap. 6. 8. & 9. vbi ſoluit viginti quatuor argumenta pro mundi æternitate.

DISPVTATIO XXXVIII.

De primo Motore.

NIHIL habuit prius, nihil antiquius Ariſtoteles, quàm per hos motus deuenire in cognitionem primi motoris, qui, cũ ſit omnium motuum incapax, omnium tamen motuum ſit prima, & princeps cauſa, atque adeó, vt egregiè canit Phyſicus Vates, & Sanctiſsimus P. Boet. lib. 3. qui.

Boet. lib. 3

— Perpetua mundi ratione gubernat,
Terrarum, cælique ſator, qui tempus ab æuo
Ire iubet, ſtabiliſque manens dat cuncta moueri.

Ergo per hos continuos, & indefeſſos rerum omnium motus, nos, qui perpetua caſuum viciſsitudine, velut inquieto vndarum æſtu iactati, fluctuamus, te Deum inueſtigabimus, te, inquam, immotum, ſtabilem, & immutabilem, apud quem *Non eſt transmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio.* Sed tu, magne orbis Pater, nos mortales, alternis fortunæ motibus obnoxios clementer intuere, ac tuere;

Stat. Syl. lib. 2.

— Nos vilis turba caducis
Deſeruire bonis, ſemperque optare parati,
Spargimur in caſus: celſa tu mentis ab arce
Deſpicis errantes, humanaque gaudia rides.

SECTIO I.

Omne quod mouetur, ab alio moueri neceſſe eſt.

Ariſtot.

1 PRIMA *Concluſio.* Omnis cauſa efficiens motus diſtinguitur in re aliquo modo à cauſa materiali, ſeu à mobili recipiente motũ: ita expreſſe Ariſtoteles hìc, apud quem celebre eſt hoc effatum, *Omne, quod mouetur, ab alio mouetur.* Pro hac concluſione videri poſſunt Soar. in Met. cap 1. diſp. 18. ſect. 7. n. 11. Conimbr. 7. Phyſ. cap. 1. q. 1. art. 2. Probatur concluſio imprimis in motu locali viuentium, qui mouentur virtute motiua vitali exiſtente in parte corporis determinata, in muſculis v. g. & in corde, vnde per emiſsionem ſpirituum vitaliũ ab vna parte in alias diffunditur: ſed hæc virtus mouens diſtinguitur realiter à re mota, ſaltem principali: ergo &c. Si verò motus non ſit naturalis, ſed violentus, fit à cauſa extrinſeca, vt videbimus. Si tamen naturalis ſit, ſed non vitalis (quo pacto mouentur elementa) ab alio etiam mouentur, vt videbimus in ſecunda concluſione.

Soarius. Patres Conimbr.

Probatur concluſio in omni motu.

2 Probatur deinde concluſio in motu alterationis, nam lignum v. g. ad recipiendum calorem alteratur ab igne, qui realiter diſtinguitur ab ipſo ligno: & aer realiter diſtinguitur á luce, à qua etiam ſuo modo alteratur, per receptionem lucis: ſimiliter etiam quando vna pars aquæ eſt calida ab alia alteratur, à qua realiter diſtinguitur: quando verò aqua calida per naturalem emanationem alteratur, ad recipiendum iterum ſuũ frigus, à ſua forma proximé, & à generante remoté, ac prin- principaliter mouetur, vt infrá videbimus: conſtat autem tam formam, quàm etiam generantem realiter diſtingui ab ipſa aqua. Tādem probatur eadem concluſio in motu augmentationis, qui procedit à nutritiua, quæ cõuertit alimẽtum in ſubſtantiam aliti, quæ nutritiua realiter diſtinguitur à quātitate, in qua fit augmentatio.

3 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet, non requiri realem diſtinctionem inter cauſam mouentem, & rem motam, quam duce Scot. in 1. diſt. 3. q. 7. & 9. & alijs in locis, ſequũtur alij, quos citāt Conimbr 7. Phyſ. cap. 1. q. vnica art. 1. in 1. § ad marginem. Obijcis inquam, primó. Intellectus ſe ipſum mouet, & in ſe recipit ſuos actus: Deinde cor, quin ab alio moueatur, ſe ipſum mouet: & deinde per immiſsionem ſpirituum vitaliũ mouet reliquas corporis partes: ergo neceſſe non eſt, vt mouens diſtinguatur à re mota. Reſpõdeo primó, circa motum intellectus erga ſe ipſum, Ariſtotelẽ ſolùm loqui de motu phyſico, & corporeo, qui reperitur in rebus conſtantibus materia, & forma, in quibus conſtat dari realem diſtinctionem inter mouentem, & rem motam, nā vel ſemper forma, quæ eſt cauſa motus diſtinguitur realiter à materia, quæ eſt ſubiectũ motus: vel potiús cauſa mouens, *vt quod*, ſemper componitur ex materia, & forma,

Scotus. Reijcitur contraria opinio.

Digitized by Google

& forma, & ſaltem diſtinctione reali partiali diſtinguitur à re, quam mouet.

4 Reſpondetur ſecundò, intellectum humanum, vt agentem, & patientem diſtingui à ſe ipſo realiter, nam actus intelligendi producitur ab intellectu, & ſpecie, recipitur autem in ſolo intellectu; at veró intellectus, ſimul cum ſpecie, diſtinguitur realiter à ſe ipſo, ſine ſpecie. Maius argumentum fieri poterat in voluntate, quæ non indiget ſpecie, & eſt cauſa totalis ſuorum actuum, ſupponendo ſolúm intellectionem, vt conditionem, ac proinde idem in re eſt agens, & paſſum; & idem argumentum fieri poſſet in intellectu Angelico, quando cognoſcit ſuam ſubſtantiam, quæ, quia intimé præſens eſt intellectui Angelico, non indiget ſpecie, ac proinde idem eſt agens, & patiens. Adhuc tamen hic timari poteſt diſtinctio realis, nam voluntas cum ſuo actu volendi, & intellectus Angelicus, cum ſuo conceptu, realiter diſtinguuntur à ſe ipſis nudè ſumptis: quamuis facilior ſolutio ea ſit, quæ nihil curat hæc argumenta, cúm nobis ſermo ſit de cauſa corporea motrice, vt dixi n. 3.

5 Ad argumentum de motu cordis reſpondetur, cor imprimis diſtingui realiter ab alijs partibus, quas mouet. Deinde ipſum cor non à ſe ipſo, ſed á ſua facultate motrice immediatè mouetur, remotè veró ab anima; quòd veró anima dum mouet reliquas partes corporis, moueat etiam ſe ipſam, hoc eſt per accidens, reuera enim realiter diſtinguitur à toto compoſito, quod mouet. De motu cordis curioſè diſputant Conimbr. 7. Phyſ. cap. 1. q. vnica. art. 4. vnde etiam facilè concedimus, in emanationibus ſpiritualibus animæ, eandem animam eſſe agentem, & patientem: quæſtio enim ſolùm procedit de agente completo, & *vt quod*, hoc enim realiter diſtinguitur, vel ab alio paſſo, quod mouet, vel a ſuis partibus, quas mouet.

Patres Conimbr.

6 Obijcis ſecundò. Calor ventriculi per hyemem ſe ipſum intendit, & ſolares radij per reflexionem ſimiliter: ergo idem ſe ipſum poteſt alterare. Reſpondeo, calorem ventriculi non ſe ipſum intendere, ſed maiorem intenſionem, quam per hyemem experimur, ex eo prouenire, quia frigus externum cutis ſpiramenta reſtringit, ne foras exeat calor, vnde fit, vt maior caloris copia, per antiperiſteſim intùs coaceruata fortiùs agat: radij ſolares ſimiliter non ſe intendunt, ſed quia vlterius progredi non poſſunt, retrocedunt, & multiplicati efficaciùs agunt: de quo puncto diſputo in lib. de Gen. diſp. 72. ſect. 4. a n. 7.

A quo moueantur corpora grauia, & leuia?

7 SECVNDA *concluſio*. Corporá grauia, & leuia inanimata, quando tèdunt in ſuum locum naturalem, vt quando terra deorſum, & ignis ſurſum pergunt, habent intra ſe principium intrinſecum, & proximum, minus tamen principale huius motus; principale veró principium, & remotum eſt generans. Ita D. Th. 1. p. q. 18. art. 1. Soar. in Met. diſp. 18. ſect. 7. à n. 21. (vbi citat Caiet. Ferrar. AEgyd. Rom. & Alb.) Tolet. 7. Phyſ. q. 2. Conimbr. 8. Phyſ. cap. 4 q. 1. art. 2. vbi alios citant in 1. §. Probatur concluſio quóad primam partem, quia hæc corpora mouentur à ſua grauitate, & leuitate (vt modò ſuppono) quæ ſunt naturales potentiæ actiuæ talium motuum: neque enim immediatè mouentur à forma, ſiquidem hæc operatur medijs accidentibus. Immò quamuis Ariſtoteles 2. de Generatione cap. 2. dicat, grauitatem, & leuitatem non eſſe qualitates actiuas, non intelligendus eſt, per ordinem ad motus locales, ſed per ordinem ad producendas alias qualitates ſimiles, quas, certum eſt, non poſſe producere, ſicut primæ quatuor qualitates producunt alias ſimiles qualitates.

D. Thom. Soarius. Caietan. Ferrar. AEgid. Albert. Magnus. Toletus. Patres. Conimbr.

8 Probatur concluſio quóad ſecundam partem, quòd ſcilicet generans ſit cauſa principalis horum motuum, quia videlicet generans producit formam, & illa mediante, producit etiam grauitatem, & leuitatem: nam in hoc diſtinguuntur viuentia à non viuentibus, viuentia enim à ſe ipſis principaliter mouentur, mediante potentia motiua; at verò non viuentia à generante principaliter mouentur. Ratio veró diſcriminis eſt, quia viuentia cùm ſint perfectiora, poſtquàm ſemel ſunt extra cauſas, poſſunt per ſuas naturales virtutes acquirere ſuas perfectiones, qualis etiam eſt motus localis, (immò eſt maxima perfectio viuentium, ſiquidem, eo ceſſante, ceſſat etiam viuens) at veró inanimata, cùm ſint infimi ordinis, & minimæ perfectionis, quam etiam per ſe non poſſunt acquirere, neceſſariò debet generans eis tribuere ſuas

Digitized by Google

perfectiones, qualis præcipua eſt conſiſtentia, ſeu permanentia in ſuis locis naturalibus, vnde ſicut aliæ proprietates, quæ per ſe conueniunt rei genitæ, ex vi ſuæ generationis, á generante dari cenſentur, ita etiam, & naturalis locus á generante tribui debet: quapropter quando naturalis locus impeditur, eidem generanti tribuitur ipſa loci acquiſitio, ſeu ipſe motus ad locum acquirendum.

9 Et ſecundùm hunc modum philoſophandi, qui communis eſt, ſuprá dixi reductionem aquæ ad ſuam frigiditatem tribui generanti, quia naturalis, & perfecta frigiditas, per ſe loquendo, debetur aquæ ex vi ſuæ generationis. Hinc eſt, quòd quando grauia, & leuia agunt in aliam rem, non dicantur moueri à generante, vt ignis quando calefacit aquam, non dicitur agere in virtute generantis, ſed dicitur agere per ſuam virtutem: & ſimiliter quando Socrates augmentatur; quia calefactio, & augmentatio non ſunt perfectiones debitæ Socrati, ex vi ſuæ generationis, & in inſtāti, in quo generantur; cùm tamen locus, vel acquiſitio eius ſint perfectiones naturaliter debitæ, ex vi generationis.

Occurritur contrarijs argumentis.

10 Neque obſtat huic veritati, quòd generans aliquando non exiſtat, & quòd plerumque ſeparatum ſit à re genita, non enim dicimus generantem immediatè agere, ſed agere per ſuam virtutem, nempe per leuitatem, aut grauitatem, quæ realiter exiſtunt: ſicut granum deciſum ab arbore operatur in virtute arboris aliquando iam non exiſtentis; ita etiam remotè tribuitur hic motus generanti, quia debebat producere effectum cum omnibus ſuis potentijs, & proprietatibus neceſſarijs ad conſeruationem eſſentiæ: ſicut homini generanti alterum hominem, pertinet tribuere omnes proprietates: vnde ſi ex aliquo impedimento non ſtatim reſultaret proprietas aliqua in inſtanti generationis, & poſteà, ſublato impedimento, reſultaret, talis proprietas ſine dubio tribueretur generanti: ita ergo generanti tribuitur permanentia rei grauis in ſuo loco naturali, & ſi fortè impediatur, nihilominùs tribuitur generanti, ſicut etiam [eidem generanti] tribuitur motus, quo grauia, & leuia accurrerēt ad impediendum vacuum.

11 Obijcis primó. Aliquando generans non eſt graue, neque leue: ergo non poteſt tribuere grauitatem, & leuitatem. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: non eſt graue, aut leue formaliter, concedo antecedens: non eſt graue, aut leue virtualiter ſaltem, nego antecedens: aliquando enim eſt cauſa æquiuoca, & ſolùm virtute continet effectum, ſicut ſol, qui calefacit, & non eſt calidus.

12 Obijcis ſecundò. Motus cordis, & ſimiliter reliquorum viuentium non tribuuntur generanti: ergo ſimiliter motus reliquorum non viuentium non debent tribui generanti. Reſpondeo negando conſequentiam. Maior ratio eſt, quia tales motus viuentium non ſunt debiti ex vi generationis, licet immediaté pòſt ſequantur, quia viuens poteſt, per ſe, & per ſuas naturales potentias, tales motus producere: at verò motus grauium, & leuium tribuuntur generanti, quia debentur ex vi generantis, vt dixi.

13 Obijcis tertiò. Ex doctrina Ariſtotelis, nemo mouet, quin moueatur, niſi ſit primus motor: ergo generans mouere non poteſt, ſiquidem non mouetur ab alio. Reſpondeo negando conſequentiam, quamuis enim generans non moueatur, cùm mouet, poteſt tamen moueri: at veró primus motor ita mouet, vt moueri non poſſit. Motus argenti viui generanti etiam tribui poteſt, vt docent PP. Conimbr. 8. Phyſ. cap. 4. q. 1. art. 4. §. *Pro explicatione*, vbi etiam expendunt cauſas continuæ volubilitatis argenti viui. Hæc doctrina eſt expreſſa Philoſophi circa hos motus, quamuis oppoſitum ſequantur alij cum Soto in 2. diſt. 2. q. 19 & cum Albert. de Saxon. q. 6.

Patres Conimbr. *Sotus.* *Albert. à Saxon.*

14 Ex dictis bene ſequitur demonſtratio Philoſophi, circa primum motorem, cùm enim omne agens phyſicum, quod mouetur, ab alio moueatur: & cùm omne productum ab alio debeat produci, neceſſarió deueniendum eſt ad aliquem primum motorem, qui moueat, quin moueatur ab alio, & qui producat, quin producatur ab alio, ne detur proceſſus in infinitum, qui omnino impoſſibilis eſt inter Philoſophos: hanc demonſtrationem laté proſequitur Suar. in Met. diſp. 29. ſect. 1. à n. 10. Eandem copioſè tractat, P. Iulius Cæſar Recupitus tomo de Deo lib. 1. quæſt. 11. per totam.

Corollarium huius ſectionis. *Suarius.* *Recupitus.*

SECTIO II.

De Immutabilitate, vnitate, & immenſitate Primi Motoris, ſecundùm demonſtrationes Ariſtotelis.

PRIMA

1 PRIMA Concluſio. Euidenter probauit Ariſtoteles, Primū Motorem omnino eſſe immutabilem, ex eo quòd ſit infinitus; quæ demonſtratio ſic poteſt fieri; euidens eſt, primum motorem non moueri ab alio, ac deinde habere vim mouendi omnia: ſed virtus mouendi emanat ab eſſe rei: ergo ſi habet à ſe virtutem mouendi alia, habebit eſſe à ſe ipſo, & non participatum; & conſequenter non limitatum, ſed infinitum. Probatur conſequentia, quia limitatio alicuius eſſe prouenit ex limitatione cauſæ, à qua procedit immediatè, & in qua continetur: ergo illud eſſe, quòd non procedit ab alio, nullam habet limitationem, ſed erit infinitè perfectum.

2 Nunc ſic argumentatur Philoſophus: Infinita perfectio nullam poteſt habere imperfectionem: ſed eſſe capacem alicuius motus, ſeu mutationis, ſupponit intrinſecam imperfectionem, videlicet potentiam paſſiuam, quæ eſſentialiter eſt imperfecta; ſupponit prætereà defectum alicuius perfectionis, quia nihil mouetur, niſi ad acquirendum aliquam perfectionem accidentalem, quam non habet, quod repugnat cum perfectione infinita: ergo primo motori repugnat omnis motus etiam prouenìens ex actibus intellectus, & voluntatis; vnde nihil de nouo poteſt intelligere, aut velle, quia primum motorem decet omnimoda immutabilitas.

3 *Secunda Concluſio*. Primus motor eſt vnus tantùm. Hanc etiam concluſionem veteres Philoſophi tradidére, & meliores antiquorum Poetæ attigère: Ita Horat. lib. 3. Ode 4. qui ſit inſtar omnium.

Horat. l. 3. Ode. 4.

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventoſum, & vrbes, regnáque triſtia,
Diuoſque, mortaleſque turbas
Imperio regit vnus æquo.

Quo pacto demõſtretur vnitas Dei.

Eandem concluſionem ſic demonſtrauit Ariſtoteles: natura omnino abhorret ſuperfluum; ſed omnes effectus, tam ſecundum genus, quàm ſecundùm ſpeciem, & numerum, produci poſſunt, & ordinari ab vno tantùm primo motore: ergo fruſtra ponuntur plures: quæ ratio licet facilis appareat, nihilominus ſecundùm rerum naturam eſt efficaciſſima. Confirmatur ex eodem Ariſtotele, quia primus motor habet eſſe à ſe, hoc eſt, improductum ab alio: ſed hoc eſſe neceſſariò eſt actuale, & ſingulare: ergo primus motor neceſſariò eſt vnus tantùm. Explicatur minor, quia propterea diſtinguimus in creaturis diuerſos gradus genericos, vel ſpecificos, & indiuiduales, quia concipimus in eis diuerſos gradus participatos, & ideò limitatos: ſed primus motor nihil habet participatum ab alio; ergo eſt vnus tantùm. Confirmatur ſecundò, quia, ſi eſſent plures, daretur proceſſus in infinitum.

4 *Tertia Concluſio*. Ex mente Philoſophi, Primus motor eſt immenſus, vbique præſens, & omnia per ſe conſeruans, quod ſic probauit: nihil agere poteſt, vbi aliquo modo non ſit præſens; ſed primus motor non motus mouet omnia; ergo ſicut vbique eſt agens, ita vbique præſens eſt. Atque, vt inquit Manilius lib. 1. Aſtronomiæ,

Manil. lib. 1. Aſtronõ.

Aeris, atque ignis, terræ, pelagique iacentis
Vis animæ diuina regit, ſacróque meatu
Inſpirat Deus, & tacita ratione gubernat.

Ita Philoſophus ſecundùm naturales demonſtrationes: qui verò ſupernaturales rationes hac de re deſiderauerit, Theologos adeat in 1. p. & circa Dei immenſitatem videri poteſt D. Gillius tom. 1. lib. 2. tract. 9. cap. 1. vbi, præter authoritatem ſacræ paginæ, pro aſſerenda Dei immenſitate citat pluſquam centena loca Patrum.

Gillius.

Vtrùm Dei immenſitas extendatur ad ſpatium imaginarium?

Reſolutio eſt negatiua.

5 QVARTA *Concluſio*. Deus neque modò eſt in ſpatio imaginario, extra cælum: neque fuit in hoc ſpatio, ante mundi conſtitutionem: ita Capreol. in 1. diſt. 37. q. vnica, art. 2. ad 4. Scot. Richar. ibid. art. 1. q. 4. Bonauentura, Lichet. Bargius. Nouo Caſt. Tartaret. Abulenſ. Nicolaus de Orbelis. Marſil. Banh. Rada, Trigoſius, Beccan. Nauarr. quos citat. & ſequitur Faſſol. 1. p. q. 8. art. 1. dubit. 3. n. 18. idem tenent Val. 1. p. diſp. 1. q. 8. art. 1. pun. 2. §. *Mihi videtur*. Vaſq. tom. 1. in 1. p. q. 8. art. 1. diſp. 29. Gran. 1. p. tom. 1. tract. 3. diſp. 3. ſect. 2. Hanc ſententiam communem dicit Vaſq. Inter Patres, & Doctores, quos ipſe citat. cap. 2. eandem amplectitur Barthol. Amic. in Phyſ. tract. 21. q. 2. dub. 1. a. 1.

Capreol. Richard. Bonau. Lichetus. Bargius. Nouo caſtr. Tartaret. Abulenſ. Orbelis. Marſil. Bañez. Rada. Trigoſ. Beccan. Nauar. Faſſol. Valent. Vaſquez. Granad. Barth. Amicus. Gillius.

Digitized by Google

n.4. licet defẽdat ſpatium imaginarium æternum eſſe, ex ſuo modo abuſiuo, coexiſtens Deo, vt patet ex eodem tr.q.5.dub.2.a 2.n.7. fol.696.item Gill.lib.2.tr.9.cap.18.

6 Probatur ratione, quia ſpatium imaginarium non eſt aliquid reale, aut poſitiuum, ac proinde non eſt re ipſa locus, aut ſpatium, ſed eſt mera negatio loci, & cui in rei veritate opponitur contradictoriè locus, & ſolum eſt locus per imaginationem; vnde cùm ab æterno non fuerit talis imaginatio, non fuit etiam tale ſpatium: deinde non eſt aliqua priuatio, quia hæc ſupponit ſubiectum. Tandem ſpatium imaginarium non eſt aliqua non repugnantia, vt in eo ſint corpora, nam omnis non repugnantia, ſeu aptitudo negatiua, fundari debet in aliquo poſitiuo, vt patet in non repugnantia, ſeu in aptitudine Vniuerſalis: cùm verò extra cælos nihil omnino ſit, nihil datur, in quo fundetur talis non repugnantia, ſed tota hæc potentia ad recipiendum corpora ſe habet ex parte diuinæ omnipotentiæ.

7 Hoc ſuppoſito, ſic probatur concluſio. Spatium imaginarium nihil omnino eſt: ſed Deus non poteſt realiter eſſe in nihilo: ergo Deus non poteſt eſſe in ſpatio imaginario. Probatur minor. Præſentia realis in altero requirit actualem exiſtentiam eius, quod eſt terminus talis præſentiæ: ſed ſpatium imaginarium non datur realiter, eſt enim omnino nihil: ergo Deus non poteſt coexiſtere realiter tali ſpatio. Confirmatur, & declaratur eadem minor: Quia non plus habet veritatis illud ſpatium, quàm chymæra: ſed Deus non eſt in chymæra, ſecundùm realem præſentiam: ergo neque in illo ſpatio, cùm vtrumque non habeat aliud eſſe, quàm fictum. Fictitia verò, & imaginaria eſt maior ratio, quæ communiter affertur (nempe Deum eſſe in ſpatio imaginario, non verò in chymæra, quia hæc non habet capacitatem ad recipiendum corpus, ſicut habet ſpatium) quia cùm ſpatium hoc ſit quid fictitium, & mera negatio loci, non poteſt habere realem capacitatem ad recipiendum corpus.

Reijciunt contraria ſententia. Patres. Conimbr. Fonſeca. Molina. Soarius. Albertin. Zumel. Hurtad. Præpoſ.

8 Obijcies pro contraria ſententia, quã ſequuntur aliqui ex antiquis Theologis, quos citant, & tenent P.Conimb.8. Phyſ. cap. 10. q.2.art.2.Fonſ.5.Met.ca.15.q.9.ſect.4. Mol. 1.p.q.8 art.1.diſp.3 Soar. in Met. diſp 30. ſect.7.a n.28.Alberti.in prædicamento Vbi. q.2.ad 6,& Coroll 7.n.17.Zumel. 1. p. q. 8. art.1.concluſione 1.P.Hurt in Phyſ.diſp. 14. ſect.5.præter quos citat Faſſol.1.p.q. 8. art. 1. dubit.3 n.22.multa ſacræ paginæ, & Patrum teſtimonia, quæ tamen ibi ſoluit: idem præſtat Gran.1.p.à q.5.& 11.diſp.3 ſect.3. qui author ſect.2.n.6.fatetur ſe aliquando tenuiſſe hanc ſententiam, ſed, re meliùs conſiderata, in noſtram deflexiſſe: pro eadem præſentia Dei in ſpatio imaginario pugnant P. Præpoſit.1.p.q. 8.a 2.dub.vnico,à n.5.Leſſius lib 2.de diuinis perfect.c.2.Arrub 1.p.d 21.c.6.concluſ.1. &c. Arriaga in Phyſica diſp.14 ſect.4.poſt n. 69. Recupius.de Deo,lib.4.q.14.

Præpoſ. Leſsius. Arrubal. Arriaga. Cœar. Recupit.

9 Obijcies, Inquam, primò. Deus poteſt creare alios mundos extra cælum: ergo reuera exiſtit in ſpatio infinito extra cælum. Probatur conſequentia, quia, ſi Deus modò non exiſteret in tali ſpatio, mutaretur Deus localiter, & tranſiret ex hoc loco reali, vbi modò eſt, ad locum illum, vbi nouum mundum conderet; ſed hoc omnino repugnat, tam immenſitati, quàm etiam immutabilitati diuinæ: ergo. Confirmatur, quia modò Chriſtus Dominus ſecundùm multorum ſententiam eſt in ſpatio imaginario extra cælos, ideſt, ſupra cælos, cui tamen Deus debet eſſe intimè præſens: ergo cùm ibi modò ſit Deus, iam erat anteà, alioquin mutaretur.

10 Reſpondetur ad argumentum, negando conſequentiam: ad probationem dicendum eſt in ea noua mundi creatione, Deum mutandum non eſſe de loco in locum, quia Deus iam modò realiter exiſtit extra cælos, non quidem in ſpatio imaginario, quod nullum eſt, ſed in ſe ipſo; ita vt ex vi ipſius Dei exiſtere poſſit omni rei, quæ extra mundum erectur: eſt ergo Deus extra cælos, & extra omnem locum, & ſpatium in ſe ipſo, ſicut ab æterno durauit per ſuam æternitatem, non correſpondendo alicui extrinſecæ durationi, quam ſolutionem latiſsimè probat ex PP. Faſſol.cap.4. & in hanc ſententiam adducit illa carmina Dionyſij Carth. in 1.diſt.37. q.1 circa finem,

Dionyſ. Carthuſ.

Dic vbi tunc eſſet, cum præter eum nihil eſſet?
Tunc, vbi nunc, in ſe quoniam ſibi ſufficit ipſe.

Ad confirmationem negatur corpus Chriſti Domini eſſe in ſpatio imaginario, licet admittamus eſſe extra cælos: ſed dicendum eſt eſſe in ſe ipſo, ſicut modò mundus non eſt in aliquo ſpatio imaginario ſed in ſe ipſo.

11 Inſtas. Deus poſſet creare alium mundum, qui verè, & realiter diſtaret ab iſto, qui modo conditus eſt: ergo, ſicut tunc Deus eſſet in vtroque mundo, ita etiam exiſteret in ſpatio intermedio, alioquì diſtaret Deus à ſe ipſo. Reſpondeo poſſe Deum creare talem mundum, qui tamen mundus nõ diſtaret formaliter ab hoc, qui modò datur (ſiquidem nullum daretur corpus intermedium, diſtantia verò non ſit, vbi corpus nõ eſt) quem

Digitized by Google

quemadmodùm etiã extra cælos neque propriè datur ſurſum, neque deorſum; neque Deus diceretur diſtare tunc, vel habere præſentiam, veluti diſcretam, ex eo quòd non exiſteret in ſpatio intermedio, quia idem omnino vbi indiuiſibile redderet Deum præſentem in vtroquè mundo, non verò in ſpatio intermedio, cùm enim illud medium nihil omnino ſit, quid mirum eſt, ſi Deus ibi non ſit?

Soluitur aliud argumentũ.

12 Obijcis ſecundò. Deus eſſet in vacuo, ſi forte daretur in rerum natura, ergo etiam erit in ſpatio imaginario, quod extra rerum naturam concipitur. Reſp. negando conſequentiam. Maior ratio eſt, quia vacuum ſecũdùm ſententiam Philoſophi 4. Phyſ. cap. 2. eſt locus priuatus corpore, vnde, cùm ſit locus realis, propter correſpondentias, & ſuperficies reales externas, poteſt in eo concipi realis capacitas ad continendum aliquid: at verò ſpatium imaginarium neque eſt locus, ſed mera negatio loci, cui Deus non poteſt coexiſtere, quemadmodùm ſi non daretur Socrates, Deus non eſſet in Socrate. Quòd ſi vacuum ſumatur pro mera priuatione, eodẽ modo philoſophandum eſt, ſicut de ſpatio imaginario.

13 Obijcis tertiò. Ita ſe habet diuina æternitas comparatione durationis ſucceſſiuæ, ſicut diuina immenſitas comparatione ſpatij permanentis. ſed Deus, ratione æternitatis, coexiſtit infinitæ durationi imaginariæ, quæ cõcipitur ante verum tempus, in quo mundus incepit: ergo, ratione immenſitatis, coexiſtit infinito ſpatio imaginario, extra ſpatium verum. Reſpondeo conſequenter, negando minorem, cùm enim nulla fuerit huiuſmodi duratio, non poterat illi Deus correſpondere; ſed eatenus dicitur Deus æternus, quatenus poſſidet totum ſuum eſſe ſimul, ita vt nullum verum tempus condi potuerit, quod extiterit priùs quàm Deus, & cui Deus non poſſit correſpondere, vnde communiter à Theologis diuina æternitas comparatur puncto in centro circunferentiæ, quod quidem ex parte ſua aptum eſt correſpondere toti circunferentiæ reali; & eodem modo, cùm Deus per ſuam immenſitatem ſit in ſe ipſo, aptus eſt correſpondere omni ſpatio vero.

14 Obijcis quartò. Non poſſumus concipere Deum extra cælos, quin diffundatur per ſpatium infinitum: ergo verè datur tale ſpatium. Confirmatur, quia Philoſophi communiter explicant Vbi, & loca realia per ordinem ad ſpatium imaginarium, & propterea dixi variari poſſe ſuperficiem extrinſecam aeris turrim ambientis, quin moueatur locus, quia ſcilicèt, dicit ordinem ad ſpatium imaginarium immobile: ergo, tale ſpatium datur ex communi Philoſophorum ſententia.

15 Reſpondetur, fatendo nos ſemper in imaginatione fingere illud ſpatium in ipſa ſpatij negatione, ſicut fingimus in tenebris formam aliquam poſitiuam, intellectus tamen vi, ac virtute corrigenda eſt hæc imaginatio, ne fortè decipiamur. Ad confirmationem reſpondeo. Turrim non dici manere in eodem ſpatio, quia repleat aliquid imaginarium, ſed quia retinet idem Vbi. Neque obeſt communis locutio de correſpondentia ad ſpatium imaginarium: vel enim loquuntur Philoſophi ex ſententia illorum, qui admittunt tale ſpatium; vel illud fingunt per intellectum ad explicationem Vbi, vel loci; ſicut explicant negationes, per entia rationis poſitiua, quæ tamen non aſſerunt dari á parte rei.

16 Obijcis quintò. Si Deus conderet alium mundum, poterat ex hoc noſtro mundo adducere Socratem in illum nouum; cùm ergo ille homo non poſſet tranſire, niſi per medium, & medium ſit ſpatium imaginarium in illo verè eſſet Deus, & ille homo. Reſpondeo. Talem hominem poſſe quidem eſſe in vtroque mundo, ſed non tranſiturum eſſe per medium, quia non datur tale medium; poterat tamen Deus illum adducere per motum ſucceſſiuum, & acquireret quoddam nouum Vbi intrinſecum, non quidem correſpondendo alicui ſpatio imaginario, ſed coexiſtendo Deo, in quo moueretur, iuxta illud Actorum 17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Actor 17.

17 Sed ne circa hoc inane, & vacuum inania verba in vacuo Theatro diutiùs iactemus, immò ne dum ſpatium imaginarium damnamus, vel nolentes circa illud ſpatiemur, hinc iam ad motum violentum tractandum moueamur. Hæc igitur ſufficiant circa perfectiones primi motoris, quas à limine tantum officiosè veneramur, ſecundùm Ariſtotelis demonſtrationes, reliqua ſuppeditabunt Metaphyſici.

(?)(?)
(?)

Digitized by Google

DISPVTATIO XXXIX

De Motu violento, ac de Impulſu.

VLTIMO iam ſub fine librorũ de Phyſico Auditu, vaſa colligit, & terris proram aduertere feſtinat Ariſtoteles, quia tamen cap. 10. huius libri quæſiuit à quanam cauſa procederet motus violentus? ideó circa hunc motum quæſtiones aliquot reſtant ventilandæ, & conſequenter agendum eſt de impulſu, qui eſt cauſa motus violenti, ſed quia nullum violentum perpetuum eſt, ideò non diutius immorabimur, ſed, diſcuſſa breuiter hac tractatione, ad lib. de Cælo, non quidem violenter impulſi, ſed ſponté allecti accedemus.

SECTIO I.

Quomodò concurrat impulſus ad motum violentum?

Cauſa principalis motus violenti eſt proiector.

1 PRIMA *Concluſio* Motus violentus fit per impulſum impreſſum à proiectore in re mota, iuuante etiam medio: vel aliter; cauſa principalis motus violenti eſt proiector, inſtrumentaria verò eſt impulſus, nõ verò medium, ſeu aer, qui commotus à proijciente impellit alium aerẽ, qui immediatè tangit proiectum, quamuis etiam hic aer motus, modo aliquo, adiuuet. Ita communis antiquorum ſententia, quos citát PP. Conimbr. & ſequuntur lib. 7. Phyſ cap. 2. q. 1. art. 8. §. *Contraria*. P. Rub. lib. 8. Phyſ tract. 2. de Impulſu q. 1. n. 5. idem ſequitur Tol lib. 8. Phyſ. cap. 9. tex. 86. eandem ſupponit Soar. in Met. diſp. 35. ſect. 6. à n. 24. Arriaga de Generat d. 4. ſect. 5. ſubſ. 5.

Patres. Conimbr. P. Rubius Toletus. Soarius. Arriaga.

2 Probatur ratione, quia aer non moueret lapidem, niſi priùs ipſe aer à proijciente moueretur, vt etiam aduerſarij concedunt: ergo proijciẽs eſt præcipua cauſa motus violenti: atquí aer moueri non poteſt, niſi ipſi imprimatur aliqua virtus, ſiue aliquis impulſus, quem anteà non habebat, vt experientia docet: ergo etiam corpus quod mouetur, mouetur per impulſum impreſſum á proijciente. Probatur conſequentia, quia non minùs eſt capax impulſus impreſſi ipſe lapis v. g. quàm ſit aer: ergo, ſi aer mouetur, per impulſum, ipſe etiam lapis, ſeu quodlibet aliud mobile per impulſum mouebitur.

3 Confirmatur primó Quia intelligibile non eſt quo pacto ſolus aer moueat tormentarios globos,

Et rotet arſuras cæli per nubila glandes,

tãto videlicet impetu, ac tam recto, & aliquãdo aduerſus ventum validiſsimum, niſi, præter aeris motũ, detur impulſus in globo ipſo impreſſus. Confirmatur ſecundò à Conimbr. quia non videtur negandum poſſe Angelum, per vacuum, rotare globum, & tamen in vacuo, non ab aere, ſed impulſiua qualitate, iaculo inhærente, raperetur.

4 Obijcis pro contraria ſententia, quam multi ſequuntur cum D. Th. 3. de Cæl. à tex. 28. qui docent, motum violentum non fieri per impulſum impreſſum rei motæ, ſed fieri ab aere circumiacente, itaut proijciens primò moueat aerem, qui colliſum alium proinde propellit continenti ſerie, donec langueſcant vires, & quieſcat mobile. Obijcis inquam. Motus violentus eſt ille, qui naturalis non eſt, nec ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco paſſo non cõferente vim: ergo non fit per qualitatem aliquam impreſſam rei motæ, ſed omnino ab extrinſeco fieri debet ab aere extrinſecè propellente. Reſpondeo negando conſequentiã, r a n, licet motus violentus fiat per qualitatem illam impreſſam, cùm illa qualitas naturalis non ſit rei motæ, adhuc dicitur prouenire ab extrinſeco: Quæ doctrina ex dicendis ampliùs patebit.

Reijcitur contraria ſententia. D. Thom.

5 *Secunda Concluſio*, Impulſus eſt accidens, quod ponitur in prædicamẽto qualitatis. Probatur prima pars: quia impulſus non eſt ſubſtantia, ſiquidem accidentaliter aduenit corpori. Probatur ſecũda pars, quia impulſus eſt actiuus, ex accidentibus verò ſolæ qualitates ſunt actiuæ: ponenda eſt ergo hæc qualitas in diſpoſitione, quia non eſt inſita à natura, nec diu permanet, pẽdetque à cauſa efficiente in fieri, & in cõſeruari; diſtinguitur ſpecie à grauitate, & leuitate, nam grauitas, & leuitas ſunt potentiæ naturaliter inditæ á natura, vt corpora quærant ſua loca naturaliter: at verò per impulſum non fertur corpus in locum determinatum, ſed pro libito proijcientis, modò ſurſum, modò deorſum.

Impulſus pertinet ad qualitatem.

6 Circa modum, quo impulſus generatur, & corrumpitur, ſit. *Tertia Concluſio*, Actio, per quam fit impulſus, aliquãdo requirit motum localem, tam ex parte imprimentis, quàm

ex

Digitized by Google

ex parte eius, cui imprimitur: aliquando verò ſolùm requirit motum localem ex parte corporis, cui imprimitur impulſus. Probatur, & declaratur concluſio: quia aliquando proiector impulſum imprimit haſtæ v. g. mouendo brachium, & tunc temporis tam proijciens, quàm proiectum localiter mouentur: quòd verò aliquando talis motus ſolùm detur in proiecto, patet in magnete imprimēte impulſum in ferro, quin magnes moueatur.

Per quam actionem fiat impulſus? 7 Actio verò, per quam producitur impulſus, dici poteſt alteratio, ſiquidem per eam proiectum aliquo modo alteratur, quamuis propriè loquēdo alteratio ſolùm detur ad patibilem qualitatem, & paſſionem. Hæc actio ex natura ſua eſt inſtantanea, & per accidens ſucceſſiua. Probatur prima pars, quia impulſus non habet contrarium, quod vincat: ergo ſicut illuminatio, quæ non habet contrarium, fit in inſtanti, ita etiam impulſus &c. Probatur antecedens, quia ſi aliquod haberet cōtrariū, eſſet grauitas, quæ reſiſtit alicui impulſui: ſed corpora, per impreſſionē impulſus, nihil grauitatis amittunt: ergo grauitas non eſt contrarium, quod per impulſū vincatur, & deſtruatur. Probatur minor manifeſtâ experientiâ, qua comperimus corpora grauia eiuſdē pōderis eſſe poſt magnum aliquem impulſum. Solùm igitur per accidens habet ſucceſſionē, quia impulſus imprimitur per motum localē.

8 Obijcis. Impulſus eſt contrarius inclinationi naturali corporis, quod poſtulat eſſe in ſuo loco naturali: ergo, cùm per impulſum detur motus violentus, qui eſt contrarius loco naturali, ſequitur impulſum habere contrarium. Reſpondeo, impulſum non eſſe propriè contrarium inclinationi naturali corporis: ſiquidem grauitas, & leuitas rei motæ non ſūt actiuæ, nec productiuæ alicuius qualitatis oppoſitæ, nec ſe mutuò expellunt, vt dixi; vnde, cùm impulſus non ſit contrarius ipſi corpori, nec grauitati, per quam corpus eſt, vel tendit in ſuum locum naturalem, non habet propriè contrarium, & ſolùm per accidēns non fit in inſtanti, ratione motus, qui non fit in inſtanti.

Quo pacto definat impulſus? 9 Deſinit impulſus non per contrarium, ſiquidem illud non habet, ſed per defectibilitatem ſuæ naturæ, quæ nōn petit diuturniorem durationem, & conſeruationem á cauſa prima: cùm enim impulſus ex natura ſua paulatim langueſcat, prima cauſa ſe accommodat eius imbecilitati, ſicut accidit in ſono, qui, quamuis non habeat contrarium, per ſe ipſū euaneſcit. Neque ex hoc ſequitur impulſum, vel ſonum per ſe inclinari ad non eſſe, ſed ſolùm ſequitur, ex ſe habere negationem maioris permanentiæ, ſicut res corruptibiles non ordinantur poſitiuè ad ſui corruptionem, ſed habent ſe negatiuè. Tandem aduertēdum eſt, impulſum eſſe tantùm inſtrumentum motus violenti (nam cauſa principalis eſt proiector) eſt verò inſtrumentum ſeparatum, ſicut calor eſt inſtrumentum ignis, à quo ſeparatur. Reliqua de impulſu agunt Conimbr. lib. 7. Phyſ. cap. 2. q. 1. art. 8. Soar. in Met. diſp. 18. ſect. 7. à n. 26. Rub. lib. 8. Phyſ. tract. de Impulſu q. 4. Arriaga de Generat. diſp. 4. ſect. 5. ſubſect. 5. *Patres Conimbr. Soarius. Rubius. Arriaga.*

SECTIO II.

Reſoluuntur aliqua dubia circa hunc motum.

1 PRIMVM dubium. Vtrùm motus corporis retrocedentis, v. g. pilæ parieti adactæ, & reſilientis, fiat per impulſum impreſſum á proiectore eidē pilæ, an per nouum impulſum, quem paries illi imprimat? Reſpondeo cum Ariſtotele, illū motum reflexum prouenire adhuc á proiectore. Probatur, quia impulſus ille impreſſus à proiectore ſufficiens erat ad deducēdum pilam longiùs, niſi à pariete impediretur, ſed quamuis impediatur, non ceſſat: ergo tribuendus eſt proiectori: & declaratur, quia ſi à proiectore iaciatur pila cum magna vi, magnam etiam reſilientiam habet, ſi cum parua, minorem habet: ergo ſignum eſt, motum reſiliendi prouenire ab impulſu impreſſo à proiectore. *Vnde proueniat motus corporis retrocedentis.*

2 Confirmatur, quia paries immotus nullam habet attractiuam, vel expulſiuam qualitatē: ergo mouere non poteſt, neque ex ſe, neq; per ſe imprimere talē impulſum; vnde colligo, parietem ſolùm eſſe cauſam per accidens motus reflexi, quatenus, videlicet, impedit motum directum: ita tamen eſt cauſa per accidens, vt ſi fortè corpus impediens motū directum, ſit durum, maximè adiuuet talem motum, ſin minùs, retardet, vt patet experientiâ, ſi enim pila adigatur lanæ, quantumuis ſumma vi deſtinetur, minimùm reſiliet, ſecus verò ſi lapidi impingat. Colligo ſecūdò, bene poſſe vnum, eundemque impulſum, motum imprimere rectum, & reflexum, quamuis videātur oppoſiti, & ratio eſt, quia licêt potentia motiua grauitatis ſit determinata ad motum deorſum, impulſus verò de ſe eſt indifferens ad quemlibet motum.

3 Obijcis. Pila à nemine proiecta, ſed tātùm mota ſuo pōdere, ſi cadat in terram, rurſus reſilit; ſed hoc non prouenit ex impulſu à proiectore impreſſo, ſiquidem nullus datur proiector: ergo ille impulſus prouenit à terra, cui pila fuit adacta. Reſpondeo negando conſequentiam: nam illa reflexio prouenit á grauitate

Digitized by Google

uitate pilæ, quæ pilam deorſum propellit. Deinde leuitas lanæ (ſi hæc ſit intra pilam) & aer intra pilam incluſus ipſam ſurſum eleuat.

An mobile quieſcat in puncto reflexionis? Patres Conimbr.

4 Secundum dubium eſt, vtrùm neceſſe ſit quòd mobile quieſcat in puncto reflexionis, de quo dubio accuratè agũt PP. Conimb. 8. Phyſ. cap. 1. art. 1. & circa motum pilæ reſilientis à pariete quæſtio eſt, an puncto illo, in quo verum eſt dicere, parietem tactum fuiſſe à pila, quieſcat ne tunc pila, pro aliquo breui tempore, antequàm iterum moueatur motu reflexionis? Reſpondeo in ſententia Ariſtotelis, neceſſariò dãdam eſſe aliquam quietem dummodò corpus tangens non ſit perfectè ſphæricum. Probatur prima pars, quia corpus tangens non tangit paſſum in indiuiſibili, ſed ſecundùm aliquam extenſionem, vt ſuppono: ergo neque etiam ſeparari poteſt in inſtanti, ſed neceſſarió debet interuenire breue aliquod tempus, in quo fiat ſeparatio, & aer ingrediatur, ne detur vacuum: cùm verò aer nõ poſſit ingredi in inſtanti ad occupandum totum locum, in quo fit tactus, ſed cùm debeat per partes ingredi, ne detur motus in inſtanti, neceſſariò debet dari quies aliqua, dùm corpus illud per breue tempus alteri eſt coniunctum. Probatur ſecunda pars, quia ſi corpus tangens ſit perfectè ſphæricũ quia tãgit in indiuiſibili, ſeparari poterit in inſtanti, quin detur periculum vacui.

5 Quid tamen dicendum quando vna pars motus eſt violenta, alia verò naturalis, vt cùm lapis iacitur ſurſum, & poſtquàm perit impulſus, per ſuam grauitatem fertur deorſũ, datur ne quies in puncto illius reflexionis? Reſpondeo affirmatiué, ex mente Ariſtotelis, ratio verò metaphyſica eſt, quia motus ſurſũ, & motus deorſum ſpecie diſtinguuntur (ſicut etiam grauitas, & leuitas, ſunt enim ſuo modo contrarij, per ordinem ad motum localẽ) ergo illi duo motus continuari non poſſunt, ſed neceſſe eſt, vt paululum interrumpantur per quietem, neque enim ſimul poſſunt dari duo contraria in eodem ſubiecto: atque hæc ratio oſtendit, dandam eſſe hanc quietem, quamuis talis motus fiat in vacuo, quod tamẽ eſt cõtra PP. Conimbr. 8. Phyſ. cap. 8. q. 1. art. 1. §. *Secunda Concluſio*: qui aliter philoſophantur, ſed contra mentem Ariſtotelis, vt conſtabit legenti cap. 7. 8. & 9. huius libri.

6 Si verò motus rectus violentus ſit, reflexus verò non ſit omnino naturalis, ſed aliqua ex parte violentus, vt ſi mobili in ſublime proiecto occurrat quoduis agens fortius deorſum tendens, quod ſecum deferat mobile, vt v. g. ſi pilæ in altum proiectæ moles ſaxea cadens occurrat, nulla tũc dabitur quies, cùm nullum ibi vacuum timendum ſit, vt dicebamus de motu pilæ reflexæ in pariete. Neque præterea obſtat ratio contrarietatis motus ſurſum, & motus deorſum, nam tunc ſolũ hi motus contrarij ſunt, quando ſunt naturales, & per ſe contrariantur, cùm verò hæc reflexio ſolùm fit per accidens, & per motum alterius corporis, vterque eſt ſuo modo violentus. Diligenter tamen aduertendum eſt in puncto reflexionis cuiuſcumque motus, ſemper dari quietem, negatiuè ſaltem, hoc eſt, ſẽper dari ceſſationem, ſiquidem incipit alius motus, per reflexionem.

7 Circa motus viuentium, & non viuentium has regulas accipe. Corpora grauia cúm deorſum feruntur in fine concitatiùs aguntur, quia magis accedunt ad centrum, & quia grauitas, tanquàm inſtrumentum elicit impulſum ſucceſſiuum, qui magis intenditur, quo magis extenditur ſpatium; vel quia incitantur corpora vicino aere; vel quia magis accedunt ad centrum, quod naturaliter appetunt. Viuentia in medio motus velociùs mouentur, quàm in principio, vel in fine, & ratio eſt, quia vires tunc magis vigent, nam maior copia ſpirituum in medio effunditur, qui in principio motus erant adhuc incluſi; & in fine tandem euaneſcunt. Similiter motus violentus velocior eſt in medio, vt patet euidenti experientiâ globi tormentarij, qui maiorem fert impetum in medio motus, quàm in fine, vel in principio. Quid dicẽdum de motu viuentium, & non viuentium?

8 Non tamen eſt adeó facilis ratio, quæ hac de re poteſt aſſignari. Videri tamen poſſunt Rub. 8. Phyſ. tract. de Impulſu. q. 6. & PP. Conimbr. 7 Phyſ. cap. 2. q. 1. art. 8. ad §. *Ad primum*. Dico igitur, motum proiectorum v. g. ferreæ pilæ paulo poſt initium velociorem eſſe, quia tunc concitatæ ſunt partes aeris, quæ etiam adiuuant proiectum, dum accurrit ne detur vacuum, at verò poſt medium, cúm iam paulatim virtus, & impulſus à iaciente impreſſus langueſcat, ita deficit, donec tandem quieſcat ferrea pila, de cuius ludo iam ſatis. *Rubius. Patres Conimbr.*

9 Sed neſcio quis aurem vellit, & admonuit, òhe! etiam de Phyſicis iam ſatis eſt, huc vſque fas, licentiùs diuagari nefas; Relicto ergo Phyſicorum tractatu, pergo ad libros de cælo,

Reſtat iter cælo, cælo tentabimus ire. *Ouid. de 2 Volatu Dædali.*

Vos valete, & plaudite,

FINIS.

Digitized by Google

SVMMA PHILOSOPHIÆ PARS SECVNDA

TRACTATVS II.

IN QVATVOR LIBROS ARISTOTELIS de Cælo, & Mundo, ac de Meteoris.

PROLOGIVM.

HACTENVS naturalem Phyſicorum doctrinam, & ſublunarē materiam, pro noſtrà breuitate breuiter expoſuimus, ſed iam ad cæleſtes Orbes animum, curaſque aduertimus, Ergo Dædaleos niſus, perpeti mentis volatu, audaciter imitabimur; nec infauſta Icari ruina deterremur; quippe qui non anguſtum, & obſcurum per iter, ſed via lata, & via lactea incedèmus; lucem, ac ducem ſequor, non Ariſtotelem modô, ſed cæleſtem Virginem meam, quæ nobis tanquam Signum magnum, in hoc cælo benignè apparebit, ac dilucidè præfulgebit; ſub hoc ergo lucis magiſterio (quamquam vel Atlas ipſe tanto grauatus pondere ingemiſcat, ego lubentiûs.

Virg. Aen. 6. — *Auſus me credere Cælo.*

LIBER I

DISPVTATIO XXXX

De Cæli compoſitione, et corruptibilitate.

POSTQVAM Ariſtoteles per octo Phyſicorum libros egit de corpore mobili in communi, accedit nunc in particulari ad corpus cæleſtes quod eſt præcipuum horum librorũ ſubiectum (quanquàm non ſit adæquatum, nam adæquatum ſubiectum eſt corpus ſimplex, prout comprehendit cælum, & elementa) In hac igitur diſputatione tractabimus de eſſentia, & proprietatibus Cæli, ſecundum recentiores, hodièque magis receptas Authorũ opiniones.

SECTIO I.

Vtrùm Cæli ſint corruptibiles, ac ſolidi?

1 PRIMA *Concluſio.* Cæli corruptibiles, ſunt, ac generabiles, ſicut reliqua corpora ſublunaria. Hæc eſt hodie receptiſſima opinio, & iam ferè communis. Sunt corruptibiles

illum cometam, qui orbem terruit anno 1577 non verò ſtellam Caſſiopæam, quæ apparuit anno 1572. præter quàmquòd non ſtella, ſed cometa ſoleat tales regnorum exitus indicare: ſic apud Poetam Silium, *Sil. Ital.*

Regnorum euerſor rubuit lethale cometes.

P. Hurtadus exiſtimauit Caſſiopæanam ſtellã non fuiſſe in cælis generatam.

9 Addit P. Hurt. prædictam ſtellam Caſſiopæam perſeueraſſe per duos annos, vnde infert, non fuiſſe cæleſtem, ſed elementarem, ſi enim cæleſtis foret, eſſet maior totâ terrâ, nec haberent elementa ſufficientem materiam, ex qua alerent tantæ magnitudinis ignem: neque daretur vaſtum adeò receptaculum, quod tam immenſi corporis cineres reciperet: miratur verò cur Aſtronomi non prouiderint materiam tã ingenti rogo: immò addit, neque cælos graue adeò damnum pati potuiſſe. *Refellitur* Verùm nihil eſt, quod malè vexet. P. Hurtadum damnũ illud, quod indè cælis accidere potuiſſe reformidat: quamuis enim ignis ille foret cõſumens, adhuc cæli ex eius inflammatione non reciperẽt damnum aliquod ſenſibile, licet non duos, ſed ducentos annos talis ignis perſeueraret, & ratio eſt, quia quamuis eſſet multoties maior, quàm tota terra, vt reuera eſſe debebat (ſiquidem paulò minor, quàm Iuppiter apparebat, qui nonaginta vicibus terræ magnitudinem excedit) nihilominùs reſpectu cæli magnitudinem palmarem non haberet: neque tamẽ negabit hic Author, poſſe vnum ignem magnitudine vnius, vel duplicis palmi in terra ardere, ſine notabili, aut ſẽſibili ipſius mundi detrimento: quod ſanè nõ poſſet deprehendere ille, qui ex firmamento tam longè diſſitam Orbis terram arduus deſpectaret: quarè ſecurus eſſe poterat P. Hurt. ne ipſe ſimul cum mundo vniuerſo tanto cinerũ fauillaceo põdere mergeretur: præcipuè quia prædicta ſtella generari poterat ex ipſa materia cæleſti, & in eandem rurſus reſolui, ſicut flos aliquis, qui ex terra pullulat, & in eandem iterum conuertitur: quarè non eſt vnde P. Hurtadus cauilletur Aſtronomorum prouidentiã, quaſi auarè tãto igni materiã ſubminiſtrãtiũ.

Quid ſenſerint noſtri Conimbr.

10 Patres verò Conimbr. lib. 1. de Cælo cap. 3. q. 1. art. 4. parallaxibus conuicti ingenuè fatentur, prædictam ſtellam cæleſtem fuiſſe, addunt tamen eius productionem miraculoſam fuiſſe, atque ita argumenti aciem infringere conantur, quo probamus cæli corruptibilitatem ex nouis ſyderum generationibus. Verùm mihi placere nõ poteſt modus ille philoſophandi, cui ſi Deus miraculoſè non ſuccurrat, non eſt vnde naturalis ratio, in qua Philoſophia fũdatur, emendicetur: quis verò adeò cæcutit, vt non videat, eâdem nos facilitate poſſe aſſerere terram, & reliqua elementa incorruptibilia eſſe, neque obſtare nouas productiones, quas quotidie experimur, quia illas, eâdẽ prorſus libertate, poteſt quis dicere miraculoſas.

11 Addunt PP. Conimbr. lib. 1. de Cælo cap. 3 q. 1. art. 5. *Ad Tertium*, propterea prædictos ſtellarum ortus miraculoſos fuiſſe, quia ſimiliter mirabilium euentuum fuere portenta: ſed cõtra eſt, quia effectus poteſt eſſe naturalis, & tamẽ ſignum eſſe poteſt euentuũ inopinatorum, nam in doctrina eorundem Patrũ Cometa naturalem habet cauſam, & tamen. *Virg. AEn. 10.*

Ille ſitim, morbóſque ferens mortalibus ægris,
Naſcitur, & læuo contriſtat lumine Cælum.

Proponitur, ac refutatur contraria ſententia.

12 OBIICIS tamen pro contraria ſententia quæ aſſerit, corpora cæleſtia eſſe incorruptibilia, & ingenerabilia, ita vt ſolũ deſinere poſſint per miraculum. Hanc ſentẽtiã ſumma veneratione colunt Peripatetici, duce Ariſtotele, in hoc lib. pro ea videri poteſt D. Thom. 1. p. q. 66. art. 2. Soar. in Met. diſp. 13. ſect. 11 à n. 13. PP. Conimb. lib. 1. de Cælo, cap. 3. q. 1. art. 2. Hurt. diſp. 1. de Natura, & eſſentia Cæli ſect. 5. §. 29. Arriaga in ſuo Curſu Philoſ. diſp. de Cælo, ſect. 3. n. 42. *Ariſtot. D. Thom. Soarius. Patres Conimbr. Hurtad. Arriaga.*

13 Obijcis, inquam, primò ex Ariſtotele l. 1. de cælo cap. 6. Qui ex eo quòd cæli circulariter moueantur, infert non habere leuitatem, aut grauitatem, & conſequenter non eſſe corruptibiles. Reſpondeo tamen, permiſſa, & non conceſſa illatione, negando ex eo ſequi, cælos eſſe incorruptibiles: nam corpora ſublunaria non pugnant ſolùm ratione contrarietatis motus localis, ſed etiam ratione qualitatum contrariarum: & præterea docet experientia, duo corpora æqualia in leuitate, vel grauitate poſſe habere qualitates contrarias, quibus interimãtur: ergo, licet corpora cæleſtia nõ habeãt grauitatem, vel leuitatem, poterunt habere qualitates contrarias, quæ corruptionem inducant: neque obſtat, quòd lux, quæ eſt accidens cæleſte, non habeat contrarium, nam etiam lux corporum ſublunarium non habet contrariũ, & hoc non tollit quominùs dentur in ijſdem corporibus alia accidẽtia, quæ habẽt cõtrariũ.

14 Obijciunt ſecundò PP. Conimbr. cum Soar. experientiam per tot annorũ ſæcula cõteſtatã, qua videmus cælos in eodẽ ſẽper ſtatu permanere, ſine vlla tranſmutatione, aut varietate, quã tamen in corporibus ſublunaribus continuò vel inuiti experimur: adduntque ſi cælum Lunæ eſt corruptibile, quomodò per tot annorum ſeries, ſine læſione ambientis ſphæræ ignis, quæ eius concauũ replet, perſeueraret? Reſp. imprimis exigẽdo ab his

authoribus

Digitized by Google

inquam,non obſtat,quia in primis in Hæbræa verſione,loco firmamẽti,ponitur Rakia à radice RaKa, & ſignificat expandere, & extenuare,quarè firmamentum idem eſt ac extẽſio,& extenuatio. Et prætereà infrá oſtendam cælos,quamuis fluidos,firmos nihilominús eſſe,& immobiles. vnde mirum non eſt, ſi dicatur firmiſſimi. Quomodó verò aſtra curſũ ſuum certis,ac regularibus parallelis perficiant, quin cælo alicui ſint affixa,infrà videbimus.

21 Aduertendum tamen hic eſt,prædictas parallaxes,ex quibus percipitur cælorum fluiditas,propter curſum planetarum, ac cometarum ab vno in alios orbes, determinare non poſſe altitudines ſtellarum,quas fixas dicimus,vt eſt communis ſententia Aſtronomorum;nihilominús tamen,ex eo quód planetarum cælum fluidum ſit,bene colligi firmamẽtum, ſiue cælum ſtellarum fixarum fluidum etiam eſſe,tum quia ſuarum ſtellarum curſus non bene dignoſcentur per cælum ſolidum, tum quia ſimilitudo motus arguit naturæ ſimilitudinem; quidquid in oppoſitum ſentiat Hugo Sempillius de Mathemat.diſcipl.lib.10. cap.1.n.1.ad finem. *Hugo Sempil.*

Ex qua tandem materia conſtent cæli?

22 TERTIA *Concluſio* Cæli conſtant ex materia elementari, nempe ex aere,& ex igne. Hanc concluſionem imprimis probãt Sacræ Scripturæ variæ loquutiones, in quibus aer cælum appellatur:Sic Gen.1.26.30.&c. dicuntur volucres cæli, volatilia cæli &c. Sic etiam locus vbi nubes, & reliqua meteora generantur,cælum dicitur,2. Reg.22.n.12. *Cribrans aquas de nubibus calorum.* Cúm igitur verba ſacræ ſcripturæ accipienda ſint in proprio, ac germano ſenſu,quando ratio aliqua euidens oppoſitum non perſuadet, neceſſarió fatendũ eſt aerem ipſum eſſe propriè,ac rigoroſé cælũ nuncupandum.

23. Deinde, quòd cælum igneum ſit, docẽt Baſil.Ambr.Auguſtin.Theod.Anſel.Chryſoſt.Hypol.Iuſtin.Beda,& alij,quos citat Delrius cap.1.gen. Additque, aquas illas, de quibus Pſalmiſta *& aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt,* pſal.148.ſupra cælos ſapienter fuiſſe collocatas ad reprimendum, temperãdúmque nimiũ cæli calorem. Atque ita facilè percipiũtur loci aliqui ex ſacra pagina, Paralip.lib.2. c.7. *Ignis deſcendit de cælo, & deuorauit holocauſta.* Iob 1. *Ignis Dei cecidit de Cœlo, &c.* Quod deinde probat ignea aſtrorum virtus,eorum lux, & aliæ proprietates, quæ non, niſi in igne, reperiuntur, hinc eſt quòd aſtra dicuntur ardentia, & ignea,ſic AEn.4. — *Quoties aſtra ignea ſurgunt.* & iterũ. *Axẽ humero torquet ſtellis ardẽtibus aptũ.*

Basil. Ambroſ. Auguſt. Theodor. Anſelm. Chryſoſt. Hypol. Iuſtin. Beda. Delrius. *Virgil. Æn. 4.*

24 Aſſero igitur, inferiorem cæli partem conſtare ex aere,ſuperiorem veró, vbi ſcilicet aſtra,& planetæ diſcurrunt,igneam eſſe,& ita loquuntur Patres citati;atque hoc modo prædicti ſcripturæ loci ſuum proprium, & rigoroſum ſenſum conſeruant:& deinde,cúm probatum ſit cælos fluidos eſſe,cúm aer, & ignis ſint magis fluidi, ac permeabiles, inde eſt, quód aptiores ſint ad curſus auiũ, & aſtrorũ.

25 Et quamuis aer magis ſit craſſus,quám ignis,ideò magis fauet noſtræ doctrinæ;hac enim de cauſa luna locũ habet in aere,quæ tardior eſt comparatione reliquorum aſtrorum, vt probabimus;ſic etiam ſuperior ignis pars neceſſariò eſt tenuior,& ideò ſtellæ,& reliqui planetæ locum hunc ſibi proprium vendicãt, vt pote illarum motibus aptiorem.

SECTIO. II.

De Motu corporum cæleſtium.

1 PRIMA *Concluſio.* Motus localis naturalis adæquatè diuiditur in motũ rectũ,circularẽ,& mixtũ: Ita communis ſentẽtia duce Ariſtotele lib.1. de cælo cap.2. vt probetur concluſio aduertendũ eſt,motus diuerſitatẽ maximé pendere à diuerſitate lineæ,ſupra quã fit,ſimulque aduertendum eſt ad terminũ,ad quem fit motus: linea igitur ſimplex mathematicè ſumpta, ſi recta ſit,ita eſt definienda, *Quæ ab vno ad aliud pũctum quàm breuiſſimè pertingit.* Circularis verò *Cuius omnes partes ab vno pũcto æqualiter diſtãt.* Mixta verò definitur, *Quæ inter duo puncta non breuiſſimè extenditur.* Prætereà potentia motiua ſimplex eſt illa, *quæ per ſe ad vnum tantùm locum inclinat:* potentia veró mixta,ſeu compoſita *quæ per ſe ad plura loca tendit.*

2 His poſitis,probatur concluſio,quia nõ eſt excogitabilis alius motus, qui non procedat à virtute ſimplici,aut mixta:& qui non fiat per ſimplicem lineam,aut mixtam: & qui non procedat à medio,vel in medium tendat, ſeu circa medium fiat:atque adeó, qui non ſit circularis, aut rectus,aut ex vtroque mixtus.

3. *Secunda Concluſio.* Cæli naturâ ſuâ ſunt immobiles. Hæc concluſio,quamuis ſit contra communem, & antiquam Ariſtotelis, Ptolomæi, & Peripateticorum ſententiam : nihilominùs euidenter ſequitur ex doctrina tradita in ſuperiori ſectione, vbi probaui, cælos conſtare ex materia elemẽtari,ſcilicet ex igne, & ex

& ex aere, quia prædicta elementa ſunt naturaliter immobilia (nec niſi ab extrinſeco, & per accidens mouentur) ergo cæli naturaliter etiã ſunt immobiles: ſatis enim eſt, quòd aſtra ipſa moueantur, vt infrà oſtendam.

4 Concludo igitur, neceſſarios non eſſe orbes illos cæleſtes ſolidos excentricos, & concentricos, quibus intricatum, & inexplicabilẽ motuum labyrinthum veteres Philoſophi cõponebant; nam, cùm cæli fluidi ſint, neceſſarius non eſt talis motus. Quarè ad excludendũ cælorum motum, non approbo rationem illã, quam magno verborum apparatu Neoterici aliqui fabricãtur, ex eo ſcilicet repugnare plures orbes, quia vnum corpus non poteſt habere plures motus, ac proinde non poſſe quoduis cælum habere motum proprium, & motũ inductum à prima ſphæra: facilè enim reſpondetur huic argumento, vnum corpus vnum tantùm motum naturalem, & per ſe vendicare, nihilominùs tamen habere poſſe plures alios motus per accidens: quod declarari ſolet exemplo formicæ, quæ circumagatur per rotam, dum rota motu contrario rotetur.

Hurtad. 5 Inſtat tamẽ P. Hurt. diſp. 2. de Cælo. ſect. 3. §. 22. Idẽ corpus nõ poteſt ſimul habere duas vbicationes: ergo neque duos motus: Probat conſequentiam, quia motus eſt via ad Vbi. Reſpond. Negando conſequentiã, diuerſa ratio eſt; quia vbicatio, cùm ſit modus intrinſecus, indiuiduatur per ſubiectum: at verò motus, cũ aliquando ſit etiam à cauſa extrinſeca; & cũ hæc poſſit eſſe multiplex, inde eſt, quòd motus poſſit etiã multiplicari, exẽplũ ſit in lapide, qui grauitate ſua naturaliter & ab intrinſeco deorſũ fertur, qui præterea, ſi fortè ab extrinſeco in dextrã, aut læuã impellatur deorſũ, habet duos motus, & vnam tantũ vbitatẽ: non igitur repugnant eidẽ corpori duo, vel plures motus, dummodò vnus naturalis ſit, & ab intrinſeco, reliqui ab extrinſeco; & ſicut multæ viæ poſſunt ducere ad vnum locum, ita multi motus ad vnum Vbi.

Chriſtoph. Borrus 6 Aliter argumentatur contra communẽ illã de cælorũ motu opinionẽ P. Chriſtophorus Borrus in ſua noua Aſtronomia pag. 61. vtiturq; hac ratione, quærẽdo à quo orbe recipiat ſuũ motũ orbis cõcẽtricus inferior: *non, inquit, à concentrico, qui eſt ſupra deferentem, cùm ſit impoſſibilis actio omnino indiſtans: non etiam ab orbe excentrico deferente, quia talis orbis habet duos motus contrarios, vnum ab extrinſeco ab Oriente in Occidentem, alium naturalem ab occaſu in ortum: ergo, inquit, recipit ambos motus, neque enim datur maior ratio, cur vnum, & non alium recipiat, cùm tamen Ptolemiſtæ nolint, quod recipiat duos motus contrarios &c.* Ita ille: quod argumentum fatetur ſemper ſuũ torſiſſe ingenium.

7 Ego tamẽ propter amicitiã, quã aliquãdo habui cum hoc P. Chriſtophoro, ab hoc tormento libero eius ingeniũ: reſpondeoq; dari multò maiorẽ rationẽ cur orbis excẽtricus cõmunicet potius orbi concentrico motũ raptũ ab Oriente ad Occidentem, quia videlicet impulſus ille ab Oriente in Occidentẽ, quẽ recipit à concentrico ſuperiori, efficacior eſt, & vehementior, quã naturalis impulſus ab occaſu in ortum (hic enim motus adeò debilis eſt, vt ſolũ retardet motũ illũ ab Oriẽte in Occidẽtẽ)

8 Vnde hîc ſolũ ſequitur, quòd propter hunc impulſum ab occaſu in ortũ orbis concentricus inferior lentiùs moueatur, quod nullũ eſt inconueniens, cũ enim concentricus ille orbis inferior ſit, neceſſe eſt, quòd lentiùs moueatur in Occidentem, quã concentricus ſuperior, vt videlicet ad menſurã ſuperioris orbis rotetur, ſicut cernimus, quòd periferiæ, quæ magis appropinquãt cẽtro alicuius rotæ, quæ mouetur, lentiùs rotãtur, & in minori tẽporis ſpatio, quã periferiæ remotiores à cẽtro.

9 Ex quibus cõſtat, propter hæc, & ſimilia argumenta deſerendos non eſſe laborioſos illos motus, & ingenioſos cæleſtium orbiũ labyrinthos, ſed confugiendum potiùs ad rationẽ ſupra tactam, videlicet quia cũ cæli fluidi ſint, non eſt cur moueantur, hic enim motus immediatè exerceri poteſt circa aſtra ipſa, de quibus infrà tractabimus. Atque ita quieuit tandem irrequietus ille per tot annorũ ſæcula cæleſtium ſphærarum motus, qui tot illuſtrium virorum ingenia à loco mouit, ac non ſine veri ſpecie ludificauit.

SECTIO III.

Vtrùm motus circularis ſit aſtris connaturalis?

1 Prima concluſio. Si aſtra cõſiderentur ſecũdũ ſe tantũ, & ſine reſpectu ad corpora inferiora, non eſt illis motus connaturalis, ſed ſit omninò ab agente extrinſeco, (In quo ſenſu non ſit naturalis.) & ita intelligendi ſunt Durãd. in 2. diſt. 14. q. 2. Scot. in 4. diſt. 48. q. 2. Hurt. diſp. 2. de cælo. ſect. 4. §. 31. cùm dicunt motum eſſe præter naturam cæli. (Durand. Scotus. Hurtad.) Probatur cõcluſio, quia motus naturalis eſt ille, per quem mobile acquirit locũ ſibi conuenientem, & vtilem ſuæ naturæ: ſed nullus datur locus, ſeu terminus, quem aſtra poſſunt appetere: ergo ad talem locũ nõ mouebuntur naturaliter. Probatur minor, quia quicumque locus de nouo acquiratur, cùm aſtra moueantur circulariter, eſt eiuſdem rationis cum eo, quem modo haberent aſtra, ſi quieſcerent, quia nulla maior perfectio ex loco aſtris accreſcit, ſicut accreſcit elemẽtis, ex eo quód tendant in ſuum locum naturalem, hinc eſt quód in communi ſententia

Digitized by Google

tiæ.(de qua tamen ſtatim feram iudicium) aſtra ad ſuum motum indigent cauſa efficiente extrinſeca,ideſt,intelligentia:qua tamen non indigent grauia,& leuia,vt tendant in ſuos locos naturales.

Quo pacto ſit naturalis?

2 *Secunda concluſio.* Si aſtra conſiderentur, vt ſunt pars præcipua Vniuerſi,habentia naturales virtutes,per quas influant in hunc mundum ad generationes,& corruptiones, eſt illis naturalis motus circularis.ita ſunt explicandi Ariſtoteles lib. 1. de cælo cap. 2. Conimbr. ibid q. 1. art. 2. Pererius in ſua Philoſophia lib. 7. cap. 2. & 10. ſecuti D.Thom. & alios, quos citant. Probatur,quia quælibet pars habet inclinationem naturalem ad conſeruationem totius,(nam bonum totius maius eſt, & perfectius,vnde motus corporum ad impediendũ vacuum dicitur naturalis) atqui aſtra ſũt præcipua pars Vniuerſi:ergo habẽt naturalem inclinationem ad conſeruationem totius, quæ conſeruatio dependet ab influentijs cæleſtibus,mediante motu circulari, aſtrorum; ergo iſte motus eſt connaturalis aſtris: hæc magis conſtabunt ex dicendis diſp.4. ſect.4.

Ariſtot. Patres Conimbr. Pererius. D.Thom.

4 Quæſtio tamen eſt, vtrùm quies aſtrorum poſt diem iudicij dicenda ſit naturalis, an præter naturam aſtrorum? Reſpõdet Rub. lib. 1. de Cælo cap. 2. q. 2. §. *Ego verò*, talem quietem eſſe præter naturam, & violentam, quia quieſcent aſtra nõ ab intrinſeco,ſed ab extrinſeco,nempe à diuina voluntate, quæ facit, vt ceſſante hac mundi gubernatione, ceſſet etiã motus aſtrorum. Sed cõtra eſt, quia etiam motus aſtrorum modò ſecundũ eundem Rub. eſt ab extrinſeco,& tamen non eſt illis violentus. Probabiliùs igitur videtur loqui Conimbr. lib. 1. de cælo. cap. 2. q. 3. art. 4. §. *Secundum pronũtiatum*: aſſerunt enim talem quietem connaturalem eſſe aſtris,ſiquidem,ſi conſiderentur aſtra ſecundũ ſe,& ſine reſpectu ad corpora inferiora, non poſtulant moueri; quod quidem ita intelligendum,dummodò quieſcãt in ſuo naturali loco,vbi modò ſunt.

Rubius.

5 In vtraque tamẽ opinione certum eſt, nullã fieri violentiã aſtris,quãdo quieuerint, ceſſãte hoc mũdi ſtatu;quãuis enim aſtra modò paterentur violentiã,ſi quieſcerẽt,iuxta ea, quæ dixi in ſecũda concluſione,nihilominùs tamen,cũ poſt diẽ iudicij non habeãt corpora ſublunaria,quibus poſſint cõmunicare ſuas influentias,non patientur violentiam in quiete, quãuis ad motũ conſeruẽt naturalem inclinationẽ. Exemplũ eſſe poteſt in igne, cui fit violentia,ſi fortè habeat paſſũ approximatum, & ſuſpendatur concurſus ad operãdum, in illũ ſi veró nullũ habeat paſſũ approximatũ, nulla fiet igni violentia,ſi non conferatur ei cõcurſus ad operandum in tale paſſum,quamuis naturalem inclinationem ad ſimilem operationem ſemper habeat.

6 Ex tradita doctrina colligi poteſt,quòd ſi Deus cæleſte aliquod corpus,vel partẽ alicuius aſtri extraheret à ſuo loco naturali,& poneret in hoc mũdo inferiori,talẽ quietẽ huius partis non fore violentã:& ratio eſt,quia cùm quies ſit terminus motus,vt violenta ſit, debet etiã motus eſſe violẽtus,ſed talis motus nõ foret violentus,propriè loquẽdo:ergo neque talis quies. Probatur minor,quia motus violẽtus debet eſſe contrarius motui naturali eiuſdem corporis;atquì talis motus,perquẽ aſtrum,vel eius pars in inferiorẽ locũ perueniſſet,non foret cõtrarius motui circulari eiuſdẽ aſtri,quod mouetur in propria ſede: ergo &c. Probatur minor imprimis ex Ariſtotele,qui demõſtrat, nullũ motũ eſſe contrariũ motui circulari:probatur deinde,quia illa pars aſtri debebat deſcendere per motũ rectũ,vel mixtũ: ſed neque motus rectus,neque mixtus eſt oppoſitus circulari,ſed ſunt quaſi diſparati: ergo quies per talem motum acquiſita, non poteſt eſſe violenta,ſed foret præternaturalis.

7 Obijcis primò. Si modò aſtra quieſcerent,talis quies violenta foret,(eſſet enim cõtra eius naturalem inclinationem influendi in corpora ſublunaria)ergo illa quies in loco inferiori violenta foret,quia non poſſet illa pars cæli influere in inferiora. Reſpondeo ad conſequentiam cum diſtinctione, foret enim illa quies violenta,ſi pars illa cæli conciperetur,vt pars Vniuerſi,neceſſariaq; proinde ad influxũ præſtandũ rebus ſublunaribus;ſi veró cõciperetur ſecundũ ſe tantũ,& ſine reſpectu ad corpora inferiora,tunc quidẽ non foret illi quies violenta.iuxta primam concluſionem.

Soluuntur contraria argumẽta.

8 Obijcis ſecundò. Locus ſupra elementa eſt naturalis aſtris:ergo quicumque alius locus eſſet violentus tali aſtro,vel eius parti. Reſpõdetur diſtinguendo antecedens, eſt naturalis, ideſt congruens aſtrorum dignitati, & ſuppoſito hoc ordine Vniuerſi, propter influentias, quæ pendent à cælis,concedo antecedens: eſt naturalis ità,vt debeat per motum conſequi, ſicut terræ eſt naturale centrum,nego antecedens. Quapropter quies in alio loco non poteſt eſſe violẽta illi parti aſtrorum, neque prætereà motus ad proprium vbi naturalis erit,ſiquidem non foret circularis, ſed rectus; nam talis ſtellæ pars non poterat à cælo detrudi, vel iterum in cælum aſcendere per motum circularem,qui correſponderet eidem ſpatio, ſed per motum rectum,vel mixtum, qui non poſſunt eſſe connaturales aſtro. Quarè talis locus, & motus,qui daretur extra cælum in illa parte ſtellæ præternaturales dicerentur.

Digitized by Google

DISPVTATIO XXXXI.

De mundo.

MVLTA à cap. 5. huius libri vſque ad cap. 12. agit Ariſtoteles de hoc Mundo, prout comprehendit tam cælos, quàm reliqua ſublunaria, qui alio modo dicitur Vniuerſus: de quo mundo quæſtiones aliquot breuiter ſunt expediendæ: & imprimis quærendum eſt, an ſit vnus tãtùm? cuius quæſtionis reſolutio malè vexauit magnum Alexãdrum, vt enim inquit Seneca ad Lucil. *Alexander Macedonum rex diſcere geometriam infelix caperat, ſciturus quàm puſilla terra eſſet, ex qua minimùm occupauerat &c.* cui concinit illud Iuuen. ſat. 10.

Seneca.

Iuuen. ſat. 10.

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit Orbis,
Æſtuat infelix anguſto limite mundi,
Vt Gyaræ clauſus ſcopulis, paruaque Seripho.

Plin. lib. 2 cap. 1.

Verùm, vt inquit Plinius lib. 2. cap. 1. de Mundo. *Furor profectò eſt egredi ex hoc mundo & tanquàm interna eius cuncta planè iam ſint nota, ita ſcrutari extera &c.* definiri autem poteſt Mundus, *Corpus ſphæricum conſtans ex cælis, ſyderibus, elementis, ac mixtis.*

SECTIO I.

An ſit vnus tantùm mundus, & plures de poſſibili dari poſſint?

De facto vnus tantùm datur

Ariſtot. D. Thom.

1 PRIMA *Concluſio.* Vnus tantùm de facto datur mundus, quamuis hoc euidenti ratione non poſſit demonſtrari: ita communis Theologorum, & Philoſophorum ſententia, ducibus Ariſtotele hîc, & D. Thom. 1. p. q. 47. art 3. Probatur prima pars, quia nullum datur principium, ex quo diuinare quiſpiam poſſit, plures eſſe mundos: immò eſt optima coniectura, quòd ſicut vnus tãtùm eſt creator, ita & vnus tantùm ſit mundus, ſeu vnum tantùm Vniuerſum, quod omnia comprehendat: ex quibus patet ſecunda pars concluſionis, quia cùm creatio mundi ſit opus Dei liberum, liberè etiam poſſet alios mundos creare, qui nos fortaſſe laterent.

2 Nihilominùs tamen conſonum valde eſt catholicæ fidei, eſſe vnum tantùm mundũ, nam Sacra pagina ſemper loquitur de mundo in ſingulari: ita Ioan. 1. *Mundus per ipſum factus eſt.* Ioan. Deinde conſtat ex fide, omnes homines infectos fuiſſe peccato Adami: ergo non dantur plures alij homines extra hunc mundum, ne dicamus aut eſſe immunes ab originali labe, aut ex hoc mundo fuiſſe tranſuectos in aliũ, quod aſſerere ridiculum eſſet. Quanuis ergo mundus conſtet tot, ac tam diuerſis creaturis, dicitur tamen vnus, quia vno ordine cauſarũ ſubordinatur ad Deum, quo pacto exercitus dicitur vnus.

De poſſibili plures dari poſſunt.

Patres Conimbr. Rubius. Clauius.

3 *Secunda concluſio.* Poſſibiles ſunt plures mundi ſpecie, vel numero diuerſi, quos Deus creare poteſt: ita communis Patrum, ac Theologorum ſententia, quos referunt, & ſequuntur Conimbr. 1 de Cælo cap. 9. q. 1. art. 2. Rub. ibidem q. 2. §. *Secunda opinio.* Clauius ad cap. 1. Sphæræ pag. 28. Probatur, quia neque repugnat ex parte cauſæ efficientis, neque ex parte rei faciendæ; nam ſicut Deus fecit hæc elementa ex nihilo, ita poterit alia ſimilia, vel diſſimilia ex nihilo producere; vnde, licet Deus ſit vnus tantùm, cùm tamen plures habeat ideas, plures etiã, & diuerſos mundos poterit creare.

Bonauent. Capreol. Gabriel. Maior. Vaſquez.

4 *Tertia Concluſio.* Probabilius eſt, poſſe Deum producere mundos in infinitum perfectiores, ita vt, quibuſcumque productis, poſſit nouos alios numero, vel diuerſos ſpecie creare: ita colligitur ex authoribus ſuprà citatis, & ex Bonauent. Capr. Gabr. Maiore, quos citat Vaſq. tom. 1. in 1. p. ad q. 25. diſp. 107. cap. 2. (quamquàm ipſe Vaſq. dubium ſe oſtendat circa mundos ſpecie diuerſos) Probatur ratione, quia nulla apparet manifeſta contradictio ex eo, quòd Deus mũdos alios creet in infinitum ſpecie diuerſos.

Durand.

5 Obijcis pro contraria ſententia, quam ſequitur Durand. in 1. diſt. 44 q. 2. qui exiſtimat non eſſe poſſibiles plures mundos in infinitum perfectiores ſpecie diuerſos quamquã concedat, poſſibiles eſſe numero diuerſos, quẽ etiam ſequi debent Scot. in 3. diſt. 13. q. 1. & alij, qui tenent non eſſe producibiles ſpecies alias in infinitum; quia, inquiunt, ſi poſſibiles forent, darentur actu, nam poſsibili poſito in actu, nullum ſequitur inconueniens, atque adeò iam daretur infinitum actu. Reſpondetur tamen, mundos factibiles, poſſibiles fore non actu, ſed potentia, repugnare verò tale poſsibile ad actum reduci, ſicut etiã impoſsibile

Digitized by Google

impoſſibile eſt reduci ad actum aliquod continuum in opinione, quæ illi tribuit partes infinitas, ex eo quòd habet has partes infinitas in potentia: cur veró non poſſint dari mũdi actu infiniti, patet ex ijs, quæ dixi 2. p. ſum. tract. 1. lib. 3. diſp. 31. ſect. 1. á n. 10.

6 Neque ex eo, quòd ſint poſſibiles mundi infiniti in potẽtia, ſequitur dari poſſe creaturam aliquam infinitæ perfectionis, nam licét vna creatura ſit alterá perfectior, & ſic in infinitum, (cúm tamen hæc perfectio ſemper ſit participata, neque vnquàm detur creatura aliqua ita perfecta, vltra quam non poſſit alia produci) ad nullam deueniendum erit, quæ ſit infinitè perfecta. Cúm veró incarnatio diuini Verbi ſit maxima perfectio, quæ poteſt excogitari, hæc etiam admitti poſſet in alijs mundis, qui à Deo crearentur, poſſet enim Deus tunc aſſumere naturam aliam creatam perfectiorem. Neque audiendus eſt Durandus dum maiorem difficultatem inuenit in creaturis ſpecie diuerſis, quamuis concedat alias in infinitum numero diuerſas; nam diuina potentia non minús extenditur ad vnum, quàm ad aliud.

SECTIO II.

De Perfectione, & Duratione, quas hic mundus habere poteſt.

Non poteſt eſſe eſſentialiter perfectior. D. Thom. Durand. Patres. Conimbr.

1 PRIMA *Concluſio.* Impoſſibile eſt, hunc mundum perfici à Deo eſſẽtialiter: ita communis ſententia cũ D. Thom. 1. p. q. 25. art. 6. Durand. diſt. 44. q. 3. Conimb. 1. de Cælo. cap. 9. q. 2. à 2. §. *Secunda aſſertio.* Probatur, quia ſi Mũdus mutet eſſentiam, iam non erit idem mundus, ſicut non erit eadem ſpecies huius numeri, variata differentiâ eſſentiali. Similiter etiam impoſsibilis eſt maior perfectio accidẽtalis ex parte modi operandi, quo á Deo fit, & gubernatur, neque enim Deus operari poteſt maiori ſapientia, & bonitate. Maior ergo difficultas eſt, an poſſit hic mundus accidentaliter perfici ex parte ipſarum creaturarum?

Durand. Gabriel. Maior. Capreol. Vaſquez. Patres. Conimbr.

2 *Secunda concluſio.* Aliquæ partes huius mũdi meliores poſſunt perfici à Deo accidentaliter. Ita communis ſententia cum Durand. in in 1. diſt. 44 q. 3. Gabr. Mai & Capr. quos citat, & ſequitur Vaſq. tom. 1. in 1. p. ad q. 25. diſp. 107. cap. 1. n. 2. eandem ſententiam ſequuntur PP. Conimbr. 1. de Cælo cap. 9. q. 2. art. 2. §. *Tertia Concluſio,* vbi vniuerſaliter loquũtur de maiori perfectione accidentali omniũ ſpecierum. Probatur, quia præſtantiſſima creatura omnium ſublunarium eſt homo, qui tamen ſicut propter peccatum in accidentalibus factus eſt deterior, ita poſſet perfectior condi accidentaliter: & ſimiliter creaturæ, quæ huic homini obedirent, maiorem perfectionem vendicarent.

3 Adhuc tamen Vniuerſum perſeueraret idem, nam ſicut imperfectio accidentalis aliquarum creaturarum, quæ degenerant á perfectione aliarum, non tollit mundi vnitatem: ita ſimiliter eam non deſtrueret accidentalis aliquarum, vel omnium perfectio. Vnde bene ſequitur poſſe perfici mundum accidentaliter, etiam quòad meliorem ordinem rerum, dummodò tamen nouus hic ordo non perturbaret elementorum ordinem, quorũ natura poſtulat, vt terra ſit in infimo loco, deinde aqua, deinde aer, ac tandem ignis, & ſuper ignem, Cælum: nam cúm hic ordo ſit ſecundùm elementorum naturam, ea perſeuerante, melior dari non poteſt; poſſet tamen perfici talis ordo, itaut ignis velociùs aſcenderet, & terra cõcitatiùs deſcẽderet. Vnde ſimiliter concedendum eſt, non poſſe hunc mũdum meliùs perfici ex parte ordinis, quo Deum reſpicit, tamquàm vltimum finem. Quóad mundi conſeruationem ſit,

5 *Tertia Concluſio.* Mũdus cõſeruari poteſt à Deo in ſtatu, quem modó habet, ſolo generali concurſu Dei, quem nunc illi præſtat, ſi ſẽper illum ita præſtaret: Probatur, nam modó conſeruatur mundus hoc generali concurſu: ergo cùm mundus non habeat aliquod contrariũ, ita efficax, quod poſſit vincere ordinariã Dei poteſtatẽ, ita ſimiliter poterat conſeruari; nam ſicut per generalẽ concurſũ introducitur forma in materiã, ita per eundẽ poterit cõſeruari, quia conſeruatio non eſt aliud, quã continuatio eiuſdem eſſe recepti. Neque obſtat tali conſeruationi priuatio ſẽper annexa materiæ, neque enim propter hanc priuationẽ materia neceſſariò denudabitur aliquando omni forma, immó quemadmodùm ſpoliatur vnâ formâ, ita alia introducitur, ſic mundi viciſſitudo ſibi ipſi nocet, ac prodeſt,

— *Et Heres,*

Heredem alterius, velut vnda ſuperuenit vndam. Horat. Ep. 2. lib. 2.

Contrarietas autem elementorum, & qualitatum ita diſcordi concordiâ eſt attemperata, vt ſi aliqua ex parte vnum deſtruatur ab alio, & reficiatur ab alio.

5 Obijcis. Vnũ viuẽs nõ poteſt generali Dei cõcurſu perpetuo durare, quia ab intrinſeco habet princi-

principium ſuæ corruptionis:ergo cū hic mū-dus conſtet etiam viuentibus,non poterit ſimiliter &c.Confirmatur,quia omnes creaturæ poſtulant certum terminum magnitudinis,ad ſui conſeruationem:ſed experiētia docet humanas ſtaturas minores ſemper fieri, iuxta illud Iuuenalis ſaty.15.

Terra malos homines nunc procreat, atque puſillos:

Ergo quemadmodùm poterunt homines peruenire ad eam paruitatem,in qua non poſſint conſeruari,ſine ſpeciali concurſu Dei, ita etiā mundus &c.

6 Reſpondetur negando conſequentiā. Maior ratio eſt,quia viuens,& mixtum quodlibet habet intra ſe qualitatem prædominantem,quā naturaliter non poteſt perpetuò vincere,hoc tamen nihil officit cōſeruationi Vniuerſi,in quo corruptio vnius eſt generatio alterius.Ad confirmationem reſpondetur, aliquando etiam filios vincere parentum ſtaturam:vnde experientia nihil probat:neque verò concedendum eſt,poſſe creaturas peruenire ad eos terminos,in quibus non poſſint cōſeruari, nam quemadmodùm cum generali Dei concurſu huc vſque res in eſſe perfecto perſeuerarunt, ita etiam poterunt perpetuò conſeruari.

7 Ex dictis facilè colligi poteſt,mundum in eo ſtatu,quem poſt diem judicij habiturus eſt,non poſſe conſeruari per totam æternitatem,cum ſolo generali concurſu Dei,quo modò conſeruatur,ſed ſpecialiori indigere. nam ille ſtatus mundi multò erit perfectior accidentaliter,perficientur enim elementa, atque omne vitium per ignem excoquetur; & prætereà cæleſtia corpora quieſcent à ſuo motu, neque enim vlteriùs dabuntur generationes, quæ ſunt præcipuus finis motus cælorum : ex quibus bene colligunt PP. Conimbr. 1. de Cælo cap.12.q.1.art. 2. §. *Sit ſecundo*, mundum re ipſa perpetuò duraturum,non tamen in eo ſtatu,quem modò habet.

DISPVTATIO XXXXII.

De terminis potentiarum, & qualitatum.

ARISTOTELES cum ageret de Mundo præſtringit aliqua de terminis potentiarum, & qualitatum,quæ etiam à nobis breuiter ſunt attingenda,& ſub exiguis terminis claudendi ſunt termini magnitudinis, & paruitatis ; ne difficilem,& longam quæſtionem difficiliorē reddamus,& longiorem,ſed ne extra numerum,& metas terminorum progrediamur, recolenda ſunt ea,quæ dixi lib.1.Phyſ.diſp. 20. ſect.4 & 5.

SECTIO I.

De terminis potentiarùm quoad intenſionem, & extenſionem.

1 PRIMA *Concluſio*. Potentiæ actiuæ naturaliter conſideratæ vendicant terminum intrinſecum magnitudinis quòad intenſionem ſuorum effectuum,qui dicitur, *Maximum quod ſic*;paruitatis verò nullum vendicant. Ita communis ſētentia. Probatur prima pars,quia potentiæ oriuntur ex ipſius met rei entitate: ſed entitas rei habet terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis:ergo & potentiæ:neque enim effectus nobiliores eſſe poſſunt,quàm ſit eorum cauſa. Confirmatur,quia potentiæ naturales nō impeditæ operantur quantùm poſſunt: ergo neceſſe eſt,quòd habeant aliquem terminum intrinſecum, vltra quem nequeant procedere,ne Vniuerſi ordo perturbetur:atq; hinc eſt,quòd igni communiter tribuitur calor vt octo, aquæ verò frigus vt octo, vltra quos non poſſūt excreſcere:& hic terminus dicitur , *maximum quòd ſic*.

2 Probatur ſecunda pars,quia non datur tam remiſſus calor v.g. quin remiſſior poſſit aſſignari,ſicut non datur tam parua quantitas quin minor ſit aſſignabilis, vſque ad aliquod indiuiſibile,ac proinde nullus datur effectus adeo imperfectus procedens à potentia actiua,quin minor aſſignari poſſit, vnde ſequitur nullum habere terminum intrinſecum paruitatis,qui poſſit aſſignari; habebit tamen terminum extrinſecum,nempe indiuiſibile, ſub quo potentiæ actiuæ naturaliter non poſſunt operari, vel conſeruari (quamuis oppoſitum doceat P. Arriaga de Gener. diſp. 2. ſect. 4. n. 57.) vt experientià conſtat. *Arriaga.*

1 Obijcis contra ſecundam partem concluſionis. Corpora grauia quò magis appropinquant centro, eò velociùs agitantur:ergo ſi centrum diſtaret in infinitum, nullum terminum vendicarent celeritatis, ſed quando accederent ad centrum,haberēt celeritatem infinitam:ergo non omnes potentiæ actiuæ habent

Digitized by Google

bent terminum certum magnitudinis quoad intenſionem effectuum. Reſpondeo celeritatem corporum grauium tendentium ad centrum eſſe limitatam, quia centrum non diſtat in infinitum, ſi enim ita diſtaret, creſceret quidem celeritas ad illud vſque punctum, vbi naturaliter deberet eſſe centrum, & deinceps procederet corpus pari velocitate, quin vlterius accreſceret: quapropter quando communiter dicitur, corpora velociùs moueri quò magis appropinquant centro, intelligendum eſt quando centrum ponitur in ſuo loco naturali: ita ſoluunt PP. Conimbr. 1. de Cælo cap. 11. q. 1. art. 3. à §. *Pro explicatione.*

4 Quia tamen hæc ſolutio videtur petere principium, & quia libere concedunt, lapidem non deſcenſurum velociùs, cùm magis ad centrum accederet, reſponderi poteſt: illũ lapidem, in eo caſu, nullum habiturum terminum intrinſecum velocitatis, nam licet potentiæ, & qualitates actiuæ intrinſecè habeant terminum intrinſecum magnitudinis (vt patet in igne, qui habet calorem certæ magnitudinis) qualitates tamen, quæ ab extrinſeco imprimuntur, non vendicant certum intrinſecũ terminum, ſed ſolùm extrinſecum (quia nequeunt extendi in infinitum) cùm ergo velocitas illa ſit impreſſa ab extrinſeco impulſu, qui imprimitur à generante, vt corpora ſuum locum obtineant, nullum eſſet inconueniens, quód in infinitum ſyncathegorematicè extẽderetur, neque haberet terminum intrinſecũ, non enim hoc illis prouenit ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco generante.

5 Obijcis ſecundò. Formæ ſubſtantiales habent certum terminum paruitatis, infra quẽ operari non poſſunt, neque conſeruari, vt dixi 1. p. ſum. tract. 1. lib. 1 diſp. 20. ſect. 5. n. 8. ergo etiam formæ accidentales habebunt eundem terminum. Reſpondeo negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt duplex: prima, quia formæ ſubſtantiales ſunt perfectiores, & ideò plura requirunt ad ſui conſeruationem, & operationem: ſecunda eſt, quia nobis ibi ſermo erat de perfecta operatione, & conſeruatione rei in ſuo eſſe perfecto, modò verò in potentijs accidentalibus, (quæ non requirunt tantã perfectionem) loquimur de qualibet operatione, vel conſeruatione etiam imperfectiſſima.

Proponuntur aliæ concluſiones.

Quis ſit terminus potentiæ actiuæ quoad extenſionẽ.

6 SECVNDA *concluſio.* Potentiæ actiuæ quoad extenſionem effectus habent terminum magnitudinis intrinſecum, non verò paruitatis: ita communis ſententia: probatur prima pars experientiâ; nam ignis v. g. poteſt extendere ſuum calorem ad talem, vel talem diſtantiam, vſque ad non gradum: ergo cùm agens naturale non impeditum debeat agere quantùm poteſt, neceſſariò debet habere certum, ac limitatum terminum, ne ſe effundat in infinitũ. Probatur ſecunda pars ex eâdem experientiâ, poteſt enim ignis effundere ſuum calorem nõ ſolùm circa paſſum indiſtans, ſed etiam perfectiùs circa paſſum ſibi magis, ac magis approximatum: ergo quemadmodùm verſùs minimum nulla pars aſſignari poteſt, quin minor dari poſſit vſque ad indiuiſibile, ita nulla indiſtantia adeò exigua erit, quin minor ſit aſſignabilis.

7 Obijcis contra hanc ſecundam partem concluſionis. Vt fiat ſenſatio, requiritur certa diſtantia obiecti, hinc eſt quód non poſſit dari viſio, ſi obiectum ponatur ſupra pupillam oculi, vt aduertimus in lib. de Anima diſp. 81. ſect. 5. n. 23. ergo ſimiliter potentiæ actiuæ, vt operentur, requirunt certam diſtãtiam, atque adeò habebunt certum terminum paruitatis. Reſpondeo negando conſequentiam: maior ratio eſt, quia quælibet ſenſatio requirit certã proportionem intra obiectum, & potentiam, vt ſpecies producta ab obiecto deponat ſuam concretionem, & paulatim attenuetur: hoc verò inconueniens non cernitur circa approximationem in potentijs actiuis, vt patet ex dictis.

8 *Tertia concluſio.* Potentiæ actiuæ tam quò ad reſiſtentiam actiuam, (qualem habet calor v. g. quando reſiſtit frigori,) quàm quóad reſiſtentiam paſſiuam, ſeu formalem (qualem habet albedo v. g. reſpectu nigredinis) habent terminum magnitudinis intrinſecum, ſi conſiderentur ſecundùm ſe. Si verò reſiſtentia cõſideretur per ordinem ad victoriam agentis, non habent terminũ intrinſecum, ſed tantũ extrinſecum, ideſt, *Minimum quod non.* Prior pars concluſionis, quamuis ſit cõtra Conimbr. 1. de cælo cap. 11. q. 2. art. 1. ſic tamen probatur. Quælibet potentia per eandem virtutem, per quam poteſt agere in paſſum, poteſt etiam reſiſtere agenti contrario (eadem enim eſt ſecundùm entitatem virtus actiua, & reſtitiua, licet ſub diuerſis formalitatibus, dicitur enim actiua, in quantùm agit in contrarium, dicitur reſtitiua in quantùm agẽdo etiam præſtat impedimentum contrario, ne introducatur: vel ſi non agit, ſaltem per adhæſionem in ſubiecto reſiſtit; quo pacto albedo nihil agendo reſiſtit nigredini) ſed eâdem ipſa virtus, vt actiua poſtulat intrinſecum terminum magnitudinis, vt dixi n. 1. ergo eundem terminum poſtulat in quantùm eſt reſtitiua;

Quis ſit terminus potentiæ, quóad reſiſtentiam

Patres Conimbr.

9 Confirmatur, quia ideò virtus actiua ignis poſtulat terminum magnitudinis intrinſecum, quia tantùm poteſt agere, & non plus: ſed eadem ratio militat quòad virtutem reſiſtiuam ſecundùm ſe conſideratam, quia in re eſt eadem: ergo &c. Probatur deinde ſecunda pars concluſionis, quód ſcilicet per ordinem ad victoriam agentis non habeat niſi terminum extrinſecum: euidens enim eſt, dari aliquando maximam reſiſtentiam æqualem actiuæ virtuti agentis, in quam proinde nõ poteſt agens aliquid efficere: & euidẽs etiam eſt poſſe agens agere in quamlibet minorem reſiſtentiam, cùm actio ſemper ſit à vincente: ergo æqualis reſiſtentia definiet potentiam actiuam, eritque prima, & minima, quam agens non poteſt vincere, cùm poſſit in quamlibet minorem: hæc igitur æqualis reſiſtentia erit terminus extrinſecus magnitudinis quia eſt *Minimũ quod non*, ſicut etiam quodlibet indiuiſibile erit extrinſecus terminus paruitatis, ſeu maximum quod non, agens enim naturale non poteſt agere in indiuiſibile ſeparatum, ex defectu contactus phyſici.

10 *Quarta concluſio.* Reſiſtentia, ſiue actiua, ſiue formalis nullum habet certum terminum intrinſecum paruitatis, habet tamen extrinſecum. Probatur prima pars, quia quò minor eſt reſiſtentia, eò faciliùs vincitur ab agente: ergo cùm poſſit hæc reſiſtentia diminui, impoſſibile eſt dari minimam, in quam agens non poſſit agere: immò ſi ſit minor minimâ, facilius vincetur ab agente. Probatur ſecunda pars, quia indiuiſibile erit terminus extrinſecus paruitatis, ſeu *Maximum quod non*, ex defectu contactus phyſici.

11 Obijcies. Fulmen requirit certam reſiſtentiam in paſſo; hinc eſt, vt cùm inueniat minorem reſiſtentiam in vagina, quàm in enſe, illa inuiolata, & illæſa, enſem liquet, & comminuat: ergo quòad reſiſtẽtiam requiritur certus terminus intrinſecus paruitatis. Reſpondetur, mirabilem hunc effectum non prouenire ex defectu reſiſtentiæ vaginæ, ſed ex eo quòd vagina rarior eſt, & minùs dura, habetque proinde plures poros, per quos tribuit fulmini facilem exitum, ideòque citiſſimè ipſam peruadens fulmen, relinquitur propè innoxia enſis verò propter nimiam denſitatem, & duritiem, difficilè peruaditur, & ideò plùs detinet fulmen, dum ferri cõtumacia debellatur, & in hac mora temporis exercet fulmen totã ſuam efficaciam contra enſem.

SECTIO II.

De terminis potentiæ paſſiuæ:

1 PRIMA *concluſio.* Potentia paſſiua ſecundùm ſe conſiderata vendicat terminum intrinſecum magnitudinis, quòad intenſionem effectus, ita vt poſſit recipere formam tantæ intenſionis, & non maioris, paruitatis verò nullũ poſtulat terminum intrinſecum: ita communis ſententia cum Conimbr. 1. de Cælo, cap. 11. q. 4. art. 1. vbi multos citant, qui tamen auctores expreſſè loquuntur de ſola capacitate animæ ad recipiendam gratiam: pro eâdem concluſione ſtat Rodens. 1. de Cælo tract. de Terminis potentiarum q. 4. §. *Poſterior.* Vt probetur concluſio aduertendum eſt, duplicem eſſe potentiam paſſiuam: vna eſt naturalis, qualẽ habet materia prima ad omnes formas naturales, tam ſubſtantiales quàm accidentales: obedientialis altera, per ordinem non ſolùm ad formas naturales, qualis datur in ligno ad formas artificiales, ſed etiam per ordinẽ ad Deũ, qui poteſt educere de potentia obedientiali materiæ multas formas ſupernaturales.

Habet terminum intrinſecum quòad intenſionẽ effectus.

Patres Conimbr.

Rodenſis.

2 His prælibatis, probatur prima pars cõcluſionis. Potentia paſſiua materiæ ad recipiendas formas eſt eadem eſſentia ipſius materiæ: ſed hæc eſſentia eſt intrinſecè limitata, vt conſtat: ergo habet terminum intrinſecum magnitudinis, & conſequenter non poteſt recipere, niſi effectum tantæ, & non maioris intenſionis, vel perfectionis: ergo ad effectum, ſeu formam recipiendum, poſtulat intrinſecũ terminum.

3 Probatur ſecunda pars. Nam quò minor fuerit intenſio effectus, ſiue formæ, eò faciliùs recipietur, & cum minori reſiſtentia introducetur; ſicut etiam quò minor, & minor fuerit eadem intenſio formæ, ſeu effectus, minus impedimentum tribuet cauſæ efficienti, vt faciliùs illam formam imprimat in ſubiectum: Habebit tamen terminum extrinſecum paruitatis, ſcilicet indiuiſibile, in quo nimirum imprimi non poteſt contactus phyſicus, qui neceſſarió requiritur in effectibus, qui debent recipi in materia.

4 *Secunda concluſio.* Potentia obedientialis paſſiua non habet terminũ intrinſecum magnitudinis, habet tamen extrinſecum: Probatur prima pars, quia potentia paſſiua dicit ordinẽ ad actiuam: ſed potentia actiua, cui reſpondet paſſiua obedientialis, nullum admittit terminum intrinſecum magnitudinis: ergo neque paſſiua. Probatur minor, quia potentia actiua, per ordinem ad hanc potentiam paſſiuam, eſt diuina omnipotentia: quapropter quamuis materia, ſeu quoduis ſubiectum, poſſit ſolùm naturaliter recipere calorem vt octo, vt tamẽ ſubeſt diuinæ omnipotentiæ recipere poteſt calorem intenſiorem ſyncathegorematicè infinitum,

Quid dicendum de potentia obedientiali paſſiua.

Digitized by Google

ſtitum

5 Probatur ſecunda pars, quia potentia paſsiua materiæ, vel cuiuſuis ſubiecti non poteſt recipere infinitum actu: ergo infinitum actu erit terminus extrinſecus magnitudinis, ſeu *Minimum quod non.* Ex quibus ſequitur, animam rationalem, ſecundùm ſuam potentiam obedientialem, nullum habere terminum intrinſecum, ad recipienda dona ſpiritualia, & ſupernaturalia: nam quemadmodùm potentia paſsiua naturalis in ſubiecto menſuratur, per potentiam actiuam naturalem agentis, ita potentia paſsiua obedientialis menſurari debet, per potentiam actiuam diuinam.

6 Obijcis. Potentia effectiua Dei eſt actu infinita, ac ſine vllo termino intrinſeco, vel extrinſeco: ergo ſimiliter potentia intrinſeca, vel extrinſeca receptiua obedientialis in anima rationali non habebit terminum extrinſecum, ſiquidem ſibi debent correſpondere. Reſpondetur negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia potentia actiua, quamuis poſtulet paſſiuam, tamen ex ſua ratione perfectior eſt potentia actiua, quàm paſsiua. Vnde potentia actiua poterit eſſe actu infinita, quamuis talis non ſit paſsiua; & ad correſpondētiā, ſufficit, quòd actiua poſsit efficere ſin paſsiua infinitum ſyncathegorematicé.

7 Sed ne dum potentiarum terminos quærimus, terminorum metas importuné tranſiliamus, hæc pro primo libro ſufficiãt, atque ab his terminis ad cælos iterum cum Seruatore noſtro aſcēdamus, in cuius glorioſiſſimæ aſcenſionis ſolemnijs hæc terminamus. Nos interim triumphatorem tantum votis proſequimur cælos penetrantem, viamque nobis aperientem:

— Recta quà panditur orbita tractu
Lactea, & ad ſedes ducit candentis Olympi:
Illic auratæ muros mirabimur vrbis,
Auratáque domos, & gemmea tecta, viáſque
Stelligeras. —

Sanazar. de partu lib. 2.

LIBER II DE CÆLO, ET MVNDO

DISPVTATIO XXXXIII.

De cæleſtium corporum anima, nobilitate, influxu, & effectibus.

EXPLICATA iam, veluti in genere, naturâ Cæli, ac mundi, accedit Ariſtoteles ad diſtinctam ſingularium partium explicationem. In hoc igitur libro agit de effectibus, numero, & ordine ſtellarum, ac planetarum: Qui liber præter vtilitatē, incredibilem pariet iucunditatem his, qui de rebus cæleſtibus ſincerè philoſophantur, quid enim iucundius, quàm ſublimi ingenij volatu è terra in cælum aſcendere, curioſéque rimari.

Stellæ ſponte ſua, iuſſæ ne vagentur, & errent.
Quid premat obſcurum Lunæ, quid proferat orbē.

Horat. Ep. 12 lib. 1.

SECTIO I.

De Anima, & nobilitate cæli.

1 PRIMA *Concluſio.* Certum omnino eſt, cæleſtia corpora non habere animam: Ita communis Patrum, ac Doctorum ſententia, quos referunt, & ſequuntur Patres Conimbr. 2. de cælo. cap. 1. q. 1 art. 2. Arriaga diſp. vnica cæleſt. ſect. 2. n. 6. Rodeuſ. ibidem q. 1. § *Vera ſententia*, vbi citat D. Cyril. Ambr. Auguſt. Baſil. Damaſc. & alios. Probatur ratione, quia anima eſt *actus corporis organici potentiâ vitam habentis*, vt docet Ariſtoteles 2. de Anima cap. 1. tex. 7. ſed corpora cæleſtia non ſunt organica: ergo non habent animam. Probatur minor, quia cùm cælum non augmentetur, neque nutriatur, vt docet experientia, non habet etiam inſtrumēta, ſeu organa ad ſimiles operationes vitales.

Cæl[illegible] Conimbr. Arriaga. Rubius. D. Cyril. Ambroſ. Auguſt. Baſyl. Damaſc.

2 Confirmatur, quia talis anima non eſſet

ſet vegetatiua, ſiquidem cælum non accreſcit: neque ſenſitiua, ſiquidem non habet ſenſus, ridiculum enim eſſet ſeriò affirmare ſolem,& Lunam eſſe oculos cæli: prætereà non eſſet illa anima rationalis, repugnat enim dari animã rationalem, quæ non ſit ſimul ſenſitiua,& vegetatiua. Confirmatur tandem, quia nullum habemus ſignum, per quod hãc animam poſſimus apprehendere magis in cælo, quàm in aere, aut in mari. Immò ſi cæli informati forẽt anima rationali, ſummam ſtultitiam effugere non poſſent, cùm enim lucem ſuam ambitioſiſſimè nobis oſtentent, cur non etiam nobis veſtigium aliquod præberent de anima rationali, qua fruerentur?

3 Sed qua cenſurà damnanda eſt antiquorum Philoſophorum ſententia, quæ cælis animam arrogabat? Reſpondetur, ſententiam, quæ cælos ponebat animatos animâ vegetatiuà,& ſenſitiuà, erroneam eſſe in Philoſophia, vt patet ex dictis: aſſerere autem, cælos habere animam rationalem, error eſt in fide diuina, neque enim datur aliud compoſitum ex materia,& forma rationali, præter humanum. Cũ igitur manifeſtè deducatur ex fide, cælos non eſſe homines, error eſt fidei contrarius, cælos ponere animatos anima rationali: non erit tamen hæreſis, quia non eſt immediatè contra aliquam propoſitionem de fide. Ex quibus euidenter conſtat, neque Deum eſſe animam cæli, vel mũdi, anima enim dicit imperfectionem inhæſionis, vel adhæſionis, vel informationis. Neque pro anima cæli facit eius motus, quamuis ſit ab intrinſeco, vt videbimus. Circa cæli nobilitatem ſit.

Quoduis viuens eſt nobilius cælo.

4 *Secunda concluſio.* Cæleſtia corpora imperfectiora ſunt,& ignobiliora quouis viuente. Hæc concluſio communis eſt inter Doctores, duce D.Thom. 1.p.q.70.art.3.ad 2. quem ſequuntur Ferrar. 2. contra Gentes. cap.69. Soncin. 11. Met.q.11.ad 2 Richard. in 2. diſt. 14.q.4. item Scot. in 2. diſt. 14. q. 1. Ocham. ibid.q.13 Gabr. ſupra cannõ. lect.41. Conimb. 2. de cælo cap. 1.q.2.art.2. Probatur, quia eſſentialis rerum perfectio deſumitur ex forma: ſed anima quæcumque eſt forma perfectior, quã ſit forma cæleſtis: ergo quoduis viuens eſt cælo perfectius. Probatur conſequentia, quia quoduis viuens habet animam viuentem, quã cæleſtia corpora non habent. Cùm igitur gradus viuentis longè præſtet gradui non viuentis, ſequitur, quodlibet viuens, etiam vità vegetatiuà, eſſe perfectius cælo.

D.Thom. Ferrar. Soncin. Richar. Scotus. Ocham. Gabriel. Conimbr.

5 Obijcis pro contraria ſententia, quæ non caret probabilitate, quam tenet Zumel. Banh.& alij quos citat & magis ſequitur P. Pereira. lib. 2. cap.6. ad finẽ. Obijcis, inquam, primò. Materia,& forma, quibus cæli conſtant, perfectiores ſunt, quam ſublunares: ergo & cæli perfectiores ſunt. Reſpondeo etiam, dato, quòd materia cæli ſit nobilior ſublunari, nihilominùs tamen formam viuentis nobiliorẽ eſſe, propter gradum vitæ, quamuis forma cæleſtis, propter incorruptibilitatem, quam illi aduerſarij attribuunt, ſit nobilior ſecundùm quid.

Zumel. Baunez. Pereira

6 Neque noſtræ ſententiæ obſtat, quòd cælum habeat aliqua accidẽtia nobiliora, quã habent corpora ſublunaria, ſcilicet lucem, motum circularem,&c. Quamuis enim ex nobilitate accidentium optimè deprehendatur nobilitas ſubſtantiæ, nihilominùs ſublunaria viuentia habent alia accidentia, quæ excedunt accidentia cælorum, quales ſunt vitales potẽtiæ. Neque prætereà obſtat, quòd cæleſtia corpora ſint cauſæ viuentium ſublunarium, non ſunt enim cauſæ perſe, ſed inſtrumenta Dei. Ex dictis colligitur probabilitas contrariæ ſententiæ: illud tamen admonuerim, vt viuens aliquod imperfectum non dicatur abſolutè nobilius cælo, ſed vt addatur, quòd ſit nobilius ſecundùm quid, id eſt, ſecundùm gradum viuentis.

SECTIO II.

An, & quomodò, cæleſtia corpora influant in inferiora?

1 PRIMA *Concluſio.* Certum omninò eſt, corpora cæleſtia influere realiter in corpora inferiora. Ita communis Patrum, Philoſophorum,& Theologorum ſententia: hæc concluſio probatur continuà experientià, qua videmus, ſolem illuminare, exſiccare lutum, ceram liquefacere,&c. quam veritatem neque cæcus negabit, qui, licet lumen cæli non videat, ſolis tamen luce caleſit: neque obſtat cæli diſtantia, ſatis enim præſens eſt per ſuas virtutes, ſeu qualitates: neque item obſtat diſſimilitudo inter corpus cæleſte,& effectus, quos producit, nam ſimilitudo ſolùm requiritur inter cauſas vniuocas.

Certum eſt quod influant.

2 Et quamuis cæleſtis influxus permanens ſemper ſit,& firmus, modificatur tamen à cauſis particularibus, cum quibus ſimul concurrit,& propterea multa caſualia reperiuntur in ſublunaribus. Probabile etiam eſt, cælum Empyreum agere in ſublunaria, vt ita omnia inter ſe habeant connexionem, tanquàm mẽbra eiuſdem corporis, in quo, ſi bene eſt ordinata eius harmonia, nulla pars otioſa eſſe debet, quomodò verò agat in ſublunaria, occultum

Digitized by Google

Hurtad. tum omnino eſt. Oppoſitum facilè defendi poteſt cum Hurt. diſp. 2. de Cælo ſect. 6.

Agũt per occultas qualitates D.Thom. Toletus. Patres Conimbr. Rubius. 3 *Secunda concluſio* Corpora cæleſtia nõ ſolùm agunt, mediante luce, ac motu, ſed etiam per alias occultas qualitates: Ita communis ſẽtentia, duce D. Thom. lib. 2. de cælo. lect. 10. Tolet. lib. 1. de Generat. q. 2. cõcl. 4. Conimbr. 2. de Cælo. cap 3 q. 3. art. 2. Rub. ibidem q. 1. Probatur primò, quia corpora cæleſtia procgenerant metalla in infimis terræ viſceribus, quò neque lux, neque motus poſſunt pertingere: ergo neceſſariò debent illis attribui aliæ qualitates occultæ, quas ignoramus, per quas tales effectus procedant. Quòd verò lux non poſſit per ſe attingere metallorum generationem, inde probatur, quia incredibile omnino eſt poſſe lucem corpoream tantam telluris craſſitiem permeare, cùm lucis, & caloris actiuitas ſit valde limitata, vt patet experientiâ, nam ſi luci opponatur moles aliqua, illam non poterit penetrare.

Probantur occultæ qualitat. 4 Probatur ſecundò experientiâ ferri attritu magnetis perfricati, quod continuò rapitur ad polum Arcticum, non per lucem, ſed per occultam aliquam qualitatem; quam etiã probat maris acceſſus, & receſſus Probatur tãdem quia conſtat, cæleſtia corpora non ſolùm lucem, & calorem producere, ſed frigiditatẽ, & humiditatem, quæ ad generationem viuentium neceſſaria ſunt, quas tamẽ qualitates cæleſtis calor producere non poteſt, vt conſtat de calore ſublunari qui eſt eiuſdem ſpeciei cum cæleſti, & tamen neque frigiditatem, neque humiditatem poteſt producere: ergo neceſſariò recurrendum eſt ad aliquas occultas qualitates, quas qui negant, non in occultos, ſed in errores incidunt manifeſtos.

Picus. Mirand. Pereira. 5 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quam ſequitur Picus Miran. lib. 6. contra Aſtrologos cap. 5. & 6. & alij quibus patrocinatur Pereira tom. 1. in Geneſ. lib. 2. diſp. aduerſus Aſtrologos cap. 3 ratione 8. vbi qualitates occultas appellat nouitium inuentum, & ignorantiæ aſylum. Obijcis, inquam, primò. Calor cæleſtis ortus à nobiliſſima qualitate, nempe luce, continet in ſe eminenter omnes qualitates mixtorum: ergo hic ſufficiet ad omnes effectus ſublunares à cælo dependentes. Deinde eſto calor non contineret in ſe omnes quatuor qualitates elementorum, adhuc eadem lux, ſiue calor, prout eſt vnius aſtri, poterit efficere humiditatem; & prout eſt alterius aſtri, ſiccitatem: ergo neceſſe nõ eſt effugere ad occultas qualitates.

6 Reſpondeo negando antecedens propter rationẽ ſuperiùs adductam: neque enim calor in ſe continere poteſt frigiditatem: deinde nullum eſt fundamentum ad diſtinguendũ ſpecie lucem corporum cæleſtium: ergo libere, & falsò attribuuntur luci effectus diuerſarum ſpecierum; cùm igitur omnis aſtrorũ lux à cælo ſit deriuata, erit in omnibus eiuſdẽ ſpeciei, licet aliquando modificetur à paſſo: imò, quamuis hæc lux ita variè diſtribueretur per cæleſtia corpora, adhuc peruadere nõ poterat terræ profunditatem, ad progignendum aurum.

7 Sed eſt peculiaris difficultas circa motum, quia cùm ſit omnino neceſſarius ad cæleſtes influxus, quæſtio eſt, an requiratur, tanquàm conditio, vel tanquàm cauſa influens? pro qua ſit, *Tertia concluſio*: Motus eſt ſolùm cõditio applicans virtutem actiuam aſtrorum, quo qualitates cæli ad ſublunaria pertingunt. Ita cõmunis ſententia: Et probatur, quia quodlibet aſtrum eſt ens in ſe completum, habens que intra ſe ipſum perfectiſſimas virtutes operatiuas, ſicut habent corpora ſublunaria: ſed hæc non requirunt motum vt cauſam agendi: ergo neque corpora cæleſtia. Confirmatur, quia motus ex ſe ſolùm eſt via ad acquirendã præſentiam localem. Confirmatur tandẽ, quia conſtat, ſolem, poſt diem iudicij illuminaturum, & tempore Ioſue, quando quieuit obediente Deo voci hominis, conſtat, inquam, illuminaſſe, & cæteras qualitates ſine motu produxiſſe; ergo Aſtra non requirunt motum, vt cauſam, ſed vt conditionem. Motus aſtrorum eſt tantũ cõditio.

SECTIO III.

Vtrùm, ceſſante motu aſtrorum, ceſſare debeant omnia corpora inferiora?

1 PRIMA *concluſio*: Actiones intentionales, quæ non ſunt de ſe ordinatæ ad generationem, & corruptionem, quales ſũt intellectio, volitio, productio ſpecierum, &c. non ceſſabunt, ceſſante motu aſtrorum. Hæc cõcluſio omnino certa eſt, vt docet D. Tho. de Potẽtia. q. 5. art. 8. Soar. in Met. tom. 1. diſp. 22. ſect. 5. n. 18. Probatur, quia hæ actiones minùs materiales ſunt: ergo licet pendeant aliquæ à ſole mundum illuminante, cùm tamen conſtet, ſolem ſine motu poſſe illuminare, conſtat etiam, tales actiones dari poſſe, imò dandas eſſe poſt diem iudicij, ſine motu aſtrorum. D.Thom Soarius.

2 *Secunda concluſio.* Motus cæleſtis neceſſarius eſt, vt omnes actiones, quæ pertinent ad generationem, & corruptionem, exerceantur modo debito ad conſeruationẽ vniuerſi. Hæc etiam concluſio certa eſt, quia ſi non mouerẽtur aſtra, ſed ſemper eſſent in vno loco, non poſſent

Digitized by Google

poſſent debito modo diſtribuere ſuas qualitates,ſed illuminante ſole eodem modo, vel exceſſum caloris vni parti infunderet, vel defectum eiuſdẽ caloris alteri,vt patet:ergo ad rerũ productiones neceſſaria eſt hæc continua cæleſtis motus alternatio;vnde motu ſolis,ac Lunæ ceſſante,non dabuntur perpetuæ,ac renaſcentes fructuum, & annorum viciſsitudines, iuxta illud magni Vatis

— vos ò clariſsimi mundi
Lumina,labentem cælo,quæ ducitis annum.

Tota igitur quæſtio eſt, an tanta ſit dependẽtia à motu cæleſti, vt eo ceſſãte, ſtatim corpora inferiora nullum motum corporeum, nec vllam generationem habere poſſint?

Quæſit dependentia ab Aſtris? Patres. Conimbr. Rubius. Hurtad. Soarius.

3 *Tertia concluſio.*Probabilius eſt,nõ debere ſtatim ceſſare motus,& generationes ſubſtantiarum,ceſſante motu cæli. Ita multi, quos ſequuntur, & referunt Conimbr. 2. de Cælo, cap.3.q.5.art.2. Rub. 2. de Cælo. cap. 3. q. 4. Hurt.diſp.2.de cælo.ſect.4 n.36.Soar.in Met. diſp.22.ſect.5.n.10 Probatur ratione,quia cæleſtia corpora poſſunt influere, licèt non moueantur,vt conſtat ex ſectione ſuperiori;ergo actiones,quæ dependent ab influxu, dabũtur per aliquod tempus, licèt aſtra non moueantur.Confirmatur,quia ſublunares cauſæ non dependent à cæleſtibus eſſentialiter, ſolùm enim à Deo eſſentialiter dependent: ergo nõ ita ab illis dependent,vt ceſſante motu, ſtatim ceſſent.

4 Vnde ſequitur, non ilicò debere ceſſare generationes viuentium quorumcumque, cùm enim motus localis actiuus nõ ſit,& cælum adhuc influat, bene poterunt dari generationes; nam ſicut magnes immotus agit, ita immota aſtra producerent, & communicarẽt virtutes ſuas:& patet hæc doctrina ex eo quod accidit tempore Ioſue,in quo , ceſſante motu aſtrorum, adhuc mouebantur homines, &c. Præſertim cùm dentur cauſæ aliquæ inferiores omninò in ſuo eſſe completæ, & pendentes à ſolo generali concurſu Dei,qualis eſt ignis,in quem licèt non influat cælũ,adhuc ſuos effectus produceret;vnde patet, motum cordis non eſſe omnino ſimilem motui cæli. Quarè poſt diem iudicij,licèt ceſſent etiam illa, quæ à motu cæli immediatè non pendent, id non prouenit ex defectu motus,ſed propter ſuſpẽſionem diuini concurſus.

4 *Quarta concluſio.* Ceſſante non ſolũ motu cęleſti,ſed etiam influxu cæli, adhuc non ceſſarent omnes motus inferiores,nec generationes omnes, ceſſarent tamen generationes viuentium: prior pars ſatis liquet ex ſuperioribus,ſiquidem ignis v.g.non eſt omnino dependens à cælo,& poterat adhuc in ſtupã inducere ſuam formam,Pro ſecunda parte videri poteſt Soar.in Met.tom.1. diſp.22. ſect.5. à n.16.& probatur quia generationes viuentiũ dependent ab influxu cæli, à calore,ſcilicet, à quo neceſſariò foueri debent, vt materia diſponatur:vnde eſt illud Ariſtotelis lib.2. Phyſ. cap. 2.tex.26.*Sol,& homo generãt hominem*: & de generatione humana à fortiori ſumendum eſt argumentum ad reliqua animantia minùs perfecta: idem ſimiliter dicendum eſt de generatione metallorum, quæ maximè pendent ab influxu cæleſti. Soarius.

Certum tamen exiſtimo, omnes motus, & omnes generationes ſublunares,ceſſante motu,& influxu cæleſti,poſt breue tempus ceſſatura,& elementa magna ex parte defectura,& præ nimio frigore à naturali temperamẽto caſura,vt patet,cùm influxus cæleſtis ſit velut anima rerum omnium inferiorum.Immò, ceſſante ſolùm motu cæli, corpora mixta paulatim corrumperentur; & tandem generationes rerum deſinerent : nam licet motus non ſit cauſa influens , eſt tamen conditio attemperans cælorum influxum:tunc verò ſemper Sol calorem infunderet in partem aliquã certam, ac proinde illã nimio calore deuoraret, reliquas verò frigiditas tandẽ abſumeret.

SECTIO. III.

Vtrùm corpora cæleſtia poſsint influere in potentias ſpirituales, & in futuros euentus cauſarum naturalium?

1 PRIMA *concluſio.*Corpora cæleſtia non poſſunt directè agere in intellectum, & voluntatem humanam. Hæc eſt de fide,& ex communi conſenſu Theologorum,doceturque à D. Thoma 1.p.q. 15. ad quem locum communiter eius commentatores.Probatur ratione,quia anima rationalis, eiuſque potentiæ ſunt ſpirituales:ergo in illas non poteſt directè agere corpus aliquod,quãuis cæleſte,propter nimiam improportionem. Confirmatur,quia corpora cæleſtia ſunt determinata ad vnum tantùm, volũtas verò humana eſt potẽtia libera, & indeterminata, quæ requirit concurſum indeterminatum, quem tamen præſtare non poteſt cælum.

Reſolutio eſt negatiua. D.Thom.

2 Negandum tamen non eſt,indirectè,ac remotè, & veluti per accidens influere poſſe corpora cæleſtia in ſpirituales potentias, illarumque operationes,quia hæ potentiæ dependent à ſenſibus corporeis, in quos cæleſtes influxus poſſunt agere:numquàm tamen concedendum eſt, propter hunc concurſum indirectum,poſſe humanam voluntatem cogi,vel ſal-

tem

Digitized by Google

tem neceſſitari, cùm voluntas ſit omnino libera. Vnde obiter colligo, cælum nullo modo poſſe agere in Angelos, neque indirectè, hi enim nullã habent dependentiam ab organis, vel ſenſibus corporeis: quapropter quãdo Dæmones ſub certis ſtellarum aſpectibus arreptitios magis torquent, nõ hoc prouenit ex eo quód ſtellæ tunc vehementiùs agant in Dæmones, ſed ex eo quòd Dæmones ipſi tẽpus obſeruant in quo Luna v.g. efficaciùs agit in corpora, quia tũc faciliùs agunt in ipſa corpora applicando actiua paſſiuis.

3 Quapropter acrius, & ſubtiliùs ingeniũ aliquorum, non aſtris ſolũ attribuendum, ſed vel parentibus, vel natiuo temperamento, vel ſenſuũ internorum præſtantiæ, quæ omnia indirectè multùm iuuant humanum intellectũ, qui licet in omnibus ſit eiuſdem ſpeciei, nihilominùs tamen in aliquibus magnam habet diuerſitatem indiuidualem.

Aſtrologi nõ poſſũt liberos prædicere effectus.

4 *Secunda concluſio.* Impoſſibile eſt, Aſtrologos, & Iudiciarios per aſpectus ſtellarum liberum aliquem effectum pendẽtem ex noſtra libertate certò prædicere, ſine euidenti periculo errandi. Hæc concluſio conſentanea eſt fidei noſtræ, & communis inter Patres, & Theologos cum D.Th. 2.2. q. 9. ar.5. Idem teſtantur Patres Græci Irenæus, Clem. Alex. Orig. Baſil. Naziãz. Epiphan. Cyril. Damaſc. Affirmant Patres Latini Tertul. Auguſt. Leo, Bern. & alij plures, quos citat, & ſequitur Hugo Sempilius de Mathematicis diſciplinis lib. 11. cap. 1. à num. 6. vbi prætereà affert bullam, qua Summus Pontifex Sixtus V. audaciam, ac temerariam iudiciariæ artis petulantiam cohibuit. Et probatur facilè, quia vt patet ex præcedenti concluſione corpora cæleſtia non agunt directè in voluntatem humanam: ergo cùm voluntas de ſe ſit cauſa cõpleta ſuorum actuum, & prætereà libera, poterit ſe inclinare quò voluerit; & conſequẽter ex ſyderum aſpectu effectus liberos prædiuinare nemo poterit.

D.Thom. Irenæus. Clemens Alexand. Origen. Baſil. Naziãz. Epiphan. Cyril. Damaſc. Tertul. Auguſt. Leo. Bernard. Sempil.

5 Confirmatur, quia futura cõtingentia etiã Angelis ſunt occulta, quãuis habeãt ſpecies, per quas cõprehendunt cælũ omne, omnemque eius naturam: ergo talia futura à fortiori non erunt Aſtrologis manifeſta. Antecedens patet ex his quæ dixi 1. p. Sum. tract. 2. diſp. 14. ſect. 1. n. 8. extra ollas, igitur, & oleas feruntur Aſtrologi, extra chorum ſaltant, vltra plantam euagantur, & ad temeritatis ſcopulos fœdiſſimè impingunt, cùm audent cum Manilio dicere,

— Conſcia fati
Sydera diuerſos hominum variantia caſus,
Fatorumq; vices certis diſcurrere ſignis:

Manil. lib. 1.

eſt igitur horum euentuum cauſa humana voluntas libere ſe determinans, non verò

Sydus, & occulti miranda potentia fati.

6 Hinc etiam deducitur, falſum omnino eſſe, quod alij Iudiciarij, iudicio malè pertinaci, affirmant, eſſe videlicet, aliquas ſtellas, quas vocãt fatales, quæ licèt nõ efficiant tales effectus futuros, nihilominùs tamẽ exiſtimãt, illos denotare, vel ſignificare, inſtar literarũ, quas diuinatores iſti, egregiè ſe ipſos fallẽtes, legere, & intelligere præſumũt, & in eis præuidere hominum mores, fortunam, ſucceſſuſque vitæ varios; quod tamen omnino falſum eſt, multi enim infantes naſcuntur ſub eodẽ ſigno, quibus neceſſe foret habere idẽ geniũ, idemque ingenium, cùm tamen conſtet, ſæpe diuerſimodè ſe habere: immò aliquando gemelli duo fratres ſub eodem nati ſydere, diuerſis omnino moribus diſcriminantur, quales illi indicantur à Venuſino,

Caſtor gaudet equis, ouo prognatus eodem
Pugnis. —

Hor. Sat. 1. lib. 2.

Nihil ergo prodeſt in alicuius ortu animaduertere, ac ſeruare

Frigida Saturni quo ſe ſe ſtella receptet,
Quos ignis cæli Cyllenius erret in orbes.

Virg. Georg. 1.

7 Ex dictis deducitur primò, non poſſe Planetarios prædicere euentus futuros, etiam caſuales non pendentes ex hominũ volũtate, quia tales effectus caſuales ſunt, reſpectu cæli, & ſolùm ſunt per ſe, reſpectu cauſæ primæ. Deducitur ſecundò, ſtellas non eſſe diuina ſigna euentuum futurorum, cùm enim conſtet, ſæpe dari errorem in his prædictionibus, fatendum neceſſariò eſſet, ſigna naturalia poſſe inducere ad errorem, quod dicendũ non eſt. Deducitur tertiò. Chyromanticos, & Phyſionomos ex vultu hominis, vel ex manuum lineamentis futuros euentus nequaquàm certò præſagire: quamuis fatendum ſit, poſſe aliquo modo hæc ſigna indicare hominum inclinationem, ſemper tamen particulares actus relinquuntur in poteſtate humanæ voluntatis. Deducitur tandem non poſſe Aſtrologos ex ſyderum notatione certò prædicere naturalem inclinationem, cùm hæc non ſolùm ex ſtellis, ſed etiam ex certa materia, & cæteris diſpoſitionibus pendeat.

8 Aduerſùs Aſtrologos, & Iudiciarios latè diſputant Bened. Perer. tom. 1. in Geneſ. lib. 2. à cap. 3. & Iulius Cæſar Bulengerus to. 1. Opuſc. de Ratione diuinationis lib. 1. à ca. 21. Lubet tamen hîc reponere Phauorinum apud Aulum Gellium lib. 14. cap. 1. argutè, & philoſophicè hanc veritatem diſcutientem: *Aut aduerſa, inquit, euentura dicunt, aut proſpera: ſi dicunt proſpera, & fallunt, miſer fies, fruſtra expectando: ſi aduerſa dicunt, & mentiuntur, miſer fies, fruſtra timendo: ſi vera*

Pereira. Bulenger. Aul. Gel.

ra reſpondent ea, quæ ſunt non proſpera, iam inde ex animo miſer fies, antequàm è fato fias: ſi felicia promittunt ea, quæ euentura ſunt, tunc planè duo erunt incommoda, & expectatio te ſpe ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudij fructum ſpes tibi iam deflorauerit: nullo igitur pacto attendendum eſt his hominibus res futuras præſagientibus. Hæc Phauorinus, cui maximè ratio ipſa fauet.

Virg. Georg. 1. *Fruſtra igitur ſignorum obitus ſpeculamur, & ortus.*

Quæ poſſint Aſtrologi certò euentura prædicere?

Aſtrologi poſſunt prædicere Ecclypſes futuras.

9 TErtia concluſio. Ortus ſyderum, & occaſus, ecclypſes futuras Lunæ, defectus Solis varios, & his ſimilia poſſunt Aſtrologi prædicere certitudine naturali. Hæc concluſio certa eſt, & probatur ratione: quia hæc omnia nõ pendẽt ex libero arbitrio creato, neque à cauſis ſublunaribus, ſed ex ſolo ordine, & diſpoſitione cælorum, & ſtellarum, quæ omnia Aſtrologi apprimè callent. Dixi (naturali certitudine) quia ex diuina voluntate poſſunt hæc aliter euenire, vt contigit tempore magni Ducis Ioſue, & in morte Chriſti Domini.

10 *Quarta concluſio.* Poterunt etiam Aſtrologi naturali certitudine prædicere in genere ſiccitatem, & ſterilitatem terræ, morbos, & pluuias, cæteràque huiuſmodi, propter virtutes, & influentias Aſtrorum, quas ipſi agnoſcunt, & propter cõiunctiones aſtrorum, quæ aliquando maiorem habent efficaciam in res ſublunares: probatur, quia, cùm inferiora omnia maximè dependeant à cæleſtibus influxibus, poteſt aſtrum in tali ordine coniungi, vt ex illo, phyſica neceſſitate, ſequantur prædicti effectus: & quidem inter aſtra, & planetas,

Virg. Georg. 1.

Sol quoque, & exoriens, & cùm ſe cõdet in vndas,
Signa dabit, Solem certiſsima ſigna ſequentur.

11 Similes tamen prædictiones ſolùm probabiles ſunt, & in genere, nam in particulari non ita facilè ad veritatem accedẽt, quia cauſæ vniuerſales, quales ſunt cæleſtes, modificantur à particularibus, & proximis, à quibus maximè dependent effectus: quapropter bene poterit Aſtrologus prædiuinare futuram peſtilentiam in generali, propter nimiam ſiccitatem v.g. quæ ex tali coniunctione aſtrorum prouenit, non tamen certò præuidebũt, in quanam regione deſæuiet, vel quamnam ciuitatem abſumet, hic enim effectus particularis maximè dependet ab alijs cauſis, quas ipſi ſæpe ignorant, vt v.g. à vento, qui fortaſſe vehementiùs flabit, & exhalationes illas noxias aliò adducet, ac diuertet.

12 Inſtant tamen Aſtrologi (ne omnino inauditâ cauſâ damnentur) ſæpe veras euentuum prædictiones protuliſſe: præcipuè ſi verum eſt id, quod narrat de Auguſto Sueton. in eius vita n.94. *Nigidius figulus in huiuſmodi Aſtrologia nobiliſsimus, accepta hora partus Auguſti, obſeruatiſq; natalitijs eius aſtris, exclamauit, Dominum nobis natum eſſe, quod augurium prolauit poſteà euẽtus.* Nihilominùs tamen reſpondendum eſt cum D. Auguſt. lib. 2. de Geneſ. ad literam c. 17: & lib. 4. & 7. Confeſſionum: hoc oraculum nec ſcienter, nec certa aliqua ratione, ſed temerè, & fortuitò editum fuiſſe; Deumque aliquando id permittere, propter ſuos fines occultos, qui non ſolùm ex ore Balaam Arioli, & falſi vatis, ſed etiam ex ore aſinæ, qua vehebatur, veriſſima protulit oracula: ſæpè tamen falluntur, & cùm ſæpè futura prænuntient, quid mirum eſt ſi aliquando incidant in veritatem; quis enim eſt adeò ſiniſtrè iaculans, qui non aliquando collimet: ſed, ſicut mendaci homini, nec cùm vera quidem dicit credere ſoleamus, ita Aſtrologis, ſi vnum prædictum verum effluat, cur ſimpliciter credere debeamus? Sueton. D. Aug.

13 Conſiderantes tamen Aſtrologi natiuitatis alicuius punctum, poſſunt temperamenta, & propenſiones hominum probabiliter prædicere, vt tenent Abbas cap. 2. n. 7. de Sortilegijs. Caiet. 2.2. q. 95. ar. 5. fine. Soar. tom. 1. de Relig. lib. 2. de Superſtitione cap. 11. à n. 8. Sal. 1. 2. q. 9. ar. 5. tract. 5. diſp. 1. ſec. 8. n. 79. Sanches lib. 2. Summæ. cap. 38. n. 28. Emman. 1. tom. Summæ. cap. 7. n. 3. quod facilè probatur ex dictis.

Quæ poſſint probabiliter prædicere. Abbas. Caiet. Soar. Salas. Sanch. Em. Sà.

14 Quæ de ſtellarum prædictionibus diſputaui, ſimiliter de Cometis intelligẽda, quibus nullo modo fides adhibenda eſt, quia infinitis ſcatent mendacijs ea, quæ iudicarij temere, & audaciter fingunt: tuti igitur deinceps, ac ſecuri ſtellarum occaſus, ſyderum coniunctiones, ortuſque cometarum contemplemur; de quibus cometis audiendus, & legendus, non tamen credẽdus Vates egregius Claudian. lib. 1.

Claud. de rapt. lib. 1.

—— Augurium qualis laturus in orbem
Præceps ſanguineo delabitur igne Cometes,
Prodigiale rubens, non illum nauita tutò,
Non impunè vident Populi, ſed crine minaci
Nuntiat, aut ratibus ventos, aut vrbibus ignes,

Sed de Cometis ago in Meteor.

DIS-

DISPVTATIO XXXXIIII.

De figura, numero, & ordine cæleſtium ſphærarum, deque intelligentijs.

PRæclaram aggredimur, grauemque difficultatẽ, in qua, ſub exigua veluti tabella, immẽſa omnium cælorum machina diſcribenda eſt. Accedit igitur Philoſophus ad agendum de Orbibus cæleſtibus ſecundùm ſe, & cap. 4. breuiter perſtringit ordinem, figuram, & diſpoſitionem cæleſtium ſphærarum, quæ neceſſariò à nobis lentiùs ſunt examinanda.

SECTIO I.

De numero, & Ordine cælorum, iuxta veterem doctrinam.

Quomodo in Veteri opinione componantur orbes cæleſtes? Clauius. Maginus. Appianus.

1 SEcundùm antiquam ſententiam decem, aut vndecim ſunt orbes mobiles: pro quibus videri poteſt P. Clauius in comm. Sphæræ Ioan. de ſacro Boſco, Antonius Maginus, Petrus Appianus, & alij plures: prima autem ſphæra dicitur Lunæ, ſecunda Mercurij: tertia Veneris: quarta Solis: quinta Martis: ſexta Iouis: ſeptima Saturni: octaua verò firmamentum: quod antiquiores Philoſophi credebant eſſe primum mobile; quod ſeptem alios ſecum rapiebat ab oriente in occidentem, ſpatio viginti quatuor horarũ, hoc verò cælum appellabant firmamentum, quia ſcilicet in illo ſtellæ firmã, ac ſtabilem ſedem habebant, nec errabant, ſicut planetæ, qui proptereà ſydera errantia dicebantur: ideòque hoc cælum à Græcis vocabatur Aplanes, ideſt nõ errãs: at tãdem præter hos orbes datur nonus, ac decimus.

2 Priores igitur ſeptem orbes collegerũt Aſtronomi ex diuerſitate motuum, quam in cælis animaduertebant: ſeptem enim planetæ nullum inter ſe ordinem ſeruant in ſuo motu, ſed diuerſimodè agitantur; atqui vnũ corpus non poteſt habere, niſi vnũ tãtũ motũ naturalem: ergo cùm dẽtur diuerſi ſeptẽ motus planetarum, ſeptem etiam dabũtur cæli, iuxta hanc doctrinam. Et prætereà ſtellæ fixæ, quæ omnes mouẽtur eàdem motus paritate, alium orbem, octauum ſcilicet, oſtendebant: ſupponebat autem antiqua doctrina, aſtra cælis eſſe infixa, ſicut nodos in tabula, vnde ex diuerſitate motuum bene inferebãt cælorum diuerſitatem.

Vnde deprehendatur nona, & decima ſphæra.

3 Cæterum præter octo orbes cæleſtes, in quibus octo diuerſos motus Aſtronomi veteres animaduerterunt, longo temporis decurſu edocti experti ſunt cælum ſydereum, ſiue firmamentum non nihil retrogredi ab occidente in orientem, ita vt perficere poſsit talem motum ſibi proprium multis annorum millibus: intellexereque proinde habere aliunde morũ diurnum: Nam motus diurnus perfici debebat ſpatio viginti quatuor horarum, quod nõ ita contingit, ſtellæ enim fixæ firmamenti non diſcribunt circulum perfectum, deueniẽdo ad idem punctum, ſpatio viginti quatuor horarũ, ſed quaſi à tergo aliquantulùm manent, ita vt decem annis decreſcat firmamentum vno gradu ab illo puncto, in quo motus circularis debebat perfectè terminari.

4 Cùm igitur firmamentum, præter morũ diurnum, & raptum, qui naturalis non eſt, habeat alium motum naturalem, qui raptum retardat; & cùm duo motus non poſsint eidem corpori conuenire, niſi alter conueniat ab intrinſeca natura, alter verò ab extrinſeco, proptereà addiderunt decimam ſphæram, quæ ſit primum mobile, quod ſecum raperet firmamentum, ac reliquos inferiores orbes ab Oriente in occidentem, ſpatio viginti quatuor horarum, qui motus proprius eſt, & naturalis huius decimæ ſphæræ, cùm tamen naturalis motus inferiorum orbium ſit ab occidente in orientem.

5 Tandem alij poſteà Aſtrologi animaduerterunt motum alium acceſſus & receſſus, ſiue trepidationis, quia ſtellæ viſæ ſunt, quaſi in vnam partem inclinare, modò verſùs vnum polum, modo verſùs alium, & ex eâdem ratione, qua ſuprà, propter hunc diuerſum motum, nonum cælum addiderunt, cui eſſet proprius, & connaturalis hic motus, quem appellarunt *motum trepidationis.*

Cælũ Impyrium.

6 Vltra hos orbes mobiles, ſupra decimum cælum, cælum aliud immobile conſtituunt, quod Impyrium, ideſt igneum à ſplen-

Digitized by Google

ſplendidiſſima luce, qua perfunditur, appellarunt. Quod cælum, quamuis demonſtrari nequeat, ſatis tamen probatur ſanctorum Patrum, & Scholaſticorum auctoritate, vt videre eſt apud Conimbr. 2. de Cælo. cap. 5. q. 1. ar. 1. Rub. ibi. q. 3. Per. tom. 1. in Gen. lib. 2. q. 4. Conſtat autem, cælum hoc eſſe omnium nobiliſſimum, vt colligitur ex fine, ad quem fuit à Deo conditum, nempe ad ſedem Dei, & curiam Beatorum, quod non latuit vel etiam poetas ethnicos, ſic enim Ouidius.

Patres. Conimb. Rubius. Pereira.

Ouid.

Hic locus eſt, quem, ſi verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixiſſe palatia regis.

7 Aduertunt præterea antiqui Aſtrologi, orbes cæleſtes quó altiores, eò perfectiores eſſe: ita D. Th. 12. Met. ad tex. 44. & alij, quos ſequitur Rub. 2. de Cælo cap. 5. q. 4. Probant ratione. Sphæræ cæleſtes ſunt diuerſæ ſpeciei propter diuerſas formas, quas habent, vt conſtat ex diuerſitate ſuarum proprietatum: ſed ſpecies ſunt veluti numeri, quia ſemper ſe excedunt in perfectione: ergo potior ratio eſt, vt ſuperiores ſphæræ excedant inferiores. Quod ſic confirmatur, nam in elementis, idē eſt ordo ſitus, ac dignitatis, vnde ignis, quia nobilior eſt, locum obtinet nobiliorē. Confirmatur, quia, quemadmodùm cælum quò ſuperius, eò maiorem continet capacitatem, & ita de reliquis qualitatibus iudicādum eſt.

D. Thom. Rubius.

8 Neque in hoc modo philoſophandi approbo opinionem Conimbr. 2. de Cælo c. 3. q. 2. ar. 2. aſſerentium, eundem quidem eſſe ordinem ſitus, ac dignitatis in ſphæris cæleſtibus, excepta quarta ſphæra, in qua eſt Sol; non, inquam, approbo hanc opinionem, quia quamuis Sol nobilior ſit omnibus planetis, ac ſphæris cæleſtibus; nihilominùs tamen, cùm Sol non ſit eiuſdem naturæ cum ſua ſphæra, vt dicunt, & cùm Sol non ſit continuus eius cælo, vt communiter aſſeritur, bene poteſt Sol ipſe eſſe nobilior, quamuis eius ſphæra ſit ignobilior, ſicut accidit in elementis, in quibus cernimus hominem eſſe omnium rerum ſublunarium nobiliſſimum, & tamen generatur in vltimo, & imperfectiſſimo elemento terræ: ergo nobilitas Solis non arguit maiorem perfectionem ſuæ ſphæræ.

9 Addunt deinde, cæleſtia corpora ita eſſe immediatè inter ſe contigua, vt nullum aliud corpus, nullæ ve aquæ interjaceant. Ita D. Th. in 2. diſt. 14. q. 1. ar. 1. & 1. p. q. 68. ar. 2. ſimpliciter falſam, & impoſſibilem reputat ſententiam, quæ ponit aquas elementares ſupra cælum ſydereum; Idem tenet Rub. 2. de Cælo. cap. 3. q. 7. pro eodem videri poteſt Soar. tract. de Opere ſex dierum, lib. 2. cap. 4 vbi latè refutat ſententiam de aquis elementaribus ſupra cælos exiſtentibus.

D. Thom. Rubius. Soar.

SECTIO II.

Quo pacto ſecundùm antiquam doctrinam componantur orbes cæleſtes?


1 Quæſtio hæc eſt valde difficilis inter antiquos Aſtronomos propter varietatem motuum, neque enim planetæ mouentur eodem motu, quo aſtra fixa mouentur, aliquando enim nobis apparent ad Aquilonem elati, aliquando ad Auſtros dejecti, quæ diuerſa phenomena, ſiue apparitiones Aſtronomos in diuerſas ſententias abire coegerunt; quarum communiorem, & inter eos probabiliorem proponam. Componitur igitur ab illis quilibet orbis planetarum ex tribus orbibus veluti partialibus, quorum medius, in quo adhærent planetæ, ſimpliciter eſt eccētricus, quia vtraque eius ſuperficies tam concaua, quàm conuexa, habet diuerſum centrum á centro vniuerſi mundi, quod centrum mundi eſt etiam centrum cæli, vocaturque hic orbis eccentricus *deferens planetam*, eſtque vniformis ſecundùm ſe totum, quò ad craſſitiem.

Explicatur antiqua ſphærarū compoſitio.

2 Hunc orbem ſimpliciter eccentricum circundant duo alij orbes, vnus verſùs conuexum eius, alter verò verſùs concauum, diuerſa tamen profunditate, & groſſitie, nam ſuperior orbis neceſſarió eſt maximé tenuis ex ea parte, qua orbis eccentricus, quem circundat, magis recedit á centro mundi, maximam verò habet profunditatem, ſeu craſſitiē ex parte oppoſita: contra verò ſe habet orbis, qui circundat orbem deferentem, ſiue eccētricum; atque hinc fit quòd conuexa ſuperficies ſuperioris orbis, & concaua inferioris idem centrum habeant cum centro mundi; at verò ſuperficies concaua ſuperioris, & conuexa inferioris idem habeant centrum, cum orbe ſimpliciter eccentrico, vt videri licet in hac figura, vbi B, C, D, repræſentāt deferentem, 1. excentricum ſimpliciter, N, centrum mundi.

Qui ſint orbes eccē trici, & cōcentrici.

Prop-



3 Propter has duas ſuperficies hi duo orbes inferior ſcilicet, & ſuperior, dicuntur eccentrici ſecundùm quid, quia, quamuis per has duas ſuperficies circundent, & veluti amplectantur orbem deferentem, nihilominùs per alias duas ſuperficies, quæ amplectuntur alium orbem Martis v.g. fiunt hi duo orbes concentrici cũ centro mundi: mouetur autem orbis ille medius deferens planetam ſumma proportione, ita vt ſemper pars profundior orbis ſuperioris circumdantis correſpondeat ſubtilioribus partibus orbis inferioris, quo poſito, neque datur vacuũ, neque penetratio inter hunc orbem mediũ, & duos extremos: neque præterea datur illiſio vnius orbis cum alio.

Quid ſit epyciclus.

4 Aduertendum præterea eſt, in orbe deferente planetam dari rotundam quandã partem omnino ſolidam, quaſi paruulã ſphæram, quam vocant epycielum, in quo omnes planetæ, præter Solem, intra ſuum orbem eccentricum reuoluuntur, vt videre eſt apud Clauium in Comm. Sphæræ Ioannis de Sacro Boſco. ad cap.4.fol.416.& patet in figura ſuprà poſita, vbi e, f, g, l, h, i, k, repræſentat epyciclum.

Clauius.

5 Quã ſententiam breuiter ſic probant, nam planetæ non ſolùm mouentur communi illo motu omnium ſphærarum ab Oriente in Occidentem, rapti à primo mobili, & præterea ſuo motu proprio, ſed nunc remotiores à terra, nunc verò propinquiores apparent, & conſequenter modò maiores, modò minores nobis videntur, quod ſignum eſt maioris, vel minoris diſtantiæ, quæ enim habent eãdem diſtantiam, eãdem ſemper magnitudine apparent, vt patet in aſtris firmamenti; neceſſe igitur eſt, planetas, & proprio motu moueri, & illorum orbes habere centrũ diuerſum à centro mundi, poloſque diuerſos, quibus rotentur.

Probatur quòd detur epyciclus.

6 Præterea, præter diuerſam apparentiã planetæ in ſuo orbe totali, dantur aliæ phænomenæ, quæ ſaluari non poſſunt, niſi per epyciclos in eodẽ orbe incluſos, & immerſos; quod ſic declaratur, quia cæteri planetæ, præter Solem, exiſtentes in puncto Augis ſui eccẽtrici, ideſt in puncto à terra remotiſſimo, non ſemper eodemmodo ſe habent ad ipſam terram, ſed modò ſublimiores, modò apparent humiliores, & deinde eorum motus nunc velociores, nunc tardiores ſunt, quæ tanta varietas nõ poteſt ratione ſolius orbis eccẽtrici ſaluari, quia Aux eccẽtrici ſemper eſt in eãdẽ diſtantia à terra.

Clauius.

7 Idem tandem confirmat Clauius in ſua Sphæra ad cap.4 fol.45.§. *Et vt quod*, teſtatur enim ſe vidiſſe duas ecclypſes, priorem Conimbricæ anno 1559. circa meridiem, in qua directè Luna interponebatur inter viſum, & Solem, ita, vt totum Solem per aliquod tempus tegeret, & tunc fuiſſe tenebras propè maiores, quàm nocturnas, apparebant enim ſtellæ in cœlo, cadebantque aues repentino horrore tantæ obſcuritatis correptæ: aliam aſſerit vidiſſe Romæ anno 1557. etiam circa meridiem, in qua licet Luna inter Solem, & viſum interponeretur, nihilominùs non obſcurabat totum Solem, ſed relinquebatur in Sole circulus quidam totam Lunam ambiens: ex quibus euidenter colligitur, planetas non habere ſem-

ſemper eandem diſtantiam à terra; & cùm cæli eandem ſemper habeant diſtantiam à terra, neceſſariò recurrendum eſt ad epyciclos, qui moueantur intra eandem ſphæram deferentem. Reliqua hac de re ſuppeditabit Clauius citatus: Nos, quæ philoſophica ſunt, modò, ſecundùm nouam, & faciliorem doctrinam proſequamur.

SECTIO III.

Quid dicendum ſit in hac materia iuxta nouam, verioremque doctrinam?

Triplex tãtùm datur cælũ.

1 PRima concluſio. Triplex tantùm datur cælum, aereum, ſydereum, & Impyrium. Hæc eſt hodie communiſſima fere iam opinio inter modernos Aſtronomos, qui rem accuratiùs pertractarunt: pro qua videri poteſt P. Chriſtophorus Borrus in ſua noua Aſtronomia, vbi fol. 260. citat Auguſt. Ambroſ. Damaſc. Theod. Genebr. & alios, item Hurt. de Cælo diſp. 2. ſect. 1. Probatur concluſio dupliciter, primò negatiuè, ex confutatione veteris opinionis; ſecundò poſitiuè, rationibus pro hac ſententia ſtabilienda, adductis.

Borrus. Auguſt. Ambroſ. Damaſc. Theodor. Genebr. Hurtad.

2 Probatur igitur primò: nam imprimis implicatus ille, & inextricabilis orbium labyrinthus neceſſe eſt, quòd obſcuritatem pariat, & confuſionem; cùm igitur fruſtrà fiat per plura, quod poteſt fieri per pauciora; & cùm omnes apparentiæ tum antiquæ, tum nouæ facillimè ſaluentur ſecundùm hanc nouam opinionem, non eſt cur ad perturbatam illam tot cælorum confuſionem fugiamus.

3 Deinde argumentari licet ſecundò ex incertitudine antiquæ opinionis, in qua pro ſuo arbitratu quilibet cælorum numerum vel augebat, vel imminuebat: nam Maginus illuſtris huius ſæculi Aſtronomus, imaginatuſ eſt quatuor orbes in Saturno, quatuor attribuit etiam Ioui, totidem Marti, quinque verò Soli, Veneri quatuor, ſex Mercurio, ſex etiam Lunæ: duos præterea admittit orbes ſupra fundamentum: vnde in doctrina huius Auctoris præter planetarum epyciclos, triginta ac ſeptem orbes introducuntur.

Maginus.

4 Baſilides verò Hereſiarcha tercentos, & ampliùs cælos liberaliter inuehebat: verũ enim verò, quamuis tot cælos admittat, in nullo, vt potiùs reor, erit admittendus. Cùm igitur cæli, non pro libito auctorum, ſint multiplicandi, ea potiùs opinio in hac materia tenenda eſt, quæ certum, ac ſtabilem numerum præfigit. Omitto reliqua argumenta, quæ videri poſſunt apud prædictum Patrem Chriſtophorum Borrum.

Baſilides.

5 Probatur tertiò: nam, vt conſtat ex dictis, cælum fluidum eſt, ac limpidiſſimum, vtpote per quod libere, ac ſine vllo impedimẽto ſydera rapiantur, non quidem cælo alicui affixa, tanquàm nodi in tabula (quibus nodis veteres Philoſophi, ac Mathematici multipliciter innodabantur) ſed per ſe ipſa: ergo omnes illi cæleſtes orbes fictitij ſunt, ac nullatenus neceſſarij, & ſolùm per imaginationẽ admittendi.

6 Primum igitur cælum dicitur aereum, neque eſt cur immoremur ad probandum aerem vocari cælum in Scriptura, ſic enim ſæpe legimus, *Volucres cæli*, *volatilia cæli &c.* conſentiunt etiam profanæ loquutiones, ſic Dædalus per aera volaturus,

Præpetibus pennis auſus ſe credere cælo. *Virgil. Æn. 6.*

Secundum cælum dicitur ſydereum, ſub cuius nomine intelligitur vniuerſum ſpatium, quod comprehendit ſydera omnia tum erratia, tum etiam inerrantia.

7 Vltra hos duos cælos, datur tertium, nempe Impyrium, in quod fortè raptum eſſe Apoſtolum non læuè aliqui interpretantur: quod cælum veritas ipſa in eccleſia recepta communiter admittit, tanquàm proprium, ac pulcherrimum domicilium Beatorum; vt videre eſt apud D. Thom. 1. p. q. 66. art. 3. vbi communiter interpretes: quamuis tale cælũ nulla phyſica, aut mathematica ratione demonſtretur.

D. Thom.

Vtrùm aſtra ſint ſolida, an fluida?

Aſtra ſunt ſolida, cælum verò fluidum.

8 SEcunda concluſio. Aſtra ipſa ſunt corpora ſolida. Ita communis inter Ptolomiſtas, ac recentiores Aſtrologos ſententia. Probatur primò, quia corpora fluida non ſunt accommodata ad peragendum curſum illum velociſſimum, cælum ipſum ſcindendo, ac permeando. Probatur ſecundò ex conſtantia, ac permanentia figuræ, quam perpetuò ſeruant: difficulter enim probabitur, quomodò corpora fluida cælum diſſecantia in eâdem ſemper figurâ perſeuerent, quamuis enim cælum ſit fluidũ, neceſſe eſt quòd aliquo modo aſtrorum motui reſiſtat. Probatur tertiò, quia aſtra ſunt corpora opaca, ſicut experimur in Solis ecclypſi, quæ efficitur propter Lunæ, aut alterius planetæ oppoſitionem: ſunt igitur corpora ſolida: nam corpora fluida naturaliter ſunt diaphana, vt experientia docet in aere, & aqua.

Con-

Digitized by Google

9 Confirmatur ex vehementi luce, & calore, quæ aſtra eiaculantur, quæque in ijſdem aſtris reflectuntur: experimur autem non niſi à corpore denſo, ac ſolido lucem intenſam directè egredi, vel reflexam immitti. Confirmatur tandem, quia videmus corpora mixta principalia terræ, aquæ, & aeris, qualia ſunt plantæ, animalia, piſces, & aues, ſolida eſſe, non fluida: ergo ratio ipſa idem videtur conuincere de aſtris.

Aſtra ſunt corruptibilia.

10 *Tertia concluſio.* Aſtra ſunt corpora corruptibilia. Hæc etiam concluſio communis eſt hodie, pro qua citari poſſunt omnes illi Auctores, qui docent, aſtra eſſe corpora mixta compoſita ex quatuor elementis, de quibus in ſequenti concluſione. Huic noſtræ concluſioni fauet diuina Scriptura Eccleſiaſt. 17: *Quid lucidius*, inquit, *Sole, & ipſe deficiet &c.* ſimiliter Chriſtus Dominus non obſcurè innuit hanc veritatem, dum ſic Mat. 24. *Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ de cælo cadent &c.* Eccleſ. 17 Matt. 24.

11 Secundò probatur à poſteriori ex nouis ſtellarum ortibus, de quibus ſæpe dixi: quemadmodùm enim hæc aſtra de nouo apparuerunt, & per corruptionem diſparuerunt, ita ſimiliter de alijs dicendum videtur. Probatur tertiò à priori, quia vbi dantur eædem proprietates, datur eadem eſſentia: atqui aſtra habent eadem accidentia cum rebus corruptibilibus: ergo habent eandem corruptibilem naturam. Maior eſt certa; minor probatur, quia aſtra habent eandem quantitatem, colorem, calorem, frigiditatem, ſiccitatem, & humiditatem, vt ſtatim probabo: ergo &c. Confirmatur, quia cælum, in quo aſtra mouentur, eſt corruptibile: ergo ſimiliter aſtra ipſa, quæ in eodem cælo mouentur, cui ſententiæ maximè fauent obſeruationes de quibus ſuprà dixi.

Vtrùm aſtra ſint corpora mixta?

Aſtra ſunt corpora mixta.

12 **Q***varta concluſio.* Aſtra ſunt corpora mixta cōpoſita ex quatuor elementis. Hæc concluſio probatur à priori: Proprietates mixtorum non niſi in corporibus mixtis reperiuntur: ſed in aſtris reperiuntur proprietates mixtorum: ergo ſunt corpora mixta. Maior eſt certa; minor probatur, quia in aſtris reperiuntur quatuor primæ qualitates (quæ non reperiuntur coniunctæ, niſi in corporibus mixtis, nam ſingula elementa, non niſi duas qualitates præcipuè habent) Quòd verò in aſtris reperiātur quatuor primæ qualitates, ſic oſtenditur; quia color eſt qualitas ſecunda, quæ oritur ex coniunctione quatuor primarum, hæc autem in aſtris reperitur, vt ipſorum lux manifeſtè oſtēdit: hinc eſt, quòd in Sole,

—— Sæpe videmus
Ipſius in vultu varios errare colores. Virg. Georg. 1.

Similiter Lunæ color pallidus eſt, ſubtriſtior Saturnus, Mars igneus, & ſanguineus: cùm igitur lux in omnibus aſtris ſit eadem, nulla alia cauſa huius varietatis poteſt aſſignari, niſi diuerſitas colorum, qui diuerſimodè afficiunt aſtrorum lucem, ſicut experimur in luce, quæ vitrum aliquod diuerſorum colorum permeat.

13 Probatur ſecundò à poſteriori. Experimur enim Saturnum frigiditatem cauſare, quo aſpectu magnus Vates;

Frigida Saturni quò ſe ſe ſtella receptet:

Solem verò, Iouem, & Venerem calefacere; Martem exſiccare, Lunam humectare: cùm verò hæ qualitates non poſſint immediatè egredi ab ipſis formis ſubſtantialibus, quia ſubſtantiæ non ſunt per ſe immediatè operatiuæ, neceſſe eſt, quòd egrediantur, mediantibus alijs ſimilibus qualitatibus: ergo neceſſariò fatēdum eſt, contineri in aſtris illas quatuor primas qualitates, & quòd inde ſequitur, eſſe aſtra corpora quædam mixta.

14 Neque dici poteſt has qualitates produci ab aſtris, mediante luce: cōtrà enim eſt, quia hoc libere dicitur, nam ſicut ex eo quòd Sol illuminet, bene inferimus habere lucem, ita ex eo quòd Saturnus refrigeret, bene poſſumus inferre habere frigiditatem: alioquin eâdem libertate dicere quis poſſet, ignem non habere calorem, ſed calefacere, mediāte luce, quam in ſe habet. Et confirmatur, quia ex Scriptura ſacra manifeſtè colligitur, Solem habere calorem formalem, non virtualem ſolùm mediante luce, ita enim Pſal. 18. *Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius &c.* Cuius etiam ſententiæ ſunt Auguſt. ſerm. 3. de Temp. Baſil. in Exam. homil. 3. vbi opinionem illorū, qui negant, aſtra habere in ſe formaliter quatuor primas qualitates, appellat aniles nugas. Similiter D. Ambroſ. Hexam. lib. 2. cap. 3. *Tantum*, inquit, *ineſt illis veritatis impugnandæ ſtudium, vt Solem ipſum negent calidâ naturâ eſſe &c.* Et videri item poteſt lib. 4. cap. 3. Pſal. 18. Auguſt. Baſil. Ambroſ.

15 Quamuis autem aſtra participent ex quatuor elementis, dicendum tamen eſt, maiorem illorum partem plus ignis plerùmque habere, quàm alterius elementi, experimur enim caloris, ac lucis radios ab aſtris immitti; quod proprium eſt ignis, hinc eſt, quòd aſtra dicantur ignea: reſpexit etiam magnus Vate 4. Æn. Virgil. Æn. 4.

Quoties aſtra ignea ſurgunt;

Digitized by Google

Sil. item lib. 1.

Sil. lib. 1. *— Ardenti labefecit Syrius aſtro.*

immó aſtra dicuntur ignes, Stat. 2. Sylu.

— Quantùm præcedit clara minores

Stat. 2. Silu. *Lunæ faces, quantumq; alios premit Heſperus ignes.*

16 Neque ex eo quód habeant partem aliquam elementi terræ, quæ grauida eſt, timendum eſt, quòd ſtella aliqua modó è cælo præcipitetur; nam imprimis, quamuis aues, ac piſces habeant pondus, naturaliter tamen, vi ſua motrice adiuuante, in aere, & in aqua ſuſtentantur; ſic ſtellæ virtute ſua motrice, quaſi alis fulciuntur, donec in tremendo totius orbis interitu, virtute propria deficiente, in terram comminuta dilabantur, iuxta præſagam Chriſti Domini veritatem, *Stellæ cadent de cælo*, Mat. 24. *Vt enim*, inquit ibi Maldonatus, *Magis Chriſto id affirmanti, quàm Ariſtoteli neganti, id fieri poſſe, credendum eſſe arbitror*, &c. Mat. 24. Mald.

17 Cùm igitur eademmet aſtrorum natura poſtulet locum illum, in quo mouentur, ſicut naturaliter aer ſupra terram continetur, & ignis ſupra aerem; & ſicut, quamuis oleũ ponderoſum ſit, nihilominùs enatat ſupra aquam; ſic dicẽdum eſt, naturam ipſam aſtrorum vendicare naturaliter locum illum, per quem continuò circumrotantur, ac proinde illorum pondus nihil obeſſe, nec in cauſa eſſe poſſe, vt inde timor aliquis mortalibus oriatur, ne fortè præcipiti alicuius ſtellæ decidentis fragmine feriantur.

SECTIO IIII.

Vtrúm aſtra per ſe, an ab Intelligentijs moueantur?

Aſtra mouentur ab intrinſeco. 1 Sit concluſio. Aſtra non ab Intelligentijs, ſed ab intrinſeco, per virtutem ſuam propriam mouentur. Hæc concluſio, quamuis ab aliquibus temeraria iudicetur, nihilominùs nimis temere cenſuratur, nam ex Peripateticis non improbabile dicit P. Soar. quòd cælum á ſua intrinſeca forma moueatur, ſicut lapis à ſua intrinſeca grauitate; ac tandem ait, adhuc hanc opinionem eſſe ſub iudice, vt videre licet in eius Metaphyſ. diſp. 29. ſect. 1. n. 7. Alij prætereà dicunt, non demonſtrari dari Angelos ex eo quód neceſſe ſit, quòd dentur ad cæli motũ, cùm cæli virtute propria moueri poſſint, ita apertè ex Recentioribus ingenioſè probat Valent. 1. p. diſp. 4. q. 1. puncto 1. à quo non abit diuerſus noſter Gabr. Vaſq. 1. p. diſp. 178, cap. 1. Pro eádem ſententia ſtat Raynaudus in Theol. naturali diſt. 2. q. 1. art. 1. n. 5. vbi in fine huius numeri aduertit, dãnãdum non eſſe temeritatis, qui noſtram concluſionem ſequutus fuerit; quarè nihil me à loco mouet P. Hurt. infrà citandus, dum noſtram concluſionem vocat temerariam. Soarius. Valent. Vaſques. Raynaud. Hurtad.

2 Alij prætereà ſunt, qui affirmant aut probabilius, aut æquè probabile eſſe, cælos (& idem de aſtris à fortiori dicendum eſt) moueri à ſua propria forma inanimi, id abſolutè affirmant aliqui, apud Bonauent. in 2. diſt. 14. 1. p. art. 3. q. 2. quorum ſententiam, vt probabilem ſequitur Gabr. in 2. diſt. 14. q. vnica. art. 3. dub. 2. Prætereà abſolutè ſequuntur noſtram concluſionem Valles. controuerſ. 11. & 16. Guillelm. Pariſienſis parte 2. principalis totius vniuerſi cap. 151. vbi vanam, ac friuolam oppoſitam ſententiam dicit. Prætereà oppoſita ſententia rimas agit aliunde, multi enim negant Angelos cælos mouere, affirmantque motum hunc à Deo immediatè imprimi, & ita veriſimilius arbitrantur Leſius lib. de Prouid. à num. 20. immò vt aduertit Soar. pro noſtra ſententia à fortiori citari poſſunt omnes illi, qui cælis animam arrogabant, quam doctrinam probabiliter admittũt D. Auguſt. lib. 2. ſupra Gen. ad literam c. 18. & in Enchir. cap. 58. Origenes, & alij, quos citant Conimbr. lib. 2. de Cælo, cap. 1. q. 1. ar. 1. Vbi pro eádem ſententia ſtat Ariſtoteles lib. 2. de Cælo, cap. 2. tex. 13. qui ibi aſſerit, cælum eſſe animatum: à qua opinione alienus non fuit magnus Vates AEn. 6. in cuius ſententia cælum ipſum, Bonau. Gabr. Valles. Guillel. Pariſienſ. Leſius. D. Aug. Origenes. Patres Conimbr. Ariſtot.

Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit. — Virg. AEn. 6.

Quamuis ergo cælis animam informantem non concedamus, aſſiſtentes animas omnino negamus.

3 Probatur tandem noſtra concluſio ex Scriptura ſacra, in qua nec verbum quidem minimum reperitur, quod manifeſtè indicet aſtra ab extrinſeco motore impelli; immò ex multis locis colligitur noſtra ſententia, vt cùm Ioſue 10. 12. Soli, ac Lunæ imperauit, ne mouerentur: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon &c.* additque ſtatim ſacer textus, *Stetitque Sol, & Luna.* Quòd ſi Sol, ac Luna per Angelos mouerentur, cur Ioſue ſermonem ſuũ non direxerit potiús ad Angelos, qui procul dubio faciliores aures vocibus Ioſue præberent, quam ſurda illa aſtrorum corpora? Cur deinde non aſſerit diuinus Spiritus Angelos aſtrorum Solis, ac Lunæ vertiginem cohibuiſſe? Ioſue 10.

4 Eádem mente accipiendæ ſunt aliæ ſacræ paginæ loquutiones Eccl. 1. *Sol gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem.* & Pſalm. 18. dicitur Eccleſ. 1. Pſal. 18.

Digitized by Google

dicitur Sol ipſe paſſibus currere gygantæis; quæ loquutiones non dextré quidem ad Angelos poterunt applicari, neque à Patribus in tam friuolum, ac læuum ſenſum intorquētur.

Probatur ratione.

5 Probatur tandem ratione noſtra concluſio. Experimur ſolem, & reliqua aſtra de facto perpetuò moueri: ergo mouentur ſe ipſis, & à virtute motrice ſibi intrinſecè inhærente. Probo conſequentiam, ex eo quód experimur lapidem ſemper deorſum ferri; ignem ſurſum eleuari, aquamque refrigerare, euidenter concludimus dari virtutem intrinſecam horum effectuum operatricem; ſed experimur etiam, aſtra continuó moueri: ergo fatendum etiam neceſſarió eſt habere intrinſecam virtutem ad motum. Probo conſequētiam, quia nullum eſt efficax, aut euidens inconueniens, quod nos compellat negare hāc intrinſecam virtutem aſtris: alioquin dicamus lapidem ab Angelis deorſum ferri, ignē item Angelorum operà, tanquàm animam beatam, ad ſuperos euolare: quæ illationes, cùm ſint ridiculæ, cohærenter etiam negādæ ſunt in aſtris.

6 Probatur ſecundò, ſeu potiùs illuſtratur ampliùs hæc ratio: quia Deus tribuit lapidi virtutem intrinſecam ad ſuum motum rectum deorſum: ergò ſimiliter tribuit aſtris virtutem intrinſecam ad ſuum motum circularem. Probo conſequentiam, quia, cùm Deus non deficiat in neceſſarijs, propterea tribuit lapidi motum rectum deorſum ab intrinſeco, quia talis motus neceſſarius eſt lapidi ad ſui conſeruationem, vt, videlicet, acquirat ſuū locum naturalem: ſed etiam motus circularis neceſſarius eſt aſtris ad conſeruationem vniuerſi: ergo datur talis motus in aſtris ab intrinſeco.

7 Reſpondet quidam nimis frigidè, lapidi attributam fuiſſe virtutem illam ab intrinſeco, propter innatam inclinationem, quam habet ad ſui conſeruationem: aſtrorum verò conſeruationem non dependere ab illo continuo motu circulari, cùm hic motus non tam ſit à natura inſtitutus ad conſeruationem aſtrorum, quàm ad conſeruationem vniuerſi: ſed contrà, quia res omnes maiorem habent inclinationem ad conſeruationem totius vniuerſi, quàm ad conſeruationem propriam; hinc eſt, vt quamuis lapis naturaliter deorſum feratur, & violenter aſcendat, nihilominùs, ſi detur vacuum in aere, lapis aſcendat ad impediendum vacuum, ille enim motus ſurſum, qui ſimpliciter eſt lapidi violentus, fit naturalis propter naturalem inclinationem, quam habent res omnes ad conſeruandum bonum commune.

Probatur efficaciter.

8 Atque hinc deducitur efficax argumentum ad probandam noſtram concluſionem; nam, ſicut lapis mouetur ab intrinſeca virtute, vt vacuum impediat, propterea quòd motus ille conducit ad conſeruationem vniuerſi, quin indigeat extrinſeco motore; ſic aſtra mouebuntur ab intrinſeco, quia motus aſtrorum conducit ad conſeruationem totius vniuerſi; neque video maiorem aliquam rationem, quæ non poſſit faciliimé impugnari.

9 Confirmatur deinde noſtra concluſio: quia aſtra habent naturalem virtutem ad producendam lucem, calorem, & reliquas qualitates neceſſarias conſeruationi orbis: ergo non poteſt eſſe contra eorum naturam habere virtutem loco-motiuam, qua poſſint communicare rebus ſublunaribus has qualitates. Et declaratur, quia ſi Deus Soli, quem creauit ad illuminandum orbem, lucem non tribueret neceſſariam ad præſtandum hunc effectum, ſed ab extrinſeco illam haberet, procul dubio diceremus; Deū in neceſſarijs Soli defuiſſe: ergo ſimiliter cúm motus neceſſarius ſit aſtris ad præſtandos ſuos effectus, dicendum eſt, illum habere ab intrinſeco communicatum, ne videlicet dicere quis poſſit, aliquid neceſſarium aſtris defuiſſe.

10 Confirmatur tandem, quia ad pulchritudinem vniuerſi maximè conducit, quòd ſicut dantur aliqua corpora, quæ habent ab intrinſeco motum rectum (vt ſunt grauia, quæ ad centrum pergunt) ita etiam quòd dentur alia, quæ habeant motum circularem ab intrinſeco; & ſicut dantur alia, quæ perpetuam vendicant quietem: ita etiam quòd dentur alia, quæ motum ſubeant perpetuum.

Proponitur, ac reijcitur contraria, & communis ſententia.

Soluūtur contraria argumēta.

11 OBijcis tamen pro contraria ſententia, quæ tuetur cælos, ac proinde aſtra ipſa moueri non ab intrinſeco, ſcilicet à ſua forma, ſed ab intelligentijs: pro qua multos Patres refert Perer. tom. 1. in Gen. lib. 2. q. 5. quibus ipſe firmiter adhæret, conſentiunt Patres Conimb. lib. 2. de Cælo cap. 5. q. 5. ar. 3. vbi citant D. Dionyſ. D. Gregor. Aug. Pro eàdem ſententia ſtat Tolet. 2. Phyſ. q. 11. quam etiam ſequuntur illi omnes, qui tenent per motum cæli oſtendi poſſe dari intelligentias: Alenſis videlicet, Scot. Durand. Ægyd. quos citat, & ſequitur Bubal. de Angelis q. 50. ar. 1. §. 6. Idem tenent Alarcon. 1. p. tract. 6. d. 1. cap. 2. n. 7. & Arriaga in Curſu Philoſoph. diſp. vnica

Pereira. Patres Conimb. Dionyſ. Gregor. Auguſt. Toletus. Alenſ. Scotus. Durand. Ægydius. Bubal. Alarcon. Arriaga.

vnica de Cælo, ſect.5.§. *Propter authoritatem.*
D.Thom. Pro eadem ſententia citant D.Thom.de Potentia, q. 6. ar. 3. in hæc verba. *Fidei*, inquit, *ſententia eſt, quòd ſubſtantiæ ſeparatæ, ſiue Angeli moueant corpora cæleſtia &c.* laudant præterea
Bonau. D.Bonauent. in 2. diſt.14. art.3. q.2. vbi ſententiam hanc tam rationi, quam fidei conſentaneam vocat: atque his auctoritatibus perterrefactus P. Hurt.diſp.2.de Cælorum pro-
Hurtad. prietat.ſect.4.n.33. temerarium vocat eum, qui huic ſententiæ non ſubſcribat.

12 At enim bono animo eſſe poſſunt, qui noſtram ſententiam amplectuntur, quos ego perfacilè ab hac temeritatis calumnia liberabo; non enim temeraria dici poteſt, niſi illa doctrina, quæ vel eſt contra definitionē alicuius legitimi Concilij, vel contra expreſſum Scripturæ locum, vel contra communē Doctorum ſenſum: atqui nulla via ex prædictis conſtat, aſtra ab Angelis moueri: ergo &c. Maior eſt certa; minor probatur per partes: imprimis non conſtat ex definitione alicuius Concilij, ſiquidem neque ab aduerſarijs allegatur tale Concilium; deinde non conſtat ex aliquo Scripturæ loco expreſſo: quare meritò Alarcon citatus ſatis frigidum
Alarcon. Bubal. appellat noſtrum Bubalū, ex eo quòd ſummis viribus probare intendat angelorum exiſtentiam ex motu cælorum.

13 Obſtas: ex Iob.9. videtur conſtare,
Iob.9. cælum ab Angelis moueri, vt enim Dei potentiam exprimeret Sanctus vir, *Sub quo*, inquit, *curuantur, qui portant orbem &c.* quem locum de Angelis ipſi aduerſarij communiter interpretantur: nihilominùs tamen me-
Beda. Dydim. Caiet. Simach. Pagnin. Vatabl. liores interpretes Beda, Dydimus, Caietanus, Simachus, Pagninus, Vatablus, & alij Recentiores non de Angelis, ſed de Regibus, ac potentioribus Orbis Monarchis locum accipiunt; qui quamuis poteſtate ſua orbem humeris adtollere videantur, nihilominùs tamen diuinæ potentiæ, vel inuiti, faſces ſubmittunt venerabundi. Alij verò Dæmones, alij verò Gygantes accipiunt, de quorum numero maximus ille Athlas, qui

Axem humeris torquet ſtellis ardentibus aptum.

Virgil. Æn. 4. Pineda. De quibus videri poteſt noſter Pineda in Iob cap. 9. verſu 13. à n.2. Atque vt aduerſarios fortiùs vrgeamus, ſcire velim, vbinam gentium, orbem pro cælo accipi animaduerterunt?

14 Iam verò locus alter Mat. 24. nu.29.
Mat.24. qui ab aliquibus adducitur, nullatenùs fauet aduerſarijs: *Virtutes*, inquit Chriſtus, *cælorum mouebuntur &c.* nullus enim interpretum alicuius nominis de Angelis, qui cælos moueāt, locum intelligit, ſed de omnibus ſpiritibus beatis, qui in cæleſti curia diuino aſtant cōſpectui, qui tamen in aduentu diſtricti iudicis loco mouebuntur, vt Regi ſuo ad iudicandum terrarum orbem procedenti officioſè famulentur: & in hunc ſenſum locum explicant nobiliores interpretes.

15 Præterea non eſt temeraria noſtra hæc ſententia, ex eo quòd ſit contra communem Sanctorum Patrum ſententiam; auſim enim dicere nullum ex antiquis Patribus expreſſè aſſerere, cælum ab Angelis moueri, Dionyſ.
nec moror citari ab aduerſarijs D. Dionyſiū Auguſt.
cap.5. de cæleſti Hierarch. Auguſt. lib.3. de Gregor.
Trinit. cap.4. Gregor. lib.4. dialog. cap. 4. qui enim prædictos Patres allegant, aut illorum exemplaria nullatenùs legerunt, aut lecta nullatenùs intellexerunt, vel ſaltem intellectu pluſquàm Angelico indigebunt, vt ex prædictis Patrum locis eruatur, cælum ab Angelis circumferri.

16 Obſtare tamen videtur D. Thom. à Conimbr. allegatus, qui rem phyſicis rationibus demonſtratam putat, & ſententiam ſuā fidei clypeo videtur obarmare; citant enim hæc verba Sancti Doctoris de Potentia q. 6. ar.3. *Fidei*, inquit, *ſententia eſt, quòd ſubſtantiæ ſeparatæ, ſiue Angeli moueant corpora cæleſtia &c.* Verùm quamuis Doctor Angelicus pugnaret pro motu Angelico fidei conſentaneo, adhuc integrum nobis eſſet aſſerere ſuam hanc ſententiam de fide non eſſe: imprimis, quia non conſtat ex loco Scripturæ expreſſo, vel ex aliquo Concilio. Deinde quia prædicta verba non eruuntur ex partibus D.Thomæ, quas ſolùm Thomiſtæ irrefragabilis autumant veritatis. Præterea, quia lubricè, ac D.Thom. non ſtat cōtra me.
mendoſè citantur, nam verba D.Thom. loco citato in corpore articuli litera I. hæc ſunt: *Fidei autem*, inquit, *ſententia eſt, quòd non ſolùm corpora cæleſtia ſuo imperio moueant localiter, ſed etiam alia corpora, Deo ordinante, ac permittente &c.* Hinc autem ſolùm infertur, intelligentias potentiam habere ad mouenda corpora, Deo videlicet imperante, vel ſaltem permittente, quod nos fideliter admittimus.

17 Quòd ſi moderni magiſtri auctorum fontes, non riuulos conſectarentur, antiquatis opinionibus, quæ ſola flaccida auctoritate nituntur, non ita facilè adhærerent; neque tot tempeſtatum cumulos ſolo inani, ac ventoſo verborum murmure concitarent. Veniamus ad rationes.

18 Obijcis ergo primò. Motus localis ab Reſpōdetur rationibus contrarijs.
intrinſeco reperitur in corporibus propter acquiſitionem loci naturalis (vt cernitur in terra, vel aqua, quæ mouentur, vt acquirant locum naturalem in centro, quo acquiſito, non mouentur ampliùs, ſed quieſcunt) atqui aſtra non mouentur ad acquirendum aliquē locum:

Digitized by Google

locum: ergo &c. Probatur minor, quia imprimis nunquam quieſcunt: deinde, quia, cũ aſtra circulariter moueantur, omnes loci acquirendi ſunt eiuſdem rationis.

19 Reſpondeo imprimis non valere argumentum deductum ex rebus vnius eſſentiæ ad res alterius eſſentiæ; vnde bene poterant ignis, aqua, & terra habere rationem illam ſui motus ad acquirendum centrum, & tamen non valere in aſtris, quæ ſunt corpora alterius eſſentiæ: quaré non valet etiam hæc conſequentia, ignis calefacit, ergo & aqua: probent igitur aduerſarij eſſe aſtra eiuſdem eſſentiæ ſpecificæ cum terra, aut aqua, & tunc profectò facilè admittemus habere eandem motricem virtutem; cùm tamen habeant diuerſam eſſentiam, ſaltem ſpecificam, quid mirum, ſi vendicent alias diuerſas proprietates?

20 Deinde nego, quòd corpora, acquiſità naturali loci perfectione, non poſtulent adhuc naturaliter producere alios effectus; videmus enim aquam in ſuo naturali loco frigefacere: atque adeò bene poterunt aſtra moueri ad producendam lucem, quamuis nõ moueantur ad acquirendum locum alium perfectiorem: cùm igitur aſtrorum natura poſtulet lucem, & alias qualitates producere in rebus ſublunaribus, quamuis ſint in ſuo naturali loco, adhuc poſtulabunt ab intrinſeco moueri, non ad acquirendum locum naturalem, ſed ad producendam ſuam lucem, quæ requiritur ad conſeruationem rerum ſublunarium: præcipuè cùm ab hoc motu dependeat noctium, ac dierum viciſſitudo, ad cuius rei finem à Deo ſunt condita, iuxta illud Gen. 1. *Vt diuidant diem, ac noctẽ; & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, &c.* neque ideò quies erit aſtris violenta poſt diẽ iudicij. nam, ceſſante fine, ad quem mouetur, nempe mundi bono; ceſſabit etiam inclinatio ad motum.

21 Obijcis ſecundò. Si cælum ab intrinſeco moueretur; eſſet viuens, ſed hoc eſt falſum, vt dixi diſp. 43. ſect. 1. num. 1. ergo &c. Probatur maior, quia motus ab intrinſeco eſt ſignum vitæ, vt cernimus in animalibus, quæ intra ſe habent principium ſui motus. Reſpondetur ad maiorem, ſolum motum indifferenter verſus omnem partem eſſe ſignum vitæ; alioquin lapis, qui mouetur deorſum, diceretur habere vitam: vnde nihil colligit conſequentia. Nec video pro parte contraria rationes alias alicuius momenti. Atque hæc quidem, quæ pro noſtra ſententia attuli, videntur totum negotium conficere; quamuis aliæ prætereà rationes adduci poterant ex inconueniente; indecens enim videtur, nobiliſſimos ſpiritus ſingulos ſingulis aſtris ſeruiliter, tanquam famulos, alligari. Quam quæſtionem ideò pauló longiùs pertractaui, quia multi fuere aditus præcludẽdi, vt à cõmuni opinione, ſine omni ſcrupulo, diſcedere valeamus.

DISPVTATIO XXXXV.

De natura, luce, motu, figura, ac numero Aſtrorum.

EXPLICATIS his, quæ pertinent ad cælos in communi; accedit Philoſophus ad partes cæli, nempe ad ſtellas, quarum naturam inueſtigabo; lucem, ac motum inquiram, figuram rimabor; ac tandem, ſi potero, numerabo.

SECTIO I.

De natura, & effectibus Aſtrorum.

Planetæ differũt ab Aſtris, & inter ſe.

1 P*Rima concluſio.* Planetæ inter ſe, & ab aſtris differunt ſpecie: ita communis ſententia; pro qua etiam citari poſſunt D. Thom. de Cælo lect. 10. dub. 2. Mol. 1. p. trac. de Opere ſex dierum. diſp. 15. §. *Alij arbitrantur.* Rub. 2. de Cælo, cap. 7. q. 1. §. *Verior tamẽ:* vbi citat Fonſecàm, quo tamen iure ipſe viderit: quatenus omnes aſſerunt, aſtra eſſe diuerſæ ſpeciei à ſuo cælo, ex eo quód non ſint partes continuæ cum eodem cælo, quæ ratio à fortiori valet inter ipſos planetas, ſiquidem inter ſe, & ab aſtris realiter diſtinguuntur. D.Thom. Molina. Rubius. Fonſecã.

2 Probatur concluſio. Quia diuerſitas accidentium in rebus eiuſdem generis, arguit diuerſitatẽ ſpecificam: ſed planetæ inter ſe, & ab aſtris differunt ſpecie: ergo. Probatur minor, quia planetæ habent inter ſe diuerſos motus, diuerſam ue lucem: & idem cernitur

nitur in Planetis, ſi cum alijs aſtris comparẽtur, nam aſtra locum habent diuerſum à Planetis, aliaſque omnino diuerſas influentias: quæ accidentium varietas prouenire non poteſt à corporibus eiuſdem ſpeciei: vnde hæc eadem ratio militat inter aſtra ipſa, in quibus diuerſæ hæ proprietates deprehendantur.

3 Obſtas. Quæ habent eundem ſitum, & locum, videntur habere eandem ſpecificã naturam: ſed ſtellæ fixæ habent eundem locum: ergo & eandem naturam. Reſpondetur, maiorem veram eſſe, quando non dantur alia ſigna maioris diſtinctionis, vt re vera dãtur in aliquibus ſtellis firmamenti, in quibus dãtur diuerſæ influentiæ, neque ſola ratio eiuſdem loci ſufficit ad argumentum eiuſdem naturæ, alioquin dicamus, omnia corpora grauia, quæ pergunt deorſum, eſſe eiuſdem naturæ ſpecificæ.

4 Obijcis ſecundò. Si aliquod daretur indicium huius ſpecificæ diſtinctionis, eſſet maior lux, ac diuerſus calor, & motus, qui datur in planetis; cùm tamen hæc omnia ſint accidentia, arguunt ſolùm accidentalem diſtinctionem. Et confirmatur, quia vna aqua poteſt calefieri, & alia frigefieri, & tamen ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo licet in vno Planeta detur maior denſitas, vel maior lux, non dabitur diuerſitas ſpecifica. Reſpondetur, nos non aſſerere, dari ſpecificam diſtinctionem ſolùm propter diuerſa accidentia, ſed hinc arguimus quaſi à poſteriori hanc diſtinctionem. Quod additur de diuerſis accidentibus aquæ friuolum eſt, cùm ſint accidentia ab extrinſeco, nobis tamen ſermo ſit de accidentibus, quæ proueniunt ab intrinſeco: immó concedimus lucem planetarum eſſe accidens eiuſdem ſpeciei cum luce aſtrorum (ſiquam habent ex natura ſua non mutuatam à Sole) nihilominùs tamen, cùm alia accidentia ſint diuerſa, inde arguimus diſtinctionem ſpecificam. Ex quibus ſatis colligitur, Aſtrorum naturam eſſe diuerſam, non ſolú n à ſuo orbe, ſed etiam à ſuo epyciclo, quem, præter Solem, habent reliqui planetæ, in veteri opinione.

5 *Secunda concluſio.* Quilibet planeta habet ſuas peculiares influentias, & idem dicẽdum de reliquis aſtris. Hæc eſt communis inter Aſtronomos, & bene colligitur ex tradita doctrina; quæ enim habent diuerſam naturam, habent etiam diuerſos effectus: quod prætereá patet ex diuerſitate lucis, qua fulgẽt planetæ: hinc communiter aſſerunt Aſtronomi, Martem flauam bilem concitare; Saturnum melancholiam ciére; Lunam pituitam exaſperare; Solem verò, & Iouem ſanguini *Quilibet Planeta habet diuerſam influẽtiã.*

dominari. &c.

6 Idem aſſerunt de partibus humani corporis, exiſtimant enim, Solem cordi reſpondere, Martem felli, iecori Iouem, ori, & linguæ Mercurium, capiti veró Saturnum, & quod potiùs timendum eſt. Lunam etiam aliquorum capitibus prædominari. Affirmãt præterea viuentium ætates ſubeſſe planetis, nempe infantiam Lunæ, pueritiam Mercurio, adoleſcentiam Veneri, iuuentutem Soli, virilem ætatem Marti, ſenilem Ioui, ac tandem ætatem decrepitam Saturno. Quæ omnia, quamuis ex omni parte vera non ſint, probant nihilominùs diuerſitatem influentiarum. *Quo pacto hominibus aſtra dominentur*

7 Mitto prætereà plura, quæ de hac effectuum diuerſitate, non inconcinnè meditantur Aſtrologi, nam ſecundùm ipſorum ſententiam, qui ſub Ioue naſcuntur, felices; qui ſub Marte, vel milites, vel latrones euadunt; qui verò ſub Saturno, agelaſti ſunt, triſtes, torui, irriſibiles, & ad Trophonij antrũ meritò damnandi: Hinc illud Propertij lib. 4. eleg. 1.

Feliceſque Iouis ſtellæ, Martiſque rapaces, *Prop. lib. 4. Eleg. 1.*
Et graue Saturni ſydus in omne caput.

Eandem effectuum diuerſitatem attribuunt ſignis cæleſtibus. Vnde qui ſub Geminis, Libra, vel Aquario naſcuntur, ſunt inter ſe amici, ſic Manilius lib. 2. Aſtronomiæ,

Quoſque dabunt Chelæ, vel quos dat Aquarius ortus, *Manil. lib. 2. Aſtrono.*
Vnum pectus habent, fideique immobile vinclum:
Magnus erit Geminis amor, & concordia duplex.

Has ſtellas, quæ ortui pręſunt, Genethliacas appellant, immò aliqui exiſtimant, concurrere aſtra ad excitanda incendia, illuuiones, & clades, quæ longiùs proſequitur Lucanus lib. 1.

— — Summo ſi frigida cælo *Lucan. lib. 1.*
Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes,
Deucalioneos fudiſſet Aquarius imbres.
Si ſæuum radijs Nemæum, Phœbe, Leonem
Nunc premeres, toto fluerent incendia mundo,
Succenſuſq; tuis flagraſſet curribus æther.

Quæ omnia vtrùm vera ſint, an non, leuiter modò curo, nihilominùs tamen credit D. Thom. in 2. diſt. 19. q. 1. ſingulis ſpeciebus rerum ſublunarium reſpondere in cæleſti mundo peculiares virtutes, quibus foueantur, & conſeruentur: quæ quidem indicant diuerſitatem in aſtrorum influentijs: certum tamen omnino eſt, has influentias nihil poſſe agere directè in humanam voluntatem, vnde illud à ſapiente dictum ſapienter, *D. Thom.*

—— Sapiens dominabitur aſtris.

Quapropter cum Horatio lib. 2. Carm. Ode 17.

Securus

Hor. l. 2. Carm. Ode 17. Securus viuo,
Seu Libra, ſeu me Scorpius aſpicit
Formidoloſus, pars violentior
Natalis horæ, ſeu Tyrannus
Heſperiæ Capricornus vndæ.

SECTIO II.

De Luce, & Calore Aſtrorum.

Omnis Aſtrorum Lux eſt eiuſdẽ ſpeciei.

1 Prima concluſio. Omnis Aſtrorum lux, immò & lux elementaris eſt eiuſdem ſpeciei cum luce cæleſti: ita communis ſententia. Probatur ex effectibus lucis, qui ſunt ijdem. Confirmatur primò, quia quælibet lux intendit aliam, quæ autem ſe intendunt ſunt eiuſdem ſpeciei. Confirmatur ſecundò, quia quantitas cæleſtis, & ſublunaris ſunt eiuſdem ſpeciei. Solùm ergo diſtinguitur lux cæleſtis ab elementari, accidentaliter, & ſecundùm magis, & minùs, quod non variat ſpeciem: immò ſecundùm D. Thom. in 4. diſt. 44. q. 2 art. 4. ad 1. lux etiam corporum Beatorum eſt eiuſdem ſpeciei cum luce elementari: quapropter quamuis ex luce cæleſti proueniant diuerſi effectus à luce ſublunari, non ideò tamen diuerſitas ſpecifica inde arguetur, ſolùm enim ſumitur differentia ſpecifica ex effectibus immediatis, & primarijs (vt v. g. calor diſtinguitur per calefactionẽ, lux per illuminationem) alioqui ſi ſufficerent effectus vltimati, calor, qui diſponit ad generationem hominis, differret ſpecie à calore, qui diſponeret ad generationem Leonis, quod tamen à veritate longè diſtat. *D. Thom.*

2 Obijcis. Ex effectibus diuerſis arguimus diuerſitatem ſpecificam in Planetis: immò ex diuerſitate lucis colligimus, ſuperiori ſectione, diuerſitatem planetarum: ergo ſimiliter, propter diuerſos effectus lucis cæleſtis, & ſublunaris, diuerſitatem ſpecificam arguemus. Reſpond. ad antecedens, non ſolùm ex diuerſitate effectuum arguiſſe nos ſpecificam diuerſitatem in Planetis; ſed etiam ex alijs fundamentis, nempe ex alijs diuerſis accidentibus, & proprietatibus, quæ ſi hìc etiam militarent, haberent eandem vim reſpectu lucis. Eſt igitur diuerſitas effectuum, & accidentium (immò & diuerſitas accidentalis in luce, ſpecialiſque eius intenſio poſtulata à natura vnius aſtri, & non ab alio) optimum indicium diuerſitatis ſpecificæ, ſed non ſufficit, præcipuè quando effectus primarius eſt idem, vt hìc accidit, nam illuminatio eſt eadem in omni luce, tam cæleſti, quàm ſublunari.

3 *Secunda concluſio.* Tam ſtellæ fixæ, quàm reliqui planetæ lucem à Sole mutuantur, quãuis ex ſe habeant aliqualem, eamque malignam. Prima pars manifeſta eſt ex Luna, quæ pro diuerſitate aſpectus Solis, in luce variatur. Secunda pars conſtat in Lunæ defectu, quæ quamuis tunc non illuminetur à Sole, aliquid tamen lucis exiguæ oſtendit: quæ lux ideò non apparet in nouilunio, quia nimia Solis luce obſcuratur: & idem dicendum eſt de reliquis Planetis, qui non ita dependent à Sole, ſicut Luna. *Omnis lux à Sole dimanat.*

4 Aduertendum verò eſt, nullum ſydus ſupra Solem pati ecclypſim interiectu terræ, quia non poteſt vmbra terræ eò pertingere, nam in cuſpidem attenuata paulatim euaneſcit, & propterea non videmus in Planetis ſupra Solem eam varietatem, quam cernimus in Luna, quia ſemper eodem modo à Sole illuſtrantur, neque habent erga nos eam lucis diuerſitatem, quam habet Luna, quæ eſt infra Solem; in planetis vero inferioribus, qui ſunt infra Solem, nempe in Venere, ac Mercurio, non dantur ecclypſes interuentu terræ, quia non ita ſeparantur à Sole, vt poſſint, obiectu vmbræ terræ, priuari luce ſolari. Nihilominùs tamen Venus, & Mercurius habent eandẽ lucis varietatem, quam in Luna experimur, pro diuerſitate lucis, quam à Sole mutuãtur, ſicut cernimus in Luna: licet hæc diuerſitas lucis in planetis non ita facilè deprehẽdatur, niſi aliquibus Mathematicis inſtrumentis. At verò Lunæ maculæ proueniũt ex diuerſa denſitate, & raritate partium Lunæ: vnde partes denſiores plus luminis recipiunt, & reflectũt, partes verò rariores nõ ita, quia præbent trãſitum faciliorem radijs ſolaribus.

Quomodò lux, & motus ſint cauſæ caloris?

5 *Tertia concluſio.* Lux eſt cauſa caloris: ita cõmunis ſententia cum Ariſtotele 1. Meteor. c. 3. quod nõ ita intelligendũ eſt, vt lux ſit formaliter productiua caloris, hoc enim falſũ eſt, cùm lux formaliter ſolũ producat aliã lucẽ per illuminationẽ, ſed dicimus lucẽ vi ſua cõſequẽter producere calore, quãuis formaliter producit aliã lucẽ. Hæc concluſio ſatis experiẽtiã ipſã manifeſtatur, experimur enim ſublunaria Solis luce calefieri; & idem videre eſt in alijs luminoſis; vnde teſtatur Ariſtoteles 4. de partibus animaliũ cap. 5. noctes pleniluđij tepi- *Ariſtot.*

Digitized by Google

tepidiores eſſe, eó quòd Luna maiorem lucẽ tunc temporis emittit.

6 Obijcis primò pro contraria ſententia, quam ſequitur Durand. in 2. diſt. 14. q. 1. Multa corpora producunt ex ſe lucem; & tamen nullum emittunt calorem, vt patet in gẽmis: ergo &c. Reſpond. lucem de ſe aptam eſſe ad producendum calorem, ſed propter ſubiectũ, in quo eſt, vel propter exiguitatem ipſius lucis, non ſentiri calorem.

Durand.

7 Obijcis ſecundò. Calor eſt vna ex primis quatuor qualitatibus: ergo non poteſt ab alia qualitate, nempe à luce, ortum habere. Iam enim non eſſet prima qualitas, ſed ſecunda, ſiquidem ab alia ortum haberet. Reſpondetur ad conſequentiam, calorem non per ſe, & formaliter, ſed veluti conſequenter à luce prouenire, quod nullum eſt inconueniens, ſicut etiam ſiccitas, quæ eſt qualitas prima, cõſequenter prouenit à calore.

Quo pacto motus ſit cauſa caloris?

8 *Quarta concluſio*. Motus eſt cauſa caloris, ita communis ſententia, duce Ariſtotele in hoc cap. 7. & probatur etiam experientijs, videmus enim ex corporum exercitatione, & motu locali, calorem in corporibus excitari; & ſimiliter aquam, & aerem aſſiduo motu calefieri: quod, vt ſuprá, intelligendum eſt (neque enim dicimus motum localem eſſe formalem productionem caloris, ſolùm enim producitur calor per calefactionem, motus autem localis non eſt formaliter calefactio, ſed eſt tãtùm formalis productio ſui termini localis, ideſt ſuæ præſentiæ, vel Vbi.)

9 Neque obſtat huic veritati, quód aliquando aer flabello motus non calorem, ſed frigus importat, nam hoc per accidens eſt, & non ratione motus, ſed quia aer, qui nos ambiebat, & contactu noſtro erat calefactus, per flabelli motum aliò diuertitur, & conſequenter alter de nouo aer frigidior inducitur eius loco. Tota difficultas eſt in aſſignando modo, quo motus calorem producat: in qua dicendum exiſtimo, motum localem in animalibus eſſe cauſam caloris, quatenus per occaſionem lationis maior copia ſpirituum vitalium, & animalium ad extenſas partes erumpit, mediante enim motu locali, aperiuntur pori, relinquuntque maiorem viam ad exitum ſpirituum vitalium, quibus animal vtitur, etiam ad motum exequendum; cùm igitur huiuſmodi vitales ſpiritus calidiſſimi ſint, fit, vt eorum interuentu, partes externæ animalis calefiant; & ecce quomodò in animalibus motus eſt cauſa caloris.

10 In alijs rebus inanimatis motus hoc pacto eſt cauſa caloris: Aer eſt calidus in excellenti, vt modò ſuppono, & deinde eſt valdè rarus, nihilominús tamen continua permixtione vaporum, & exhalationum terreſtrium multum habet frigiditatis, & denſitatis; cùm igitur ex attritu duorum corporum, qui fit per motum localem, aer in medio intercipiatur, & atteratur, ſeparantur, & expelluntur ab illo medio partes craſſiores, & frigidiores, quas imbibit aer coniũctione, ac vicinitate terræ, & aquæ, relinquũtque tenuiores, & rariores partes, quæ relictæ in ſuo naturali ſtatu ſunt calidæ, & ita motus cauſa fuit caloris.

11 Accedit, quòd ipſa etiam corpora, quæ atteruntur, ex ſe habent non parum caloris, (licèt hic calor permixtus ſit nimia frigiditate in partibus craſſioribus) attritu verò alterius corporis diuiduntur partes craſſiores, in quas fortiùs agit corpus occurrẽs, manẽtq; proinde aliæ partes, quæ commodiores ſunt ad calorem recipiendum; & hic modus philoſophãdi probabilior videtur, quàm qui affertur à Conimbr. 2. de Cælo, cap. 7. q. 6. art. 2: qui aſſerunt per motum induci raritatem, quam raritatem ſequitur calor: adhuc enim reſtat aſſignanda ratio, cur raritas ſit cauſa caloris. Deinde cùm calor ſit prima qualitas, non debet ortum habere à qualitate ignobili, qualis eſt raritas: quod inconueniens non cernitur in luce reſpectu caloris, ſiquidẽ lux qualitas eſt nobiliſſima.

Patres Conimb.

SECTIO III.

De motu, & figura Aſtrorum.

1 IVxta communem, ac veterem ſententiam, aſtra mouentur ſimul cũ ſuis orbibus: aſſerũt enim eſſe aſtra affixa ſuis orbibus, ſicut ſunt nodi in tabula: quia alioquin, inquiunt, ſi aſtra, ſuis orbibus immotis, mouerentur, vel cælos permearent, nullo interim à tergo relicto corpore, & tunc daretur vacuum; vel aliquo relicto corpore; & tunc cæli non eſſent incorruptibiles, ſiquidem tot ſciſſionibus paterent. P. Hurtad. diſ. 2. de Cælo. ſect. 1 nu. 9. tribuit cælis diuerſas cauitates, & canales, quos vocat quaſi fornices, arcúſque triumphales, per quos errant planetæ, & quaſi triumphant dum pulchritudinem ſuam ambitioſé oſtentant, ſed ſtatim lis hæc dirimetur, & de hac opinione glorioſiùs triumphabimus.

Quo pacto mouẽtur Aſtra iuxta veterẽ opinionem.

Hurtad.

2 Iuxta eandem communem, & antiquatam opinionem, omnes ſphæræ cæleſtẽs circumagũtur motu primi mobilis, qui fit ab oriente

Digitized by Google

oriente in occaſum, ſuper duos mundi po-los: ſunt autem poli *extrema puncta axis, ſeu lineæ imaginariæ, quæ ab Aquilone in Auſtrum deducitur*; ſupra quem axem fit hæc continua rotatio. Aſtra deinde firmamenti nullum alium habent motum peculiarem, præter motum ſui orbis: Planetæ verò mouentur ad motum ſui orbis deferentis, & præter hunc motum habēt peculiarem alium motum ſuorum Epyciclorum: propterea verò dicuntur planetæ ſydera errantia, quia feruntur diuerſa latione à ſuo orbe totali, per motum ſcilicet ſui orbis partialis eccentrici. Quamuis autem Planetarum Orbes ſint in eiſdem polis Zodiaci, tantam vendicant motuum, & aſpectuum varietatem propter diuerſam poſitionem ſuorum orbium eccentricorum, & concentricorum.

Quid ſint poli

3 In hac præterea doctrina omnes ſphæræ, infra primum mobile, circumaguntur motu ſibi proprio ab occaſu in ortum: quod ita intelligendum eſt, vt non dicamus habere planetas omnes eandem omnino viam ab occaſu in ortum, at ita percipiendum eſt, vt hic motus ſit veluti genericus, quilibet enim planeta ſuam habet peculiarem varietatem in motu ab occaſu ad orientem, propter diuerſas poſitiones ſuorum orbium, quod vtrūque probant experientiâ, qua deprehēdimus Solem, & reliquos planetas non ſeruare perpetuò inter ſe eandem conjunctionē, & proportionem.

4 Aduertunt verò prædictæ opinionis auctores, non ſolùm primum mobile ſecum deferre orbes inferiores, ſed etiam nonam ſphæram v. g. ſecum etiam lentiſſimo ſuo gradu deferre octo inferiores ſphæras, & ſic de cæteris, quia videlicet omnes totales orbes ſunt concentrici inter ſe, quod tamen nō tollit quominùs quilibet planeta habeat motum ſuum peculiarem, quem non communicat orbibus inferioribus, quia eius ſphæra deferens eſt eccentrica.

Quid dicendū iuxta nouā, & veriorem ſententiā.

5 Hæc ſecūdùm antiquam opinionem, faciliùs tamen meo iudicio Recentiores Mathematici philoſophantur, qui imprimis admittunt omnia aſtronomica phenomena, in quibus auctores iſti fundantur, nihilominùs tamen, cùm cælos admittant fluidos, & immobiles, conſequenter docent, aſtra nullum habere motum ab Occaſu in Ortum, ſed ſolùm ab Oriente in Occidentem; atque vt oſtendant quo pacto aſtra exeunt à punctis cæleſtium circulorum, & quomodò retardātur, lentiùſque perueniunt ad punctum circuli Meridiani, vel Orizontis, neceſſarium nō eſt confugere ad motum raptum, & naturalem.

6 Sed ſufficit loco orbium ſolidorum confingere circulos quoſdam imaginarios (quales in materiali ſphæra cernimus) tunc verò ſignum, ſeu punctum, in quo aſtrum hodie rotari incipit, perficit rotationē ſuam indiuiſibiliter in ſpatio viginti quatuor horarum æquinoctialium: aſtrum verò ipſum lentiùs exequitur ſuum curſum, quia eius motus tardior eſt, quàm motus ille imaginarius ſignorum, & circulorum; facilè verò hoc deprehenditur exemplo adducto rotæ, ac muſcæ, vel formicæ, ſi enim hæc mouetur ſupra, aut infra circunferentiam rotæ, quæ vertitur ab oriente in occaſum per eandem viam, ſed minori velocitate, quàm rota ipſa, manifeſtum eſt, tardiùs quàm rotam ipſam ſuum curſum perficere: quamuis igitur in re ipſa non dentur primum mobile, nec motus orbium adeò intricatorum, bene deprehenditur quo pacto aſtrum ſe mouens ab oriente in occaſum motu tardiori plus tēporis inſumit in hac rotatione, quàm pūctum circuli à quo exijt; donec tandem punctum illud imaginarium iterum aſtrum ſuum conſequatur.

7 Circa figuram Aſtrorum conſtat imprimis, Lunæ figuram eſſe ſphæricam, primò, quia dum eſt in ecclypſi ſolari, planum, & ſuperficiem ſolarem ita ſecat, vt lucem habeat circularem, non verò quadratam, aut pyramidalem. Secundò probatur ex modo, quo apparet, quando vel augetur, vel minuitur, ſiquidem repræſentat lucem figuræ circularis, quod fieri non poteſt, niſi Luna corpus vendicet ſphæricum: & ex his argumentis probatur à Geometris terræ figuram ſphæricam fore. Quæ ſit Aſtrorum figura.

8 Atque hinc benè infertur, reliqua aſtra figuram ſphæricam vendicare, ſiquidem ſunt corpora perfectiora, quàm terrā, vel Luna. Confirmatur, quia quodlibet aſtrū in quauis diſtantia figurā ſphæricā oſtentat; & quamuis aſtra circularem habere figuram vulgò iudicentur, nihilominùs tamen in optica demonſtratur corpora ſphærica propter magnam diſtantiam apparere tanquàm plana circulorum.

9 Confirmatur, quòd figurā ſphærica perfectior ſit, non ſolùm quia ſimplicior eſt, & capacior, ſed etiam accommodatior eſt ad conſeruationem corporum, quia in hac figura magis intra ſe partes vniuntur, & ideò hæc figura ab omnibus corporibus procuratur, vt cernimus nō ſolùm in elemētis, ſed etiā in mixtis, ſic arborum trunci, animantium capita, & reliquæ partes, quantùm fieri poteſt, rotundantur. Confirmatur præterea, quia aſtrorum munus peragitur continua

 rota-

Digitized by Google

rotatione, ad quem motum figura rotunda, & globoſa eſt ſuperquàm accommoda.

10 Quia tamen cernimus in Luna tubi optici miniſterio eius ſuperficiem admittere montium, Valliumque inæqualitates, hinc modernus quidam eaſdem vallium depreſſiones, montiúmque altitudines in alijs aſtris meditatur. Nihilominùs non bene inferuntur illationes ex Luna ad reliqua aſtra, cùm ſint diuerſæ naturę ſpecificæ; hinc eſt, quód ex eo quód Luna ſit minor, quàm terra, & Zodiacum ſpatio vnius menſis percurrat, nō bene hinc infertur, eaſdem has proprietates aſtris alijs conuenire.

11 Reſoluo igitur, nihil in hac re certum reſolui poſſe, propter aſtrorum à terra longitudinem, nihilominùs tamen rationi magis conſentaneum eſſe, aſtrorum ſuperficiem leuem, ac politam non eſſe, ſed aſperam ac inæqualem, in quibus vallium concaua, & montium confraga contemplemur; talis enim figura, vt in optica docetur, aptior eſt ad lucem recipiendam, & reflectendam. Ab hac regula excipitur Sol Aſtrorum princeps, & mundi oculus, qui cùm lucem ab alio non mutuetur, ſed potiùs alijs præſtet, nō indiget hac inæqualitate: immò cùm lucem, quam in ſe habet, in alia corpora eiaculetur, opacus non eſt, ſicut reliqua aſtra lucem reflectētia, ſed diaphanus, pellucidus, ac totus à luce permeabilis.

SECTIO IIII.

De numero, magnitudine, & celeritate Aſtrorum.

Nō poteſt aſſignari certus ſtellarum numerus.

1 Certum ſtellarum numerum præfigere non opis eſt noſtræ, ſiquidem in ſacra pagina tanquàm impoſſibile proponitur, ſtellarum, arenarumque multitudinem numerare: atque ideó ſemper temerarij iudicati ſunt Auctores illi, qui contendebant, ſolas dari in firmamento mille ac viginti duas ſtellas, cùm tamen Mathematicis inſtrumentis, multæ aliæ in via lactea, & in alijs partibus cæli ſint deprehenſæ. Qua etiam in re ſatis fuit illiberalis Tycho, diligentiſſimus alioquin ſtellarum obſeruator, qui ſolas ſeptuaginta, cum paucis alijs addit antiquorum temerario numero, cùm tamen poſſet confidenter addere millia ſeptuaginta.

Diuidūtur Aſtra.

2 Diuiduntur communiter ſtellæ inerrantes in ſex præcipué claſſes, prima continet ſtellas quindecim primæ, vt vocant, magnitudinis: Secunda claſſis ſtellas numerat 45. quæ dicuntur ſecundæ magnitudinis, ſiue ſecundæ nobilitatis: tertia differentia, ſiue claſſis habet ſtellas 208. quæ appellantur tertiæ nobilitatis: quarta claſſis continet ſtellas 474. quæ dicuntur quartæ magnitudinis: in quinta ſunt 217. quæ ſunt quintæ magnitudinis: in ſexta 49. quæ ſextæ magnitudinis nūcupantur, & adiunctis prætereà quinque ſtellis, quas vocant nebuloſas, & nouem, quæ appellantur obſcuræ, completur numerus ille ſupradictus, vltrà quem aliqui non admittebant plures ſtellas.

Quid, & quæ ſint conſtellationes?

3 Efficiunt verò hæ ſtellæ varias conſtellationes; eſt autem conſtellatio *certus ſtellarum numerus effigiem aliquam, vel imaginem alicuius animalis, aut alterius rei repræſentans.* Præcipuæ conſtellationes ſunt duodecim illa ſigna notiſſima, quæ per Zodiacū diſtribuuntur, quæ his carminibus continentur:

Signa Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenēs, Caper, Amphora, Piſcis.

Prima imaginum Zodiaci eſt Aries, aliter Veruex, Iuppiter Ammon. Secunda eſt Taurus, aliter Io, ſiue Iſis, Bos, Portitor Europæ; eſt hæc pulchra quidem conſtellatio, & vt canit Virgilianus Vates 1. de Partu

Sanaz. li. 1. de Partu Virg.

—— Non altera cælo
Dignior, imbriferum, quæ cornibus inchoet annum.

Tertia eſt Geminorum, aliàs Caſtor, & Pollux, aliàs Ledæi iuuenes, Ledæum ſydus; ab Statio lib. 3. Sylu. dicuntur Oebalij fratres; ab Horat. lib. 1. Od. Fratres Helenæ. Quarta eſt Cancer, aliàs Cammarus. Quinta eſt Leo, Herculeius, Cleonæus, Nemæus. Sexta eſt Virgo, aliter Aſtræa, Erigone, Iuſta, ſeu potius Iuſtitia, de qua Poeta magnus,

Statius. Horat.

Virg. Georg. 2.

—— Extrema per illos
Iuſtitia, excedens terris, veſtigia feſſit.

Septima eſt Libra, aliter Iugum, Arato. Octaua eſt Scorpius. Nona eſt Sagittarius, aliàs Arcitenens, Croton, Chiron, Eumenes. Decima eſt Capricornus, aliàs dicitur à Poetis Neptunia proles, Caper imbrifer, Corniger, &c. Vndecima eſt Aquarius, aliàs Deucalion, Ganymedes, Ariſtæus, Cecrops, Fuſor aquæ. Duodecima, & vltima Zodiaci eſt piſcium duorum.

De

De Conſtellationibus extra Zodiacum.

Numerantur cõſtellationes Boreales.

4 EXtra Zodiacum aliæ ſunt imagines, ſiue Conſtellationes Boreales; aliæ verò Auſtrales, quas etiam his quaſi verſibus compoſui, vt commodiùs memoriæ traderentur. Priùs igitur proponã conſtellationes ſeptentrionales, quia tamen Metricus numerus non admittit eundem ordinem, quem ſeruant inter ſe, numeris ſignabuntur, ſecundùm ordinem, quo in cælo apparent.

1 2 4 3 6 5
Vrſa minor, Maior, Cepheus, Draco, Gemmaque, Cuſtos,
7 9 17 8 10
Alcides, & Olor, Delphin, Lyra, Caſsiopæa,
11 20 21 23 12 18
Perſeus, Andromeda, Triquitra, Coma, Auriga, Caballo,
19 16 15 22 13 14
Rictus equi, Vultur, Telum, Puer, Anguifer, Anguis.

Prima Borealis imago eſt Vrſa minor, aliter Cynoſura, Septentrio, Arctos minor. Secunda eſt Vrſa maior, aliàs Lycaonia Parthaſis, Mænalis, Arctos maior, Helice de his Ouid. *Ouid. 3. Faſt.*

Eſſe duas Arctos, quarum Cynoſura petatur
Sidonijs, Helicen Graia carina notat.

Hæ, quia ſemper circa polum Borealem apparent in noſtro hemiſphærio, dicuntur à Virgilio, *Virg. Georg. 1.*

—— Metuentes æquore tingi.

Tertia eſt Draco, aliàs Serpens, Heſperidum Cuſtos, Anguis. Quarta eſt Cepheus, aliàs Flammiger incenſus, Sonans Iaſides, Phicares. Quinta eſt Bootes, ſiue Arctophilax, Bubulcus, Clamator, Arcas, Lycaon, Plauſtri cuſtos. Sexta eſt Gemma, ſiue Corona Borealis. Septima eſt Hercules, aliàs Engonaſi, Incuruatus in genu, Alcides, Prometheus. Octaua eſt Lyra Apollinis, aliàs Orphica, Vultur cadens, Teſtudo, Cithara. Nona eſt Cygnus, aliàs Olor, Myrtilus, Gallina, Ledæ adulter. Decima eſt Caſſiopæa, aliàs Caſſiepea, dicitur à Iuuenali Cathedra mollis. Vndecima eſt Perſeus, aliàs Cyllenius, Caput Meduſæ, aut Gorgonis. Duodecima Auriga, aliàs Aurigator, Cuſtos caprarum, Erictheus, vel Erichthonius. Decimatertia, Anguifer, aliter Serpentarius, Anguitenens, Serpentis lator, Ophiuchus.

5 Decima quarta figura eſt Anguis, aliter Serpens Ophiuchi, Coluber. Decimaquinta Telum, aliter Sagitta, Iaculum, Arundo. Decima ſexta Vultur, ſiue Aquila, aliter Iouis ales, Vultur vocans, Ganymedis raptrix, Græcis Ἀετός. Decima ſeptima Delphinus, aliter Amphitrites, Vector Anonis. Decima octaua, Equus prior, ſiue Equuleus, Equus minor. Decima nona, Rictus equi, ſiue Equus dimidiatus, Pegaſus, Gorgoneus, Meduſæus, Equus maior, poſterior. Vigeſima, Andromeda, aliàs Mulier catennata. Vigeſima prima, Triangulum, aliter Tricuſpis Nilus. Reſtat Puer, ſiue Ganymedes, aliàs Antinous: ac tandem vltima, quæ dicitur Coma Berenices, de quibus latè Tycho Brahe in Aſtronomia inſtaurata, vbi etiam agit de Conſtellationibus, quæ deprehenduntur ex nebuloſis ſtellis cõpoſitæ, quas etiam hoc verſu perleges, *Tycho Brahe.*

Eufrates, Iordanus, Apis, Tigris, atque Camellus.

Imagines verò Auſtrales his carminibus concluſi, *Quæ ſint Auſtrales Conſtellationes.*

1 3 4 2
Cetus, & Eridanus, Lepus, & nimboſus Orion.
5 6 7 11 9
Syrius, & Procyon, Argoratis, Hydraque, Crater,
10 8 12 13 14 15
Coruus, Centaurus, Lupus, Ara, Coronaque, Piſcis.

Prima igitur dicitur Cetus, vel Cete, aliàs Draco, Vrſus marinus, Bellua, Ballena, Piſtrix. Secunda dicitur Orion, Hyriades, Armatus, Gygas, Bellator fortis, eſtque ſpectatiſſima hæc conſtellatio, quam ille alius apud Virgilium contemplabatur.

Armatumq́; auro circumſpicit Oriona. *Virgil. Æn. 3.*

Tertia eſt Eridanus, vel Padus, aliàs Nilus, Fluuius, Oceanus, Gyon. Quarta Lepus, aliter Leuipes. Quinta eſt Canis maior, Syrius, Lælaps. Læthalis dicitur ab Statio lib. 2. Sylu.

Illos implacido Lethalis Syrius igne &c. *Stat. lib. 2. Sylu.*

Sexta eſt Canis minor, aliàs Canis Orionis, Procyon: dicitur à Plinio Canicula: dicitur à Virgil. Æſtifer, ab Horatio fragrans, & alibi rabioſa,

—— Fugis rabioſi tempora ſigni. *Hor. Sat. 6. lib. 1.*

In eius enim exortu canes in rabiem agitantur. Septima eſt Argos nauis, aliàs Arca Noæ; dicitur à Catullo Currus volitans: Octaua eſt Centaurus, Chiron, Phillyrides, Semifer, Minotaurus. Nona eſt Crater, Vrna, Patera, Calix, Poculum. Decima eſt Coruus. Vndecima eſt Hydra, Hydrus aquaticus, Coluber, Anguis ſublimatus. Duodecima eſt Lupus, aliàs Beſtia, Quadrupes, Equus maſculus. Decimatertia eſt Ara, Lar, vel Thuribulum. Decimaquarta eſt Corona Auſtralis, aliàs Rota Ixionis. Vltima imago Auſtralis eſt Piſcis, Notius Capricorni: ab alijs dicitur Piſcis magnus, & ſolitarius.

Digitized by Google

6 Hæ ſunt conſtellationes, quas veteres Aſtrologi explicarunt: Recentiores alias adiungunt, quas ſic faciliùs percipies, his carminibus incluſas:

Gallus, Monoceros, Phænix, Crux, Muſca, Sagitta,
Hydrus, Chryſophyris, Trigonon, Apis Inda, Columba,
Indica Pica, Camæque Leon, Grus Indus, Hyrundo.

Hæc de Aſtris, & de Conſtellationibus firmamenti, in quo etiam aduertendum eſt, dari magnam quandam conſtellationem, de qua ſic Ouid. 1. Met.

Ouid. 1. Met. 1. *Eſt via ſublimis, cælo manifeſta ſereno,*
Lactea nomen habet, candore notabilis ipſo.

De ea melior fert opinio eſſe multitudinem aliquã ſtellarum minimarum; de qua diſſero in Meteor. Hæc circa ſtellarum numerum: nobis vtinam detur aliquando Cæli penetrale intueri, atque ibi

Sannaz. lib. 1. de Part. *— Stellas numerare licebit,*
Surgentemque diem pariter pariterq; cadentem
Sub pedibus ſpectare. —

De magnitudine Stellarum,

7 Circa magnitudinem fixarum, valde magnifici fuerunt veteres Aſtronomi, affirmabant enim ſtellas ſextæ, ideſt infimæ magnitudinis, habere magnitudinem octies, vel decies ampliorem totâ terrâ. Igitur vt communes hodie hac de re opiniones proferam, aſſero, omnes ſtellas primæ magnitudinis comprehendere vniuerſum Orbem terræ, mariſque vicibus octoginta, & octo, & ſic cum proportione de reliquis dicendum: at veró ſtellæ infimæ magnitudinis non excedunt magnitudine ſua tertiam partem Orbis terræ. Hæc moderni Mathematici demõſtrant duce Tychone, in his autem rebus teſte Ariſtotele, magis credendum eſt Mathematicis,

Ticho.

De Planetis adnotatio breuis.

8 Circa Planetas paucula ſunt reponẽda. Primũ igitur, infimum, terriſque amicum, & vicinum ſydus eſt Luna, quæ curſum ſuum peragit diebus viginti ſeptem, horis octo. Sequitur deinde Mercurius, qui Solem indiuiduo iunctus conſortio ambit, & propterea eodẽ fere tempore curſum ſuum cum Sole abſoluit: poſt Mercurium Venus procedit, & eodem fere temporis ſpatio, cum Sole periodũ ſuam conficit: admiranda verò nobis Teleſcopij operâ de Venere innotuerunt, nam iuxta diuerſum modum, quo à Sole illuminatur, diuerſo etiam modo præfulget, primó corniculata, deinde dimidiata, poſteà gibboſa, ac demum plena. Sol deinde ſequitur, qui proprium motum complet per Zodiacũ diebus 365. horis quinque: minutis 49 Mars ſupra Solem eleuatur, circulum ſuum perficit duobus fere annis; ſupra Martem communis Aſtronomorum ſententia Iouem conſtituit, quia minorem exhibet parallaxem, quàm Mars, maiorem tamen, quàm Saturnus: ad idem ſignum à quo egreditur, reuertitur annis ferè duodecim. Septimum tandẽ locum obtinet Saturnus, duobus paruis ſtipatus comitibus, qui cum eo in linea Æquatori parallela conſtituuntur: Hic proprium motum conficit trigintà fere annorum decurſu.

De varietate diſpicienda in Venere.

9 Hæc ſufficiunt viro Philoſophico circa cælorum, ſtellarumque notitiam, de reliquis adeundi ſunt Mathematici: quód ſi hæc paucula minùs rectè, quam volebam, dedi, quid mirum, non omnibus datum eſt, vt cum poeta dicam:

Solũ ſcire modũ, & quantò minor orbita Lunæ eſt, Manil.
Scire vias etiam ſignorum, & tradita iura,
Quo rubeat Phœbe, quo frater palleat igne.

LIBER

Digitized by Google

LIBER III. ET IV.

DE CÆLO, ET MVNDO.

DISPVTATIO XXXXVI.

De quatuor elementis.

E CÆLESTI mundo ad elementarem iterum deſcendimus regionem, de quatuor elementis breuiter acturi, poſtquàm enim Ariſtoteles egit de vniuerſo mundo, & deinde de Cælo in particulari: modó diſputat de reliquis corporibus ſimplicibus, quatenus ſunt grauia, & leuia, motuſque habent iuxta ordinem Vniuerſi. Sunt autem elementa quatuor, videlicet Ignis, Aer, Aqua, & Terra, quæ vltima eſt inter elementa (*cui tamen vni rerum parti*, vt Auctor eſt Plinius lib. 2. cap. 63. *eximia propter merita, cognomen indidimus maternæ venerationis &c.*) Quæ quidem inter omnia elementa mitior, & benignior, *Aqua enim*, vt proſequitur idem Auctor, *ſubeunt in imbres, rigeſcunt in grandines, tumeſcunt in fluctus, præcipitantur in torrentes: Aer denſatur nubibus, furit procellis; At hæc benigna, mitis, indulgens, in vſuſq; mortalium ſemper ancilla &c.*

Plinius.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex elementum?

Definiuntur elementa.

1 PRima concluſio. Elementum *eſt corpus ſimplex, in quod alia corpora reſoluuntur.* Dicitur, *Corpus ſimplex*, quia imprimis non eſt ſola materia, & forma, quia hæ propriè non ſunt corpora, ſed partes corporis. Dicitur præterea *id, in quod cætera corpora reſoluuntur*, quia corpora mixta reſoluuntur in elementa; cùm enim corpora mixta conſtent elementis, tanquàm ex partibus, ideò neceſſe eſt vt reſoluantur mixta, vnumquodque ſiquidem reſoluitur in eas partes ex quibus componitur.

2 *Secunda concluſio.* Elementa ſunt numero quatuor. Probatur, quia corpora ſimplicia ſunt tantùm Ignis, Aer, Aqua, & Terra; ergo &c. Confirmatur primò experientiâ. Confirmatur ſecundò ex quaternario numero primarum qualitatum, quæ cùm ſint proprietates corporum ſimpliciũ, ſic vt ex earum permixtione corpora mixta emergunt, ita ex earum numero bene colligitur numerus elementorum. De Igne, de quo poterat eſſe aliqualis difficultas, probatur in ſpeciali, quia ſummus calor alicui corpori ſimplici debetur: atqui non eſt Aeri, qui eſt ſummè humidus; non Aquæ, quæ eſt ſummè frigida; non etiam Terræ, quia hæc cum ſiccitate ſumma habet aliquid frigiditatis: ergo debetur igni.

Diuiduntur.

3 *Tertia concluſio.* Inter elementa Ignis nobilior eſt: probatur tam ex loco eminentiori ſupra cætera elementa, quàm ex calore, qui eſt eius proprietas, & inter primas quatuor qualitates continet primarium locum, vt patet ex maiori actiuitate: quæ duo fundamenta maiorem habent vim, quàm ea, quæ pro maiori nobilitate Terræ, aut Aeris afferri poſſent, de quibus eruditè Patres Conimb. 3. de Cælo. cap. 5. q. 2. Vnum illud aduertendum eſt, Ignem ſcilicet ſolùm extra ſuam ſphæram egére materia combuſtibili, dum enim eſt in propria ſphæra nullum habet cõtrarium: immò ex eo quòd extra ſuam ſphæram multis patet contrariis, non poteſt aſcendere ad Lunæ concauum, quamuis hoc pro ſuis viribus maximè intentet.

Patres Conimb.

4 *Quarta concluſio.* Terra multò eſt maior, quàm Aqua: Aer maior eſt quam Terra, Ignis verò cæteris elementis, vt ſublimior, ita etiã maior eſt: Hæc eſt communis, & quoad

maiorem Terræ magnitudinem reſpectu Aquæ. Probatur experientiâ, ac teſtimonio eorum, qui totum oceanum peragrarunt; immò, & profunditas Terræ multò eſt altior, nam aquæ profunditas ad ſummum ad duo tantùm, vel tria milliaria ſe extendit: Probatur concluſio circa cætera elementa, Aer enim Terram ambit, & eadem ratio probat, Ignem maiorem eſſe quolibet elemento.

5 *Quinta concluſio.* Omnia elementa figuram habent rotundam. Hæc etiam communis eſt, & probatur de Igne, quia proximè inhæret ſphæræ lunæ, quæ rotunda. Eadem ratio probat de Aere, qui proximè igni conjungitur: de Terra etiam conſtat, quòd ſit globoſa, quia eius vmbra, vt cernitur in Ecclypſi Lunari, circularis eſt: de Aqua tandē idem probatur dupliciter: primò ex eius vmbra, quæ rotunda etiam apparet in ſimili Ecclypſi. Probatur ſecundò, quia cùm omnes aquæ partes æqualiter deſcendant propter grauitatem, neceſſariò quò magis deſcendunt, eò inter ſe magis conjunguntur, & conglobantur, ex eo quòd æqualiter deſcendant.

6 Vnde etiam colligitur Aquam perfectiori modo, quàm terram in rotundam figuram abire, quia Terræ partes ob ſuam duritiem, & ſiccitatem non ita facilè, & æqualiter deſcendunt ad valles humiliores, ſicut partes aquæ, quæ ſemper eodem pondere, & æqualitate fluunt. Quæ ita ſunt intelligenda, vt nimirum ex Aqua, & Terra componatur vnus globus eodem communi circulo concluſus: quod prætereà confirmatur ex ecclypſi lunari, in qua non duplex vmbra, ſed vna tantùm apparet, quod ſignum eſt manifeſtum, vnum tantùm confici globum ex Terra, & Aqua: quod non latuit Vatem ingenioſum 1. Metam.

—— Circumfluus humor
Vltima poſſedit, ſolidumq; coercuit orbem.

Ouid. 1. Metam.

Terra altior eſt.

7 *Sexta concluſio.* Terra, ea parte, quæ diſcooperta eſt, aquis altior eſt, & eminentior ipſis aquis. Hæc concluſio magis controuerſa eſt, defenditur tamen á Conimbr. 2. de Cælo. cap. 14. q. 4. art. 2. Mol. 1. p. tract. de Opere ſex dierum diſp. 11. Clauio ad cap. 1. Sphæræ. p. 528. & docetur ab alijs, quos refert, & ſequitur Rub. lib. 3. de Cælo. cap. 8. q. 3. §. *Quamuis*: idem tenet Fromond. in Meteor. lib. 5. cap. 1. art. 2. Probatur ex Pſal. 135. *Ipſe firmauit terram ſuper aquas.* Et confirmatur primò manifeſtâ experientiâ, qua videmus flumina decliui ſemper curſu deorſum in mare ferri, quòd ſi mare eſſet eminentius, potiùs aſcenderent flumina, quàm deſcenderent: neque eius curſus naturalis foret, ſed violentus. Confirmatur ſecundò, quia alioqui nulla daretur naturalis cauſa, cur Terra non inūdaretur aquarum illuuione, ſiquidem Aquæ ipſæ Terrâ forent eminentiores: aquæ verò naturaliter deſcendunt propter grauitatem.

Conimbr. Molina. Clauius. Rubius. Fromond.

8 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet mare eleuatius eſſe, quam Terram, quā tenent Cicero, Burgenſ. D. Thom. & alij apud Conimbr. citatos, n. 7. & ex parte ſequitur Arriaga diſp. 4. de Generat. ſect. 4. Aqua eſt minùs grauis, quàm ſit Terra: ſed corpus minùs graue poſtulat naturaliter eſſe ſupra corpus grauius: ergo &c. Reſpondeo tamen ad minorem, ſecundùm naturæ ordinem ita quidem poſtulari, vt Aqua, quæ minùs grauis eſt, ſupra Terram locum haberet, vt factum eſt in triduo creationis: nihilominùs tamen propter bonum totius vniuerſi, Aquæ ex parte aliqua depulſæ fuère ex ſuo loco naturali, vt appareret arida.

Cicero. Burgenſ. D. Thom. Patres. Conimb. Arriaga.

9 Neque prætereà dicetur, Aquam eſſe omnino extra ſuum locum naturalem, non enim naturale eſt aquæ, formaliter loquendo, eſſe ex omni parte ſupra Terram, ſed ſufficit eſſe prope ſuum locum naturalem, quantùm maximè poſſit, & ita Aquæ accidit, quæ grauitate ſua tendit ad ima, & prætereà ſemper eſt ſupra aliquam Terræ partem, licèt ſit humilior, quàm ea Terræ portio, quæ diſcooperta eſt.

10 Ex quibus etiam colligitur, non poſſe aquam in tumorem, vel globoſam figuram ſupra Terram aſſurgere, quia imprimis naturale eſt aquæ deſcendere, & vnire ſe cum corpore Vniuerſi; & deinde confirmatur ex vnica tantùm vmbra, quæ apparet in ecclypſi lunari: ex quibus tandem colligitur, quando dicitur componi vnum tantùm globum ex Terra, & ex Aqua, nō loqui de globo omnino perfectè ſphærico, quia re vera Terra partes habet eminentiores, quales ſunt montes, eſt igitur ſermo de globo non abſolutè perfecto, & rotundo.

SECTIO II.

Vtrùm Terra ſit in medio mundi, & vtrùm ibi quieſcat?

1 PRima concluſio. Terra ſita eſt in medio Vniuerſi. Probatur, quia omnia corpora grauia tendunt naturaliter deorſum per angulos rectos; cū igitur Terra ſit grauis neceſſariò perget deorſum, & conſequenter neceſſariò eius partes in globum vnientur, vt explicabimus. Confir-

Reſolutio eſt affirmatiua.

Digitized by Google

Confirmatur deinde ex ecclypſi Lunæ, quæ non euenit, niſi quando Sol, & Luna per diametrum opponuntur: atqui ſi terra non eſſet in medio mundi conſtituta, nunquàm tales fierent ecclypſes: ergo &c.

Quod ſit centrum Vniuerſi?

2 *Secunda concluſio.* Idem eſt abſolutè, & non rigoroſe centrum Vniuerſi cum centro Terræ, hæc etiam concluſio communis eſt. Probatur, quia centrum Vniuerſi, *eſt locus omnium infimus, & magis à cælo diſtans*: vel aliter *eſt punctum, à quo omnes lineæ ductæ ad circunferentiã primi mobilis, vel veri, vel imaginarij ſunt æquales*: hoc centrum naturaliter quærunt corpora grauia; cùm igitur Terra ſit ſummè grauis naturaliter perget ad centrum mundi, quapropter centrum Terræ erit centrum vniuerſi.

Non idem eſt centrũ magnitudinis, & grauitatis. Patres Conimb.

3 *Tertia concluſio.* Non idem eſt centrum magnitudinis Terræ cum centro grauitatis eiuſdem Terræ. Hæc concluſio magis controuerſa eſt, & contra Patres Conimbr. cap. 14, q. 3. ar. 2. §. *Sit igitur*, in lib. 2. de Cælo: eam tamen ſic breuiter probo, quia vt eſſet idem centrum magnitudinis, & grauitatis Terræ, deberent æqualiter tam magnitudo, quàm grauitas terræ ad centrum pergere: atqui non æqualiter pergunt: ergo non eſt idẽ centrum. Probatur minor, quia aliquæ Terræ partes ſolidiores ſunt, & grauiores, vt potè quæ metallis, aut lapidibus refertæ: cùm igitur hæ partes inæquali grauitate ſint præditæ, inæqualiter, reſpectu aliarum partium leuiorum, pergent ad centrum.

4 Et declaratur, quia ſicut centrum grauitatis eſt illud, quod æqualiter in medio diſtat ab omnibus corporibus grauibus per lineam directam ad circumferentiam, ſecundùm grauitatem partium: ita ſimiliter centrum magnitudinis eſt punctum medium diuidens corpus æqualiter verſùs omnem partem: poſſunt igitur hæ partes eſſe æquales ſecundùm magnitudinem, & inæquales ſecundùm pondus; vnde centrum magnitudinis erit illud punctum, quod æquali dimenſione diſtet ab omni parte; centrum verò grauitatis erit illud, quod æqualiter diſtet non ſecundùm magnitudinem, ſed ſecundùm grauitatem.

5 Quæ concluſio intelligenda eſt ſecundùm rigorem Mathematicum, ſuprà enim dixi in ſecunda concluſione, idem eſſe centrum mundi, & centrum Terræ, quod non erat intelligendum ſecundùm hunc rigorem; nam re vera cùm Terra habeat partes aliquas grauiores, aliquantulum deflectit à centro mundi: cùm tamen hæc declinatio perexigua ſit, reſpectu terræ magnitudinis, & ſolis Mathematicis dimenſionibus perceptibilis, hinc fit, vt abſolutè dici poſſit, idem eſſe centrum terræ cum centro mundi.

Terra nõ mouetur.

6 *Quarta concluſio.* Terra in medio mundi immota quieſcit; ita communis Philoſophorum, & Mathematicorum ſententia, pro quibus videri poteſt Per. tom. 1. in Geneſ. li. 1 ad illud, *Cælum, & Terram*, à §. *Eſt autem hoc loco.* Probatur primò ex ſacra pagina Paralip. 1. cap. 16. *Deus fundauit orbem immobilem.* Probatur ſecundò ratione, quia nequit moueri circulariter, nam Terra naturaliter deorſum fertur: ergo nequit moueri circulariter, quia eidem corpori conuenire nequit duplex motus naturalis: eodem modo probatur, non habere motum rectum ſurſum, virtus enim motiua Terræ eſt ſola grauitas, quæ ſolùm deorſum inclinat; vnde ſi Terra à centro vero, vel imaginario moueretur, iam non deſcenderet, ſed potiùs aſcenderet, quia cælo fieret proximior (nam centrum Terræ illud eſt, quod ex omni parte magis diſtat à cælo) quod tamen eſſet Terræ violentum.

Pererius.

7 Confirmat Ariſtoteles hanc veritatem lib. 2. de Cælo, cap. 15. his verbis: *Pondera, quæ ſurſum eijciuntur ad perpendiculum, rurſus in eandem Terræ partem recidunt, &c.* Quod tamen non eueniet, ſi Terra tanta celeritate mouetur: neque ſoluet argumentum, qui dixerit aerem ſimiliter ad motum Terræ moueri, nam ſaltem excelſior aeris regio, nullo, aut rariſſimo paſſu terram ſequeretur: & nihilominùs dato quòd ſagitta in altiſſimam aeris regionem dirigatur, rurſum in eandem terræ portionem relabetur, ſi ad perpendiculum emittatur.

8 Gemellum etiam eſt argumentum de auibus, quibus ſi fortè ſint dulces latebroſo in pumice nidi, & inde ad paſtum euolent; cùm reuertuntur, profectò non reperirẽt nidos, vertigine terræ interim turres, aut arbores, in quibus nidificantur, ad multa paſſuum millia abripiente; quod argumentandi genus non latuit Buchan.

Buchan.

Ipſæ etiam volucres tranantes aera leui
Remigio alarum celeri vertigine terræ,
Abreptas gemerent ſyluas, nidoſq; tenella
Cum ſobole &c. —

Verùm enim verò ita comparatum eſt hominibus, vt nullum ſit delirium, quod ſuum non aſſerat auctorem, oppoſitum enim paradoxon de Terræ motu, multos habuit quondam defenſores, *Nouiſſimè verò nobilis Mathematicus* (vt loquitur Lipſius lib 2 Phyſiol. diſp. 19.) *hanc hæreſim excitauit, ſed cum ipſo ſepultam &c.* fuit hic Copernicus quidam Zelandus (quam defendit Lansbergius Medicus, qui libellum pro motu terræ rigidè propugnando, ſumma contentione compoſuit) ſed rationes, quas congerit Lansbergius,

Lipſius.

Digitized by Google

Virgil. Eclog. 3. *Surgentem ad Zephyrum paleæ iactantur inanes.*

Et quidem Copernicus ipſe, dum terram moueri præſumebat, motam habebat mentem, atque oculos vertigine nimia titubantes: niſi fortè dum ipſe hunc motum meditaretur, è Zelandiæ portu aliquo ſolueret nauigaturus, nam ſic è littore abeunti,

Virgil. Æn. 3. *—— Terræque, vrbeſque recedunt.*

Vnde poeta quidam Anglus non ignobilis ſale multo ſic lepidiſſimè defricuit hiſtrionicam iſtam de terræ motu opinionem.

Ioannes Owen li. 1. Epig. 14

Stare negas terram, nobis miracula narras,
Hæc dum ſcribebas, in rate forſan eras.

Vel potiùs quia Lansbergius medicus erat, & ex crebris arteriæ motibus deluſus motrices terræ choreas meditabatur.

SECTIO III.

Diſquiritur ratio, cur Terra in medio Vniuerſi quieſcat?

Proponitur, ſed nō approbatur cōmunis ſententia.

1 Communis ratio, quæ ab Auctoribus affertur, ea eſt, quia ſcilicet Terra pondere ſuo naturali ad medium mundi, ſiue ad centrum fertur: cùm verò Terra ſeparata à centro naturaliter centrum appetat, & ad illud deſcendat grauitate ſua eò delata, propterea eademmet grauitas Terram continet, & naturaliter conſeruat in centro.

Cur non placeat cōmunis opinio?

2 Nihilominùs hæc communis doctrina, quamuis auctoritate, & antiquitate ſua ſatis probabilis videatur, mihi tamen, vt verū fatear, nunquàm placere potuit: primò, quia centrum illud eſt punctum quoddam indiuiſibile fictitium, & imaginarium in medio Vniuerſi: ergo hoc centrum, ſiue hoc nihil, nō poteſt naturaliter appeti à partibus terræ, quæ ſunt partes reales. Probatur conſequentia: quia cùm hoc centrum ſit nihil, capax nō eſt recipiendi corpora grauia: ergo non appetitur à terra, vt in eo quieſcat.

3 Secundò probatur, quia hoc centrum non eſt locus terræ naturalis: ergo corpora grauia, qualis eſt Terra, non appetunt tale centrum. Probatur antecedens, quia locus naturalis terræ eſt ille, in quo poſſit vti cæli influentijs, ſuóſque fructus producere, & animalia, quorum cauſâ procreata fuit, alere, ac ſuſtentare: atqui centrum terræ non eſt locus habilis his muneribus: ergo &c. Minor eſt manifeſta, quia centrum Terræ eſt pūctum imaginarium: locus igitur terræ naturalis non eſt eius centrum, ſed eſt locus ille, quem modo Terra occupat.

4 Tertiò. Quia quamuis admitteretur centrum illud terræ: ratio, qua fundantur Auctores, adeò non probat Terræ quietē, vt omnino Terram mobilem reddat, & perpetuis nutibus trepidantem: cùm enim ſit in æquilibrio, ac ponderibus ſuis æqualiter librata, ſequitur Terram (quemadmodùm in lancibus, ac ſtateris quotidiè experimur) quouis minimo pondere percuſſam titubare, quia cùm centrum ſit indiuiſibile, ad quoduis pondus de nouo, neceſſariò variatur, impoſſibile autem eſt moueri, & variari centrum, quin tota etiam terra varietur, & moueatur.

5 Quam Terræ trepidationem, quamuis non perhorreſcant aliqui oppoſitæ ſententiæ aſſertores, & quamuis facilè admittatur à P. Vaſq. 1. 2. diſp 81. cap. 3. nihilominùs videtur eſſe contra naturalem rationem, admittere vniuerſam tremere Terram ad ſaltum vnius auiculæ, vel ad guttam aquæ pluuialis: & prætereà repugnare videtur ſacræ paginæ, ſic enim Paralip. lib. 1. cap. 16. *Deus firmauit Orbem Terræ immobilem &c.* Vaſquez. Paralip. 1. c. 16.

6 Quartò diſplicet hæc communis opinio; quia aſſignat pro cauſa quietis, & immobilitatis Terræ, grauitatem ipſius Terræ, quæ illam ad centrum impellit. Sed contrà eſt, quia grauitas Terræ, ſecūdùm aduerſarios eſt vnica cauſa motus ipſius Terræ ad centrum: ergo non poteſt eſſe cauſa immobilitatis ipſius Terræ in centro: antecedens ita admittitur. Conſequentia probatur: quia eadem qualitas nō poteſt eſſe principium proximū, ac determinatiuum effectuum contradictoriorum, quales ſunt motus, & quies: alioquin conſequenter etiam fateantur, potentiā motiuam in animalibus eſſe cauſam ſimul motus, & quietis.

Noua ratio cur terra deorſū feratur.

7 Quapropter aliâ viâ, quamuis nouâ, procedendum eſt, quæ tamen ſi attentè, & æquioribus mētis, quam Terræ lancibus perpendatur, fortaſſe non diſplicebit ingenioſis. Dico igitur primò. Partes Terræ ſeparatas à toto moueri, non vt pergant ad centrū, ſed vt coniungantur cum tota terra, in ea videlicet figura, ac loco neceſſarijs ad ſui conſeruationem: quæ figura rotunda eſt, & globoſa, hæc enim magis idonea eſt ad conſeruationem, vt conſtat ex dictis ſuprà, ſic enim ſe rotundando vnicum quaſi punctum ferè dum hoſti obijciunt. Deinde partes ſic plures meliùs, & æqualiter ab alijs adiuuantur in agendo: cùm verò vt corpora grauia coniungantur in figuram globoſam, neceſſariò pergant per ſemidiametros, hinc eſt, quòd pergere dicantur ad centrum, id eſt ad mediū mundi, neque enim conglobari poſſunt, niſi per

Digitized by Google

per ſemidiametros: vnde eſt quòd turris ad perpendiculum facta, maiorem habeat latitudinem supernè, quàm infernè, quia videlicet partes illæ graues deorſum pergunt per ſemidiametros, qui ſupernè, vt patet, latiores ſunt. Ideò verò pergunt per ſemidiametros, quia, cùm ſe adiungant in figuram globoſam, & cùm natura abhorreat ſuperfluum, neceſſariò pergere debent per viam breuiorem, breuior autem eſt via, quæ fit per ſemidiametros, eſt enim via per lineam rectam; non poteſt autem hæc via eſſe recta, & breuior ad componendum globum, niſi per ſemidiametros, vt conſideranti patebit.

8 Dico ſecundò. Cauſam, & potentiam proximam huius motus, eſſe grauitatem ipſarum rerum, quæ deorſum feruntur, quod à nemine negari poteſt, experimur enim ſolas res graues deorſum moueri, immò tantò velociùs deorſum ferri, quantò eſt grauius, & intenſius pondus, à quo impellitur.

9 Dico tertiò. Terram, vel Aquam nullum alium, vel minimum admittere motum naturalem, immò ſi quemuis alium haberent violentum fore ac monſtroſum. Dico quartò, ſpondus Aquæ, ac Terræ nullum alium habere effectum, præterquàm vnire, & conſeruare vnitas omnes Terræ, & Aquæ partes, in ea figura, ac diſpoſitione conueniente ad ſui conſeruationem; hinc eſt quòd partes Terræ, & Aquæ inter ſe vnitæ iam non grauitent, vt experiuntur natatores, quia videlicet ſunt in ſuo loco naturali, & ceſſante cauſa motus, ceſſat effectus ipſius motus.

Cur Terra nullum motũ admittat.

10 Quapropter ſi aliquis à me quæſierit, cur Terra, & Aqua non moueantur, ſaltem motu illo trepidationis, quem Vaſquez admittit? Reſpondeo, rationem eſſe, quia in eo ſtatu, in quo ſunt vnitæ, quamuis habeant idem pondus, eandemque grauitatem, nihilominùs, vt moueantur, requirunt tanquam conditionem, ſeparationem à toto, quia cùm non moueantur, niſi ad conſeruationem totius, & cùm vnitæ meliùs conſeruentur, hinc eſt, quòd cùm ſint vnitæ inter ſe, ceſſet non ſolùm ratio motus actualis, ſed etiam inclinatio ad hunc motum.

11 Ex quibus rectè deducitur, quietem Telluris, & Aquæ, immò & animalium, formaliſſimè conſiſtere in negatione, aut priuatione motus; & quemadmodùm pondus Terræ, aut Maris, non eſt cauſa huius negationis (vt probatum eſt, & præterea quia qualitas poſitiua, & realis non poteſt eſſe immediata cauſa negationis, qualis eſt quies) immò eſt cauſa motus, ita non poteſt eſſe cauſa immobilitatis Terræ, & Maris, ſicut Sol non poteſt eſſe immediata cauſa tenebrarum, ac lucis.

12 Hinc eſt quòd legitur Iob. 26. *Qui appendit terram ſuper nihilum &c.* vbi videtur diuinus Spiritus nullam aſſignare cauſam poſitiuam quietis, & immobilitatis Terræ, cùm enim hæc quies ſit negatio quædam, nullam poſitiuam cauſam proximam habere poteſt: vnde quando eius partes vnitæ ſunt, incapaces ſunt motus naturalis actualis, ſiquidem habent id, quod per motum acquirere debebant, ſolùmque habent motum, quando ſunt ſeparatæ à toto: neque neceſſaria eſt alia virtus, aut alia ratio centri, vt aſſignetur cauſa quietis Terræ. *Iob. 26.*

13 Et declaratur exemplo, quia ſicut, ſi Deus vellet efficere hominem immobilem, ac ſine motu progreſſiuo, ſufficiebat quòd illũ ſine pedibus produceret, neque ad hoc neceſſarium erat aliam potentiam, aut virtutem de nouo illi efficere, ita ſimiliter ad quietem Terræ neceſſaria non eſt virtus aliqua realis, & poſitiua ſuperaddita, ſed ſufficit quòd eius partes vnitæ ſint.

14 Atque ex his tandem colligitur, Terram eſſe omnino immobilem, nec vllam dari naturalem vim, quæ eam, vel minimùm cogat titubare: immò & ſi fingamus, totum Antipodarum hemiſphærium ſupra hoc noſtrum eleuari, non moueretur Terra ab ſtatione ſua, quia adhuc partes eius vnitæ conſeruarentur, ac proinde nec tam immenſum pondus, vel minimùm ab ſtabilitate ſua Terram dimoueret. Quæ doctrina magis patebit ex his, quæ de Aere, & Igne ſunt dicenda.

SECTIO IIII.

De figura, centro, grauitate, vel leuitate Aeris, & Ignis.

Figura aeris eſt orbicularis.

1 PRima concluſio. Figura aeris rotunda eſt, & orbicularis: hæc eſt communis, & probatur imprimis de ſuperficie concaua, quia aer ex omni ſui parte contiguus eſt cum globo Maris, & Telluris: ergo neceſſe eſt, quòd habeat eandem æqualitatem, quam vendicat ſuperficies conuexa Maris, & Terræ, quarè ſicut hæc ſuperficies conuexa Terræ, & Aquæ, non eſt omnino æqualis, ſed aſpera, & inæqualis propter montes, & valles: ita ſimiliter philoſophandum eſt in ſuperficie concaua aeris continua, quæ orbiculata ſit, & inæqualis.

2 *Secunda concluſio.* Superficies conuexa aeris eſt etiam orbicularis. Probatur, quia licèt aer non ſit ſummè leuis, vt ſtatim probabo,

bo, nihilominùs naturaliter quieſcit ſupra Terram, & Aquam: ergo eius ſuperficies conuexa eſt ſphærica. Conſequentia probatur, quia non datur maior ratio, cur per hanc, nō verò per illam partem æqualiter, & vniformiter deſcendat.

3 Vnde hinc etiam euidenter deducitur, ſuperficiem concauam ignis ſphæricam eſſe, ſiquidem tegit conuexam aeris ſuperficiem: cùm verò ignis etiam æqualiter, & vniformiter quieſcat ex omni parte ſupra aerem, conſequenter etiam deducitur, eius conuexam ſuperficiem eſſe ſphæricam.

Centrum Aeris, & ignis non eſt aliquod indiuiſibile.

4 *Tertia concluſio.* Centrum aeris, & ignis, non eſt aliquod indiuiſibile. Probatur, quia experimur, vtrumque ſurſum propelli ex omni mundi parte, per lineas rectas, quæ conciduntcum diametris, vel ſemidiametris orbis: ergo quò magis eleuantur duo, vel tres partes aeris, aut ignis, eò magis diſſociantur, & eò magis pergunt ad locos remotiores inter ſe, quò fuerint altiores: ergo quamuis omnes aeris partes haberent eandem leuitatem, non haberent centrum indiuiſibile. Locus igitur aeris non eſt determinatus, ſed catenùs eſt aer ſupra Aquam, & Terram, quatenus impeditur à Terra, & Aqua, ne deſcendat, & ſe in globum colligat.

5 Eadem ratio conuincit idem intentū circa ignem; ex quibus ſatis deducitur, quo pacto corpus aliquod tendat ad centrum, per motum naturalem, quin centrum illud ſit locus aliquis peculiaris, & indiuiſibilis, aut ſaltem determinatus.

De loco Aeris, & ignis; & cur illū quærant.

6 *Quarta concluſio.* Aer collocatur ſupra Terram, & Aquam, & ignis ſupra reliqua elementa, ducti naturali inclinatione, quam habent ſuæ conſeruationis. Hæc concluſio bene deducitur ex his, quæ dixi de Terra, & Aqua, quæ deſcendunt, non vt pergant ad cētrum, ſed vt vniantur partes Terræ, & Aquæ inter ſe. Cùm autem aer ſit minùs grauis, quàm Terra, & Aqua; inde fit, vt ſedem habeat ſupra Terram, & Aquam, & eadem eſt ratio de igne, qui minùs grauis eſt, quàm aer: & cùm figura orbicularis accommodatior ſit, & ad recipiendas aſtrorum influentias, & ad producendos, & conſeruandos ſuos effectus, hinc eſt quòd aer, & ignis eam vendicent figuram orbicularem.

7 Vbi aduertendum eſt, habere quidem aerem, & ignem figuram orbicularem, & non ſphæricam, ſuppoſito quòd infra ſe habent Terræ, & Aquæ globum; ideò verò aer, & ignis ſuperiores ſunt, quia cùm aer, & ignis minùs ſint graues, quàm Terra, & Aqua, neceſſariò ſuperiorem vendicant locum ſupra Terram, & Aquam (ſicut oleum ſupra Aquā) ſeſque in orbem colligunt, & claudunt. Si tamen globus Terræ, ac Maris deficeret, aer ſe in figuram ſphæricam conglobaret: & conſequenter ſi aer deſineret eſſe, ignis in ſphæram rotundaretur: hæc enim figura aptior eſt ad ſui conſeruationem, quàm figura orbicularis ſolùm, & non globoſa, vt iam probaui.

De grauitate Aeris, & Ignis,

8 EX dictis bene infertur, Terram eſſe ſummè grauem inter elementa, ſiquidem locum occupat inferiorē, quò naturaliter pergit: ſequitur deinde Aqua, quæ eſt minùs grauis, ſiquidem locum habet ſupra Terram. Circa Aerem, & ignem ſit.

Aer & Ignis ſuā habent grauitatem.

9 *Quinta concluſio.* Nullum datur elementum, quod ſit ſummè leue, ſed vel etiam Aer, & Ignis ſuam habent grauitatem. Hæc concluſio, quamuis noua videatur, nihilominùs firmiſſimis rationibus ſtabilitur, cui imprimis fauet Fromond. in Meteor. lib 4. cap. 2. ar. 5. quatenus ventis grauitatem attribuit: Confirmatur deinde ex S. Iobo cap. 28. *Qui fecit,* inquit, *Ventis pondus, & aquas appendit in menſura. &c.* Vt probetur concluſio tria principia, tanquàm certa, ſupponenda ſunt: primum eſt, figuram rotundam eſſe aptiorem ad conſeruationem Vniuerſi, vt ſatis probatum manet: ſecundum eſt, omnes partes Vniuerſi appetere ſuam, & Vniuerſi conſeruationem: tertium eſt, ſolam grauitatem naturaliter deorſum ferre, ſicut ſola leuitas (ſi datur) ſurſum attollit; quod verum eſt, ſiue grauitas ſit qualitas realiter diſtincta, ſiue non, quod tenet Arriaga diſp. 4. de Generat. ſect. 5. d. n. 73.

Fromond. Iob. 28.

Arriaga.

10 His ſuppoſitis, probatur concluſio circa aerem: quia ſi aer non haberet aliquam grauitatem, non ſe contineret ſupra Terram, & Aquam, ſed eſſet ibi quaſi violentatus: hoc non eſt dicendum: ergo neceſſariò habet aliquam grauitatem. Probatur maior, quia ſi eſſet ſummè leuis, cùm leuitas naturaliter ſurſum impellat, dum aer non aſcenderet, eſſet contra ſuum naturalem appetitum: hoc autem dicendum non eſt, quia ſi aer appeteret aſcendere ſupra Terram, & Aquam, appeteret diſſociari, ac disjungi à Terra, & Aqua, ac proinde non appeteret conſeruationem Vniuerſi, quæ conſiſtit in eo quòd elementa conſeruentur vnita in ſua figura ſphærica: cū igitur hoc dicendum non ſit, neceſſariò fatēdum eſt, aerem habere aliquam grauitatem, qua ſuo pondere ſupra Aquam, & Terram naturaliter contineatur. Hinc eſt, vt cùm mons, aut montis fragmen dehiſcat, naturaliter

Digitized by Google

liter contineatur. Hinc eſt, vt cùm mons, aut montis fragmen dehiſcat; naturaliter deſcendat aer ad occupandum locum illum, ne detur vacuum, quia videlicet appetit vniuerſi conſeruationem, quæ conſiſtit in eo, quòd partes omnes ſint inter ſe vnitæ, & in globoſam figuram coaceruatæ.

11 Confirmatur experientiâ, qua videmus nubes ſupra aerem volitare, quamuis conſtent materia denſiore: ergo ſignum eſt quòd aer, qui eſt infra nubes, grauior eſt, ſi enim eſſet leuior, proculdubio aſcenderet ſupra nubes.

12 Et declaratur, quia ex eo aqua eſt ſupra terram, & infra aerem, quia Aqua eſt minùs grauis, quàm Terra, & grauior, quàm aer: ergo ſimiliter ex eo eſt aer ſupra Terram, & Aquam, quia eſt minùs grauis, quàm Terra, & Aqua: ex eo eſt infra ignem, quia eſt grauior, quàm ignis. Vnde meritò ſuperiùs diximus, quòd ſi deſineret elementum Terræ, & Aquæ, continuò aer deſcenderet, & in globoſam figuram abiret: & ſimiliter dicendum de Igne, qui, ſi deficerent reliqua elementa, continuò deſcenderet, ſeque in ſphæricam figuram componeret.

Ignis non eſt ſummè leuis, ſed ſuã habet grauitatē

13 Ex dictis bene infertur, ignem etiam habere aliquid grauitatis, qua ſupra aerem continetur; quia ſi omnino leuis eſſet, cùm leuitas ſurſum deferat, appeteret diſſociari ab Vniuerſo, & conſequenter non appeteret Vniuerſi conſeruationem. Et confirmatur, quia quemadmodùm grauitas data eſt partibus terræ, vt illas coniūgat cum toto (ſic enim meliùs conſeruantur, vt probauimus) ita neceſſaria eſt aliqua grauitas igni, vt illum coniūgat cum toto hoc Vniuerſo ſupra aerem: alioquin non erit ibi naturaliter, ſed violentatus, ſiquidem appeteret aſcendere ſupra locum, in quo detinetur. Vnde quando ignis dicitur leuis, intelligitur habere minorem grauitatem, quam reliqua elementa.

Reſpondetur argumentis pro cōtraria ſententia.

14 OBijcis tamen primò pro communi opinione. Datur vnum elementum ſummè graue, nempe Terra: ergo dādum eſt aliud ſummè leue, nempe Ignis. Reſpondetur ad antecedens explicando quo pacto terra dicatur ſummè grauis, nimirùm per comparationem ad reliqua elementa, ſiquidem occupat infimum locum, alioquin non negamus metalla eſſe grauiora, quàm ſit tellus; quòd ſi hoc pacto dicatur Ignis ſummè leuis ex eo quòd, ſit ſupra omnia elementa, non repugnabo: cùm tamen abſolutè fixum, ratumque ſit habere aliquid grauitatis. Vnde ſequitur, non dari in rebus phyſicis qualitatē, quæ dicatur leuitas (quamuis detur minor, & minor grauitas, & quamuis detur maior, aut minor grauitas) ſiquidem leuitas non conducit ad conſeruationem, & vnionem Vniuerſi.

15 Obijcis ſecundò. Aër in cauernis terræ deprehenſus ſummo impetu foras, ac ſurſum erumpit: ergo ſignum eſt, quòd nullam habeat grauitatem. Probatur conſequentia, nam ſi haberet grauitatem, cùm grauitas corpus deorſum pellat, eò detineretur, nec tam horrendis motibus, dum viam quærit, terram quateret. Reſpondetur negando conſequentiam, & aſſignando rationem, cur aer in ſimili caſu foras erumpat; non enim eſt, vt quærat locum ſuum naturalem, vt volunt Patres Conimbricenſes, ſed quia aer, qui verno tempore per apertos terræ ſinus includitur, cùm terra tunc intus ſit frigidior; & cùm hyberno tempore illa telluris ſpiramenta frigore occludantur, & terræ viſcera magis incaleſcant (vt patet experientiâ de antiperiſtiſi) calor ille aerem rarefacit, & rarefactus maiorem occupat locum, & ideò foras horrendis terræmotibus erumpit, ſicut cernimus in aere intercluſo in tormēto bellico.

16 Obijcis tertiò. Ignis ſemper ſurſum eleuatur: ergo nullam habet grauitatem. Reſpondetur, hoc argumentum nullam habere vim; nam etiam aqua terræ ſupernatat, & oleum ſuper aquam; & tamen aqua, & oleum ſuam habent grauitatem; ideò ergo ſemper ignis ſuper aerem fertur, non quia leuitate ſua eò aſcendat (ſiquidem non datur qualitas, quæ dicatur leuitas) ſed quia eò impellitur ab aqua, quæ eo ipſo, quòd ſit grauior, quærit locum infimum, & aerem ſurſum propellit; ſicut oleum non fertur ſupra aquā ex eo, quòd ſit leue (eſt enim graue) ſed ex eo, quòd ſurſum impellatur ab aqua, quæ maiori grauitate ſuâ occupat locum inferiorem, & inde ſurſum proijcit oleum, quod minùs grauitat. Cur aer ſit ſupra aquam?

17 Obijcis quartò. Experimur, aerem nō grauitare; è contra verò aquam, & terrā grauitare: ergo aer nullā habet grauitatem. Reſpondeo, hanc experientiā nihil probare contra noſtram concluſionem; ex eo enim aer nō grauitat modò, quia grauitare actualiter

Cur modò aer nō grauitet.

eſt veluti actio quædam deorſum tendendi, tùm verò aer ſit contiguus Terræ, & Aquæ (quæ, cùm ſint grauiores, impediunt eius deſcenſum) non eſt cur grauitet, quia non habet quò poſſit deſcendere; vnde ſi Terra, & Aqua dehiſcerent, tunc quidem grauitate ſua deorſum ferretur aer, vt ſcilicet ſe in globoſam figuram adunaret: eâdem etiam de cauſa Aqua modo non grauitat, vt experitur qui in aquam intrat, non quòd ſit in ſuo centro, vel in ſuo loco naturali, vt volunt Patres Conimbr lib. 4. de Cælo. cap. vlt. q. 2. art. 1. ſed quia non habet quò deſcendat, vnde ſi terra dehiſceret, tunc grauitaret, vt in globoſam figuram ſe colligeret, quia ſic meliùs conſeruatur.

Patres Conimb.

18 Atque hinc eſt, quòd Terra, vel Aqua ſeparatę à toto, grauitet, vt experimur in parte aliqua Aquæ, quæ extrahatur à toto: & conſequenter, ſi quis eſſet in regione ignis, & ibi eſſet aer retentus, ſimiliter ibi haberet ille aer actum grauitandi, vt ſe coniungeret cum toto aere, & in figuram rotundam componeretur. Aduerte verò omnia hæc elementa conſeruare quidem ſuam grauitatem, quia res eſſe non poteſt ſine ſua proprietate, ſed non habere actum grauitandi, niſi quandò ex defectu inferioris elementi, neceſſe fuerit, ſe in rotundam figuram coniungere, & ſe vnire cum toto.

19 Paucis tandem abſolui, quæ de Mundi, Cælique immenſitate, in immenſum poterant aggregari: alij igitur latiùs hanc materiã, pro dignitate, tractabunt,

— Cælique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſydera dicent. *Virgil. AEn. 6.*

Mihi hæc paucula, quaſi pro Archimedis exigua ſphærula, abundè ſufficiũt; in qua, licèt extra communes polos liberiùs aliquantulùm tranſuolaui,

— Auſus me credere Cælo,
Inſuetum per iter — *Virgil. AEn. 6.*

At nunquàm breuitatis, & veritatis metas, vt opinor, prætereffugi: nos vtinam aliquando.

— ſtellantis regia cæli
Accipiat ſecuros. —

Finis librorum de Cælo, ac de Mundo.



IN

IN LIBROS METEORORVM.

DISPVTATIO XXXXVII.

De natura Meteororum.

POST tractationem de cælo, reſtant Meteora cælo cõtigua, de quibus, non pro noſtro more, modoque per Concluſiones diſcurrã, ſed notatiunculas aliquot iucũda, ac ſequaci materia, breuiter annectã. Quapropter, geſtiente, & exultante calamo, philoſophici ſupercilij ſeueritatem, & contractæ frontis ſeria liberiùs aliquantulum explicabo. Primum ergo de Meteoris in communi dicam, mox ad aliquot particularia exponenda deſcendam. Dicitur hæc tractatio *Meteorologicon*: ideſt doctrina de rebus ſublimibus, eſt enim *Meteoron* idẽ quòd ſublime *ſophia*, verò idem quòd ſcientia.

SECTIO I.

De Meteoris in communi.

Quæ ſit materia Meteororum.

1 MAteria, ex qua conſtant Meteorologica mixta, duplex eſt; remota, vna, ideſt terra, & aqua; proxima altera, ideſt vapor, & exhalatio: Exhalationem appello cum Ariſtotele eum halitum, qui ex terra gignitur: vaporem verò illum, qui ex aqua enaſcitur. Cauſa effectrix vtriuſque calor eſt, is præcipuè qui vi Solis, radiorum repercuſſu, aſſultuque ex obiecta mole, ſiue terræ, ſiue aquæ procreatur: calori enim innatum eſt laxare, tenuare, ac molleſcere partes: quẽadmodùm frigoris proprietas eſt cõſtipare, obdurare, & addenſare. Corpuſcula autem illa terrea, quæ calore rareſcunt, dicũtur exhalationes: aquea verò corpuſcula vapores nuncupãtur: vtraq; cũ tenuitate grauitatẽ minorem adepta, turmatim in ſublime eriguũtur. A terra, & aqua ſpecie diſſociantur (quàuis repugnent noſtri Conimbricenſes in libris Meteor. tract. 1. à §. *Tertia opinio*) nã ex diuerſis proprietatibus bene colligitur diuerſitas ſpecifica, vapor autẽ, & exhalatio ſurſum aſcendunt: terra, & aqua deorſũ feruntur, quæ diuerſã indicãt naturã.

Quæ ſit cauſa efficiens.

Patres Conimb.

2 Cæterùm vapor, & exhalatio patrijs ſedibus auulſa, per vaſtiſſima aeris ſpatia gregatim peregrinantur, neque vnquàm conſiſtũt, donec vapor ad ſecũdã, exhalatio verò interdũ ad tertiã ætheris regionẽ aſſurgat: in tres quippe aer regiones à Meteorologicis diſſecatur, primam ſcilicet, mediam, & ſupremam: ſuprema regio calidiſſima eſt, quia igni contermina: media verò frigida, quia ab igne diſſociata, & ſimul à calore, quem efflãt, dum in terram impingunt, reſiliuntque radij. In hac igitur media aeris regione, vapor natiuo frigori reſtitutus (eſt enim ab aqua progenitus) nunc concretus, opacatur in nubes: nunc molleſcens, eliquatur in pluuias: nunc dureſcens, præcipitatur in lapides: nunc attenuatus, rareſcit in nebulam: nunc frigeſcens, caneſcit in niuem: nunc humeſcens, ſtillatur in rorem: nunc rigeſcens, rotundatur in grandinem: nunc coloratus, arcuatur in Iridem: ſemper tamen in humorem ſolutus matri, ideſt aquæ redditur vapor, vnde natus eruperat.

Tres ſunt aeris regiones.

Quid fiat ex vaporibus.

3 Exhalatio verò terræ ſuboles, naturâ ſuâ ſiccior, & ad ignem corripiendũ habilior, ita, vel ab igne accenditur, vel à Sole illuminatur, vt multiplices exhibeat apparitionum imagines: aliquando enim in materia exili, & æque protenſa ardere videtur in faculam, aliquando in materia tenui, & oblonga, porrigitur in lanceam, demittitur in ſtellas cadẽtes, aut in ſidera ementita diſcurrit. Nonnunquàm exhalatio exiguam nacta materiam, viſcoſam ac facilè mobilem, vel deſilit in ignem fatuum, vel armatur in draconem. Aliquando materiam multam cohibens ſolidam, viſcoſam, & olearem, igneſcit in Cometam, qui tanquàm flamma tremula, ac minax infauſto nutu Regũ, ac regnorũ fata prænuntiet, quæ prænoſci interſint orbi terrarũ. Hæ verò inflãmationes, & illuminationes procedunt, vel à luce Solis; vel ab ſpiritibus igneis qui à Sole, cæteriſque aſtris euibrantur, quos radios nominamus.

Quid ſit exhalatio.

Exhalationes vaporibus mixtæ quid efficiaut? 4 Nonnunquàm verò exhalationes vaporibus intermixtæ, in media aeris regione detentæ, prohibentur, ne euolēt ad ſupremā: tunc verò aut è corpore denſiore rurſum ad infimā regionem detruſę, diffläntur in ventos, deſæuiunt in procellas; aut nubibus occluſæ per latera circumcurſant, ſi poſſint, quâ data porta, erruere, donec eo alliſu attritæ incendantur: tùm verò, prærupto nubium obice, reboant in tonitrua, coruſcant in fulgura, cuſpidantur in fulmina. Hæc de Meteoris in genere dixiſſe ſatis ſit.

SECTIO II.

De Meteoris in particulari.

1 NVnc ad aliquot nobiliora Meteora in particulari deſcendam, quæ omnia his verſibus incluſi, vt faciliùs memoriæ commendentur.

Saltantes Capreæ; currentia Sidera, Flamma,
Lancea, Stella cadens, Ignis perpendicularis,
Fax, Ignis fatuus, lambens; Draco, Caſtore, Pollux
Cumque Elena, Tonitrus, Fulgur, Fulmenq; Cometa:
Iris, Ros, Nimbus, Grando, Nix, Nubila, Venti.

Primū Meteoron, *Capra ſaltātes.* Primum igitur Meteoron dicitur ab Ariſtotele in hoc lib. 1. cap. 4. *Capræ ſaltantes*, quod tunc apparet, quādo exhalatio ita inflāmatur, vt efficiat excurſiones quaſdam, vagoſque diſſultus, qui caprinos ſaltus imitari videantur; hinc Medici, duce Galeno, ſalientem pulſum, caprinum vocant. Sed neque præpoſterè etiā dixerit aliquis mutuatū fuiſſe hoc nomen à barbula, floccíſque circumpendentibus (quæ ſunt partes exhalationis pauló rariores, quæ in ſpeciem lanariū flocorū interlucent) caprarū barbitiū, & crinientia vellera referētibus.

Secundum Meteoron, *Sidera currentia.*

2. Sidera currentia. 2 HÆc adparitio dupliciter contingit, primò cùm exhalationis flāma continentem alteram, per mutuā generationē ſuſcitat, quo pacto ignis ſequaci imitatus, & abreptus pabulo, imaginē præbet diſcurſantis. Secundo modo fit currentis ſtellæ generatio, ſi nempe vero diſcurſu exhalatio ipſa ſuo grauata pōdere, huc, illuc agitata refluat, & tranſcurrat: de his profectò mihi viſus canere princeps Vates, —— *Cælo ceu ſæpe refixa*

Virg. l. Æn. 5. *Tranſcurrunt, crinémque volantia ſidera ducunt.*

Cùm verò hæc exhalatio, ſudâ præſertim ac ſerenâ nocte, volitare cōſpiciatur, hinc eſt, vt eo temporis, tam numeroſos ſtellarum populos, ſolito crebriùs, rutilent, ac ſcintillent; quia videlicet intermixtæ, ac lucentes exhalationū faculæ pro legitimis aſtris intuentium oculos falſis deludant imaginibus.

3 Illud prætereà addiderim, has currētes ſtellas, & id genus tranſuerſos ignes in prodigijs habitos apud veteres, & pro Cometis ſiniſtrè acceptos aliquando; ſic locum interpretor apud Lucan.

Ignota obſcuræ viderunt ſidera noctes, Lucan li. 1. Pharſ.
Ardentemq́; polum flammis, cæloque volantes
Obliquas per inane faces, crinémque timendi
Sideris, & terris mutantem regna Cometem.

Tertium, & quartum, Meteoron, ideſt *Flamma, & Lancea.*

3. & 4. Flamma, & Lancea.

4 FLamma eſt *exhalatio quædam accenſa, & breui tranſiens, per modum facis.* vnde etiam dicitur Fax; hæc propter materiæ ſubtilitatem, igne confeſtim correpta, tota ſimul inardeſcit.

Lancea verò eſt *Meteoron quoddam ignitum in ſuprema aeris regione, propter ſitum materiæ in longū protenſæ, & iacentis, imaginem referens lanceæ*, vel *trabis*. Vnde ſi nōn iaceat ad longū, ſed in ſublime adtollatur, columna potiùs nuncupabitur.

Quintum Meteoron, *Stella cadens.*

5. Stella cadens.

5 HÆc eſt *exhalatio quædam accenſa, per modum ſtellæ deorſum reſilientis, ac lucis radios iaculantis*, de qua intelligendus Vatum maximus,

Sæpe etiam ſtellas, vento impendente, videbis Virg. Georg. 1.
Præcipites cælo labi, noctiſque per vmbram,
Flammarum longos à tergo albeſcere tractus.

Eius materia aliquando viſcoſa, & ſulfurea eſt, ad modum fulminis: ſic eundem vatem accipio, Virgil. Æn. 2.

—— *De cælo lapſa per vmbram,*
Stella facem ducens, multa cum luce cucurrit:
Illam ſumma ſuper labentem culmina tecti
Cernimus, Idæa claram ſe condere ſylua,
Signantemque vias: tunc longo limite ſulcus
Dat lucem & latè circum loca ſulphure fumant.

In eo verò diſcriminatur ſtella cadens, à currente ſidere, quòd ſtella eadem à nubecula, ſereno cælo, explodatur: at verò ſidus currēs, non excutitur è nubibus, ſed aliam, & aliam materiam inflammando, imaginem præbet diſcurrentis.

Sex-

Digitized by Google

Sextum, ſeptimum, & octauum Meteoron.

6. Ignis perpendicularis.

6 SExtum eſt *Ignis perpendicularis*, ſic dictum, quia *ignea exhalatio ſpeciem refert pyramidis ad perpendiculum, ſuper baſim erecta*: cauſa talis figuræ illa redditur, quia partes grauiores infra alias ſidunt, leuioribus in pyramidis cuſpidem effugientibus; vt cernitur in flamma cuiuſuis lucernæ, quæ latior in imo deſinit in acutum,

—— Atque ſuos conſumit Pyramis ignes.

7. Fax.

Septimum Meteoron nuncupatur, Fax, quod nomen generale eſt, poteſtque ſimul cadere in ſtellas diſcurrentes, & cadentes. Plinius facem diuidit in Lampadem, ac Bolidem; ſic enim ille lib. 2. cap. 26. *Lampas*, inquit, *veſtigia longa facit, priore parte ardente: Bolis verò perpetuò ardens longiorem trahit limitem.*

8. Ignis fatuus.

7 Octauum nuncupatur *Ignis fatuus*, aliter erraticus, aut ambulo: generaturque in infima aeris regione, cuius materia eſt exhalatio pinguis, & viſcoſa: forma verò ſaltus ille, in modum hominis fatui. Cauſa exhalationem incendens antiperiſtiſis nocturni frigoris, hæc enim exhalationem condenſat, & partes ſubtiliores (in quibus fortè aliqua reſidet ignis ſcintilla, quam Sol interdiu accenderat) in anguſtum cogit, ibique mutuo contactu, & erratico motu ſe calefaciunt, ac tandem incẽdium concipiunt. Alia deinde cauſa ſubeſſe poteſt, materia enim ignis fatui inter nubes fortaſſe detinebatur, indeque expulſa, tandiu in infimo aere fluctuauit, donec tenacitate ſua digeſta, tota deflagrauerit,

Vnde proueniãt ſaltus in igne fatuo?

8 Cauſa erratici ſaltus nocturni ſunt rores in ipſum ignem fatuum recidentes, illumque deorſum deprimentes, contra quos rores ignis reſiſtens inſurgit, atque adeó, prout exhalatio frigore denſatur, aut calore rareſcit, ipſa, vel victa in imum ſuccumbit, vel in altũ reſilit victrix. Locus vbi frequentiùs apparet ignis fatuus paludes ſunt, cæmeteria, & occiſorũ patibula, quia inibi maior ineſt pinguiũ halituum copia, quos loca vliginoſa, & mortuorum cadauera emittunt. Cúm veró iſtius modi inflammata concretio ſubtilis ſit, & in aere ſubiectetur, ideò illi aer, quaſi pro vehiculo ſubeſt, & ea propter homines aliquando inſequitur, aliquando ſubter fugit: aer enim, verſus tergum inambulantis timore vacui affluens, ſecum ducit ſuſpenſam flãmulam, atq; adeò fugientem inſequitur. Fugit verò, quia aeris motus, & quaſi fluctus ille aereus, quem excitat qui ambulat, ſubtilem exhalationem abigit, ac propulſat.

Locus vbi viſitur Ignis fatuus.

9 Ab hac igne fatuo fatuis, & credulis hominibus ad falſas adparitiones ampla ſeges aperitur, multi enim, vana deluſi lucis fatuæ imagine, vel ómen, aut etiam numen, multiplici imaginatione diſtracti, videre ſibi perſuadent: & auget ſuſpitionem, quód aliquando imaginariæ quadam voces edi videantur, quia pars materiæ denſior, cóncepto intus ſpiritu, diſrumpitur, & cum crepitu exploditur; vel quia nocturnus ros cum ſtridore flammulam intercipit: vel tandem quia ignis ipſe, aerem ſecando, ſibilum exſuſcitat. Hoc igne, & his vocibus deluſus fortaſſe Latinus Rex apud Latinum Vatem, dum Virgil. AEn. 7.

Multa modis ſimulacra videt pallentia miris,
Et varias audit voces, &c,

Nonum Meteoron, *Ignis lambens.*

9. Ignis lãbens.

10 HÆc apparitio *eſt flamma quadam, accenſa in exhalatione tenui, & vncta, ex ſpiritibus animalium concinnata, circa hominum, & animantium capillos inhærens, ac relucens*: oritur plerumque ex animalium ſudore, cùm citato motu incaleſcunt. Hunc ignẽ lambentem ſuperſtitioſi quondam homines pro fortunæ ingentis præſagio venditabant, quò reſpexit Romanus Homerus, Virg. 2. AEn.

Ecce leuis ſummo de vertice viſus Iuli,
Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli,
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.

Felicitatem verò huius imaginariæ flammæ præcinit Claudianus de eodem Aſcanio, Claud 4. conſ. Hõr.

—— Ventura poteſtas
Claruit Aſcanio ſubita cúm luce comarum
Innocuus flagraret apex, Phrigioq; volutus
Vertice, fatalis redimiret tempora candor.

Simili præſagio Lauiniæ crines igneſcunt, Virgil. AEn. 7.

Viſa, nefas, longis comprendere crinibus ignem,
Regaleſque accenſa comas &c.

Cur ignis lambẽs ſit innocuus?

Ideò verò hic ignis innocuus dicitur, quia propter materiæ tenuitatem, quam ſolùm exſugit, nihil aliud vſtulat, vt cernitur in flãmula vini ardentis, quæ, propter fluxam raritatem, vim comburendi planè amittit, ſolùmque in madefacto linteo humorem inuadit, illæſo manente linteo. Noctu præcipuè ſe videndam exhibet hæc flãma; & aliquãdo interdiu, ſi videlicet denſior ſit halitus, ac pinguior ſudor; hinc eſt quòd irã præſertim, æſtuantia capita aliquando ſcintillare conſpiciantur, quia tunc videlicet pori aperti, puriores ſpiritus, ac magis ignibus idoneos ſuppeditant; multa afferre poſſem exempla, ſufficiant flammigantes Marij oculi, quibus

Digitized by Google

ceu geminis facibus, ſatellitem exterruit. Huc referam Muſarum Antiſtitem, dum irarum flammis Turnum inducit æſtuantem,

His agitur furijs, totóque ardentis ab ore
Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis. Virgil. Æn. 12.

Huc etiam fortè, per alluſionem traxit idem vates eiuſdem ducis galeam,

—— Æthneos efflantem faucibus ignes, Virgil. Æn.
Tam magis illa fremens, & triſtibus effera flammis,
Quàm magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnæ.

10. Draco volans.

Decimum Meteoron
Draco volans.

11 EST hæc adparitio *exhalatio pinguis, & copioſa accenſa, quæ è nubibus deorſum cadit obliquè, ſimilitudinem referens veri draconis volantis.* Cùm verò forma veri draconis oblonga ſit, amplo ac tumente aluo, exili capite, & gracili cauda, ita conantur Meteorologici hanc concretionem effingere, propterea quòd aſcendens, & occurres frigidæ nubi, deorſum ab ea truditur, & vel à motu, vel ab ſpiritibus igneis, ideſt radijs ſolaribus, per aerem diſperſis, accenditur; quia verò frigidæ nubis occurſu impellitur, flectitur, & curuatur in gibbum; ac tandem poſterior pars, quæ nubem frigidam attingit, quaſi conſtrictam draconis caudam repræſentat: partes etiam nubis, aut etiam exhalationis vtrinque appoſitæ alarum referunt imaginem, ex quibus dicitur *Draco volans*: exploditur plerumque è nubibus more fulminis, cùm verò languido, ac frigido ictu nubẽ cædat, inde eſt quòd ſine tonitru euibretur.

11. Caſtor, Pollux, & Helena.

Vndecimum Meteoron,
Caſtor, & Pollux, & Helena.

11 ACcenditur hoc Meteoron in pingui, & viſcoſa exhalatione, propter frigoris antiperiſtaſin, cum motu colliſionis, ex igneis ſpiritibus in aere reſidentibus: nauigantibus procelloſo tempore, præcipuè ſolet occurſare. Inde laborantibus, & periclitantibus nautis inter nocturnas tempeſtatum tenebras in antennis collucens, tanquàm tranquillitatis ſeſe nuntius reputatur. Atque olim pro Caſtore, & Polluce habebantur, quo ſenſu Venuſinus olor,

—— Quorum ſimul alba nautis Lib. 1. Ode 12.
Stella refulſit,
Defluit ſaxis agitatus humor,
Concidunt venti, fugiuntq; nubes,
Et minax (quòd ſic voluere) ponto
Vnda recumbit.

Qui error tenaciter adeò mentes hominum inuaſit, vt hodieque decepti nautæ (verſis ſemel in religionem animis) non exhalationẽ accenſam, ſed cæleſtem ignem cælitus in auxilium euocatum perſpectè ſibi aſpicere perſuadeant: vana tamen hæc hominum, & veritatis ignara ſuperſtitio; nam ſi Phyſica ratio á Phyſico magiſtro ſit reddenda, ea ſanè pro comperto habetur, cùm enim tales ignitæ concretiones, non iam huc, illuc reluctantes agitantur, ſed in antemnis, aut nauium arboribus conquieſcunt, indicant ſopiri tempeſtatem, malatiamque iterum redire; quod quidem non latuit Senecam Phyloſophum: *In magna, inquit, tempeſtate, apparent, quaſi ſtellæ velo inſidentes, adiuuari ſe tunc periclitantes exiſtimant, Pollucis, & Caſtoris numine: cauſa autem melioris ſpei eſt, quòd iam apparet frangi tempeſtatem, & deſinere ventos. &c.* Atque vt Plinius auctor eſt ſi binæ inflammationes conſpiciebantur, ideſt Caſtor, & Pollux ſerenitatem felicem, ſi vna tantùm, infauſtum exitum prænuntiari: inde fortè ſic, quia Caſtor, & Pollux benefici quondam nauigantibus, pyratis toto mari profligatis: Helena verò ſoror, à Paride rapta, decẽnalis obſidionis fatale fuit monſtrum, & exitiale prodigium.

Cur Caſtor, & Pollux indicent ſerenitatẽ. Senec. lib. 1. nat. c. 1. Plin. lib. 2. c. 37.

12. Tonitruum.

Duodecimum Meteoron,
Tonitrus.

12 SIc definitur: *Eſt ſonitus vehemens, ab exhalatione excitatus, fractione nubis*: exhalatio enim calida, & ſicca è terris in altum euocata, & intra nubium cauitatem incluſa, hùc, illùc, quaſi cuſtodiæ impatiens, circumcurſat; motu deinde agitationis incaleſcens, dum foras tentat erumpere, aut intra nubium latera reluctando tumultuatur, aut tandem nubium clauſtra victrix diſcerpit; tunc verò, prærupto obice, reboat in tonitruũ: fit autem horrendus ille ſonitus propter ſciſſuram, ac lacerationẽ nubis: quod non latuit Cordubenſem vatem,

—— Fractæq; tonitrua nubis. Lucanus 6. Pharſ.

Nec minùs Mantuanum Cygnum.

Non ſecus, atq; olim tonitru cùm rupta coruſco, Virgil.
Ignea rima micans, &c. Æn. 8.

Diuiditur Tonitruũ.

Diuiditur Tonitruum in crepans, ſtridens, & tumultuans: Crepans tunc datur, quando halitus intra nubem accenſus, ſubitoque, ac celerrimo impetu rareſcens, ſemel, ac ſimul nubẽ effringit, ac diſſipat, quo pacto ex bellico tormento erumpens flamma fragorem concitat. Stridens Tonitruum tunc datur, cùm

Digitized by Google

cùm nubes non vnico ictu diſrumpitur, ſed exhalatio ſucceſſiuè incenſa, non ſemel, ſed quaſi per partes nubem frangit, ac bombum ciet. Tonitrus tumultuans tunc fit, cùm exhalatio reſiſtantem nubem non frangit, ſed intra eius receptacula, eruptionem quæritãs, diuagatur, vnde quaſi indignabunda, ac fremens, per obſtantia clauſtra, horrendo murmure ingemiſcit: inde verò incipit,

Virg. Georg. 1.

— Aridus altis
Montibus audiri fragor, & reſonantia latè
Littora miſceri, & nemorum increbeſcere murmur.

13. Fulgur

De Fulgure, ac fulmine.

Cur prius videatur fulgur, quàm audiatur eius fragor.

13 SI exhalatio illa, de qua ſuprà, in nube recluſa, foras erumpat, flammámque concipiat, tunc exiſtit Fulgur. Cùm tamen prior ſit nubis laceratio, quàm fragor, cur priùs fulgur cernitur, & ſeriùs fragor auditur? Scilicet quia viſibilis ſpecies, ex quacunque diſtantia, ab obiecto in oculum momento emicat, ſpecies verò ſoni, quia in aere ſubiectatur, non niſi tardè peruenit, atque adeò vbi primum nubes rimam agit, & laceratur, interclusam flammam intuentium oculis oſtendit; vt dico in lib. de Anima diſp 81. ſect. 3. n. 9.

14 Fulmẽ.

14 Fulguri multum approximatur fulmen, metuendum videlicet mortalibus Meteoron: *Eſtq; exhalatio valdè obdurata intra nubem ignita, & inde magno impetu diſploſa, ad terramq́; pertingens*: in eo enim diſſociatur Fulmen à Fulgure, quòd Fulgur terram non tangat, vnde rectè à Seneca dictum: Fulgur *nihil aliud eſſe, quam flammam futuram Fulmen, ſi plus virium habuiſſet.* Lapidem ſecum defert, quia videlicet aliquãdo exhalationes multæ ſulphureæ, ac nitroſæ aquoſis nubibus anteà confuſæ latitabant, quæ frigore per antiperiſtaſin emiſſo, in vnum corpus conglobatæ, per nubem diſcurrentes, flammam concipiunt, collectóque impetu, effractis ſubitò clauſtris, inſano impetu præcipitantur in terras. Hanc Fulminum generationem ſic proſequitur phyloſophicus vates Lucretius,

Lucretius lib. 6.

Inde vbi perualuit vis venti, vel grauis ignis
Impetus inceſſit, maturum tunc quoq; fulmen
Praſcindit ſubitò nubem, ferturq; coruſcis
Omnia luminibus luſtrans loca, percitus ardor.

Sed è Lucretij ſocco ad cothurnum aſcendo Mantuani vatis, quem audio, in fabricando fulmine Vulcanium Pyracmona delaſſantem:

Virgil. Æn. 8.

His informatum manibus, iam parte polita,
Fulmen erat, &c.

Mox ad fulmina materiam Cyclopibus ſubminiſtrat:

Tres imbris torti radios, tres nubis aquoſæ
Addiderat, rutili tres ignis, & alitis Auſtri:
Fulgores nunc terrificos, ſonitumq́; metumq́;
Miſcebant operi flammiſq; ſequacibus iras.

Nec ſilendus Syilus,

Syl. lib. 5.

Hic ſubitus, ſuſo denſa inter nubila cælo,
Erupit quatiens terram fragor, & ſuper ipſas
Bis Pater intonuit, geminato fulmine, pugnas.

Cur fulminis deſcenſus non ſit rectus ſed obliquus?

Fulminis deſcenſus rectus non eſt, ſed obliquus, & tranſuerſalis; hinc nihil celebratius, quàm alta, & eminentia frequentiùs fulminari; ideò fulmen montibus præcipuè iniurũ, quaſi pœnam luant, quia primi elato ſupercilio audent obſiſtere: vnde ſic de tonante Ioue tonat Andinus vates,

Virg. Georg. 1.

Aut Athon, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Deijcit.

Eàdem verò de cauſa prælatæ vrbium, ac templorum turres, altiſſimæque arborum, vt pinus, & ornus fulminibus ſæpe infames,

Hor. lib. 2 Ode 10.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celſæ grauiore caſu
Decidunt turres, feriuntque ſummos
Fulmina montes.

Quò caſa contemptior, quò frutex humilior eò ſecuriùs debacchantis fulminis iram aſpernantur:

Claud. ad Adrian.

Incubuit nunquàm cæleſtis flamma ſalictis,
Nec parui frutices iram meruere Tonantis:
Ingentes quercus, annoſas fulminat ornos.

Obliquitatis in motu fulminis hæc ab Ariſtotele profertur cauſa, cùm enim lapidea fulminis concretio, propter grauitatem ſuam, & nubis exploſionem, deorſum impellatur, & aliunde ignis in exhalatione conceptus ſurſum eleuetur, commiſſâ vtrinque pugnâ, cùm neque ignis, neque grauitas lapidis velit cedere, in tranſuerſum deflectunt, motu quaſi compoſito ex aſcenſu, & deſcenſu.

De effectibus fulminum.

15 Sed omnium admirationem vincunt admirandi fulminis effectus; omnes proſequi non eſt animus: ſed imprimis ea præcipuè diſſipat, quæ magis inuadenti reluctantur, vnde, incolumi vagina, gladium comminuit: ratio illa eſt, nam raritas fulminis per corpora laxa, quæ minùs reſiſtunt, faciliori tranſitu illabitur, in denſis hæret diutiùs, ibique ſpiritu conferto, ac per omnes meatuum anguſtias (quaſi in vindictam moræ conſpirante) ferrum multiplicatis viribus inuadit, ac tandem victrix diſſoluit.

Fulmẽ nõ nocet dormiẽtibus, & cur.

16 Illud deinde refert Plutar. inter admirandos fulminum effectus; negat enim dormientibus obeſſe fulmen, fortaſſis ne omnino incautos inſidioſè opprimeret. Sed

Digitized by Google

cauſam conatur reddere ipſe Plutarchus, quia in dormientibus pori aperti, & hiantes tranſitum facilem fulmini præbent; ſed profectò, aut ſolos dormientes conuincet hæc ratio; aut ipſe Plutarchus euigilans ſomniabat; ſaltem enim dormientium oſſa non ſe aperiunt, atque adeò fulmini tranſitum præbere non poſſunt. Meliùs fortaſſe dixerim, ideò dormientes fulminibus non eſſe obnoxios, quia terræ ſternuntur, fulmen autem obliquo, & tranſuerſali ictu diſcurrens erectos, & in ſublime elatos faciliùs offendit, ac ferit, quaſi ſuperbis reſiſtat. Hinc illud eſt quòd homines fulminum pauore exanimati ſubmiſſi terram petant, quò reſpexit magnus Vates loquens de fulmine:

Virg. Georg. 1.

— Mortalia corda
Per gentes humilis ſtrauit pauor &c.

Periculum ſcilicet per humilitatem euaſuri. Forſan etiam incolumes euadunt dormientes, quia metu fulminis non tanguntur, qui ſolus metus aliquando vigilantes terrefactos afflat, & exanimat.

15. Cometa.

Decimumquintum Meteoron, *Cometa.*

Opinio eorū qui dicunt cometas eſſe ſublunares refellitur. Patres Conimb.

17 DE Cometa multiplices, ac variæ ſunt auctorum ſententiæ: illa præcipué inualuit, quam ex Ariſtotele ſequuntur Patres Conimbricēſes in lib. Meteoror. tract. 3. cap. 3: Eſſe, videlicet, *exhalationem pinguem, & craſſam in ſuprema aeris regione accenſam*: at enim qui Cometā ex hac pingui, & craſſa materia cōponit, pingui deſipit, craſſáque Minerua: hanc igitur opinionem ſic primò impugno; ſi enim eſſet inflammata exhalatio, non tandiu perduraret, actiuitas enim ignis illam breuiori tempore deuoraret. Secundò, quia cùm ignis ſurſum euolet, Cometam paulatim ab imo ad ſuperiora euocaret, quod eſt contra experientiā. Tertiò, quia, cùm ſuprema aeris regio à terra diſtet ſpatio circiter viginti leucarum, non efficeret Cometa ſuum curſum ſupra noſtrū hemiſphærium ſpatio duodecim horarum, vt bene demonſtrant Mathematici; cùm tamen conſtet experientiā fieri plerumque Cometarum curſum ſecundùm menſuram curſus cælorum, ſequitur non poſſe plerumque Cometas infra cælos generari. Quartò diſplicet, quia impoſſibile eſſet omnino moueri Cometam ad motum cælorum, ſuppoſito quòd longiſſimè diſtet à cælis, ſiquidem é ſuprema aeris regione, vbi dicunt hi auctores Cometam generari, vſque ad cælum Lunæ interjacēt 60000. leucæ, minùs viginti: ex his ſequitur impoſſibile eſſe omnes Cometas generari infra ipſos cælos.

18 Pleræque harum rationum ſimiliter demonſtrant non eſſe Cometam exhalationem illuminatam à Sole, vt volebat Galilæus Galilæi, tubi optici nobilis inuentor. Diſplicet præterea hæc opinio, quia non poteſt fieri talis illuminatio à Sole, propter terram interpoſitam, paruamque diſtantiam, quam habet in hac opinione Cometa à terra, vt in figura mathematica facilè demonſtratur. Si verò hæc exhalatio ponatur illuminata à Sole inter ipſas ſtellas firmamenti, tunc non eſt improbabilis hæc ſentētia, vt mox apparebit.

19 Communis ergo hodie ſententia, inter modernos Aſtronomos, tenet fieri Cometam intra ipſos cælos fluidos ex occurſu, & congerie planetarum extrauagantium, qui per cælum fluidum errabundi vagantur, & cùm ſinguli videri non poſſint, aliquando ita ſibi in cætum, & conſortium occurrunt, vt efficiant Cometicam figuram, ſicut de via lactea philoſophabimur, quam ſententiam præcipué defendit Ioannes Baptiſta Cyzato, in Mathematicis aſtronomicis de Cometa c. 7. *Alia opinio exiſtimantium Cometam eſſe cōgeriē minorū planetarū.*

20 In hac ſententia imprimis admitto cælos fluidos, & corruptibiles, vt conſtat ex lib. de Cælo. Deinde certum exiſtimo generari Cometam intra ipſos cælos, vt demonſtrant Tychonicæ obſeruationes, & certiſſimæ parallaxes: diſplicet verò ille minorum planetarum occurſus, nam tunc deberent eſſe Cometæ frequentiores, & redire certis tēporibus, redeunte, ex cælorum motu, eâdem partium diſpoſitione, vt cernimus in alijs maiorum planetarum occurſibus, qui, certis temporibus, ſibi ſolemniter correſpondent.

21 Ex qua igitur materia Cometæ intra cælos procreantur? cùm aciem vndique verto, nihil probabilius video, quàm ſi dicam generatione ſua nō differri à ſublunaribus Meteoris, atque adeò cæleſtium Cometarū materiā conſtare ex halitu, ſiue exhalatione ſeptē planetarū. Suppoſito enim, quòd cæli, ac Planetæ corruptibiles ſunt, vt probaui in libris de cælo diſp. 40. ſect. 1. & quòd illorū materia eiuſdem ſit ſpeciei cum ſublunaribus; ſicut exhalationes, & vapores é terra aſcendētes, cauſant ſublunaria Meteora, ita planetarij halitus in altius euocati, coire poſsūt in nubē, per quam ſolaris radius hàc, illac permeans, & varia ſe reflexione contorquens, figurā illā Cometicam, & caudaticam intuentiū oculis oſtentet: & ita ſentiunt aliqui illuſtres auctores, cū Camillo Glorioſo lib. 5. de Cometis c. 4. Fromondo de Meteoris lib. 3. c. 2. art. 3.

Cometæ oriuntur exhalitibus Planetarum.

Camillus Glorioſ. Fromond.

Cur

Cur Come tæ nō ſint tā frequē- tes? 22 Cur tamen, inquies, non tam frequētantur Cometæ intra cælos, cùm veroſimile ſit non minùs ibi cæleſtes nubes, quàm aerias, & ſublunares toto anno pendere? Reſpōdeo, quia imprimis è ſublunaribus frequentiores halitus eleuantur, ex terra videlicet, & aqua, quæ conſtant molliori, & fluxiori materia, & propterea faciliùs obediunt Soli exhalationē euocanti. Addo prætereà exhalationem ampliſſimam neceſſariam eſſe intra cælos enaſci, vt talis exhalatio hinc à nobis tam diſſitis cōſpiciatur, quod æſtimare licet ex maioribus Planetis, qui cùm multo ſint terrà ampliores, tam exiguos tamen ad ſpeciem orbiculos nobis explicant. Scio non defuturos huius ſententiæ ſeueriores iudices, at quiſquis es ò lector,

Hora. Ep. li. 1. Ep. 6.

—— ſi quid noſtiſti rectiùs iſtis,
Candidus imperti: ſi non, his vtere mecum.

Duo tamen addiderim; & vt demus aliquid noſtro Ariſtoteli. Dico primò generari item poſſe Cometam infra cælos; quod imprimis probat turbidus, & inconditus aliquorū Cometarum motus, Lunæque ex illorum oppoſitu offuſcatio, & aliquando lapſus in terram, affirmat enim Scaliger exercitatione 79. Cometam ſui temporis viſum in terras delabi; nec ſiniſtrè interpretandus de ſimili lapſu Claudianus. Scaliger.

Claud. 1. de Raptu.

Præceps ſanguineo delabitur igne Cometes,
Prodigiale rubens.

Confirmatur prætereà, quia ſicut infra cælos tot alias apparitiones liberaliter admittimus, cur non etiam Cometas? quorum materia exhalatio ſit robuſtior, vel accenſa, vel tantùm illuminata.

Arriaga. 23 Dico ſecundò cum Arriaga in ſuo Curſu Philoſophico diſp. vnica cæleſti ſect. 3. nu. 2. Cometas ſæpe naturales non eſſe, ſed miraculoſè procreatos, propter occultū aliquē finē. Addo tamen ego poſſe naturalē habere cauſā, & tamen in ſignum aliquod futuri euentus à Deo intendi, quemadmodùm patet in Iride, quæ cauſam habet naturalem ſui ortus, & tamen ſignum eſt à Deo inſtitutū diluuij non futuri. Atque hinc eſt innatus ille, & pertinax mortaliū timor de Cometis, quaſi tales ignes Deus accendat, vt ſe ſe erga mortales ira accenſum pronuntiet, plerūque enim Cometæ ſunt calamitatū, ac bellorum prænuntij: vnde cùm tot clades Romanos opprimerent bellis ciuilibus,

Virg. Georg. 1.

Non aliàs cælo ceciderunt plura ſereno
Fulmina, nec diri toties arſere Cometæ.

Quò item reſpexit Silius lib. 1.

Sil. lib. 1.

—— Non vnus crine coruſco
Regnorum euerſor rubuit feralis Cometes.

Conſonum eſt illud eiuſdem vatis,

Syl. lib. 8.

Crine vt flammifero terret fera regna Cometes
Sanguineum ſpargens ignem, vomit atra rubentes
Fax cælo radios, & ſæua luce coruſcum
Scintillat ſidus, terriſque extrema minatur.

De Iride, Rore, Nimbo, Grandine, Niue, ac Nube.

24 IRis eſt *arcus multicolor in nube rorida opaca, & concaua, aduerſis Solis radijs illuſtrata*: quam ſic deſcribit ingenioſus Vates, 6. Met. Ouid 6. Metam.

Qualis ab imbre ſolet, percuſſus ſolibus arcus,
Inficere ingenti longum curuamine cælum:
In quo diuerſi niteant cùm mille colores,
Tranſitus ipſe tamen ſpectantia lumina fallit.

Ros, & pruina fiunt *ex vapore exiguo, & ſubtili excitato à calore, & per frigus ſerenæ noctis, in prima aeris regione ſolutus.* Vnde ſi temperatum eſt frigus, fit ros: ſi immoderatum, fit pruina.

25 Nimbus *eſt nubes in aquam ſoluta.* Nix *eſt nubes frigida denſitate congelata in media aeris regione, & inde deorſum cadens.* Nubium materiam vapores præſtant, cauſa efficiens eſt calor, qui vaporem allicit in mediam aeris regionem, vbi, ob frigiditatem, amittitur calor, & vapor ipſe frigore compulſus addenſatur in nubem, eſt igitur Nubes *vapor addenſatus.*

SECTIO. III.

De Ventis, de Via lactea, de Terræ motu, de Mari, Fluminibus, ac de Fontibus.

25 COmmunis multorū ſententia fuit exiſtimantium ventorum materiā eſſe aerem motum: ſed qui ita opinantur, dum cauſam non reddunt ventorum motricē, tota illorū de ventis opinatio flacceſcit in ventos. Additur quòd vētorum proprietates longè diſſidant ab aereis paſſionibus, venti enim ſicci atem plerumque inducunt, aliaſque imprimunt qualitates multùm ab aere diuerſas. Ex qua materia ex ipſo conſtent Venti?

26 Ariſtoteles, quem communiter ſequūtur Auctores, cum Patribus Conimbr. in lib. Meteo. tr. 6. c. 3. multò probabilius exiſtimat, ventorum materiā halitū eſſe calidū, & ſiccū, quod probatur, quia tēpore, quo maiores ſiccarū exhalationū copiæ ſuppetunt, tunc crebriùs adſpirant venti. Secundò, quia Nautæ vehementiſſimos ventorū ſpiritus, circa promontoria præcipuè, experiuntur, quia videlicet halitus ille ex vicina terra extractus, initio ſuo integris conſtat viribus, dum verò in altum

Digitized by Google

altum peruenit, laſſatus iã, ac debilitatus paulatim euaneſcit. Quãuis autẽ ventorũ materia plerũque ſit calida, & ſicca, cùm tamẽ aliquãdo aqueos vapores halitibus præmiſtos mare, & flumina ſuppeditẽt, inde eſt, quód aliquãdo per menſes integros feroces, ac validiſſimi è mari venti proſiliant, qui multùm etiã humiditatis ſecum inducunt, hinc Auſter humidus dicitur ab excellenti Vate,

Virg. Georg. 1.

— Quid cogitet humidus Auſter.

Qua virtute, Vēti impellantur?

Sed qua vi, ac virtute tã validé Venti cieãtur? i . . ab . ito profectò eſt, ac perdifficile, & propé abſconditũ in thezauris, à quibus Deus Optimus Maximus, vt Vates Regius cecinit, Ventos producit. Cõmunis ſentẽtia docet, cui adſtipulatur Collegiũ Conimbricẽſe, halitus iſtos Solis, & aſtrorũ calore in altum euocatos, frigoris deinde impetu aſcẽſum prohibentis, ref . acto, ac diſſultãti impetu reſilire. Cúm igitur leuitas ventorum nequeat euincere impulſum frigoris deorſum impellentis, nec exhalatio quaſi pendula hærere poſſit in aere, cedit quodãmodo, & in obliquũ agitatur, iuxta maiorẽ, aut minorẽ impetũ, quo in ſublime rapti deorſum retunduntur: igitur ex pugna eleuãtium, & deprimentiũ partiũ oritur motus ille trãſuerſarius ventorũ. Illud tamẽ difficilé percipio in hac cõmuni ſentẽtia, quo pacto frigus, quod nõ eſt adeó actiuũ, tãto impetu exhalationẽ abigat, ac propellat; reclamãte experiẽtia, quæ docet frigus non ſubitó, & per impul . um, ſed paulatim refrigerãdo, dẽſãdo & aggrauãdo hoſtẽ inuadere, & impellere.

Pſal.

27 Propter hãc difficultatẽ multi alij Auctores, Angelos ipſos Ventorũ motores effecerunt, quod è ſacris literis conantur eruere, præcipuẽ Apoc. 7. vbi D. Ioan. vidit *Quatuor Angelos ſtãtes ſuper quatuor ãgulos terræ, tenẽtes quatuor vẽtos, ne flarẽt ſuper terrã.* At enim, ſi Angelos ego à miniſterio mouẽdi cælos reddidi immunes, in lib. de cælo d. 45. ſe. 4. qua frõte illos efficiã, aut furibũdos de bacchãtiũ vẽtorũ bajulos, aut furẽtis Æoli fremẽtes nũtios, ac turbulẽtos miniſtros? Adde, quia Angeli, dato quód cælos agitent (in cõmuni, ac veteri ſentẽtia) id quidẽ præſtẽt æquabili, cõpoſito, & maximé regulari motu, nihil verò eſt vẽto inconſtãtius, nibil inæqualius, ac violẽtius. Non abnuerim tamẽ extraordinarios ventorũ flatus officioſo fieri aliquãdo (imperãte numine) Angelorũ obſequio, quod fortaſſe cõtigit Exod. 10. Quãdo *Dominus induxit Ventũ vrentẽ tota illa die, ac nocte, & manè facto ventus vrens leuauit locuſtas &c.* Quos cæleſtes, & Angelicos ſpirituũ flatus poetico adflatus ſpiritu forté meditatur Claudianus, cùm imperatori ſuo induxit aſtra obſequioſé famulantia,

Angeli nõ ſunt Vẽtorũ Æoli.

Exod. 10.

O nimiùm dilecte Deo, cui fundit ab aſtris
Æolus armatas acies, tibi militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſſica Venti.

Dicendũ ergo exiſtimo ventos per halitus in ſublime euectos, ac viã frigore impediẽte, terráque trãſitũ denegãte, grauitate ſua cõpulſos deorſum refluere; cùm enim nec in altum remeare, neque in imo poſſint ſe occludere, nihil reſtat, niſi motus per orbẽ, & trãſuerſalis. Quód veró venti inſita grauitate ſint præditi (quãuis aliunde pẽnati ſint, ac velociſſimi) nobis iã dubiũ ſubeſſe nequit, ſi recolantur ea, quæ dico in libris de cælo d. 47. ſect. 4. quod imprimis auctoritate ſacræ paginæ cõfirmatur, iuxta Iob. 28. *Qui fecit ventis pondus. &c.* Cõfirmatur deinde, quia aliquando validiſſimo flante vento prope terrã, nubes aliquot ſtatariæ, & immobiles ſupra ventos in aere apparent, quod argumẽto profectò eſt, plus grauitare ventos, quàm nubes, quãuis hæ conſtent corpore denſiore, grauitas verò denſitatis eſt perpetua comes. Queadmodùm ergo torrentes, ac flumina grauitate ſua dilabentia, terrã per alueos fæcundant, ita venti, tanquám aeria flumina, per ampliſſima aeris ſpatia diuagantur.

Venti grauitate ſua in terram recidunt.

Iob. 28.

28 Sed cur in hanc potiùs partẽ, quàm in illã diriguntur? Reſpondeo, quia ſemper exhalatio à parte potentiori propellitur, ita vt ſi verſús aquilonẽ halitus ſurgat, à corpuſculis frigore in aere conſtipatis impediatur, & grauitate ſua deorſum cadens, nõ ad Septẽtrionẽ, ſed ad Auſtrũ ruat; ſi enim verſus Borealẽ polum cõtenderet, quæreret, quod fugit, nempe anguſtias illas arctiores frigore condenſatas. Similiter, ſi halitus ſint oppoſiti Soli enaſcẽti, vel alijs etiã aſtris iter impedientibus, motus fiet ab Oriẽte in Occidentẽ: & ſic de alijs motibus quoquò verſús licebit facere cõiecturã.

Cur venti in hã: potiùs partẽ moueãtur.

29 Ex quibus tandẽ conſtat quæ ſit cauſa formalis, & diſtinctiua ventorum, per quã ab alijs Meteoris ſeparantur, eſt enim curſus ille trãſuerſalis circa terram. Finalis cauſa multiplex eſſe poteſt, ventos enim produxit Deus, quaſi pigritiã aeris diſcuſſuros: eius ſitum, ac putredinẽ purgaturos, leuaturos æſtum; impeaturos Oceano: præbituros cõmercia omniũ gentium; nubeſque, vt repluant, & terram irrigent, quoquò verſús delaturos.

De cauſa formali, & finali ventorum.

De Via Lactea.

29 Sed ab aere in cælũ euocor, quò me inuitat ſpecioſiſſima apparitio, ad quã nobis via eſt non obſcura, & nebuloſa, ſed lactea, & manifeſta, de qua Ouidius,

Eſt via ſublimis cælo manifeſta ſereno,
Lactea nomen habet candore notabilis ipſo.

Ouid. in Metam.

Multi

Multi tamen in hac luce caligauere, & viam in hac via errabundi amiſere, exiſtimantes lacteum circulũ perpetuũ eſſe Cometã: mitto in Parnaſſo dormientium ſomnia, qui hanc cæli partem Iunonis lacte, alijſque doctis fabularum commentis adſperſere.

Quomodò definitur via Lactea.

30 Eſt igitur lacteus hic circulus, *inſtar Zonæ cuiuſdam innumerabili gẽmularũ, ſiue ſtellularũ congerie, per diſtincta interuala, concinnatæ.* Totam enim hanc viã his, veluti ſidereis capillis, ſtratã, & intertextã nuper nobis tubi optici miniſterium explicauit: quarè cùm verum teneamus, non eſt cur dubia exploremus. Candor verò iſte, quẽ cernimus, partim inhæret in ſtellulis, partim circa ipſas in propinquo medio, vbi radij ſatis dẽſi, & vberes inter ſe conſpirãtes tricãtur, & congeminãtur. Ex quibus tãdẽ hæc colligi poteſt huius lactei circuli deſcriptio: Eſt *luminoſus circulus ex tenuiſſimis firmamenti ſideribus complicatus, cælum per Geminos, & Sagittarium, in duo hemiſphæria diuidens.*

De Terræ Motu.

Quomodò cõtingat terræmotus?

31 AT quoniã huc vſque terrarũ halitus in cælũ eleuatos proſequuti ſumus, eoſdẽ intra terrarum cõceptacula detẽtos ne aſcẽdant, iterũ deſpectemus. cauſas terræmotuum rimaturi: qui cõtingunt, quãdo halitus, qui debuiſſent è terra expirare, frigore per hyemẽ obſtricti, prohibẽtur ne aſcendãt, & in ſubterraneis latebris, quaſi reluctãtes, obſtruũtur. Vnde, terræmotu inſtante, ex defectu exhalationum aſcendẽtium, plerumq; cælum nõ procelloſum, nõ inquietũ, non ventoſum: hinc illud, quod aduertit Plinius l.2.c.80. *Terræmotus fieri, dũ tempeſtates ſopiuntur* Quaſi clãdeſtinæ inſtruãtur inſidiæ, cùm hoſtis nuſquàm in acie adpareat, nulli ventorum ſpirent fremitus, vt ſola ipſa terrarum fremãt, nulliq; tunc nubiũ tonitrus, vt tonet terra, ſilente cælo. Ergo terrarum halitus anguſtijs violẽter intercepti, & per antiperiſticum calorẽ rarefacti, nouóque rarefactionis tumore quaſi ſuperbiores, nec iã ſe intus capientes, ac percluſo exitu ferociores, intus imprimis tumultuãtur; ac tandẽ per obſtantes aggeres, ipſa veluti mũdi mœnia inuadentes, naturæ fundamenta cõuellunt, laxataque, ac lacerata humo, viã ad auras cateruatim admoliti, quando aliter non poſſunt, per terrarum vulnera, fragore horrifico, erũpunt. Hæc de terræ motu, immò & de æthereis cõcretionibus ſint ſatis: nec iam licet,

Plin. lib. 2 c. 80.

Me ſuper æthereas errare lucentiùs auras — *Virgil. Æn. 7.*

De Mari, Fluminibus, ac Fontibus.

32 DIxi de cæleſtibus Meteoris, à cælis ergo, veluti Phaetõ, in mare demergimur, verùm, adſpirãte Numine, quod non illi cõtigit, emerſuri: iuuat igitur breui oculorũ intuitu,

Neptunum procul è terra ſpectare furentem. — *Hora. li. 1. Epiſt. 11.*

Et imprimis recolenda ſunt ea, quæ dixi de Mari in lib. de Cælo. nunc verò maris ſalſedinem, eiuſque æſtum breuiter veſtigabo. Mare imprimis ſic definiri poteſt, *Eſt cõmunis aquarũ congregatio, & origo cæterarũ*: à ſalſedine ſalsũ, & ab amarore Mare appellatum exiſtimo. Omiſſa philoſophãtium rixa ſuper maris ſalſugine, illã dico à Deo additã marinis aquis ad piſcium vitã, & cõtra aquarum aliàs ſtagnantium putredinem, enim verò,

Vnde Mare habeat ſalſedinẽ?

Et capiunt vitium, ni moueantur, aquæ. — *Ouid. 1. de Põt. Ele. 6*

Quæ ſalſedo prouenit ex mixtura exhalationum, quas Deus è terra elicuit, & in aquas aſperſit. Sed cur Mare nunquàm amittit amarorẽ tot dulcium fluuiorum incurſu, eius ſalſedinẽ diluentium, vaporumque per nimbos repluentium infuſione? Reſpondeo cauſam petendã eſſe ab exhalationibus terreſtribus, aduſtis, nitroſis, & opacis, quæ vẽtorum, aſtrorumque miniſterio in mare recidentes, ſalſedinem, vel addunt, vel conſeruãt: itẽ, vt egregiè docuit Ariſt. 2. Meteor. c. 3. Solis vi è ſubiecto vndis ſolo quotidie halitus euocante, & craſſo quodã lentore marinis aquis à natura indito, terreorũ halituũ expirationẽ arcente.

Ariſtot.

Improbãtur antiquæ Philoſophorum ſententiæ.

33 Pergo iã ad causã marini æſtus, quod eſt vnum ex abditiſſimis naturæ arcanum, & imprimis non defuere philoſophi, qui crederent terrã vaſtiſſimum eſſe animal, quod immanibus pulmonũ follibus marinas aquas per ſolẽnia interualla viſceribus inſpiret, & reſpiret. Alij in fundo maris vaſtos ardere ignes arbitrãtur, tãquàm ſub olla ingenti, atque adeò, ſtatis horis, per rarefactionẽ, & tumefactionẽ, rareſcere, intumeſcere, deſpumare, ebullire, ampullarique Oceanum. Opinio tamen hæc firmata ollæ exemplo, ad ollas iterum remittenda, quî enim fieri poteſt, vt ingens hæc olla, tam certis, ac ſtatis horarum interualis, ex incerto, ac inſtabili incendio modò intumeſcat, modò cõdenſetur? deinde cur non ex hoc ſuppoſito igne aquæ marinæ incaleſcent?

Luna eſt præcipua cauſa marini æſtus.

34 Nulla igitur marini æſtus certior ratio petenda eſt, quàm à Luna, docet enim experientia, aſcendente Luna, Mare ſenſim intumeſcere, & cum ea ſimiliter deſcendente, refluere: vnde eſt, quòd ſingulis diebus vnã ferè horã ſeriùs aſſurgat æſtus, quia Luna vnã ſimiliter fere horã reciprocat in ortus, tardiúſque quàm præcedẽte die, ſpatio vnius horæ, accedit ad orizontem: hæc eſt hodie receptiſſima ſententia, quam tenent D. Tho. Scot. Albert. Magn. Alenſ. & alij quos citant, & ſequũtur Patres Conimbr. in libris Meteoror. tr. 8. c. 6.

D. Thom. Scotus. Albert. Magn. Alenſ. Patres Conimb.

Digitized by Google

c.6, item Fromondus de Meteor. li.5.c.1.ar.9. *Fromond.*

35 Quo pacto veró fit hæc vndarū reciprocatio? Reſpondeo prouenire à Lunæ lumine æſtus marinos ſtimulante, & in maius extollente: probatur, quia plenilunio abundantiſſimi ſunt æſtus, videlicet quando ipſa Lunæ facies terræ impendens immenſa eſt orbe pleno, & à lumine turgentior, mariq; proinde imperioſior: ergo ſimiliter Maris acceſſus, & receſſus, ſecundùm proportionem lunaris luminis attemperabitur, per accretionē, vel decretionem.

Æſtus maris non fit per ſolam rarefactionem. 36 Non fit autem talis vndarum tumor per ſolam qualitatem rarefactiuam: & probatur, ſequeretur enim quòd naues, æſtu feruēte, altiùs in aquam rarefactam deprimerētur (quod eſt contra experientiam) nam vbi amplior eſt, & diſſolutior raritas, ibi minor eſt reſiſtentia, debiliorque ponderis tolerantia. Fit ergo hic tumidus aquarum æſtus ab ſpiritibus in fundo maris demerſis, & in ſuperficiē à Luna euocatis, qui vndas inflant, & hâc, illac diffugientes dilatant: atque hac via incōmoda rarefactionis euitātur, intelligiturque quo pacto duo eiuſdem maris portus vnus ad Orientem, ad Occidentē alter, vno, eodemque fluxu compleantur. Ad extrahēdos verò hos ſpiritus multùm iuuat Sol, qui hos halitus vaporiferos maximè ſollicitat, & inde fit, vt interlunio, quando Sol cum Luna in eodem conſpirant cœtu, incrementa maiora ſumant æſtus; vti etiam in plenilunio, quando lunare, ſidus maiori Solis adſperſum lumine maria deſpectat.

De origine, fluminum, ac Fōtium. 37 Sed omiſſa Maris iactatione, ad fluminum, & ad fontium originem eruendam lubentiùs accedo. De his tamen breuiter dico, negandum non eſſe in ſubterraneis ſpecubus magnam aquarum molem deliteſcere, vt cōtinuis puteorum experimētis comprobatur, quæ quidem aquæ per occultos terrarū meatus cum Mari ipſo cōmercium habent. Sed quo vehiculo hæ ſubterraneæ aquæ in altiſſima ſæpe montium cacumina tranſcendunt? Reſpondeo, hoc quidem duplici præcipuè de cauſa prouenire, tum ex Aſtrorum euocatione, in commodum Vniuerſi (vt docet D. Thom. 2. ſent. diſt. 14. q. vnica, ar. 5. & From. in Meteor. lib. 5. cap. 2. ar. 1. item Sebaſt. Baſſone tract. contra Ariſtot. lib. Meteor. art. 5.) tum etiam ex inteſtinis ignibus per terrarum penetralia latitantibus, qui vt mineralia, & metalla concoquunt, ita ſubterraneam aquā per latentes hiatus, & per occulta ſpiracula in vapores euehunt, qui tandem in fontanas, ac fluuiales aquas abeunt reſoluti: quò plures verò, & copioſiores ſtillæ ex vaporibus genitæ in vnum confluxerint, eò vberior, ac perēnantior defluet ſcaturigo. Per collocationem autem terream, & arenoſam ſalſedo marina eliquata deperditur. *D. Thom. Fromond. Sebaſtia. Baſſone.*

38 Sed iam circa Meteorum notatiunculas, immò & circa totam hanc ſecundam SVMMÆ partem, pro hoc primo volumine, etſi adductiùs, & compendioſiùs, datum ſatis: de plurimis frigidis, & inanibus pauca, aut nihil collegimus; de ſerijs, dedimus parca, quod ſatis eſt, manu: quòd ſi indocti minùs fortaſſe, quàm volumus, docti verò plùs etiam aliquantulùm venantur: vt lubet, nos enim

Luſimus alternis, doctis breuitate placemus,
At verò indoctos ludere grande lucrum eſt.

Vnum illud, præque omnibus vnum in votis habeo maximè, vt Deus Optimus, Maximus; & Sanctiſſima Virgo mea hæc adprobent,

— Quibus hæc, ſint qualiacumq;, *Hor. Sat. 10. lib. 1.*
Arridere velim, doliturus ſi placeant ſpe
Deteriùs noſtra —

De reliquis,

Securus, cadat, an recto ſtet fabula talo. *Hor. li. 2. Epiſt. 1.*

Vos igitur riuos claudite, & plaudite.

Finis ſecundæ partis, ac primi voluminis huius Summæ.

LAVS DEO, AC MATRI VIRGINI.

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVÆ IN PRIMO VOLVMINE HVIVS TOMI PHILOSOPHIÆ CONTINENTVR. P.paginam, N.numerum indicat.

A.

Abſtractio.

Abſtractio Vniuerſalis fit per intellectum. pag 12.n.4.
Abſtractio Vniuerſalis non poteſt formaliter fieri à Deo. p.32.n.1.
Poteſt tamē Deus producere effectiuè hanc abſtractionē. ibid.n.12.
Angelus non poteſt naturaliter effectiuè producere ſpeciem intentionalem, per quam abſtrahat Vniuerſale, poterit tamen diuinitus hoc efficere. p.36.n.1.
Poteſt Angelus abſtrahere Vniuerſale formaliter, vtendo ſcientia naturali p.37. à n.5.
Abſtractio, & contractio Vniuerſalis in opinione Nominalium conſiſtit in maiori, vel minori conceptuum expreſſione. p.20. n. 6.
Quibus potētijs cōpetat abſtractio Vniuerſalis? p 32 à n.1.
Nullus ſenſus, neque externus, neque internus poteſt abſtrahere Vniuerſale. p 40.& 41.à n.1. & à n.13. loquor de Phantaſia.
Abſtracta an, & quomodò ſint vera genera, & species? p. 59 à n.18.

Accidens.

Quo pacto definiatur accidens, prout eſt quintum prædicabile? p 71. n.7.
Datur accidens genericum, quod in ſe eſt ſpecies infima. p.72. n.8.
Accidens extra ſubiectum ſi habeat modum exiſtendi per ſe, conſeruatur diuerſa actione ab ea, quam habebat in ſubiecto. p.155.n. 7.
Accidentia ſupernaturalia ſunt nobiliora ſecundùm quid, quàm materia prima. p 204.n.12.
Quid ſit Accidens Phyſicum? p. 74 initio diſputationis.

Actio.

Actio extrinſeca habet ſubiectum denominationis. p.181. n.14.
Actio nequit dari ſine termino. p. 182.n 4.
Actio libera in Deo non habet neceſſariam connexionem cum obiecto. p 184 n 24.
Actio, qua Deus conſeruat materiam ſine forma, eſt ſolo numero diuerſa ab ea, qua materiam conſeruabat cum forma. p.195 n.18 & 19.
Actio non recipitur in termino tamquàm in ſubiecto. p. 189.n.7.
Actio, quæ terminatur ad formam, cum materia, eſt diuerſæ ſpeciei ab ea, quæ terminatur ad formam extra materiā. p.190. n.16.
Actio eſt propter finem, vt quo, non vt quod. p.248.n.15.
Eadem numero actio cauſæ ſecundæ eſt concurſus cauſæ primæ. p.248.n.13.

Actus.

Actus idem non poteſt ſimul eſſe ſupernaturalis, & falſus? pag 154.n.12.
Actus phyſicus, ideſt forma, diſtinguitur eſſentialiter à materia. p.192.n.8.
Actus Vniuerſalis eſt identitas cum inferioribus. pag 12. n.27.
Dari poteſt vnus actus, qui formaliter cadat ſupra præmiſſas, & ſupra concluſionem. p.153.à n. 3.
Actus ſcientiæ circa idem obiectum poteſt eſſe ſimul naturaliter cum actu opinionis, qui non habeat actualem formidinem p.163.n.6.
Actus ſcientiæ, & opinionis non ſunt contrarij ſecundùm ſe. p.164. n.10.
Actus ſcientiæ, & opinionis habentis actualem formidinē non poſſunt ſimul actualiter dari in eodem intellectu circa idem obiectum. p.165.n.14.
Vtrùm dari poſſint in eodem intellectu in diuerſis locis conſtituto? Negat Soar. p.166.n 20.
Sed probabilior videtur oppoſita ſententia.p.281.à n.15.
Actus liberi, & efficaces, vel etiam inefficaces diuinæ voluntatis. Vide verbo ſignum.

Æquiuoca.

Quid ſint æquiuoca. pag.73.
Diuiſio æquiuocorum. ibidem.

Aer. Vide Elementum.

Figura Aeris eſt rotunda, & orbicularis. p.371.n.1.
Superficies conuexa Aeris eſt etiā orbicularis. p.371.n.2.
Aer eſt ſupra terram, & aquam. p.372.n 6.
Aer ſuam habet grauitatem. p.372.à n.9.
Cur Aer ſit ſupra terram. ibidem, à n.12.
Cur aer modo non grauitet. p.374.n.17.
Tres ſunt Aeris regiones. p.375.n.1.

Affectio.

Pia Affectio neceſſaria eſt ad eliciendum quemcumq; actū opinionis, aut fidei. p.161.n.4.

Agens.

Agens corporeum non poteſt connaturaliter vti inſtrumento ſpirituali. p.105. n.9.
Agens vt operetur requirit diſtinctionem, ſaltem modalē ab effectu. p.231.à n 11.
Agentia naturalia, quæ non habent cognitionem, non operantur propter finem à ſe intentum. p.252 n.1.
Agentia naturalia, quæ operantur, præuia cognitione, ſed ratione carent, operantur propter finem materialiter, non verò formaliter. p.252.n.2.
Sola agentia rationalia operantur propriè propter finem. ibidem, n. 3.

Digitized by Google

Amor.

Amor terminatur ad exiſtentiam. pag. 187. n. 47.

Analoga.

Quid ſint Analoga, & quomodò diuidantur. pag. 74.

Angelus.

Angeli non componuntur ex materia ſpirituali. pag. 203. n. 5.
Quo pacto fiat Angelorum loquutio. p. 89. à n. 8.
Vtrùm fiat hæc loquutio per ſigna formalia, an per inſtrumentalia? ibidem.
Angelus per ſcientiam naturalem non poteſt formaliter abſtrahere Vniuerſale poſitiuum, neque poteſt efficere diſtinctionem rationis circa res ſibi euidenter cognitas. p. 38. n. 10
Poteſt Angelus efficere diſtinctionem rationis circa res ſibi ineuidentes. p. 37. n. 8.
Angelus ſemper dicitur creatus. p. 210. n. 6.
Angelus propriè vtitur ſignis. p. 88. n. 23.
Vtrùm Angeli moueant cælos & aſtra? Vide verbo Aſtra.
Angeli ab initio non habuerunt ſpecies cogitationum cordis. p. 114. n. 17
Angeli habent ab initio ſuæ creationis ſpecies naturalium obiectorum, & quomodo? p. 113. à n. 9.

Anima.

Anima rationalis non educitur de potentia materiæ. pag. 217. n. 4.
Nec diuinitus educi poteſt, ſed à ſolo Deo creari poteſt. pag. 210. n. 9.

Aptitudo.

Aptitudo Vniuerſalis eſt quædam indifferentia ad eſſendum in inferioribus p. 6. ſect. 4. n. 1.
Eſt potentia Logica poſitiua rationis p. 7. n. 4.
Eſt potentia poſitiua virtualiter diſtincta. p. 7. n. 6.
Aptitudo Vniuerſalis eſt priuatio. p. 8. n. 10
Aptitudo Vniuerſalis eſt quid ſingulare. p. 9. n. 17.
Præter aptitudinem ad eſſendum in pluribus datur aptitudo ad inexiſtendum in pluribus. p. 10. n. 24.
Aptitudo ad eſſendum etiam in quinto Vniuerſali ſemper eſt prior aptitudine ad exiſtendum. p. 10. n. 25.
Tot ſunt aptitudines, quot identitates. p. 44. n. 2.
Actus aptitudinis ſunt multiplices. p. 10. n. 26.

Apprehenſio.

Prima apprehenſio ſemper habet veritatem. p. 101. n. 8.
Ad veritatem primæ operationis ſufficit conformatio cũ re prout obijcitur. p. 104. n. 4.

Ars.

Quo pacto producat effectus admirandos. pag. 219. n. 5. & 6.
Vtrùm per artem chymicam verum aurum fieri poſsit. ibidem, n. 7. & 8.

Aſſumptiua.

Vniuerſalia aſſumptiua de facto non dantur, ſi cum Verbo diuino comparentur. p. 46. n. 11.
Aſſumptiuorum Vniuerſalium definitio. p. 47. n. 19.
Probabile eſt aſſumptiua non conſtituere noua vniuerſalia ſed pertinere ad vulgata. p. 47. n. 15
Probabile eſt aſſumptiua de nouo conſtituere tria Vniuerſalia. p. 47. n. 18.
Probabile item eſt aſſumptiua vnum tantùm conſtituere Vniuerſale. p. 48. n. 28.
Probabilius exiſtimo quinque dari ſpecies vniuerſaliũ aſſumptiuorum. p. 49. n. 30.
Sententia Patris Fonſecæ de aſſumptiuis exponitur. pag. 47. n. 17.

Aſtra.

Aſtra ſunt corpora ſolida. pag. 354. n. 8.
Sunt corruptibilia. ibidem, n. 10.
Aſtra ſunt corpora mixta, compoſita ex quatuor elementis p. 355. à n. 12.
Aſtra majori ex parte plus ignis habent, quam alterius elementi p. 355. n. 15.
Aſtra non mouentur ab Intelligentijs, ſed ab intrinſeco. p. 356. à n. 1.
De fide non eſt aſtra moueri ab Angelis. p. 358. n. 12.
Omnis aſtrorum lux eſt eiuſdem ſpeciei p. 36 . n. 1. & 2.
Omnia aſtra lucem à Sole mutuantur. p. 36 . n. 3.
Nullum aſtrum ſupra Solem patitur ecclypſim. pag. 361. n. 4
In veteri ſententia aſtra mouentur cum ſuis orbibus. pag. 362. n. 1.
Aſtra ſolùm habent motum ab Oriente in Occidentem, & quomodò? p. 363. n. 5. & 6.
Quæ ſit Aſtrorum figura? p. 363. à n. 7.
De numero Aſtrorum p. 364. à n. 1.
Quamuis Aſtra ab intrinſeco moueantur, non tamen ſunt viuentia p. 359. n. 21.
De dependentia, quã habent res ſublunares à motu Aſtrorum p. 347. à n. 1.
Quo pacto motus, aut quies conueniat Aſtris? à pag. 338.
Vide prætereà verbo Planetæ.

Aſtrologi.

Quos effectus poſſint Aſtrologi prædicere; pag. 349. à n. 4.
Aduerſus Aſtrologos, & Iudiciarios. ibidem, n. 8.
Quæ poſſint Aſtrologi certò prædicere? p. 350. à n. 9.

B.

Bonitas, Bonum.

BOnitas eſt proxima ratio cauſandi in fine. p. 248. n. 1.
Bonum apprehenſum intentionaliter ab intellectu poteſt realiter cauſare actus voluntatis. p. 249. n. 4
Bonum quod mouet voluntatem debet eſſe honeſtum & delectabile ibidem, n. 6.
Bonum vtile non poteſt per ſe appeti. p. 249. n. 6.

C.

Cauſa

OMnis cauſa per ſe eſt ſignum naturale inſtrumentale ſui effectus. pag. 91. n. 1.
Cauſa debet eſſe prior ſuo effectu. p. 181. à n. 2.
Cauſa phyſica debet diſtingui ab effectu, ſaltem ex natura rei. p. 181. n. 2.
Neceſſariò requirit exiſtentiã vt cauſet realiter. p. 181. n. 1.
Cauſa in actu ſecundo conſtituitur per actualem cauſalitatem. p. 180. n. 11.
Omnis cauſa eſt relatum tranſcendens ad effectum. pag. 182. à n. 11.
Ad cauſam phyſicam non ſufficit prioritas originis, vel rationis. p. 182. n. 9.
Cauſæ poſſunt ſecundùm diuerſas exiſtentias eſſe ſibi inuicem cauſæ. p. 188. n. 1.
Cauſæ non poſſunt ſe inuicem cauſare in eodem genere, & ſecundùm eandem exiſtentiam p. 189. n. 2.
Cauſa efficiens, & finalis poſſunt ſibi mutuò eſſe cauſæ. p. 183. n. 1.
Cauſa dicit reſpectum tranſcendentalem ad effectum, & quomodò? p. 183. n. 16.
Cauſa dependet à poſteriori à ſuo effectu p. 18

Cauſa

Cauſa vniuoca non eſt phyſicè nobilior ſuo effectu, æqui-uoca verò poteſt eſſe nobilior. pag. 146. n. 8.
Cauſa formalis ſolùm eſt vera cauſa reſpectu compoſiti. p. 189. n. 6.
Quid ſit cauſa creata, & quomodò diuidatur. p. 179 à n. 6.
Cauſæ formaliter ſuptæ eſſentialiter diſtinguuntur. p. 180. n. 7
Quid ſit cauſa efficiës, & quomodò diuidatur. p. 199 à n. 1
Cauſalitas efficientis eſt actio. ibidem, n. 5. & 6.
Requirit logicè exiſtentiam. pag. 130. n. 4.

Cauſa prima, & ſecunda.

Cauſa prima dicitur Deus, quæ eſt nobilior, & independës à cauſa ſecunda. pag. 235. n. 12.
Cauſa prima determinat ſecūdā quoad indiuiduū. ibi. n. 13
Cauſa prima per ſe immediatè concurrit cum ſecunda. pag. 233 n. 5.
Cauſa prima concurrit cum ſecunda immediatione virtutis & ſuppoſiti. ibidem, n. 7. 8. & 9.
Cauſa ſecunda non requirit præuiam qualitatem impreſſam, vt operetur. pag. 234 à n. 10.
Cauſa ſecūda determinat primā quoad ſpeciē p. 235. n. 13.
Cauſa ſecunda habet veram operandi virtutem, tā ad accidentia, quàm ad ſubſtantiam. pag. 238. n. 1.
Non datur cauſa materialis ſine receptione. p. 236. à n. 1.

Cauſalitas.

Cauſalitas cauſæ exemplaris eſt eademmet actio cauſæ efficientis, & quomodò. pag. 242 n. 2. & 3.
Cauſalitas finis eſt motio metaphorica pa. 147. à n. 8.
Cauſalitas eſt influxus cauſæ in effectum. pag. 180. n. 12.
Cauſalitas identificatur cum effectu. pag. 180 n. 13.
Cauſalitas materiæ in fieri eſt eductio, ſiue paſſio. pag. 220. à n. 1.
Cauſalitas formæ erga cōpoſitum eſt vnio. pag. 223. n. 1.
Cauſalitas cauſæ efficientis eſt actio. pag. 229. à n 4.
Cauſalitas eſt prior ſuo termino. pag. 181. n. 14.
Nulla datur cauſalitas formæ citra materiam. pag. 223. à n. 2. & 3.
Cauſalitas materiæ in facto eſſe reſpectu formæ, & compoſiti eſt vnio. pag. 221. à n. 8.

Cælum.

Cæli ſunt producti per actiones diuiſibiles. pag. 208. n. 11.
Vt cæli dicantur diuiſibiles ſatis eſt, quòd formæ poſſint ſeparari à materia pag. 208. n. 12.
Cæli ſunt corruptibiles. pag 199 n. 7.
Cæli ſunt producti per actiones diuiſibiles pag 208. n. 12.
Cæli ſunt corruptibiles. pag 328.
Conſtant ex materia elementari pag 337. n. 12.
Cæli ſunt fluidi, & non ſolidi. pag 337. à n. 12.
Cæli naturâ ſuâ ſunt immobiles. pag. 330 à n 3.
Non dantur orbes cæleſtes eccentrici & concentrici. pag. 337. à n 3
Cæli non habent animam. pag 345 à n. 1.
Cælum eſt nobilius quouis viuente, licèt ſit ignobilius ſecundùm quid. pag. 346. à n 4.
Cælum agit in inferiora per occultas qualitates. pag. 347. à n. 3.
Cælum non poteſt directè influere in intellectum, & voluntatem humanam pag. 348 n 1.
In ſententia veteri decem, aut vndecim ſunt orbes cæleſtes pag 351 à n 1.
In hac opinione orbes cæleſtes quò altiores, cò ſunt perfectiores. pag. 352. n. 7.
Quo pacto in hac ſententia cōponantur orbes cæleſtes eccentrici, & concentrici? pag. 352. à n 1.
Triplex tantùm datur cælum aëreum ſcilicet, ſidereum, & empyreum. pag. 354. à n. 1.

Centrum.

Idem eſt abſolutè centrum Vniuerſi cum centro terræ. pag. 369. n. 1.
Non idem eſt centrum magnitudinis terræ cum centro grauitatis eiuſdem terræ. pag. 369 n. 3.
Elementa non appetunt centrum pag. 370. à n. 1.
Centrum aëris, & ignis non eſt aliquid indiuiſibile. pag. 372. n. 4.

Chriſtus Dominus.

In Chriſto Domino abſolutè loquendo quatuor ſcientiæ reperiuntur. pag. 34. n. 14.
Chriſtus Dominus, prout vtebatur ſcientia per ſe infuſa, non poterat abſtrahere Vniuerſale. pag 36. n. 12.
Chriſtus Dominus in vita mortali, immò & in Patria poteſt abſtrahere Vniuerſale, prout vtitur ſcientia naturali. pag 34. n 13.
Chriſtus Dominus, prout vtebatur ſcientia per ſe infuſa, non poterat abſtrahere Vniuerſale. pag 36. n. 12.

Cognitio, & Cognitum.

Cognitio primorum principiorum non eſt diſcurſiua. pag. 142. n. 12.
Poteſt tamen per accidens eadem cognitio eſſe diſcurſiua. ibidem.
Cognitio comprehenſiua Dei debet comprehendere creaturas poſſibiles. pag. 187 n. 84.
Cognitionis veritas. Vide Veritas.
Cognitio quidditatiua, ſeu definitiua, quæ ſit? p. 168. n. 1.
Cognitione diſtincta actuali, magis vniuerſalia notiora nobis ſunt, quàm minùs vniuerſalia. pag 160. n. 8.
Cognitione diſtincta potentiali, minùs vniuerſalia notiora nobis ſunt. ibidem n. 9
Cognitio diuina quomodò procedat. p. 125. n. 7. 8 & 9.
Quodnam ſit primum cognitum à noſtro intellectu. pag. 170 n. 1.
Primum cognitum à noſtro intellectu eſt accidens ſingulare. ibidem, à n. 5.

Coloratum.

Coloratum non eſt vniuerſale reſpectu huius albi, & huius Cygni. pag 4.

Compoſitum, & Compoſitio.

Si vna forma informet plures materias vnum tantum erit compoſitum. pag. 217. n. 1.
Si multiplicentur, plures formæ pluribus vnionibus in vna tantùm materia, plura dabuntur compoſita. pag. 257. n. 2.
Non poteſt dari compoſitum ex materia ſpirituali, & forma corporea. pag. 204. n 8.
Compoſitum dicit de formali vnionem. pag. 201. n. 4.
Compoſitum phyſicum non poteſt creari. pag. 209 n. 1.
Compoſitum ſolùm generatur propriè, non materia, neque forma. pag. 178. n. 5.
Compoſitio phyſica poſtulat partes realiter diſtinctas, & incompletas. pag 192. n. 11.
Compoſitio metaphyſica non tollit quominùs materia ſit pura potentia ad actum phyſicum. pag. 192. n. 12.

Cometa.

Cometa non eſt exhalatio ſublunaris. pag. 380. n. 17.
Cometa non eſt exhalatio illuminata à Sole. ibidē, n. 18.
Cometa nō fit ex cōgerie minorū Planetarū. p. 380. n. 19.
Cometæ fiunt ex halitibus Planetarum. pag. 380 à n 21.
Cometæ ſæpè naturales nō ſunt, ſed miraculoſi. p. 381. n. 23
Poteſt Cometa generari infra cælos. pag. 381 n. 22.
Cometa intra cælos apparent. pag. 328. n 7.

Conceptus.

Conceptus ſunt ſigna naturalia pag. 100. n. 1.
Conceptus non habent veritatem, vel falſitatem complexam. pag. 100. n. 3.

Digitized by Google

In quo nam conſiſtat veritas conceptuum? pag. 100.
Conceptus medius non eſt ſignum conceptus vltimi, nec rei. pag 79. n.18.
Poteſt tamen dici ſignum formale vocis, & ex inſtituto rei. ibidem, n 19
Conceptus, in quo repræſentatur ens rationis, eſt aliquo modo reflexus pag.26.n.5.

Concluſio. Vide Præmiſſæ.

Vna, vel altera Concluſio comparari poteſt ſine Dialectica artificiali. pag.3.
Cognitis præmiſſis, neceſſitatur intellectus quoàd ſpeciem ad aſſentiendum Concluſioni. pag 147. n 3.
Non neceſſitatur veró quoàd exercitium. ibidem, n 4.
Concluſio eſt minùs certa, quàm præmiſſæ. pag. 45. à n.1.

Conſtellatio.

Quid & quotuplex ſit conſtellatio? pag.364.n.3.
De conſtellationibus extra Zodiacum. pag 365. à n.4.
Numerantur aliæ conſtellationes, quas inuenerunt Aſtrologi recentiores. pag 366. n.6.

Conſequentia.

Quomodò definiatur? pag.137. n.2.
Latius patet quàm argumentatio. ibidem.
Quomodó diuidatur conſequentia. ibidem.

Creatio, & creare.

Eſt productio ex nullo præſuppoſito ſubiecto. pag. 241. n. 11.
Creare vt cauſa principalis eſt propriũ, & peculiare Dei. ibidem.
Poteſt creatura eleuari à Deo ad creandũ. pag. 241. n. 10.
Creatio actiua eſt ipſe Deus. pag. 253 n. 12.

Continuum. Vide Indiuiſibilia.

Continuum quodlibet conſtat ex ſolis indiuiſibilibus finitis. pag. 292 à n.1.
Non dantur in continuo partes infinitæ. pag. 291. à n. 11.
Soluuntur argumenta, quæ probant Continuum conſtare ex ſolis indiuiſibilibus. pag 295. à n. 1.
Quo pacto vnum indiuiſibile additum alteri efficiat continuum p.g. 298. n. 14.
Partes Continui neceſſariò ſunt inter ſe vnitæ, medio aliquo modo vnionis. pag 302. n. 5.
De indiuiſibilibus continuum copulantibus. pag. 202. n. 4.
In Continuo permanente dantur indiuiſibilia terminatiua. pag 303. n. 12.
Partes Continui ſunt finitæ. pag 365. n. 19.

Contingentia. Vide futurum contingens.

Contingentia quid ſit? p g. 106. n. 1.
Vel eſt in eſſendo vel in operando, intrinſeca, vel extrinſeca ibidem n. 2.
Omne ens creatum habet contingentiam in eſſe actuali. ibidem, n. 3.
In Deo datur perfecta contingentia in operando ad extra. pag 106. n. 4.
Quæ ſit radix proxima contingentiæ intrinſeca, & extrinſeca. ibi, n. 5. 6. 7. & 8.
Res contingens quando eſt, contingenter eſt. pag. 106. n. 10 & 11.
Si Deus non eſſet ſapiens, & ageret neceſſariò adhuc darentur effectus intrinſecè contingentes pag. 100. n 12.
Si Deus eſſet agens neceſſarium, & haberet ſapientiam, adhuc darentur effectus intrinſecé contingentes. pag. 109. n. 9.
Si Deus operaretur neceſſariò, ſed eodem modo quo nũc concurrit adhuc darentur effectus intrinſecè contingẽtes. pag. 108. n. 4.
Enuntiationes circa materiam contingentem ſunt determinaté veræ, vel falſæ. pag 100. à n. 1.
Angeli, & homines non poſſunt certò cognoſcere futura intrinſecè contingentia. pag. 112. á n. 6.

Conuerſio Vide Propoſitio.

D.

Decretum.

DEcretum diuinum efficax nõ eſt prima ratio, nec ſufficiens, aut vniuerſalis cognoſcendi futura contingẽtia. pag 127. n. 15.
Decretum conditionatum non eſt ſimpliciter efficax. pag. 127. n. 16.
Decreta Dei libera non poſſunt cognoſci à Deo, vt futura pag. 131. n. 5.
Non eſt neceſſarium decretum abſolutum ad cognoſcẽda futura conditionata. pag. 129 n. 13.

Demonſtratio.

Ad veram demonſtrationem requiritur cauſa proxima, & immediata, non tamen requiritur quód ſit ſimpliciter immediata. pag 145. n. 7.
Adæquaté ſumpta dicit de formali non ſolùm præmiſſas, ſed etiam concluſionem. pag. 150. n. 1.
Cauſa, per quam fit demonſtratio, debet eſſe cauſa per ſe connexionis prædicati cum ſubiecto concluſionis, pag. 151. n. 7.
Cauſa per accidens non eſt ſufficiẽs ad demonſtrationem, neque efficiens, neque finalis creatæ. pag 151. n. 9.
Demõſtratio fieri poteſt per cauſam materialem, & formalem internam, & externam. pag. 151. n 8.
Demonſtrationis diuiſio in quid, & propter quid. pag. 152. n. 13.
Hæc diuiſio probabiliùs eſt vniuoca. ibidem, n. 14.
Aſſenſus demonſtrationis quia, & propter quid, circa eandem concluſionem ſunt diuerſæ ſpeciei. pag 152. n. 15.
Demonſtrationi poſſumus aſſentiri per vnum actum, qui formaliter cadat ſupra totam demonſtrationem. pag. 153. à n. 3.
Ad demonſtrationem requiritur cauſa in eſſendo, & cognoſcendo. pag. 151. n. 10.
Sufficit cauſa in eſſendo, & cognoſcendo quó ad nos. pag. 152. n. 11.

Dependentia.

Dependentia materiæ à forma ſuppleri poteſt à Deo effectiuè. pag 194. n. 18.
Dependentia à poſteriori non tollit rationem cauſę. pag. 383. n. 13.

Deus.

Non ſolùm in eſſendo ſed etiam in operando ſe cõmunicat creaturis. pag. 23?. n. 2.
Deus ad intrà non operatur propter finem. pag. 253. n. 10.
Operatur ad extra propter finem. ibidem, n 12.
Vbi Deus operatur, ibi neceſſariò eſt. pag. 315. n. 4. & 9.
Deus exiſtit extra cælos in ſe ipſo. pag 315 n. 10.
Vtrùm ſit in ſpatio imaginario? pag 321. à n. ?.
Non dicitur principium motus. pag 218 n 13.
Deus pura poſſibilia diligere tenetur. pag. 288 n. 48.
Deus nullam includit potentiã receptiuam alterius actus eiuſdem rationis. pag. 1?4. n. 8.

Deus

Deus clarè cognitus continetur intra obiectum intellectus creati. pag.3. n.9.
Deus habet eſſentialem cognitionem cum creaturis. pag. 164 n 22.
Deum eſſe relatum tranſcendens ad creaturas tenent aliqui. pag.188. n.50.
Deus non admittit in ſe cauſalitatem pag.181 .n.3.
Vtrùm Deus vtatur ſignis? pag.85 n.6.
Deus vtitur ſigno inſtrumentali creato.pag.87 à n.1.
Non vtitur de facto ſignis ex inſtituto. pag 87.n.21.
Deus non concurrit in genere cauſæ materialis, & formalis. pag.236. à n.1.
Deus cognoſcit actu infinita, non tamen ſimul, ſed ſucceſſiuè exiſtentia. pag.265.à n 1.

Determinatio.

Quid ſit determinatio quo ad ſpeciem, & quo ad indiuiduum ? pag.235.n. 3.
Ex determinatione Dei non ſequitur Deum eſſe cauſam peccati. ibid. n 14.

Dialectica.

Eſt vera, & propria ſcientia. pag 2.
Eſt ſcientia practica. ibid.
Diuiditur in docentem & vtentem pag.2
Secundùm ſe totam eſt docens. ibid.
Solùm ſecundùm partem topicam dicitur vtens. pag 2.
Dialectica artificialis eſt ſimpliciter neceſſaria ad quamcumque integram ſcientiam perfectè comparandam. pag. 3.
Duplex eſt Dialecticæ officium primum docere, ſecundum & vti regulis diſſerendi. pag 2.
De obiecto Dialecticæ. pag 2. & 3.

Differentia.

Quomodò poteſt eſſe genus, vel ſpecies? pag.62.n.1 & 2.
Differentia prout eſt quartum prædicabile. pag.69.n.16.
Differentia materialiter ſumpta. pag.67. n 1.
Non ſuſcipit magis, & minùs. pag. 70. n.17.
Dantur differentiæ infimæ, quæ non minùs ſunt ſimplices, quàm ſubalternæ. pag 70.n.18.

Diſtinctio.

Diſtinctio duplex eſt altera ex natura rei, altera per intellectum. pag.23.n.2.
Natura communis ſolùm per rationem diſtinguitur à ſingulari. pag.23. à n.1.
Gradus Metaphyſici ſolùm virtualiter diſtinguuntur. pag.24.à n.9.

Diuiſio.

Diuiſio cauſæ in quatuor cauſas non eſt vniuoca. pag. 180. n.8.
Diuiſio in quatuor cauſas fit in ſpecies ſubalternas. ibidem, n. 9.

Diſcurſus.

Quid ſit Diſcurſus? pag.1. 35. n. 8.
Poſſe diſcurrere, & non poſſe diſcurrere arguit eſſentiale diſcrimen inter hominem, & brutum. pag 184.n.15.

Duratio.

Quomodò diſtinguatur à tempore? pag.76.n.9.

E.

Eductio.

Vera eductio requirit antecedentiam in materia, ſufficit tamen antecedentia naturæ. pag 107 n.6.
Ad eductionem ſufficit vt ſaltem minùs dependeat à materia in fieri, & conſeruari. pag 108.n 10.
Vtrùm Anima rationalis poſſit educi? pag.210. n 9.
De eductione formæ ſubſtantialis [illegible] pag. 106 à n 1.
Quid ſit educi de potentia materiæ? pag.107.n 5.

Effectus, vide Cauſa.

Effectus genericus communicari poteſt, quin communicetur ſpecificus. pag.214. n.7.
Effectus ſequitur deteriorem partem ſuæ cauſæ pag 166. n 22.

Emanatio.

Emanationes non ſunt veræ actiones pag 210.n.3.
Ad agendum impropriè per emanationes non requiritur virtus actiua. pag.191.n.21.

Elementum.

Quid ſit elementum, & quotuplex? pag.3[illegible] 7. n.1.& 2.
Inter elementa ignis eſt nobilior. ibi n.3.
Elementa figuram habent rotundam. pag.368.n.5.
Nullum elementum eſt ſummè leue. pag.3[illegible] n.9.
Cur elementa ſeparata à toto grauitent pag.373 n.18.

Enuntiatio.

Quid ſit enuntiatio? Quomodò ſignificet verum? pag 103. & 104.
Enuntiatio mentalis eſt vna ſimplex qualitas. pag 104 à n.6.
Nulla datur, quæ ſit apprehenſiua. pag 105.n.11.
Diuiditur in affirmatiuam, & negatiuam, in ſimplicem, & complexam. pag 105.n.13. & 14.
Quomodò opponantur enuntiationes? pag.106. n.15.
De enuntiatione de prædicato ſimplici, & coniuncto. pag. 133. n.16.

Error.

Error in prima operatione non datur. pag.101.n.12.

Ens rationis.

Dantur entia rationis, præter entia realia. pag.26.n. 1.
Eſſentia entis rationis in quo conſiſtat? pag 26 n.3.
Ens rationis habet exiſtentiam intrinſecam. ibidem.
Exiſtentia extrinſeca entis rationis eſt illa, per quam exiſtit conceptus, in quo repræſentatur, ibidem, n.3.
Ens rationis ſolùm formatur ab intellectu. pag.27.n.6.
Diuiditur adæquatè in negationem, priuationem, & relationem. pag.27.n.11.
Entia rationis non poſſunt fingi à Deo. pag 28.n. .
Entia rationis non ſunt ab æterno. pag.29. n.8.
Per viſionem beatam fieri non poſſunt. pag 29.n 9.
In nulla ſpecie intelligibili poteſt exiſtere. pag.29.n 1.
Deus non eſt infundere intellectui ſpeciem repræſentantem ens rationis. pag 31 n. 3.
Nulla datur ſpecies impreſſa, quæ repræſentet ens rationis. pag. 30. n.7.
Intellectus per omnes tres operationes formare poteſt entia rationis. p g 27.n 7
Intellectus diuinus cognoſcit Entia rationis à nobis ficta. pag 26.n.7.
Intellectus Angelicus poteſt efficere Entia rationis circa res inuidentes. p.g.29 n 9.
Conceptus repræſentans Ens rationis eſt aliquo modo reflexus. pag.26.n. .

Epicyclus.

Quid ſit? & quo pacto ponatur dari. pag 353.n. .

Digitized by Google

Exhalatio.

Quid ſit, & quid cauſet? pag. 375. n. 3.

Exemplar.

Quomodò definitur. pag. 2. 2. n. 1
Quæ ſit eius cauſalitas? ibidem. n. 2
Pertinet propriè ad cauſam efficientem. pag. 143. n. 4.
Obiectum non eſt propriè cauſa exemplaris reſpectu actuum intellectus. pag. 143. n. 8.
Conſiſtit in conceptu formali, pag 144. n. 4.
Eſt forma intellectualis. ibid. n. 4.
Quando Eſſentia diuina habeat rationem exemplaris? pag. 145. n. 4.
Poteſt exemplar conſiſtere in conceptu tam formali, quàm obiectiuo. pag 146. n. 10.

Exiſtentia.

Exiſtentia diſtinguitur virtualiter à materia. pag 193. n. 4.
Exiſtentia tripliciter ſumitur. pag. 193. n. 1. 2. & 3.
Exiſtentia quomodò poſsit eſse genus, vel ſpecies. pag. 64. n. 17.
Exiſtentia, prout abſtrahit à reali, & obiectiua, requiritur ad cauſandum. pag. 181. n. 1.
Exiſtentia de nullo Ente demonſtrari poteſt à priori. pag. 143. n. 3.
Exiſtentia eſt conditio logicè requiſita in cauſa efficiente. pag. 230. n. 4.

F.

Falſitas.

Falſitas occaſionalis datur in ſenſibus externis. pag. 101. n. 10.
Falſitas, vel Veritas datur in ſecunda intellectus operatione, pag 102. n. 13.
Falſitas, vel Veritas complexa diſtincta à falſitate, vel Veritate ſecundæ operationis datur in tertia operatione. pag. 102. n. 14.

Figura ſyllogiſtica.

Definitur, Apta terminorum diſpoſitio ad Concluſionem inferendum. pag 137. n 4.
Tres ſunt Figuræ ſyllogiſticæ. ibid.
Quot ſint termini Figuræ ſyllogiſticæ. ibid. n. 4.

Fides.

Quomodò ſcientia differat à Fide? pag. 161. n. 1.
Quid ſit Fides humana? Et quomodo differat ab opinione. pag 161. n. 7.
Ad Fidem requiritur pia affectio. pag. 161. n. 8
Vtrùm poſsit dari in eodem intellectu ſcientia, & Fides. pag. 162. n. 1.

Finis.

Eſt cauſa non ſolùm moralis, ſed etiam propria, & realis. pag. 146. n. 1.
Sufficit ad Finem exiſtentia obiectiua. ibid. n. 3.
Eſt poſterior ſuo effectu in executione, prior in intentione. pag. 147. n 4
Proximè cauſat actus internos, remotè, & mediatè externos. pag. 147. n. 5
Quo pacto diuidatur Finis? pag. 147. n. 6.
Cauſalitas Finis eſt actio metaphorica ibid. n. 8.
Bonitas eſt proxima ratio cauſandi in Fine. pag. 148. n. 1.
Ad Finem logicè præ requiritur cognitio. pag. 150. n 10.
Cognitio non ingreditur rationem Finis, ſed tantùm eſt conditio logica. ibid. n. 12.
Vt voluntas tendat in finem non ſufficit cognitio ſenſitiua. pag. 151. n. 17.
Omnes, ac ſolæ actiones creaturæ rationalis ſunt propter finem. pag. 152 n. 1.
Omnes actiones morales ſemper ſunt aliquo modo propter finem vltimum pag 155. n. 1.
Finis vltimus, vel eſt ſimpliciter, vel ſecundùm quid. ibid. n. 1.
Vtrùm poſsit aliquis operari propter duos fines totales? pag. 156. n. 5 vſque ad 10.
Finis non mouet efficienter. pag. 144. n. 11.

Futurum.

Futura contingentia non cognoſcuntur in decreto conditionato, præciſa ſcientia. pag 127. n. 7.
Cognoſcuntur immediatè in ſe ipſis directè, & ſecundùm omnes conditiones, quas in tempore ſunt habitura. pag 127. n. 1.
Futura negatiua cognoſcuntur à Deo, cognitis formis negatis. ibid. n 3.
Quid ſit Futurum conditionatum neceſſarium? Quid contingens? ibid. n 5.
Quomodò Deus cognoſcit Futura contingenter conditionata? ibid.
Ad veritatem Futuri conditionati nõ requiritur quòd detur actualiter conditio. pag 129. n. 10.
Ad Futurum ſimpliciter requiritur aliqua prioritas temporis. pag 131. n 5.
Futurum intrinſecè contingens non poteſt cognoſci ab intellectu creato. pag. 113 n. 6.
Vtrùm poſsit Deus communicare intuitiuam cognitionẽ Futurorum contingentium per ſcientiam per ſe infuſam? pag. 116. n. 2.
Chriſtus Dominus cognoſcit Futura intrinſecè contingentia intuitiuè per ſcientiam per ſe infuſam pag. 116. n. 6.
Contrariam ſententiam vide à n 7. vſque ad 12.
Certa cognitio Futurorum contingentium ſupernaturalis eſt omni intellectui creato, & creabili. pag. 118. n. 1.
Deus certò cognoſcit omnia futura intrinſecè contingentia, & cogitationes cordis. pag 120. n. 1.
Futura contingentia non ſunt realiter præſentia æternitati. pag. 121. n. 6.
Hæc futura non cognoſcuntur à Deo in cauſa libera creata. pag. 122. n. 1.
Non cognoſcuntur item in voluntate creata quamuis habeat auxilium efficax. pag 123. n 6.
Deus non cognoſcit hæc futura in ſuis ideis, neque in ſua omnipotentia, vel ſcientia. pag. 124. n. 9.
Futura contingentia cognoſcit Deus in ſuo decreto efficaci, & abſoluto. pag 126. n. 10.
Peccatum futurum non cognoſcitur in eius permiſsione. pag. 127. n. 18.
Cognoſcit Deus futura contingentia in ſe ipſis directè per ſcientiam Viſionis. pag 127. n. 1.

Filius.

Filius in Diuinis non eſt alius à Patre. pag 179. n. 5.

Forma.

Forma eſt actus diſtinguens non materiam, ſed compoſitũ. pag. 92. n. 9
Forma vera ſubſtantialis datur, quæ eſt pars cõpoſiti phyſici p g 105. n. 1
Quomodo definiatur forma ſubſtantialis? pag 106 n. 3.
Forma ſubſtantialis vnum per ſe conſtituit cum materia. ibidem.
Materialis forma ante eductionem non præcedit in materia actu, ſed potentia. pag 106. n. 4.

Formæ

Formæ elementares fuêre eductæ.pag.207.n.7. Idem dicendum de formis cæleſtibus. ibidem n.10.
Forma eſt relatum tranſcendens ad materiam. pag 182. n. 11.
Vt exiſtat requirit naturaliter materiam pag.186. n.37.
Forma ſpiritualis non repugnat quòd informet materiā. pag.204 n.6.
Forma educitur de materia apta ad ipſam formam. pag. 178.n.8.
Forma ſolùm impropriè eſt cauſa materiæ. pag. 89.n.5.
Forma eſt cauſa reſpectu compoſiti, ac illi dat eſſe. pag. 190.n.17.
Vtrùm Forma ſubſtantialis poſsit eſſe principium priùs generatione in ordine intentionis. pag.176.n.6.
Forma fit ex materia in diuerſo genere. pag.178.n.5.
Eſt principium efficiendi vt quo. pag.238.n.4.
Concurrit immediatè ad actiones ſubſtantiales ibid.n.5.

Forma intentionalis.

Formæ intentionales,ſcilicet ſpecies,quæ in aere, vel oculo producuntur, & omnes ſpecies ſenſibiles educuntur de potentia ſubiectorum. pag 211.n.4.

Forma accidentalis, & artificialis.

Formæ accidentales ſupernaturales educuntur de potētia obedientiali ſubiecti. pag 211. n.3.
Formę artificiales educuntur de potentia ſubiecti. ibidem n.4.
Forma accidentalis corporea poteſt à Deo poni in ſubiecto ſpirituali,& è contra. pag.213.n.1.

Figura.

Figura emanat à quantitate. pag.196.n.2.

Fides.

Actus Fidei diuinæ,& humanæ dari poſſunt in eodem intellectu. pag.164.n. 10.

Fulmen.

De Fulmine. pag.379. n.14.
De effectibus Fulminis. pag.379.

Fulgur.

De Fulgure. pag.379.n.13.

G.

Generatio.

Dantur veræ generationes,quarum termini ſunt formę ſubſtantiales pag 206.n 1.
Primum ſubiectum,in quo fit generatio, non eſt ſubſtantia completa pag. 92.n.3.
In Generationibus non corrumpitur,neque generatur tota ſubſtantia. pag.191.n 3.
Generatio eſt de non eſſe ad eſſe. pag.1 8.n.8.

Generans.

Vt dicatur cauſa principalis debet vitaliter producere diſpoſitiones. pag.239. n.10.
Generans eſt cauſa principalis,à qua corpora grauia,& leuia mouentur. pag.319. à n.7.

Genus.

Quomodò definiatur? pag.55.n.1.
Quæ entia poſsint habere rationem generis, & ſpeciei? pag 56.n.1.
Genus iuxta Nominales eſt aggregatum quoddam animalium ſingularium v.g. in concreto, prout repræſentātur in conceptu pag 66.n.5.
Genus proximè,& immediatè refertur ad ſpeciem,remotè ad indiuiduum pag. 66. n.9. Quo pacto indiuiduum referatur ad genus? n. 14.
Vtrùm accidentia in abſtracto ſint vera genera? pag.59. à n.18.
Indiuiduum in communi non ſemper eſt verum genus pro relatione ad ſpecies indiuidui. pag.65.n.5.

Gradus Metaphyſici.

Quo pacto diſtinguantur? pag.23.à n.1.

H.

Habitus.

Dantur habitus, qui facilitant intellectum ad cognitionem primorum principiorum. pag.141.à n 1
Non datur in nobis habitus infuſus circa prima principia. pag 142.à n.6.
De habitu prout eſt prædicamentum. pag.76. n.10.

Humanitas.

Humanitas Chriſti Domini habet appetitum ad ſuam propriam ſubſiſtentiam. pag 197.n 8.
Humanitas Chriſti Domini ſuam propriam habet exiſtētiam. pag 194.n.9.
Humanitas Chriſti Domini dependet à ſubſiſtentia ſolùm vt à termino. pag.175.n 3 & pag.237.n.7.

I.

Idea.

Ideæ diuinę ſunt ſigna naturalia inſtrumentalia creaturarum poſsibilium. pag.94.n.16.
Ideæ diuinę non conſiſtunt in conceptu obiectiuo, ſed in formali pag. 244.n.3.
Non ſunt ipſa eſſentia diuina à Deo cognita per modum conceptus obiectiui. ibidem,n.4.

Identitas.

Identitates naturæ ſunt tantùm quinque. pag.45.n.2.

Indiſtantia.

Indiſtantia inter cauſam mouentem, & rem motā eſt phyſicè neceſſaria. pag.311.n.1.& 2
Non poteſt cauſa naturalis operari priùs in remotum quàm agat in proximum.pag.313.n.17.
Ex operatione cauſæ primæ in loco colligitur eius indiſtantia. pag.314.n.1.
Indiſtantia requiritur logicè. Debet enim res eſſe approximata paſſo, vel per ſe, vel per ſuam virtutem. pag. 312.n 10.

Indiuiduum.

Indiuiduum vagum non conſtituit Vniuerſale. pag 46. n.9.
Quomodò definiatur Indiuiduum? pag 64.n 1.
Poteſt eſſe quid commune pag.64.n.2.
Vtrùm ſit verum genus, ad quatuor tantùm ſpecies? pag. 65. n. 4.
De Relationibus indiuidui ad genus, & ſpeciem. pag. 66, n.14.

Digitized by Google

Impulſus.

Impulſus eſt cauſa inſtrumentaria motus violenti. pag. 314 n 1.
Eſt quædam Qualitas. pag 314. n. 5.
Actio, per quam fit impulſus, dici poteſt alteratio. pag. 315. n 7.
Quo pacto deſinat impulſus? 325 n. 9.

Influxus.

Influxus cauſæ efficientis eſt extrinſecus. pag. 80. n. 2.
Influxus cauſæ finalis eſt extrinſecus. pag 180. n. 7.

Inhærentia

Inhærentia identificatur cùm accidente, & non cum ſubſtantia. pag 181 n. 13.

Intellectus.

Intellectus creatus poteſt comprehendi quin comprehendantur omnes eius actus. pag. 187. n. 41.
Vt comprehendatur ab Angelo v.g. non eſt opus vt diſtinctè cognoſcantur termini, ad quos dicit ordinem. pag. 187. n. 40.
Intellectus dicit ordinem ad omne intelligibile. pag. 185. n. 31.
Intellectus Angelicus, & humanus non habent accidentia intrinſeca eiuſdem ſpeciei. pag 200. n. 11.
Intellectus in inſtanti, quo aſſentitur præmiſsis, aſſentitur Concluſioni, ordinariè loquendo. pag. 147. n. 1.
Cognitis præmiſſis neceſſitatur intellectus quoad ſpeciẽ. pag. 16. n. 3.
Non neceſſitatur quoad exercitium. pag 148. n. 4.
Intellectus eſt potentia indifferens. pag. 148. n. 6.
Quomodò poteſt impediri à voluntate? pag. 149. n. 9.
Intellectus euehi poteſt ad claram Dei Viſionem pag 43. n. 13.
Intellectus poteſt omnino exuere actualem formidinem ſiue vacillationem circa aliquam propoſitionem. pag. 161. n 4.
Intellectus patiens humanus naturaliter abſtrahit Vniuerſale formaliter. pag. 39 n 20.
Intellectus agens poteſt abſtrahere Vniuerſale effectiuè, non verò formaliter. pag. 39. n. 21.
Intellectus creatus tam Angelicus, quàm humanus nequit abſtrahere Vniuerſale per Viſionem beatam. pag. 38. n. 13.
Intellectus humanus per omnes tres operationes poteſt facere Entia rationis. pag. 27. n. 7.
Intellectus Angelicus poteſt efficere Entia rationis circa res ineuidentes. pag. 29 n. 9.
Intellectus diuinus non poteſt abſtrahere Vniuerſale formaliter. pag 32 n 1.
Deus poteſt producere effectiuè abſtractionem Vniuerſalis. pag 34. n. 2.
Intellectus Angelicus, vtendo ſcientia naturali, poteſt abſtrahere Vniuerſale formaliter. pag. 37. n. 5.
Noſter Intellectus ſimpliciter eſt cauſa ſuorum actuum. pag 239 n 12
Nullam habet proportionem cum Viſione beata, ad quam eleuatur. pag. 241. n. 7.
Idem Intellectus poteſt ſimul habere in diuerſis locis actus vitales odij & amoris, ſcientiæ, & opinionis. pag. 281. n. 15.

Inſtrumentum.

Debet eſſe inferioris notæ, quàm ſit effectus. pag. 239. n. 12.
Poteſt Deus vti creatura eleuata, vt inſtrumento ad creandum pag. 241. n. 10.
Inſtrumentum à Deo eleuatum eſt ſignum naturale inſtrumentale effectus obedientialiter producti. pag. 32. à n 3.

Infinitum.

Datur in rerum natura infinitum actu ſimpliciter, & ſecundùm ſuam eſſentiam. pag 261 n. 1.
Infinitum in potentia datur in rerum natura pag 261. n. 2.
Infinitum actu ſecundùm extenſionem permanentem, vel ſecundùm intenſionem, vel ſecundùm numerum, non datur, neque dari poteſt viribus naturæ. pag 263. n 4.
Infinitum actu non poteſt Deus producere. pag. 264. n. 11.
Intellectus creatus non poteſt proprijs viribus cognoſcere infinitum actu, poterit tamen ſucceſſiuè. pag 268. n. 6.
Inter infinita ſub ratione infinitudinis non datur æqualitas propria, & poſitiua, ſed negatiua. pag 269. n. 8.
Vnum infinitum ſub materiali ratione poteſt eſſe maius alio, non tamen ſub formali pag. 269. n. 9.
Beati poſſunt cognoſcere in Verbo infinitum aliquod in aliquo genere. pag 269. n. 7.

Indiuiſibile. Vide Continuum.

In ſententia Zenonis indiuiſibilia ſunt finita. pag. 301. n. 19.
In ſententia Zenonis dantur indiuiſibilia realia, quæ alijs indiuiſibilibus copulatiuis vniuntur. pag. 302. n. 1.
In ſententia Ariſtotelis dantur etiam indiuiſibilia copulatiua omnium partium proportionalium. pag. 302. n. 4.
Quo pacto incipiant indiuiſibilia temporis, & motus? pag 308. n. 5.
In Continuo permanente dantur indiuiſibilia terminatiua. pag 303 n. 12.
Indiuiſibilia terminatiua, nec de potentia abſoluta realiter ſeparari poſſunt à Quantitate, ita vt Quantitas maneat ſine omni termino. pag. 304. n. 14.
Indiuiſibile additum indiuiſibili facit maius. pag. 298. à n. 14.
Aliquot indiuiſibilia copulatiua poſſunt à Continuo ſeparari, deſtructis partibus continui quæ copulabant. pag. 304 n 15.

Inceptio.

Quid ſit Inceptio, & Deſitio? pag. 307 n. 1. & 2.
Quo pacto incipiant, & deſinant Motus, & Tempus. pag. 308 n. 4.
Quo pacto incipiant res permanentes, res ſpirituales, & ſubſtantiæ corruptibiles? pag. 309 n 6. 7. 8. 9.
Quo pacto res omnes incipiant, & deſinant in ſententia Zenonis. pag. 310 n. 11. 12. & 13.

Inſtans.

Poteſt Deus conſeruare Inſtans per annum. pag 308. n. 10.

Intentio.

Quid ſit prima, & ſecunda intentio? pag 3. n. 8. & n 21.
Non omnis prima intentio eſt Ens reale, nec omnis ſecunda intentio eſt Ens rationis. pag 31. n. 18.
Non ſolùm Entia realia, ſed etiam negationes, & priuationes, quæ conueniunt rebus à parte rei ſunt primæ intentiones. pag. 32. n. 19
Intenſio & remiſſio in Qualitate non diſtinguuntur eſſentialiter. pag 190. n. 10.

Iudicium.

Iudicium formale humanum, & Angelicum ſunt diuerſæ ſpeciei. pag 200 n 11. & 12.

Iudi-

Digitized by Google

Iudicium formale diuinum, & humanum ſunt diuerſæ ſpeciei. pag 200.n.12.
Iudicium eſt ſimplex qualitas. pag.104.n.6.
Iudicium poteſt habere veritatem, vel falſitatem pag 103. n.13.

L.

Libertas.

QVæ neceſſitas tollat Libertatem? pag.130.n 17.
Libertas creata non impeditur à diuina præſcientia. pag.129.n.15.
Non impeditur etiam à præſcientia ſimul, & voluntate diuina.pag.130.n.19.
Si in Deo non daretur Libertas, non daretur etiã in cauſis ſecundis. pag.108.n.2.
Si Deus operaretur neceſſariò, & concurreret, eo modo, quo nunc concurrit, adhuc darentur effectus intrinſecè liberi. pag.108.n.4.
In quo ſenſu non darentur effectus liberi, ſi Deus ageret neceſſariò. ibidem, n.14.

Locus.

Locus propriè eſt vltima ſuperficies corporis ambientis rem locatam.pag. 172.n.1.
Locus ſecundum ſe eſt immobilis.pag.273.n.8.
Præter ſuperficiem ambientem, includit reſpectum præſentiæ ad partes fixas mundi. pag.274.n.12.
Quo pacto includat reſpectum ad ſpatium, & ad centrum? pag.274. n.15.
Plura corpora poſſunt diuinitus poni in eodem loco. pag. 279.n 16.
Idem numero corpus poteſt diuinitus eſſe in pluribus locis. pag.279. n.1.
Quæ accidentia conueniant corpori poſito in duobus locis.pag.280. à n.11.
Poſſunt diuerſa corpora eſſe ſimul diuinitus in eodem loco, etiam retenta extenſione partium. pag.277. n.5.

Lux.

Omnis lux elementaris, & cæleſtis eſt eiuſdem ſpeciei. pag.361. n.1. & 2.
Quo pacto lux ſit cauſa caloris, pag.361.n.5.

M.

Materia.

MAteria, & forma ſunt principia intrinſecè componentia.pag.178. n.6.& 7.
Eſt relatum tranſcendens ad formam pag.182.n.1.
Omnis materia ſublunaris eſt eiuſdem ſpeciei. pag.198. n. 1.
Materia ſublunaris eſt eiuſdem ſpeciei cum materia cæleſti. pag.199. n.6.
Materia habet propriam differentiam.pag.191.n.9.
Non habet formam corporeitatis. pag 192 n.10.
Materia diuiditur in primam, & ſecundam. pag. 91.n.1.
Materia prima eſt pura potentia. pag 192 n.6.
Eſt ſubſtantia incompleta phyſicè. pag.192.n.8.
Poteſt efficere vnum per ſe cum forma ſublunari. pag. 203. n.27
Non ſpecificatur per formas, ſed per modum recipiendi. pag.203.n.2.
Materia ſpiritualis eſt impoſſibilis.pag.203.n.3.
Materia cæleſtis habet appetitum ad formas ſublunares, & quomodò? pag 201.n.10.
In materia cæleſti, & ſublunari datur eadem proprietas quarto modo, nempe quantitas.pag 202.n.12.
Materia cæleſtis, & ſublunaris eſt incorruptibilis, & ingenerabilis. pag.202.n.23.
Materia differt à forma per ſuam peculiarem differentiã. pag.192.n.12.
Materia habet ſuum peculiarem actum exiſtentiæ. pag. 193. n.1.
Poteſt exiſtere, quamuis nulla forma exiſtat in rerum natura. pag 196. n 20.
Poteſt habere emanationes ad ſuas proprietates.pag. 196. n. 21.
Poteſt eleuari à Deo ad operandum.pag 196.n.22.
Dici poteſt actus entitatiuus. ibidem. n 23.
Habet appetitum ad omnes formas, etiam ad formã corruptam. pag.197 à n.3.
Eſt nobilior omni accidente. pag.104 n.20.
Nulla eſt poſſibilis, quæ ſit nobilior. pag.203 n.5.
Eſt pura potentia ad formam ſubſtantialem. pag. 194 n. 10.
Poteſt diuinitus conſeruari ſine forma. pag.194 n.11.
Pendet à forma, vt à conditione, non vt à cauſa. pag. 190. n.10.
Eſt cauſa formæ. pag 190.n 11. item pag.189.n.5.
Nec diuinitus exiſtere poteſt ſine Vbi.pag.190.n.12.
Antequàm cauſet formam intelligitur exiſtere extra cauſas. pag.189.n.4
De appetitu materiæ ad omnes formas. pag.197.à n.3.

Magnes.

De occulta vi magnetis. pag.312.n.9.

Mare, Vide Terra.

De Mari, eiuſque ſalſedine, ac de eius æſtibus. pag. 383. n.31.
AEſtus marinus non fit per ſolam rarefactionem. pag. 384.n.37.
Mare eſt humilius, quàm terra. pag. 368.n.7.8.& 9.

Metaphyſica.

Sub nomine Philoſophiæ comprehenditur.pag.2.

Meteoron.

De Meteoris diſputo, à pag.375.
Quæ ſit eorum materia, & quæ ſit cauſa efficiens? pag. 375 n.1.
De Meteoris in particulari. pag 376.à n.1.

Modus.

Modi tam ſubſtantiales, quàm accidentales pendent à ſubiectis, tanquàm à cauſa materiali. pag.112 n.7.
Vnus modus poteſt eſſe ſubiectũ alterius modi.pag 211. n. 8.
Modus diſſerendi quo pacto ſit obiectum, & ſubiectum Dialecticę? pag.5.
Modus diſſerendi eſt oratio, qua ignotum ex notis aperitur, diuidendo, definiendo, & argumentando.p.g. 6.
Modus diſſerendi fundamentaliter importat reales intellectus operationes. pag.3.

Monſtrum.

Quomodò definiatur? pag.154.n.1.
Quæ concurrant ad generationem monſtri? ibidem, n.3.
Cauſæ ſecundæ non per ſe, ſed ſecundariò intendunt monſtra. ibidem, n.5.
Deus primariò intendit monſtrum. pag.155.n.7.

Digitized by Google

Intenduntur propter finem. ibidem, n. 5.

Motus.

Definitur motus. pag. 254. n. 1.
Diuiditur in quatuor membra. pag. 155. n. 4.
Motus diſtinguitur à termino ex natura rei. pag. 259. n. 1.
Item à ſubiecto diſtinguitur ex natura rei. pag. 159. n. 9.
Motus augmentationis, & alterationis ſemper ſunt in ſubiecto per realem inhærentiam. pag. 160. n. 10.
Motus lationis ſubiectatur etiam in mobili, ibidem.
Motus ſolùm datur ad tria prædicamenta. pag. 188. n. 1.
Quo pacto terminetur ad qualitatem. pag. 188. n. 4.
Sumit ſpecificationem à termino ad quem pag. 189. n. 2.
Motus ad qualitatem, & ad Vbi, ſunt ſpecies ſubalternæ, motus verò ad quantitatem eſt ſpecies infima. pag. 190. n. 9. item p. 258. n. 5.
Secundùm ſe eſt vniuocus, quamuis ſit incompletus. pag. 291. n. 7.
Non poteſt fieri ab æterno. pag. 317. n. 6.
Omnis cauſa efficiens motus realiter diſtinguitur à mobili. pag. 318. n. 1. & 2.
Quo pacto motus ſit cauſa caloris? pag. 362. n. 8.
Motus violentus quomodò fiat? p. 324. à n. 1.
De motu corporis retrocedentis. p. 325. à n. 1.
Eſſentialiter includit ſucceſſionem. p. 258. n. 7.
Continuitas non eſt de eſſentia motus. p. 258. n. 8.

Motus cæleſtis. Vide Aſtra, & Cælum.

Ad quas actiones ſit neceſſarius. p. 347. n. 1. & 2.
Ceſſante motu cæli, non ſtatim ceſſabunt generationes ſubſtantiarum. p. 348. n. 3.
De motu Aſtrorum in opinione antiqua. p. 362. à n. 1.

Motor.

Primus motor omnino eſt immutabilis. p. 321. n. 1.
Primus motor eſt vnus tantùm. ibid. 3.
Primus motor eſt immenſus, & vbique præſens. pag. 321. n. 4.

Mobile.

An mobile quieſcat in puncto reflexionis. pag. 316. n. 4.
Quomodò moueantur corpora grauia, & leuia. pag. 328. n. 7. & 8.

Mundus.

Sola fide conſtat non fuiſſe ab æterno. p. 317. à n. 1.
Vnus tantùm de facto datur, quàuis plures ſint poſſibiles in infinitum perfectiores. p. 340. à n. 1.
Non poteſt hic mundus perfici à Deo eſſentialiter, poteſt tamen accidentaliter. p. 341 à n. 1.
Conſeruari poteſt à Deo in eodem ſtatu, quem modo habet ſolo generali concurſu, quem Deus illi nunc præſtat. pag. 341. n. 5.

N.

Natura.

Natura ſubſtantialis in bona opinione producitur ſine ſubſiſtentia. pag. 175. n. 9.
Natura ſubſtantialis nequit eſſe ſine ſubſiſtentia. pag. 195. n. 15.
Quid ſignificet hoc nomen? p. 216. n. 1.
Quomodò definiatur? ibid. n. 2. & 3.
Quibus rebus conueniat definitio naturæ. pag. 217. n. 9.
Quot modis natura, & ars inter ſe conueniant? pag. 218. num. & 2.
Natura perfectior eſt quàm ars. ibid. nu 3.
Non temerè, ſed propter finem operatur. p. 2[illegible]4. n. 14.
Natura communis prout ſic non includit differentias. p. 5. n. 14.
Natura in primo ſtatu eſt ſimul cum differentijs. pag. 181. n. 5.

Negatio.

Negationes & priuationes poſſunt eſſe ſigna naturalia inſtrumentalia formarum, quas negant & ſubiectorum, in quibus ſunt. pag. 95. n. 8.
Negatio diuiſionis in alias naturas, quam ſecundariò importat vnitas formalis, eſt vna tantùm. p. 5. n. 7.
Negationes & priuationes non poſſunt eſſe genera, & ſpecies. pag. 57. n. 2. & 3.
Quam negationem includat vnitas formalis. pag. 4. à n. 1. Vide vnitas.

Nomen.

Non poſſunt viatores imponere nomen, quod Deum intuitiuè repræſentet. p. 96. n. 4.
Nomen impoſitum à viatoribus non poteſt repræſentare Deum quidditatiuè, nec ipſis Beatis. p. 97. n. 6.
Poſſunt Beati nomen imponere quod Deum quidditatiuè repræſentet inter ipſos Beatos. p. 97. n. 10.
Nominis ſignificatio deſumitur primariò à conceptu imponentis. p. 98. n. 12.
Nomen minùs diſtinctè ſignificabit audienti, quàm imponenti. p. 98. n. 13.
Nominis definitio, p. 102. in capite diſputationis.
Nomen, & verbum differunt eſſentialiter, p. 102. n. 2.

Nominales.

Affirmant dari vniuerſalia in repræſentando p. 13. n. 9.
In opinione Nominalium datur Vniuerſale à parte rei, non ſolùm fundamentaliter, ſed etiam formaliter pag. 13. n. 11.
In opinione Nominalium ſcientiæ ſunt de Vniuerſalibus à parte rei. p. 15. n. 21.
Iuxta opinionem Nominalium nulla datur natura communis vniuerſalis, quæ vniuerſalitatem intrinſecam habeat, p. 18. n. 1.
In opinione Nominalium triplex datur Vniuerſale, nempe nomina, ſpecies, & conceptus. p. 18. n. 1.
In hac opinione dantur quinque Vniuerſalia logica in prædicando. p. 19. n. 3.
Quo pacto in hac opinione fiat abſtractio, & contractio? p. 20. n. 16.
Abſtractio Vniuerſalis in hac opinione non poteſt fieri à Deo. p. 21. n. 17.

O.

Obiectum.

Si daretur obiectum indifferens, voluntas non ferretur in illud. pag. 148. n. 2.
Non ſolùm actiones interiæ agentis intellectualis, ſed etiam exteriæ ſunt propter finem. p. 153. n. 5.
Obiectum materiale ſcientiæ debet eſſe Vniuerſale. pag. 155. n. 5.

Digitized by Google

Index Rerum.

Obiectum materiale ſcientiæ debet eſſe neceſſarium. pag. 155. n. 2.

Oculus.

Oculus non decipitur circa colores apparentes. pag. 101. n. 31.

Omnipotentia.

Omnipotentia eſt Relatum tranſcendens ad ſuos actus, p. 182. n. 12.
Vtrùm Omnipotentia diuina ſit Relatum tranſcendens ad creaturas? p. 184. n. 19.
Omnipotentia diuina eſt Relatum ſecundùm dici, & tranſcendens ad creaturas. p. 188. n. 49.
Omnipotentia diuina habet eſſentialem connexionem cum creaturis poſſibilibus. p. 1 4. n. 20.
Omnipotentia eſt Virtus productiua omnium effectuum abſolutè poſſibilium. p. 183. n. 28.
Omnipotentia in Deo eſt perfectio eſſentialis. pag. 177. n. 14.
Omnipotentia diuina eſt ſignum inſtrumentale naturale poſſibilium reſpectu intellectus beatorum. p. 94. n. 13.

Operatio.

Plura requiruntur ad operationem vnius cauſæ, quàm ad primam generationem eiuſdem cauſæ. p. 175. n. 9.

Orbes cæleſtes. Vide Cælum.

Orbes eccentrici, & concentrici. ibidem.

Opinio. Vide Actus, & Scientia.

De eſſentia opinionis eſt formido radicalis. p. 161. n. 2.
Opinionis definitio. p. 161. n. 1.
Opinio eſſentialiter diſtinguitur à fide humana. pag. 161. n. 7.
Opinio eſſentialiter differt à ſcientia. p. 162. n. 11.
Opinio & ſcientia quoad habitus, vel etiam actus ſcientiæ cum habitu opinionis, vel è contra, poſſunt ſimul naturaliter eſſe in eodem intellectu. p. 163. n. 1.

Oppoſita.

Oppoſitorum notitiuncula. p. 76. n. 14.

Oratio.

Orationis definitio. p. 102.
Forma illius eſt nexus partium inter ſe. p. 103. n. 1.

P.

Particulare.

Particulare eſt id, quod ſubijcitur Vniuerſali. pag. 34. n. 1.
Particularia Vniuerſalis de facto, vel de poſſibili plura eſſe debent. p. 34. n. 3.

Pater.

Pater æternus eſt Principium negatiuè Deitatis. pag. 176. n. 3.
Pater, & Filius ſunt Principium quomodò Spiritus Sancti. ibidem.
Pater, & Filius habent eſſentialem connexionem in diuinis, nec ideò dependent. p. 186. n. 37.
Pater in diuinis non eſt prior natura, nec prior tempore, nec motione, ſed origine. p. 181. n. 7.
Pater æternus non ſolùm poteſt dici prior Filio prioritate à quo, ſed etiam in quo. p. 132. n. 10.

Peccatum.

Non cognoſcitur futurum in illius permiſſione tantùm. p. 117. n. 18.
Cognoſcitur tamen ſuppoſita ſcientia conditionata. ibid.
Quid dicat permiſſio peccati? p. 117. n. 18.

Penetratio.

Corpora quæ penetrantur conſeruant ſuas vbicationes circumſcriptiuas. p. 178. n. 10.
Corpora licet formaliter ſint in loco per Vbi circumſcriptiuum, formaliter reſiſtunt penetrationi per negationem penetrationis. p. 178. n. 11.
Vt duo corpora penetrentur non opus eſt, vt tollatur ab illis aliquid poſitiuum, ſed ſolùm negatio penetrationis. p. 2 9. n. 14.

Perſona.

Perſonæ diuinæ conueniunt vniuocè. p. 177. n. 16.
Vtrùm in Perſonis diuinis reperiri poſſit ratio generis, vel ſpeciei? p. 87. n. 4.
Vtrùm Perſona ſit ſaltem aliquid vniuocum reſpectu diuinarum Perſonarum. ibid. n. 8.
Vna Perſona diuina non eſt cauſa alterius. p. 179. n. 2.
In diuinis Perſonis non datur dependentia. ibid.
Vna Perſona diuina poteſt terminare, quin alia terminet. ibid. n. 3.
Vna Perſona diuina non poteſt influere, quin influat etiam alia. ibid.
Vna Perſona diuina poteſt dici principium, non tamen cauſa alterius. ibid. n. 5.

Phantaſia.

Phantaſia humana non poteſt propriè effingere Entia rationis. pag. 27. n. 9.
Poteſt effingere Entia rationis impropria. ibid. n. 10.
Non poteſt formaliter abſtrahere Vniuerſale, etiam materiale. p. 41. n. 13.

Phantaſma fumi.

Quæ dico circa ſignificationem phantaſmatis rei ſingularem: Vide pag. 79. à n. 16.

Planeta. Vide Aſtra.

Planetæ inter ſe & ab Aſtris differunt ſpecie. p. 359. n. 1.
Quilibet Planeta habet ſuas particulares influentias. pag. 360. n. 5.
Numerantur Planetæ. p. 366. n. 8.

Potentia.

Potentia paſſiua materiæ eſt ipſa materia. p. 169. n. 1.
Potentiæ videndi omnes ſunt eiuſdem ſpeciei. pag. 198. n. 2.
Potentia generatiua & ſpiratiua in Deo non ſunt Relata tranſcendentia. p. 183. n. 17.
Potentia executiua Dei virtualiter diſtinguitur ab intellectu & voluntate diuina. p. 233. n. 3 & 4.
Quid ſit potentia obedientialis? p. 2 0. n. 1.
Quodnam ſit eius obiectum? ibid. n. 3.
Datur in omni creatura. ibid. n. 4.
Solùm eſt ad ea quæ non implicant contradictionem. pag. 241. n. 8.
De terminis potentiarum quoad intentionem, & extenſionem. p. 242. n. 1.
Item de terminis quoad reſiſtentiam. p. 343. n. 8.
De terminis potentiæ paſſiuæ. p. 344. n. 6.

Prioritas.

Prioritas vel eſt durationis, vel naturæ, vel rationis, vel Originis. pag. 181. & 182. n. 3. 4. 5. 6 & 7.

Prioritas

Digitized by Google

Prioritas naturæ requirit diſtinctionem ex natura rei pag. 181.n.3.
Prioritas naturæ non impedit res eſſe ſimul duratione in eodem inſtanti reali. p.182.n.5.
Prioritas originis non arguit imperfectionem in Deo. p. 176.n.4.
Prioritas naturæ in cauſa non tollit dependentiam ab effectu. p.183.n.25.
Prioritas Originis datur in diuinis Perſonis p.182.n.7.
Prioritas rationis reperitur inter diuina attributa, p.182. n. 6.
Prioritas rationis eſt antecedentia quæ fingitur ab intellectu cum fundamento in re. p.182.n.6.

Prædicatio.

Prædicatio directa quid ſit, pag 4.n.2.
Prædicari ſeparabiliter, vel inſeparabiliter non variat identitates Vniuerſalitatis. p 46.n.9.

Principium.

Principium non ſolùm negatiuè, ſed etiam poſitiuè aliquo modo debet eſſe prius principiato p.176.n.4.
Ad verum Principium tres requiruntur conditiones.ibid.
Principium diuiditur in Principium per ſe, & in Principiũ per accidens. p.176 n.7.
Diuiſio Principij increati eſt analoga impropriè. ibid. n.9. & 10.
Principium ad extra ab æterno non fuit in actu ſecundo ibid. n.8.
Principium ad intra increatum ſemper eſt in actu ſecundo. ibid.
Principium increatum in actu ſecundo eſt principalius analogatum reſpectu Principij ad intra. p.177.n 14.
Principium ad intra eſt perfectio notialis. p.177. n 14.
Reſpectu Principij Filij, & Principij Spiritus Sancti Principium ad intra eſt analogum. p. 177 n.15.
Principium eſt analogum attributionis ad Principiũ creatum, & increatum. ibid.n 17.
Relationes Principij ad intra ſunt reales, ad extrà verò rationis. p.176.n 1.
Principium cauſandi per emanationem eſt ipſa entitas rei. n.130.n.1.
Formale Principium cauſandi per actionem propriam eſt accidens realiter diſtinctum ibid.n.2.
Principium formale, per quod Deus operatur ad extra, eſt omnipotentia. p.233.n. 14.
Principia rerum naturalium non fiunt ex alijs in genere phyſico, fiunt tamen in genere metaphyſice. pag. 178. n 4.
Principium ad tria principia rerũ naturalium eſt analogũ. p.178.n.2.
Principium poteſt fieri ex alio in diuerſo genere pag.178. n 5
Ex principijs omnia fiunt vel tanquàm ex partibus, vel ex termino ibid.n.2.
Quæ ſunt principia rerum naturalium debent eſſe prima, p.178.n.3.

Poſſibilitas.

Poſſibilitas creaturæ continetur actualiter in Deo.p.187. n. 44
Poſſibilitas paſſiua creaturarum eſt contingens. pag 187. n. 85.
Poſſibilitas paſſiua creaturarum eſt poſterior cauſà primà, ſed neceſſariò cum illa connexa.p.185.n.29.
Poſſibilitas actiua neceſſariò amatur à Deo. pag. 187. n. 47.
Vtrùm Deus neceſſariò amet poſſibilia.p.187.n.47.

Prædicabile. Vide Vniuerſale.

Prædicabile in communi adæquatè diuiditur in quinque prædicabilia. p.43.n.3.

Priuatio.

Priuatio non eſt cauſa generans. p.175.n.2.
Priuatio eſt principium generationis. p.214.n.2.
Priuatio non eſt entitas realis poſitiua. p.215.n.2.
Priuatio ſuam habet vnitatem ratione formarum, quas reſpicit. ibid. n.3.
Priuatio diſtinguitur à materia, & forma diſtinctione reali negatiuæ. ibid. n.4.

Prædicamenta.

De Prædicamentis. pag.74.& 75.
Conditiones vt aliquid ponatur in Prædicamento.pag.74. n. 3.
Collectio Prædicamentorum. ibid.n.5.
Prædicamentum ſubſtantiæ quomodò conſtituatur. p.75 n. 7.

Præteritum. Vide Propoſitio.

Præcognita.

Quæ, & quot ſint. pag. 143.n.1. vſque ad 11.

Premiſſæ.

Præmiſſæ obiectiuæ ſunt cauſæ formales externæ Concluſionis p 145.n.5.
Præmiſſæ formales ſunt cauſæ effectiuæ Concluſionis. p.144 n.2.
Quomodò ſint nobiliores, euidentiores, & veriores Concluſione. p.145.n.2.
Præmiſſæ, vt demonſtratio perfecta ſit debēt in ſe continere cauſam proximam. p.145.n.6.

Propoſitio.

Propoſitiones de præterito, & præſenti, quamuis de materia contingenti, habent determinatam veritatem, vel falſitatem. p 110.n.1.& 2.
Propoſitiones contradictoriæ de futuro contingenti habent determinatam veritatem, vel falſitatem. pag. 111. n. 3.
Propoſitio definitur oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de quopiam. p.135.n.1.
In quo diſtinguatur ab enunciatione, ibidem.
Quænam in qualibet propoſitione conſiderari poſſunt? p.135.n.2.
Diuiditur ratione quantitatis in Vniuerſalem & particularem, in definitam, & ſingularem. ibid.n.3.
In affirmatiuam, & negatiuam tanquàm verum genus in ſpecies. ibid.n.4.
Componitur ex duabus partibus, ex ſubiecto ſcilicet, & prædicato. p.135.n.6.
Quid, & quotuplex ſit conuerſio propoſitionis? p.136.n.1. & 2.
Vniuerſalis negatiua conuertitur ſimpliciter. ibid.n.4.
Vniuerſalis affirmatiua conuertitur in partem. ibid n.5.
Probatur propoſitio Vniuerſalis affirmatiua in ſecana. p. 139.n 4.
Probatur particularis affirmatiua in Cageti ibid.n.5.
Vniuerſalis negatiua probatur in dafenes. ibid.n.6.
Particularis affirmatiua probatur in Gedaco. p 140.n 7.
Probatur Vniuerſalis negatiua in Hebare. ibid.n.8.
Probatur particularis affirmatiua in Gebali, ibid.n 9.

Proprium.

Proprium diuiditur adæquate in quatuor mēbra. p.70 n.1.

Digitized by Google

Proprium et eſt quartum prædicabile. p.71.n 5.

Punctum.

Punctum diuina virtute ſeparatum à Linea poterit naturaliter moueri motu locali. p.306.n 1.
In ſententia Ariſtotelis, punctum ſeparatum à Linea non poteſt moueri. p.307.n.5.
Punctum ſeparatum poteſt in ſe recipere impulſum impreſſum per aliud indiuiſibile. ibid.n.7.

Q.

Qualitas.

QValitas corporea ratione ſui habet extenſionem extratiuam. p.289 n.7.

Quantitas.

Quantitas eſt materiæ proprietas.p 205.n.13.
Quantitas cæleſtis,& ſublunaris eſt eiuſdem ſpeciei. pag. 201.n.15.
Quantitas cæleſtis eſt diuiſibilis remotè, nec proximè diuidi poteſt. p.201. n.21.
Quantitas eſt neceſſaria, vt materiam reddat ſenſibilem. p.205.n.17.
Quantitas nõ requiritur in materia ad cauſandũ,ſed phyſica eſt conditio p.205.n.20.
Partes quantitatis non ſunt propriè vnitæ,ſed continuæ. p.209 n.3.
Quantitas immediatè inhæret in materia.p.211.n.1.
Quantitas eſt ſubiectum qualitatum materialium,ſiue diſponant ad formas ſubſtantiales,ſiue accidentales. pag. 212 n.4.
Eſt etiam ſubiectum potentiarum vitalium, ibid.n.5.

R.

Relatio.

Relationes reales non dantur in Deo ad creaturas. p.188. n. 53.
Dantur tamen relationes rationis.p.188 n.53.
Relationes reales arguunt mutationes. p.188.n 53.
Relationes principij ad intra ſunt reales,& ad extra rationis.p.176.n 10
Relatio eſt ſignum alterius relationis dummodò non ſit correlatio. p.96.n.25.
Relatio facientis differre & facti differentis. p.68.n.4.
Relatio prædicamentalis quid ſit? p.75. n 1.
Vt detur,quæ conditiones requirantur? p.75. n.4.
Vna relatio non inſinit eſſe in aliam p.179.n 2.
Vna relatio non eſt cauſa alterius.p.179.n.2.
Relationes indiuidui ad genus , & ſpeciem. Vide indiuiduum.

Relatum.

Relatum tranſcendens ſolùm dicit reſpicere terminum ſub ratione diſtinctiua muneris præſtandi, vel recipiendi. p.188 n.50.
Relata tranſcendentalia non ſunt ſimul naturâ.p.183.n 15
Relatum tranſcendens reſpicit aliud tanquàm ſuũ perfectibile. p.184.n.1.
Relatiuum non eſt ſignum ſui termini. p 95.ſo.22.

S.

Sacramenta.

PHyſicè,& actiuè producunt gratiam.pag.141.n 5.
Non tamen producunt niſi aliquid eorũ exiſtat.p.182.

Scibilitas.

Triplex datur ſcibilitas ſpecificans ſcientias. p.158.n.9.

Scientia. Vide Opinio.

Scientiæ definitio. p.155.n.1.
Obiectum materiale ſcientiæ debet eſſe neceſſarium, & vniuerſale. p.153. n.2.& 5.
Scientia poteſt dari de re phyſicè contingenti, dummodò ſit metaphyſicè neceſſaria. p.155.n 3.
Scientia non eſt de rebus perpetuis quoad exiſtentiam. p. 155 n.4.
Scientiarum præcipua ſubalternatio eſt, quæ ſit vel ratione obiecti materialis,vel formalis. p.156 n.6.
Ad ſcientiarum ſubalternationẽ tres ſunt deſignandæ conditiones. p.1 6.n.7.
Diſtinctio, & vnitas ſcientiarum non ſumitur ab obiecto materiali.p 157.n.1.
Scientia totalis ſumit ſuam diſtinctionem ab obiecto formali. p.157.n.2.
Vtrùm per ſcientiam per ſe infuſam poſſint cognoſci myſteria fidei euidenter, ſaltem quoàd an eſt? pag 127. n.14 vſque ad 23.
Quælibet ſcientia totalis eſt aggregatum multorum habituum efficientium vnam ſpecie ſcientiam p.159.à n.13.
Scientia verè,& propriè habet contrarium, nempe errorem. p. 160.n.19.
Scientia actualis per obliuionem concluſionis , vel medij, ſiue per corruptionem obiecti,vel ſubiecti deperditur. p.160.n 21.
Scientia,& opinio,quò ad habitus; vel quò ad actus ſcientiæ,& habitus opinionis, aut è contra,poſſunt ſimul naturaliter eſſe in eodem intellectu. p.162.n.1.
Non poteſt ſcientia ſimul eſſe cum opinione habente actualiter formidinem extrinſecam. p.165.n.14.

Scientia Dei.

Scientia Dei ſemper eſt eadem reſpectu præteriti, & futuri. p.122.n.14.
Quid ſit ſcientia ſimplicis intelligentiæ,& ſcientia Viſionis? p.122.n.15.& p.124.à n.3.
Diuiditur in ſpeculatiuam,& practicam. p 125.n.4.
Quid ſit in Deo ſcientia conditionata? p.125. n.5.& 6.
Hæc ſcientia neceſſaria non eſt ad efficaciam diuinæ gratiæ. p.119 n.14.

Senſus externi.

Senſus externus, nec diuinitus, poteſt abſtrahere formaliter Vniuerſale. p.40.n.1.
Poteſt tamen abſtrahere Vniuerſale effectiuè. p.41.n.11.

Signum.

Signum naturale poteſt ſimul eſſe ex inſtituto reſpectu eiuſdem. p.96. n.1.
Signum ex inſtituto nihil poteſt ſignificare intuitiuè. pag. 96.à n.3.
Quid ſit ſignum,& quomodò diuidatur? p.77.à n.1.
In quo conſiſtat eſſentia ſigni? p. 80.n.1.
Vtrùm ſit eadem relatio cauſæ cum relatione ſigni? p. 81. n.8.
Quomodo ſit ſignum phantaſma rei ſingularis? pag.79.à n.16.
Signum ſecundùm ſe non eſt compoſitum per accidens. p.81.à n.12.
De relationibus ſigni ad potentiam,& ad rem,habes. pag. 82.à n.16.
Inter ſignum,& ſignificatum ſufficit diſtinctio virtualis. p.82.à n.1.
Inter ſignum,& potentiam ſufficit diſtinctio virtualis. p. 83.n.7.

De poteſtatibus quæ poſſunt vti ſignis, habes à p. 84. à n. 1.
Vtrùm Deus vtatur ſignis? p. 87. à n. 17.
Per quæ ſigna loquantur Angeli. à p. 89. à n. 8.
Actus liberi diuinæ voluntatis efficacis vel ineffiacis ſunt ſigna naturalia inſtrumentalia reſpectu rerum quas ſignificant. p. 94. n. 17.
Signa cæleſtia quot ſint. p. 364. n. 3.

Species.

Species corporea impreſſa, vel expreſſa, quæ repræſentet rem ſpiritualem, vel vniuerſalem, impoſſibilis eſt. pag. 43. n. 26.
Quinque ſpecies Vniuerſalium ſunt infimæ. p. 34. n. 16.
Species cuiuſque rei prouenit à differentia metaphyſica. p. 195. n. 14.
Speciei definitio. p. 56. n. 6.
Species intelligibilis non eſt cauſa principalis effectus. p. 147. n. 9.
Data quauis ſpecie ſub aliquo genere, poteſt Deus aliam perfectiorem in infinitum producere. p. 270. n. 16.
De ſpecie, vt eſt ſecundum prædicabile. p. 45. n. 1.

Species intentionalis.

Species intentionalis eſt formaliter repræſentatiua. p. 20. n. 11. 12. & 13.
Species expreſſa repræſentat rem materialem. ibid. n. 13.

Sphæra.

Sphæra vltima mouetur ſecundùm ſe totam. p. 282. n. 11.
Sphæra vltima actualiter eſt in loco per ordinem ad locũ imaginarium. p. 276. n. 10.
Sphæræ cæleſtes in veteri opinione circumaguntur motu primi mobilis. p. 364. à n. 4.
Nona ſphæra ſecum defert cœlo ſphæras inferiores. pag. 363. n. 4.

Spatium imaginarium.

Deus non eſt in ſpatio imaginario. p. 321. n. 5.
Spatium imaginarium non eſt aliquid reale, & poſitiuum, ſed eſt vera negatio. p. 322. n. 6.

Scriptura.

Scriptura ſignificat rem eadem ſignificatione, qua vox. p. 99. n. 10.
Scripta ſignificant voces, & res per diuerſas ſignificationes ibid. n. 7.

Status.

Tres ſunt naturæ communis ſtatus: & quales. p. 8. n. 13.
In ſolo tertio ſtatu datur Vniuerſale. p. 24. n. 6. 7. & 8.

Stellæ. Vide Aſtra, Planetæ.

Stellæ diſcurrunt per cælum tanquàm aues in aere. pag. 328. n. 6.
De ſtella noua, quæ apparuit in Caſſiopæa pag. 328. n. 8. 9. & 10.

Subiectum.

Totum compoſitum eſt ſubiectum quantitatis. p. 211. n. 3.
Primum ſubiectum, in quo fit generatio non eſt ſubſtantia completa. p. 192. n. 5.
Datur primum ſubiectum in quo fiunt generationes, & corruptiones. p. 191. n. 2.

Subſtantia.

Subſtantia eſt primum omnium entium. p. 1. 8. n. 8.
Quomodò conſtituatur prædicamentum ſubſtantiæ? p. 75. à n. 7.
Quo pacto ſubſtantia diuidatur in primam & ſecundam. p. 75. n. 8. & 9.
Subſtantiæ nihil propriè eſt contrarium. p. 179. n. 8.
Non eſt per ſe ſenſibilis. p. 205. n. 17.
Subſtantia eſt operatiua ſuarum proprietatum per emanationes. p. 239. n. 8.

Subſiſtentia.

Subſiſtentia eſt terminus intrinſecus naturæ. p. 195. n. 15.
Subſiſtentia eſt tantùm terminus & non pars compoſiti, & licet educatur, dicitur natura ſimpliciter creari. pag. 210. n. 6.
Subſiſtentia diuina non dicitur cauſa naturæ. p. 175.

Suppoſitum.

Eſt Principium efficiendi, vt quod. p. 238. n. 4.

Superficies. Vide Quantitas, & Indiuiſibilia.

Superficies non eſt locus quatenus extendit corpus. pag. 273. n. 4.

Syllogiſmus.

Quo pacto definiatur? p. 137. n. 3.
Solus eſt argumentatio formalis. p. 137. n. 3.
Modi ſyllogiſmorum generaliter loquendo ſunt duo, directus & indirectus. p. 138. n. 9.
Specialiter loquendo ſexdecim in qualibet figura numerantur p. 138. n. 10.
Quid ſit modus ſyllogiſmi? p. 138. n. 9.

T.

Terra, vide Elementum.

Terra maior eſt, quàm aqua. pag. 367. n. 4.
Terra ex parte, qua diſcooperta eſt, aquis altior eſt. p. 368. n. 7.
Terra ſita eſt in medio Vniuerſi. p. 369. n. 6.
Cur Terra in medio mundi quieſcat? p. 370. n. 1.
Partes Terræ ſeparatæ à toto non mouentur, vt acquirãt centrum, ſed vt coniungantur cum toto. p. 370. n. 2.
Pondus aquæ, & Terræ ſolùm inſeruiunt ad vniẽdas partes terræ, & aquæ. p. 371. n. 5.
Terra eſt omnino immobilis. p. 371. n. 14.
Terra eſt ſummè grauis. p. 372. n. 8.
De Terræ motu. p. 383. n. 31.

Tempus.

Tempus definitur Numerus motus ſecundùm prius & poſterius. p. 284. n. 1.
Ita eſt quid reale, vt nullo modo pendeat ab intellectu. ibid. n. 4.
Diuiditur in ſeculum, in annum, in menſem, &c. ibid.
Non accipit ab anima complementum menſurans ipſum Tempus ſecundùm prius, & poſterius. p. 284. n. 5.
Virtualiter tantùm diſtinguitur ab extenſione motus & conſequẽter ſolùm virtualiter diſtinguitur ab ipſo motu. pag. 285. n. 1.

Terminus.

Terminus eſt in quem reſoluitur propoſitio, vt in prædicatum, & ſubiectum. p. 135. n. 5.

Verbum

Verbum, Eſt, non habet rationem termini in propoſitione. ibid.n 7.
Termini quot ſint? p.172.n.1.
De Terminis rerum viuentium. p.172.n.2.3.& 4.
De Terminis rerum non viuentium. p.173.n.1.& p.134.n.2.3.& 8.

Topica.

Topicorum notiuncula. p.166.n.21.

Totum.

Totum per accidens non diſtinguitur ex natura rei à ſuis partibus ſimul ſumptis. p.171.n.1.
Totum phyſicum ſubſtantiale diſtinguitur realiter à ſingulis partibus vt includens ab incluſo. ibid.n.2.
Totum phyſicum non includit aliam tertiam entitatem, à qua ex natura rei diſtinguatur. ibid.n 4.

Tranſubſtantiatio.

In ſacra Euchariſtia non eſt actio ex præſuppoſito ſubiecto. p.241.n.10.

V.

Vacuum.

NVllum dari poteſt viribus naturæ. pag.181 n.1.
Definitur Locus ſublunaris nõ repletus corpore, ſed aptus repleri. p.182.n.2.
Vacuum ſola diuina virtute dari poteſt. p.183.n.4.
Si daretur Vacuum, diuina virtute, poſſent in illo moueri corpora. p.183 n.4.
Natura varijs modis occurrit ad impediendum vacuum. p.182. n. 3.

Vapor.

Vapor quos habeat effectus? p.375.n.2.

Venti.

Ex qua materia conſtent? p.381.à n 25.
Qua virtute impellantur? p.382.n. 26.
Non mouentur ab Angelis. ibi. n.27.
Cur Venti in hanc potiùs partem, quàm in aliam ſpirent? p.381.n.23.
De cauſa formali, & finali ventorum p 382.n 29.

Vbi, vide Situs.

Vbi, & Situs quid ſint? p.46.n.8.

Verbum.

Verbi definitio. pag 101.
Verbum, & nomen differunt eſſentialiter. p.101.n.2.
Verbum dicit de formali ſuum proprium ſignificatum, & connotat tempus. p.103.n.5.
Verbum non dicit copulam de formali ibid.n 7.
Verbum infinitum quid ſit? ibid. n.8.
Verbum diuinum terminans humanitatem Chriſti reduci poteſt ad aliquod genus cauſæ. p.179 n.4.

Veritas.

Veritas eſt proprietas orationis. p.104.n.1.
Veritas ſecundæ operationis eſt cõformitas cum re, prout in ſe eſt. p.104 n 3.
Veritas cognitionis conſiſtit in conformitate intellectus cum re, quæ cognoſcitur. p.100.n.5.
Veritas ſemper datur in prima operatione noſtri intellectus. p.101.n.8.
Veritas, vel falſitas datur in ſecunda intellectus operatione. p.101 n.13.
Veritas, vel falſitas complexa datur in tertia operatione. p.102.n.14.
Veritas cognitionis eſt conformitas intellectus cum re, quæ cognoſcitur. p.100 n.15.

Viſio.

Viſio actualis Beatifica eſt extra vires naturæ pag.185. n. 32.

Vnio.

Vnio eſt cauſalitas materiæ in facto eſſe. p.221.à n 5.
Vnio in facto eſſe eſt immediata dependentia. pag 222. n. 13.
Quinam ſit effectus formalis adæquatus puræ vnionis? p.223.n. 15.
Datur aliqua vnio, quæ non eſt dependentia. pag. 222. n. 14.
Vnio eſt cauſalitas formæ erga compoſitum in facto eſſe. p 223.n 2.
In compoſito phyſico omnino materiali vna tantùm datur vnio identificata cum forma. p.223.n.2.
Aliquando datur duplex vnio in eodem compoſito. p.224. n.4 & 5.
In compoſito humano vna tantùm datur vnio, quæ eſt ſpiritualis. p.224. à n.7.
Obiectiones contra hanc ſententiam, habes pag. 225. à n 11.
Plures formæ ſubſtantiales poſſunt diuinitus vniri cum eadem materia. p.225.n.2.& 3.
Vnio nec diuinitus creari poteſt. p.210.n.8.
Vnio eſt de formali conceptu compoſiti p 209.n.1.
Vnio propriè ſolùm datur inter partes diuerſæ rationis. p.209.n.3.
Vnio non dependet à partibus, tamquàm à ſubiecto, ſed tamquàm à terminis. p. 205.n.5.
Vnio hypoſtatica identificatur cum humanitate, & non cum Verbo. p.182.n.13.

Vnum.

Ex vna forma cum multiplici materia reſultat vnum per accidens. pag.218.n 9.

Vniuocum.

Vniuoca æquiuoca, & analoga. pag. 73.

Vniuerſale.

Vniuerſale communiſſimum adæquatè diuiditur in quinque ſpecies. pag 44 n.1.
Quæ diuiſio immediata non eſt. p 50.n.34.
Vniuerſale formaliter ſumptum eſt verum genus vniuocum, comparatione quinque prædicabilium. pag. 51. n. 1.
Vniuerſale ſumptum pro materiali nil habet vniuocum. p.51. n.2.
Vniuerſalium quinque ſpecies ſunt infimæ. pag. 54. n. 16
Vniuerſalia aſſumptiua de nouo non dentur, ſi cum Verbo diuino comparentur. p.46.n.11.

Primum E

Primum Vniuerſale, quod ſibi abſtrahit noſter intellectus eſt corpus. p.170.n.1

Quæ multiplicatio ſufficiat ad duo vltima vniuerſalia? p. 55.n.7

Vniuerſale genericum.ſpecificum. Vide genus,& ſpecies.

Vniuerſalitas non conſiſtit in Vnitate,neque in Relatione quam habet natura communis ad inferiora. p.4.n.6.&7.

Conſiſtit tamen in ea aptitudine, quã habet natura communis ad eſſendũ in ſuis inferioribus, ac de illis prædicandum. ibidem n. 9.

Vniuerſale communiſsimè ſumptum eſt vnum aliquid ad res plures pertinere potens. p.3.

Vniuerſale Logicum eſt id,quod prædicari poteſt de pluribus. ibid.

Æquiuoca,& analoga non ſunt Vniuerſalia. ibid.

Vniuerſalia Dialectica non ſunt ea,quæ prædicantur indirectè. falſò,aut contra, vel præter naturam. p 4.

Vniuerſale eſt in eiſdem,quibus eſt commune. p 4.

Quinque ſunt Vniuerſalia in prædicando, ad quæ tria requiruntur. p.19. n.3.

In opinione Nominalium datur Vniuerſale à parte rei. ibid.n.6.

Vniuerſale datur in conceptu,ac etiam in ſpecie rememoratiua ex eodem relicta. p.19.n.9.

Vniuerſale formaliter ſumptum in opinione Nominalium diſtinguitur realiter ab inferioribus. p.20.n.10.

Vniuerſale eſt quoddam concretum ex natura ſubſtrata,& Vniuerſalitate. p 21.n.21.

Vniuerſale vel eſt intrinſecum,vel extrinſecum.p.23 n.19.

Vniuerſale non datur in primo ſtatu. p.24 n.8.

Vniuerſalitas poſitiua conſiſtit in conceptu intellectus patientis. p.25 n.13.

Vniuerſale poſitiuum non relucet in ſpecie intelligibili producta ab intellectu agente. p.25.n.14.

Vnitas.

Vnitas idem eſt, atque Indiuiſio. p.4.n.1.

Diuiditur in Vnitatem per ſe,& in Vnitatem per accidens. ibidem.

Vnitas formalis eſt quæ datur in natura communi. Numeralis quæ in inferioribus. ibid.

Vnitas non ... Ens quid negatiuum. ibid.n.1.

Vnitas præciſionis requiritur ad Vniuerſale,præter vnitatem formalem. p 5 n.2.

Vnitas formalis eſt negatio in ſubiecto inepto, vnitas præciſionis eſt priuatio in ſubiecto apto p.6.n.2

Vnitas præciſionis virtualiter tantùm diſtinguitur ab vnitate formali. p 6.n 8

Vnitas formalis diſtinguitur eſſentialiter ab vnitate præciſionis. p.6.n.11.

Quo pacto vtraque hæc vnio diſtinguatur à numerali? ibidem.

Vnitas formalis non ſolùm negat diuiſionem rei in ſe ſed etiam diuiſionem à quouis alio. p.4.n 2.

Vnitatis formalis ratio conſiſtit in negatione diuiſionis rei in ſe. p.4.n.3.

Includit ſaltem ſecundariò diuiſionem in alias naturas diſsimiles. 5.5.n.6.

Vnitas formalis, quæ eſt in natura in primo ſtatu, neque eſt vniuerſalis,neque ſingularis. p.5. n.15.

Vnitas formalis conueniens naturæ in ſtatu abſtractionis eſt communis. p.5.n.15.

Vnitas formalis, quæ eſt in inferioribus,non eſt communis,ſed particularis. p.5. n.17.

Vſus diſſerendi.

Vſus diſſerendi in materia neceſſaria pertinet ad eã ſcientiam cuius eſt materia. p.1.

Omnis Vſus diſſerendi in quauis materia probabili ſpectat ad ſolam Dialecticam.

Voluntas.

Non poteſt appetere malum, ſub ratione mali. pag. 148. n.2.

Non poteſt moueri à negatione per ſe ſumpta.ibid.

Voluntas diuina quoad entitatem eſt ipſamet Eſſentia diuina. p.215.n.1.

Voluntas diuina non habet cõnexionem cum poſsibilibus p.187.n.46?

Quotuplex noſtro concipiendi modo poteſt conſiderari Voluntas diuina? p.130.n.20.21.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Digitized by Google

SVMMA
VNIVERSÆ
PHILOSOPHIAE.
CVM QVÆSTIONIBVS THEOLOGICIS, QVÆ HODIE
inter Philoſophos agitantur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AVCTORE
P. M. BALTHAZARE TELLEZ
LVSITANO VLYSSIPONENSI,
E SOCIETATE IESV,
VLYSSIPONE PVBLICO, AC PRIMARIO
Theologiæ Profeſſore.

VOLVMEN SECVNDVM,
Continens tertiam, & quartam partem: In tertia agitur de Metaphyſica: in quarta agitur de libris de Generat. & Corrupt. nec non de libris de Anima.

PARS TERTIA IN METAPHYSICAM.

TRACTATVS PRIMVS,
In quinque priores libros Metaphyſicorum.

Cum eiſdem facultatibus, quæ primo Volumine continentur.

VLYSSIPONE.

Ex Officina Laurentij de Anueres. Anno Domini 1642.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆLOGIVM
LECTORI MEO.

IN hac tertia parte operis mei liceat mihi præfari (quod in principio Summæ tôtius profeſsi plerique ſunt Philoſophiæ ſcriptores) naturalē Theologiam ſcientiarum omnium reginam me aggreſſurum, cui profectò naturales reliquæ ſcientiæ officioſé famulantur: cuius præclariſsima dignitas, & maieſtas prope diuina, cuius nomen, ac numen auguſtiſsimum, ita liberale cuiuſque obruit ingenium, vt qui vel exiguam eius partem attigiſſe præſumunt, in portu adhuc, & ſub anchoris conſiſtere cōdoleſcant. Quapropter non, niſi Dei ſapientiâ fretus, per immenſum hoc Sapientiæ pelagus vela explicabo; vt enim ſapienter ſcripſit Aug. ſupra Pſal 70. *Hæc tota ſcientia magna hominis ſcire, quia ipſe nihil eſt per ſe, & quidquid eſt, ex Deo eſt, & propter Deum eſt, &c.* Quod vt conſequi valeamus, ſydus erit benigniſsimum Sanctiſsima Virgo mea, cui ſéper ex animo labores noſtros dicamus, in qua omnes theſauros ſcientiæ, & ſapientiæ reconditos admiramur, & veneramur. *August.*

Nunc ad me redeo, qui ſi vnquàm auarè pretium ſtatui arti meæ, in hac præcipua Summæ philoſophiæ parte, ſtudio ſummo præcipuè inſudabo, nullum me à labore reclinabit otium, auctores omnes, etſi ſtrictim, euoluam, non ſicut transfuga, ſed tanquàm explorator, ſi valeam occultam Sapientiæ medullam apprehendere, & auditoribus meis ſummatim, ſtyloquè breuiſsimo, *pro noſtro more modoque* inculcare; *ſolet namque*, auctore Seneca lib. 1. de Beneficijs, *plus prodeſſe ſi pauca Sapientiæ præcepta teneas, ſed illa in promptu, vt in vſu tibi ſint, quàm ſi multa quidem didiceris, ſed illa ad manus non habeas &c.* altè etiam illud Horatianum hauſi, in Arte Poetica, *Seneca.*

> *Quidquid præcipias, eſto breuis, vt citò dicta*
> *percipiant animi dociles, teneantque fideles.*

Horat. in Arte Poet.

Sed iam felici auſpicio, in peruigilio Virginis Beatiſsimæ, ordiamur.

Digitized by Google

LIBERI I.

DISPVTATIO XXXXVIII.

De Appetitu hominis ad ſcientiam.

NON excito quæſtionem de obiecto Metaphyſicæ, quia ſuppono cum communi ſententia, adæquatum Metaphyſicæ obiectum eſſe Ens reale, quà reale, prout cadit ſub abſtractione ab omni materia ſenſibili, & intelligibili, re, & ratione, vnde conſiderat ſubſtantiam, & accidens, vt talia ſunt. poſſunt enim hi gradus inueniri ſine omni materia, vt conſtat ex accidentibus, & ſubſtantijs ſpiritualibus. Ex quibus colligitur eſſe Metaphyſicam omniũ ſcientiarum nobiliſsimam, ſiquidem eius obiectum nobiliſsimum eſt, quia comprehendit Deum, Angelos, & reliqua entia realia, prout abſtrahunt à materiæ concretione. Hoc, inquam, ſuppoſito, in hac prima diſputatione agendum eſt de appetitu hominis ad Scientiam, cui diſputationi anſam dedit Philoſophus, cùm aſſeruit in hoc primo lib. cap. 1. *Omnem hominem naturaliter appetere ſcire.*

SECTIO I,

Datur in homine appetitus innatus, & elicitus ad ſcientiam.

Datur appetitus innatus.

P. Soarius. P. Fonſeca. D. Thom. Albert. AEgyd. Caietan. Ferrar. Henric. Flandria. Barthol. Amicus.

1 PRima concluſio. In homine datur appetitus innatus ad ſcientiam: concluſio communis eſt, vt videre licet apud Soar. in Met. diſp. 1. ſect. 6 n. 8. & 14. Fonſ. in Met. tom. 1. lib. 1. cap. 1. q. 1. ſect. 6. à §. His ita. idem tenet D. Th. Albert. Ægyd. Caiet. Ferrar. Henric. Flandr. quos citat, & ſequitur Barthol. Amicus in lib. Poſt. trac. 27. diſp. 1. dub. 2. ar. 2. Vt probetur concluſio, ſciendum imprimìs eſt, appetitum in homine, aut eſſe innatum, aut elicitum: innatus, eſt naturalis propenſio ingenita ab Auctore naturæ, qua vnaquæque res fertur in bonum ſibi conueniens: hæc propenſio, vel eſt merè paſsiua, qualis datur in lapide ad centrum; vel eſt poſitiua, qualem habent appetitus ſenſitiuus, & rationalis, ideſt, volũtas. Deinde appetitus elicitus, eſt actus potentiæ appetentis, ſiue actus appetitus innati, quo ſcilicet fertur potentia appetens in obiectũ, mediante cognitione.

2 His poſitis, probatur concluſio. Omnis res naturaliter appetit ſuam perfectionẽ: ſed ſcientia eſt magna hominis perfectio: ergo naturaliter appetitur ab homine: ſed nihil aliud eſt appetitus innatus: quàm appetitus naturalis: ergo &c. Confirmatur, quia potentia naturaliter eſt propenſa ad ſuos actus, & ad ſuum obiectum: ſed actus potentiæ innatæ maximè perficiuntur per ſcientias: ergo &c.

Datur appetitus elicitus.

Soarius. Fonſeca. Vaſquez.

3 Secunda concluſio. Datur in nobis appetitus elicitus naturalis ad ſcientias: ita communis ſententia cum Soar. in Metaph. diſp. 1. ſect. 6. n. 13. Fonſ. tom. 1. Met. lib. 1. cap. 1. q. 1. ſect. 6. §. Secunda concluſio. Vaſq. 1. 2. ad q. 10. diſp. 22. cap. 5. Probatur ex fundamento ſupra facto, quod non minùs procedit de naturali pondere appetitus innati ad bonum ſibi conueniens, quàm de amore elicito, quẽ experimur ſæpe actualiter habere circa Scientias, cùm hæ maximè perficiant humanũ intellectum: ad quem appetitum ſufficit imperfecta cognitio, & ita Ariſtotelem interpretatur Amicus ſupra ar. 2. cum multis.

Amicus.

4 Dicitur autem hic appetitus elicitus naturalis, non quòd ſit inſitus à natura, ſicut eſt appetitus innatus, ſed dicitur naturalis, vel quatenùs opponitur violento, vel quatenùs non eſt ſupernaturalis. Dicitur præterea naturalis, ideſt, neceſſarius, nam ſcientia neceſsitat voluntatem. quòad ſpeciem, cùm ſit bonum, quod ex ſe, & per ſe, nullam habet rationem mali; non tamen neceſsitat quòad indiuiduum, quia nullum bonum creatum neceſsitare hoc modo poteſt voluntatem. Dici tandem poteſt naturalis, quia eſt maximè naturæ conformis.

5 Tertia concluſio. Non ſolùm ad ſciẽtiam in communi, ſed etiam ad ſcientiam

in

Digitized by Google

in particulari datur in nobis appetitus elicitus: ita Soar. in Met diſp. 1. ſect. 6 n 13. & 32. vbi loquitur de Scientia practica. Vaſq. 1. 2. ad q. 10. in com. ar. 1. Probatur; ex eo non amaretur ſcientia in particulari, ſiue practica, ſiue ſpeculatiua, & diſcurſiua, quia haberet admixtam aliquam imperfectionem; ſed hoc non tollit quominùs ametur: ergo &c. Probatur minor, quia non ſatis eſt, quòd habeat admixtam aliquam imperfectionem, vt non ametur, ſed neceſſarium erat, vt nullam haberet perfectionem.

Soarius. *Vaſquez.*

6 Declaratur hæc doctrina, quia vita diligitur ab hominibus appetitu elicito naturali, quamuis tot ærumnis ſit repleta: immò neceſſariò amatur quoàd ſpeciē, quia eſt maxima hominis perfectio: nō negauerim tamē ſcientias aliquando odio haberi poſſe, non quidē per ſe, ſed per accidens, & ratione moleſtiæ, quam parit eius ſtudium, qui enim ad ſcientiæ faſtigium aſcendiſſe præſumit,

Multa tulit, fecitque puer, ſudauit, & alſit. — *Horat. in Arte poet.*

7 Obijcis tamen primò contra has concluſiones. Multi non aſſequuntur ſcientias: ergo non datur in illis appetitus ad ſcientias: fruſtra enim eſt potentia, quæ reduci non poteſt ad actum. Reſpondetur negando conſequentiam; tunc enim ſolùm fruſtra diceretur inditus talis appetitus, quando in nullo homine reperiretur ſatiatus; cùm tamen in aliquibus ſatietur, qui ſcientias conſequuntur, non eſt fruſtaneus; ſicut non dicitur ſuperuacaneus appetitus in materia ad omnes formas, licet nunquàm omnes ſit habitura; ſimiliter etiam, licet homo habere ſimul non poſsit omnes ſcientias, ad omnes haber appetitum, ſufficit enim quòd illas diuiſim habere poſsit.

8 Obijcis ſecundò. Si ſcientiæ amarētur neceſſariò quoàd ſpeciem, amarentur etiam media: atqui hoc non ita euenit, multi enim odio habent ſtudendi laborem: ergo &c. Reſpondeo. Media etiam diligi à parte ſuperiori animę, licet inferior appetitus tanquàm refractarius reſiſtat, qui tamen virtute animæ corrigendus eſt: ſicut cùm venæ ſciſionem recuſat, quæ tamen admittitur, quia neceſſaria eſt ſaluti, iuxta illud vatis ingenioſi,

Sæpe tibi ſuccos, quamuis inuitus, amaros
Æger, & oranti menſa negata mihi eſt. — *Ouid. lib. 2. de rem.*

SECTIO II.

Vtrùm in nobis detur appetitus ad ſcientiam ſupernaturalem?

1 PRima concluſio. Non datur in nobis appetitus innatus naturalis, ſeu propenſio ad ſcientiam ſupernaturalem, nempe ad viſionem beatam. ita D. Th. q. 22. de Veritate ar. 7. Sal. tom. 1. in 1. 2. q. 5. ar. 5. tract. 2. diſp. 12. ſect 2. n. 6. vbi citat Caiet. Bañez, Canum. Capr. Ferrar. Palari. Medin. Henriq. eandem ſententiam tenent Vaſq. tom. 1. in 1. 2. ad quæſt. 5. ar. 8. diſp. 22. cap. 2. & 3. Mol. 1. p. q. 12. ar. 1. diſp. 2. Soar. tom. 1. Met. diſp. 3 o. ſect. 11. à n. 36. & tom. 1. in 3 p. diſp. 29. ſect. 2. Fonſ. tom. 1. Met. lib. 1 cap. 1. q. 2. ſect. 7. (vbi in principio ſectionis alios quos citat ad marg.) Ægytan. de Beat. tom. 1. lib. 3. ad 1. 2. q. 2. D. Thom. q. 1. ar. 3. §. 5. nu. 27. Arrubal tom. 1. in 1. p. diſp. 14. cap. 2. Herice. 1. p. tract. 37. cap. 2. Ioan. Præpoſ. 1. p. q. 12. ar. 1. dub. vnico, à n. 10 Gonzales, Ripa Naz. Zumel, Raunald. Faſſol. Curiel, & alij, quos citat Ripalda de ente ſupern. lib. 1. diſp. 9. ſec. 2. n. 11. & ipſe ſequitur ſect. 3.

Nō datur appetitus innatus. *D. Thom.* *Salas.* *Caiet.* *Bañez.* *Capreol.* *Ferrar.* *Palat.* *Medin.* *Vaſq.* *Henriq.* *Molin.* *Soarius.* *Fonſec.* *Ægytan.* *D. Thom.* *Arrub.* *Herice.* *Præpoſit.* *Gonzal.* *Ripa.* *Nazar.* *Zumel.* *Raunal.* *Faſſol.* *Curiel.* *Ripalda.*

2 Probatur concluſio. Quia viſio Dei eſt omnino ſupernaturalis in entitate, appetitus innatus eſt omnino naturalis: ergo nullam habere poteſt naturalem inclinationem, cum viſione Dei, propter ſummam improportionem, quæ datur inter ens naturale, & ſupernaturale: neque ſufficit potentia obedientialis, quam habet homo ad viſionem beatam, hæc enim ſolùm eſt per ordinem ad potentiam ſupernaturalem eleuantem intellectum. Quæ dixi de actibus intellectus, intelligenda ſimiliter ſunt de actu voluntatis, circa amorem Dei ſupernaturalem.

3 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet dari in nobis appetitum innatum ad ſcientiam ſupernaturalem, quam tenēt Scot. in 4. diſt. 49 q. 9. & 10. Durand. in 4. diſt. 49. q. 8. Palud. ibid. q. 1. ar. 1. Bellarm. lib. 6. de Statu peccati, cap. 6. & alij; quos citat Fonſ. lib. 1. cap. 1. q. 2. ſect. 1. §. Sexto quia, ad marginem. Item Baſſol. Ouand. Durand. Sot. Alenſ. Rada, Valent. Ruic. & alij, quos citat Ripalda ſupra ſect. 1. num. 1. Obijcis, inquam, primò. Viſio beata, ſiue ſcientia ſupernaturalis, eſt ſumma perfectio intellectus creati Angelici, vel humani: ergo in Angelo, vel in homine datur appetitus innatus ad viſionem Dei, quia

Scotus. *Durand.* *Palud.* *Bellarm.* *Faſſol.* *Ouand.* *Duran.* *Sotus.* *Alenſ.* *Rada.* *Valent.* *Ruic.* *Ripalda.*

Digitized by Google

omnis potentia naturaliter amat ſuam perfectionem. Confirmatur, quia in homine datur appetitus innatus naturalis ad ea, quæ naturaliter conſequi non poteſt (vt patet in cæco, qui appetit viſum) ergo quamuis viſio Dei comparari non poſsit naturaliter, dabitur ad illam naturalis appetitus. Reſpondeo negando conſequentiam, quia ſolùm datur appetitus innatus ad ea, quæ continentur intra limites naturæ; viſio autem beata, quia eſt ſupernaturalis, iam non eſt ſumma perfectio intellectus creati naturaliter ſpectati, ſed intellectus eleuati, & ideò ad illā dari nequit appetitus innatus.

4 Ad confirmationē reſpondetur talem viſum eſſe in entitate naturalē, & ſolùm per accidens comparari non poſſe, vnde mirum non eſt, ſi ad illū detur appetitus naturalis, non verò ad viſionē beatā, quæ eſt omnino ſupernaturalis, etiā quā vitalis eſt; & ideò nō habet intellectus cum illa proportionem aliquam naturalē, neque etiā inchoatam, vt ſatis conſtat ex his, quæ dixi 2. p. ſum. tract. 1. lib. 2. Phyſ. diſp. 27. ſect. 4. à n. 5. Cauendum tamen eſt hac in re ab æquiuocatione, non enim nego potentiam obedientialē eſſe in re ipſa naturalem (ſiquidem non diſtinguitur ab ipſa rei entitate) aſſero tamen potentiam obedientialē dici non poſſe naturalē, per ordinē ad effectū ſupernaturalē, ſiquidē indiget cauſa ſupernaturali eleuante: quapropter, quamuìs detur in intellectu creato potentia obedientialis ad viſionem Dei, non datur tamen appetitus innatus ad illam.

5 Obijcis ſecundò. Si appetitus innatus hominis non haberet pro fine vltimo viſionē Dei, haberet bonum aliquod creatū, quo aliquando ſatiatus acquieſceret: ſed homo nō acquieſcit, dū non cōparat viſionē beatam, iuxta illud: *Tunc ſatiabor cū apparuerit gloria tua*: ergo ſignum eſt, dari in nobis appetitū innatum ad viſionem beatā. Reſpond. appetitum innatum ſatiari per conſequutionem ſolius boni naturalis, vnde verba pſal. intelligenda ſunt, vel de appetitu innato, ſuppoſita cognitione potentiæ obedientialis, vel de appetitu elicito, qui datur in nobis, vt iam oſtendo.

Datur appetitus elicitus. D. Thom. Vaſquez. Molina. Soar. Salas. Valent. Herrera. Arrub.

6 Secunda concluſio. Datur in nobis appetitus naturalis elicitus ad viſionem beatam: ita D. Thom. 1. 2. q. 5. at. 8. Vaſq. 1. 2. ad q. 5. ar. 8 diſp. 22. cap 4. Mol. 1. p. q. 12. ar. 1. diſ. 2. & in concord. ad q. 14. ar 13. diſp. 7. §. Pars affirmatiua. Suar. in Met. diſp. 30. ſect. 11. nu. 37. & 1. 2. diſp. 16 de appetitu Beatitudinis, ſect. vlt. num. 6. Sal. 1. 2. tom. 1. ad q. 5. tract. 2. diſp. 12. ſect. 3. n. 21. (vbi, præter ſuprà citatos, allegat Val. & Herreram) item Arrub. 1. p. tom. 1. q. 12. diſp. 14. cap. 5.

7 Probatur concluſio. Quia viſio Beata non apparet nobis impoſsibilis: ergo poteſt à nobis appeti naturali appetitu, hoc eſt, actu elicito, non quidem ſupernaturali, ſed naturali, & neceſſario quoad ſpeciem. Quod ſic declaratur, quia poteſt hæreticus credere fide humana poſsibilitatem huius viſionis, & tunc circa eam elicere actum amoris, aut deſiderij, qui tamen actus naturalis eſt, vt patet, neque enim hæreticus, quà talis, elicere poteſt actum ſupernaturalem, circa viſionem Dei, quem non attingit fide ſupernaturali. Neque obſtat, quod obiectum materiale ſupernaturale ſit, nam motiuum, per quod tunc actus ſpecificatur, naturale eſt.

Vtrùm viſio beata demōſtrari poſsit? Scotus. P. Vaſq. P. Arrub. P. Soar.

8 Hæc concluſio propoſita communis eſt & confirmari poteſt, redditque etiam clarior ex ſententia illorum Theologorum, qui exiſtimant demonſtrari poſſe ratione naturali, videri poſſe Deum à creaturis, vt cum Scoto, & alijs affirmant Vaſq. 1. 2. tom. 1. ad q. 12. ar. 1. diſp. 20. cap. 2. Arrub. ibid. q. 12 ar. 1. diſp. 1 . cap. 1 & 2. quamuìs oppoſitum teneat Soar. in ſum. tract. 1. lib. 2. cap. 7. à nu. 7. Probatur tamen, demonſtrari poſſe ratione naturali poſsibilitatem diuinæ viſionis; quia datur in nobis medium ſufficiens ad cognoſcendum Deum, deſumptum ex natura noſtri intellectus, qui habet Deum intra latitudinem ſui obiecti; & ſimiliter datur aliud medium deſumptum ex diuina omnipotentia, quæ efficere poteſt quidquid non implicat contradictionem: quæ poterit ſimiliter efficere, vt intellectus tendat in ſuum obiectum adæquatum intuitiuè, ſicut tendit in alia obiecta: & confirmatur, quia Deus in ſe eſt maximé viſibilis, ac proinde poterit intellectus naturaliter attingere poſſe Deum, ſi velit, ſe manifeſtare, præſertim cùm ad hoc non requiratur lumen infinitum.

9 Neque obſtat, quòd hæc viſio ſupernaturalis ſit, nam etiā Deus ſupernaturalis eſt, ſiue ordinis diuini, & tamen demonſtratur à Philoſopho eius exiſtentia: non tamen ex hoc ſequeretur, demonſtrari poſſe viſionem Trinitatis, certum enim eſt, eſſe aliqua myſteria noſtræ Fidei quæ nullo modo naturaliter demonſtrari poſſunt, qualia ſunt Trinitas, Incarnatio, & ſimilia; quia nullum datur principium naturale, per quod fieri poſsint ſimiles demonſtrationes; cum verò exiſtētia Dei, & ſimiliter Deus ipſe, demonſtrari poſſit, per rationes naturales, cōſequenter etiam viſio ipſius Dei poterit demonſtrari, ſaltem vt probabiliter poſsibilis.

10 Cum igitur probabilius ſit demonſtrari poſſe ratione naturali Deum viſibilem eſſe,

eſſe, viderique poſſe à creaturis, & cùm aliũdè certum ſit, nunquàm demonſtrari poſſe impoſsibilẽ hanc viſionem, pro certo tenẽdum, poſſe nos habere actum elicitum, circa viſionem beatam, vel etiam circa vltimũ finem ſimpliciter. Et de hoc actu elicito intelligenda ſunt, quæ dixi lib. 2. Phyſ. diſp. 5. ſect. 5. à n. 1. omnes ſcilicet actiones creaturæ rationalis ſemper fieri propter vltimum finem, ſaltem interpretatiuè.

11 Obijcis tamen primò, & efficaciter contra ſecundam concluſionem: non datur in nobis appetitus innatus ad viſionem Dei, ergo neque elicitus. Probatur conſequentia: quia appetitus elicitus ſupponit innatum, ergò ſi non datur innatus, non dabitur etiam elicitus. Reſpondeo negando conſequentiã, & circa probationem aduertendum eſt, appetitum innatum, vel poſſe ſumi pro ſola potentia, à qua procedit actus; vel poſſe ſumi pro naturali quadam inclinatione, quę datur in eâdem potentia: hæc autem inclinatio naturalis non ſemper datur in qualibet potẽtia (vt patet in potentia, quam habet anima, vt à Deo annihiletur, quæ non dicitur appetitus) & ſimiliter bene poterit dari appetitus, ſeu actus elicitus, qui ſupponat quidem naturalem potentiam, non verò naturalem inclinationem, vt patet in eo, qui appetit mortem, per actum elicitum, cùm tamen ad eam non habeat naturalem propenſionem. Quibus ſuppoſitis, ad probationem dicendum eſt, appetitum elicitum viſionis Dei ſupponere innatum, id eſt, potentiam, non enim poteſt dari actus ſine potentia: non ſupponere tamen propenſionem, ſeu inclinationẽ naturalem: quia ſicut nemo ex ſe inclinatur ad mortem, quia eſt contrà bonum naturæ, ita nemo inclinatur per naturalem propenſionem ad videndum Deum, quia talis viſio eſt ſupra naturam.

Quò pacto appetitus elicitus ſupponat innatum?

12 Obijcis ſecundò, Ideò dari poteſt appetitus elicitus ad viſionem beatam, quia naturalis eſt (nam licet obiectum ſit ſupernaturale, ſpecificatur tamen per motiuum naturale) ergo ſimiliter dabitur appetitus innatus naturalis ad hanc viſionem, qui ſpecificetur per motiuum naturale. Reſpondeo negando conſequentiam. Maior ratio eſt, quia appetitus elicitus, cùm tẽdat in obiectum, media cognitione, non ſpecificatur ab obiecto materialiter ſumpto, ſed ſub ratione formali, ſecũdùm quam attingitur, media cognitione: at verò appetitus innatus, cùm ſit ipſa potentia fertur immediatè in ſuum obiectum, ſine præuia cognitione actuali (nam cognitio ſolùm ſupponitur ad actus voluntatis, vel appetitus) vnde ſi obiectum eſt ſupernaturale appetitus innatus non poteſt eſſe naturalis, poteſt verò appetitus elicitus eſſe naturalis, quamuis aliunde obiectum ſit ſupernaturale.

13 Erit tamen hic actus elicitus circa viſionem beatam inefficax, quia actus efficax circa finem, virtute includit voluntatem abſolutam exequendi media: at verò homo nõ poteſt naturaliter habere actum credendi fide ſupernaturali, quod eſt medium neceſſarium ad conſequendum beatitudinem ſupernaturalem, quia hæc fides naturaliter eſt impoſsibilis: vnde conſequenter non poteſt homo efficaciter velle naturaliter habere hoc medium, quia nemo efficaciter vult id, quod impoſsibile eſt: immò ſi quis falſò crederet viſionem beatam per ſe naturaliter cõparari, adhuc talis actus, per quem appeteretur, eſſet abſolutè imperfectus, & inefficax, quamuis falsò exiſtimaretur efficax: ſicut appetitus videndi in cæco, qui amiſit potẽtiã videndi, inefficax eſt, ſiquidem non poteſt naturaliter exequi media neceſſaria, vt videat, quamuis efficax videatur ipſi cæco, qui quidem in hac re maximè cæcutit, ac fruſtra,

—— *Sibi ſomnia fingit,*

Digitized by Google

LIBER II.

DISPVTATIO XXXXIX.

De Difficultate circa cognitionem rerum.

Horat. ſat. 9. lib. 1.

VERVM profectó illud eſt, -*Nil ſine magno Vita labore dedit mortalibus*. Vnde cùm ſapientia ſummũ ſit hominis bonũ, ſummaque felicitas, non ſine magna difficultate, ſummóque labore poteſt comparari; quapropter in hoc ſecundo libro inueſtigat Ariſtoteles, vnde nam proueniat adipiſcendæ veritatis difficultas? & occaſione huius quæſtionis diſputabimus de cognitione, quam in hac vita mortali habere poſſumus de Deo, ac de reliquis ſubſtantijs immortalibus.

SECTIO I.

Vnde proueniat difficultas cognoſcendi res?

Prouenit etiã à noſtro intellectu. *Soarius. D. Thom. Alenſ. Albert. Maior. Fonſeca.*

1 PRima concluſio. Difficultas cognoſcendi res ſuperioris ordinis prouenit à noſtro intellectu: ita Soar. in Met. diſp. 9. ſect. 3. n. 4. vbi citat D. Thom. Alenſ. Albert. Maior. & i ſe Soar. ſequitur n. 11. Idem tenent Fõſ. lib. 2. Met cap. 1 q. 1. ſect. 3. Probatur concluſio. Quia res quò perfectiores ſunt, eò maiorem habẽt veritatem, & intelligibilitatem: ergo ſi aliquando á nobis non percipiũtur, non ipſis rebus, ſed noſtro intellectui hoc attribuendum eſt: exemplum eſt in Sole v. g. qui de ſe viſibilis eſt, quamuis á noctua non videatur, propter oculorum malignitatem. Confirmatur, quia tales res cognoſcũtur optimè ab intellectu nobiliori: ergo ſi á noſtro non attinguntur, hoc prouenit ex eius imperfectione.

2 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet difficultatem cognoſcendi res ſuperiores oriri non ab intellectu, ſed ab ipſis rebus; propterea enim intellectus noſter non ita facilè cognoſcit Angelos, quia non habet ſpecies Angelorum: ergo cùm defectus harum ſpecierum proueniat ab Angelis, ab ipſis etiã proueniet difficultas noſtræ cognitionis.

3 Reſpondetur admittendo non poſſe Angelos nobis immittere ſui ſpeciem: negando tamen hoc prouenire ex aliqua imperfectione Angeli, cùm res minimæ entitatis ex ſe ſpecies generent: Immò in Angelis magna eſt perfectio non producere has ſpecies, cùm Angeli per ſe dicant ordinem ad potentias intellectiuas, quæ iam ſunt in actu primo per ſpecies à Deo infuſas: quapropter ex imperfectione noſtra prouenit, ſi Angelũ non ita facilè cognoſcimus.

Prouenit etiã ab ipſis rebus. *Soarius. Fonſeca.*

4 Secunda concluſio. Difficultas cognoſcendi res minimæ entitatis prouenit præcipuè ab ipſis rebus, & modo aliquo á noſtro intellectu: ita Soar. ſup. n. 11. & Fonſ. ſup. § Secunda concluſio. Probatur: quia quò res ſunt minoris entitatis, eò minùs ſunt intelligibiles; cùm igitur noſter intellectus cognoſcat multas res perfectas in ſuo eſſe, has res minimæ entitatis non cognoſcet aliquando ex defectu ipſarum rerum. Negandum tamen non eſt, prouenire etiam hãc difficultatem ex parte noſtri intellectus, ſiquidem res, vel imperfectiſsimæ, cognoſcuntur ab intellectu diuino, aut Angelico. Neque tamen ex eo, quòd tales res facilẽ ab Angelo cognoſcuntur, ſequitur quòd facilẽ etiã ab intellectu humano percipiantur: ſicut neque ex eo, quód Angelus cælos facillimo tactu moueat, vt vulgò dicitur, inde ſequitur quòd ab homine moueri poſsint, quidquid de ſe arroganter iactauerit Syracuſanus ſenex Archimedes, qui dicebat, *Pone me extra orbem, & orbem mouebo.*

SECTIO II.

Quænam cognitio, vel ſpecies de Deo in nobis dari poſsit?

Nõ datur conceptus quidditatiuus Dei.

1 PRima concluſio. Nullum conceptum quidditatiuum de Deo formare poſſumus

ſumus in hâc vita, operando naturaliter. Ita D.Thom. Caiet. Ferrar. & Capr. quos citat, & ſequitur Soar. in Met. diſp. 30. ſect. 2. nu. 7. Fonſ. in Met. lib. 1. cap. 1. q. 1. ſect. 3. idem latè probat Recupitus tom. de Deo, lib. 2. q. 2. á nu. 2. vbi citat Dionyſ. Damaſc. Iuſtin. Origen. Cypr. & alios. Probatur, quia omnis cognitio, quam de Deo habemus in hac vita eſt per effectus; nullus autem effectus ita adæquatur Deo, vt illius quidditatem nobis repræſentet. Confirmatur, quia prædicata, ſeu attributa, quæ de Deo concipimus, vel ſunt negatiua, vt eſſe infinitum; vel relatiua, vt eſſe creatorem; vel ſunt poſitiua, vt eſſe iuſtum: ſed imprimis prædicata negatiua, aut relatiua non pertinent ad eſſentiam entis poſitiui. Deinde prædicata poſitiua cognoſcuntur nimis confuſe à noſtro intellectu. ergo &c.

D.Thom. Caiet. Ferrar. Capreol. Soarius. Fonſeca. Recupitus. Dionyſ. Damaſc. Iuſtinian. Origen. Cyprian.

2 Negandum tamen non eſt, demonſtrari poſſe per effectus Deum eſſe, vt latè probat Soar. in Met. diſp. 29. ſect. 1. & ſimiliter fatendum eſt poſſe nos naturaliter cognoſcere aliqua prædicata eſſentialia de Deo; ſed hæc cognitio quidditatiua non eſt, cùm ſit maximé confuſa; & de fide eſt, nullam in hac vita de Deo dari poſſe naturaliter intuitiuam cognitionem. Vtrùm verò dari poſſit aliquod nomen, quod Deum quidditatiué repræſentet? ſatis conſtat ex his, quæ dixi 1. p. Sum. tract. 2. diſp. 29. ſect. 3. á n. 5.

3 Secunda concluſio. Benè poteſt à nobis formari conceptus proprius de Deo, quãuis non ſit quidditatiuus, aut diſtinctus, ſed ſaltem confuſus: ita, cum communi ſententia. Fonſ. in Met. lib. 2. cap. 1. q. 2. ſect. 3. §. *Illud deinde*: nec diſſentit Soar. diſp. 30. in Metap. ſect. 12. n. 11. Probatur, quia iſte eſt conceptus proprius alicuius rei, ſaltem negatiuè, qui alteri rei accommodari non poteſt; ſed conceptum, quem de Deo formamus, non poſſumus attribuere alteri rei, ſiquidem concipimus Deum vt infinitũ, & vt cauſam primam: ergo &c.

P. Fonſeca. P. Soar.

4 Obijcis. Conceptus rei corporeæ nõ eſt conceptus proprius Dei: ſed omnis conceptus quem in hac vita de Deo formamus, eſt ad inſtar rei corporeæ (concipimus enim Deum ad modum lucis v.g.) ergo non datur in hac vita conceptus proprius de Deo. Reſpond. nos non conſiſtere in illo conceptu corporeo, & diſtincto, quem formamus de Deo inſtar lucis; ſed vlteriùs formare alium confuſum, quo Deum concipimus, vt quid ſimile tali rei corporeæ, & hic conceptus eſt proprius Dei, quia alteri accommodari non poteſt.

5 Ex hac doctrina bene ſequitur poſſe in noſtro intellectu dari aliquam ſpeciem Dei relictam ex eo conceptu proprio, quem de Deo formare poſſumus, cùm enim intellectus recordatur ſe cognouiſſe Deum, hæc cognitio neceſſariò fit per ſpeciem memoratiuam relictam ex conceptu. Non poterit tamen naturaliter dari ſpecies Dei propria, quæ antecedat omnem noſtram cognitionẽ, cùm enim non habeamus phantaſmata Dei propria (nam Deus eſt ſpiritualis, & phantaſma eſt corporeum) non poſſumus, ante conceptum, habere ſpeciem Dei propriam: hanc enim ſolùm per effectus habere poſſumus, qui non poſſunt producere propriam ſpeciẽ cauſæ: ſicut neque accidens poteſt gignere ſpeciem ſubſtantiæ: vnde ex cognitione accidentis ſolùm arguitiuè venimus in cognitionem ſubſtantiæ.

Vtrùm poſſibilis ſit ſpecies impreſſa Deum intuitiuè repræſentans?

6 TErtia concluſio. De facto non datur hæc ſpecies, ſed diuina eſſentia immediatè per ſe ipſam concurrit ad viſionem ſupplendo ſpeciem: ita communis ſententia, quam, duce D.Thom. ſequitur Soar. in ſumm. lib. 2. cap. 12 á n. 11. Molin. 1. p. q. 12. diſp. 1. concl. 2. Val. 1. p. diſp. 1. q. 12. pun. 2. §. *Primo intelligitur*, Arrub. 1. p. q. 12. art. 2. diſp. 16. Quam ſententiã á fortiori tenent illi omnes, qui negant, dari poſſe etiam de poſſibili talem ſpeciem, quos infrà citabimus.

De facto nõ datur hęc ſpecies

D. Thom. Soarius. Molina. Valent. Arrubal.

7 Probatur concluſio. Quia ſpecies concurrit ex parte obiecti, vt faciat obiectum præſens intellectui, cùm verò Deus ſit actus purus per ſe, & eſſentialiter intelligibilis, maximéque præſens intellectui Beatorum, non indiget ſpecie, qua fiat præſens. Confirmatur, quia non ſunt multiplicanda principia cognitionis ſine neceſſitate; ſed Deus poteſt per ſe immediatè concurrere per modum ſpeciei intelligibilis, ſicut ſubſtantia Angeli immediatè concurrit cum intellectu Angelico ad ſui cognitionem: ergo neceſſaria non eſt ſpecies impreſſa ex parte obiecti, quæ faciat Deum præſentem intellectui Beatorum.

8 Obijcis primò pro contraria ſentẽtia, quæ docet eſſentiam diuinam concurrere de facto ad viſionem beatam, mediante ſpecie impreſſa, quam tenent Scot. Rich. & alij multi, quos citat, & ſequitur Vaſq. 1. p. tom. 1. q. 12. diſp. 43. á cap. 6. Obijcis, inquam, primò. Deus concurrit ad viſionem beatam modo magis connaturali; ſed connaturalius eſt cõcurrere, mediante ſpecie: ergo &c. Probatur

Scotus. Richard. Vaſquez.

minor,

minor, quia magis connaturale eſt, vt principium proximum operandi ſit intrinſecum, & inhærens ipſi potentiæ, hæc enim eſt ratio cur ponantur habitus infuſi. Reſpondeo negando minorem, tunc enim ſolùm connaturalius eſt concurrere Deum per ſpeciem, quádo obiectum eſt abſens, vt ſpecies ſuppleat obiecti defectum, non verò quando obiectũ eſt omnino præſens, vt contingit in noſtro caſu, quia Beato non deeſt principium ſibi inhærens ex parte potentiæ, ſcilicet lumen gloriæ; & ideò habitus infuſi requirũtur, quia habent ſe ex parte potentiæ.

9 Obijcis ſecundò. Deus non ſolet efficere ſe ſolo, quod efficere poteſt per cauſas ſecundas, vt patet, facta inductione: ergo cũ poſsit efficere hanc viſionem, media ſpecie, per ipſam ſpeciem fiet viſio. Reſpondeo antecedens verum eſſe quando efficientia cauſæ ſecundę neceſſaria eſt aliquo modo; vnde quãdo Deus efficere ſolet aliquid per cauſas, tanquàm per agentia principalia, non ſolet illud efficere per ſe ſolum: aliter veró euenit quando concurſus cauſæ ſecundæ eſt tãtùm concurſus alicuius inſtrumenti neceſſarij, tũc enim â ſolo Deo multoties ſuppletur, vt patet in multis miraculis, quæ Deus immediaté præſtat per ſe ipſum. Concurrit autem eſſentia diuina, tanquàm cauſa formalis externa, habet enim ſe ex parte obiecti: hoc tamen non tollit quominùs concurrat etiam effectiuè, quemadmodùm quælibet ſpecies, quæ formaliter, & effectiuè concurrit. Ex alio principio defendo ego tract. de Viſione Beata, diſp. mea 3. nec de facto, nec de poſsibili dari Viſionem Beatam ſine ſpecie impreſſa; quod non eſt huius loci explicare.

Aureol. *Capreol.* *Molina.* *Soarius.* *Valent.* *Salas.* *Vaſquez.* *Becan.* *Herice.* *Ægydian.* *Rada.* *Ouand.* *Mayron.* *Prapoſit.* *Paſſol.* *Alarcon.* *Vega.*

10 Quarta concluſio. Poſsibilis eſt illa ſpecies impreſſa: ita probabilior ſententia, quam tenent Aureol. apud Capreol. in 4. diſp. 49. q. 5. art 2. Mol. 1. p. q. 12. art. 2. diſp. 1. concl. 4. Soar. lib. 4. de Attrib. cap. 11. â n. 21. & in Met. diſp. 30. ſect. 11. Val. 1. p. diſp. 1. q. 12. puncto 2. Sal. 1. 2. tom. 1. q. 3. tract. 2. diſp 5. ſect. 2. n. 19. Vaſq. tom. 1. in 1. p. q. 12. diſp. 48. â cap. 2. Becan. cap. 9. de Viſione concl. 2, Heri. 1. p. tract. 4. diſp. 4. cap. 8. Ægyd. tom. 2. de Beat. lib. 8. q. 2. art. 2. vbi n. 1. citat Scot. Radam, Ouand. Mayron. & alios. Idem ſequitur noſter Ioannes Præpoſ. 1. p. ad q. 12 art. 2. dub. 2. & ibidem Paſſol. dub. 4. item Alarconius, 1. p. tract. 1. diſp. 3. cap. 2 vbi citat Vegam, & alios, & n. 5. probat. D. Thomas nõ negaſſe hanc ſpeciem.

11 Probatur ratione. Quia ex eo talis ſpecies foret impoſsibilis, vel quòd non poſſit Deus repræſentari per qualitatem creatã; vel ex eo quia, cùm Deus ſit actus purus, & per ſe maximé intelligibilis, præſensque intellectui beato non indiget ſpecie, vt fiat præſens; ſed hæc non arguunt repugnãtiam: ergo &c. Probatur minor quóad primam partem, quia lumen gloriæ eſt qualitas creata, & tamen ex parte potẽtiæ eſt principium viſionis beatæ: ſimiliter ſpecies expreſſa per viſionem eſt qualitas creata, & nihilominùs Deum repræſentat: ergo non repugnat dari qualitatem creatam, ſcilicet ſpeciem impreſſam, quæ ex parte obiecti ſit principium eiuſdem viſionis. Probatur ſecunda pars (quòd ſcilicet nõ repugnet ex eo quód Deus ſit eſſentialiter intelligibilis) quia hoc non tollit quominús poſsit vlteriús reddi accidentaliter intelligibilis per ſpeciem impreſſam: ſicut noſter intellectus eſt eſſentialiter qualitas, & tamen adhuc per ſuperadditam ſpeciem intelligibilem, vel impreſſam, vel expreſſam qualificatur: & ſimiliter anima eſt per ſe relatum tranſcendens ad materiam, vel ad Deũ, & nihilominús habet ſuperadditam relationem prædicamentalem: ergo ſimiliter &c.

Reſpondetur argumentis contrariæ partis,

D. Thom. *Henriq.* *Bañez.* *Nauarre.* *Trigoſ.* *Angles.* *Cabreira.* *Arrub.* *Gillius.* *Granad.* *Torres.* *Capreol.* *Ferrar.* *Sotus.* *Caietan.* *Zumel.* *Recupit.* *Herice.* *Taner.*

12 Obijcis pro contraria ſententia, quam tenet D. Thom 1. p. q. 12. ar. 2 Henr. in Sum. 1. p. ar. 33. q. 2. ad 3. Bañez 1. p. q. 12, ar. 2. dub. 2. concl. 2. Nauarr. 1. p. ad q. 1. cõtrou. 34. § 2. Trigoſ. 1. p. q. 7. ar. 1. dub. 6. concl. 2. Baſſol. in 3. diſt. 14. q. 1. ar 1. Angles in flore 4. q. de Beat. ar. 2. difficul. 6. Cabreira 3. p. q. 11. ar. 1. diſp. 5. § 6. Ex noſtris tenent hanc ſententiam Arrub. 1. p. q. 12. diſp. 16. cap. 4. Gil tract. 5 cap 8. 10. & 11. Granad. 1. p. tom. 1. tract. 4. diſp. 5. ſect 3. n. 10. vbi citat Torres, Capreol. Ferrar. Sot. Caiet. & Zumel, (Qui auctor ideſt, Zumel. 1. p. q. 12. ar. 2. diſp. 2. poſt argumenta aſſerit noſtram opinionem teneri ab Auctoribus obſcuri nominis, qua in re ipſe nimiúm vidit obſcuré, vt patet ex clariſsimis auctoribus citatis n. 10.) pro eádem contraria ſententia pugnat acriter noſter Recupitus tom. 1. in 1. p. lib. 6. q. 21. à cap. 1. qui n. 4. citat Herice, & Taner.

13 Obijcis, inquam, primò. Deus per ſuam eſſentiam eſt maximé intelligibilis: ergo nõ poteſt dari ſpecies, quæ illum reddat intelligibilem. Probatur conſequentia, quia nulla res dari poteſt, quæ per ſuam eſſentiam ordinetur ad dandum alteri rei id, quod ipſi iam habet per ſuam eſſentiam [ex eo enim ſubſtantia non poteſt reddi exiſtens per

aliquid

aliquid ſuperadditum, quia talis eſt per ſuā eſſentiam) ſed Deus per ſuam eſſentiam eſt intelligibilis: ergo non poteſt reddi intelligibilis per ſpeciem ſuperadditam. Reſpondeo negando conſequentiam, ad probationem dicendum eſt, nullam rem dari poſſe, quæ ordinetur ad præſtandum alteri eodem modo id, quod iam habet per ſuam eſſentiā; bene tamen id poſſe præſtare diuerſo modo; atque ita Deus eſſentialiter eſt intelligibilis per ſe, & nihilominùs reddi adhuc poteſt intelligibilis accidentaliter per ſpeciem: & ſimiliter ſubſtantia, quæ eſt ens per ſe exiſtens, adhuc redditur ſubſiſtens per modum ſuperadditum.

14 Inſtas. Deus non poteſt reddi volitiuus per formam ſuperadditam, neque intellectus nobiter diſcurſiuus per aliam formam, neque ſuppoſitum per aliud ſuppoſitum: ergo ſimiliter non poteſt Deus reddi intelligibilis per ſpeciem ſuperadditam. Reſpondeo negando conſequentiam: maior ratio impriмis eſt, quia eſſe volitiuum eſt quid intrinſecum: Deus autem non poteſt perfici intrinſecè per formam ſuperadditam: at verò eſſe intelligibile eſt denominatio extrinſeca, quæ vlteriùs poteſt perfici ab alia forma, quæ cùm tantùm extrinſecè adueniat Deo, nullam illi arguit imperfectionem. Deinde ideò homo non poteſt reddi diſcurſiuus per aliquid ſuperadditum, quia eſſe diſcurſiuum prouenit immediatè ab intellectu, homo autem non poteſt diſcurrere per intellectum alienum: diſcurſus enim eſt motus eiuſdem potentiæ, quæ diſcurrit: immò retorqueri poteſt argumentum: quia homo reddi poteſt diſcurſiuus radicaliter per animam rationalem, & deinde potentialiter per intellectum, tandemque actualiter per conceptus. Suppoſitum verò reddi non poteſt incommunicabile per formam ſuperadditam, quia hæc neceſſariò foret etiam ſuppoſitum, ſicut albedo nequit eſſe alba per aliam albedinem, neque actio fieri per aliam actionem, cùm enim hæ formæ ſuperadditæ ſint eiuſdem rationis non euitaretur proceſſus in infinitum.

15 Obijcis. Species intelligibilis debet eſſe immaterialior, vel ſaltem æquè immaterialis, atque obiectum (ideò enim ſpecies materialis nequit repræſentare Angelum) ſed ſpecies intuitiua Dei, ſi daretur, neque foret immaterialior, neque æquè immaterialis, vt eſt Deus: ergo dari non poteſt. Reſpondeo negando maiorem, ſatis enim eſt, quòd talis ſpecies ſit ordinis ſpiritualis, vt patet in ſpecie expreſſa repræſentatiua Dei, quæ tamen non eſt æquè immaterialis: ideò verò ſpecies corporea nequit Angelum repræſentare, quia Angelus eſt extra eius obiectum.

16 Obijcis tertiò. Talis ſpecies foret infinita in repræſentando: ergo eſt impoſsibilis. Probatur antecedens, quia ſpecies naturaliter procedit ab obiecto, tanquàm naturalis ſimilitudo: ergo cùm obiectum, ſcilicet, Deus, ſit infinitum, ſpecies erit infinita. Reſpondeo negando antecedens, quia talis ſpecies non emanaret ab eſſentia diuina, vt ab agente neceſſario, ſed vt ab agente libero; omnes enim actiones Dei ad extra ſunt liberæ; quapropter quamuis illa ſpecies immediatè procedat ab eſſentia diuina, non tamen emanat niſi præſuppoſito actu voluntatis; immò quãuis Deus priùs ſit intelligibilis, quàm volens, hoc ita explicandum eſt, vt priùs ſit intelligibilis per ſe, & per ſuam eſſentiam, per ſpeciem autem non fiet intelligibilis, niſi, ſuppoſito actu voluntatis.

17 Nõ eſt igitur neceſſariũ, vt ſpecies adæquetur obiecto, quod repræſentat, ſed ſatis eſt quòd proportionetur potentiæ, cui dicit ordinem, iuxta ſapientem Dei diſpoſitiõnẽ: exemplum eſt in ſpecie infuſa Angelo inferiori, quæ non repræſentat adæquatè Angelum ſuperiorem, quia infunditur proportionata virtuti intelligentis, qui non poteſt cõprehendere Angelum ſuperiorem: nihilominùs tamen talis ſpecies naturaliter repræſentabit obiectum, & ſi libere procedat ab agẽte; ſicut imago Cæſaris, quæ libere fit ab artifice; & tamen naturaliter Cæſarem repræſentat: neque opus eſt, vt ſpecies habeat eandem perfectionem in entitate cum obiecto, vt patet in conceptu, ſeu ſpecie expreſſa Beatorum, quæ non eſt infinita, licet repræſentet obiectum infinitum, nempe Deum.

18 Obijcis quartò. Omnis ſpecies ex natura ſua ordinatur ad ſupplendum aliquem defectum ex parte obiecti: ſed eſſentia diuina nullum habet defectum, cùm ſit maximè præſens intellectui: ergo &c. Reſpondeo negando maiorem, nam ſpecies ex natura ſua primariò ordinatur ad conſtituendam potẽtiam in actu primo, vnde per accidens, & ſecundarium illi eſt ſupplere talem defectum, quando ſcilicet ſubiectum capax eſt talis defectus.

19 Obijcis quintò. Si daretur talis ſpecies non poſſet actu concurrere: conſequens eſt falſum, nam ſpecies de ſe ordinatur ad cognitionem: ergo & antecedens. Quod ſic probatur, quia illa ſpecies non concurreret, vt cauſa totalis cum eſſentia diuina, neque vt cauſa partialis: ergo &c Reſpond. primò, poſſe eſſentiam diuinam ſimul concurrere cũ ſpecie. ita vt vnus, & idem concurſus inadæquatè proueniat ab vtroquẽ principio.

Soluũtur alia argumenta.

Reſ-

Digitized by Google

nificat id, quod habet eſſentiam realem, & veram, aptamque ad exiſtendum realiter, & in hoc ſenſu nobis ſermo eſt de Ente. Eſſentia realis, vel ſumi poteſt negatiuè, & in hoc ſenſu, dicitur illa, quæ non eſt ficta, ſeu cui non repugnat exiſtere: vel ſumi poteſt poſitiuè, in quo ſenſu eſſentia realis dicitur illa, quæ habet eſſe reale, & poſitiuum; vel tandé ſumi poteſt pro re aliqua, quæ non ſolùm habet eſſe reale, & poſitiuum, ſed etiam realiter exiſtens.

2 Reſtat modò difficilis quæſtio hac in re, vtrùm ſcilicet rerum eſſentiæ, antequàm realiter exiſtant extra cauſas, ſint aliquid negatiuum, an aliquid poſitiuum? Qua in re duæ ſunt ſententiæ celebriores, quæ fortaſſe reduci poſſunt in concordiam. Sit igitur:

Res antequàm producantur non habét eſſe reale. P. Fonſ. P. Soar. P. Vaſq.

3 Secunda concluſio. Res, antequàm producantur à Deo, nullum habent eſſe reale, & exiſtens ab æterno. Hæc concluſio certa eſt ſecundùm Fidem, & in hoc ſenſu verè omnino docent Fonſ. 5. Met. cap. 5. q. 1. ſect. 4. & lib. 9. cap. 1. q. 2. Soar. in Met. diſp. 31. ſect. 2. Vaſq. 1. p. diſp. 182. cap. 3. n. 4. & tom. 1. in 3. p. diſp. 72. cap. 3. verè, inquam, docét, rerum eſſentias ab æterno nihil eſſe poſitiuũ. Probatur cõcluſio. Quia ſolus Deus eſtés ſimpliciter neceſſarium, & exiſtens ab æterno: ergo quidquid habet eſſe, illud à Deo libere accepit: ſed conſtat ex ſacris literis, creaturas productas fuiſſe in tempore: ergo nulla creatura habet eſſe ab æterno. Confirmatur, quia ex Fide conſtat, omnia in tempore à Deo fuiſſe creata, & ab eodem in nihilum poſſe redigi: ergo ante exiſtentiam rei, ideſt, antequàm res producatur, nihil datur poſitiuum realiter exiſtens: alioquin creatio iam non foret ex nihilo; & in hoc ſenſu nullam hæc quæſtio habet difficultatem, magnam tamen in ſequenti.

Rerum eſſentię sũt aliquid poſitiuum

4 Tertia concluſio. Rerum eſſentiæ, ante exiſtentiam, non ſunt omnino nihil, neque habent eſſe ſolùm potentiale in cauſa, ſed habent ab æterno quoddam eſſe abſolutùm, intrinſecum, reale, & poſitiuum (prout reale, & poſitiuum opponitur enti negatiuo) hoc tamen eſſe non eſt exiſtens. Ita Henriq. in ſum. ar. 2. q. & quodlib. 9. q. 1. & 2. quodlib. 2. q. 3. Ægyd. Rom. in opuſc. de Ente. & Eſſentia, cap in 2. diſt. 1. q. 2. ar. 3. ad 4. Albertin. tom. 2. in prædicamento Subſtantiæ, diſp. 1. q. 1. n. 12. vbi pro hac ſententia citat Scot. Caiet. Alfarab. Auicen. Albert. & alios; eandem ſentẽtiã attingit, & approbat Faſſol 1. p. q. 3 de ſimpl. Dei, ar. 4. in comm. num. 1. Nec diſſentit P. Arriaga in Curſu Philoſ. in Metaph. diſp. 2. à n. 10. Fauet Sanctacruzan. in ſua Log. p. 2. diſp. 4. q. 5 ſect. 2. §. *Et ſanè*,

Henriq. Ægyd. Albertin. Scotus. Caiet. Alfar. Auicen. Albert. Faſſol. Arriag. Sanctacr.

quatenus docet res poſsibiles eſſe quid diſtinctum à Deo, nempe id ipſum, quod ſunt dum exiſtunt.

5 Probatur hæc concluſio. Eſſentiæ rerum dantur ab æterno, & ab æterno circa eſſentias fiunt veræ, & poſitiuæ prædicationes: ergo eſſentiæ non ſunt purum nihil, ſed habent eſſe actuale, & poſitiuum, licet non exiſtens: antecedens eſt certum, & ſecundùm communem Theologorum conſenſum cum D. Thom. 1. p. q. 2. ar. 3. ad 3. hæc enim vera eſt ab æterno, *Socrates eſt animal*. Probatur igitur conſequentia, quia in hac propoſitione non dicitur, *Socrates erit animal*, ſed actualiter, *eſt animal*: ergo illa eſſentia ab æterno eſt aliquid actuale, & poſitiuum, ſiquidem ab æterno prædicatur aliquod eſſe actualiter. D. Thom.

6 Huic argumento reſpondet Soar, ſubtiliter, vt ſolet, in Met. diſp. 31. ſect. 2 n. 8 & ſect. 12. n. 38 hanc neceſsitatem non eſſe abſolutam, ſed conditionatam, vnde hæc propoſitio, *Socrates eſt animal*, faciet hunc ſenſum, *ſi eſt, ſeu exiſtit, neceſſariò eſt animal*; ſed contrà, quia prætérquamquód hæc propoſitio abſoluta ſit, & non conditionalis, vt patet ex ipſis terminis; ſi conditionalis ſit, poterit etiam conuenire rei, ſecundùm aliquod prædicatum, cum quo non habet eſſentialẽ connexionem, nam hæc ſemper eſt vera, *ſi Socrates eſt, neceſſariò ſubſiſtit*, & ſimiliter *ſi Socrates exiſtit, neceſſariò habet Vbi*, quia videlicet Socrates, ſuppoſito quòd ſit, & exiſtat, neceſſariò poſtulat ſubſiſtentiam, & Vbi; & tamẽ Socrates non habet eſſentialem connexionem, neque cum ſubſiſtentia, neque cum Vbi: ergo hæc propoſitio, *Socrates eſt animal*, non eſt vera ab æterno, quia conditionalis eſt, ſed quia eſſentia hominis habet ab æterno actualem intrinſecam, poſitiuam & abſolutam connexionem cum animali: quod tandem vel inuitus videtur fateri ipſe Soar. ſect. 2. n. 10. quatenus aſſerit, Ens ante exiſtẽtiam ſub Ente reali aliquo modo comprehendi, & eſſentiam non productam eſſe aliquo modo eſſentiam realem. Soar.

7 Confirmatur hæc prima ratio, quia lapis v. g. non habet repugnantiam ad exiſtendum, quam tamen habet Chymæra: ergo ſignum eſt, quòd lapis, etiam antequàm actualiter ſit, habeat maiorem conuenientiam ad eſſe extra cauſas, quàm habet chymæra: hæc autem conuenientia, ſeu hæc connexio non eſt pura negatio: ergo eſt aliquid poſitiuum. Probatur hoc antecedens, nam pura negatio non eſt apta ad exiſtendum. Ex quibus ſequitur, eſſentiam rei eſſe aliquid poſitiuum, in quo fundatur negatio repugnantiæ ad exiſtendum, ſicut dixi de aptitudine Vniuerſalis

Digitized by Google

ſalis in ſum 1.p. tract. 1. diſp.1.ſect.4. Quæ aptitudo, ſecundùm probabilem opinionem, poſitiua eſt, quamuis habeat annexam negationem repugnantiæ.

8 Confirmatur ſecundò. Eſſentia rei in eſſe poſſibili & in eſſe actuali eſt eadem; ſed in eſſe actuali eſt quid poſitiuum: ergo & in eſſe poſſibili. Reſpondent aduerſarij, eſſe eandem rem negatiuè, non eſſe verò eandem rē poſitiuè. Hic tamen reſpondendi modus inintelligibilis eſt, conſtatque verbis ſolemnibus nihilque ſignificantibus, certum enim eſt, ſiue negatiuè, ſiue poſitiuè rem eſſe eandem, cùm eædem fiant prædicationes, tam in eſſe poſſibili, quàm in eſſe actuali.

9 Confirmatur tertiò. Res in eſſe poſſibili ponitur in prædicamento (exiſtentia enim per accidens eſt) ſed in prædicamento non ponuntur negationes: ergo eſſentię ante exiſtentiam, ſunt verè res poſitiuæ. Reſpondent, poni in prædicamento res poſſibiles, nō ſub ratione entitatis, quam habent; ſed ſub ratione exiſtentiæ, quam habituræ ſunt. Sed contra, quia res poſſibiles abſolutè dicuntur poni in prædicamento, alioquì, ſi propter exiſtentiam poſſibilem, quam habere poſſunt, iam modò ponuntur in prædicamento, eodē modo dicamus, Socratem iam nunc eſſe beatum, propter poſſibilem beatitudinem, quā habere poteſt; & ſimiliter Socratem poſſibilem, iam nunc eſſe diuitem, propter diuitias, quas habere poteſt, tam enim contingenter aduenient Socrati beatitudo, & diuitiæ, quā exiſtentia actualis.

Vtrū Deus amet neceſſariò poſſibilia?

10 Confirmatur quartò. Res in eſſe poſſibili amantur à Deo neceſſariò, & Spiritus Sanctus procedit etiam ex hoc amore: ergo tales eſſentiæ ſunt aliquid poſitiuum, amor enim terminari non poteſt ad purum nihil, neque proceſſio Spiritus ſancti, etiam quoàd hanc partem creaturarum, fieri debet ex nihilo. Antecedens quoad priorem partem docetur à D.Thom. 1.p.q.37. ar.2.ad 3. Caiet.ibi, q.34.a.3.ad . Vaſq. 1.p.tom.1. ad q. 9. diſp.79. à cap.2 Arrub 1.p. ibid. diſp 33. & ſupponitur à Granad tract.3.de Trinit.diſp. 8. quod breuiter ſic probatur. Quia creaturæ poſſibiles ſunt in ſe ipſis neceſſariæ, vt Deus ſit omnipotens (cùm teſte Soar. in Met.diſp 30.ſect.16. n. 42. & lib.9.de Trinit. cap.6.n.20 ad finem, ablata poſſibilitate creaturarum, neceſſariò debeat auferri omnipotentia) ſed Deus neceſſariò amat ſuam omnipotentiam: ergo neceſſariò amat ea, quæ cum diuina omnipotentia habent neceſſariam connexionem: ex hoc enim principio, ſuppoſito efficaci finis amore, amatur medium neceſſariò, quod habet cum fine neceſſariam connexionem.

D.Thom. Caiet. Vaſquez. Arrub. Granad. Soarius.

11 Amat autem Deus huiuſmodi creaturas amore inefficaci, & ſimplicis complacentiæ, quia complacet ſibi in earum bonitate: ex quo tamen non infertur debere illis conferre aliquod bonum, hoc enim ſolùm præſtatur ab amore efficaci. Secunda verò pars antecedentis, quòd ſcilicet Spiritus Sanctus procedat etiam ex hoc amore poſſibilium, conſequenter docetur ab eodem D. Thom. Caiet. Granad. citatis. Conſequentia igitur videtur bona, quia amor tendere non poteſt ad purum nihil in ſe; friuolum autem eſt dicere, poſſibilia amari in diuina omnipotentia, neque enim Auctores ſuprà citati loquuntur in hoc ſenſu, ſed manifeſtè aſſerūt amari poſſibilia in ſe ipſis.

D.Thom. Caiet. Granad.

12 Confirmari tandem poteſt hæc ſententia quintò. Quia diuina omnipotentia habet neceſſariam connexionem cum poſſibilibus: ſed Deus non poteſt habere realem connexionem cum mero nihilo: ergo poſſibilia habent aliquod eſſe poſitiuum, cum quo Deus neceſſariò connectitur. Maior huius argumēti latè à nobis probata eſt in ſum. 2. p. tract.1. lib. 1. diſp.21.ſect. 4.á n. 18. Minor probatur, quia propterea Deus non habet connexionem cum tenebris, quia ſunt nihil: conſequentia igitur videtur bona.

13 Aduertendum tamen eſt, hanc eſſentiam poſitiuam rerum, antequàm exiſtant, nō eſſe ſolùm obiectiuam in mente diuina, vel eminentialem in diuina eſſentia, nam in hoc ſenſu non negabitur ab auctoribus oppoſitæ ſententiæ, ſed eſſe quandam eſſentiam poſitiuam ex parte ipſarum rerum extra diuinū intellectum, vt latè contrà Scotum probat Albertinus tom. 2. in prædicamento ſubſtantiæ diſp. 1. de Eſſe eſſentiæ q.1. á n.28. & breuiter ex eo probatur, quia Deus non poteſt producere chymæram, cùm tamen poſſit producere lapidem: & tamen impotentia hæc producendi chymæram, non proueniet ſolùm ex parte cauſæ, ſupponitur enim infinita: ergo prouenit etiam ex parte rei: ſignū eſt igitur, quòd aliquod eſſe intrinſecum ſit in lapide, propter quod non repugnat produci, quod tamen non ſit in chymæra.

Albertin. Scotus.

Reſpondetur argumentis pro contraria ſententia.

14 Obijcies pro contraria ſententia, quæ dicit eſſentias rerum, antequàm à Deo producantur, nullū habere eſſe poſitiuum, ſed eſſe omnino nihil, ſiuè quandam non repugnantiam

Dicūt aduerſarij Ens poſſibile eſt quid negatiuum.

tiam

Herueus. *Soncin.* *Capreol.* *Soarius.* *Vaſquez.* *Fonſeca.* *Hurtad.*

tiam ad exiſtendum: eam tenent Heruæus quodlib.11.q.1.Soncin 9.Met.q.4.Capr.in 2. diſt.1.q.2. ar.3.Soar.in Met.tom.2. diſp.31 ſect.2.Vaſq.tom.1.in 1.p.ad q.6.diſp.24.n 6 & tom.2 in 1.p.q 51.diſp.182.cap.3. nu.14. Fonſ.5.Met.cap.5.q.1.ſect.4. Hurt.in Met. diſp.8.ſect.2.n.15.vbi ait ens in potentia,nõ eſſe ſimpliciter ens, ſed ſimpliciter non ens. Obijcis,inquam,primó. Multæ creaturæ creantur à Deo: ſed creatio eſt ex nihilo: ergo creaturæ antè creationem erant purum nihil. Reſpondetur, creationem eſſe ex puro nihilo in genere exiſtentiæ,non autem in genere eſſentiali; quod ſatis eſt,vt creatio dicatur fieri ex nullo præſuppoſito ſubiecto;nam cùm creatio ſit actio,quæ terminatur ad præſtandam exiſtentiam rei, ſufficit, quòd non habeat ſubiectũ præexiſtens: quare ſimiliter dicendũ eſt,ad verá anihilationẽ ſufficere,ſi corrumpatur totum eſſe exiſtentiæ, quamuis non corrumpatur eſſe eſſentiæ.

15 Obijcis ſecundó. Eſſentiæ rerum ſũt ab æterno,& immutabiles: ergo ſi ſunt aliquid poſitiuum, & reale, datur ab æterno aliquod ens neceſſarium præter Deum;quod tamen dici non poteſt,quia omnia á Deo libere facta ſunt. Reſpond. dari tales res ab æterno,quæ ſint neceſſariæ,cùm Deus ad eas dicat eſſentialem connexionem:earum tamẽ eſſe valde diſtinctum eſt ab eſſe ipſius Dei; nam Deus eſt ens neceſſarió exiſtens,& omnino independens à creaturis: at veró creaturæ nullam habent exiſtentiam ab æterno, & ſunt dependentes á Deo in genere cauſæ exemplaris.

16 Inſtas efficaciter. Cauſa exemplaris nihil cauſat, niſi mediante cauſa efficiente, ſiquidem eadem eſt materialiter cauſalitas vtriuſque cauſæ; ſed Deus ab æterno nihil cauſat efficienter; ergo neque exemplariter. Hoc tamen argumentum,quo ſibi victoriam arrogant aduerſarij,facilè declinatur,aſſerendo cauſam exemplarem nihil operari ſine efficiente, quando verſatur circa rem aliquã exiſtentem, non veró quando eius operatio eſt tantùm inchoata, & circa ſolùm rerum eſſentias, ad quas neceſſaria non eſt cauſa efficiens, cùm hæc ſolùm dicat ordinem ad exiſtentiam: neque obſtat identitas cauſalitatum,nam ſicut actio, & paſsio ſimpliciter dicuntur eadem res materialiter, & tamen actio creatiua reperitur ſine paſsione, ita ſimiliter hæ duę cauſæ habent eandem cauſalitatem materialiter quando coniunguntur circa rem exiſtentem, cùm tamen bene poſsit circa rerum eſſentias reperiri cauſalitas cauſæ exemplaris ſine cauſalitate efficientis.

Deus concurrere poteſt exẽplariter, quin concurrat efficienter.

17 Immò hinc efficaciter confirmatur noſtra ſententia, quia Deus non eſt minùs realiter cauſa exemplaris ab æterno, quàm cauſa efficiens in tempore; ſed in tempore cauſat realiter effectiué: ergo ab æterno cauſat realiter exemplariter:cùm igitur cauſa efficiens verſetur circa exiſtentiam,cauſa exemplaris verſabitur ab æterno circa eſſentias rerum poſitiuas,quas cauſat:ergo nõ ſunt purũ nihil, ſiquidem habent realem cauſam realiter cauſantem.

Probatur efficaciter mea cõcluſio.

18 Cùm ergo creaturæ poſsibiles dicant ordinem ſolùm ad diuina exemplaria, ſeu ad diuinas ideas,inde eſt, quòd ſolùm reſpiciant diuinam omnipotentiam,non vt cauſam effectiuam liberam, ſed vt cauſam exemplarem neceſſariam; Deus enim præintelligitur habere potentiam faciendi creaturas ante omnem ſuam liberam voluntatem, á qua potentia nequit Deus ſe priuare; & inde eſt quòd quamuis Deus ſit cauſa liberrima erga omnes res creatas, nequeat tamen euertere, aut perturbare rerum eſſentias, ad quas dicit eſſentialem connexionem;ſicut nequit deſtruere ſuam omnipotentiam: quam ita reſpiciunt creaturæ poſsibiles,vt quatenus effectus,ſint poſteriores diuinâ omnipotentiâ; quatenus veró obiecta,ſint priores, quia obiectum præſupponitur potentiæ: neque hinc ſequitur, poſſe creaturam aliquam gloriari, quaſi haberet eſſe á ſe,adhuc enim ſecundùm eſſe eſſentię dependet à Deo, vt á cauſa exemplari; & ſecundùm exiſtentiam dependet ſimpliciter.

19 Obijcis tandem. Omne ens poſitiuũ, vel eſt productum,vel improductum:ſed eſſentia rerum neutrum habet:ergo non habet eſſe poſitiuum. Probatur minor. Quia omnis productio terminatur ad exiſtentiam. Reſpond. ad minorem, eſſentias rerum productas eſſe ab æterno exemplariter tantùm, & ſolam productionem effectiuam dicere ordinem ad exiſtentiam. Reſponderi etiam poteſt rerum eſſentias neque dici propriè productas, neque improductas,ſed abſtrahere ab vtroque: productio enim, vel improductio dicit ordinem ad exiſtentiam. Atque ita ſoluta manent argumenta oppoſitæ ſententiæ, rationeſque ſtabilitæ pro noſtra, quæ longè probabilior videtur; neque adeò ſumus meticuloſi, vt concedendo has poſitiuas rerum eſſentias, metuamus, ne in Platonicas ideas lubricè incidamus, omnino enim negamus exiſtentias ab æterno, quas ille non timidè admittebat,

SEC-

Digitized by Google

SECTIO II.

Quomodo eſſentia diſtinguatur ab exiſtentia?

Diſtinguitur tãtum virtualiter
Aureol.
Durand.
Gabriel.
Ant. And.
Lich.
Palat.
Nyphus
Godofre.
Gerard.
Soarius.
Valent.
Tolet.
Benedict.
Pereir.
Granad.
Vaſquez.
Almain.
Henriq.
Hurtad.
Amicus.
Arriaga.

18 PRima concluſio. Eſſentia in actu non diſtinguitur ex natura rei, ſed tantùm virtualiter ab exiſtentia: ita Aureolus apud Capr. in 1. diſt. 8. q. 1. Durand. in 1. diſt. 8. q. 2. Gabriel. in 3. diſt. 6. & communiter Nominales Antonius Andreas 4. Met. q. 5. Lich. in 3. diſt. 4. Palat. in 1. diſt. 3. q. 2. Nyphus lib. 4. Met. diſp. 5. Godofred. Gerard. de Carmelo, & alij, quos citat Soar. in Metaphyſica diſput. 31. ſect. 1. n. 12. & ipſe ſequitur ſect. 6. n. 13. eandẽ ſententiam tenent Valent. in 1. p. q. 3. pun. 4. Tolet. 9. Phyſ. tex. 70. q. 13. Bened. Per. lib. 4. ſuæ Phil. c. 15. & 16. Granada contro. 1. trac. 2. diſp. 2. n. 1. Vaſq. tom. 1. in 3. p. ad q. 17. diſp. 72. c. 2. vbi refert Almainum, & Henricũ; applaudit Hurt. in Phyſ. diſp. 2. ſect. 6. n. 25. & in Met. diſp. 8. ſect. 4. idẽ tenet Franciſcus Amicus in ſuo Curſu Theol. tom. 2. diſp. 3. ſect. 4. n. 74. ac tandem Arriaga in Metaph. diſp. 2. ſect. 3.

2 Probatur concluſio. Quia quando duæ res creatæ diſtinguuntur ex natura rei, poteſt vna ſaltem diuinitus exiſtere ab altera ſeparata: ſed neque eſſentia in actu poteſt exiſtere ſine exiſtentia; neque exiſtentia ſine eſſentia: ergo &c. Reſpondebunt fortaſſe aduerſarij vnionem diſtingui ex natura rei ab extremis; & tamen non poſſe exiſtere ſine illis: & ſimiliter creaturas realiter diſtingui à Deo, ſine quo tamen nequeunt exiſtere. Sed contra, quia ad hoc vt vnio diſtinguatur ex natura rei, ſufficit, quòd idẽtificetur cum vno ex extremis realiter ab alio diſtincto, quod extremum poteſt exiſtere ſine alio: & deinde Deus poteſt etiam exiſtere ſine exiſtentia creaturarum, proptereâque intercedit diſtinctio realis inter Deum, & creaturas; & modalis inter vnionem, & extrema, ſiquidem extrema dari poſſunt ſine vnione. Inſtas, duo relata diſtinguuntur realiter, & tamen vnum non poteſt exiſtere ſine alio. Reſpond. ad hanc realem diſtinctionem ſufficere, quôd exiſtant realiter ſeparata, alioquin non habebunt relationem realem.

3 Probatur ſecundô. Vnaquæque res per ſuammet entitatem conſtituitur formaliter in actu: ſed per exiſtentiam ponitur formaliter in actu: ergo exiſtentia eſt eadem entitas rei. Minor, & conſequentia ſunt bonæ: probatur maior. Quia quando res aliqua creatur, vel quando terminat aliquam actionem efficientis, non ſola exiſtentia creatur, nec ſola terminat hanc actionem, ſed eademmet entitas ſub exiſtentia; ergo vnaquaque res per ſuammet entitatem conſtituitur formaliter in actu cum ſola diſtinctione virtuali ab exiſtẽtia, vt ſtatim probabitur.

4 Cùm igitur nihil aliud ſit exiſtentia actualis, quàm res, ſeu entitas exiſtens; & cùm impoſſibile ſit dari eſſentiam aliquam in actu ſine exiſtentia, dicendum eſt abſolutè non diſtingui ex natura rei, ſi cum proportione ſumatur, nimirum ſi comparetur actualis exiſtentia, quæ dicitur in actu exercito, cum actuali eſſentia; & ſimiliter eſſentia in potentia cum exiſtentia in potentia, ſi enim comparetur vna in actu cum alia in potentia, tunc diſtinguuntur tanquam ens in actu, & in potentia: ideſt realiter negatiuè, quòd autem virtualiter diſtinguantur ex eo probatur, quia cùm aliquando detur eſſentia ſine exiſtentia actuali, bene poteſt eſſentia concipi, etiam quando eſt in actu, per vnum conceptum inadæquatum, & exiſtentia per alium, ſicut animal in eodem Socrate terminat vnum conceptum aliquando, & rationale terminat alium, quamuis ſint eadem res materialiter, & proptereà communiter dicuntur diſtingui virtualiter.

Reſpondetur argumentis in oppoſitum.

5 OBijcis pro prima, & contraria ſententia, quæ docet dari diſtinctionem realem inter eſſentiam, & exiſtentiam, quam tenent D. Th. 1. p. q. 3. ar. 4. & multis alijs in locis; quem, vt teſtatur Soar. in Met. diſp. 31. ſect. 1. nu. 3. ſecuti ſunt omnes ferè antiqui Thomiſtæ Capreol. Caiet. Ferrar. Soncin. Iauel. & alij, quos ibidẽ referunt idẽ Soar. & Fonſ. 4. Met. cap. 2 q. 4 ſect. 2. eandem ſententiam tuentur Bañ. & Zumel 1. p. q. 3. ar. 4. Curſus Thomiſticus 1. p. Phyſicorum q. 7. ar. 4. vbi citant Rubium, & Conimbric.

Refutatur diſtinctio realis
D. Thom.
Soar.
Capreol.
Caiet.
Ferrar.
Soncin.
Iauel.
Soar.
Fonſeca.
Bañe.
Zumel.
Curſus Thomiſt.
Rubius.
Pa res.
Conimb.

6 Obijcis, inquam, primò. Exiſtentia creata recipitur in eſſentia, illamque actuat: ergo realiter ab ea diſtinguitur, nihil enim dicitur recipi in ſe ipſo. Reſp. tamen, exiſtẽtiam dici quidem recipi in eſſentia, non tanquàm in aliquo realiter diſtincto, ſed virtualiter tantùm; ſicut rationale dicitur recipi

in

in animali, à quo virtualiter tantùm diſtinguitur in eodem Socrate; & ſicut relatio dicitur recipi in fundamento, à quo in bona opinione virtualiter tantùm diſtinguitur.

7 Obijcis ſecundò. Exiſtentia producitur per cauſam efficientem, nō verò eſſentia: ergo realiter diſtinguuntur. Confirmatur, quia eſſentia eſt ab æterno, exiſtentia verò fit in tempore. Reſpond. ad antecedens, etiam eſſentiam in actu fieri per cauſam efficientē, de qua eſſentia in actu quæſtio eſt. Ad confirmationem ſimiliter reſpondetur, eſſentiam in potentia eſſe ab æterno, non verò eſſentiā in actu: & quamuis eſſentia in actu ſumatur reduplicatiuè adhuc tamen ab exiſtenta virtualiter tantùm diſtinguitur; idem enim eſt eſſentia in actu, atque exiſtentia.

Refellitur diſtinctio modalis. *Scotus. Henriq. Sotus. P. Fon. Patres Conimbr. Molina. Albertin.*

8 Obijcis tertiò pro ſecunda, & contraria ſententia, quæ docet exiſtentiam creatam diſtingui modaliter ab eſſentia, quam tenent Scotus in 1. diſt. 6. q. 1 Henriq. quodlib. 1. q. 9. & 10. Sot. 2. Phyſ. q. 2. Fonſ. 4. Met. cap. 2. q. 4, ſect. 4. Patres Conimbr. 2. Phyſ. cap. 9. q. 6. ar. 1. & 1. de Gener. cap. 4. q. 1. ar. 3. & q. 6. ar. 3. Magiſter Mol. 1. p. q. 3. ar. 4 disp. 2. § Hactenus. Albertinus tom. 2. diſp. 2 de Eſſe exiſtentiæ, q. 2. num. 29. vbi alios citat.

9 Obijcis, inquam, tertiò. Eſſentia ſeparari poteſt ab exiſtentia actuali, & dari ſine illa, licet exiſtentia manere non poſſit ſine eſſentia: ergo modaliter diſtinguuntur. Reſpōdetur ad antecedens, eſſentiam actualem nō poſſe ſeparari ab exiſtentia, & exiſtere ſine illa, quod requirebatur ad modalē diſtinctionem; ſicut propterea vnio modaliter diſtinguitur ab anima rationali, quia anima poteſt exiſtere ſine vnione ad materiam, eſt autem hæc coniunctio eſſentiæ cum exiſtentia tam intrinſeca, vt ſi res ponatur in multis locis, per actionem reproductiuam ſimul eſſentia, & exiſtentia reproducantur; cùm enim eſſentia actualis ſit idem cum exiſtentia, idem nō poteſt ſeparari à ſe ipſo.

10 Obijcis quartò. Exiſtentia conuenit enti accidentaliter, eſſentia verò eſſentialiter: ergo diſtinguuntur ſaltem modaliter. Reſpond. negando conſequentiam, quia diſtinctio non tam reſpicit modum prædicandi, & conueniendi, quàm ſeparationem: cùm igitur nulla dari poſſit ſeparatio exiſtentiæ ab eſſentia in actu, nulla etiam datur diſtinctio: exemplum ſit in gradu animalis, & in differentia indiuiduante Socratis, quæ virtualiter tantùm diſtinguuntur, & tamen animal eſt de eſſentia Socratis, non ſic autem differentia indiuiduans: neque obſtat, quòd exiſtentia dicatur vltima actualitas, nam etiam rationale eſt vltima actualitas hominis, & nihilominùs virtualiter tantùm diſtinguitur ab homine: ex quibus infero, compoſitionem ex eſſe, & eſſentia dici poſſe realem, ad eum modum, quo Socrates dicitur realiter componi ex animali, & rationali, non dici tamen realem, quaſi fiat ex rebus realiter diſtinctis.

11 Obijcis quintò. Solus Deus exiſtit per ſuam eſſentiam: ergo exiſtentia creata diſtinguitur modaliter; alioquin eadem dabitur ſimplicitas in Deo, & in creaturis. Reſpondeo ad antecedens, ſolùm Deum exiſtere per ſuam eſſentiam, id eſt per exiſtentiam, quæ eſt de eſſentia Dei; creaturam verò exiſtere per exiſtentiam, quæ illi non eſt eſſentialis, quamuis ſolùm virtualiter diſtinguatur; ſicut differentia indiuiduans non eſt de eſſentia Socratis, & tamen ab illo virtualiter tantùm diſtinguitur: neque inconueniens eſt, quòd in creaturis reperiatur compoſitio aliqua virtualis, vt patet in gradibus metaphyſicis, adhuc enim creatura non dicetur ſimplex, ſicut Deus, quandoquidem creatura alias admittit reales compoſitiones.

Vtrùm exiſtentia diſtinguatur virtualiter à diuina eſſentia?

12 Occaſione huius argumenti quærendum breuiter eſt, vtrùm exiſtētia in Deo virtualiter diſtinguatur, an ſolū per rationē ratiocinātē? Reſpond. nullā omnino dari diſtinctionē, cū fundamento in re inter eſſentiam, & exiſtentiā diuināmita Faſſol. tom. 1. in 1. p. q. 3. ar. 4 dub. 1. à n. 7. Soar. in ſum. tract. 1. lib. 1. cap. 2. à n. 5. & tom. 1. in 3. p. ad q. 3. diſp. 11. ſect. 1. vbi hanc ſententiā probat ex Patribus: idē ſuppo nit in Met. diſp. 31. ſect. 6. n. 15 ad finem: ratio eſt, quia nullo modo poteſt concipi diuina eſſentia ſine actuali exiſtentia entis à ſe; ex eo quòd diuina eſſentia ſit ipſa exiſtētia à ſe, quæ eſſentialiter, & formaliter conſtituit Deum. (vt probat P. Præpōſ. 1. p. q 3. ar. 4 n. 5. & Recupitus tom. de Deo lib. 2. q. 14. c. 4. & q. 19. c. 2.) & propterea exiſtentia in Deo non ſortitur nomē ſpecialis perfectionis, aut attributi, ſicut veritas, aut bonitas; ſed eſt prima radix diuinarū perfectionū, ſeu eſt ipſa formalitas Dei; ſicut formalitas in homine eſt *animal rationale*: ergo ſicut animal rationale nō diſtinguitur ab homine, nec virtualiter; ita neque exiſtētia ab eſſentia diuina. Cōfirmatur, quia exiſtētia non poteſt concipi, vt emanans ab eſſentia, quin ipſa eſſentia iam concipiatur, vt exiſtens, omnis enim potentialitas ad exiſtē dum longè exulat à Deo.

Reſolutio eſt negatiua. *Faſſol. Soarius. Præpoſit. Recupit.*

Mairon. *Baſſol.* *Granad.* *Vaſquez.* *Arriaga.*

13 Obijcis pro contraria ſententia, quam tenent Maironius in 1. diſt. 2. q. 1. ar. 2. diffic. 2. & alij pauci apud Baſſol. in 1. diſt. 8. q. 1. ar. 2. dicentes exiſtentiam non eſſe de quidditatiuo, & formali conceptu Dei: idem ſequitur Granad 1. p. controu. 1. tract. 2. diſp. 2. à nu. 6. vbi pro ſe adducit Patrem Vaſquez item Arriaga in Metaphyſica diſp. 2. ſect. 4. num. 72. vbi abſolutè docet exiſtentiam in Deo virtualiter diſtingui ab eſſentia. Obijcis, inquam, primò. Paternitas diſtinguitur virtualiter à diuina eſſentia: ergo & exiſtentia. Reſpondeo negando conſequentiam. Maior ratio eſt, quia paternitas non eſt de conceptu formali, & eſſentiali diuinæ eſſentiæ, cùm hæc in Filio reperiatur ſine paternitate; quod tamen aliter contingit in exiſtentia, hæc enim ſemper eſt de formali, & diſtinctiuo conceptu Dei, vt probaui.

14 Inſtas. Rationale eſt de conceptu formali, & eſſentiali hominis; & tamen diſtinguitur ab homine virtualiter: ergo, licet diuina exiſtentia ſit de eſſentiali, & formali conceptu Dei, nihilominùs virtualiter diſtinguetur. Reſpondeo negando conſequentiam: maior ratio eſt, quia rationale eſt tantùm pars inadæquata eſſentiæ hominis, & proptereà poteſt concipi, vt forma aduenięs homini: at verò exiſtentia Dei non eſt pars aliqua inadæquatè adueniens Deo, ſed eſt ipſe Deus, ſeu ipſa eſſentia Dei; vnde ſicut eſſentia Dei non diſtinguitur à natura Dei (vt contra aliquos modernos bene probat Herice 1. p. tract. 1. diſp 3. cap. 2. à n. 8.) ita exiſtentia Dei non diſtinguitur ab eſſentia Dei, nihil enim eſt Deus, quam quidam actus puriſsimus, ideſt, ſine vlla potentialitate.

Herice.

15 Obijcis ſecundò. Diuina eſſentia concipi non poteſt ſine omnipotentia; & tamen ab ea virtualiter diſtinguitur: ergo ſimiliter, licet diuina eſſentia non poſsit concipi ſine exiſtentia, virtualiter diſtinguitur. Reſpondeo negando conſequentiam. Maior ratio eſt: quia quamuis diuina eſſentia non poſsit concipi, cum negatione omnipotentiæ, poteſt tamen concipi non cognitâ expreſſè diuinâ omnipotentiâ: at verò nunquàm poterit percipi, ſine exiſtentia, hæc enim eſt prima Dei actualitas, ac veluti radix omnium attributorum. Vbi obiter aduerte dari poſſe diſtinctionem virtualem inter attributa, & diuinam eſſentiam, non verò inter ipſam eſſentiam, & exiſtentiam; quia attributa concipi poſſunt vt proprietates aduenientes Deo, exiſtentia verò eſt ipſe Deus: immò non poteſt Deus concipi vt poſsibilis, ſine exiſtentia, quia iam non conciperetur, vt Deus.

16 Non negauerim tamen, aliquam dari poſſe diſtinctionem per rationem, imperfectam tamen, & incompletam, quatenus proportionaliter concipitur diuina eſſentia, & exiſtentia per ordinem ad eſſentiam & exiſtentiam creatam, quod admittit Faſſol. tom. 1. in 1. p. q. 3. ar. 4. dubit. 2. à nu. 10. Ex eo tamen quòd in creaturis detur diſtinctio virtualis inter eſſentiam, & exiſtentiam, non benè inferet Granada 1. p. controu. 1. tract. 2. diſp. 2. n. 8. eandem diſtinctionem inter diuinam eſſentiam, & exiſtentiam, ſicut neque, ex reali diſtinctione inter proprietates creatas, benè inferret aliquis realem diſtinctionem inter diuinas perfectiones.

P. Faſſol. *Granad.*

Proponuntur aliæ concluſiones circa eſſentiam, & exiſtentiam.

Eſſentia creata nõ poteſt habere alienã exiſtentiam.

Soar. *Vaſquez.* *Albertus.* *Scotus.* *Durand.* *Gabriel.* *Bonau.* *Baſſol.* *Heruæus.* *Palud.* *Fonſec.*

18 SEcunda concluſio: Nec diuinitus poteſt eſſentia creata exiſtere per alienam exiſtentiam. Ita Soar. in Met. diſp. 31. ſect. 12. n. 9. & tom. 1. in 3. p. ad q. 17. diſp. 36. ſect. 1. Vaſq. tom. 1. in 3. p. ad q. 17. diſp. 71. ſect. 2. Vbi vterque probat humanitatem Chriſti non exiſtere per exiſtentiam Verbi diuini, ſed per propriã, citantque pro hac ſententia Albertum, Scotũ, Durandum, Gabrielem, Almainum, Bonauenturam, Baſſolum, & ex Thomiſtis Heruæum, & Paludanum: idem ſequitur Fonſ. 8. Met. cap. 1. q. 1. ſect. 3. à §. Hæc tamen, & prætereà videri poſſunt ea, quæ dixi lib. 1. Phyſ. diſp. 22. ſect. 2. circa exiſtentiam materiæ.

18 Probatur concluſio à priori, quia implicat rem exiſtere ſine exiſtentia: ſed exiſtentia non diſtinguitur, nec modaliter, ergo ſicut implicat rem eſſe, per aliam eſſentiam, ita implicat exiſtere per aliam exiſtentiam. Confirmatur, quia *hic homo*, nec diuinitus poteſt vbicari per Vbi alterius, neque *hæc quantitas* figurari, per figuram alterius, ex eo quòd modus poſtulet ex ſe identificari cum re, cuius eſt modus: ergo licet exiſtentia foret modus, non poterit reddere exiſtentem alienam naturam, ne ſimul dicamus eandem rem eſſe identificatam cum duabus eſſentijs realiter diſtinctis.

19 Obſtas. Bene poteſt vna ſubſtantia ſubſiſtere per alienam ſubſiſtentiam, ſaltem diuinam: ergo & per alienam exiſtentiam. Reſpond. negando conſequentiam: maior ratio eſt: quia ſubſiſtentia eſt talis modus, vt

ſe parari

ſeparari poſſit à ſubſtantia, & ſuppleri per diuinam, quæ eminenter continet humanam: at verò cùm exiſtentia nec modaliter diſtinguatur, non poteſt ſeparari, neque per diuinã ſuppleri, ſicut nec duratio creata ſuppleri poteſt per diuinam.

20 Inſtas. Probabile eſt, exiſtentiam modaliter diſtingui: ergo ſuppleri poterit per diuinam ſaltem, ſicut ſuppletur ſubſiſtentia humanitatis Chriſti Domini, ex eo quòd modaliter diſtinguatur. Reſpond. permiſſo antecedente, iuxta ea, quæ dixi à n. 8. negando conſequentiam, & ratio eſt, quia ideò ſubſiſtentia ſuppleri poteſt, quia eſt modus, qui præſupponit ſubſtantiam exiſtentem in prioritate naturæ: at verò exiſtentia ſuppleri non poteſt, quia non præſupponit naturam iam exiſtentem, ac proinde, nec diuinitus, ſeparari poteſt à re exiſtente.

Humanitas Chriſti habet propriam exiſtentiam.

21 Ex hac concluſione euidenter colligitur, humanitatem Chriſti Domini non per exiſtentiã Verbi, ſed per ſuam propriam exiſtere, vt videre eſt apud citatos auctores, quos prætereà referunt, & ſequuntur Ragnaſ. 3. p. ad q. 17. diſp. 127. à §. 2. Gaſpar Hurt. tract. de Incarnat. diſp. 10. diff. 1. à n. 3. & facilè probatur, cùm enim humanitas Chriſti realiter diſtinguatur à natura Verbi diuini, ſicut Verbum ſuam habet exiſtentiam, ita humanitas ſuam poſtulat, vt patet ex dictis.

P. Ragnaſ. Hurtad.

22 Et declaratur, quia humanitas ordine naturæ præſuppoſita fuit vnioni hypoſthaticæ (priùs enim ſunt partes vniendæ, quàm ipſa vnio) ſed humanitas non potuit præſupponi niſi actualiter exiſtens (vnio enim, & aſſumptio non fit niſi ad res actualiter exiſtentes) ergo humanitas præſupponitur exiſtens per propriam exiſtentiam. Confirmatur, quia humanitas Chriſti Domini producta fuit à Deo per aliquam actionem: ſed actio per omnes Philoſophos terminatur ad rem exiſtentem: ergo humanitas habet propriam exiſtẽtiam: neque enim dici poteſt, talem actionẽ terminari ad diuinam exiſtentiam, ſiquidem hæc producta non fuit.

23 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quam tuentur illi omnes, qui non admittunt propriam exiſtentiam in materia, quos citaui in 2. p. tract. 1. lib. 1. Phyſ. diſp. 21. ſect. 2. n. 5. & prætereà eam tenent Caiet. Medina, Cabrera & communiter omnes Thomiſtæ 3. p. q. 17 ar. 2. item Capreol. in 3. diſt. 3. Ferrar 4. cõtra Gentes. cap 35. & 41. Henricus quodlib. 3. q. 2. Dionyſius Carthuſianus in 3. diſt 6. q. 5. circa finem.

Caiet. Medin. Cabrer. Capreol. Ferrar. Henriq. Dionyſ.

24 Obijcis, inquam, primò. Exiſtentia propriè conuenit ſuppoſito (ſicut eſſe, & produci) ſed in Chriſto Domino vnum tantùm eſt ſuppoſitum diuinũ: ergo & vna exiſtentia. Reſpond. ad antecedens, exiſtentiam completam propriè conuenire ſuppoſito: at verò exiſtentiam incompletam propriè conuenire humanitati.

25 Obijcis ſecundò. Accidẽs non priùs natura eſt, quàm vniatur ſubiecto: ergo ſimiliter humanitas Chriſti Domini non priùs exiſtit, quàm vniretur. Reſpondetur negãdo conſequentiam; maior ratio eſt, quia accidẽs fit per inhærentiam; tanquàm per cauſalitatem, omnis autem cauſalitas eſt prior naturâ, quàm res, cuius eſt cauſalitas. Vnde ſi inhærẽtia ſumatur non, quâ cauſalitas eſt; ſed quâ vnio in facto eſſe, reſpectu accidentis, eſt poſterior naturâ, ipſo accidente, omnis enim modus ſupponit rem, quam modificat, & vnio ſupponit partes vniendas, vnde argumẽtum nihil colligit.

26 Obijcis tertiò. Suppoſito quòd exiſtentia ſit modus, bene poterit aſſumi humanitas iam exiſtens, & deinde demiſſa propria exiſtentiã naturali, ſuppleri per diuinam, ſicut poterat Verbum diuinum aſſumere naturam iam ſubſiſtentem naturaliter, in quo caſu demitteretur ſubſiſtentia creata, & terminaretur natura aſſumpta per diuinam. Reſpond. negando conſequentiam, Maior ratio eſt, quia ſubſiſtentia eſt terminus, qui ſine imperfectione ſuppleri poteſt: at verò exiſtẽtia non eſt terminus, ſed forma, & ideò ſuppleri non poteſt ſine imperfectionibus, vt videbimus in prædicamento Vbi, cùm oſtendemus, non poſſe naturam creatam vbicari per diuinam immenſitatem.

27 Obijcis quartò. Beatiſsima Virgo fuit verè Mater Dei: ergo ex eo quia ſua cooperatione, qua concurrit ad humanitatem Chriſti Domini, attigit exiſtentiam increatã Dei. Reſpondeo negando conſequentiam, quamuis enim Virgo ſanctiſsima non attigerit exiſtentiam increatam, dicitur tamen Mater Dei, per communicationem idiomatũ, ex eo quòd genuit hominem, qui verè eſt Deus: ſiue ex eo quòd genuit humanitatem, quæ in eodem inſtanti, quo genita eſt, terminata fuit diuina hypoſthaſi, & vnita diuinitati. Vnde ſi modò Spiritus Sãctus aſſumeret ſibi hypoſthaticè humanitatem D. Petri, eius mater, non diceretur Mater Dei, quia videlicet non genuit naturam, quæ in eodem inſtanti ſuæ generationis terminata fuerit cum diuina ſubſiſtentia.

Quo pacto Virgo B. dicatur verè Dei Mater?

28 Declaratur hæc doctrina, nam reliquæ fœminæ non ex eo dicuntur matres hominum, quos generant, quòd illis abſolutè tribuant exiſtentiam (materia enim, ante generationis inſtans, creata eſt cum ſua exi-

Digitized by Google

exiſtentia, & ſimiliter anima rationalis à ſolo Deo immediatè accipit exiſtentiam) ſed ex eo dicuntur matres, quòd concurrant ad vnionem materiæ,& formæ:cùm igitur Beata Virgo concurrerit ad vnionem materiæ,& formæ hominis, & tribuerit homini Deo, ea quæ reliquæ fœminæ filijs conferunt, verè dicitur mater Dei; quarè neceſſarium non eſt confugere ad diuinam exiſtentiam,quam nullo modo attigit; cùm enim verſetur ſub opinione, vtrùm humanitas Chriſti extiterit per exiſtentiam Verbi, verſaretur etiam ſub opinione, vtrùm Virgo Beata verè fuerit Mater Dei, cùm tamen de fide ſit,verè, & realiter fuiſſe Dei matrem.

29 Quæ doctrina euidentior eſt in ſententia Soar.tom.1.in 3.p.diſp.17.ſect.1.& 2. & tom.2.diſp.1.ſect.1. vbi aſſerit,animam & corpus Chriſti priùs naturâ vnita fuiſſe Verbo, quàm inter ſe, vnde cùm Virgo beata phyſicè concurrerit ad vnienda inter ſe animam, & corpus Dei, quæ videlicet iam ſubſiſtebant per diuinam ſubſiſtentiam, verè dicitur genuiſſe Deum, nam generatio,ſicut & reliquæ denominationes,denominat ſuppoſitum. *Soarius.*

30 Tertia concluſio. Fieri non poteſt vt eſſentia aliqua affecta ſua peculiari exiſtentia, exiſtat per alienam, conſeruata propria exiſtentia. Probatur, quia id, quod eſt formaliter tale, fieri non poteſt tale per aliud ſimile: inde eſt, quòd implicet,actionem fieri per aliam actionem: naturam ſubſiſtentē, in ſenſu compoſito,terminari per aliam. Cōfirmatur,& explicatur,quia ſicut ſubſiſtentia eſt vltimus terminus naturæ,inferens alterius negationem, ita exiſtentia in ſuo genere infert negationem alterius,ex eo quòd ſit vltima naturæ actualitas.

DISPVTATIO LI.

De Conceptu, Analogia, Contractione, & Proprietatibus Entis.

COnſtitutâ iam Entis naturâ,& eſſentiâ,doctrinæ ordo poſtulat,vt eius diuiſionem explicem, quod priuſquàm expendatur, videndum neceſſariò eſt, vtrùm id, quod diuiditur, ſit aliquid analogum,an vniuocum; quod,vt peractum fuerit, ad contractionem entis accedemus, ac breuiter de eius proprietatibus, quæ videlicet conueniunt Enti, quâ ens eſt, diſſeremus: Quibus enucleatis,fauente Numine,ad librum quintum gradum faciam, in quo, cum Ariſtotele, ad particularia entia deſcendam.

SECTIO I.

De Conceptu, Analogia, & Contractione Entis.

Ens habet vnum cōceptum. P.*Fonſ.* P.*Soar.*

1 PRima concluſio. Conceptus formalis Entis eſt vnus re, & realiter præciſus,ſeu diſtinctus ab alijs:ita communis ſententia, vt videre eſt apud Fonſ.4. Met.cap.2.q.2.ſect.2. Soar. in Met. diſp.2.ſect.2. n.9. Probatur, quia conceptus formalis ab alijs realiter præciſus dicitur vna qualitas repræſentatiua alicuius rei, quæ realiter ab alijs diſtinguatur (vt conceptus hominis, qui realiter diſtinguitur à conceptu Platonis,ſed audito nomine, *Ens*, vnum tantùm formamus conceptum: ergo &c. Probatur minor, imprimìs experientiâ, neque enim diſtrahimur ad formandos plures conceptus: probatur deinde eadem minor, quia ſi talis conceptus non ſit vna numero qualitas, cùm entia in particulari ſint propè infinita,infinitos conceptus formaremus:neque enim daretur maior ratio, quòd de hac re,& de illa, non verò de alijs formaremus conceptus.

2 Secunda concluſio. Ens habet vnum conceptum obiectiuum, qui expreſſè neque eſt ſubſtantia, neque accidens, neque Deus, neque creaturæ, ſed eſt vna ratio communis ratione præciſa ab inferioribus,& in confuſo repræſentans omnia entia: ita communis ſententia, & probabilior cum Soar. in Met. diſp.2. ſect.2. à n.8. Hurt.in Metap. diſp.2. ſect.3. n.19. idem tenent Scot.in 1.diſt.3. q.2. & reliqui diſcipuli: item Sot.1.Phyſ. q.2. concl.5.fine, Zumel 1. p. q. 13. ar. 1. q.1. & alij, Probatur, quia conceptus obiectiuus eſt *Soarius. Hurtad. Scotus. Sotus. Zumel.*

res

Digitized by Google

res obiecta, vel percepta per conceptum formalem; ſed audito nomine, *ens*, non percipit immediatè intellectus aliquod, vel aliqua entia in particulari v. g. Deum, vel Angelum: ergo percipit rationem aliquam confuſam, quæ aliquo modo ſit communis entibus particularibus: cùm enim de omni ente reali reciprocè prædicentur eædem paſſiones, nimirum *vnum*, *verum*, *bonum*, habet intellectus fundamentum ad percipiendam vnam rationem obiectiuam, & communem omnibus entibus particularibus, quæ in his proprietatibus ſunt ſimilia.

Fonſeca. Pereir. Vaſquez. Hurtad. Soarius. Maſius. Onha. Rubius. Ægyd. Gallego.

3 Obijcis pro contraria ſententia, quæ negat vnum conceptum obiectiuum enti, (quam ſequitur Fonſ. in Met. q. 2. ſect. 4. cõcl. 2. Pereir. lib. 4. in ſua Phil. cap. 2. Vaſquez, quem citat Hurtad. ſup. n. 19. & alij apud Soar. ſuprà. Idem tenent Maſius, Onha, Rubius, Ægydius, & alij cum Gallego tom 1. cõtr. 12. §. Tertia ſententia.) Si ens haberet vnum conceptum obiectiuum, præſciſum ratione ab inferioribus, eſſet vniuocum: hoc nõ eſt dicendum: ergo &c. Probatur ſequela, quia ſola vniuoca præſcindunt ab inferioribus. Reſpondeo negando ſequelam, illa enim ratio entis, quamuis ſit aliquo modo vna, non eſt vniuoca, quia imprimis non habet differentias, per quas contrahatur, & à quibus propriè præſcindat, vt videbimus. Deinde, quamuis defectus differentiarum contrahentium non tolleret vniuocationē, vt dixi in 1. p. tract. 1. diſp 6. ſect. 2. § In hac difficultate; nihilominùs tamen ens aliunde eſt analogum, quia poſtulat participari inæqualiter ab inferioribus, nempe à ſubſtantia, & accidente, quod nullo modo conuenit enti vniuoco, quapropter talis ratio obiectiua entis ſolùm modo aliquo communis eſt, & tantùm in confuſo, quia non repræſentat aliquod ens in particulari, ſed entia in confuſo, quatenus conueniunt in Ente reali.

Soarius. Fonſec. Cæſar. Recupit. D. Thom. Sanctacr.

4 Tertia concluſio. Ens in communi eſt analogum ad creatum, & increatum, ad ſubſtantiam, & accidens: ita communis ſententia cum Soar. in Met. diſp. 28. ſect. 3. nu. 16. Fonſ. 4. Met. cap. 2. q. 1. ſect. 5. Iulio Cæſare Recup. tom. de Deo, lib. 2. q. 6. cap. 3. & 4. cum D. Thom. quidquid in oppoſitum nuper ſentiat noſter Sanctacruzanus in ſua Logica reali diſp. 5. ſect. 5. vbi contendit Ens eſſe vniuocum. Probatur, quia *uniuoca ſunt ea, quorum ratio in omnibus eſt æqualiter diuiſa, & ab inferioribus æqualiter participata*, ita vt non ſit in vno principaliùs, & in alio ſecundùm quid, quod tamen non cernitur in ente communiſſimè ſumpto, reſpectu entium particularium, eſt enim principaliùs, & perfectiùs in Deo (cùm Deus ſit ens infinitum ſimpliciter, & perfectiſsimum) in creaturis autem ratio entis finita eſt, imperfecta, & dependens à Deo: ergo ens non eſt vniuocum, ſed analogum ad Deum, & ad creaturas. Et idem cernitur in ente comparatione ſubſtantiæ, & accidentis; ſubſtantia enim eſt ens ſimpliciter, & per ſe exiſtens, accidens verò eſt ens ſecundùm quid, & in alio.

5 Quarta concluſio. Analogia Entis ad Deum, & ad creaturas, ad ſubſtantiam, & accidens eſt attributionis, & proportionis: ita cum D. Thom, Soar. in Met. diſp. 28. ſect. 3. n. 17. Fonſ. in Met. lib. 4. cap. 2. q. 1. ſect. 7. à §. Dicendum eſt. item Recupit. tom. de Deo lib. 2. q. 6. cap. 2. vbi citat Caiet. Ferrar. Probatur analogia attributionis, quia tunc datur, quando vna ratio participatur abſolutè ab vno, & ab alijs dependenter, & cum ordine ad principale analogatum: atquì ratio entis in Deo eſt perfectior, & independens; in creaturis autem datur cum dependentia, & per ordinem ad Deum: ergo &c. Et idem ſequitur in accidente reſpectu ſubſtantiæ.

D. Thom. Soar. Recupit. Caiet. Ferrar.

Eſt item analogum proportionis.

6 Probatur etiam analogia proportionis. tunc enim datur, quando membra participantia propriè, & intrinſecè participant formam communem, & cum illa habent realem conuenientiam, quamuis aliunde inter ſe ſimpliciter ſint diuerſa: atquì Ens participatur à Deo, & à creaturis: a ſubſtantia, & accidentibus intrinſecè, licet diuerſis rationibus: ergo &c. Probatur minor, quia tam Deus, quàm creaturæ: tam ſubſtantia, quàm accidens in ſua entitate veré ſunt entia, nam ſicut ſe habet ſubſtantia in ſuo genere, ita accidens in ſuo &c.

7 Cùm igitur ad analogiam ſecundùm proportionem neceſſarium non ſit quòd ratio participata, ſiue conuenientia in omnibus ſit æqualis, ſed ſufficiat quòd omnia analogata participent intrinſecè formam, inde eſt, quòd Ens ſit analogum proportionis ad Deum, & creaturas: ad ſubſtantiam, & accidens: Quamuis enim inter Deum, & creaturas nulla detur proportio finiti, & infiniti: datur tamen proportio entis: immò quamuis accidens dicatur ens ſubſtātiæ, & non ſimpliciter ens ſolùm probabitur, non eſſe ens tam perfectum, ſicut eſt ſubſtantia: ex quibus ſatis conſtat, hanc analogiam eſſe proportionis impropriæ. Hæc ſufficient circa analogiam Entis communiſſimè ſumpti, de qua aliquid prætereà addendum eſt, cùm ſtrictiùs diuiſero ens in decem prædicamenta.

Quomodo fiat Entis contractio?

8 Quinta concluſio. Contractio Entis ad inferiora fit per maiorem conceptuum expreſsio-

Digitized by Google

præciſionem: v. g. ens in communi repræſentat in confuſo omnia entia; contrahitur verò ad ſubſtantiam, quando formo cóceptum expreſſum, in quo ſubſtantia repræſentatur: ita probabilior ſententia, quam tenent cum D.Thom.q.1.de veritate, ar.1. Soar. in Met. diſp.2. ſect.6. á nu. 8. nec diſſentit Fonſ. 4. Met. cap.2.q.2. ſect.10. §. Ad primum. Probatur, quia conſtat contrahi ens ad inferiora, ſed non per aliquas veras differentias, vt cótrahitur animal, ſiquidem non eſt vniuocũ: Deinde non per aliquos modos, nam ratio contrahens debet eſſe extra rationem illius, quod contrahitur, omnes autem modi eſſentialiter includuntur in ente, ſiquidem ſunt vera entia: ergo &c.

D.Thom. Soar. Fonſeca.

9 Ex quibus conſtat primó, veram non eſſe ſententiam Scoti in 1. diſt. 3. q.3. & in 2. diſt. 3. q. 3. & reliquorum Scotiſtarum aſſentientium, Ens contrahi per quoſdam modos poſitiuos diſtinctos ex natura rei ab ipſo Ente, cúm enim modi illi neceſſarió ſint entia, neceſſarió etiam includuntur in Ente, neque ab eo poſſunt diſtingui; ratio veró contrahens debet eſſe extra rationem rei contractæ, vt patet. Conſtát ſecundò, falſam eſſe ſententiam Soncinnatis 4. Met. q.1. ad 2, aſſerentis, contractionem entis fieri per negationes, aut entia rationis; ſubſtantia enim, vel accidens, cùm ſint entia realia, non poſſunt conſtitui in ſuo eſſe per negationes, quapropter cúm dicimus, abſtractionem entis fieri per maiorem expreſsionem conceptus, non inde colligitur, hanc abſtractionem fieri per entia rationis, ſed potiùs colligitur intellectum noſtrum cum fundamento in re concipere ens modò magis, modò minùs expreſſè.

Scotus. Soncin.

10 Eſt autem hæc abſtractio, ſeu præſciſio Entis non mutua. Probatur, tunc enim datur præſciſio mutua, quando intellectus ita præſcindit vnam rationem ab alia, vt neutra in alia includatur, vt quando intellectus præſcindit animal á rationali: præſciſio veró non mutua tunc fit, quando intellectus ita præſcindit vnam rationem ab alia, vt ratio præciſa non includat illam, â qua præſcinditur, quamuis ab alia includatur, vt quando animal abſtrahitur ab homine, homo includitur in animali non ê contra: cùm igitur ens ita concipi poſſit abſtractum, vt nullum ens particulare expreſsè concipiatur v.g. ſubſtantia, aut accidens; & cúm ſubſtantia, vel accidens præſcindere non poſſit ab ente, inde eſt, quòd hæc abſtractio ſit non mutua.

SECTIO II.

De Proprietatibus Entis.

1 Prima concluſio. Ens nullas habet proprietates, ſi rigoroſé loquendum ſit, habet tamen aliquas laté, & impropriè loquendo: ita communis ſententia. Probatur prima pars, quia proprietas rigoroſa eſt illa, quæ eſt entitas realis diſtincta ex natura rei, & in qua non includatur eſſentialiter res, cuius eſt proprietas, quamuis cum illa reciprocetur; quæ omnes conditiones reperiuntur in intellectu reſpectu hominis: ſed non omnes hæ conditiones reperiuntur in proprietatibus entis, ſiquidem nec ſunt omnino reales, nec diſtinguũtur ex natura rei; cùm enim hæ proprietates ſint entia, eſſentialiter includunt ipſum ens, quapropter ſi aliqua entitas foret proprietas entis, foret etiam proprietas ſui ipſius: nihilominùs tamen poterit Ens habere aliquas proprietates laté loquendo, ex eo quòd neceſſarió conueniant ſubiecto, & cum eo reciprocentur, quo pactó dicuntur diuina attributa eſſe proprietates Dei; ex quibus patet ſecunda pars concluſionis.

In quo ſenſu Ens habeat proprietates.

2 Secunda concluſio. Hæ proprietates ſunt tres, nimirum vnum, verum, bonum: hæc etiam communis eſt: Dicuntur veró hæ proprietates eſſe reales, quatenùs opponuntur enti rationis, quia licet intellectus nihil cogitet Deus eſt vnus, aurum eſt verum: in ſe autem non ſunt aliquid poſitiuum realiter diſtinctum, propter rationem ſuprà factam: differunt tamen inter ſe eſſentialiter; vnum enim dicit indiuiſionem, verum dicit ordiné ad intellectum, bonum ad voluntatem.

3 Quapropter alia multa prædicata, quæ de Ente dici poſſunt, vt eſſe rem, eſſe aliquid, idem ſunt atque eſſe Ens: præſentia verò, duratio, & ſimilia potiús ſunt entia realia quàm proprietates Entis; exiſtentia ſimiliter, vel eſt ipſum ens, vel non eſt proprietas, ſiquidem non reciprocatur cum ente, quia ens poſsibile non habet exiſtentiam.

4 Circa vnitatem entis recolenda ſunt, quæ dixi in 1 p. tract. 1. diſp. 1. ſect. 2 circa reliquas proprietates, ſit *Tertia concluſio.* Veritas tranſcendens (neque enim modó loquimur de veritate formali, quę eſt conformitas intellectus ad rem, de qua dixi in lib. de Interpretatione) eſt conformitas rei ad intellectum; vnde non quæuis conformitas, ſed ea ſolùm, quæ dicit ordinem ad intellectum, dicitur

Quid ſit veritas tráſcédés.

Digitized by Google

dicitur veritas tranſcendens; quarè conformitas inter duo æqualia non eſt veritas, ſed relatio: dubium tamen eſt quid addat veritas ſupra ens?

5 Quarta concluſio. Veritas tranſcēdēs ſolùm addit ſupra ens connotationem cognitionis extrinſecæ reſpectu intellectus; eſt igitur hæc veritas non ipſa res materialiter ſolùm ſumpta, ſed per reſpectum ad intellectū, cui res dicit ordinem quà cognoſcibilis, ſicuti eſt: ita explicat P. Soar. in Met. diſp. 8. ſect. 1. à n. 24. Hurt. in Met. diſp. 7. ſect. 1. à n. 15. & pro hac ſententiā citat D. Thomam, Caiet. Mol. & Vaſq. Probatur, Veritas non eſt modus ſuperadditus enti, vt conſtat ex dictis; nō eſt negatio, quia veritas de ſe nihil negat; deinde non eſt relatio aliqua, quia, licet hæc per intellectum tollatur, adhuc res dicetur vera: eſt igitur veritas intelligibilitas, ſeu proportio illa, quam res habet primò, per ordinem ad intellectum diuinum, ad quem res omnes ordinantur (ſiue creatæ propter dependentiā, ſiue increatæ propter eſſentialem identitatē) ſecundò ad intellectum creatum; nam omne ens aptum eſt percipi à creato intellectu: immò quamuis de facto nullus daretur intellectus, maneret quidem res adhuc materialiter vera, ſiquidem adhuc haberet eſſentiam Entis, non tamen maneret formaliter vera.

Soarius. Hurtad. D. Thom. Molin. Caiet. P. Vaſq.

6 Aduertendum verò eſt, hanc veritatē ſeu conformitatem rei cùm intellectu, triplicem eſſe: prima eſt cogniti ad intellectum cognoſcentem, ſiue potentem cognoſcere: ſecunda eſt menſurati ad mēſuram: tertia eſt effectus ad cauſam exemplarem: prima conformitas reperitur in omni ente, tam creato, quàm increato; ſecunda, & tertia in ſolo ente creato. Aduertendum ſecundò eſt in quouis actu intellectus vero diſtingui veritatē cognitionis, ſeu formalem, à veritate tranſcendētali; & ratio eſt, quia poteſt manere vna ſine alia, vt cernitur quando vnum iudicium de vero tranſit in falſum, propter mutationem obiecti, & nihilominùs manet veritas tranſcēdens, quia hæc reciprocatur cum omni ente.

Quid ſit Bonitas tranſcendens.

7 Quinta concluſio. Bonitas tranſcēdens (non enim loquimur de bonitate morali) dicit de formali rationem conuenientiæ fundamentalis, quæ conſurgit ex proportione, & coexiſtentia plurium. Eſt igitur bonitas tranſcendens ipſa perfectio, ſeu entitas rei non ſecundùm ſe tantùm ſumpta, ſed prout connotat conuenientiam alicui, à quo res poteſt eſſe appetibilis; ita probabiliùs videtur ſentire Soar. in Met. diſp. 10. ſect. 1. à n. 12. Valent. 1. p. diſp. 1. q. 16. pun. 3 Hurt. in Met. diſp. 7. ſect. 4 n. 41. Probatur, quia bonitas nō eſt relatio, cùm ſit quid abſolutum; non eſt etiam negatio, neque ens rationis, aut modus aliquis ſuperadditus; neque eſt ipſa pura entitas rei, vt conſtat ex iis, quæ dixi de veritate: ergo &c. & in hac conuenientia datur ſufficiēs diſtinctio rationis, vt poſſit eſſe proprietas, vnde bonum, & ens non ſunt ſynonima.

Soarius. Valent. Hurtad.

8 Cōfirmatur primò, & declaratur, quia bonum honeſtum eſt illud, quod eſt conueniens naturæ rationali; bonum delectabile eſt illud, quod eſt conueniens naturæ ſenſibili: bonum vtile ſimiliter eſt illud, quod cōueniens eſt ad finis conſequutionem: ergo bonitas tranſcendens eſt entitas connotans naturam, cui ſit conueniens. Confirmatur ſecundò, quia ſicut veritas conſiſtit in intelligibilitate rei, per ordinem ad intellectum, ita bonitas in appetibilitate, per ordinem ad voluntatem, vel ad aliam rem, cui ſit bona. Cōfirmatur tandē, quia cùm bonitas ſit id, quod natura appetit, debet dicere conuenientiam aliquam, ratione cuius res ſit appetibilis ab aliquo.

9 Cùm igitur hæc proprietas ſit Entis communiſsimi reciprocatur cum omni ente, vnde Deus eſt bonus per ordinem ad creaturas rationales, quibus eſt maximum bonum: immò res eſt etiam bona per ordinem ad ſe ipſam. Et quamuis aliquando detur aliqua creatura, quæ alteri conueniens non ſit, erit bona ſaltem per ordinem ad diuinam perfectionem, & bonitatem tranſcendentalem. Similiter rerum eſſentiæ eo modo, quo ſunt entia, ſunt etiam bonæ: ex quibus conſtat, bonitatem non eſſe ſolùm ipſam integritatē, & perfectionem rei in ſua entitate, vt ſentit Vaſq. tom. 1. in 1. p. diſp. 23 ad q. 5. cap. 5 quia integritas entis in ſe eſt ipſum ens, & nō proprietas entis.

Refutatur ſententia P. Vaſq.

Quid ſit Malitia.

10 Quia de bonitate egimus, occurrit breuiter dicendum de malitia, de qua ſatis pauca ſufficiunt. Eſt igitur malitia, moralis vna, altera naturalis, deſcribiturque carentia debitæ perfectionis: Quapropter ſi moralis eſt, definitur carentia bonitatis debitæ naturæ rationali: ſi verò naturalis eſt, definitur carentia perfectionis debitæ naturæ quá natura eſt; non eſt quid poſitiuum, cùm cōſiſtat in negatione; neq; eſt mera negatio, alioquin quælibet res creata eſſet mala, ſiquidem habet negationem Dei; eſt igitur malitia priuatio quædam bonitatis debitæ: non eſt proprietas entis, primò, quia proprietas debet perficere ſubiectum, malitia verò eſt carentia perfectionis: Secundò, quia non reciprocatur cum omni ente, nam Deus nullam habet malitiam.

LIBER

LIBER V.

DISPVTATIO LII.

De diuiſione Entis *in decem prædicamenta, dequè eorum numero, & diſtinctione.*

PRÆPARATO ſuperioribus libris Metaphyſices ſubiecto, eiuſque proprietatibus explicatis agit Philoſophus in hoc libro de Cauſis ipſius Entis, & de Entibus in particulari, hoc eſt, de prædicamentis. Nos quia de Cauſis laté egimus lib. 1. & 2 Phyſic. ad prædicamenta gradum facimus, in quibus præcipuè hodie labor inſumitur; illa igitur prætermiſſa diuiſione, in qua Ens analogicè & adæquatè ſecatur in Ens reale, & rationis, ſciendum eſt, Ens reale multis adhuc modis diuidi poſſe, in ens ſcilicet infinitum, & finitum; completum & incompletum; ſpirituale, & materiale: abſolutum, & relatiuum: ſubſtantiale, & accidentale, de quibus Soar. in Met. à diſp. 28. quibus omiſſis, de ea diuiſione tractandum eſt, in qua ens prædicamentale diuiditur in decem prędicamenta, & conſequenter de illorum numero, & diſtinctione diſputandum eſt.

Diuiditur Ens.

SECTIO I.

Vtrùm hæc diuiſio ſit vniuoca?

Reſolutio eſt negatiua. *Ariſtot.* D Thom. *Soarius. Fonſeca. Rubius. Vaſq.*

1 Prima concluſio Diuiſio Entis prædicamentalis in decem prædicamenta vniuoca non eſt: ita communis ſententia cum Ariſtotele, D Thom. & alijs, quos citat, & ſequitur Soar. in Met diſp. 32. ſect. 2. n. 3. Idem ſupponunt Fonſ. 4. Met. cap 2. q. 1. ſect. 5. Rub, in Log. cap. 4. de Prædicament. q. 4. § Ratio igitur. Vaſq. tom. 2. in 1. p. ad q. 28. diſp. 114. cap. 1. num. 6. & 7. quatenus omnes docent ens creatum eſſe analogum ad ſubſtantiam, & accidens.

2 Probatur concluſio. Ad ſubſtantiam, & accidens nihil datur vniuocum: ſed ens prædicamentale diuiditur in ſubſtantiam, & accidens: ergo non diuiditur vniuocé: maior eſt certa, nam ſubſtantia eſt ens ſimpliciter, accidens veró ſolùm eſt ens ſecundùm quid. Confirmatur, quia vbi datur participatio per priùs, & poſteriùs, quin ſit in recta ſerie, non poteſt dari vniuocatio: ſed ens prædicamentale eſſentialiter poſtulat priùs deſcendere ad ſubſtantiam, quàm ad accidens: ergo non poteſt eſſe vniuocum ad ſubſtantiam, & accidens. Probatur minor, quia cùm ens prædicamentale exiſtat ſimpliciter in ſubſtantia, & in accidente ſecundùm quid: priùs poſtulat ex natura ſua eſſe in ſubſtantia, & ab ea participari, quàm in accidente: ergo &c.

3 Obijcis pro contraria ſententia (quam tenét Scotus, & Nominales, quos citat Soar. in Met. diſp. 32. ſect. 2. n. 2 idem tenent Arriaga in Log. diſp 9. ſect 4 & Sanctacruzan. in ſua Log. p. 2 diſp. 5. q. 8. ſect 7.) Ratio entis prædicamentalis æqualiter, & æquè primò repetitur in ſubſtantia, & accidente: ergo ens prædicamentale eſt vniuocum ad ſubſtantiã, & accidens. Probatur antecedens, quia tam ens prædicamentale eſt ſubſtantia, quàm ſit accidens. Reſpond. diſtinguendo antecedens: ratio entis prædicamentalis formaliter accepta repetitur æquè primò in ſubſtantia, & accidente: concedo antecedens; materialiter, & in re, nego antecedens: hoc eſt, ſi ſubſtantia, vel quantitas ſumantur ſecũdùm illam formalitatem, quæ conſtituit prædicamentum; tam prædicamentum eſt ſubſtantia, quàm ſit quantitas, quia vtrique æqualiter conueniunt octo conditiones requiſitæ ad conſtituendum prædicamentum. Vnde conſequenter dicendum eſt, hæc decem genera ſumma conſtituere vnam ſpeciem infimam prædicamenti, nam ſubſtantia eſt vnum genus formaliter per vnam relationẽ indiuiduam, qualitas per aliam, & ſic de cæteris, iuxta ea, quæ dixi in Log. diſp. 5. de Vniuerſalibus, ſect. 2.

P. Soar. Arriaga. Sanctacr.

Nihi-

Digitized by Google

4 Nihilominùs tamen ratio entis prædicamentalis priùs te ipſa reperitur in ſubſtantia, quàm in accidente; ſiquidem in accidente reperitur cum dependentia á ſubſtantia: exemplum ſit in noſtris Vniuerſalibus, quorum naturæ ſubſtratæ participant vniuocé rationem formalem Vniuerſalis formaliter ſumpti, non tamen rationem Vniuerſalis materialiter ſumpti, ſiquidem Vniuerſale materialiter non eſt vniuocum ad quinque ſpecies. Neque obſtat, quòd in ſe vniuocum ſit quodlibet prædicamentum, multa enim poſſunt in ſe vniuoca eſſe, nec tamen vniuocè conuenire, vt patet in ipſis naturis ſubſtratis Vniuerſalium, quæ in ſe ſunt vniuocæ, nec tamen conueniunt vniuocé.

5 Obijcis ſecundò. Licet Ens non habeat veras differentias, per quas contrahatur, nihilominùs ens prædicamentale poteſt illas habere: ergo non ſolúm eſt vniuocum, ſed etiam verum genus ad decem prædicamenta. Probatur antecedens. Quia ſubſtantia contrahit ens prædicamentale, per differentiam, quæ dicitur, *per ſe*: accidens verò per aliam differentiam, quæ dicitur, *in alio*: ergo &c. Probatur antecedens, quòd ſcilicet ſint veræ differentiæ, nam ideò Ens non haberet veras differentias, quia modi contrahentes non ſunt extra rationem entis, quia eſſentialiter ſunt entia: atquí hę differentiæ contrahentes ens prædicamentale ſunt extra illius rationem, ſiquidem ens prædicamentale, quá tale abſtrahit ab ente per ſe, & in alio: ergo &c.

Cur Ens nō habeat veras differentias.

6 Reſpond. tamen negando ens prædicamentale habere veras, & rigoroſas differétias per quas poſsit contrahi; quia licet illæ quaſi differentiæ contrahant ſuo modo ens prædicamentale, & ſint extra rationem illius, nihilominùs tamen ideò non ſunt veræ, & rigoroſæ differentiæ, quia non contrahunt aliquod vniuocum, quod ſit ſpecies vel genus, quale non eſt ens prædicamentale, vt ſatis conſtat; ſolùm enim dantur veræ differentiæ vbi datur verum ens omnibus modis vniuocum, & contrahibile: neque hoc eſt liberé dictum ad effugiendam argumenti difficultatem, ſed Philoſophorum iudicio comprobatum, qui eas ſolúm veras appellant differentias, quæ contrahunt aliquod genus, vel ſpeciem; annaloga enim aut per maioré expreſsionem conceptuum, aut ſolúm per aliquas differentias impropias contrahuntur. Vtrùm verô ens prædicamentale ſit annalogum ſecundùm attributionem, vel proportionem, facilé colligi poteſt ex ijs quæ dixi in hac tertia parte diſp. 51. ſect. 1. §. Quarta concluſio.

7 Secunda concluſio. Ens vniuocum non eſt ad quantitatem, & qualitatem. Probatur, quia quando ratio aliqua inæqualiter deſcendit ad inferiora, & ab eis inæqualiter participatur, non poteſt eſſe vniuoca, reſpectu taliũ inferiorũ: ſed ratio Entis ex ſe poſtulat perfectiùs eſſe in Qualitate, quâm in Quãtitate: ergo non eſt vniuoca. Probatur minor, quia Qualitas cûm ſit actiua, & admittat qualitates ſupernaturales, perfectior eſt, quám ſit quantitas, quæ actiua non eſt, nec aliquam admittit ſupernaturalem quantitatem; hoc autem non aliunde habet qualitas, ideſt propter aliquam differentiam contrahentem Ens, ſed ex præciſa ratione talis entis, quæ intrinſecè includitur, & eſſentialiter in ratione qualitatis: ergo &c.

Ens nō eſt vniuocum ad quantitatem, & qualitaté.

8 Confirmatur, & declaratur, quia ſi rationale includeretur eſſentialiter in animali, animal eſſentialiter nobilius eſſet in homine, quàm in equo, & conſequenter animal non eſſet genus ad hominem, & ad equum, quia videlicet ex ſe, & ex natura ſua inæqualiter eſſet in homine, & in equo: quaré cúm ratio entis eſſentialiter includatur in omnibus entibus particularibus, quia eſt ratio, ſeu eſſentia tranſcendens; & cúm nihil detur in qualitate, quod eſſentialiter non habeat rationē Entis, bene ſequitur, quòd ſicut qualitas eſſētialiter perfectior eſt, quâm ſit quantitas, etiā ratio entis ex ſe perfectior ſit in qualitate, quám in quantitate.

9 Ex qua doctrina rectè colligitur Ens vniuocum non eſſe, neque etiam ad duas ſpecies eiuſdem prædicamenti (quamuis oppoſitum teneat Soar. in Met. diſp. 39. ſect. 3. n. 15. in principio) noſtra ratio eſt, quia ſpecies, vt inquit Philoſophus, omnes ſunt veluti numeri, hoc eſt inæqualis perfectionis, ratione differentiarum, quas includunt; ſed differentiæ ipſæ ſunt eſſentialiter ens: ergo ratio entis ad ſpecies eiuſdem prædicamenti vniuoca non eſt, ſed diuerſa, pro diuerſitate differentiarum.

Soarius.

10 Obijcis. Propterea Ens non eſſet vniuocum ad quantitatem, & qualitatem, vel quia hæc prædicamenta ſunt primò diuerſa, vel quia non habent differentias contrahentes: ſed ex neutro capite repugnat: ergo Ens eſt vniuocum ad quantitatem, & qualitatem. Probatur minor, quia inter primò diuerſa poteſt dari aliquod vniuocum, licet non habeant differentias contrahentes, vt de perſona diuina in communi dixi in 1. p. ſum. tract. 1. diſp. 6. ſect. 2. à §. In hac difficultate: ergo &c. Reſpondetur, bene probare argumentum ex neutro capite repugnare vniuocationem Enti reſpectu quantitatis, & quali-

Impugnatur, & ſoluitur impugnatio.

tatis;

tatis: repugnantia igitur ex eo eſt, quòd Ens eſſentialiter ſit perfectius in qualitate, quàm in quantitate, idcò verò perſonæ diuinę conueniunt vniuocè in perſona, non verò quantitas, & qualitas in Ente, quia perſonæ diuinæ ſunt inter ſe æquales, vt docet fides, at verò ratio Entis in qualitate inæqualis eſt, & perfectior, quàm ratio ipſius Entis in quãtitate.

11 Inſtas. Subſtantia, genus ſummum, perfectior eſt in ſpiritu, quàm in corpore; & animal perfectius eſt in homine, quàm in equo; & tamen hoc non tollit rationem vniuocationis: ergo quamuis Ens perfectius ſit in qualitate, quàm in quantitate, erit nihilominùs vniuocum. Reſpondeo negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia maior nobilitas ſubſtantiæ in ſpiritu, & animalis in homine, non prouenit ex ratione ipſius ſubſtãtiæ, vel ipſius animalis, ſed ratione differentiarum, quæ ſunt extra rationem ſubſtantiæ, & animalis, ſaltem per intellectum: at verò cùm nihil ſit in quãtitate, & qualitate, quod ſit extra rationem entis, & quod ab illo poſſit præſcindi, inde eſt, quòd ipſamet ratio Entis ſit eſſentialiter nobilior in qualitate, quã in quantitate, includitur enim ens eſſentialiter in eo, per quod qualitas excedit quantitatem.

Quo pacto ens ſit vniuocũ *P. Soar.*

12 Tertia concluſio. Si ens comparetur cum indiuiduis eiuſdem prædicamenti eſt vniuocum, quòad entitatem eſſentialem, quamuis non ſit genus, aut ſpecies: fauet maximè huic concluſioni Soar. in Met. diſp. 39. ſect. 3. n. 15. quatenus docet accidens, quod reſpectu omnium accidentium analogum eſt, eſſe tamen vniuocum reſpectu diuerſarũ ſpecierum eiuſdem prædicamenti. Probatur concluſio, quia eàdem ratione dicitur ens de Socrate, & Paulo, ſiquidem habet eandem eſſentiæ entitatem, differentia enim indiuiduans non eſt de eſſentia: neque obſtat quòd idem ens reſpectu diuerſorum ſit vniuocum, & analogum, nam etiam hæc vox, *homo*, vniuoca eſt reſpectu verorum hominum, & analoga reſpectu hominis veri, & picti; non eſt verò Ens vniuocum genus, vel ſpecies, reſpectu talium indiuiduorum ex defectu differentiarum, nam differentiæ indiuiduantes Socratis, & Pauli non contrahunt ens, ſed hominem.

SECTIO II.

Vtrùm Accidens prædicamentale vniuocum ſit ad omnia, vel ad aliqua prædicamenta?

1 Prima concluſio. Accidens prædicamentale vniuocum non eſt ad nouem ſumma genera accidentium: ita Caiet. de Ente, & eſſentia cap. 7. q. 15. ad 4. Soncin. 4. Met. q. 1. Alenſ. 5. Met. tex. 33. fine. Soar in Met. diſp. 39. ſect. 3 n. 12. Probatur, quia ad ſimpliciter, & ſecundùm quid, nibil datur vniuocum: ſed accidens phyſicum, & reale, quale eſt quantitas & qualitas, eſt accidens ſimpliciter, & inhærens phyſicè per inhærentiam realem: relatio verò, actio &c. ſunt tantùm accidentia ſecũdùm quid, quæ ſolùm negatiuè, vel metaphyſicè inhærent: ergo &c.

Non eſt vniuocum ad nouem ſumma genera. *Caiet. Soncin. Alenſ. Soarius.*

2 Poteſt verò dici hæc analogia attributionis ſecundùm quid, quia accidens prædicamentale participatur à relatione, & reliquis prædicamentis, cum quadam veluti habitudine ad quantitatem, vel qualitatem, quia hæc ſunt realia, & phyſica accidentia: quod ex eo probatur, quia tunc datur talis analogia, quando reperitur eadem ratio in vno inferiori ſimpliciter, & in alio ſecundùm quid: ſed in quantitate, & qualitate reperitur ratio accidentis prædicamentalis ſimpliciter inhærens, & in alijs prædicamentis inhærens impropriè: ergo &c.

3 Secunda concluſio. Accidens phyſicum, & prædicamentale comparatum cum quantitate, & qualitate eſt vniuocum: ita Soar. in Met. diſp. 39. ſect. 3. n. 15. Probatur, quia accidens phyſicum, & prædicamentale habet vnam perfectam rationem, præſciſam, in qua conueniunt tam quantitas, quàm qualitas, itemque æqualiter, & æquè primò ab illis participatur, nam tam phyſicum accidens eſt quantitas, quàm ſit qualitas. Confirmatur exemplo Perſonæ diuinæ in communi.

Eſt vniuocũ ad quãtitatem, & qualitatẽ.

4 Obijcis primò pro contraria ſententia, quæ communis eſt. Quantitas & qualitas ſunt primò diuerſæ: ergo non poſſunt conuenire vniuocè, videtur enim implicare, dari duo entia, quæ ſint omnino diuerſa, & quæ vniuocè conueniant. Reſpond. negando cõſequentiam: nam, vt dixi in 1. p. tract. 1. diſp 6. ſect. 2. §. In hac difficultate: Perſonæ diuinæ ſunt primò diuerſæ in ratione Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: & tamen in ratione Perſonæ poſſunt vniuocè conuenire: ſic igitur Quan-

Digitized by Google

Quantitas, & Qualitas conueniant vniuocè in accidente prædicamentali, quamuis ſint primò diuerſæ propter ſuas peculiares rationes quantitatis, & qualitatis.

5 Obijcis ſecundò. Quantitas ex genere ſuo imperfectior eſt, quàm ſit qualitas: ergo non conuenit vniuocè cum illa. Confirmatur, quia Ens non eſt vniuocum ad quantitatem, & qualitatem: ergo neque accidens phyſicum reale, & prædicamentale. Reſpondeo maiorem nobilitatem qualitatis prouenire ratione differentiæ contrahentis accidens phyſicum reale, & prædicamentale (vt videbimus) ſicut homo eſt nobilior equo, & tamen conuenit cum illo vniuocè in animali, quia illa maior nobilitas prouenit â differentia, quæ eſt extra rationem animalis. Ad confirmationem reſpondetur, Ens non eſſe vniuocum ad quantitatem, & qualitatem, quia cùm non habeat differentias, per quas contrahatur, ipſa ratio Entis perfectior eſt in qualitate, quàm ſit in quantitate.

6 Obijcis tertiò. Modus, & realitas non poſſunt vniuocè conuenire: ſed qualitas habet ſub ſe modum, nempe figuram, quantitas nullum habet modum in ſua ſerie prædicamentali: ergo quantitas, & qualitas non conueniunt vniuocè. Reſpõd. negando maiorem, cum Soar. in Met. diſp. 39. ſect. 3. n. 4. nam figura, quę eſt modus conuenit vniuocè in qualitate genere ſummo cum reliquis realitatibus eiuſdem prædicamenti: ergo etiam poterit vniuocè conuenire cum quantitate, licet quantitas in ſua ſerie nullum habeat modum; & ratio eſt, quia hìc non conſideratur figura, quá modus eſt, ſed quatenus eſt quædam qualitas ita, vel ita, afficiens ſubiectum.

7 Obijcis quartó. Quantitas ex genere ſuo prior eſt, quám ſit qualitas, ſiquidem qualitates ſubiectantur in ſubſtantia, media quantitate, ac proinde ſicut priús ſupponitur, ſubſtantia ad accidentia, ita quantitas ad qualitatem: ſed vbi datur participatio per priùs, & poſteriús, non datur vniuocatio: ergo &c. Reſpondetur, permiſſa maiori; (quæ ad ſummum vera eſt in qualitatibus materialibus, quæ ſubiectantur, mediante quantitate) Conceſſa deinde minori, neganda eſt conſequentia, quia illa præſuppoſitio quantitatis ad qualitatem materialis eſt, & per accidens (dantur enim aliquæ qualitates, quæ immediatè ſubiectantur in ſubſtantia, vt patet in intellectu) nec tollit conuenientiam formaliter vniuocam; ſicut Proprium, & Accidens formaliter ſumpta conueniunt vniuocè cum genere, & ſpecie in Vniuerſali communiſsimo, quamuis materialiter priora ſint animal, & homo, quàm eius proprietas riſibile v.g. & quàm quoduis accidẽs. Diuerſa ratio eſt in præſuppoſitione ſubſtãtiæ ad accidens, hæc enim, ſaltem ſecũdùm aptitudinem, ſemper eſſentialis eſt; præterquàmquòd ſubſtãtia ſemper ſit ens ſimpliciter, non ſic autem accidens.

Vtrùm Accidens phyſicum reale, & prædicamentale ſit verum genus ad quantitatem, & qualitatem.

8 TErtia concluſio. Accidens phyſicum reale, & prædicamentale eſt verum genus ad Quantitatem, & Qualitatem. Hæc concluſio, quamuis noua videatur, eius tamen probabilitatem vidit Soar diſp. 39. num. 16. ſect. 6. & quamuis non auſus ſit illam proponere, fruſtra tamen laborat n. 11. pro aſsignanda ratione, cur tale accidens non ſit verum genus: ingenuè enim fatetur difficile eſſe conuenientem rationem aſsignare his verbis ad finem eiuſdem numeri 11. *Difficile*, inquit, *ergo eſt, admiſſa vniuocatione accidentis, rationem reddere, cur non poſsit abſtrahi aliquis conceptus vniuocus genericus &c.* ne igitur in hos aditus malignos, ac difficiles includamur, aſſerendum fidenter, & conſtanter eſt, accidens phyſicum, reale, & prædicamentale verum eſſe genus ad quantitatem, & qualitatem. Fauent huic concluſioni Scotus in 1. diſt. 3. q. 1. & in 3. diſt. 8. q. 2. Gabriel. in 1. diſt. 2. q. 4. Arriaga in Log. diſp. 9. ſec. 4. qui dicũt Ens eſſe genus ad Deũ, & ad creatũ, ad ſubſtantiã, & Accidẽs: quod nõ audeo dicere: Fauet etiã Sanctacruz in ſua Log. p. 2. diſp. 5. q. 3. ſect. 7.

Reſpõſio, eſt affirmatiua.

Soar.

Scotus. Gabriel. Arriaga.

Sanctacr.

9 Probatur concluſio á priori, quia genus eſt id, quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in quæſtione quid eſt &c. ſed ita ſe habet tale accidens reſpectu qualitatis, & quantitatis: ergo &c. Maior eſt certa: probatur minor, quia hæc prædicatio eſt vera: Quantitas eſt accidens phyſicum, reale & prædicamentale: & eodem modo poteſt fieri eadem prædicatio in quid de qualitate: ergo &c. Probatur deinde á poſteriori, quia ſi aliquid deeſſet ad veram rationem generis, vel foret vniuoca conuenientia; vel forent differentiæ contrahentes: ſed conuenientia eſt vniuoca, vt patet ex ſuperiori concluſione; deinde dantur veræ differentiæ: ergo &c. Probo igitur dari tales differentias, quia ſicut homo, & equus conueniunt vniuocè in animali, quod contrahũt per veras differentias,

quæ ſunt extra rationem animalis. & quæ deinde analogicè conueniunt in ſubſtantia; ita quantitas, & qualitas conueniunt vniuocè in accidente phyſico reali, & prædicamentali, quod contrahunt per veras differentias, quæ ſunt extra rationem talis accidentis (accidens enim phyſicum, & prædicamentale abſtrahit á quantitate, & qualitate. Quæ doctrina magis conſtabit ex ſolutione argumentorum.

Diluuntur obiectiones.

10 Obijcis primò pro contraria ſententia, quæ communis eſt inter eos, qui non rationum momenta ſcrutantur, ſed ad antiquitatis latibula, & tenebras ſolent diuertere. Obijcis, inquam, primò. Si accidēs phyſicum reale, & prædicamentale eſt verum genus ad quantitatem, & qualitatem, quantitas, & qualitas non ſunt duo prædicamenta, ſed vnum, ſiquidem ſupra ſe habent aliud genus, & conſequenter octo tantùm dantur prædicamenta accidentium; ſed hoc non debet á nobis concedi: ergo &c. Vt hoc argumentum ſoluatur aduertendum eſt, prædicamenta colligi per ordinem ad diuerſas denominationes, vel effectus, quæ habent accidentia ad primam ſubſtantiam, quæ eſt communis, & vera ſententia: vndè cùm quantitas, & qualitas tribuant primæ ſubſtantiæ denominationes primò diuerſas (nam quantitas facit eam quantam, qualitas reddit qualem) conſtituent prædicamenta primò diuerſa; conuenientia enim aliunde in genere accidentis phyſici, per accidens ſe habet, cùm hæc non tollat quominùs reſpectu ſubſtantiæ tribuant denominationes primò diuerſas, ſicut Perſonæ diuinæ (quâ Pater, & quâ Filius) ſunt omnino primò diuerſæ, & tamen bene poſſunt omnino vniuocé conuenire in ratione Perſonæ, vt ſæpè dixi: ergo ſimiliter nihil obſtat quominùs eædem res reſpectu diuerſorum ſint primò diuerſæ, & ſimiliter vniuocè conueniant, tanquàm in genere; ex quibus patet ſolutio ad argumentum.

Replica, & eius ſolutio.

11 Inſtas. Prædicamentum debet eſſe genus ſummum: atquì genus ſummum eſt illud, quod ſupra ſe nullum aliud genus habet: ergo ſi quantitas, & qualitas habent ſupra ſe aliud genus, non ſunt genera ſumma. Reſpond. genus ſummum, ſiue prædicamentum eſſe illud, quod in ſuo genere nullum aliud ſupra ſe habet, & ita ſe habet quantitas, nam in eo genere, in quo eſt prædicamentum, ſeu in quo denominat primam ſubſtantiam quantam, nullum aliud genus ſupra ſe habet, quod tamen non tollit quominùs aliunde, quatenus accidens eſt, conueniat vniuocé in accidente phyſico reali, tanquàm in genere; ſicut ſpecies infima dicitur illa, ſub qua nulla alia ſpecies collocatur; & tamen genus, quod eſt prima ſpecies infima reſpectu Vniuerſalis communiſsimi, ſub alia conſideratione prædicatur de pluribus ſpecie differentibus: ergo ſimiliter poterunt quantitas, & qualitas eſſe genera ſubalterna, ſi comparentur cum accidente phyſico reali; ſi verò comparentur cum prima ſubſtantia, circa quam habent denominationem primò diuerſam, conſtituent duo genera ſumma, ſeu duo prædicamenta.

Confirmatur concluſio.

12 Confirmatur, quia vna, & eadem res, ſi habuerit denominationes primò diuerſas, poteſt conſtituere diuerſa prædicamenta, vt patet in Actione, & Paſsione, & Duratione, quæ á parte rei ſunt vnus, & idem motus: ergo ſimiliter ſi Quantitas, & Qualitas habeant denominationes diuerſas reſpectu ſubſtantiæ, efficient diuerſa prædicamenta, licet aliunde in genere accidentis phyſici habeant ſupra ſe aliud genus; & ſimiliter poterunt ſecundùm vnam formalitatem eſſe genera ſumma, & ſecundùm aliam eſſe genera ſubalterna.

13 Inſtas. Ergo ſimiliter coloratum, & intellectiuum v. g. efficient duo genera ſumma, quia, licet habeant ſupra ſe qualitatem, tamen per reſpectum ad ſubſtantiam tribuūt illi denominationes primò diuerſas. Reſpondeo negando ſequelam: maior ratio eſt, quia coloratum, & intellectiuum habent ſuprà ſe aliud genus, in quo conueniunt nempe qualitatem, quæ ſufficienter denominat primam ſubſtantiam denominatione philoſophica, & ab omnibus recepta: at verò quantitas, & qualitas non habent ſupra ſe genus, quod poſsit ſufficienter primam ſubſtantiam denominare, ad conſtituenda prædicamenta.

14 Obijcis ſecundò cum Soario in Metaphyſic. diſput. 39. ſect. 3. num. 17. Id quod eſt perfectiſsimè vniuocum, quale eſt genus, non debet eſſe analogum reſpectu aliorum; ſed ille conceptus accidentis phyſici, & realis, quamuis ſit vniuocus reſpectu quantitatis, & qualitatis, nihilominùs, quà accidens eſt, analogum eſt, reſpectu aliorum prædicamentorum: ergo non eſt genus &c. Reſpond. tamen nobis ſermonem nō eſſe de accidēte in tota ſua latitudine, ſed de accidente præſciſo á quantitate, & qualitate, quod non repugnat eſſe vniuocum genus: ſicut non repugnat ex doctrina eiuſdem Doctoris n. 15. quòd accidens, quamuis ſit analogum in tota ſua latitudine, poſſit eſſe vniuocum reſpectu quantitatis, & quali

Digitized by Google

qualitatis. Declaratur exemplo, nam homo dicitur ſimpliciter vniuocus ad homines veros, quamuis in tota ſua latitudine non ſit vniuocus, ad hominem verum, & pictum.

15 Obijcis tertiò. Si quantitas, & qualitas conueniunt tanquàm in genere, in accidente phyſico reali, & prædicamentali, etiam reliqua prædicamenta conuenient tanquàm in genere, in accidente modali: hoc non eſt dicendum: ergo &c. Reſpondetur bene poſſe reliqua prædicamenta in aliquo genere ſupremo conuenire, quin deſinant eſſe prædicamenta, ſi aliunde habeant denominationes primò diuerſas, Philoſophi enim ſolùm voluerunt in his prædicamentis conſtituere certas rerum claſſes, quæ in ſuo genere eſſent primò diuerſæ, per reſpectum ad ſubſtantiā; & quæ in eodem genere eſſent genera ſumma; nihil verò curarunt, ſi aliunde haberēt cōuenientiam aliquam in genere aliquo.

Accidens modale poteſt eſſe genus ad prædicamenta modalia.

16 Nihilominùs tamen aliunde hoc repugnat, nam ex reliquis prædicamentis, quædam ſunt modi reales diſtincti à ſubiecto ſaltem modaliter, vt ſe habet. *Vbi*, v.g quædam verò ſunt virtualitates, vt duratio, & relatio in bona opinione: ſed modus realis & phyſicus conuenire non poteſt vniuocè cum virtualitate, quæ eſt ens tantùm logicū, & metaphyſicum: ergo &c. Quapropter Actio. & Paſsio, Vbi & Situs vniuocé conuenire poſſunt tanquám in genere, in accidente modali phyſico, & differunt per ſuas peculiares differentias: neque obſtabit, quòd *actio* plerumque realiter diſtinguatur á ſubiecto, *Vbi*, veró ſolùm modaliter, nam etiam figura eſt modus in qualitate, & nihilominùs vniuocè conuenit cum alijs realitatibus eiuſdem prædicamenti; & idem dicendum de relatione in opinione, quæ illam modaliter diſtinguit.

17 Obſtas. Nihil datur vniuocum ad abſolutum, & relatiuum: ergo accidens modale non poteſt eſſe genus ad Vbi, & relationem, quamuis hæc ſit modus. Probatur antecedens, quia quando datur participatio per prius, & poſteriùs, non datur vniuocatio, ſed ens abſolutum ex genere ſuo eſt priùs, quam relatiuum, ſiquidem eſt eius fundamētum: ergo &c. Reſpond. ad maiorem, ens abſolutum materialiter ſumptum eſſe prius ente relatiuo; formaliter veró in ratione accidentis modalis vniuocè ſe habere; ſicut proprium, & accidens ex genere ſuo, & materialiter ſunt poſteriora, quám animal v, g. & tamen in ratione Vniuerſalis, tam Vniuerſale eſt riſibile, quàm animal: & ita ſuperiús dixi, ſubſtantiam, & accidens conuenire vniuocè in ratione formali prædicamenti, non veró in ratione Entis, vel in ratione Entis prædicamentalis.

18 Obijcis quartò. Modus, nempe figura vniuocé conuenit cum realitate, cum calore v.g. in genere qualitatis: ergo etiam relatio, & duratio, quamuis virtualiter tantùm diſtinguantur, conueniūt vniuocè cum modis; proindeque dabitur vnum genus tā ad Vbi, & cæteros modos, quám etiā ad durationě, & cæteras virtualitates. Reſp. negando conſequentiā. maior ratio eſt. quia tā modus phyſicus, ideſt figura, quā realitas phyſica cōuenire poſſunt in accidente phyſico, cum vtrumque habeat aliquid phyſicum: Virtualitas veró eſt accidens omninò logicum, & metaphyſicum, quod nullo modo vniuocè conuenire poteſt cum accidente phyſico.

Aliæ obiectiones.

19 Inſtas. Figura, quæ inhæret ſecūdùm quid, conuenit vniuocé in qualitate cum calore qui inhæret ſimpliciter: ergo reliqua accidentia, quæ ſunt modi, vniuòcé conuenire poſſunt cum quantitate, & qualitate, atque adeo falſò diximus, accidens prædicamentale non poſſe eſſe vniuocum ad quantitatem, quæ inhæret ſimpliciter, & ad modum, qui inhæret ſecundùm quid. Reſpond. inſtantiam ſuam habere vim, ex illa tamen non probatur, accidens prædicamentale phyſicum, & reale non eſſe genus ad quantitatem, & qualitatem, ſed potiùs vlteriùs probari accidens prædicamentale poſſe eſſe verum genus tam ad quantitatem, quàm ad modùm; ſi enim figura, & calor conueniūt vniuocè in qualitate, cùm tamen figura ſit modus, quid repugnabit, quominùs quodlibet prædicamentum modale vniuocé conueniat cum prædicamento phyſico, & reali in accidente prædicamentali?

20 Nihilominùs tamen reſponderi poteſt, negando conſequentiam: diuerſa ratio eſt, quia cùm figura contineatur intra ipſam qualitatem, ex eo quòd habeat eundem effectum formalem reſpectu ſubſtantiæ, quam facit qualem, conuenit vniuocè in ipſa qualitate, cum reliquis ſpeciebus eiuſdem prædicamenti, nihil interim attendendo ad inhærentiam ſecundùm quid: at verò reliqua prædicamenta modalia, cúm non includantur in aliquo alio prædicamento, ſpectantur ſolùm ſecundùm ſuam naturam, quæ poſtulat habere inhærentiam ſecundùm quid, & ideò conuenire non poſſunt cum accidentibus phyſicis.

21 Aduertendum eſt primò, prædicamētum habitus, cùm ſit modus, cōuenire vniuocè & tanquám in genere, in accidente modali cum reliquis prædicamentis modorū. Aduertendum ſecundó, cum dicimus accidens phyſicū reale, & prædicamentale eſſe verum

genus ſumendum eſſe nomine accommodato, & ſimplici, nam Vniuerſale debet eſſe vnum nomine, quod nomen etſi hîc non detur, parum tamen refert, quia facilè excogitari poteſt. Aduertendum vltimò, hanc opinionem de vniuocatione accidentis prædicamentalis, & de ratione, quam habere poteſt generis, eſſe maximé cohærentem, quæ niſi cenſorio, & amarulento animo perlegatur, fidem faxo fore vt placeat ingenioſis.

SECTIO III.

De numero prædicamentorum.

Prædicamenta ſunt decem.

1 SIt vnica concluſio. Prædicamenta de facto ſunt decem: de poſsibili nec plura, nec pauciora eſſe poſsũt. Hæc concluſio licet non poſsit efficaci aliqua ratione demonſtrari, adeò tamen antiquitate celebris eſt, tamque veneratione digna viſa eſt apud omnes ſanæ mentis homines, vt Soar. in Met. diſp. 39. ſect. 2. nu. 12. initio aſſerat quaſi temerarium eſſe, illam in dubium reuocare &c. De hoc numero prædicamentorum videri poſſunt P. Fonſec. 5. Met. cap. 7 q. 2. ſect. 3. P. Soar. in Met. diſp. 39. ſect. 2. á num. 12. Rub. in Log. lib. de Prædicam. cap. 4. q 5. Toletus in Log. cap. 4. in Anteprædicam. Hurtad. in Met. diſp. 9. ſect. 2. Patres Conimbric. in Log. cap. 4. de Prædicam. q. 2. ar. 3. Franciſcus de Araujo, tom. 1. ſuæ Met. lib. 5. q. 1. Serna, Murſia, & alij, Curſus item Thomiſticus q. 7. de Ente prædicam. ar. 5.

Soar. Fonſeca. Rubius. Tolet. Hurtad. Patres Conimb. Amicus. Araujo. Serna. Murſia. Curſus Thomiſt.

2 Vt probetur hic numerus prædicamentorum, recolenda eſt ea collectio, quam feci in Logica tract. 1 in Prædicam. diſp. 8. ſec. 1. In qua aduertendum breuiter eſt primò, prædicamenta non colligi per modos identitatis naturæ ſuperioris cum indiuiduo, ſicut prædicabilia, ſed per modos informandi, ſeu denominandi primam ſubſtantiam, tãquàm ſubiectum. Aduertendum ſecundò, quatuor priora prædicamenta, nempe Subſtantiam, Quantitatem, Qualitatem, & Relationem dicere intrinſecè ſe habere, reliqua verò vltima denominare extrinſecè quod non eſt accipiendum in omni rigore; nam relatio etiam dicit ordinem ad terminum extrinſecũ: nihilominùs tamen, ideò relatio dicitur intrinſecè afficere, quia, licet inter duos terminos exerceatur, per nihil ad extra explicatur, ſicut contingit in ſex vltimis prædicamentis.

3 Quod ſic oſtendo; nam habitus, quamuis ſit modus intrinſecus, explicatur tamen per veſtem externam; duratio item eſt quidem intrinſeca, ſed explicatur per tempus extrinſecum primi mobilis, præterea Vbi, & Situs modi ſunt intrinſeci, ſed explicantur per correſpondentiam ad ſpatium extrinſecum imaginarium: ſimiliter Paſsio explicatur per agens á quo egreditur; eſt enim Paſsio receptio formæ productæ ab agente. Denique Actio, aut afficit extrinſecè, vt contingit in actionibus tranſeuntibus; aut ſi afficit intrinſecè (vt contingit in actionibus immanentibus) ſemper tamen explicatur per aliquid externum, hoc eſt per ſubiectũ, nam actio immanens eſt productio formæ in aliquo ſubiecto, quod ſemper eſt externum agenti, agens enim per phyſicas actiones realiter diſtingui debet á patiente. Cùm igitur relatio ſit ipſe reſpectus ad terminum, neque per aliud extrinſecum explicetur, dicitur afficere intrinſecé: reliqua verò ſex prædicamenta extrinſecé denominare dicuntur, quod quidem ad hoc ſufficiens eſt; vt enim bene notat P. Vaſq. tom. 2. in 1. p. ad q. 53. diſp. 195. num 24. ſex vltima prædicamenta accipienda non ſunt in tanto rigore, ſicut quatuor priora. Immò noſter Sanctacruzan aſſerit prædicamenta in rigore loquendo eſſe tantùm tria, nempe Subſtãtiam, Quantitatem, & Qualitatem. *Vaſq.* *Sanctacr.*

4 Aduertendum tandem eſt, quæſtionem non procedere circa numerum prædicamentorum in hoc ſenſu, vtrùm ſcilicet dari poſsint plures aliæ ſeries diuerſæ á vulgatis, cum alijs conditionibus? certum enim exiſtimo, non ſolùm diuinitùs, ſed etiam naturaliter dari hoc pacto plura prædicamenta, quàm decem, quia videlicet poſſunt philoſophi conuenire inter ſe, & conſtituere alias ſeries prædicamentales cum alijs conditionibus; poterunt enim non colligere prædicamenta per ordinem ad primam ſubſtantiam &c. Quæſtio igitur ſolùm procedit, vtrùm dari poſsint alia genera entium, quæ vel per ſe, vel reductiué non pertineant ad hæc decem genera ſumma, cum ſuis octo conditionibus, & in hoc ſenſu procedit concluſio, cùm abſolutè aſſerit, nec de facto, nec de poſsibili dari plura, vel pauciora prædicamenta.

Soluuntur

Soluuntur argumenta contra numerum prædicamentorum.

5 CONtra Prædicamentorum numerum inſurgit P. Arriaga in Met. diſp. 5. ſect. 1. & hanc diuiſionem riſu, ac ioco exſibilat; ſed ipſe potiùs irridendus, quód rem ſeriam nimis ioculariter tractet. Pro illo tamen obijcis primò. Vna, & eadé entitas, prout ſe habet ad agens, cõſtituit prædicamentũ actionis, & prout ſe habet ad patiẽs, cõſtituit prædicamẽtũ paſsionis: ergo eadẽmet cognitio, prout ſe habet ad cognoſcenté, pertinebit ad prædicamentum actionis, vel qualitatis; & prout ſe habet ad obiectũ cognitũ, efficiet aliud prædicamẽtũ. Reſp. negãdo cõſequentiam: maior ratio eſt, quia actio actuat, & denominat primã ſubſtãtiã agenté, hoc eſt tanquàm ſubiectũ talis denominationis: & ſimiliter paſsio denominat eandẽ primã ſubſtantiã, tãquàm ſubiectũ, in quo recipitur. Cognitio verò denominat primã ſubſtantiã in quã tendit, non tanquàm ſubiectũ, ſed tanquàm obiectũ, & terminum, & ideò hæc denominatio, *eſſe cognitum*, ſolũ reductiuè pertinet ad prædicamẽtũ qualitatis, ratione ipſius cognitionis, quæ quando denominat primã ſubſtantiã, in qua inhæret, directè pertinet ad prædicamentũ qualitatis: quapropter denominationes *effecti, producti, acti, & principiati* reductiuè etiam pertinent ad prædicamentum actionis, quia præter alias, ea deeſt conditio, quód non ſunt denominationes primó diuerſæ.

Cur non poſsint dari noua prædicamẽta.

6 Obijcis ſecundò. Ex myſterio incarnationis data ſunt noua prædicabilia: ergo dari poterunt noua prædicamenta ſaltem diuinitus. Reſpond. dato antecedente, iuxta ea, quæ dixi in Log. tract. 1. diſp. 5. ſect. 1. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia ex myſterio incarnationis, data fuit identitas noua ſuperioris cum inferioribus; non tamen data eſt, neque dari poterat noua aliqua entitas, nimirum aliqua prima ſubſtantia de nouo, aut aliquid nouum accidens, quod tamen neceſſarium erat ad conſtituendum nouum prædicamentum: nam Chriſtus Dominus eſt prima ſubſtantia, cui conuenit vulgaris definitio primæ ſubſtantiæ: cùm igitur omnis entitas poſsibilis, aut debeat neceſſariò eſſe ſubſtantia, aut accidens, conſequenter per ſe, vel reductiuè pertinebit ad ſubſtantiam, vel ad prædicamenta accidentium. Vnde colligis, hæc decem prædicamenta exhaurire diuiſionem Entis, ſiquidem omnia entia, vel per ſe, vel reductiuè recipiũtur in hoc latiſsimo ſinu prædicamentorum.

7 Obijcis tertió. Deus potuit facere nouem genera accidentium: ergo etiam poterit condere alia ſubſtantiarum genera primò diuerſa. Reſpond. negando conſequentiam, maior ratio eſt quia accidentia multiplicantur per modos denominandi primam ſubſtantiam, qui ſunt nouem: at verò ſubſtantia non per aliud, ſed per ſe, debet explicari: vnde cùm illa ſubſtantia poſsibilis debeat eſſe per ſe exiſtens, & ſubſiſtens, non poterit eſſe diuerſa genere ab hac ſubſtantia, quæ de facto datur.

8 Obijcis quartó. Motus, prout eſt ab agente conſtituit prædicamentum actionis, & prout recipitur in patiente, facit prædicamentum paſsionis: ergo prout eſt forma fluens conſtituit aliud prædicamentum. Reſpondeo negando conſequentiam, quia quatenus actio, & paſsio conſiderantur vt forma perfecta, quæ denominat primam ſubſtantiam agentem, & patientem: ſi verò ſumatur, vt eſt forma fluens, eſt aliquid imperfectum, nec denominat primam ſubſtantiam modo ſufficienti, & ideó ſolùm reducitur ad prædicamentum ipſius formæ iam perfectæ.

9 Obijcis quartó. Deus eſt infinitè potens, & infinitis modis imitabilis: ergo ſicut potuit facere infinitas, ideſt, non tot, quin plures ſpecies ſub aliquo genere, etiam poterit efficere plura genera ſumma ſubſtantiarum, vel accidentium ſub Ente, ſiquidem Ens magis latè patet, quàm quodlibet genus. Reſpondeo negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia, cùm genera non ſint per ſe factibilia, neceſſe non eſt, quòd Deus ſit immediatè imitabilis circa genera: ideó verò poterunt dari ſpecies infimæ infinitæ ſub quolibet genere, quia hæ immediatè deſcendunt ad indiuidua, quæ cùm actualiter & per ſe dari poſsint, circa illa Deus eſt immediatè imitabilis: & ideò ſi dantur diuerſa indiuidua, dari poterunt diuerſæ ſpecies, quæ omnes ſpecies poterunt eſſe ſub eodem genere: quarè cùm genera ſumma prædicamentorum habeant maximam latitudiné propter indiuidua, quæ poſſunt eſſe infinita ſyncathegorematicè, vt Deus ſit infinitis modis in ſubſtantijs imitabilis, ſufficit vnum genus ſummum ſubſtantiæ.

10 Obijcis ſextò. Poterit dari relatio ſubſtantialis creata, ſicut dantur tres diuinæ relationes ſubſtantiales: & dabitur etiam accidens, cui debeatur modus per ſe exiſtendi: ſi ergo talis ſubſtantia nõ pertineat ad vulgare prædicamentũ, dabitur aliud prædicamentũ ſubſtan- Cur non poſsit dari Relatio ſubſtãtialis creata.

 ſubſtan

ſubſtantiæ relatiuæ: & idem dicendum eſt de accidente. Reſpond. negando antecedens, quamuis enim ſubſtantia ſit relatum tranſcẽdens ad Deum, nulla tamen dari poteſt, quæ ſit relatum prædicamentale, quia relatio prædicamentalis habet pro effectu formali referre ſubiectum ad aliud, & non propriè referre ſe ipſam: cùm igitur ſubſtantia non poſsit inhærere in ſubiecto, non poterit dari relatio ſubſtantialis, quæ referat ſubiectum ad aliud.

11 Inſtantia de diuinis relationibus ſubſtantialibus nullam habet vim, quia diuinæ perſonæ non poſſunt conſiſtere in aliquo accidente: quapropter, ſicut Deus intelligit per ſuam ſubſtantiam, homines verò per intellectum, qui eſt accidens; ita refertur per ſuammet ſubſtantiam, res verò creata refertur per relationem, quæ ſit accidens ſuperadditum. Ad illud, quod additur de accidente cui debeatur modus per ſe exiſtendi. Reſpõd. impoſsibile eſſe tale accidens, quia eſſet, & non eſſet accidens, vt patet.

Cur cauſalitas formæ nõ efficiat prædicamẽtũ

12 Pro ſolutione aliorum argumentorum, quæ fieri poſſunt, aduertendum eſt primò, Cauſalitatem formæ in fieri erga materiam, non efficere per ſe prædicamentum, quia (præterquàm quòd forma in noſtra opinione non ſit cauſa materiæ) non denominat primam ſubſtantiam, ſed materiam, quam informat; proprium verò eſt partis informare; denominatio verò prædicamentalis debet eſſe entis completi. Cauſalitas tamen eiuſdẽ formæ in facto eſſe erga compoſitum, nempe vnio, non poteſt ad aliquod prædicamentum per ſe expectare, quia eſt modus incompletus pertinens ad compoſitionem vnius per ſe, nempe ad compoſitionem compoſiti. Vnde ea ſola cauſalitas materiæ in fieri erga formam conſtituet prædicamentum paſsionis, quæ denominet primam ſubſtantiam; quapropter prima eductio formæ ſubſtantialis ex ſola materia non conſtituet prædicamentum, cùm non denominet primam ſubſtantiam.

Modus accidentium ſacræ Euchariſtiæ cur nõ facit diuerſum prædicamentũ.

13 Conſequenter etiam, modus quo exiſtunt accidentia ſacræ Euchariſtiæ extra ſubiectum, ſi fortè datur, non conſtituit diuerſum prædicamentum, quia non denominat primam ſubſtantiam, tanquàm ſubiectũ, ſed denominat accidens; & ideò reducitur ad illud prædicamentum, quod afficit; idem dicendum eſt de inhærentia, quæ non denominat primam ſubſtantiam, ſed denominat accidens, cum quo identificatur; & ideò reducitur ad prædicamentum formæ, quam afficit, & ad cuius complementum pertinet. Denominationes verò quæ accidentia ſacræ Euchariſtiæ tribuunt Chriſto Domino v. g. *contineri ſub illis ſpeciebus &c.* Reduci poſſunt ad prædicamentum habitus, quia cùm illa accidentia non ſint vnita Chriſto Domino, cõparantur ad illum, tanquàm veſtis aliqua; de quo puncto videri poteſt Soar. tom. 3 in 3 p. ad q. 75. diſp. 47, ſect. 3. *Soar.*

14 Aduertendum ſecundò eſt has denominationes regis, iudicis, doctoris, &c. ſi ſumantur pro actibus intellectus, aut voluntatis illius, qui mihi tribuit talem gradum, eſſe veras qualitates: ſi verò ſumantur, prout denominant talem hominem doctorẽ, cùm illum denominent tanquàm obiectum, non conſtituunt prædicamentum, præterquàm quòd ſemper ibi intellectus fingat aliquod ens rationis, quod non poteſt conſtituere prædicamentum, vt ſatis conſtat. Aduertendum tertiò, has prædicationes, *Verbum diuinum eſt homo, eſt animal*, reduci ad prædicamentũ ſubſtantiæ, quia prædicantur ſubſtantialiter, & per modum ſubſiſtentis: idem in noſtra opinione dicendum eſt de hac, *Verbum diuinum eſt rationale*, quia quamuis ſit per modum adiacentis, prædicatur tamen ſubſtantialiter metaphyſicè.

15 Aduertendum quartò, Actionem efficere prædicamentum quatenus denominat agens, non verò quatenus reſpicit terminum, quia hoc pacto efficit cum termino vnum per ſe, & pertinet ad eius complementum: & quamuis actio creatiua non denominet primam ſubſtantiam prædicamentalem (ſiquidem denominat Deum creantem, qui non eſt ſubſtantia prædicamentalis) nihilominùs ſufficit, quòd denominet Deum, qui poteſt dici prima ſubſtantia, quamuis non ſit prædicamentalis: reliquæ verò actiones, quæ directè conſtituunt hoc prædicamentum, denominant primam ſubſtantiam prædicamẽtalem, quod ſufficit. Quo pacto Actio efficiat Prædicamẽtũ.

SECTIO IIII.

De Diſtinctione prædicamentorum.

1 ANte reſolutionem neceſſariò recolendum breuiter eſt, diſtinctionem actualem diuidi in diſtinctionem ex natura rei, & in diſtinctionem virtualem: diſtinctionem verò ex natura rei diuidi prætereà in realem, & modalem: realis *eſt illa, quæ datur inter duas realitates: vel inter ea, quæ cum duabus realitatibus identificantur*: diſtinctio modalis eſt illa, quæ datur Quotuplex detur diſtinctio.

Digitized by Google

datur inter rem, & eius modum. Quæſtio hic eſt, quomodò inter ſe duo modi diſtinguantur, Reſpondeo, ſi modi ſint in eodem ſubiecto? vt v. g. ſubſiſtentia, & Vbi Petri, modaliter tantùm diſtingui, quia licet vnus poſsit eſſe ſine alio, non poſſunt ambo exiſtere ſeparati: ſi verò modi ſint in diuerſis ſubiectis, realiter diſtinguuntur, quia identificātur cum rebus realiter diſtinctis.

2 Aduertendum diligenter eſt, eſſe optimum ſignum realis diſtinctionis inter duo, quando ad inuicem poſſunt per ſe exiſtere ſeparata, quæ enim ita ſe habent, non ſunt modi, ſed realitates; nihilominùs tamen multa realiter diſtinguuntur, quæ non poſſunt exiſtere ſeparata, vt patet multis exemplis, nam perſonæ diuinæ realiter diſtinguūtur, & tamen ſeparari non poſſunt, propter ſummam identitatem cum eâdem eſſentia: item inhærentia accidentis realis diſtinguitur realiter à ſubiecto, & tamen nequit exiſtere ſeparata à ſubiecto; idem cernitur in vnione formæ materialis ad materiam, & in vnione humanitatis ad Verbum diuinum; idem etiam viſitur in diſtinctione reali, quæ datur inter includens, & incluſum.

3 Circa diſtinctionem virtualem aduertendum eſt negari illā à Nominalibus Ochamo diſt. 1. q. in 1. ar. 3. Gabriel ibidem q. 3. Gregor. diſt. 8. q. 2. ar. 1. & alijs, quamuis non ita clare loquantur hac de re; nihil minùs, tamen clariùs admittunt hanc diſtinctionē, cum communi ſententia Theologorum, D. Thom. 1 p. q. 28. ar. 2. Molin. ibidem diſp. 3 Soar. in Met. diſp. 7. ſect. 1. n. 4 P. Gillius to 1 lib. 2. tract. 6. cap. 1. nu. 2. & pro hac vera ſententia citat cap. 6. nu. 2. triginta quinque auctores alios etiam refert, & ſequitur Vaſq. tom. 2. in 1. p. ad q. 28. diſp. 117 à cap. 1. vbi c. 2. refutat Durandum, qui negat diſtinctionē virtualem.

Ocham. Gabriel. Greg. D. Thom Molina. Soar. Gillius. Vaſq.

Probatur diſtinctio virtualis.

4 Probatur breuiter imprimis dari diſtinctionem per rationem ratiocinatā, ideſt cum fundamento in re, quia eā de quibus affirmantur prædicata contradictoria, debent ſaltem per rationem diſtingui; ſed de Deo Optimo Maximo dicuntur prædicata contradictoria, dicitur enim Deus quòd puniat per iuſtitiam, & quòd non puniat per miſericordiam: ergo miſericordia, & iuſtitia per rationem diſtinguuntur, cùm diſtingui non poſsint ex natura rei. Idem prætereà probatur, quia ſubſtantia eſt ens: & tamen de ſubſtantia dicitur, quod ſit genus, de ente verò dicitur, quòd non ſit genus. Ad hanc verò diſtinctionem ſufficit fundamentum quod datur in re, quatenus talis eſt, vt poſsit pluribus inadæquatis conceptibus diuerſimodè attingi: quamuis enim conceptus ſit extrinſecus obiecto & nihil reale illi poſsit addere, nihilominùs bene poteſt præſtare obiecto diſtinctionem, & denominationem extrinſecam, quam appellamus rationis, nam cùm obiectum per intellectum acquirat nouum eſſe intentionale, ſecundûm nouam repræſentationem, habebit etiam per intellectum nouam diſtinctionem.

5 Obijcis. Per actiones reales, quæ fiunt circa ſubiectum, non diſtinguitur ſubiectum realiter, vt patet in aqua, quę quando fit calida, aut frigida non diſtinguitur realiter à ſe ipſa, licet qualitates realiter diſtinguantur: ergo ſimiliter, immò & à fortiori, per actiones extrinſecas & intellectuales non diſtinguetur obiectum. Reſponderi poteſt primò, per tales actiones reales, fieri etiam reales diſtinctiones in ſubiecto, nam aqua calida diſtinguitur realiter ab aqua frigida. Reſpondetur ſecundò, ideò in eo caſu aquam non diſtingui realiter à ſe ipſa, quia illa mutatio, licet fiat circa aquam, non fit tamen in ipſa ſubſtantia aquæ: at verò per diſtinctionem rationis aliquid de nouo additur, per rationem, cuius cauſā diſtinguitur res à ſe ipſa per eandem rationem: quam diſtinctionem ideò ſenſus non poſſunt efficere, quia non cognoſcunt propriè abſtrahendo, vel addendo vnum alteri.

6 Circa hanc diſtinctionem duo prætereà aduertenda ſunt: primum eſt, ſufficere, ad hanc diſtinctionem fundamentalem, vnum conceptum formalem, dummodò præceſſerint alij apprehenſiui (neque enim ſufficit vnus tantùm conceptus, vt habet communiſsima opinio contra Henriq. in ſum. ar. 51. q. 1. Guilhel. Varronium apud Aureolum in 1. diſt. 8. q. 3 ar. 1.) Probatur, quia impoſsibile eſt denominari obiectum multiplex ratione, per rationem actu omnino indiſtinctam: ſicut nec res poteſt dici diſtincta realiter per realitatem actu indiſtinctam. Secundò aduertendum eſt, non decipi intellectum noſtrum in hac virtuali diſtinctione, quia quamuis per inadæquatos conceptus diſtinguat iuſtitiam Dei ab eius miſericordia, ita vt in ſenſu formali verum ſit dicere, *iuſtitia non eſt miſericordia*, non tamen iudicat dari hanc diſtinctionem à parte rei, quia talis diſtinctio, vel apparet in conceptibus apprehenſiuis, vel in ſola repræſentatione iudicij.

Henriq. Guilh. Aureol.

7 Ad diſtinctionem rationis ratiocinantis nullum requiritur fundamentum in re, ſed liberè intellectus noſter ratiocinatur, prout vult per conceptus ſynonimos, vt quādo diuidit Socratem in prædicatum, & ſubiectum, ibi enim idem omnino conceptus

repræſentatur in ſubiecto, & in prædicato, vt patet in hac, *Socrates eſt Socrates*. De his diſtinctionibus laté agunt D. Fonſ. 5 Metap, cap. 6. q. 6. Soar. in Met. diſp. 7. Gil. tom. 1. lib. 2. trac. 6 a cap. 1. P. Hieronymus Faſſol. tom. 1. in 1. p. q. 14. ar. 2. & nouiſſimè P. Iul. Cæſar Recup. tom. 1. in 1. p. lib. 3. c. p. 16

D. Fonſ. D. car. D Gil. P. Faſſol. Iul. Cæſ. Recupit.

Quomodò prædicamenta inter ſe diſtinguantur?

Diſtinguũtur ſaltem virtualiter. D. Thom. Soncin. Iauel. Capreo. Soarius. Vaſquez. Rubius. Tolet.

8 His poſitis, ſit prima concluſio. Inter prædicamenta accidentiũ, ſaltem requiritur, & ſufficit diſtinctio rationis ratiocinatæ: ita D. Thom. 5. Met. lec. 9. & 11. Soncin. Iauel. Capreol. quos citat, & ſequitur Soar. in Met. diſp. 39. ſec. 2. n. 21. eandem ſententiam ſequuntur Vaſq. tom. 1. in 1. p. ad q. 3. diſp. 22. n. 11. vbi ſe allegat diſp. 118. cap. 3. idem ſentit ad q. 28. diſp. 116. cap. 2. n. 7. idem tenent Rub. in Logica lib. de Prædicam. cap. 4. q. 3. n. 14. Tolet. de Prædicament. in communi q. 3.

9 Probatur concluſio à priori, quia prædicamenta non ſunt neceſſariò claſſes rerũ realiter diſtinctarum, ſed ſunt quædam rerũ ſeries præbentes denominationes primò diuerſas, ſiue à parte rei, ſiue tantùm virtualiter diſtinguantur. Probatur deinde à poſteriori, quia actio, & paſsio, Vbi & ſitus ſunt diuerſa prædicamenta; ſed hæc virtualiter tantùm diſtinguuntur, ex communi ſententia omnium Philoſophorum: ergo &c.

Gand. Flandr. Aquar. Bañez Fonſec.

10 Obijcis primò pro contraria ſententia, quæ requirit inter prædicamenta ſaltem modalem diſtinctionem, quam ſequuntur Ioannes Gandauenſis 3. Phyſ. q. 5. ad 6. Flandria 5. Met. q. 7. Aquarius delucidatione 8. Banh. 1. p. q. 28. ar. 2. citatur etiam P. Fonſ. 5. Met cap. 7. q. 3. ſect. 1. §. Tertia concluſio; & ſec. 3. in fine, quatenus aſſerit prædicamenta omnia diſtingui per quoſdam modos eſſendi, ſed reuera non videtur diſſentire à noſtra, & vera ſententia. Obijcis, inquam, primò. Quæ à parte rei non diſtinguuntur non dicuntur ſimpliciter plura: ſed prædicamenta dicuntur ſimpliciter plura: ergo à parte rei diſtinguuntur. Reſpond. ad minorem, prædicamenta non ſimpliciter, ſed per intellectum, & ſecundùm quid, dici plura, ſiquidẽ nõ omnia diſtinguuntur ſimpliciter: nihilominùs tamen communi loquendi vſu dicuntur plura fundamentaliter, ad eum modum, quo diuina attributa, quamuis à parte rei nõ diſtinguantur, dicuntur plura.

11 Obijcis ſecundò. Sub eodem genere da i non poſſunt duæ ſpecies, quæ non diſtinguantur eſſentialiter, & realiter: ergo à fortiori non poterunt dari duo prædicamenta, quæ realiter non diſtinguantur, ſiquidem magis diſtant inter ſe duo prædicamenta, quam duæ ſpecies eiuſdem prædicamenti: antecedens docetur à Patribus Conimbric. in Prædicam. q. 1. de Qualitate, ar. 2. Reſpond. antecedens ſolum debere admitti in ſpeciebus Qualitatis, vel in quouis alio accidente phyſico reali, in his enim verum eſt, quia ſunt ſpecies accidentium realium phyſicorum, & ſicut habent eſſentiam realiter diuerſam inter ſe, ita etiam requirunt diſtinctionem, ſaltem modalem (neque enim eadem res indiſtincta poteſt habere duas eſſentias phyſicas realiter diſtinctas) non eſt tamen admittendum antecedens in accidentibus logicis, in his enim vim habet argumentum: ſicut enim poſsũt dari duo prædicamenta ex natura rei indiſtincta, ita & duę ſpecies logicæ ſub eodem genere virtualiter tantùm diſtinctæ, vt patet in relatione ſimilitudinis, & diſsimilitudinis in eodem pariete, ex quibus patet ſolutio ad argumentum.

Patres Conimbr.

Quæ diſtinctio detur inter prædicamenta accidentium, & ſubſtantiæ?

12 Secunda concluſio. Inter prædicamẽta ſubſtantiæ, & accidentium ſufficit diſtinctio per rationẽ ratiocinatam: ita videntur ſupponere Authores ſupra citati, & expreſſé docet Soar. in Met. diſp. 32. ſect. 1. n. 23. & diſp. 39. ſect. 2. n. 26. Probatur, quia hæc diſtinctio ſufficit inter ipſa prædicamenta accidentium: ergo ſimiliter ſufficiet inter ſubſtantiam, & accidentia logica; dummodò tribuant denominationẽ primò diuerſam, vt patet in Duratione, quæ virtualiter tantùm diſtinguitur à ſubiecto, ſiquidem identificatur cum exiſtentia: idem cernitur in Relatione, quæ in bona opinione virtualiter tantùm diſtinguitur à fundamentis; quamuis enim accidens ſit extra rationem ſubſtantiæ, virtualiter tantùm ab illa diſtingui poteſt, nam etiam rationale eſt extra rationem animalis, & tamen ſolùm ab illo diſtinguitur virtualiter in homine.

Sufficit diſtinctio virtualis. Soarius.

13 Obijcis pro contraria ſententia, pro qua citari ſolet P. Vaſq. tom. 1. in 1. p. ad q. 3. diſp. 22. nu. 11. ſed ibi ſolùm aſſerit, prædicamenta debere eſſe entia realia, quod ita fiet, quamuis aliqua ſolâ ratione diſtinguantur à ſubſtantia; veriùs pro hac parte citari poteſt P. Vaſq.

Fran-

Digitized by Google

P. Araujo Franciſc. de Arau o tom. 1. ſu r Met lib. 5. q. 1. ar. 4. poſt n. 18. à § Dico ſecundó. Obijcis, inquam, primô. Accidens prædicamentale veré inhæret in ſubſtantia á parte rei: ergo veré, & á parte rei diſtinguitur á ſubſtantia. Reſpond. ad antecedens, ſufficere, quòd accidens inhæreat verè metaphyſicè, ad quam inhærentiam non requiritur diſtinctio ex natu á rei, ſed tantùm per intellectum, quia talis inhærentia poſitiua nõn eſt, ſed negatiua, ideſt, tale accidens non per aliud, ſed ſe ipſo inhæret, quod ſufficiens eſt, vt accidens prædicamentale dicatur extra rationem ſubſtantiæ; ſicut rationale dicitur extra rationem animalis, cùm tamen in homine ſolúm per rationem tales gradus diſtinguantur.

Non ſufficit diſtinctio rationis ratiocinantis.

14 Ex quibus tandem colligitur primò, non ſufficere diſtinctionem per rationem ratiocinantem, nec inter accidentia prædicamentalia, & ſubſtantiam, nec inter ipſa accidentia, quia hæc diſtinctio nullum habet fundamentum in re. Colligitur ſecundò, inter prædicamenta, ſubſtantiam realiter diſtingui á quantitate, & á qualitate modaliter propter figuram, ſi forté admittatur figura ſubſtantialis; quin minús realiter diſtinguentur. Deinde eadem ſubſtantia á duratione virtualiter tantùm, & á relatione in bona opinione: at veró in opinione, quæ relationem facit modum, tunc á relatione, & reliquis prędicamentis modaliter diſtinguitur.

15 Deinde Quantitas, & Qualitas diſtinguuntur ſolùm modaliter propter figuram: Quantitas deinde, & qualitas á duratione, & relatione ſolùm virtualiter, iuxta diuerſas opiniones de relatione; á reliquis modaliter: Actio, & Paſsio, Vbi, & Situs inter ſe virtualiter, á duratione veró etiam virtualiter, á relatione iuxta ſupradicta, á reliquis prædicamentis modaliter, ex quibus fieri poteſt coniectura inter reliqua prædicamenta: vltimò eſt aduertendum, diſtinctionem virtualem appellari á multis Scotiſtis formalem, meo tamen iudicio quæſtionem ibi ſolùm de vocabulo eſſe; quapropter diſtinctio virtualis dici poteſt formalis. His poſitis circa diſtinctionem prædicamentorum, ad diſtinctionem graduum metaphyſicorum gradũm etiam faciamus.

SECTIO V,

De Diſtinctione, Compoſitione, & Origine graduum metaphyſicorum.

1 Prima concluſio. Gradus metaphyſici, qui ſunt in vno indiuiduo diſtinguuntur realiter á gradibus metaphyſicis, qui ſunt in alijs indiuiduis. Hæc concluſio certa omnino eſt, & negari á nemine poteſt, nam animal Socratis eſt idem cum Socrate: ergo ſicut Socrates diſtinguitur realiter á Platone, ita eius gradus animalis. Quapropter ſicut natura multiplicatur in indiuiduis, ita & gradus metaphyſici: ideò veró tres diuinæ Perſonæ poſſunt realiter diſtingui, quin natura diuina realiter diſtinguatur, quia diuina eſſentia propter ſuã infinitam communicabilitatem, identificatur cum tribus diuinis Perſonis; at veró natura creata propter ſuam limitationem, ſolúm identificatur cum ſuis proprijs gradibus metaphyſicis.

2 Obijcis. Eadem materia diuinitus informata ſimul pluribus formis, poteſt pertinere ad plura compoſita: ergo etiam plures gradus metaphyſici poſſunt pertinere ad plura indiuidua. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia cùm materia realiter diſtinguatur á forma, non identificatur cum illa. Vnde quamuis forma multiplicetur non ideó neceſſariò multiplicabitur materia: at veró gradus metaphyſici, cùm ſint idem omnino cum indiuiduo, ſi indiuiduum multiplicatur, neceſſariò etiam multiplicabuntur.

Solùm virtualiter diſtinguuntur.

3 Secunda concluſio. Gradus metaphyſici in eodem indiuiduo, non á parte rei, ſed tantúm virtualiter diſtinguuntur: ita D. Tho. 1. p. q. 50. ar. 4 ad 1. Caiet. Soncin. Sot. quos citat, & ſequitur Soar. in Me. diſp. 6. ſect. 9. nu. 9. vbi etiam citat Nominales, qui reuera non negant, hos gradus virtualiter diſtingui, quamuis, vt monet Soar. in Met. diſp. 7. ſect. 7. n. 9. cauenda in illis ſit æquiuocatio: eam é ſententiam ſequitur Banhes lib. de Generat. cap. 4. q. 8. ar. 1. Araujo in Met. tom. 1. lib. 3. q. 4. ar. 6. nu. 23. Rub. in Logica. q. 4. de Vniuerſalibus, n. 5., & præcipuè cap. 4. de Differẽtia, q. 6 n. 156. (vbi citat Alenſem, Durand. Nimph. Iauel.) Tolet. item de Vniuerſali. q. 3 fundamento 2. P. Vaſq. tom. 1. in 1. part. q. 3. diſp 22. cap. 1. n. 1. vbi ſe allegat diſp. 118 cap. 4. idem ſupponit Gil, lib. 2. tract. 6. cap. 1.

D. Thom. Caiet. Soncin. Sotus. Soar. Banh. Araujo. Rubius. Alenſ. Durand. Nimph. Iauel. Tolet. P. Vaſq. Gilius.

Hurtad. *Albertin.* *Curſus Thomiſt.*

cap. 1 n. 4 & Hurt. in Logica diſp. 4. num. 15. eandem ſententiam laté probat Franciſcus Albertinus in corollarijs tom. 2. diſp. 1. de eſſe eſſentiæ dubit. 1. 2. & 3. item Curſus Thomiſt. tom. 1. p. 2. q. 3. ar. 6.

4 Probatur ratione primò ex Ochamo, Non datur alia diſtinctio à parte rei, niſi realis, vel modalis; ſed realis requirit vtrumque extremum ſeparabile, modalis veró ſaltem vnum: atqui gradus metaphyſici in eodem indiuiduo ſunt inſeparabiles: ergo nec realiter nec modaliter diſtinguuntur. Quòd veró ſint omnino inſeparabiles, probatur: ſi enim ſeparari poſſent á Petro, deſtrueretur eius eſſentia.

Reſpondetur contrarijs argumentis.

5 Obſtas primò. Diuinæ relationes realiter diſtinguuntur; neque tamen ſeparabiles ſunt; ergo hi gradus realiter diſtinguentur, quamuis non poſsint ſeparari. Reſpond. negando conſequentiam, quia diuinæ Perſonæ, quamuis ſeparabiles non ſint, habent aliud ſignum realis diſtinctionis, quia vna producit aliam, quod non viſitur in gradibus metaphyſicis.

6 Obſtas ſecundò. Inter includens, & incluſum datur realis diſtinctio; & tamen materia v. g. non poteſt ſeparari à toto: ergo ſimiliter rationale in Socrate diſtinguetur realiter ab eius animali, licet non poſsit ab eo ſeparari. Reſpond. negando conſequẽtiam, maior ratio eſt; quia implicat ſeparari poſſe includens ab incluſo, ideſt, partem eſſentialem à toto, remanendo adhuc ipſum totum, quia eſſet, & non eſſet totum, vt patet: at verò ſi animal diſtingueretur à rationali Socratis, poſſet realiter ſeparari; ſicut realiter ſeparatur anima Socratis ab eius materia; nam, quemadmodùm materia eſt extra rationem formæ, ita animal extra rationem rationalis.

7 Obſtas tertió. Vnio formæ materialis non poteſt exiſtere ſeparata à materia; & tamen diſtinguitur ab ea realiter: ergo licet animal non poſsit ſeparari à rationali, realiter ab eo diſtinguetur. Reſpond. negando conſequentiam, maior ratio eſt; quia cùm vnio ſit modus, non poteſt exiſtere ſine extremis: gradus autem metaphyſicus, cúm ſit realitas, ſi realiter diſtingueretur, eſſet realiter ſeparabilis.

8 Obſtas quartò. Diſtinctio realis eſt illa, quæ datur inter realitates: ſed gradus metaphyſici ſunt realitates: ergo &c. Reſp. diſtinguendo maiorem: diſtinctio enim realis eſt illa, quæ datur inter realitates, quæ habent conditiones neceſſarias ad realem diſtinctionem, quarum vna eſt, vt compoſitio partium realis ſit, & non per rationem, qualẽ habent gradus metaphyſici.

9 Probatur ſecundò concl. Quando aliqua duo conſtant á parte rei ijſdem omnino partibus, impoſsibile eſt quòd à parte rei diſtinguantur (Socrates enim non diſtinguitur à ſe, quia ſemper conſtat ijſdem partibus) ſed gradus animalis in Socrate conſtat eàdem omnino materiâ, & formá, quibus conſtat gradus viuentis: ergo tales gradus in Socrate non poſſunt diſtingui à parte rei: maior eſt euidens lumine naturali: minor etiam certa eſt, vt videbimus ſequenti concluſione: ergo &c.

10 Probatur tertió. Si differentia indiuiduans Socratis diſtinguitur ſaltem modaliter ab ipſo Socrate, poterit ſaltem per intellectum ſeparari ab ipſo: ſeparetur ergo; tunc ſic argumentor: vel illa natura Socratis manet ſingularis, vel non: non eſt dicendum, quòd non maneat ſingularis, alioquin dabitur in rerum natura á parte rei aliquid commune, ſicut volebat Plato: ergo ſi manet adhuc ſingularis, vt reuera manet, ſignum eſt habere aliquid intrinſecum, quod ſit differẽtia ſingularis, quod ab ea non poſsit ſeparari realiter. Vbi aduertendum eſt, nullum eſſe inconueniens concedere in noſtra ſententia illam naturam Socratis, ablata differentia indiuiduante, per intellectum, manere communem per eundem intellectum: foret verò magnum inconueniẽs, ſi illa natura maneret communis à parte rei.

Refellitur contraria ſententia.

11 OBijcis pro contraria ſententia, quę requirit diſtinctionem à parte rei inter gradus metaphyſicos, quam duce Scoto in 2. diſt. 3. q. 1. ſequũtur Scotiſtæ, præſertim Antonius Andreas 7. Met. q. 16. Gandauenſ. lib. 1. de Anima. q. 8. eandem ſequuntur Paulus Venetus 7. Met. Fonſ. multis in locis, ſed ex profeſſo 7. Met. cap. 12. q. vnica, à ſect. 11. quam ſententiam iam olim tenuerat Auicebron lib. Fontis vitæ, quos bene impugnat Arriaga in Logica diſp. 5. ſect. 1. ſubſect. 2. Obijcis, inquam, primô. Vnus gradus metaphyſicus, v. g. animal, non includit alium, v. g. rationale: ergo diſtinguuntur inter ſe pluſquám virtualiter. Reſpond. ad antecedens, vnum gradum metaphyſicum in vno indiuiduo non includere alium gradum alterius indiuidui: at verò ſi animal accipiatur in eodem Socrate includeret rationale à parte rei, quia cùm ſit idem cum eodem homine, includit realiter quidquid includit ipſe Socrates, vnde ſolùm per in-

Scotus. *Ant. And.* *Gandau.* *Paul. Venet.* *Fonſec.* *Auicemb.* *Arriaga.*

Digitized by Google

intellectum diſtinguuntur.

12 Obijcis ſecundò. Homo ſecundùm ſe non eſt indiuiduum: ergo ad hoc vt fiat indiuiduum, aliquid illi debet aduenire, quod ſit extra illius eſſentiam; hoc autem eſt differentia indiuiduans: ergo hæc eſt extra rationem hominis, ac proinde ab illo diſtinguitur. Reſpond. hominem ſecundùm eſſe abſtractum per intellectum non eſſe indiuiduum: at verò ſi à parte rei ſumatur, & ſecundùm ſe, eſſe indiuiduum, ſeu potiùs indiuidua. Vnde ſicut ſolùm per intellectum abſtrahitur homo, & fit communis, ſic etiam differentia indiuiduans illi additur per intellectum, vt formaliter fiat indiuiduum; quod ſufficit, vt differentia indiuiduans dicatur extra rationem ſpeciei, videlicet per intellectum.

13 Obijcis tertiò. Si animal eſſet idem cum homine, in conceptu animalis repræſentaretur tota entitas hominis: hoc non eſt dicendum: ergo &c. Reſpond. in conceptu animalis repræſentari confusè totum hominem, non verò expreſsè, & formaliter, & hoc pacto poteſt etiam animal prædicari de Bucephalo, quod non ita fieret, ſi animal expreſsè totum hominem repræſentaret; ex quo ſolùm colligitur diſtingui animal ab homine virtualiter: & deinde ſequitur, quòd quidquid affirmatur de vno gradu Socratis, poſsit etiã de alio gradu eiuſdem Socratis affirmari in ſenſu identico, & reali, non verò in ſenſu formali, id eſt, prout iam ſumitur diſtinctus virtualiter, vt patet in attributis diuinis, nam in ſenſu identico verè dicitur miſericordia Dei punit, non verò in ſenſu formali.

Cur gradus phyſici realiter diſtinguãtur, no vero metaphyſici?

14 Obijcis quartò. Gradus phyſici diſtinguuntur realiter, nempe materia, & forma: ergo & gradus metaphyſici. Probatur conſequentia, quia gradus metaphyſici ſumũtur à phyſicis. Reſpond. negando conſequẽtiam, maior ratio eſt, quia gradus phyſici, ſaltẽ quoad exiſtentiam, ſeparari poſſunt realiter, quin eſſentia deſtruatur, vt patet in morte Socratis, in qua anima ſeparatur à corpore, & tamen manet eſſentia eiuſdem Socratis: at verò gradus metaphyſici, ſi ſemel ſeparentur, tollitur eſſentia. Ad probationem dicendum eſt, quód quamuis animal ſe habeat veluti materia & rationale v. g. veluti forma, nihilominùs non deſumitur animal à ſola materia, nec rationale à ſola forma; ſed vnum quodque à toto compoſito immediatè: vnde cùm totum compoſitum à ſe ipſo non diſtinguatur, inde eſt, quòd inter ſe non diſtinguãtur tales gradus, ſicut anima rationalis, prout eſt in capite, non dicitur diſtingui à ſe ipſa, pro vt eſt in manu, quia tota eſt in capite, & in tota in toto corpore: quapropter neque gradus reſpondentes materiæ, diſtinguuntur à gradibus reſpondentibus formæ, quia non niſi à toto compoſito deſumuntur.

15 Ex dictis colligitur, quód ſicut gradus metaphyſici in eodem indiuiduo non diſtinguuntur, niſi tantùm virtualiter, id eſt, cum fundamento in re (vt ſatis conſtat ex argumentis aduerſariorum, quæ ſaltem probant virtualem diſtinctionem) ita etiam cõſtat gradus metaphyſicos ſuperiores non, niſi virtualiter, diſtingui ab inferioribus: quod præterea ex eo probatur, quia ſi huiuſmodi gradus diſtinguerentur à parte rei, haberent ſuam peculiarem exiſtentiam à parte rei diſtinctam, & conſequenter daretur Vniuerſale à parte rei.

16 Obijcis. Animal ſecundùm ſe eſt indifferens ad rationale, vel irrationale, homo verò iam eſt determinatus ad rationale: ergo ſignum eſt, quód inter ſe diſtinguantur pluſquàm virtualiter. Reſpond. ad antecedens, animal ſolùm per intellectum eſſe indifferens ad rationale, vel irrationale, nam à parte rei, nullum datur animal, quod non ſit, vel rationale, vel irrationale.

Vnde gradus metaphyſici deſumantur.

17 Tertia concluſio. Compoſitio metaphyſica, quæ fit per intellectum ex genere, & differentia, habet fundamentum in re, quapropter hi gradus, nempe gradus generici, differentiæ tam ſpecificæ, quàm indiuiduantes deſumũtur à tota entitate cuiuſquè rei: ita communis, & vera ſententia, vt videre eſt apud Soar. in Met. diſp. 6. ſect. 11. n. 4. Probatur, quia Angeli habent veros gradus metaphyſicos, nempe genus, & differentiam, nec tamen habent materiam, vel formam: ergo non à ſola materia, vel forma, vt volebant Durandus, Albert. & Ægyd. quos citat Soar. n. 3. ſed ab ipſa rei entitate, quæcumque fuerit deſumuntur. Confirmatur, quia accidentia habent veros gradus metaphyſicos, qui tamen non eruuntur à materia, & forma, vt ſatis conſtat: ergo fundamentum horum graduum eſt entitas cuiuſque rei.

Deſumuntur à tota entitate rei.

Soar.

Durand. *Albert.* *Ægyd.*

Quomodo eruantur hi gradus metaphyſici?

14 Quæ doctrina, vt magis intelligatur, aduertendum eſt, Socratem v. g. componi phyſicè, & realiter ex materia, & anima rationali, cum ſua vnione, ex quibus partes metaphyſicæ deſumuntur, hoc pacto, vt homo v. g. qui eſt gradus metaphyſicus ſpecificus eruatur ex materia prima ſublunari, prout eſt capax

Digitized by Google

capax animæ rationalis, & ex anima rationali in communi: animal veró, qui eſt gradus metaphyſicus genericus, phyſicé componitur ex materia prima, prout eſt capax animæ ſenſitiuæ, & ex anima ſenſitiua in communi: Viuens ex materia prima ſublunari, vt eſt capax animæ in communi, & ex anima in communi: corpus corruptibile ex materia ſublunari, prout eſt capax formæ ſeparabilis, & ex forma ſeparabili: corpus ex materia, & forma in communi: tandem ſubſtantia genus ſummum abſtrahit à ſimplicitate, & compoſitione.

19 Vnde ſequitur, gradum ſubſtantiæ generis ſummi non habere phyſicam, nec metaphyſicam compoſitionem proprié loquendo, neque enim habet aliud genus ſupra ſe, nec differentiam conſtitutiuam, vnde ab alio genere ſummo non differt, ſed eſt primó diuerſum. Sequitur prætereá compoſitionem phyſicam eſſe priorem metaphyſicâ, ſiquidem priùs dandum eſt fundamentũ, quàm quæ ex illo conſurgunt: quamuis metaphyſicè loquẽdo, priùs ſit genus ſummum ſubſtantiæ, quàm Socrates, ſiquidem ſubſtantia eſt pars, omnis autem pars prior eſt toto, nam totum fit ex partibus. Vbi prætereá aduertendum eſt, quód quamuis differentia hominis, & equi ſumantur ex eâdem materia, non poſſunt tamen vniuocè conuenire, quia ſumuntur ſecundum diuerſas materiæ capacitates. Colligitur tandem gradus metaphyſicos, quó inferiores ſunt, eó eſſe nobiliores, cùm habeant plures gradus, vt patet.

Quod ſit principium indiuiduationis?

20 QVarta concluſio. Principiũ phyſicum indiuiduationis cuiuſque rei, eſt ipſa rei entitas, v. g. in ſubſtãtia phyſicé compoſita principium indiuiduationis intrinſecum eſt ipſa materia, & forma cum vnione: ita communis Auctorum ſententia, quos refert, & ſequitur Soar. in Met. diſp. 5. ſect. 6. num. 15. idem tenet Albertinus tom. 2. diſp. de Eſſe eſſentiæ, q. 10. dub. 3. §. Sextò infertur. Arriaga in Metaph. diſp. 1. ſect. 3. num. 91. Probatur, quia vnde res habet ſuum eſſe, inde etiã habet ſuam indiuiduationem: ſed res per ſuã eſſentiam intrinſecé habet eſſe: ergo & indiuiduationem. Eſt ipſa rei ẽtitas. Soarius. Albertin. Arriaga.

21 Ex quibus colligitur, falſam eſſe ſententiam Scoti in 2. diſt. 3. q. 3. aſſerentis, existentiam eſſe principium indiuiduationis; quod ex eo falſum eſt, quia exiſtentia eſt valde contingens. Sequitur prætereá, certam non eſſe ſententiam D. Thom. cuius loca affert Fonſ. 5. Metaph. cap. 6, q. 4. ſect. 1. ad marginem, exiſtimantis, materiam eſſe principium indiuiduationis, nam Angeli non habent materiam, & ſunt indiuidui; & deinde materia Socratis poteſt eſſe in multis, ſaltem ſucceſsiuê, quod tamen dici non poteſt de principio indiuiduationis, quod cùm ſit adeò euidens, multi Thomiſtæ non vident. Ipſ. Fonſ. eodem cap. q. 5. per totam, conſtituit principium indiuiduationis in quadam differentia poſitiua: ſed ex dictis facile poteſt refutari: Vaſq. verò tom. 1. in 3. p. diſp. 74. cap. 7. cum alijs, exiſtimat rem indiuiduari per ordinem ad circunſtantias cauſarum, loci, temporis, &c. ſed hoc eſt valde extrinſecum, indiuiduatio veró eſt intrinſeca. Scotus. D. Thom. Fonſeca. P. Vaſq.

DISPVTATIO LIII.

De Prædicamento ſubſtantiæ in communi.

ACcedimus ad prædicamenta in ſpecie, quorum primũ locum obtinet ſubſtantia, quia eſt accidentium omniũ ſubiectum: In hac igitur diſputatione tractabimus de ſubſtantia communiſsimè ſumpta, quæ propterea erit veluti baſis, & præcipuum magnarum quæſtionum fundamentum. Sed quia de ſubſtantia, eiuſque eſſentia, & proprietatibus multi multa, ac multis fuſè nimirum, & confuſè ſolent coaceruare, ſpero fore vt inutiles falce ramos amputem, & vt breuiſsima periodo quæſtiones alijs longiſsimas diſſoluam, & abſoluam, quod vt conſequar in re tam cõmuni, viam ſequar non cõmunẽ.

SECTIO I.

Quomodò definiatur, & conſtituatur ſubſtantia?

1 PRima concluſio. Subſtantia communiſsimè ſumpta *eſt ens per ſe exiſtens* ita ſubſtãtiæ Definitio

omnes

omnes Philoſophi antiqui, & recentiores; vnde tanquàm primum principium hæc definitio accipienda à nobis eſt: in eius tamen explicatione multi alia via procedunt; eam igitur ſic explico, illa particula, *ens*, idem valet, atque exiſtens, ſeu exiſtentia, diuiditur enim Ens communiſsimum in ens in ſe, & in ens in alio, hoc eſt in exiſtentiam per ſe, & in exiſtentiam in alio: particula autem, *per ſe*, ponitur loco differentiæ, per quam ſubſtantia ſuo modó differt ab accidente; quod non per ſe, ſed per aliud, ſeu in alio exiſtit: ex quibus colligo, illud ly, *exiſtens*, quod vltimo loco ponitur in definitione, nõ eſſe omnino neceſſarium, ſed poni maioris claritatis gratiâ.

2 Colligo ſecundò, illam particulam, *per ſe*, quamuis aliquando explicetur per negationem eſſendi in alio, non eſſe in ſe formaliter negatiuum aliquid, ſed eſſe veluti differentiam intrinſecam poſitiuam, & eſſentialem conſtituentem ſubſtantiam: & ratio eſt, quia, cúm ſubſtantia ſit ens poſitiuum, non debet eius eſſentia conſiſtere in aliqua negatione. Vnde præterea colligo, prædictam definitionem, licet in genere logico eſſentialis non ſit, quia non conſtat genere, & differentia, nihilominùs tamen abſoluté eſſentialem dici poſſe, quia explicat eſſentiam ſubſtantiæ, ſicut dicitur eſſentialis illa definitio, per quam potentia definitur per ſuos actus, quamuis non conſtet vero genere, & differentia.

Subſtãtia habet negationem inhærẽdi.

3 Cùm igitur ſubſtantia eſſentialiter ſit ens, ſiue exiſtentia per ſe, neceſſarió habet annexam negationem inhærendi, ſiue exiſtendi in alio, ſicut homo ex eo quòd ſit animal rationale, neceſſarió habet annexam negationem irrationalitatis: & ſicut eſſentia hominis non conſiſtit in hac negatione, ita nec eſſentia ſubſtantiæ in negatione inhærendi. Quarè ſiue ſubſtantia ſit actualiter exiſtens in rerum natura, ſiue futura, ſiue præterita, ſemper tamen erit eadem eius eſſentia inuariata, cùm ſemper ſit ens per ſe exiſtens: dicitur tamen Socrates poſsibilis, propter non repugnantiam, quam habet, vt poſſit produci à Deo: dicitur futurus à connotatione, vel relatione futuritionis, quam in ſe fundat ex vi diuini decreti ſtatuentis ab æterno, vt talis homo in aliquo tempore producatur: denominatur actualis, ab actione productiua, per quam ponitur effectiué extra cauſas: appellatur tandem præteritus à connotatione temporis præſentis, in quo data fuit actio productiua, & conſeruatiua eiuſdem hominis: quapropter in his omnibus ſtatibus ſemper Socrates eſt ens per ſe exiſtens, & ſemper habet annexam negationem inhærendi.

Quomodo cõtrahatur Ens ad ſubſtãtiã & accidens.

4 Secunda concluſio. Ens creatum, ſiue exiſtentia creata, contrahitur per duas quaſi differentias, nempe *per ſe*, & *in alio*; quarum prima ſimul cum Ente conſtituit *ens creatum per ſe*, ſiue, quod idem eſt, conſtituit exiſtentiam per ſe, non neceſſarió actualem, quod non eſt aliud, quàm *ſubſtantia*. Secunda verò quaſi differentia, quæ appellatur, *in alio*, contrahit Ens, ſeu exiſtentiam, & conſtituit exiſtentiam in alio, quod nihil eſt aliud, quam *accidens*: hoc deinde diuiditur in accidens reale, qualis eſt quantitas, & fere omnis qualitas; & in accidens modale, & virtuale, &c.

5 Obijcis. Exiſtentia eſt tantúm de eſſentia Dei: ergo non poteſt eſſe de eſſentia alicuius entis creati: ergo non eſt idem ens, atque exiſtentia. Reſpond. ad antecedens exiſtentiam neceſſarió actualem eſſe de eſſentia Dei; non verò exiſtentiam non neceſſarió actualem; nam hæc eſt de eſſentia cuiuſque entis creati; cum hac tamen diſtinctione, quód de eſſentia accidentis ſit exiſtentia in alio, vel actualis vel aptitudinalis; de eſſentia verò ſubſtantiæ ſit exiſtentia per ſe, ſiue hæc ſit actualis, ſiue præterita, ſiue futura, ſiue poſsibilis; ſicut de eſſentia hominis eſt quód ſit animal rationale, per accidens verò eſt, quòd actualiter exiſtat, vel non exiſtat.

Corollaria.

6 Atque ex dictis colligitur primò, eſſentiam ſubſtantiæ non conſiſtere in eo quód ſubſtet accidentibus, Deus enim eſt vera ſubſtantia, nec tamen ſubſtat accidentibus. Colligitur ſecundò, illud, *per ſe exiſtens*, non ſignificare exiſtere independenter á cauſa efficiente, nam omnis ſubſtantia creata pẽdet à Deo efficienter. Colligitur tertió, eſſentiam ſubſtantiæ non conſiſtere in aliquo negatiuo. Colligitur quartò, exiſtere per ſe, non eſſe aliquam proprietatem ſubſtantiæ, vt cõmuniter dici ſolet, alioquin aſsigneretur eſſentia, in qua hæc proprietas fundetur.

7 Colligitur quintó. Quòd licet forma materialis dependeat â materia, adhuc tamen eſt vera ſubſtantia, non enim dependet â materia, vt â ſubiecto inhæſionis, quia illud ſolùm dicitur pendẽre ab alio tanquám à ſubiecto inhæſionis, quod eſt in alio nõ vti pars, & faciens vnum per accidens; cùm verò forma ſit pars compoſiti, & faciat vnum per ſe cum materia, non dependet ab ea, vt à ſubiecto inhæſionis, ſed ſolùm dicetur pendẽre, vt á ſuſtentante, & á ſubiecto informationis, hoc eſt à ſubiecto, quod phyſicé informat; ad dependentiam verò propriã accidẽtis vlte-

vlteriùs requiritur, quòd pendeat accidens à ſubiecto, vt à recipiente, vt patet; atque ex his, quæ breuiter dicta ſunt de ſubſtantia ſecundùm mentem Theologorum, ac Philoſophorum, ſi bene interpretentur, facilè conſtabit, cur ſubſtantia non poſſit inhærere, cùm tamen accidens poſſit habere modum exiſtendi per ſe, in quo puncto magnæ quondam diſputationum tempeſtates ſunt excitatæ.

SECTIO II.

Subſtantiã neque diuinitus poſſe inhærere vera ſententia docet.

Concluſio vnica. ſtatuitur. 1 SIt vnica concluſio. Subſtantia nec diuinitus inhærere poteſt, ſiue ſit cõpleta, vt Socrates, ſiue incompleta, vt materia, ſiue realis ſiue modalis, vt ſubſtantia, & vnio inter materiam, & formam; ita communiter Theologi, ac Philoſophi, qui quamuis ſub his terminis non loquantur, tamen ex eorum doctrina ſatis colligitur, & ſupponit Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 4. ar. 6. diſp. 14. ſect. 4 §. Nihilominùs, poſt medium, & alijs in locis: ſupponunt etiam Patres Conimbric. 1. de Gener. cap. 4. q. 6. art. 3. §. Ahuc tamen. Idem probat Fonſ. 7. Met. cap. 1. q. 1 ſect. 3 à §. Sed quærunt: vbi aſſerit partem conſiderasse naturam ſubſtantiæ, qui oppoſitum tuentur, idem etiam attigit Bellarminus lib. 3. de Euchariſtia cap. 24. fol. 649 & ſupponit Arriaga in Met. diſp. 4. ſect. 13. n. 134.

P. Soar. *Patres Conimbr.* *Fonſeca.* *Bellarm.* *Arriaga.*

2 Quam veritatem multi agnoſcunt, ſed in reddenda ratione grauiter diſcruciantur, & quamuis multa congerant fundamenta, inhærentia tamen â ſubſtantia diſcedere a'*negat inceptoque, & ſedibus hæret in iiſdem:* quapropter aries aliquis præparãdus, qui ſuo ineuitabili ictu inhærentiã diſturbet. Probo igitur efficaci ratione deducta ex principijs ſuprá iactis, non poſſe ſubſtantiam, nec diuinitus, inhærere, quod ſic probo.

Vera ratio concluſionis. 3 Implicat rem exiſtere ſine ſua eſſentia; ſed eſſentia ſubſtantiæ conſiſtit in exiſtentia per ſe: ergo implicat inhærere; nam ſi inhæreret, exiſteret ſine ſua eſſentia, quæ eſt exiſtentia per ſe; proindeque eſſet, & non eſſet ſubſtantia; eſſet, quia ita ſupponitur: non eſſet, quia non haberet eſſentiam ſubſtantiæ, quæ conſiſtit in exiſtentia per ſe, quæ neceſſariò habet annexam negationem inhærentiæ, & hæc ratio rem demõſtrat.

4 A poſteriori probatur etiam concluſio ex impoſsibilitate modi, per quem deberet ſubſtantia inhærere: neque enim eſſet ſubſtantialis, hic enim modus ſolùm ordinatur ad faciendum vnum per ſe: neque eſſet accidentalis, ſiquidem vniretur cum extremis ſubſtantialibus, nam ſi talis inhærentia foret poſsibilis, vna ſubſtantia alteri vniretur. Tandem confirmatur, quia ſi poſſet dari ſubſtantia, quæ per inhærentiã faceret cum alia ſubſtantia vnum per accidens, etiam poſſet dari accidens, quod, per modum eſſendi per ſe, faceret cum alio accidente, vel cum aliqua ſubſtantia vnum per ſe: neque enim datur maior ratio hoc non admittitur, ergo neque illud. Verùm primum fundamẽtum non vnum actum ſolùm, ſed totam fabulam conficit.

Obiectiones ſoluũtur. *Gabriel.* 5 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet, ſubſtantiam, ſaltem diuinitus, poſſe inhærere, quam probabilem dicit Gabriel in Canone 44. lect. 5. Ad argumenta: quamuis noſtram ſententiam tueatur: eandem ſententiam tenent alij, quos tacito nomine lædit Fonſ. citatus pró noſtra concluſione: eandem minùs prudenter amplexi ſunt aliqui moderni, ac iuniores magiſtri. Obijcis, inquã, primò. Subſtantia non eſt formaliter per ſe exiſtens per ſuam exiſtentiam, tanquàm per eſſentiam, ſed per negationem inhærentiæ: ſed Deus poteſt tollere hanc negationem: ergo &c. Probatur minor in negatione alterius corporis ſimul coexiſtentis, quæ datur in quantitate, quam Deus tollere poteſt, ponendo ſimul duas quãtitates penetratiuè. Reſpondeo negando maiorem, iuxtá ſuprà dicta, eſſentia enim ſubſtantiæ eſt aliquid poſitiuum: immò, licet foret negatio, tolli non poſſet, quia immediatè fundaretur in eſſentia, ſicut negatio bruti non poteſt tolli ab homine, quia fundatur immediaté in eius eſſentia: diuerſa ratio eſt in negatione alterius corporis, hæc enim non fundatur in eſſentia quantitatis, ſed in aliquo accidente ſuperaddito, vt videbimus in prædicamento Quantitatis diſp. 60. ſect. 4. n. 7.

6 Obijcis ſecundò, Subſtantia redditur formaliter exiſtens per ſe, per ſubſiſtentiam: ſed ſubſiſtẽtia eſt modus: ergo, ſi diuinitus tollatur, poterit ſubſtantia inhærere, quia iam per ſe non exiſtet. Reſpond. negando maiorem, non enim per ſubſiſtentiam, ſed per ſuãmet eſſentiam redditur ſubſtantia per ſe exiſtens, vt conſtat ex dictis; habet enim ſubſiſtẽtia effectus longè diuerſos, vt videbimus in diſputatione de ſubſiſtentia.

7 Obijcis tertiò. Accidẽs poteſt diuinitus priuari inhærentia: ergo & habere modũ exi-

Digitized by Google

exiſtendi per ſe, & conſequenter etiam ſubſtantia poterit inhærere: nam ſicut illud *per ſe* eſt de eſſentia ſubſtantiæ; ita illud *in alio* eſt de eſſentia accidentis: ergo ſicut in accidente extra ſubiectum ſufficit aptitudinalis inhærentia; ita in ſubſtãtia, quæ actualiter inhæret, ſufficiet aptitudinalis exiſtẽtia per ſe. Reſpõdetur negando conſequentiã: maior ratio eſt, quia exiſtentia per ſe non diſtinguitur à ſubſtantia, eſt enim ipſa eius eſſentia, quæ tolli non poteſt neque diuinitus; at verò inhærentia actualis diſtinguitur modaliter ab accidẽte, & ideò tolli poteſt, eſſentia enim accidentis non in actuali inhærentia, ſed in aptitudinali conſiſtit.

8 Inſtas. Non datur maior ratio quarè eſſentia ſubſtantiæ conſiſtat in actuali exiſtentia per ſe, at verò eſſentia accidentis cõſiſtat in aptitudinali exiſtentia, ſeu inhærentia in alio: ergo &c. Reſpond. maiorem rationem eſſe, quia cùm ſubſtantia ſit ens per ſe exiſtens, id eſt, per ſuammet eſſentiam ſine aliquo ſuperaddito, non poteſt non eius eſſentia eſſe aliquid actuale in ipſa ſubſtantia, ſicut eſſentia hominis conſiſtit in eo, quòd actualiter, & non aptitudine ſit animal rationale: at verò cùm accidens ſit ens in alio, & dependens ab alio realiter diſtincto, per vnionem; & cùm propterea poſſit ſeparari ab illo ſubiecto, meritò eius eſſentia non conſiſtit in actuali inhærentia; & cùm aliunde ſit ens in alio, meritò eius eſſentia per aptitudinalem inhærentiam in alio explicatur.

9 Obijcis quartò. Poteſt diuinitus tolli impenetratio à quantitate: ergo etiam à ſubſtantia poterit tolli negatio inhærentiæ; vtraque enim fundatur immediatè in eſſentia. Reſpond. negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia negatio penetrationis eſt negatio, quæ non fundatur immediatè in eſſentia quantitatis, ſed in Vbi circũſcriptiuo: at verò negatio inhærentiæ immediatè fundatur in eſſentia ſubſtãtiæ, ac proinde tolli nõ poteſt, eſt enim rigoroſa negatio.

Cur non poſſit tolli negatio inhærendi à ſubſtantia?

10 Quæres tamen, vnde cognoſcenda ſit negatio rigoroſa, quæ nec per ordinem ad diuinam potentiam tolli poſſit? Reſpond. quoties negatio opponitur eſſentiæ ſubiecti, vel ſequitur aliquam eius proprietatem quarto modo, eſt rigoroſa negatio; & ita ſe habet in Socrate negatio bruti, negatio hinnibilis: at verò ſi negatio ſequatur tantùm aliquod accidẽs cõtingẽs, ſicut impenetratio ſequitur Vbi circũſcriptiuũ, quod non eſt de eſſentia quantitatis, cum diuinitus tolli poſſit tunc non eſt rigoroſa negatio. Aduertendũ verò eſt à quantitate ſolùm ſeparari poſſe negationem actualis impenetrationis, nõ impenetrabilitas eſt rigoroſa negatio, quæ nũquàm tolli poteſt à Quantitate, vt videbimus.

11 Obijcis quintò. Quamuis exiſtentia per ſe ſolùm virtualiter à ſubſtantia diſtinguatur, tanquàm differentia à re, quam cõſtituit, poterit nihilominùs gradus ſubſtantiæ inhærere, quamuis ille gradus per ſe exiſtendi non inhæreat, ſicut, licèt natura diuina virtualiter tantùm diſtinguatur à ſubſiſtentia diuina, poteſt tamen Verbum diuinum terminare humanitatem immediatè, quin ipſam terminet diuina natura immediatè. Reſpõd. primò negando antecedens, quia talis gradus ſubſtantiæ non eſt ſubſtantia, ſicut gradus hominis, nempe animal, non eſt homo; vnde quamuis ille gradus ſubſtantiæ inhæreret, nõ inhæreret ſubſtãtia, atque ita facilè eluditur, quod ab aliquibus efficax argumentum exiſtimatur.

Multipliciter ſatis fit huic argumento.

12 Reſpondetur ſecundò dando maiorem rationem, quæ duplex eſt; prima, quia inhærentia eſt cauſalitas, quæ neceſſariò exerceri debet circa exiſtentiam: at verò terminare non eſt cauſalitas, neque poſtulat immediatè prodire ab aliqua natura, ſed à termino: quapropter bene poterit diuina ſubſiſtẽtia terminare immediatè, quamuis natura diuina immediatè non terminet, non poterit tamen ſubſtantia inhærere, quin inhæreat exiſtentia, ſiquidem omnis cauſalitas exercetur circa rem exiſtentem. Secunda maior ratio eſt, quia quamuis exiſtentia, non ſit propria differentia ſubſtantiæ, dicitur de ea conuertibiliter; vnde quidquid conuenit ſubſtãtiæ, cõuenit exiſtentiæ; & ideò ſi ſubſtãtia inhæreret, etiã inhæreret exiſtentia per ſe, quod implicat: at verò Subſiſtentia non dicitur conuertibiliter de natura diuina, vnde bene poteſt aliquid primariò, & formaliter conuenire ſubſiſtentiæ, quod non conueniat diuinæ naturæ.

13 Inſtas primò. Si daretur natura creata, cuius ſubſiſtentia ab ea virtualiter ſolùm diſtingueretur, bene poterat talis natura aſſumi à diuina ſubſiſtentia, quin ipſa creata ſubſiſtentia talis naturæ aſſumeretur: ergo ſimiliter &c. Reſpondetur, permiſſo antecedente, de quo ſuo loco; dando maiorem rationem, iuxta ſupradicta, quia illa natura non dicitur conuertibiliter de ſubſiſtentia &c.

14 Inſtas ſecundò. Accidens corporeum in ſubiecto improportionato illi ſolùm communicat effectum genericum, qui ſolùm virtualiter diſtinguitur ab ſpecifico: ergo ſimiliter poterit ſubſtantia inhærere, quamuis non inhæreat exiſtentia per ſe. Reſpond. negando conſequentiam, maior ratio eſt,

quia ſubiectum ſpirituale non eſt capax talis effectus: at verò cùm ſubſtantia ſit capax exiſtentiæ, ipſa exiſtentia per ſe, quæ eſt veluti cauſa formalis, ſtatim communicat ſubſtantiæ ſuum effectum, nempe exiſtendi per ſe independenter à ſubiecto inhæſioni; & ideò etiam vna diuina perſona non terminat alias perſonas diuinas, ſed tantùm terminat eſſentiam, quamuis ſolùm virtualiter diſtinguantur, quia ſola diuina natura eſt capax terminationis paſsiuæ.

15 Obijcis ſextò. Si forma equi educeretur per diuinam potentiam, de potentia materiæ cæleſtis, procul dubio inhæreret: ſed talis eductio poſsibilis eſt: ergo aliqua ſubſtantia inhærere poteſt. Declaratur maior, quia cùm vnum per ſe fieri non poſsit, niſi ex proprio actu, & ex propria potentia; & cum aliunde talis forma penderet à materia cæli in fieri, & in conſeruari, efficeret cum materia cæli vnum per accidens; atque adeò inhæreret. Minor probatur: quia accidens ſpirituale educi poteſt de potentia ſubiecti corporei, vt communiter conceditur: ergo etiam forma ſubſtantialis materialis poterit educi de potentia materiæ cæleſtis.

16 Reſpondetur primò concedendo formam equi educi poſſe de potentia materiæ cæleſtis, & cum ea facere vnum per ſe, quia hæ materiæ ſunt eiuſdem ſpeciei, vt dixi ſecunda parte tract. 1. in octo lib. Phyſ. diſp. 22. ſect. 4. ac proinde cùm detur proprius actus, & propria potentia, nihil colligit argumentum. Reſpond. ſecundò, iuxta aliorum ſententiam, qui diſtinguunt ſpecie materiam cæleſtem à ſublunari, negando poſſe formam materialem ſublunarem educi de potentia materiæ cæleſtis, propter rationem aſsignatam, cum enim non poſſet efficere vnum per ſe, tunc inhæreret, atque adeò ſequerentur implicationes, quæ dantur, ſi ſubſtantia inhæreat, eſſet enim, & non eſſet ſubſtantia.

17 Ad probationem minoris concedendum eſt, quòd accidens ſpirituale poſsit educi de ſubiecto corporeo, & aſsignanda eſt maior ratio cur forma equi non poſsit educi de materia cæli; cùm enim accidens ſemper ordinetur ad faciendum vnum per accidens cum quolibet ſubiecto, à quolibet educi poterit, cum quolibet enim efficiet vnum per accidens: at verò cùm forma ſubſtantialis ordinetur per ſe, & ex natura ſua ad faciendum vnum per ſe, poſtulat eſſentialiter certam potentiam à qua educatur, vel cum qua coniũgatur. Vt tamen ratio ſubſtantiæ meliùs intelligatur, explicanda eſt ratio accidentis, quæ eſt ens in alio, ſicut ſubſtantia eſt ens in ſe, & videndum eſt quo pacto poſsit accidens à ſubſtantia ſeparari.

SECTIO III.

Vtrùm, & quomodò poſsit accidens poni extra ſubſtantiam?

Accidens poteſt exiſtere ſeparatum.

1 Prima concluſio. Accidens reale, & realiter diſtinctum à ſubſtantia poteſt diuina virtute exiſtere ab ea ſeparatum; quapropter actualis inhærentia non eſt de eſſentia accidentis; ita cõmunis, & vera ſententia, vt videre eſt apud Soar. in Met. diſp. 37. ſec. 2. à n. 4. Albertinum tom. 1. in prædicamento quantitatis diſp. 1. q. 1. à n. 5. quam veritatem probant communiter Theologi cum D. Th. ad 3. p. q. 77. ar. 1. vbi Soar. diſp. 66. tom. 3. in 3. p. ſec. 1. docet de fide eſſe ex Trid. ſeſsione 13. canone 2. idem oſtendit Bellarminus de Sacram. Euchariſt. lib. 3 cap. 24. fol. 648. vbi probat non ſolùm veteres Patres Theologos, ſed etiam Ethnicos negaſſe inhærentiam actualem eſſe de eſſentia accidentis; imò naturaliter hoc fieri poſſe exiſtimauit Auicebron Maurorum princeps: eandem veritatem docet Vaſq. tom. 3. in 3. p. ad q. 77. diſp. 194. cap. 1. vbi nu. 10. citat Durandum, Paludanũ, Ferrarienſem, qui abſolutè loquuntur de omni reali accidẽte. Idẽ probat Valentia tom. 3. diſp. 6. q. 3. punc. 2. fol. 889. §. Reſpondent ſolet: videantur præterea Patres Conimbric. de Gener. & corrupt. lib. 1. cap. 4. q. 6. ar. 2. vbi eruditè agunt de hac veritate, & præter Concilia citant D. Gregor. Cyrillum Alexandrinum, Cyrillum Hieroſolimitanum, &c.

Soar. Albertin. D Thom. Bellarm. Auicebr. Vaſq. Durand. Palud. Ferrar. Valent. Patres. Conimb. D Greg. Cyr. Alex. Cyr. Hier.

2 Probatur facilè concluſio ex dictis; quia cùm accidens ſit ens in alio, & cùm præterea accidens reale ſit in ſubſtantia per aliquid à ſe diſtinctum, nempe per actualem inhærentiam: & cùm præterea realiter à ſubſtantia diſtinguatur: bene poteſt eius eſſentia conſeruari, quamuis actualiter non inhæreat, quia adhuc conſeruari poteſt inhærentia aptitudinalis, in qua conſiſtit ratio accidentis. Ex qua ratione colligo modos accidentales non habere actualem dependentiam à ſubſtantia, ex communi ratione accidentis, ſed ex peculiari ratione talis accidentis modalis. Confirmatur hæc veritas ex myſterio ſacræ Euchariſtiæ, vbi, vt docet fides, poſt conſecrationem manere accidentia panis, & vini, ſine omni ſubiecto.

Secunda

Digitized by Google

Dari poteſt in accidente modus exiſtēdi per ſe.

3 Secunda concluſio. Probabilius eſt, in accidente poſito extra ſubiectum dari veram modum poſitiuum exiſtendi per ſe; ita Caiet. Ferrar. Richard. quos citat & potiùs probat Soar. de Euchariſtia tom. 3. in 3. p. ad q. 77. diſp. 56. ſect. 2. §. Dico ſecundó. Eandem ſententiam ſequuntur Vaſq. tom. 3 in 3. p. ad q. 77. diſp. 194. cap 2. â n. 16. vbi citat Henriq. & Ruardum; pro eadem ſtat Valent. 3. p. diſp. 6. q. 5. punc. 1. §. Ex his autem: Ægydius Bellanus de Sacram. q. 77. ar. 1. dubit. 2. Eandem ſententiam probabilem iudicant Patres Conimbric. in Logi cap. 4 de Prædicamentis q. 1. ar. 1. §. Ad ſecundum; & abſoluté ſequitur Rub lib. 1. Phyſ. tract. 1. de Materia q. 5. n. 36. §. Reſpondeo, ad medium, ac tandem Logo de Incarn. diſ. 12. ſect. 7 n. 94.

Caiet. Ferrar. Richard. P. Soar. P. Vaſq. Henriq. Ruard. Valent. Bellan. Patres Conimbr. Rubius. P. Lugo.

4 Probatur concluſio. Impoſsibile eſt dari effectum formalem ſine cauſa formali; ſed accidens extra ſubiectum habet effectum formalem exiſtendi per ſe: ergo talis effectus prouenit ab aliqua cauſa, non apparet alia, præter modum perſeitatis: ergo talis modus datur in accidente, qui facit illud per ſe exiſtere. Declaratur conſequentia, nam effectus formalis exiſtendi per ſe in ſubſtantia, ſuo modo, prouenit ab exiſtentia poſitiua ſubſtantiæ; & ſimiliter effectus formalis ſubſiſtendi prouenit à ſubſiſtentia poſitiua: ergo ille effectus formalis exiſtēdi per ſe in accidente, proueniet ex aliquo modo poſitiuo: nam actio, ad quam recurrunt aduerſarij, ſolùm eſt ratio formalis ponendi rem extra cauſas, non verò exiſtendi per ſe.

5 Confirmatur deinde, quia inhærentia eſt terminus, & complementum accidentis: ergo ſi hæc tollitur ab accidente, neceſſariò dandus eſt alius modus, per quem terminetur, & compleatur; ſicut quando ſubſiſtentia naturalis auferetur á natura, datur alia ſubſiſtentia, vel diuina, vel naturalis reſultans modo ſupernaturali, per quam illa natura maneat terminata: ergo, ſicut dari non poteſt natura ſubſtantialis, quæ ſit terminata ſolúm negatiué, ita dari non poterit accidens ſine inhærentia, ſolúm negatiuê terminatum.

Proponitur, & refutatur contraria ſententia, quæ negat in accidente talem modum.

Hæc ſentē tia eſt probabilis.

6 Obijcis pro contraria ſententia, quæ probabilis eſt, aſſerique poſſe accidens conſeruari extra ſubiectam ſine modo poſitiuo, per ſolam actionem Dei creatiuam; ita Scot. in 4. diſt. 12 q. 1. & q. 6. Paludanus, Marſilius, Sot. quos citat Soar. citatus ſuprá §. Secundó negant. Idem ſequuntur Albertinus tomo. 2 in prædicamẽto quantitatis diſp. 1. q. 3. à n. 8. Ledeſma 1. p. q. 18. ar. 2. Bellarmin. lib. 3. de Euchariſt. c. 24. P. Gaſpar Hurt. trac. de Sacram. diſp. 7. de Euchar. diffic. 2. §. Scotus verô, hanc etiam partem probabiliorem iudicât Patres Conimb. lib. 1. de Generat. & corrupt. c. 4 q. 7. ar 1. §. Nihilominus, eandem ſententiam obiter ſequutus eſt Herice 1. p tract. 4. diſp. 48. ca. 5. n 40. item Granad. trac. 3. de Euchar. diſp. 3. & alij, non aſſerunt tamen hi Auctores hunc modum eſſe ſubſtantialem, vt falſô exiſtimauit Caiet. contra quem videri poteſt Valentia ſuprâ & Soar. ſuprá §. Igitur ad hæc.

Scotus. Palud. Marſil. Sotus. Albertin. Ledeſma. Bellarm Hurtad. Patres Conimb. Herice. Granad. Caiet. Valent. Scatinus

7 Obijcis, inquam, primò. Quantitas eſt prior, quám ſit inhærentia, & ſimiliter prior eſt modo perſeitatis: ergo conſeruari poterit â Deo ſine hoc modo, ſicut conſeruatur ſine modo inhærentiæ. Confirmatur, quia modus inhærentiæ nō opponitur contradictoriè modo perſeitatis, cùm ambo ſint poſitiui: ergo poterit quātitas exiſtere ſine tali modo. Reſpondeo negando conſequentiam, ſolùm enim probat argumentū non pendere accidēs ab illo modo, tanquàm ab aliquo priori; ſed nihilominús pendere poteſt, tanquám ab aliquo poſteriori, ſicut pendet natura à ſubſiſtētia. Ad confirmationem reſpond. quòd, licet hi modi non ſint contradictorij, nihilominús tamē aliūde repugnāt, ſicut repugnat natura ſubſtātialis ſine ſubſiſtētiá, vel propriá, vel aliena, quāuis non opponantur cōtradictoriè.

8 Obijcis ſecundó, & ſubtiliter cum Scoto: repugnat dari modum accidentalem, qui careat naturali ordine ad ſubſtantiā, ſiue ad ſubiectum: ſed talis modus nullū diceret ordinem ad ſubiectum: ergo dari non poteſt. Probatur minor, quia ille modus ſolùm datur quando non datur ſubſtantia, immó quando aduenit ſubſtantia, iā non datur talis modus: ergo illè modus accidentalis nullum dicit ordinē ad ſubiectum. Reſp. (quód præter quāquód modus ille non ſit omnino extra ſubiectum, ſiquidem identificatur cū quantitate, quæ ſe habet veluti ſubiectum) reſpondetur, inquam, ad maiorem; repugnat naturaliter dari talem modum, qui non dicat ordinem ad ſubſtantiam, concedo maiorem: repugnat diuinitus, nego maiorem. Deus enim efficere poteſt hūc modū talis naturæ, vt ad nullū ſubiectū ſubſtantiale dicat ordinem; ſiquidem hic modus eſt ipſa ratio independentiæ: adhuc tamen ille modus erit accidentalis, ad quod ſatis eſt, vt identificetur cum accidēte,

quamuis aliunde ad nullam ſubſtantiam dicit ordinem per ſe.

9 Obijcis tertiò. Dari poteſt diuiſibilis linea ſine puncto terminante: ergo licet hic modus ſit terminus accidentis in defectu inhærentiæ, nihilominùs poterit dari accidens ſine tali termino, præcipuè, quia talis modus non eſt neceſſarius ad ſupplendam cauſalitatem materialem ſubiecti, quia Deus poteſt ſupplere hanc cauſalitatem, ſiue inhærentiã, per actionem creatiuam, in quo caſu dicetur tale accidens terminatum negatiuè, ſicut linea ſine puncto diceretur negatiuè terminata. Reſpond. negando antecedens, iuxta ea quæ dixi in Phyſ. diſp. 15. ſect. 3. nõ eſt enim intelligibile, quo pacto manere poſſet linea ſine puncto terminante, quapropter ſi vnus punctus auferatur, alius neceſſariò reſultabit, ſicut de ſubſiſtentia dicimus. Ad probationẽ dicendum eſt, non poſſe talem modum suppleri per actionem creatiuam, ſicut non poteſt ſubſiſtentia ſuppleri per diuinam actionem; ſunt enim cauſæ formales, quæ nõ poſſunt ita ſuppleri à Deo.

10 Quia tamen probabile eſt poſſe lineam exiſtere, ſine puncto terminante, dicique negatiuè terminatam; ideò etiam conſequenter probabile eſt, poſſe accidens exiſtere extra ſubiectum ſine illo modo, in qua opinione dicendum eſt, effectum formalem exiſtendi per ſe prouenire tunc ab actione creatiua: hæc enim ponit accidens extra ſubiectum; & quia ex natura ſua nullum dicit ordinem ad ſubiectum, ideò poteſt habere pro effectu independentiam à ſubiecto; & confirmatur, quia cùm inhærentia non ſit adeò intrinſeca accidenti, eſt enim per ordinem ad aliud, facilè poterit per actionem ſuppleri: nihilominùs oppoſitum probabilius eſt, vt conſtat ex dictis.

Vtrùm actio, per quam accidens ponitur extra ſubiectum, ſit diuerſa?

Eſt diuerſæ ſpeciei.

11 Tertia concluſio. Actio, qua Deus produceret accidens extra ſubiectum, eſſet diuerſa ſpecie ab ea, qua illud produceret in ſubiecto: ita Soar. tom. 3. in 3. p. à q. 77. diſp. 56. ſect. 2. §. Dico tertiò. Quod verum exiſtimo, ſiue accidens extra ſubiectum habeat modum exiſtendi per ſe, ſiue non. Probatur, quia terminus talis actionis creatiuæ eſt accidẽs, vel cũ modo poſitiuo exiſtendi per ſe, vel ſine tali modo: terminùs verò actionis eductiuæ eſt accidens cum inhærentia; ſed hi termini diſtinguuntur, vt ſatis liquet: ergo & actiones ſpecie diſtinguuntur. *Soar.*

12 Obijcis primò. Actio, quæ terminatur ad materiam extra materialem formam, eſt eadem ſpecie cum actione, quæ terminatur ad materiam ſimul cum forma, & ſolùm numero ſunt diuerſæ: ergo ſimiliter actio, quæ terminatur ad accidens extra ſubiectum, eſt eadem ſpecie cum actione, quæ terminatur ad accidens in ſubiecto. Reſpond. negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia in noſtra opinione, cùm forma non ſit cauſa materiæ, eadem actio in ſpecie terminatur ad materiam, vel cum forma, vel extra formam: cùm igitur terminus ſit idem, actiones non diſtinguentur ſpecie, ſed ſolo numero iuxta ea, quæ dixi 2. p. lib. 1 diſput. 22. ſect. 2. n. 14.

13 Obijcis ſecundò. Saltem illa actio, quæ terminatur ad accidens in ſubiecto, & non ad eius inhærẽtiam, erit eiuſdem ſpeciei cum ea, quæ terminatur ad ſolum accidens extra ſubiectum, ſine modo exiſtendi per ſe. Reſpond. negando antecedens, nam actio, quæ terminatur ad accidens extra ſubiectũ, quamuis non habeat modum perſeitatis, eſt totalis creatio: at verò illa altera actio, quæ terminatur ad accidens in ſubiecto, & non ad eius inhærentiam, ſolùm eſt partialis ordinata ad componendum vnam actionem eductiuam totalem. Vbi aduertendum eſt, hanc actionem dici indiuiſibilem, non ex eo quòd habeat partes, terminus enim diuiſibilis eſt, nempe accidens, & inhærentia, ſed dici indiuiſibilem, quòad ſeparationem, neque enim ſeparari poteſt natura accidentis in ſubiecto ab inhærentia.

Vtrùm modus exiſtendi per ſe in accidente ſit ſupernaturalis?

14 Quarta concluſio. Modus exiſtẽdi per ſe in accidentibus ſacræ Euchariſtiæ eſt ſupernaturalis in entitate: ita Magiſter Molin. 1. p. q. 57. ar. 2. diſp. 1. §. Ad quartum. Et P. Ripalda de Ente ſupernaturali. lib. 1. diſp. 4. n. 16. Probatur, quia ens ſupernaturale quòad entitatem (ſecundùm communem ſententiam) eſt illud, quod eſt ordinis diuini, & non debetur naturaliter alicui rei; ſed ita ſe habet hic modus: ergo &c. Maior conſtabit diſputatione ſequenti. *Reſolutio eſt affirmatiua.* *Molin.* *Ripalda.*

15 Confirmatur, quia vnio hypoſtatica, quamuis identificetur cum natura creata, eſt omnino ſupernaturalis; ergo quamuis hic

modus

modus identificetur cum accidente creato, erit omnino ſupernaturalis: antecedens, quòd ſcilicet vnio hypoſthatica ſit ſupernaturalis quòad entitatem, commune eſt, & docetur á Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 2. diſp. 8. ſect. 1. §. Quarta ergo in fine, & in ſequenti §. & diſp. 9. ſect. 1. à §. Secundò ſi, vbi aſſerit vnionem hypoſthaticam eſſe altioris ordinis, quám ſit gratia, vel quodlibet aliud donum ſupernaturale, quia gratia habitualis debetur alicui naturæ, quæ habuerit hanc vnionem: at veró hæc vnio, neque etiam debetur naturæ cum gratia: idem docet Vaſq. tom. 1. in 3. p. ad 2. ar. 9. diſp. 20. cap. 4. poſt n. 4. §. Ad ſecundum, & poſt num. 77. citat D. Thom. Henriq. Scot. & Caiet. Idem etiã tenet Albertin. tom. 1. 2. corollario theologico, ex prædicamento ſubſtantiæ q. 1. dubit. 2. à n. 5.

P. Soar.

Vaſquez. D. Thom. Henriq. Scotus. Caiet. Albertin.

16 Confirmatur ſecundò. Quia modus vnionis (ſi datur) quo Chriſtus Dominus eſt vnitus ſpeciebus ſacramentalibus quo eſt totus in totis, totuſque in qualibet illarum parte, eſt ſupernaturalis in entitate, vt ex Caiet. & Valentia, immò ex Soar. (ſed neſcio quo iure) probat P. Gaſpar Hurtad. tract. de Sacramen. diſp. 6. de Euchariſtia, difficult. 17. ſed tam vnio hypoſthatica, quám hic modus ex eo habent ſupernaturalitatem, quòad entitatem, quia non debentur alicui rei naturali: ergo ſimiliter modus perſeitatis &c.

Caiet. Valent. Soarius. Hurtad.

17 Obijcis pro contraria ſententia, quam ſequitur Vaſq. tom. 2. in 1. p. ad q. 77. diſp. 224. cap. 3. n. 23. à §. Addo nihilominús. Idẽ tenet Herice, quem citat Ripalda ſupra n. 17. Obijcis, inquam, primò. Hic modus eſt ſupernaturalis tantùm quóad modum: ergo non eſt ſupernaturalis in entitate. Reſpond. negando antecedens, quia illud dicitur ens ſupernaturale tantùm quòad modum, quod in ſua entitate eſt eiuſdem ſpeciei cum alijs entibus naturalibus, & ſolùm quòad modum producendi eſt ſupernaturale, vt ſe habet viſus cæco reſtitutus, qui in ſua entitate eſt eiuſdem rationis cum alio viſu naturali, & ſolùm, quòad modum productionis, eſt ſupernaturalis; quod non ita contingit in hoc modo perſeitatis, nam totus in ſua entitate eſt ſupernaturalis, ſiquidem nulli rei debetur, at verò viſus ſecundùm ſe debetur animali.

P. Vaſq. P. Herice.

18 Obijcis ſecundò. Ille modus identificatur cum accidente, & proptereà eſt accidentalis: ergo ex eo quòd identificetur cum accidente creato, non erit ſupernaturalis in in entitate. Reſpond. negando conſequentiam, quia bene poteſt modus, prout diſtinguitur à ſua realitate, eſſe ſupernaturalis in entitate, quin talis ſit eius realitas; vt patet in vnione hypoſthatica, quæ ſupernaturalis eſt in entitate, quamuis identificetur cum humanitate naturali; & ratio à priori eſt, quia vt ille modus ſit accidentalis, ſufficit, quód identificetur cum accidente (nam ratio accidentis ſumitur per ordinem ad ſubiectum, vel quaſi ſubiectum) at verò, vt ſit ſupernaturalis ille modus, ſufficit, quòd non conueniat alicui ſubiecto naturali: nec refert, quód hic modus nõ ſit ẽtitas diſtincta omnino realiter à quantitate, ſatis enim eſt, quòd totũ ſuũ eſſe, vt eſt modus, ſit omnino ſupernaturale; vt in ſimili ſoluit Soar. ſupra de Vnione hypoſthatica.

19 Obijcis tertiò cum Vaſq. Angelus naturaliter cognoſcit hunc modum, videt enim accidentia ſacræ Euchariſtiæ eſſe ſine ſubiecto: ergo hic modus naturalis eſt, quia Angeli non poſſunt naturaliter cognoſcere res ſupernaturales. Reſpondetur negando Angelum naturaliter cognoſcere hunc modũ, quia licet naturaliter videat abſentiam ſubiecti in Euchariſtia, & carentiam naturalis ſubſiſtentiæ in Chriſto Domino, non tamen cognoſcit in ſe, neque hunc modum ſupernaturalem, neque ſupernaturalem Chriſti ſubſiſtentiam; quamuis enim Angelus naturaliter cognoſcat, non poſſe naturaliter dari accidens ſine ſubiecto, neque naturam ſine ſubſiſtentia, ſolúm inferret dari ibi aliquem modum miraculoſum ſibi occultum; immò in his duobus caſibus poterit Angelus dubitare, vtrúm reuera dentur illa accidentia in ſubiecto, & ſimiliter illa natura cum propria ſubſtantia, ſed propter aliquam rationem ſuperiorem ea ſibi occultari.

Angelus nõ cognoſcit naturaliter illum modũ ſupernaturalem.

20 Obijcis quartò cum eodem Vaſq. Ille modus debetur naturaliter accidenti, ſi accidens priuetur ſubiecto: ſed modus, qui naturalem habet connexionem cum entitatè naturali, eſt naturalis in entitate: ergo &c. Probatur maior, quia ſi illud accidens conſeruandum eſt, neceſſariò dandus eſt illi á Deo talis modus. Reſpond. negando maiorem, quia præterquámquòd poſsit illud accidens conſeruari per ſolam actionem creatiuam, vt docet probabilis opinio; non ſequitur ex deſtructione ſubiecti, quòd ſtatim debeat dari modus alius, qui habeat naturalem connexionem cum tali accidente: nam deſtructo ſubiecto, ſolùm ſequebatur naturaliter deſtructio accidentis.

21 Inſtas. Suppoſito quòd Deus velit conſeruare illud accidens, neceſſariò debetur illi talis modus: ergo non eſt ſupernaturalis. Reſpond. negando totum. non enim tenetur Deus cõſeruare illud accidens per modum,

qui cum illo habeat naturalē connexionē, vt patet in hoc exemplo, ſi enim Deus deſtineret ſubſiſtentiam Petri, & vellet eius naturā conſeruare ſine ſubſiſtentia naturali. id præſtare poſſet per vnionē hypoſthaticam, quæ nullam habet proportionem cum illa natura, ſiquidē eſt modus omnino ſupernaturalis, vt ipſe Vaſq. ſuprà allegatus, fatetur.

22 Obijcis quintò. Vbi definitiuum corporis Chriſti Domini in Euchariſtia ſolū eſt ſupernaturale quòad modum: ergo etiam modus accidentium ſacræ Euchariſtiæ. Reſpondetur primò negando antecedens cum Soar. tom. 3. in 3. p. q. 75. diſp. 48. ſec. 1. §. Deinde poteſt, in fine: vbi aſſerit ſacramentalem præſentiā eſſe prorſus ſupernaturalem, ex eo vniuerſali principio, quod nulli rei creatæ debeatur, nō enim debetur corpori, ſiquidē corpus nō poſtulat naturaliter habere præſētiā ſacramētalē, nō etiā debetur ſpiritui quia ſpiritus non poſtulat habere Vbi definitiuū corporis. *Soarius.*

23 Reſpondetur ſecundò cum P. Gaſp. Hurtado tract. de Sacram. diſp. 6. de Euchar. diffic. 17. §. Hoc ergo. vbi exiſtimat hāc præſentiam non eſſe ſupernaturalēm quòad ſubſtantiam. Reſpondetur, inquam, negando conſequentiam; & maior ratio eſt, quia illud Vbi definitiuū ſaltem in genere debetur Angelis, & ſubſtantiæ non habenti Vbi circumſcriptiuum: at verò ille modus exiſtendi per ſe nulli omnino rei naturaliter debetur, vt conſtat ex dictis. *Gaſpar Hurtad.*

Proponuntur aliæ concluſiones circa hanc materiam.

Accidens poteſt habere inhærentiā, & modū exiſtendi per ſe.

24 Quinta concluſio. In eodem accidente dari ſimul poteſt diuinitus modus exiſtendi per ſe cum modo inhærentiæ. Huic concluſioni maximè fauent omnes, qui dicunt eandem naturam poſſe habere ſimul diuinitus ſubſiſtentiam propriam, & alienā, quos citabimus diſp. 58. ſect. 3. §. Tertia concluſio. Probatur, quia non implicat, eādem naturam terminari ſubſiſtentia propria, per vnam actionem, & deinde per aliam actionem terminari ſubſiſtentia aliena diuina: ergo etiam non repugnabit habere idem accidens inhærētiam propriam cum modo exiſtendi per ſe, ſi hoc fiat per duas diuerſas actiones. Antecedens conſtabit ex loco citato.

25 Confirmatur, quia nō repugnat dari in eodem corpore duo diuerſa Vbi, vnum circumſcriptiuum, aliud definitiuum, vt patet in corpore Chriſti Domini exiſtētis in Eucharistia, & ſimul in Cælo; vnum enim Vbi non infert negationem alterius; neque modus exiſtendi per ſe infert negationem immediatè inhærentiæ, ſunt enim modi poſitiui, qui ſolùm habent naturalem contrarietatem, quam Deus facilè poteſt vincere.

26 Sexta concluſio. Accidens ſupernaturaliter poſitum extra ſubiectum non poteſt naturaliter producere ſuam vnionem in ſubiecto. Ita Soar. in Met. diſp. 34. ſect. 6. nu. 13. Vbi aſſerit oppoſitum ſibi probabile viſum tom. 1. in 3. p. ſed re melius conſiderata probabiliorem iudicaſſe noſtram ſententiā tom. 3. in 3. p. diſp. 57. ſec. 3. ratio eſt, quia, licet accidens toto priori tempore exiſtat ſine inhærentia per actionem creatiuam, tamen in eo inſtanti, in quo iterum vnitur ſubiecto, non priùs habet eſſe, quàm vniatur, quia jam tūc non recipit eſſe per actionem creatiuam, ſed per eductiuam; cùm igitur ab accidente ſeparari non poſſit naturaliter productio ipſius accidentis, à productione inhærentiæ, ſed totum fiat per actionem inſeparabilem, inde eſt quód, ſicut accidens nō poteſt naturaliter ſe ipſum producere, ita nec producere ſuam inhærentiam, quamuis demus poſſe naturaliter producere aliquas qualitates, vt patet in accidentibus ſacræ Euchariſtiæ, quæ producūt frigus &c. Hæc doctrina ampliùs conſtabit ex his, quæ dixi in phyſicis tract. 1. lib. 2. diſp. 25. ſect. 2. à n. 14. *Soarius.*

27 Obijcis. Subſiſtentia in bona opinione emanare poteſt à natura, ſicut etiam reliquæ proprietates ab ea procedunt; ergo & inhærentia poterit produci ab accidente. Reſpondetur negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia ſubſiſtentia, & reliquæ proprietates ſupponunt naturam: at verò accidēs non ſupponitur præexiſtens in aliqua prioritate, ſed per eandem actionem, qua fit, inhæret.

28 Quærendum erat, vtrùm in accidente extra ſubiectum detur violentia, ſed hoc diſcutiendum à nobis eſt, quando quærimus, vtrúm humanitas Chriſti Domini priuata ſubſiſtentiā naturali patiatur violentiam, vtrobique enim eſt eadem ratio. Ex dictis tamen certum omnino maneat non poſſe ſubſtantiam inhærere, neque poſſe communicari accidenti propriam ſubſtantiæ exiſtentiam, ſed ad ſummum modum quēdam per ſe exiſtendi accidentalem, & ſupernaturalem in eo. citate.

Digitized by Google

DISPVTATIO LIV.

De poſſibilitate aliquarum ſubſtantiarum, quas capit, vel reijcit ſubſtantiæ prædicamentum.

DIXI de ſubſtantia in communi, prout comprehendit, prædicamentales, & non prædicamentales; agendùm nunc eſt de aliquibus ſubſtantijs poſſibilibus, quæ poſſunt reijci, vel collocari in hoc prædicamento: ſed ne inter naturales, & creatas ſubſtantias pedeſtri ſtylo diutiùs humi ſerpam,

Virg. Georg. 3.
—— *Tentanda via eſt, qua me quoque poſſim*
Tollere humo.

Quarè à terreſtribus ad cæleſtia, ab humanis ad diuina, & à rebus naturalibus ad ſupernaturalia tranſcendam:

Virg. Æn. 7.
—— *Maior rerum mihi naſcitur ordo,*
Maius opus moueo &c.

De Deo ipſo, deque ſupernaturali ſubſtantiâ agendum eſt in hac diſputatione.

SECTIO I.

Nulla datur ſubſtantia ſupernaturalis, quæ ponatur in hoc prædicamento.

1 PRima concluſio. Nulla eſt poſſibilis ſubſtantia realis ſupernaturalis creata: ita communis, & vera ſententia, quam tenet D. Thom. 1. p. q. 12. ar. 4. & 5. Scotus in 2. diſt. 23. q. vnica, Cabrera 3. p. q. 2. ar. 12. Aluares de Auxilijs lib. 7. diſp. 69. Albelda diſp. 26. 1. p. Soar. in Met. diſp. 35. ſect. 1. n. 11. & in ſum. lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 9. à num. 14. Fonſ. 7. Met. cap. 1. q. 2. ſect. 3. quatenùs aſſerit impoſſibilem eſſe creaturam, ſuaptô natura impeccabilem, vel quæ Deum naturaliter videat: Vaſq. tom. 1. in 1. p. ad q. 12. diſp. 44. ca. 1. â n. 3. Valentia 1. p. diſp. 1. q. 12. puncto 3. Albertinus tom. 1. q. 3. Theologica in 3. corollario ex primo principio philoſophico, Arrubal 1. p. q. 12. diſp. 22. cap. 2. Herice 1. p. tract. 4. diſp. 48. cap. 4. Faſſolus 1. p. q. 12. ar. 4. vbi dubitatione 1. à nu. 4. ad finem alios citat: hanc concluſionem latiſsimè tractat Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 2. q. 3. diſp. 3. ſect. 2. à nu. 10. qui vſque ad faſtidium cumulat Patres, Scholaſticos, & rationes, & n. 20. vocat contrariam ſententiam periculoſam, & ab ſcholis reijciendam: citatur etiam Nauarrete 1. p. q. 12. controuer. 38. ar. 3. idem tenet Granados, Ægydius Cōninck, Tanerus, Moncæus, Torres, Nazar. Ripa, & alij; quos citat P. Ripalda de Ente ſupern. lib. 1. diſp. 23. ſect. 1. n. 1. item Recupit. to. de Deo lib. 6. q. 3. cap. 4.

D. Thom. Scotus. Cabrer. Aluares. Albeld. P. Soar. Fonſeca. P. Vaſq. Valent. Albert. P. Arrub. Herice. P. Faſſol. Salas. Nauar. Granad. Ægyd. T. ner. Monceus Torres. Ripa, Ripald. Recupit.

2 Hæc concluſio, propter Patrum, & Doctorum auctoritatem certiſsima eſt; non eſt tamen facilè afferre rationem aliquam efficacem, quæ illam probet prorſus; ea communiter adduci ſolet, quia ſupernaturalitas deſumenda eſt per ordinem ad ſubiecta, ita vt ens ſupernaturale ſit illud, quod ſit ſupra omne ſubiectum, vel ſupra omnem ſubſtantiam, quam tanquàm forma poſsit afficere, quem modum explicandi ſequuntur Vaſquez 1. p. tom. 2. q. 57. diſp. 214. cap. 2. nu. 8. & tom. 1. in 1. p. ad q. 12. diſp. 44. cap. 1. nu. 3. & Salas citandus nu. 106. & alij, quos tacito nomine citat Soar. in ſum. lib. 2. de Attributis cap. 9. n. 14. Vnde ſi ita foret explicanda ſupernaturalitas, implicat dari ſubſtantiam ſupernaturalem, quia ſubſtantia non poteſt eſſe per ordinem ad ſubiectum: quem tamen ordinem cùm dicant ſola accidentia, ſolùm aliqua accidentia poterunt eſſe ſupernaturalia.

P. Vaſq. Salas. Soarius.

3 Hic tamen dicendi modus, vt inquit Herice 1. p. tract. 4. diſp. 48. cap. 2. n. 8. ſpecioſè compoſitus eſt, & ingenio plenus, ſed veritate, & ſolida probatione vacuus: nā imprimìs quæſtionem de re reducit ad quæſtionē de vocabulo, cum aſſerat illud ſolùm eſſe ſupernaturale, quod eſt ſuper naturam: non placet deinde quia Deus eſt ſubſtantia ſupernaturalis, vt videbimus, neque tamen eſt per ordinem ad ſubiectum, vel naturam: tertiò non placet, quia naturale non eſt per ordinem ad ſubiectum, ergo neque ſupernaturale: Tandē quia ſupernaturalitas eſt aliquid in ſe poſitiuum, ergo non eſt illa relatio, ſeu ordo indebitus ad ſubiectum.

Herice.

4 Non placet etiam modus, quo vtitur P. Hurt. in Phyſ. diſp. 7. ſect. 1. nu. 2. appellat enim

Hurtad.

enim ſupernaturale id, quod eſt ſupra vires rerum omnium creatarum; quem modum explicandi facilè refutat Vaſq, tom. 1. in 1. p. ad q. 12. diſp 44. ſect. 1. n. 3. & 10. 2. in 1. p. ad q. 57. d. 214. cap. 2. §. Ex his omnibus, nã hoc pacto creatio erit actio ſupernaturalis in entitate, ſiquidem eſt ſupra vires rerum omniũ creatarum, quod tamen dicendum non eſt; & proptereà P. Hurtad, quaſi aliam excutiens quercum, aſſerit n. 3. id eſſe ſupernaturale, quod eſt ſupra omnem naturam creatam nõ videntem Deum, quam viam explicandi amplexus eſt Salas 1. 2. tom. 2. q. 63. ar. 3. tract. 11. diſp. 6. ſect. 10. præcipuè ad finem ſectionis. Qui modus explicandi ſi admitteretur, facilè probaret non dari ſubſtantiam ſupernaturalem, implicat enim ex terminis eſſe ſubſtantiam, & eſſe ſupernaturalem; omnis enim ſubſtantia eſt natura: ergo ſi datur ſubſtantia ſupernaturalis, dabitur ſubſtantia ſuper ſubſtantiam, quod non minùs implicat, quàm dari ſpiritum corporeum. Quarè hic modus explicandi latè refutatur ab Herice 1. p. tract. 4. diſp. 48. à n. 18. cap. 2. & præcipuè diſplicet, quia præterquàm quòd quæſtionem faciat de vocabulo, natura plures alias habet ſignificationes, ſignificat enim etiam ipſum Deum.

Vaſq. — Hurtad. — P. Salas. — P. Herice

Quod ſit propriè ens ſuper. naturale.

5 Quapropter meo iudicio, ens ſupernaturale idem erit atque ens ordinis diuini, quod ſcilicet habet aliquam connexionem, & proportionem cum natura diuina, vt eſt in ſe; aut immediatè, & phyſicè, vt fit per vnionem hypoſthaticam; aut immediatè intentionaliter, vt fit per viſionem, amorem, & fruitionem Dei; aut mediatè, vt fit per habitus, & actus virtutum infuſarum, qualis eſt gratia, fides, &c. quæ ordinantur ad coniungendam creaturam cum Deo mediatè: erit prætereà ens ſupernaturale omnis ille effectus, qui immediatè procedit à creatura coniuncta cum Deo, quales ſunt dotes glorioſæ: eſt igitur ens ſupernaturale, vt vno verbo dicam, illud, quod eſt eiuſdem ordinis cũ Deo: ita explicat Herice 1. p. tract. 4. diſp. 48. cap. 2. à num. 31. idem tenet Alarcon 1. p. tract. 1. diſp. 2. cap. 3. n. 2. Idem ſentit Faſſolus 1. p. q. 12. ar. 4. dubit. 4. nu. 22. nec diſſentit Soar. in Met. diſp. 32. ſect. 2. n. 31. vbi ordinem ſupernaturalem appellat ordinem diuinum; & tom. 1. in 3. p. ad q. 2. ar. 9. diſp. 9. ſect. 2. §. Secundò ſi, appellat gratiam ordinis diuini, ex eo quòd ſit quædam participatio diuinitatis.

Herice. — Alarcon. — Faſſol. — Soarius.

6 P. Ioannes Martinez de Ripalda copioſiſſimo ſuo opere de Ente ſupern. lib. 1. diſp. 4. ſect. 3. non omnino diſſentit ab hac opinione, vt patet ex n. 27. ipſe tamen nu. 21. decernit illud eſſe ens ſupernaturale; quod habet connexionem quidditatiuam cum gratia ſanctificante: verùm cùm ipſa gratia ſanctificans ſupernaturalis ſit, nec tamen per ordinem ad ſe ipſam, ſed neceſſariò per ordinem ad Deum, à Deo potiùs, quàm ab ipſa gratia, petenda eſt ratio ſupernaturalitatis.

Ripald.

7 Probatur igitur reſolutio: quia ens ſupernaturale tale non eſt per ordinẽ ad ſubiectũ, vt probatũ eſt: neque per ordinẽ ad naturã; neque propter cauſam, à qua fit: neque propter res naturales, quas reſpiciat, tanquàm terminos: neque proptereà quòd ſit ſupra vires naturæ, vt etiam probatum eſt: ergo ex eo erit ens ſupernaturale, quia habet aliquam coniunctionem cum Deo, quod eſt præcipuũ ens ſupernaturale, ſiue diuinum.

8 Confirmatur, quia vnio hypoſthatica eſt omnino ſupernaturalis ſecundùm communem Theologorum doctrinam, & tamen talis non eſt per ordinem ad ſubiectum, cum quo identificatur, ſed per ordinem ad Deum; cui vnit creaturam: ergo &c. Probatur minor, quia hæc vnio identificatur cum natura creata: & tamen eſt ſupernaturalis: ergo talis eſt per ordinem ad Deum. Dicunt aduerſarij: ideò vnio eſt ſupernaturalis, quia eſt ſuper naturam, & exigentiam illius rei, cum qua identificatur: ſed contra, quia priùs eſt, rem eſſe in ſe conſtitutam in ſuo eſſe, quàm habere reſpectum ad aliud: ergo priùs eſt vnionem ipſam habere in ſe illum gradum ſummæ perfectionis, quàm reſpicere naturam creatam. De illo igitur gradu intrinſecò quæro, vnde proueniat tali vnioni? non ex natura, cum qua identificatur: ergo ex Deo, cum quo vnit ipſam naturam creatam.

9 Et declaratur, quia quemadmodùm ens naturale eſt illud, quod eſt ordinis naturæ, ſeu ſubſtantiæ creatæ, quæ dicitur natura: ita ens ſupernaturale erit illud, quod eſt ordinis ſupernaturalis, ſeu diuini: & ſicut omnia hominis accidentia dicuntur humana, quia ſunt ordinis humani: ita accidentia ſupernaturalia talia dicuntur, quia ſunt ordinis ſupernaturalis, hoc eſt diuini: & ſicut riſibilitas, quamuis ſit accidens, dicitur eſſe in eodẽ genere cum homine, appellatur enim humana: ita accidens ſupernaturale, quamuis non ſit ſubſtantia, ratione ſupernaturalitatis dicetur eſſe in eodem genere, ſiue ordine diuino cum Deo.

10 Contra modum explicandi ſupernaturalitatem, obſtas primò. Omnes res creatæ habent ordinem eſſentialem ad Deum, vt ad cauſam efficientem, finalem, & exemplarem: ergo immediatè connectuntur cum Deo ſecundùm has rationes: & tamen non ideò ſũt ſuper-

Reſpõdetur cõtrariis argumentis.

Digitized by Google

ſupernaturales : ergo ſupernaturalitas conſiſtere non poteſt in ordine connexionis cum Deo. Reſpond. negando hanc ſecundam cōſequentiam,maior ratio eſt, quia illa creatutatum connexio eſt valde extrinſeca, & materialis, nobis autem ſermo eſt de alia magis intrinſeca,& nobiliori, quæ fit, vel per vnionem,vel per gratiam, quatenus Deum reſpicit,vt cauſam, & finem alterius ordinis altioris.

11 Obſtas ſecundò. Modus exiſtendi corporis Chriſti Domini in Euchariſtia,ideſt præſentia ſacramentalis,& modus perſeitatis accidentium , nullam cum Deo dicunt connexionem , quia , præterquàmquòd ſint accidentia modalia , non vniunt creaturam cum Deo ; & tamen ſunt modi ſupernaturales ; ergo ratio ſupernaturalitatis non eſt deſumenda ex connexione cum Deo.Reſpond. præſentiam ſacramentalem , & modum exiſtendi per ſe adhuc ordinari ad nos vniẽdos cum Deo,per gratiam copioſam , quæ nobis tribuitur per hoc diuiniſsimum Sacramentum : quód verò ſint accidentia modalia . & Deus ſit ſubſtantia , non obſtat quominùs poſsint dici eiuſdem ordinis cum Deo , ſicut vnio hominis eſt modus , & tamen dicitur humana quia eſt eiuſdem ordinis cum homine.

12 Obſtas tertió. Actio, qua frigus prōditer diuinitus á calore, ſupernaturalis eſſet; & tamen talis actio non nos vnit cum Deo per vllam vnionem: ergo &c. Reſpondetur concedendo talem actionem, ſaltem quó ad modum,ſupernaturalem eſſe: negando tamẽ minorem,quia talis actio nos duceret in cognitionem Dei,atque adeó nos vniret cum Deo per vnionem intentionalem diuinæ cognitionis,qua Deum cognoſceremus,vt potentẽ facere opera , quæ ſuperent vires naturales: Vnde ſimiliter qualitas illa,quæ malos Angelos torquet,ſupernaturalis eſt ex hoc eodẽ principio.Ideó veró amor naturalis Dei,quãuis nos vniat Deo , ſupernaturalis non eſt, quia non vnit nos Deo perfectó modo,quatenus amari poſtulat , ideſt ſupra vires naturales,de qua vnione ſermo eſt.

13 Obſtas quartò. Deus eſt ſubſtantia naturalis : ergo ratio ſupernaturalitatis non ſumitur á Deo. Hoc argumentum tangit graue dubium diſcutiendum à num.23.

Probatur, & defenditur non dari ſubſtantiã ſupernaturalem.

14 HIs poſitis, probatur concluſio , non dari ſcilicet ſubſtantiam realem ſupernaturalem creatam ; quia ſicut in ordine humano implicat dari aliam ſubſtantiam cōpletam humanam, quæ non ſit homo , ita in ordine ſupernaturali,vel diuino,implicat dari aliud ens ſupernaturale completum,quod nõ ſit Deus ; nam ſicut homo eſt præcipuum analogatum in rebus humanis, ita Deus in rebus diuinis,ſiue ſupernaturalibus.

15 Secundò probatur ex communi omnium Theologorum argumento, quia ſi daretur talis ſubſtantia, neceſſarió videret Deũ intuitiuè,tanquàm principalis cauſa, & conſequẽter eſſet impeccabilis;ex quibus ſequeretur talem ſubſtantiam eſſe,& non eſſe Deũ: eſſe, quia haberet proprietates Dei,qui ſolus eſt ex natura ſua impeccabilis,& ſolus neceſſarió ſe videt : ſequeretur deinde non eſſe Deum,quod inde conſtat,quia talis ſubſtantia ſupponitur creata. Quòd verò hæc omnia priuilegia ſequerentur in ſubſtantia ſupernaturali , patet ex eius maxima perfectione. Vnde,vt bene probat Albertinus tom. 1. q.3. Theologica in 3.corollarium,ſex primo principio philoſophico n. 7. talis ſubſtantia non eſſet inſtrumentum , ſed cauſa principalis viſionis Dei,ſiquidem hæc viſió debebatur naturaliter eius intellectui ſupernaturali. Hæc magis conſtabunt ex ijs,quæ dixi in 1.p.tract. 2,diſp.14.ſect.3. *Albertin*

16 Obijcis primò pro contraria ſententia , quæ admittit ſubſtantiam ſupernaturalẽ in quam aliquãtulum inclinat Magiſter Molin.1.p. q. 12. ar. 5. diſp.2. §. Ad ſecundum: & in concordia q.14.ar.13. diſp.38.obiect.4. affirmat ſe in hoc art. oſtendiſſe hoc non eſſe improbabile.Valentia item 1. p. diſp. 1. q. 12.puncto 3. in fine aliquando dubius hæſit , licet tandem noſtram ſententiam ſit ſequutus: immò Herice, quamuis noſtram ſententiam amplectatur,fatetur tamen non inuitus 1.p. tract.4.diſp.48. cap.4.n.63. difficile ſibi eſſe iudicare inter has duas ſententias, quæ nam ſit probabilior:liberiùs tamen ſentit Becanus 1.p.tract.1.cap.9.q.5. vbi indubitanter aſſerit,poſſe à Deo fieri creaturam,quæ ſit naturaliter videns Deum, & quòd inde ſequitur,quæ ſit ſupernaturalis : eandem ſententiã probabilem dicit Maior. in 4. diſt. 49. q. 4. concl.3, nec omnino diſſentit Ioannes Præpoſit. 1.p. q.12. dubio 3. à nu.39. Tandem P. Ripalda de Ente ſupern.lib.1.diſp.23. ſect.3. docet ſtando naturali ratione non eſſe impoſsibilem ſubſtantiam ſupernaturalem : & pro ſe adducit Ægydium Bellanum 3.p.q.76 ar.7, n.118. *Soluũtur argumẽta contraria.* *Molin.* *Valent.* *Herice.* *Becan.* *Maior.* *Prapoſit.* *Ripald,* *Bellan.*

17 Obijcis,inquam,primò, Datur de facto accidens ſupernaturale creatum: ergo de poſsibili dari poterit ſubſtantia ſupernaturalis

crea-

creata. Antecedens de fide eſt: probatur cõſequentia, quia omne accidens poſtulat ſubiectum proportionatum. Reſpond. negando conſequentiam: maior ratio eſt: quia, quamuis detur accidens ſupernaturale, nunquám tamen eſt ſimile Deo in eſſe ſubſtantiali, ſi verò ſubſtantia participaret ordinem diuinũ foret Deo ſimilis in eſſe ſubſtantiali, & foret alter Deus, vt conſtat ex noſtra prima probatione. Ad probationem reſpondetur, ſufficere ad rationem accidentis, quód accidens inhæreat connaturaliter ſaltem ex ſua parte, licet ſubiectum non ſit eiuſdem ordinis, ſicut ſubſiſtentia diuina terminat connaturaliter naturam humanam, quamuis ipſa natura nõ terminetur connaturaliter, ſed obedientialiter: ita etiam naturale eſt accidenti eſſe in ſubiecto, quôd verò tale ſubiectum ſit alterius ordinis, hoc non tollit eſſentiam accidentis.

18 Obijcis ſecundò. Viſio Dei eſt connaturalis intellectui noſtro eleuato, per lumen gloriæ: ergo poterit Deus facere ſubſtantiam, cui talis viſio ſit naturalis. Probatur conſequentia, noſtra anima poteſt accipere hanc perfectionem accidentalem: ergo etiam poterit ſubſtantialem. Reſpondeo negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia ſi anima reciperet illam perfectionem ſubſtantialem, conſequenter eſſet Deus, vel ſaltem pars Dei, quòd vtrúmque implicat; vnde quamuis Deus poſſit facere aliquod compoſitum perfectius, quám coniunctum ex intellectu, & lumine gloriæ, non poterit tamen facere ſubſtantiam ſupernaturalem, propter aſſignatum inconueniens.

19 Obijcis tertiò. Subſtantia ſupernaturalis non repugnat, neque ex præciſa ratione ſubſtantię, neque ex ratione ſupernaturalitatis: ergo abſolutè non repugnat. Probatur antecedens, quia datur vnio ſubſtantialis hypoſthatica, quæ in re eſt ſubſtantia ſupernaturalis; deinde dantur plura accidentia ſupernaturalia: ergo ex neutro capite repugnat. Reſpond. negando conſequentiam, ſolùm enim repugnat dari ſubſtantiam realem ſupernaturalem; in qua ſolúm dantur prædictæ implicationes, quæ non ſequuntur in modo ſubſtantiali ſupernaturali; ſicut enim vnio hominis non eſt homo, licet ſit ordinis humani, ita vnio hypoſthatica non eſt Deus, licet naturam humanam coniungat cũ Deo phyſicè, & ſubſtantialiter, & quamuis ſit eiuſdem ordinis cum Deo.

Soluuntur inſtantiæ contrariæ.

20 Obſtas primò. Nullus modus corporeus identificatur cum re ſpirituali: ergo etiam nulla vnio ſupernaturalis poterit identificari cum extremo naturali, nempe humanitate Chriſti Domini. Reſpondeo negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia modi naturales, cùm ſint immediatæ dependentię, ſumunt ſuam eſſentiam á ſubiectis, quæ afficiunt: at veró modi ſupernaturales non ſumunt ſupernaturalitatem á ſubiectis, ſed à Deo, ad quem habent connexionem, vnde quamuis vnio hypoſthatica idẽtificetur cum natura creata, poteſt eſſe ſupernaturalis propter connexionem, quam cum Deo habet: præterquámquód Vbi Angelicum, in optima opinione, ſit diuiſibile: quamuis identificetur cũ Angelo indiuiſibili.

21 Obſtas ſecundò, Ergo ſaltem poſſibilis erit aliqua forma ſupernaturalis ſubſtãtialis, ſiquidem poſsibilis eſt aliquis modus ſubſtantialis ſupernaturalis. Reſpondeo negando ſequelam: quia forma ſubſtantialis eſſentialiter ordinatur ad faciendum vnum per ſe, quapropter ſi daretur, eſſet eſſentialiter pars entis completi ſupernaturalis; cùm verò nullum detur ens completum ſupernaturale, niſi Deus, foret pars Dei, quod implicat, quia Deus non habet partes: vnio verò ſupernaturalis non eſt propriè pars realis, ſed pars modalis reſpectu Compoſiti.

22 Obſtas tertió. Ideò non poteſt dari intellectus ſupernaturalis, quia cùm dicat ordinem ad intrinſecum, neceſſariò ſupponeret animam ſupernaturalem, á qua emanaret; ſed etiam vnio hypoſthatica dicit ordinem ad intrinſecum: ergo ſupponit naturam creatam ſupernaturalem. Reſpond, conſequentiam non eſſe bonam, debebat enim ſic inferre: ergo ſupponit compoſitum ſupernaturale, cui ſit intrinſeca, quod veriſſimum eſt, non tamen ſupponit naturam creatam ſupernaturalem, vnio enim non eſt intrinſeca partibus componentibus, ſed tantùm compoſito; & ratio eſt, quia ſupponit partes, quarum eſt cauſalitas, ſiue vnio: ergo cùm ante vnionem dentur partes, non eſt illis intrinſeca: neque obſtat, quód vnio hypoſthatica identificetur cum natura humana, nam etiam Vbi identificatur cum ſuo ſubiecto, & tamẽ ſimpliciter dicitur extrinſecum, vt dixi in collectione Prædicamentorum diſp. 52. ſect. 3. n. 3.

23 Obijcis quartò. Deus poteſt creare ſubſtantias in infinitum nobiliores: ergo poterit creare aliquam, quæ nobilior ſit coniuncto ex intellectu, & lumine gloriæ: ergo erit ſupernaturalis. Confirmatur primó, quia talis ſubſtantia non foret intellectualis: ergo non ſequerentur illæ implicationes de viſione Dei, &c. Confirmatur ſecundò, quia non videtur rationi conſentaneum, diuinam omnipotentiam ita coarctari, vt non poſſit extra angu-

anguſtos naturæ cancellos excutere. Reſp, negando conſequentiam, talis enim ſubſtantia ſemper foret naturalis, atque adeò nunquam ſuperaret illud coniunctum ſupernaturale: ſicut poteſt Deus producere infinitas ſpecies brutorum, quæ tamen ſemper erunt ignobiliores homine.

24 Ad primam confirmationem reſpõdetur, illam ſubſtantiam ſupernaturalem neceſſariò futuram intellectualem, cùm enim gradus ſupernaturalis ſit ſupremus, carere nõ debebat hac perfectione intelligendi. Ad ſecundam confirmationem reſpõdetur ex hoc non reſtringi diuinæ omnipotentiæ theſauros, verùm temperato ſplendeſcere in vſu; ſicut enim eſſet imperfectio Dei, dari alios Deos, ita eſſet imperfectio poſſe Deum producere alios Deos; vnde in rebus diuinis non minùs peccatur per defectum, quàm per exceſſum, quapropter *Inter vtramque viam mediâ tutiſsimus ibis.*

Vtrùm Deus ſit ſubſtantia ſupernaturalis?

Reſponſio eſt affirmatiua.

25 Secunda concluſio: Deus eſt ſubſtãtia ſupernaturalis: Hæc concluſio ſine dubio eſt de mente Patrum, & Scholaſticorum, quamuis illam ſub his terminis non attingant, illam tamèn tenet Albertinus tom. 1. q. 5. Theologica in 5. corollario ex 2. principio philoſophico n. 2. tractatur etiam in Laurea Salmantina certamine 4. ſcholaſtico ar. 4. dubit. 4. nu. 22. poſt principium, ſolum Deum eſſe eſſentialiter ſubſtantiam ſupernaturalem: hæc etiam ſine dubio eſt ſententia Herice 1. p. tract. 4, diſp. 28. cap. 3. vbi cùm aſſerat, ſupernaturalitatem ſumendam eſſe per ordinem ad Deum, ſupponit neceſſariò Deum eſſe ſupernaturalem; eandem ſententiam expreſſit Hurtad. in Phyſ. diſp. 7. n. 3. inclinat Soar. in Met. diſp. 32. ſect. 2. n 31, vbi aſſerit idem valere eſſe ordinis ſupernaturalis, atque ordinis diuini; mecum ſentit Alarcon. 1. p. tract. 1. diſp. 2. cap. 7. cum Anton. Perez. Gonſal. Faſſol. Turrian. Arrub. Granad. & alij, quos citat n. 3. & 4.

Albertin. Laur. Salmant. Herice. Hurtad. Soarius. Alarcon. Perez. Gonſal. Faſſol. Turrian. Arrub. Granad.

26 Probatur primò, quia homo eſt præcipua ſubſtantia in ordine humano, & Angelus in ordine Angelico: ergo Deus eſt præcipua ſubſtantia in ordine diuino: ſed idem eſt ordo diuinus, ac ſupernaturalis: ergo &c. Cõfirmatur ex illo effatu Ariſtotelis, *Propterquod vnumquodque tale, & illud magis*, ſed accidentia ſupernaturalia dicuntur talia propter Deum, cum quo vniunt creaturam: ergo Deus eſt magis ſupernaturalis. Confirmatur ſecundò. Quia Deus debet pertinere ad nobiliorem rerum ordinem, ut dari poſsit intra latitudinem entis: ſed nobilior eſt ordo ſupernaturalis: ergo &c.

27 Probatur ſecundò. Si daretur ſubſtãtia, quæ ex ſua natura eſſet impeccabilis, & connaturaliter videret diuinam eſſentiam, illa, vt omnes vnanimiter concedunt eſſet ſupernaturalis, & ſimul eſſet Deus: ſed Deus ipſe ab intrinſeco eſt impeccabilis, & ſe ipſum connaturaliter videt: ergo eſt ſupernaturalis: quod argumentum efficaciſsimum eſt ſaltem ad hominem. Confirmatur, quia, vt eſt communis Theologorum ſententia, Deus eſt noſter finis ſupernaturalis, & ſupernaturalis beatitudo: ergo eſt ſubſtantia ſupernaturalis, ſi enim à ſe non habuerit ſupernaturalitatem, non habet vnde illam poſsit vendicare, vt patet.

28 Obijcis pro contraria ſententia, quã aliqui iuniores inuiti tamen, vt ego ſuſpicor, defendunt cum Salas 1 2. tom. 2. q. 63. ar. 1. tract. 11. diſp. 6. ſect. 10. n. 103. Ens ſupernaturale eſt illud, quod perficit aliud ſupra id, quod naturaliter poſtulat: ſed Deus non poteſt perficere aliquod ſubiectum: ergo &c. Reſpondetur ad maiorem, propoſitam definitionem ad ſummum comprehendere accidentia ſupernaturalia, ratio enim ſupernaturalitatis aliundè ſumenda eſt, vt patet ex dictis. Soluũtur contraria argumẽta Salas.

29 Obijcis ſecundò. Ratio entis, & ratio ſubſtantiæ eſt propria Dei, & tamen communicatur entibus creatis: ergo ſi ratio ſubſtantiæ ſupernaturalis eſt propria Dei, poterit etiam communicari ſubſtantijs creatis: hoc non eſt dicendum, vt conſtat ex dictis: ergo Deus non eſt ſubſtantia ſupernaturalis. Confirmatur prima conſequentia, quia Deus eſt infinitis modis participabilis. Reſp. negando conſequentiam: maior ratio eſt, quia ratio entis in Deo eſt communiſsima: at verò ratio ſupernaturalitatis eſt maximè propria, & ideò ſubſtantialiter communicari non poteſt: neque Deus in hac parte participabilis eſt, propter implicationem, ſicut implicat participari à creatura in eo, quòd eſt Trinus in perſonis: neque obſtat, quòd Deus dicatur *natura*, hoc enim non tollit quominùs in nobiliori ordine ſupernaturali ſit.

30 Ex dictis bene colligitur, quòd ſi daretur talis ſubſtantia ſupernaturalis, non ingrederetur prædicamentum ſubſtantiæ, quia foret Deus, quem anguſti prædicamenti limites non capiunt. Hæc ſatis ſint pro ſubſtantia ſupernaturali, circa cuius cognitionem ſolus intellectus ſupernaturalis poterit libe- Subſtãtia ſupernaturalis non ponitur in prædicamento.

liberiùs excurrere: ergo cum Herice cit. cap. 5. fine, dicam circa hanc materiam, *feci vt potui. neque enim difficultas plus patitur, neque meum ingenium plus poteſt. &c.*

SECTIO II.

Vtrùm Deus ponatur in prædicamento ſubſtantiæ?

Reſolutio eſt negatiua. P. Soar. P. Vaſq. Valent. Fonſeca. D. Aug. D. Anſel. Boet. Pic. mir. Ferrar. Caiet. Albert. Scotus. Bonau. Durand. Richard. Ægydius. Alexand. Patres Conimb. Gillius. Præpoſit. Recupit.

1 PRima concluſio. Deus Optimus Maximus neque per ſe, nec reductiuè, propriè loquendo, collocatur in prædicamento: ita D. Th. 1. p. q. 3. ar. 5. Soar. in Met. diſp. 30. ſect. 4. à n. 30. (vbi ex cōmuni Theologorū ſententia oſtendit in Deo non eſſe compoſitionē metaphyſicam) Vaſq. 1. p. tom. 1. q. 3. diſp. 22. cap. 3. Valent. 1. p. diſp. 1. q. 3. puncto. 1. Fonſ. 5. Met. exprimit eandem concluſionem cap. 8. q. 1. ſect. 2. idē præſtat Rub. in Logica cap. 5. de Subſtantia q. 2. à n. 3. in quo citat Auguſtinum, Anſelm. Boetium, Picomirandulam, Ferrarienſem, Caietanum, Albert. Scotum, Bonauent. Durād. Richard. Ægydium, Alexandrū; eandē ſententiā tenent Patres Conimbric. q. 2. de Prædicam. ar. 2. tenet etiam Gillius tom. 1. lib. 2. tract. 4. cap. 7. & 8. vbi num. 3. citat viginti octo auctores Scholaſticos: pro eadem ſtant P. Præpoſ. 1. p. q. 3. ar. 5. n. 7. Recupit. tomo de Deo lib. 2. q. 8.

2 Probatur à priori, quia Deus eſt infinitus, nec componitur ex genere, & differentia; omnia verò, quæ in prædicamentis collocantur, finita eſſe debent; componique debent ex genere, & differentia, niſi ſit aliquod genus ſummum, quale non eſt Deus. Confirmatur, & declaratur; quia id, quod ponitur in prædicamento, vel eſt genus, vel ſpecies, vel indiuiduum contentum ſub aliqua ſpecie: ſed Deus non eſt genus, cùm non ſit aliquid cōmune logicum, non etiam eſt ſpecies; deinde non continetur immediatè ſub aliqua ſpecie infima: ergo &c. ex quibus ſequitur, nec reductiuè, propriè loquendo, poni in prædicamēto; illa enim ſic ponuntur, quæ pertinent ad compoſitionem entis, quod per ſe ingreditur prædicamentum, vt eſt materia, & forma: ſed Deus non ita ſe habet, non enim eſt pars pertinens ad compoſitionem: ergo &c.

Ocham. Gabriel. Greg. Marſil. Guilh. Hurt.

3 Obijcis primò pro contraria ſententia, quam ſequūtur omnes Nominales Ocham. Gabriel. Gregor. Marſil. Guilh. de Rubione, quos citant Vaſq. citatus n. 2. & Gillius n. 1. eandem ſententiam nimis acriter tuetur Hurtad. in Metap. diſp. 9. ſect. 4. per totam, & ſect. 2. n. 14. nos arguit quaſi malè à nobis cum Deo actum ſit, nā cùm rebus alijs creatis decem demus rerum claſſes, *Cur*, inquit, *Deo non dabis vnam?* Hæc tamen P. Hurt. pro Deo ſupplicatio, pia magis videtur, quā philoſophica; ideò enim ſedem vnam Deo non damus, quia nec decem ſufficiunt; quapropter prædicamentū illud diuinum, quod cap. 2. n. 18. conſtituit à diuino ente longiſſimè ablegandum.

4 Et ratio manifeſta eſt, quia, vt dixi, prædicamentum debet eſſe genus rerum finitarum, Deus autem non eſt genus, neque ens aliquod finitum: ergo Deus non poteſt conſtituere prædicamentum, quod habeat conditiones à Philoſophis communiter receptas: neque enim ſermo eſt de prædicamento, quod habeat diuerſas cōditiones, dum enim P. Hurt. nobis non probauerit, Theologos omnes in hoc conueniſſe, nō poteſt auctoritate propria prædicamentum aliquod de nouo conſtituere ſub diuerſis conditionibus: nō miror tamen in hanc ſententiam incidiſſe P. Hurt. ipſe enim ait eodem cap. num. 20. hanc diuiſionem prædicamentorum *examinandam non eſſe Lydio lapide, ſed pingui Minerua accipiendam*, nos tamen, qui Mineruam colimus politiorem, nihilque in prædicamento reponimus, niſi quod

Multa dies, & multa litura coercuit, & quod — Horat. in Arte Poet.
Purgatum decies non caſtigemus ad vnguem,

ideò à prædicamentorum decade Deum religioſè remouemus; quamuis etiam pro Hurt. pugnet Arriaga in Metaph diſp. 3. ſect. 2. — Arriaga.

5 Obijcis, inquam, primò. Non repugnat Deo compoſitio metaphyſica ex natura, & ſubſiſtentia, vel etiam quaſi phyſica ex natura, & attributis: ergo ſimiliter non repugnabit compoſitio ex genere, & differentia, præcipuè cùm hæc ſit rationis: ergo ſi componitur ex genere, & differentia, pertinere poteſt ad prædicamentum ſubſtantiæ. Reſpond. negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia compoſitio ex natura, & ſubſiſtentia, vel ex natura, & attributis non arguit imperfectionem, quam ſupponit compoſitio ex genere, & differentia, hæc enim habere debet gradum aliquem ſuperiorem, qui debeat contrahi, nihil autem datur commune ſupra Deum: & deinde differentia concipi debet, tanquàm perfectio aliqua de nouo adueniens, quæ ſit extra eſſentiam gradus generici: at verò nulla perfectio de nouo poteſt Deo aduenire: Vnde diuinæ relationes, ſeu ſubſiſtentiæ ita componunt Deum metaphyſicè, vt formaliter includant diuinam eſſentiam, & diuina eſſentia eminenter includat relationes:

ſimi-

ſimiliter attributa diuina formaliter includũtur in diuina natura, & natura in attributis, quarè ex hac compoſitione nulla ſequitur imperfectio, cùm hæc omnia concipiantur intrà Deum.

6 Obijcis ſecundò. Deus eſt prima ſubſtantia: ergo ponitur in prædicamento ſubſtantiæ. Reſpond. ad antecedens, Deum non eſſe primam ſubſtantiam prædicamentalem; neque primam ſubſtantiam à ſubſtando, ſed eatenus dici poteſt prima ſubſtantia, quatenus exiſtit per ſe, neque eſt in ſubiecto, neque de ſubiecto aliquo dicitur, quarè cõſequentia non eſt bona.

7 Obijcis tertiò. Linea infinita, vel qualitas infinita intenſa, ſi darentur, ponerentur in prædicamento: ergo ſimiliter Deus, quamuis ſit infinitus. Reſpondetur negando conſequentiam: maior ratio eſt, quia illa quantitas, vel illa qualitas eſſet infinita per accidens: eſſentia enim quantitatis, vel qualitatis non poſtulat infinitatem, vel extentionis, vel intentionis: at verò Deus eſt ens ſimpliciter infinitum & ideò non poteſt recipi in prædicamento rerum finitarum. Si verò daretur numerus infinitus, exularet, vt ego exiſtimo, à prædicamento, quia cùm numeri ſint diuerſæ ſpeciei, infiniti numeri infinitas adderent perfectiones, ac proinde iam ille numerus infinitus foret in ſuo genere ſimpliciter infinitus per ſe: at verò infinitas in extenſione quantitatis, vel in intenſione qualitatis (cum non addat differentias eſſentiales diuerſarum rationum, ſicut addunt numeri) eſt per accidens: quantitas enim magis, vel minùs extenſa, qualitas item magis, vel minùs intenſa ſemper ſunt eiuſdem ſpeciei.

8 Obijcis quartò, Terminus reducitur ad prædicamentũ rei quam terminat, vt patet in ſubſiſtentia hominis, quæ reductiuè ponitur in prædicamento ſubſtantiæ: ſed Verbum diuinum eſt terminus Chriſti Domini: ergo reductiuè pertinebit ad prædicamentum ſubſtantiæ, in quo ponitur Chriſtus Dominus. Reſpondeo negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia ea ſolùm reductiuè ponuntur in prædicamento, quæ cadunt à perfectione entis prædicamentalis, quod per ſe ponitur in prædicamento: at Verbum diuinum, ſiue Deus, quamuis ſit terminus, tamen infinitè excedit perfectiones entis prædicamentalis.

Vtrùm Deus ponatur in prædicamento per communicationem idiomatum?

9 SEcunda concluſio. Deus, & Verbum diuinum ponitur in prædicamento per communicationem idiomatum. Hæc concluſio defenditur à P. Rubio lib. Prædicamentorum cap. 5. q. 2. de Subſtantia n. 62. §. Iuxta hanc, vbi aſſerit, hãc ſententiam euidenter ſequi ex eo, quòd Chriſtus ponatur in prædicamento, vt videbitur, addo ego contra modernos, qui contrariam ſententiam communiter ſequuntur, oppoſitum eſſe omnino intelligibile. Vt probetur concluſio ſciendum eſt, prędicationem, ſeu communicationem idiomatum eſſe mutuam diuinorum, & humanorum attributorũ prædicationem, ratione vnionis hypoſthaticæ, de quibus latè Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 16. P. Vaſq. ibidem diſp. 63. cap. 3. Reſolutio eſt affirmatiua Rubius. Soarius. P. Vaſq.

10 Probatur concluſio Quia multa prædicata, quæ Deo repugnabant ante incarnationem, verè modò de illo affirmãtur per cõmunicationem idiomatum, vt v. g. quòd ſit homo, quòd ſit corporeus, quòd ſit natus, vel mortuus: ergo etiã de Deo poſt incarnationẽ poterit fieri hæc prædicatio, *quòd ponatur in prædicamento*, & propter hoc vnicum argumentum, hæc ſententia mihi videtur probabilior. Reſpondetur cõtrarijs argumentis.

11 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quæ communiter defendi ſolet: Deus per communicationem idiomatum non dicitur compoſitus ex duplici natura, diuina, & humana: ergo etiam non dicetur poni in prædicamento. Probatur conſequentia, quia de Chriſto Domino dicitur eſſe compoſitus ex duplici natura; & tamen hæc prædicatio non dicitur de Deo: ergo &c. Reſpond. negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia illæ ſolùm prædicationes dicuntur de Deo per communicationem idiomatum, quæ dicuntur de Chriſto Domino accepto, ſecundùm ſuum formale ſignificatum naturę humanæ; non verò illa, quæ dicuntur ſecundùm omne adæquatum, & materiale ſignificatum Chriſti Domini, vt ſe habet hæc prædicatio, *Chriſtus eſt compoſitus ex duplici natura*, quia talis prædicatio non dicitur ſimpliciter de homine, ſed de toto compoſito, ſicut etiam de Socrate verè dicitur, quòd ſit cõpoſitus ex materia, & forma, non tamen dicitur, quòd ſit materia, & forma, licet illas habeat, & ratio eſt, quia in prædicationibus ſubiecta limitantur à prædicatis.

12 Obijcis ſecundò. Illa ſolùm prædicata dicuntur de Deo, per communicationẽ idiomatum, quæ dicuntur de Chriſto Domino, innuendo ſuppoſitum; ſed hæc prædicatio non ita ſe habet, quia ſolùm verificatur de natura humana: ergo &c. Reſp. negando minorem, hæc enim prædicatio, quãuis verificetur de natura humana, non minùs innuit ſuppoſitum, quàm hæc, Deus eſt corporeus.

13 Obijcis tertiò. Deus, ſeu Verbum diuinũ, non dicitur cõpoſitum ex genere, & differentia per communicationem idiomatum: ergo neque dicetur poni in prædicamento. Reſpond. primó negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia illa prædicatio non eſt in vſu, hæc verò iam recipitur à multis Recentioribus. Reſp. ſecũdò, negando antecedens, bene enim admitti poteſt, Verbum diuinum dici cõpoſitũ ex genere, & differentia per cõmunicationẽ idiomatũ, ſicut dicitur homo.

14 Obijcis quartò, & principaliter. Prædicamenta inuenta ſunt ad rerum diſtinctionem: ergo neque per communicationẽ idiomatum admittendus eſt Deus in prædicamẽto, quia ſic coniungerentur, & confunderentur ens finitum, & infinitum. Confirmatur, quia non ſunt attribuenda Deo per communicationem idiomatum, niſi ea prædicata, quæ illi communiter à Sanctis Patribus, ac Theologis ſolent accommodari, qualis non eſt hæc prædicatio, de qua agimus. Reſpondeo, propter has rationes probabiliter defendi poſſe contrariam ſententiam, non verò propter illas, quas ſuprà adduximus, quibus Neoterici hallucinantur: nihilominùs tamẽ noſtra opinio probabilior eſt; reſpondeo igitur, nullam dari prædicamentorum confuſionem, ex eo quòd Deus admittatur per cõmunicationem idiomatum, ſicut nulla datur confuſio, quamuis Chriſtus Dominus, qui eſt verè Deus, admittatur in prædicamento ſubſtantiæ.

Quo pacto defendi poſsit contraria opinio.

15 Ad confirmationem reſpondetur, illã prædicationem admitti à Patribus, & Theologis, non quidem explicitè, ſed ſaltem implicitè ſiquidem *hic homo*, *nempe Chriſtus Dominus*, qui abſolute eſt Deus, ponitur in prædicamento. Vnde in hac opinione dicendũ eſt, Verbum diuinum non poni in prædicamento per ſe, cùm directò non pertineat ad illud: nec dicendum eſt poni reductiuè, illa enim reducuntur ad prædicamenta, quæ propter ſuam imperfectionem, per ſe ingredi non poſſunt: ſed dicendum eſt poni tertio quodã modo, ideſt, per communicationem idiomatum.

SECTIO III.

Vtrum Chriſtus Dominus ponatur in prædicamento ſubſtantiæ?

1 Sit vnica concluſio. Chriſtus Dominus per ſe ponitur in prædicamẽto ſubſtantiæ, tanquàm verum indiuiduũ hominis. Ita cõmuniter Theol. duce D. Th. 3. p. q. 2. ar. 3. ad 3. expreſsit hanc concluſionem Fonſ. 5. Met. cap 8. q. 7. ſect. 5. & Rub. in Logica cap. 5. q. 2. de Subſt. tertia poſt n. 62. eandem ſupponunt Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 3. diſp. 12. ſect. 2. §. Tertia difficultas, ad finem: & q. 16. ar. 1 in com. §. Dicendum verò, & §. Vlteriùs. Vaſq. etiam tom. 1. in 3. p. ad q. 16. diſp. 68. cap. 3 nu. 15. & Thomiſtæ communiter Caiet. Medin. & alij, ad locum D. Th. P. Gaſp. Hurtad. tract. de Incarnatione, diſp. 11. difficult. 10. §. Vaſq. ad num. 42. quatenus aſſerunt, Chriſtum Dominum vniuocè conuenire cum alijs hominibus.

Reſponſio eſt affirmatiua.

D. Thom. Fonſec. Rubius. Suarius. Vaſq. Caiet. Medin. Gaſpar Hurtad.

2 Probatur concluſio. Omnia indiuidua hominis collocantur in prædicamento ſubſtantiæ: ſed Chriſtus Dominus eſt verum hominis indiuiduum vniuocè cum alijs conueniens: ergo per ſe cum alijs ponitur in prædicamento ſubſtantiæ. Declaratur concluſio, quia ſi quid impediret quominùs Chriſtus Dominus eſſet prima ſubſtantia prædicamẽtalis, foret diuinum ſuppoſitum; ſed hoc non impedit: ergo &c. Probatur minor, quia vt aliqua dicantur vniuocè conuenire, ſatis eſt, quòd formæ præcipuæ vniuocè conueniant, vt patet in Socrate, & Paulo, qui ſimpliciter conuenire vniuocè dicuntur, quamuis illorũ differentiæ indiuiduantes non conueniant vniuocè; præterea album eſt ſpecies ad omnia alba, licèt ſubiecta non ſint eiuſdem ſpeciei: cùm igitur forma, ſiue humanitas, ſit eadem ſpecie cum Chriſto Domino, & cum Socrate, conueniẽt vniuocè in homine, licèt termini, ideſt ſubſiſtentiæ non conueniant vniuocè: ergo ſi reliqui homines ponuntur in prædicamento ſubſtantiæ, idem dicendum de Chriſto Domino.

Reſpondetur argumentis contrariæ ſententiæ.

Obijcis tamen pro contraria ſentẽtia, quã ſequuntur Scot. in 3 diſt. 7. q. 1. Heru. ibidẽ q. vnica. Licher. Baſſol.

Scotus. Heruæus, Lich.

Baſſol. Ocham. Maior. Fonſeca.

Baſſol. & reliqui Scotiſtæ, quam præterea tenēt Nominales Ocham. Maior.& alij, quos citat Fonſ.in Met.lib.5,cap.8,q.7 ſect.2. initio ad marginem, quatenus aſſerunt, hāc prædicationem, *Chriſtus eſt homo*, eſſe contingentem, proindeque non eſſe ſpeciei de ſuo indiuiduo,& conſequenter, Chriſtum non eſſe ſubſtantiam prædicamentalem.

4 Obijcis, inquam, primò. Chriſtus Dominus dicit de formali naturam diuinam, & humanam ſubſiſtentes in Verbo, ſed prout ſic eſt aliquid infinitum: ergo non eſt ſubſtantia prædicamentalis. Ad hoc argumentū facilè reſpondetur in ſententia eorum, qui dicunt, Chriſtum Dominum ſolùm dicere de formali hanc humanitatem connotando diuinam ſubſiſtentiam, ſic enim, cùm formale ſignificatum, nempe humanitas, ſedem habeat in prædicamento, verè dicetur Chriſtus poni in prædicamento; neque obſtabit ſubſiſtentia diuina, ratio enim ingrediendi prædicamentum non eſt ſubſiſtentia, ſed natura; quamuis autem ſubſiſtentia requiratur, tanquàm conditio, hæc non deeſt Chriſto Domino,& per accidens eſt, quòd ſit diuina, nam re vera terminat,& facit Chriſtum Dominum ens per ſe ſubſiſtens.

5 At iuxta opinionem illorum, qui aſſerunt Chriſtum de formali dicere vtramque naturam, cum diuina ſubſiſtentia (de qua dicemus diſp.59.ſect.1.à n.27.) habet argumētum magnā difficultatem, quamuis eam nolint fateri Recentiores: Reſpondetur ergo, quòd, licèt Chriſtus Dominus dicat de formali diuinam naturam,& ſubſiſtentiam, cùm tamen etiam dicat de formali naturam humanam, maior datur ratio, cur propter humanitatem ponatur in prædicamento, quàm vt propter diuinitatē reijciatur, negatio enim eſt malignantis naturæ,& negat omnia, adeò vt ad veritatem huius propoſitionis, *Chriſtus Dominus non ponitur in prædicamento*, oporteret nihil in eo eſſe formaliter, quod in prędicamento poneretur; cùm tamen natura humana verè recipiatur in prædicamēto, maior datur ratio, vt ſimpliciter dicatur poni, quàm vt ſimpliciter dicatur reijci.

Quamuis Chriſtus dicat de formali vtràque naturam, ponitur in prædicamento.

Multiplices inſtantiæ ſoluūtur.

6 Inſtas primò. Homo albus non eſt ens prædicamentale, quia ſimpliciter eſt ens per accidens, quamuis aliunde, quà homo, ſit ens per ſe: ergo Chriſtus Dominus, licèt quatenus homo ſit finitus, cùm tamen aliunde ſit infinitus, non erit ſubſtantia prædicamētalis. Probatur conſequentia; ideò homo albus eſt ens per accidens, quia vtrumque dicit de formali, ſed etiam Chriſtus Dominus in hac opinione dicit vtramque naturam de formali: ergo eſt ens infinitum. Reſpondeo negando conſequentiam; maior ratio eſt, quia homo albus ſemper ſumitur, ſecundùm ſuum adæquatum ſignificatum, &, vt ſic, ſemper eſt compoſitum per accidens: at verò Chriſtus Dominus, licèt dicat de formali vtramque naturam, poteſt tamen aliquando ſumi inadæquatè ſecundùm formale ſignificatum humanitatis ſubſiſtentis per Verbum, & tunc verè ponitur in prædicamento.

7 Inſtas ſecundò. Ergo Chriſtus Dominus, quatenus Chriſtus, non ingreditur prædicamentum, quia Chriſtus non eſt ſolùm natura humana, ſicut homo non eſt ſolùm animal. Reſpond, negando illationem, quamuis enim Chriſtus nō ſolùm ſit natura humana, adhuc tamen, quatenus Chriſtus, ponitur in prędicamento, quia in eo ponitur natura humana ſubſiſtens, licèt Chriſtus ſecundùm adæquatum ſignificatum, & ſecundùm omnes ſui partes non ponatur in prædicamēto, ſufficit enim quòd ponatur ſecundùm vnam partem, quam dicit de formali; nam, vt dixi, negatio negat omnia; vnde, ſi diceretur non poni, intelligendum foret non poni etiam ratione humanæ naturæ: at verò *homo albus*, nunquàm ſumitur inadæquatè, alioquin iam non eſſet homo albus: quòd ſiquis inſtet, poſſe ſumi inadæquatè, parili greſſu procedet argumentum; ac tandem nos relinquet iſte *homo albus*, cuius argumenti metu aliqui dealbeſcunt.

8 Inſtas tertiò. Chriſtus Dominus, in hac ſecunda opinione, eſt diuerſæ ſpeciei ab alijs hominibus: ergo non collocatur cum illis in eadem ſerie prædicamentali. Probatur antecedens. Variata qualibet parte eſſentiali, variatur totum: ſed Chriſtus in hac opinione habet vnam partem eſſentialem diuerſam; nempe naturam diuinam, quàm alij homines includunt: ergo ſecundùm ſuum formale ſignificatum eſt diuerſæ ſpeciei. Reſpond. ad antecedens, Chriſtum Dominum ſimpliciter dici eiuſdem ſpeciei cū reliquis hominibus, propter naturam humanam, ſecundùm quam ſumitur inadæquatè, quamuis ſecundùm ſuum adæquatum ſignificatum formale cum illis non conueniat: hoc tamen ſatis eſt, vt dicatur ſimpliciter cum alijs conuenire, ſicut leo,& homo dicuntur ſimpliciter conuenire vniuocè, licet non conueniant ſecundùm ſuum adæquatum ſignificatum, nempe per differentias ſimul,& per naturas.

9 Obijcis ſecūdò. Chriſtus Dominus eſt aliquid infinitum: ergo non eſt ens prædicamentale. Confirmatur, quia non eſt vnū per ſe, ſiquidem componitur ex duplici natura completa. Reſpond. Chriſtum Dominū eſſe aliquid infinitum ſecundùm materiale, &

Quo pacto Chriſtus ſit infinitus.

adæquatum ſignificatum, non verò ſi accipiatur ſecundùm formale ſignificatum inadæquatum, ideſt ſecundùm naturam humanam, pro qua dicitur ens prædicamentale.

10 Inſtas. Chriſtus Dominus, quà homo, habuit meritũ infinitũ: ergo etiã quà homo inadæquatè eſt infinitus. Declaratur antecedens, quia actiones Chriſti Domini fuere infiniti valoris, & meriti; ſed non potuit mereri quà Deus (Deus enim non habet ſuperiorem, apud quem mereri poſsit) ergo ſi Chriſtus Dominus, quà homo, habuit meritũ infinitum, quà homo fuit infinitus. Reſpond. ad hanc inſtantiam, Chriſtum Dominum, quà homo eſt, habuiſſe meritum infinitum, non quatenus actiones illæ phyſicè egrediebantur à principio finito, nempe humanitate, ſed fuiſſe meritum infinitum in morali æſtimatione, ad quod ſatis eſt, quòd proueniret meritum à natura libera vnita ſuppoſito diuino infinito, à quo talis humanitas reddebatur infiniti valoris in morali æſtimatione; meritum enim, & actiones ſunt ſuppoſitorum. Eſt igitur Chriſtus Dominus ens infinitum, ratione ſuppoſiti infiniti, non tamen ingreditur prædicamentum, ratione huius ſuppoſiti, ſed ratione humanitatis finitæ, vt patet ex dictis.

Quo pacto Chriſtus ſit vnum ens per ſe.

11 Ad confirmationem reſpondetur, Chriſtum Dominum eſſe vnum per ſe, non quidem ratione naturarum, ſed ratione ſuppoſiti. Inſtas, ergo Verbum diuinum eſt ens incompletum, id enim quod componit vnũ per ſe, ens incompletum eſſe debet; ergo &c. Reſpond. negando illationem, nam id, quod componit terminando, non eſt ſemper incompletum, vt patet in diuinis relationibus, quæ faciunt compoſitionem rationis cum diuina eſſentia, cùm tamen ſint entia completa. Quapropter quando communiter dicitur, *quidquid aduenit enti completo facit cum illo vnum per accidens*, intelligendum eſt de his, quæ adueniunt per modum formæ adiacentis: vel ſaltem intelligendum non eſt de his, quæ adueniunt ratione ſubſiſtendi.

12 Obijcis tertiò. Chriſtus Dominus non eſt ſubſtantia prædicamentalis: ergo nõ ponitur in prædicamento ſubſtantiæ. Probatur antecedens: hæc prædicatio, *Chriſtus eſt homo*, eſt contingens, quia connexio inter humanitatem, & diuinitatem fuit contingẽs: ergo hæc prædicatio, *Chriſtus eſt homo*, non eſt per ſe, neque eſſentialis, & conſequenter non eſt prædicamentalis. Confirmatur deinde, quia ante Incarnationem non fuit homo: ergo illa prædicatio eſſentialis non eſt, ſiquidem non fuit vera ab æterno. Reſpond. ad antecedens, illam accidentalem connexionẽ inter humanitatem, & diuinitatem non tollere, quominùs Chriſtus Dominus ſit eſſentialiter, & per ſe homo, vt tenet communis ſententia cum D. Thom. 3. p. q. 16 ar. 1. Vaſq. Med. Soar. Lorca, & alij communiter contra Baſſolum, & Paludanum.

Chriſtus eſt homo eſt propoſitio eſſentialis.

D. Thom. Vaſq. Medin. Soarius. Lorc. Baſſol. Palud.

13 Ratio eſt, quia Chriſtus Dominus participat eſſentiam hominis, quamuis contingẽs fuerit illa vnio, ſicut contingẽter vnita eſt hæc forma Socratis cũ hac materia; & hæc albedo cum homine: & tamen forma eſt de eſſentia Socratis, & albedo eſt de eſſentia hominis albi; vt verò prædicatio non ſit eſſentialis, poſtulari non debet prædicatum à ſubiecto, vt cõtingit in hac, *Socrates eſt albus*, nam Socrates non poſtulat albedinẽ: at verò cùm Chriſtus componatur ex natura diuina, & humana, vtramque poſtulat eſſentialiter, vnde hæc eſt eſſentialis, *Chriſtus eſt homo*, & hæc, *Chriſtus eſt Deus*; hæc veró eſt accidentalis, *Deus eſt homo*: ſicut hæc, *Petrus eſt albus*, nam Deus non poſtulat humanitatẽm: ſicut neque Socrates albedinem.

Deus eſt homo eſt cõtingẽs.

14 Inſtas. Si hæc propoſitio eſt contingens, *Deus eſt homo*, etiam hæc erit contingens, *Chriſtus eſt homo*. Reſpond. negando ſequelam, nam ſenſus huius propoſitionis, *Chriſtus eſt homo*, vt foret verè cõtingens, ita debebat eſſe, *ergo aliquid, quod eſt Chriſtus eſt homo*, nã reuera tũc hæc propoſitio erat contingens, quia aliquid quod eſt Chriſtus, ſecundùm inadæquatum ſignificatum, nempe Deus, contingenter eſt homo.

15 Ad confirmationem argumenti numeri 12. reſpondetur; ante incarnationem, immò & in triduo non datum fuiſſe Chriſtũ Dominum actu exiſtentem, nihilominus datum fuiſſe in eſſe obiectiuo, & poſsibili, quod ſatis eſt, vt dicatur ab æterno eſſentialiter homo, & eſſentialiter Deus; quod ſecundum manifeſtiùs ſequitur in opinione, quæ aſſerit, Chriſtum Dominum dicere de formali naturam diuinam, & humanam.

16 Obijcis quartò. Si hæc prædicatio eſt vera, & per ſe. *Chriſtus eſt homo*, etiam hæc erit eſſentialis, *Chriſtus eſt Angelus*, quia videlicet potuit Verbum diuinum aſſumere naturam Angelicam; & vt aliquid ponatur in prædicamento, non requiritur exiſtentia, ſed ſufficit poſsibilitas: hoc non eſt dicendum: ergo &c. Reſpondetur concedendo ſequelam, & negando minorem, illa enim propoſitio ab æterno eſſentialis eſt, ſufficit enim poſsibilitas.

Inſtas

Digitized by Google

Idē indiui duū poteſt pertinere ad diuerſas ſpecies.

17 Inſtas ergo idem indiuiduum, nempe Chriſtus, collocaretur ſub duabus ſpeciebus non ſubalternatim poſitis; nempe ſub homine, & ſub Angelo, ſed hoc fieri non poteſt: ergo &c. Probatur minor. Eadem ſpecies non poteſt collocari ſub duobus generibus non ſubalternatis: ergo neque idem indiuiduum ſub duabus ſpeciebus non ſubalternatim. Reſpond. negando minorem, & ad probationem danda eſt maior ratio, quia ſpecies ſunt gradus eſſentiales, hoc eſt, qui ſolam habent eſſentiam, quare ſi ſpeciei aliquid additur, neceſſariò eſt aliquid eſſentiale, ac proinde iam eſt alia ſpecies; vnde dixit Ariſtoteles, *species eſſe veluti numeros*. Quapropter nunquam vna, & eadem ſpecies collocari poteſt ſub duobus generibus non ſubalternatim poſitis: at verò indiuiduum, præter eſſentiam communem, habere poteſt aliqua accidentia, vt in Socrate reperitur albū, quod non mutat Socratem eſſentialiter: ac proinde mirum non eſt, ſi ratione graduum de nouo aduenientium pertinere poſſit idem indiuiduum ad varias ſpecies non ſubalternatas: ita colligo ex D. Thom. 4. contra Gētes cap. 41, initio. Ex quibus omnibus cōſtat, Chriſtum Dominum eſſe ſubſtantiam prædicamentalem. D.Thom.

18 Parce tamen, Chriſte auguſtiſsime, & ſicut ſub exiguo humanitatis noſtræ ſacculo claudi paſſus es, ſic patere anguſtam, pro maieſtate tua prædicamentorum noſtrorum caſulam, quæ ſub tanto hoſpite ambitioſè gloriantur. Nos iterum ab hac rerum celſitudine paululum deſcendamus, & à cothurno ad ſoccum &c.

SECTIO IV.

De alijs ſubſtantijs impoſsibilibus, quæ in hoc prædicamento ſedem non habent.

Nō datur ſubſtantia nec per ſe ſubſiſtens, nec inhærens.

1 PRima concluſio. Impoſsibilis eſt ſubſtantia naturâ ſuâ completa, nec per ſe ſubſiſtens, neque inhærens. Probatur prima pars, quia talis ſubſtantia eſſet completa, & non eſſet cōpleta: eſſet, quia ita ſupponitur: non eſſet, quia non haberet complementum termini, nempe ſubſiſtentiæ. Secunda pars inde conſtat, quia ſubſtantia non poteſt inhærere.

2 Obijcis primò. Poteſt dari modus accidentium extra ſubiectum, qui neque eſt ſubſtantia, ſiquidem identificatur cum accidente: neque accidens, ſiquidem non dicit ordinem ad aliquam ſubſtantiam: ergo ſimiliter poſsibilis erit ſubſtantia, quæ nec per ſe ſubſiſtat, neque inhæreat. Reſpondetur ad antecedens, illum modum eſſe accidens, ad quod ſufficit, quòd cum accidente identificetur, &, vt ſuprà dixi, bene poteſt dari modus accidentalis, qui ad nullam ſubſtantiam dicat ordinem: ſufficit enim, quòd ipſa quantitas, cum qua ille modus identificatur, dicat hunc ordinem.

3 Obijcis ſecundò. Quantitas ſacræ Euchariſtiæ neque propriè exiſtit per ſe, ſiquidē eſt accidens: neque propriè inhæret in alio, ſiquidem habet modum per ſe exiſtendi, & propterea non inhæret in pane, qui iam ibi non datur, neque in corpore Chriſti Domini (vt ex communi ſententia docet Soar. to. 3. in 3. p. ad q. 75. diſp. 47. ſect. 3. à §. Dico ergo, & ratio eſt, quia corpus Chriſti Domini non exiſtit modo alterabili, ſed indiuiſibiliter, cum quo ſtare non poteſt receptio accidentium) ergo ſimiliter dabitur ſubſtantia, quæ neque propriè per ſe ſubſiſtat, neque inhæreat. Reſpond. comparationem vtrobique eſſe eandem, ſi rectè expendatur, ſicut enim non datur accidens, aut non inhærens, per propriam inhærentiam, aut non exiſtens per ſe, per modum exiſtendi; ita dari non poteſt ſubſtantia, quæ non ſubſiſtat per propriam, vel alienam ſubſiſtentiam. P. Soar.

4 Vbi aduertendum eſt, quòd ſi per impoſsibile daretur ſubſtantia naturâ ſuâ inhærens, non poneretur in prædicamento, cùm non eſſet, nec per ſe exiſtens; neque per ſe ſubſiſtens. Si verò talis ſubſtantia ſolùm foret obedientialiter inhærens, & non conſeruaret ſubſiſtentiam, exterminaretur etiam à prædicamento ſubſtantiæ, quia deeſſet illi terminus, ſiue complementum; ſi tamen conſeruaret ſubſiſtentiam ſimul cum inhærētia, tunc quatenus ſubſiſtens collocaretur in prædicamento; ſicut Chriſtus quatenus homo.

5 Obſtas: Accidens exiſtens per ſe extra ſubiectum collocatur in prædicamento accidentis: ergo & ſubſtantia inhærens, licèt non habeat ſubſiſtentiam. Reſpond. negādo conſequentiam: maior ratio eſt, quia accidēs illud completur per talem modum: ſubſtātia verò ſine ſubſiſtentia eſſet incompleta, complementum enim ſubſtantiæ non eſt inhærentia, ſed ſubſiſtentia.

6 Secunda concluſio. Impoſsibilis eſt ſubſtantia extra Deum, infinita, vel ſimpliciter, vel ſaltem in aliquo genere. Hæc concluſio laté probata eſt in 2. p. tract. 1. lib. 3. diſp. 31. ſect. 1. à n. 10. Si verò talis ſubſtantia infinita Non eſt poſsibilis ſubſtantia creata infinita

nita per impoſſibile admitteretur, longè à prædicamento erit abigenda, quia præterquàm quòd foret infinita, non componeretur ex genere, & differentia, quia ens infinitè perfectum non poteſt habere differentias, vel quia non dantur infinitæ differentiæ, vel quia differentiæ forent extra illius rationem.

7 Obſtas. Genus ſummum non componitur metaphyſicè ex genere, & differentia; & tamen ponitur in prædicamento: ergo & illa ſubſtantia infinita, licèt non conſtaret ex genere, & differentia, poneretur in prædicamento. Reſpondetur negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia genus ſummum, etſi non habeat differentias componentes, habet tamen differentias contrahentes, quas ens infinitum habere non poteſt, cùm debeat eſſe ſingulare.

Nõ datur ſubſtantia intellectiua, quin ſit volitiua. P. Vaſq.

8 Tertia concluſio. Impoſſibilis eſt ſubſtantia intellectiua, quin ſit volitiua; aut libera, quin ſit intellectiua. Prima pars concluſionis fusè probatur à P. Vaſq. tom. 2. in 1. p. ad q. 63. diſp. 231. cap. 3. vbi contra Nominales oſtendit fieri non poſſe creaturam rationalem ſine libero arbitrio; enim verò ſi eſſet rationalis, vel intellectiua, conſequẽter peccare poſſet, atque adeò haberet libertatẽ, nulla enim natura rationalis creari poteſt à Deo, quæ ſit impeccabilis. Confirmatur, quia intellectus eſt radix libertatis; impoſſibile verò eſt dari libertatem fundamentalẽ, quin dicat ordinem ad formalem. Neque obſtat quòd dentur aliquæ potentiæ cognoſcentes quales ſunt viſus, & auditus, quibus non correſpondet potentia appetitiua, concluſio enim ſolùm procedit de potentia cognoſcẽte ſpirituali, quæ eſt radix libertatis; & ita ſolutum manet argumentum Arriagæ diſp. 2. de Anima ſect. 4. qui oppoſitum ſentit: adde quòd viſus, & auditus, ſaltem remotè, dicunt ordinem ad potentiam appetitiuam.

Arriaga.

9 Probatur ſecunda pars concluſionis, Quia libertas ſupponit neceſſariò cognitionem, nihil enim *volitum, quin præcognitum*: ergo dari non poteſt ſubſtantia volitiua, ſeu libera, quin ſit intellectiua; ſi verò admitterentur tales ſubſtantiæ, bene poſſent etiam locum habere in prædicamento ſubſtantiæ, vt patet.

Impoſſibilis eſt ſubſtãtia creata ſimplex. Soarius. Fonſeca.

10 Quarta concluſio. Impoſſibilis eſt ſubſtantia creata, quæ non ſit vel compoſita modaliter, vel capax accidentium realium. Hanc concluſionem expreſſit Soar. in Met. diſp. 31. ſect. 13. n. 26. Fonſ. 5. Met. cap. 8. q. 4. ſect. 3. §. Ad alterum. Probatur prima pars, quia talis ſubſtantia neceſſariò dependeret à Deo per actionem; deinde neceſſariò haberet ſubſiſtentiam, Vbi, &c. Probatur ſecunda pars, quia ſi capax non foret accidentium, haberet ex ſe omnem perfectionem, foretque proinde infinita: neque enim dicendum eſt, non admittere accidentia, propter ſuam imperfectionem, incapacitas enim recipiendi accidentia non oritur ex imperfectione, ſed ex maxima perfectione. Si verò tales ſubſtantiæ per impoſſibile ſupponantur, procul exularent à prædicamento, quia procul dubio eſſent ſubſtantiæ infinitæ perfectionis.

Impoſſibilis eſt ſubſtãtia corporea, & ſimplex. D. Thom. Scotus. Bonau. Iauel. Sotus. Soncin. Ocham. Venet. Auicen. Soarius.

11 Quinta concluſio. Impoſſibilis eſt ſubſtantia corporea phyſicè completa, quæ ſit ſimplex, & quæ non componatur ex materia, & forma: ita D. Thom. Scot. Bonauent. Iauel. Sot. Soncin. Ocham. Venet. Auicenn. quos citat Soar. in Met. diſp. 13. ſect. 10. n. 6. & ipſe ſequitur nu. 8. Probatur, quia materia eſt de intrinſeco conceptu ſubſtantiæ corporeæ; ergo talis ſubſtantia imprimis haberet materiam. Deinde haberet formam, quia ſupponitur phyſicè completa: ergo non foret ſimplex. Confirmatur, quia ſicut in genere metaphyſico impoſſibilis eſt ſubſtantia completa (niſi ſit genus ſummum) quæ non componatur metaphyſicè ex genere, & differentia; ita in genere phyſico impoſſibilis eſt ſubſtantia ſingularis completa, quæ non conſtet materiâ, & formâ.

Durand. Zimar. Gabriel. Soar. Iamblic. Auerroes. Vallius.

12 Contrariam ſententiam ſequuntur Durand. Zimara. Gabr. & alij, quos citat Soar. in Met. diſp. 13. ſect. 10. n. 2. Eandem tenent Iamblicus, Auer. & alij apud Patres Conimbr. 1. de Cælo, cap. 2. q. 4. ar. 1. qui defendunt corpora cæleſtia eſſe materiâ expertia; hæc tamen ſententia ſatis confutata à nobis eſt in Phyſica, & contra eam videri poteſt Paulus Vallius tom. 1. in Logicam de Subſtantia, q. 2. vbi cap. 10. 11. 12. & 13. fuſiſſimè, vt ſolet, oſtendit cælos, & Angelos eſſe compoſitos metaphyſicè.

Exiſtẽtiæ nõ ponuntur per ſe in prædicamento. D. Thom. Fonſec. Capreol. Gerard. Caiet. Licher. Henriq. Durand. Alenſ. Soarius.

13 Sexta concluſio. Exiſtentiæ ſubſtantiarum non ponuntur per ſe in prædicamento ſubſtantiæ, reductiuè tamen collocantur. Ita D. Thom. quodlib. 2. q. 2. ar. 1. Fonſ. 5. Met. cap. 7. q. 4. ſect. 1. vbi §. Huic obiectioni, citat, ad marginem Capreolum, Gerardũ, Caiet. Licher. Henriq. Durand. Alenſ. Idem tenet Soar. in Met. diſp. 31. ſect. 7. n. 3. Probatur, quia exiſtentia, ſiue ſit modus, ſiue non, pertinet ad complementum ſubſtantiæ: ergo per ſe non eſt ens completum pertinens ad prædicamentum ſubſtantiæ: neque obſtat, quòd rerum eſſentiæ ante exiſtentiam actualem ſint completæ, ſunt enim completæ per exiſtentiam poſſibilem & quando ſunt in actu complentur per exiſtentiam in actu.

Secunda

Digitized by Google

14 Secunda pars concluſionis, quòd ſcilicet reductitiè ponantur in prædicamento ſubſtantiæ, probatur, quia exiſtentia eſt complementum ſubſtantiale ipſius ſubſtantiæ: ergo pertinere non poteſt, niſi ad prædicamentum ſubſtantiæ (alioquin eſſet accidēs, & non compleret ſubſtantiam, ſed ſupponeret completam) atqui nōn ponitur per ſe: ergo reductitiè, ſicut de ſubſiſtentia communiter dici ſolet: neque obſtat, quòd exiſtentia actualis ſit contingens ſubſtantiæ, nam etiam hæc ſubſiſtentia acciden alis eſt Socrati, & tamen eſt illius complementum ſubſtantiale.

15 Obſtas cum Mol. in 1. p. q. 3. ar. 4. diſp. 2. à 5. In Dialectica: exiſtentia eſt idē quod duratio (idem enim eſt durare per vnam horam, quàm exiſtere per vnam horam) ſed duratio conſtituit prædicamentum accidentis: ergo & exiſtentia non pertinet ad ſubſtantiam. Reſpond. negando conſequentiam, ſufficit enim diſtinctio virtualis inter exiſtentiam, & durationem, quæ diſtinctio rè vera datur; nam exiſtentia ſolùm ſignificat rem poſitam extra cauſas, duratiò verò ſignificat eius permanentiam. Quæ diſtinctio virtualis ſufficit, vt exiſtentia reducatur ad ſubſtantiā, duratio verò conſtituat diuerſum prædicamentum accidentis; ſicut cernitur in actione, & paſsione, quæ pertinēt ad diuerſa prædicamenta.

16 Obijcis ſecundò. Relatio creaturæ ad Deum, Vbi ſubſtantiæ, & Actio, per quam creatur, ſunt accidentia ſubſtantiarum; & tamen non pertinent, nec reductitiè, ad prædicamentum ſubſtantiæ: ergo neque exiſtentiæ. Reſpond. negando conſequentiam; maior ratio eſt, quia exiſtentia eſt complementum ſubſtantiæ in genere ſubſtantiæ: at verò reliqui modi aſsignati ſupponunt iam ſubſtantiam completam, & propterea ſimpliciter dicuntur accidentia, & per ſe pertinent ad alia prædicamenta accidentium. Cùm loquimur de actione, ſermo eſt de actione per reſpectum ad agens, nam per ordinem ad terminum, cùm ſit complementum termini, pertinet ad prædicamentum termini.

17 Vltima concluſio. Impoſsibilis eſt ſubſtantia relatiua. Probatur primò, quia ſubſtantia non eſt forma, quæ referat ſubiectum ad aliud, ſed eſt ens per ſe. Confirmatur, quia ſi daretur vna ſubſtantia relatiua, cogeretur Deus aliam creare, ad quam prima referatur. Impoſsibilis eſt ſubſtantia relatiua.

18 Obſtas. Hæc neceſsitas ſolùm foret ex ſuppoſitione, quæ non implicat (ſicut ex eo quòd Chriſtus Dominus promiſerit, neceſsitatur ad ſe ponendum ſub Euchariſtia, ad verba ſacerdotis, ſed hoc non implicat) ergo &c. Reſpondetur, hanc neceſsitatem, de qua in argumento, non implicare quia eſt ab extrinſeco, & ſuppoſito pacto, illa verò neceſsitas foret ab intrinſeco, nam vnum relatum ab intrinſeco poſtulat ſuum terminū, & ideò implicat, talem ſubſtantiam dari: ſi verò per impoſsibile admittatur, dimitteretur à prædicamento ſubſtantiæ, quia ſubſtantia non eſt ens ad aliud, ſed eſt ens in ſe. Ac tādem has ſubſtantias impoſsibiles dimittamus, & de ſubſtantia ad ſubſiſtentiam progrediamur.

DISPVTATIO LV.

de Subſiſtentia in communi.

SÆPE dixi, ſubſtantiam prædicamentalem definiri, *Ens per ſe ſubſiſtens*, hoc eſt habere pro termino modū ſubſtantialem, qui dicitur ſubſiſtentia, definiturque *Terminus, & complementum vltimum ſubſtantiæ in genere ſuppoſiti*, vt videre eſt apud Soar. in Met. diſp. 34. ſect. 4. num 24. Vaſq. 1. p. ad q. 29. diſp. 125. cap. 4. Hæc ſubſiſtentia alijs etiam nominibus ſolet appellari, dicitur enim *Perſona, Perſonalitas, Suppoſitum, Suppoſitalitas, Hypoſthaſis*: quamuis Perſona, & Hypoſthaſis ſpecialiter dicantur de ſubſtantia rationali, quidquid in oppoſitum garriat Laurentius Valla lib. 6. Elegantiarum, vbi contra Boetium inualidè aſſurgit; uerùm audaciam ſuam non inultò fert Valla, quem ſale multo his verbis perfricat P. Hurtad. in Met. diſp. 11. ſect. 1. n. 4. *Iſte, inquit, grammaticus è Sutrina proſiliens vltra crepidas procacitatē, & ignorātiā patefacit*; ac tandem illum ad Ciceronem, & ad Nilolium remittit: nos verò ad ſubſiſtentiam reuertamur, de qua multæ, & graues quæſtiones cum bona venia Theologorum, ſunt hîc breuiter agitandæ.

Molin. P. Soar. P. Vaſq. Valla. Boet. Hurtad.

SEC-

SECTIO I.

Vtrùm ſubſiſtentia ſit aliquid poſitiuum, & quomodo à natura diſtinguatur?

Subſtātiæ diuinæ sūt poſitiuæ.

1 PRima concluſio. Subſtantiæ increatæ relatiuæ (de abſoluta enim poſteà agendum eſt) ſecundùm ſuam præciſam rationem, ſunt aliquid poſitiuum. Hæc certa videtur, ſecūdùm principia fidei, ſi de re ſermo ſit. Illam tradūt Soar. in Met. diſp. 34. ſect. 2. n. 10. & lib. 1. de Trinitate cap. 3. n. 4 & ſæpe alibi. Hurtad. in Met. diſp. 11. ſect. 3. n. 21. §. Secundum argumentum, & n. 23. & eſt de mente Theologorum, præcipuè illorum, qui aſſerunt relationes diuinas dicere perfectionem.

Soar. Hurtad.

2 Probatur, quia ſubſiſtentia diuina eſt veluti forma, ſiue terminus, ex quo, & eſſentia fit vnum per ſe in ratione ſuppoſiti: ergo eſt aliquid poſitiuum. Probatur conſequentia, quia ex poſitiuo, qualis eſt diuina eſſentia, & ex negatiuo, non fit vnum per ſe, ſed per accidens, vt patet in *aere tenebroſo*. Confirmatur primò, quia vnio hypoſthatica immediatè facta eſt ad ſubſiſtentiam; ſed vnio non eſt facta ad aliquid negatiuum: ergo &c. Probatur minor, quia nihil poteſt vniri per realem vnionem alicui negationi. Confirmatur, quia ex oppoſito ſequeretur Patrem Æternum, quatenus Patrem, eſſe aliquam negationem, quod eſt hæreticum: ergo &c.

Refellitur opinio negās in Deo ſubſiſtētias relatiuas. Scotus. Durand. Capreol. Palud. Soarius.

3 Obijcis primò pro contraria ſententia, In Deo non dantur tres ſubſiſtētiæ relatiuæ: ergo falſum eſt, ſubſiſtentias relatiuas dicere aliquid poſitiuum. Antecedens tenent Scot. Durand. Capreol. Paludan. quos citat Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 3. diſp. 31. ſect. 4. initio. Et probatur, quia ſubſiſtentia dicit perfectionē ſimpliciter, quam tamen non dicit relatio: ergo tres diuinæ relationes non ſunt ſubſiſtētiæ. Reſpond. negando antecedens cum cōmuni, & vera ſententia, pro qua videri poteſt Soar. citatus à §. Dico primò. Ad probationē reſpondetur interim, non omnem ſubſiſtentiam eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicē, ſed tantùm ſubſiſtentiam abſolutam, ad quā recurrunt aduerſarij (de quo tamen infrà ferendum eſt iudicium) dico ergo interim, non repugnare in diuinis dari tres relationes ſubſiſtentes, quamuis neutra perſona ſubſiſtat per ſubſiſtentiam, quæ ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, De his tamen in prædicamento relationis.

4 Obijcis ſecundò. Eſſe innaſcibilem eſt quidam veluti effectus in Patre Æterno prouenicns à quadam negatione, quæ dicitur innaſcibilitas, & eſt notio quædam, ſeu proprietas negatiua, vt videre eſt apud Soar. lib. 7. de Trinit. cap. 2. à n. 2. ergo etiam in eodem Patre eſſe incommunicabilem alteri naturæ proueniet ab aliqua negatione: ſed ſubſiſtentia eſt, quæ reddit naturam incommunicabilem: ergo eſt aliqua negatio. Reſpond. concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens, nam eſſe incommunicabilem alteri naturæ in Patre prouenit proximè ab aliqua negatione, quæ dicitur incommunicatio; ſicut eſſe innaſcibilem prouenit ab innaſcibilitate; nihilominùs tamen, quemadmodùm innaſcibilitas fundatur in Patre, ita etiam negatio communicationis fundatur in diuina ſubſiſtentia, quæ, quia primariò facit naturam diuinam ſubſiſtentem, ideò ſecundariò illam reddit incommunicabilem alteri naturæ, quæ infrà magis patebunt, cùm ſermo fuerit de effectibus ſubſiſtentiæ.

Subſiſtētia eſt creata poſitiua.

5 Secunda concluſio. Subſiſtentia creata eſt aliquid poſitiuum: hæc etiam concluſio videtur certa ex principijs fidei: eam tradunt D.Thom. 1. p. q. 3. ar. 3. & ſæpe alibi, Valentia 3. p. diſp. 1. q. 4. puncto 2. Vaſq. tom. 1. in 3. p. ad q. 4. diſp. 31 cap. 6. Soar. in Metaph. diſp. 34. ſect. 2. n. 10. Fonſ. 5. Met. cap. 8. q. 6. ſect. 4. §. Poſſūnt. Bellarm. lib. 3. de Chriſto, cap. 8. Albertinus in prædicamento ſubſtantiæ, diſp. 3. q. 1. n. 13. (vbi citat Henriq. Ægid. Capreol. Caiet. Argent. Durand. Iauel.) Hurt. in Met. diſp. 11. ſect. 3. 4. & 5. G. Hurt. tract. de Incarnatione diſp. 4. diffic. 1. & 2. P. Lugo de Incarn. diſp. 11. ſect. 2. n. 17. in fine, item Curſus Thomiſt. in Phyſ. q. 7. de ſubſiſt. ar. 1. Arriaga in Metaphyſic. diſp. 4. ſect. 11. num. 90.

D.Thom. V. lent. Vaſq. Soarius. Fonſec. Bellarm. Albertin. Henriq. Ægyd. Capreol. Caiet. Argent. Durand. Iauel. Hurtad. Gaſpar-Hurtad. Lugo. Curſus. Thumiſt. Arriaga.

6 Probatur primò, quia Concilia, & Patres communiter dicunt, Verbum diuinum ſupplere in humanitate proprium ſuppoſitum, item aſſumendo naturam humanam conſumpſiſſe illius perſonam: ſed hæ loquutiones apertè indicant, ſubſiſtentiam eſſe aliquid poſitiuum: ergo &c. Probatur minor, quia ſi ſubſiſtentia eſſet aliqua negatio, vel aliquid virtuale, dici non poſſet, Verbum diuinum non aſſumpſiſſe negationem, vel illam conſumpſiſſe. Confirmatur in eâdem fide, quia Verbum diuinum ſuppleuit ſubſiſtentiā creatam: ergo ſubſiſtentia eſt aliquid poſitiuum. Probatur conſequentia, quia nulla negatio ſuppletur per aliquid poſitiuum, vt patet inductione. Probatur ſecundò, & abſolutè, quia ſubſiſtentia complet intrinſecè naturam

Digitized by Google

ram ſubſtantialem in ratione ſuppoſiti : ergo non poteſt eſſe negatio, quia ex negatione, & poſitiuo non fit vnum per ſe, ſed per accidens, vt *aer tenebroſus*.

7 Obijcis primò pro contraria ſententia, quæ docet ſubſiſtentiam creatam nihil poſitiuum addere naturæ, ſed hunc hominē, & hanc humanitatem ſolùm differre penes diuerſos modos concipiendi, & nominandi, vt explicant Ochamus quodlib. 4. q. 11. Gabriel. in 3. diſt. 1. q. 2. ar. 3. dubit. 2. Richar. in 3. diſt. 6. q. 1. ar. 1. Obijcis, inquam, primò. Homo, & humanitas conſtant eiſdem partibus: ergo ſunt idem à parte rei. Probatur antecedens, quia tam homo, quàm humanitas conſtant ex ſola materia, & forma cum vnione. Reſpondeo negando antecedens, nam homo præter materiam, & formā includit ſubſiſtentiam.

Ocham. Gabr. Richar.

8 Obijcis ſecundò. Cum ſola virtuali diſtinctione inter Verbum diuinum, & eſſentiam, Verbum, & non eſſentia immediatè terminauit humanam naturam: & ſimiliter virtualis diſtinctio ſufficit, vt hæc propoſitio ſit vera, *Pater Æternus generat*, hæc verò falſa, *Eſſentia diuina generat*: ergo ſimiliter ſufficiet ad veritatem naturæ creatæ aſſumptæ, quòd ſuppoſitum virtualiter tantùm diſtinguatur. Reſpond. negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia licèt illa virtualis diſtinctio ſufficiens ſit ad veritatem illarum propoſitionum, nihilominùs non eſt ſufficiens, vt vnum dicatur ab alio ſeparari; cùm igitur in natura humana neceſſariò fatendum ſit, ſubſiſtentiam fuiſſe ſeparatam, dicendum etiā neceſſariò eſt, illam eſſe aliquid poſitiuum ſeparabile.

9 Obijcis præterea pro ſecunda, & contraria ſententia, quæ aſſerit ſubſiſtentiam creatam ſolùm addere ſupra naturam negationem communicationis, quam tenent Scotus in 3. diſt. 1. q. 1. & ſæpe alibi, cui diſcipuli firmiter adhærent Baſſolus, Lichet. Mairon. Aureolus, Ioannes de Neapoli, & alij, quos citat Vaſquez tom. 1. in 3. p. ad q. 4. diſp. 31. cap. 2. n. 7. quibus maximè accedit Mol. 1. p. q. 29. ar. 1. diſp. 2. §. Eſt ergo, quatenus aſſerit, perſonam de formali ſignificare incommunicabilitatem, quæ eſt negatio; fauet etiam in ar. 2. diſp. 3. §. Hinc patet, quatenus aſſerit, ſubſiſtentiam non ſignificare aliquid merè poſitiuum. In eandem ſententiam maximè inclinat noſter Vuadingus tract. de Incarn. diſp. 4. dub. 2. § 6. vbi num. 47. citat aliquot Doctores.

Scotus. Baſſol. Lichet. Mairon. Aureol. Molina.

Vuad.

10 Obijcis, inquam. Verbum diuinum aſſumpſit totam naturam humanam perfectam: ergo ſubſiſtentia non eſt aliquid poſitiuum. Probatur conſequentia, quia cùm Verbum diuinum non aſſumpſerit ſubſiſtentiam ipſam, dicendum eſſet, non aſſumpſiſſe totam naturam humanam perfectam. Reſpond. Verbum diuinum aſſumpſiſſe totam naturam humanam perfectam in genere naturæ & quantùm ex ſe aſſumptibilis eſt: ſubſiſtentiam verò non eſſe quid aſſumptibile, quia eſt vltimus terminus, cùm tamen ſit aliquid poſitiuum: neque ex hoc ſequitur Chriſtum Dominum non eſſe hominem integrū, ad hoc enim ſatis eſt, quòd habuit naturam humanam integram: ſiquis tamen contenderet, ſolùm dicendum integrum hominem illum, qui ſimul habeat ſubſiſtentiam creatam cum natura, in hoc ſenſu non erit Chriſtus homo integer, ſed cautè in his rebus loquendum eſt, nam, vt verè dicatur homo, ſufficit quòd habeat naturam humanam cum diuina ſubſiſtentia: eſt igitur ſubſiſtentia non negatio, neque accidens, neque realitas, neque virtualitas, ſed modus ſubſtantialis.

11 Obijcis iterum ex D. Damaſceno: quod non fuit aſſumptum, curatum nō fuit: ergo ſi ſubſiſtentia eſt aliquid poſitiuū, cùm hæc aſſumpta non fuerit, ſequitur aliquid poſitiuum in natura humana curatum non fuiſſe. Reſpond. illud, quod non fuit aſſumptum, curatum non fuiſſe, ſi alioquin eſſet aſſumptibile, cùm igitur ſubſiſtentia aſſumptibilis non ſit, vt verè dicatur fuiſſe curata, ſufficit, quòd ſit modus eius naturæ, quæ per ſe curata eſt, nam acceſſorium vtitur priuilegio principalis.

D. Dam.

12 Obijcis quartò. Sequeretur naturam humanam Chriſti Domini pati violentiam, ſiquidem deeſſet illi aliqua naturalis perfectio poſitiua, qua priuaretur contra naturalē inclinationem. Ad hoc argumentum infrà latiùs reſpondendum eſt diſp. 58. ſect. 1. à n. 10. Interim, licèt concedatur ſequela, nihil cōtra nos, illa enim violentia ſatis reſarcitur per ſubſiſtentiam increatam.

Quomodò ſubſiſtentia diſtinguatur à natura?

13 EX hac doctrina præcedente bene ſequitur Tertia concluſio. Subſiſtentia creata diſtinguitur modaliter à natura: ita Soar. in Met. diſp. 34. ſect. 4. n. 24 & 1. tom. in 3. p. ad q 2 diſp. 8. ſect. 3. §. Exacta huius, ad medium. & §. Ad primam, Fonſ. 5. Met. cap. 8. q. 6 ſect. 4. aſſerit, ſubſiſtentiam eſſe modum, non tamen purum; Vaſq. tom. 1. in 3. p. diſp. 31. q. 4. cap. 6. (vbi nu. 31. citat D. Thom. & Thomam de Argen.

Diſtinguitur modaliter.

Soarius.

Fonſec.

Vaſq.

D. Thom.

Argent.

Digitized by Google

Gaſpar-Hurtad. Raguſa. Rubius. Patres-Conimb. Albertin. Lugo.

Argentina) Gaſp. Hurtad. tract. de Incarnat. diſp. 4. difficultate 5. à n. 15. Raguſa 3. p ad q. 4. ar. 4. diſp. 57. §. 2. §. Quintus ergo, Rub. 2. Phyſ tract. 1. de Materia q. 4. num. 1. Conimb. in Logica cap. 5 de Subſtantia q. I. ar. 1. §. Igitur Verbum, & ſæpe alibi apud eoſdem Patres: tenent denique hanc ſententiã alij, quos tacito nomine citat Albertinus mox citandus n. 18. §. Ad hanc, quos appellat doctiſsimos Recentiores, idem ſequitur Lugo de Incarn. diſp. 12. ſect. 2. n. 17. idem docet ſect. 7. n. 83

14 Probatur, quia diſtinctio virtualis nõ ſufficit, deinde realis neceſſaria non eſt: ergo datur diſtinctio modalis. Probatur conſequentia, quia natura humana aſſumpta eſt, non verò ſubſiſtentia: ergo ſaltem modaliter diſtinguuntur: neque enim realis diſtinctio neceſſaria eſt ad veritatem huius myſterij. Confirmatur primò: quia inhærentia eſt modus accidentis realis: ergo & ſubſiſtentia erit modus ſubſtantiæ. Confirmatur ſecundò. Quia ſi ſubſiſtentia virtualiter tantùm diſtingueretur in re ipſa foret aſſumpta à Verbo diuino. Deinde ſi realiter diſtingueretur, poſſet ſaltem diuinitus exiſtere ſeparata à natura ſubſtantiali (quidquid in oppoſitum

Albertin. Tromb.

ſentiat Albertinus mox citandus n. 14. & licèt pro eo perſonet Trombeta, quem ibi citat) ſed ſubſiſtentia non poteſt per ſe exiſtere ſeparata à natura, vt omnes fatentur, ſiquidem intelligi non poteſt ſine ſubſtantia, quam terminat (eſt enim eſſentialiter terminus immediatus) ergo &c.

Soluitur contraria argumẽta. Caiet. Ferrar. Soar. Bañez. Medin. Cabrer. Valent. Albertin.

15 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet ſubſiſtentiam creatam realiter diſtingui à natura creata, quam tenent Caietan. & Ferrar. citati à Soar. in Met. diſp. 34. ſect. 4. n. 18. Bañes 1. p. q. 3. ar. 3. dub 1. §. Sit vltima concluſio, Medin. 3. p. q. 4. ar. 2. Cabrer. 3. p. q. 4. ar. 2. diſp. 4. concl. 2. Valent. 1. p. diſp. 1. q. 4. puncto 2. fol. 196. §. Quarè vt hoc (quamquam, vt ego exiſtimo, in re ipſa non diſſentiat à noſtra opinione) Idem ſequuntur Albertin. tom. 2. in prædicamento ſubſtantiæ diſp. 3. q. 7. à nu. 16. licèt noſtram ſententiam dicat probabilem num. 13. In eâdem diſtinctione

Hurtad. Herrer. Pantuſa. Arriaga

reali realiter deceptus eſt Hurt. in Met. diſp. 11. ſect. 5. à n. 27. vbi citat aliquos Thomiſtas Neotericos, & inter illos nominat Franciſcum Herreram, & Antonium Pantuſam: idem tenet Arriaga in Met. diſp. 4. ſect 12.

16 Obijcis, inquam, primò. Subſiſtentia creata ſuppleta fuit à Verbo diuino: ſed Verbum diuinum non poteſt ſupplere aliquam modalitatem: ergo non eſt modalitas, ſed realitas: minor probatur inductione, & deinde, quia ex eo ſuprà probauimus n. 6. ſubſiſtentiam non eſſe negationem, quia Verbum diuinum ſupplere non poterat negationem, ſed etiam ſupplere non poteſt modalitatem: ergo &c. Hoc argumento exiſtimat Hurt. vulnus infligere inſanabile, nihilominùs tamen,

Vulneris auxilium Pelias haſta tulit. Ouid. de Triſt. li. 2

Reſpondetur ergo Verbum diuinum ſupplere non poſſe modalitatem, quæ ſit forma inuoluens imperfectionem; bene tamen ſupplere poſſe modum, qui non habeat imperfectionem; eſſe verò terminum, per modum ſuppoſiti, nullam habet annexam imperfectionem, præcipuèque id viſitur, quando tam realitas ſupplens, quàm modus, qui suppletur, habent idem nomen, & eundem effectum formalem, ſaltem in genere. Diuerſa ratio eſt in negatione, quæ cùm non ſit aliquid poſitiuum, contineri non poteſt eminenter à diuina ſubſiſtentia, ſicut creata ſubſiſtentia continetur, & ideò ſuppletur.

17 Aliud argumentum proponit n. 48. quod aſſerit concludere in Cameſtres, quod ſic habet: *Omnis modus naturæ eſt eſſentialiter determinatio illius ad aliud: ſed nullum ſuppoſitum creatum eſt eſſentialiter determinatio naturæ ad aliud: ergo nullum ſuppoſitum creatum eſt modus naturæ.* Reſpondetur negando minorem; nam ſubſiſtentia determinat naturam ad ſuppoſitum, hoc eſt, determinat humanitatẽ ad hominem; eadem enim humanitas, adiunctâ ſubſiſtentiâ, manet homo; ſicut idem homo per Vbi determinatur ad certum locum: ex quibus concludo ego, hoc argumentum Patris Hurt. nihil concludere, neque in Cameſtres, neque in Barocho.

18 Obijcis tertiò. Neque Vbi, neque figura creata, quæ ſunt modi, ſuppleri poſſunt à Deo: ergo neque ſubſiſtentia, ſi eſt modus: ſed hoc non eſt dicendum: ergo &c. Reſpõd. negando conſequentiam; diuerſa ratio eſt, quia Vbi, & figura ita ſunt termini, vt ſint modi, & formæ accidentales, & ideò formaliter ſuppleri non poſſunt per realitatem, præcipuè increatam, hæc enim ſubire non poteſt imperfectiones talium formarum, quas tamen imperfectiones nõ habet terminus ſubſtantialis, nempe ſuppoſitum, quamuis ſit modus, vt ſatis conſtat ex ratione termini ſubſtãtialis.

19 Obijcis quartò. In Chriſto Domino ſuppletur ſuppoſitum per ſubſiſtentiam diuinam realiter diſtinctam: ergo ſignum eſt, ſubſiſtentiam humanam realiter etiam diſtingui. Reſpondeo negando conſequentiam, nam quemadmodùm ex eo, quòd ſubſiſtentia Chriſti

Digitized by Google

Chriſti ſit diuina, non bene colligitur ſubſiſtentiam humanam eſſe diuinam, ſic nec etiã ex eo quòd ſit realitas, bene colligitur, humanam ſubſiſtentiam non eſſe modum.

20 Obijcis quintò. Terminus quantitatis v. g. punctus reſpectu lineæ, realiter diſtinguitur à linea, quam terminat: ergo ſimiliter ſubſiſtẽtia realiter diſtinguetur à natura, quam terminat. Reſpond. negando conſequentiam, maior ratio eſt duplex: prima, quia punctus eſt terminus diuerſæ omnino rationis, cum ſit indiuiſibilis, & proptereà realiter diſtinguitur; at verò ſubſiſtentia non eſt terminus diuerſæ rationis, eſt enim terminus ſubſtantialis, cui proinde ſufficit modalis diſtinctio. Secunda maior ratio eſt, quia punctus, licet realiter diſtinguatur, nunquàm eſt pars quantitatis, cùm ſit indiuiſibilis, atque adeò ſemper eſt terminus: at verò ſi ſubſiſtentia realiter diſtingueretur, iam non eſſet terminus naturæ, ſed compars, quia eſſet altera realitas, ſicut forma non eſt terminus, ſed compars.

21 Hæc procedunt in communi opinione, quæ docet quantitatem non conſtare ſolis indiuiſibilibus, nam in mea opinione, quam defendi in Phyſ. diſp. 35. ſect. 1. facilè reſpondetur, ideò punctum terminatiuum realiter diſtingui, quia eſt vera pars componens terminando, ſubſiſtentia verò ſolùm propriè loquendo eſt terminus, non verò pars, & ideò ſufficit modalis diſtinctio, vt cernitur in figura, quæ eſt terminus quantitatis, & modaliter tantum diſtinguitur.

22 Obijcis ſextò. Subſiſtentia facit naturam omnino terminatam, & independentem: ergo ipſa non poteſt eſſe modus à natura dependens. Reſpondetur negando conſequentiam, nam cauſa formalis non exercet ſuum effectum formalem circa ſe ipſam, ſed circa ſubiectum; albedo enim non eſt alba, ſed facit album: ergo poteſt ſubſiſtentia reddere naturam independentem, quamuis ipſa dependeat à natura; ex quo ſequitur, naturam non eſſe in ſubſiſtentia, ſed potiùs ſubſiſtentiam eſſe in natura, vt eſt modus in re.

SECTIO II.

Vtrùm de poſsibili dari poſsit ſubſiſtentia virtualiter, vel realiter diſtincta?

1 PRima concluſio, Impoſsibilis eſt ſubſtantia creata, à qua ſubſiſtentia virtualiter tantùm diſtinguatur: Pro hac concluſione communiter citatur Vaſques tom. 1. in 3 p. diſp. 31. nu. 5. ſed immeritò, ibi enim ſolùm argumentatur Vaſq. contra eos, qui de facto ſubſiſtentiam virtualiter diſtingui aſſerunt, nihilque ſtatuit de poſsibili: hanc igitur concluſionẽ ex profeſſo Soar. expreſsit in Met. diſp. 34. ſect. 3. n. 12. & obiter illam attigit Hurtad in Met. diſp. 11. ſect. 4. nu. 38. vbi aſſerit eſſe communem opinionem, & pro ea citat D. Thomam: ſupponitur tamen concluſio à Theologis, quatenus aſſerunt ſolius Dei proprium eſſe ſubſiſtere per ſubſiſtentiam virtualiter diſtinctam. Nõ poteſt dari ſubſiſtẽtia creata virtualiter diſtincta. Vaſq. Soar. Hurtad. D. Thom.

2 Probatur primò, quia ſubſiſtere per ſe ipſum, id eſt per ſubſiſtentiam indiſtinctam arguit omnimodam ſimplicitatem, quæ ſola eſt propria Dei. Probatur ſecundò, quia nulla eſt ſubſtantia creata poſsibilis, quæ excludat compoſitionem accidentalem: ergo neque poſsibilis erit aliqua ſubſtantia completa, quę excludat compoſitionem ex termino, quæ compoſitio magis connaturalis eſt naturæ ſubſtantiali. Confirmatur primò, quia nullum dari poteſt accidens reale, cuius inhærentia ab eo modaliter non diſtinguatur (alioquin non poſſet Deus illud ſeparare à ſubiecto) ergo ſimiliter dicendum de ſubſiſtentia reſpectu ſubſtantiæ realis completæ. Confirmatur ſecundò, quia talis ſubſtantia non eſſet aſſumptibilis à Deo, vt bene probat Faſſolus tom. 1. in 1 p. q. 3. ar. 4. dub. 1. n. 3. quod ſic probatur, quia neceſſariò aſſumenda foret ipſa ſubſiſtentia indiſtincta, quod tamen implicat, quia ſicut implicat actionem fieri per aliam actionem, ita & ſubſiſtentiam, quæ eſt vltimus terminus, vlteriùs terminari. Sequela tamen admittenda non eſt, quia de ratione ſubſtantiæ creatæ eſt, vt poſsit pendere à Deo omnibus modis, qui non implicant contradictionem. Faſſol.

3 Obijcis pro contraria ſententia, quæ aſſerit nõ ſolùm de poſsibili, ſed etiam de facto dari ſubſiſtentias virtualiter tãtùm diſtinctas, quã tenent omnes, quos citaui ſectione ſupe- Refellitur contraria ſententia.

Salmer. ſuperiori num. 7. quam etiam expreſſè tenet Salmeron tom. 3. in Epiſt. D. Pauli Epiſt. ad Hebr. diſp. 10. §. Ad textum, ad medium, quatenus aſſerit, naturam, & hypoſthaſim in Angelo eſſe idem re, poſſeque aſſumi naturam Angelicam cum ſuppoſito. Pro eâdem ſententia citatur D. Thom. 3. p. q. 2. & alijs in locis, quatenus aſſerit ſubſiſtentiam non diſtingui à natura Angelica (quem tamen bene defendit Faſſolus tom. 1. in 1. p. q. 3. ar. 3. dubit. 1. n. 3.) Eandem breuiter ſequitur Arriaga in Metaph. diſp. 4. ſect. 13. ſubſect. 1.

D. Thom. Faſſol. Arriaga

4 Obijcis, inquam, primò. Talis ſubſtantia adhuc foret aſſumptibilis: ergo impoſsibilis non eſt, ſaltem ex hoc capite. Probatur antecedens, ſufficit diſtinctio virtualis inter naturam, & ſubſiſtentiam, vt natura creata aſſumatur, quamuis non aſſumatur ſubſiſtentia: ergo &c. Probatur antecedens, ſufficit diſtinctio virtualis inter Verbum diuinum, & eſſentiam, vt Verbum dicatur terminare humanitatem, non verò eſſentia diuina: ergo ſimiliter ſufficiet diſtinctio virtualis inter naturam creatam, & ſubſiſtētiam, vt natura ipſa, & non ſubſiſtentia, dicatur aſſumi.

5 Huic argumento, quod tanquàm Achillæum iaculum contra hanc noſtram ſententiam communiter intorquetur, reſponderi imprimìs poteſt, exemplum nullam habere vim, neque enim quidquid contingit in diuinis, cōtingere ſtatim debet in rebus creatis. Deinde reſpondetur, ſufficere quidem diſtinctionem virtualem, vt Verbum diuinũ primariò, & formaliter terminet humanitatē, non verò terminet natura diuina: hoc tamen non tollit quominùs natura ipſa diuina ſecundariò, & identicè etiam terminet humanitatem, quod nullum eſt inconueniens: vnde ſimiliter ſi ſubſiſtentia virtualiter tantùm à natura diſtingueretur, ſi natura primariò aſſumeretur, ſecundariò etiam, & mediatè aſſumeretur ſubſiſtentia, quod tamen implicat, quia adhuc ſimpliciter, & à parte rei, vltimus terminus terminaretur. Addo deinde quòd aſſumptio fit circa rem ſecundùm ſe, terminatio non ita ſemper, poteſt enim gradus animalis Petri terminare viſionē Socratis, quin illam terminet rationale (quando videlicet à longe propter diſtantiam ex ſolo motu cognoſcitur quà animal ſolùm) quod ſuppono in eodem indiuiduo virtualiter tantùm diſtinctum.

6 Obijcis ſecundò. Eadem met eſſentia diuina, quæ eſt terminata ſubſiſtentiâ Patris, fit ſubſiſtens perſonalitate Verbi, & Spiritus Sancti, quin ipſa ſubſiſtentia Patris terminetur, quamuis virtualiter tantùm diſtinguatur ab eſſentia: ergo ſimiliter poterat aſſumi ſubſtantia creata, quin ſubſiſtentia terminaretur: & idem argumentum fieri poteſt in relationibus, quæ in bona opinione virtualiter tantùm à natura diſtinguuntur, & tamen non fuêre aſſumptæ à Verbo diuino, accidentia enim nō ſunt peraſſumptibilia.

7 Ad hanc inſtantiam, quæ ſuam habet vim, reſpondetur imprimìs negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia ſicut eſſentia diuina, propter ſuam infinitatem, eſt communicabilis multis realiter diſtinctis, quamuis illa multa ſint idem realiter cum ipſa eſſentia, & non inter ſe; ſic etiam poterit inadæquatè terminari ab vna ſubſiſtentia increata, quin aliæ ſubſiſtentiæ cum ipſa natura identificatæ formaliter terminentur; à diuinis enim ad creata non bene valet argumentatio; præcipuèque ex myſterio ſanctiſsimæ Trinitatis deduci non debent argumenta ad res creatas, & imperfectas.

8 Deinde reſpondetur dando maiorem rationem; ideò enim non repugnat, naturam diuinam terminatam per Patrem vlteriùs terminari, ſeu aſſumi à Filio; quia hoc fit ſimul, & ab æterno per omnimodam identitatem, quæ datur à parte rei inter perſonas, & eſſentiam: at verò aſſumptio, de qua loquimur, fieri non debebat per identitatem, ſed per veram, & realem vnionem, ſiquidem natura aſſumēda neceſſariò diſtingueretur realiter à ſubſiſtētia diuina aſſumente, quapropter per realem, & ſuperadditam vnionem aſſumeretur, & terminaretur vltimus terminus, nempe ſubſiſtētia indiſtincta à natura, quod implicat.

9 Secunda concluſio. Impoſsibilis eſt ſubſtantia creata connaturaliter exiſtens per ſubſiſtentiam à ſe realiter diſtinctam. Hæc concluſio eſt de mente Theologorum, qui nobiſcum ſentiunt, aſſerentes ſubſiſtentiam eſſe modum, quos citaui num. 13. in ſectione ſuperiori. Probatur, quia ſubſiſtentia eſt terminus: ergo diſtingui non debet pluſquàm modaliter, alioquin iam non eſſet purus terminus, ſed eſſet compars, qualis eſt forma reſpectu materiæ in compoſito. Quāuis autem ſubſiſtentia ab aliquibus Theologis dicatur pars ſuppoſiti, propriè tamen loquendo potiùs eſt terminus naturæ. Confirmatur, quia dari non poteſt accidens, cuius inhærentia ab eo realiter diſtinguatur, ſiquidem inhærentia eſt actualis dependentia: ergo &c. propterea verò punctum in linea eſt terminus realiter diſtinctus, quia quamuis ſit realitas, non poteſt eſſe compars, ſiquidem eſt indiuiſibilis; iuxta ea, quæ dixi

Impoſsibilis eſt ſubſiſtētia realiter diſtincta.

Digitized by Google

diximus ſuperiori ſect. n. 21.

10 Non eſt tamen omnino certa hæc concluſio, præcipuè ſi ſermo ſit de poſsibili, cùm de facto detur ſubſtantia Chriſti Domini ſupernaturaliter ſubſiſtens per ſubſiſtētiam realiter diſtinctam, & pro hac parte citari poſſunt omnes, qui tenent ſubſiſtentiam de facto realiter diſtingui, quos allegaui nu. 15. in ſectione ſuperiori: nihilominùs tamē, ſi ſermo ſit de ſubſiſtentia connaturali, noſtra concluſio probabilior videtur; nam alioquin poterit res quælibet exiſtere per Vbi à ſe realiter diſtinctum, & materia facere vnum per ſe cum forma à ſe modaliter diſtincta, quæ abſurda nemo concedet, bene tamē ſequuntur, ex eo quòd admittatur natura, quæ faciat vnum per ſe cum ſubſiſtentia realiter diſtincta.

SECTIO III.

De Compoſitione, Simplicitate, & Vnione ſubſiſtentiarum.

1 PRima concluſio. Subſiſtentia creata (non enim loquimur de increata, quæ eſt omnino ſimplex) componitur metaphyſicè ex genere, & differentia. Hæc concluſio probata eſt in Logica ad caput de Genere diſp. 6. ſect. 1, n. 2.

Subſiſtentia Angeli eſt ſimplex.

2 Secunda concluſio. Subſiſtentia ſubſtantiæ ſpiritualis eſt omnino indiuiſibilis, & ſimplex integraliter, & phyſicè, ideſt, nec habet vllas partes integrantes, neque phyſicas, vt materiam, & formam: hanc ſupponit Soar. vt certiſsimam in Metaph. diſp. 34. ſect. 5. nu. 1. & 7. Probatur facilè, quia ſubſiſtentia eſt modus: ſed modus accommodatur rei, quam modificat: ergo &c. Neque obſtat, quòd Vbi Angelicum ſit diuiſibile, hanc enim diuiſibilitatem non ab Angelo, ſed ab ſpatio, cui correſpondet, vendicat. Subſiſtentia verò eſt modus intrinſecus, qui ſolùm habet conditiones ſubiecti in quo eſt, nec dicit ordinem ad ſpatium. *Soar.*

3 Obijcis præſentia Chriſti Domini in Euchariſtia eſt indiuiſibilis; & tamen eſt modus corporis diuiſibilis: ergo ſubſiſtentia Angeli poteſt eſſe diuiſibilis, quamuis ſit modus ſubſtantiæ indiuiſibilis. Reſpond. præſentiā ſacramentalem Chriſti Domini eſſe diuiſibilem ratione ſubiecti, & ſolùm in effectu eſſe indiuiſibilem, quia ponit Corpus Chriſti Domini indiuiſibiliter in loco: at verò ſubſiſtentia Angeli, non habet vnde ſumat diuiſibilitatem.

4 Tertia concluſio. Subſiſtentia rei materialis phyſicè, & integraliter completa, eſt etiam phyſicè, & integraliter completa, ita communis ſententia cum Soar. in Met. diſp. 34. ſect. 5. n. 7. (quamuis oppoſitum ſentiat P. Lugo de Incarn. diſp. 12. ſect. 3. n. 4. quatenus abſolutè docet compoſitum ſubſiſtere per ſubſiſtentiam ſimplicem, & indiuiſibilem) Probatur tamen, quia ſubſiſtentia accommodatur rei, quam modificat: ergo ſicut ſubſtantia completur phyſicè per materiam, & formam, ita eius ſubſiſtentia compleri debet per partiales ſubſiſtentias. Supponit hæc concluſio dari ſubſiſtentias partiales, hoc eſt ſubſiſtentiam hominis conflari ex ſubſiſtentia partiali materiæ, & ex ſubſiſtentia partiali animæ: quæ ſententia quamuis habeat fortiſsimum aduerſarium, qui illam pro viribus impugnat, (nempe P. Vaſques tom. 1. in 3. p. ad q. 4. diſp. 32. cap. 3. negantem partiales ſubſiſtentias, & multitudinem modorum, vt nouam, & ſuperfluam acriter deteſtantem) & quamuis non approbetur à Curſu Thomiſt. in Phyſ. q. 7. ar. 5. Dātur ſubſiſtent partiales. P. Soar. Lugo. P. Vaſq. Curſus. Thomiſt.

5 Nihilominùs tamen hæc ſententia admittens partiales ſubſiſtentias, falſa non eſt, vt Vaſques aſſerit num. 12. nec minùs noua eſt, & inaudita, illam enim tuentur Paludan. in 3. diſt. 2. quæſt. 2. Ferrar. 2. contra Gentes, cap. 68. &, quod potiùs eſt, illam expreſſè tradit D. Thom. 1. p. quæſt. 75. ar. 2. Quam etiam grauiſsimi Theologi ex noſtris amplectuntur Molin. 1. p. quæſt. 29. ar. 2. diſp. 3. à §. Nulla item forma, quatenus admittit in anima rationali ſubſiſtentiam partialem. Soar. in Metaph. diſp. 34. ſect. 5. à num. 25. Raguſa 3. p. q. 4. ar. 1. diſp. 56. §. 3. Rub. 1. Phyſ. tract. 1. de Materia. q. 4. à num. 26. Hurtad. in Phyſ. diſp. 2. ſect. 6. à num. 69. ſubſect. 1. & alij, quos infrà citabo diſp. ſequenti ſect. 2. ex quibus conſtat, hos modos non eſſe nouiter, & ſine fundamento excogitatos, vt nobis obijcit Vaſques nu. 13. in fine, potiùs enim eſt tot modos, & modorum modos multiplicare, quàm ſine nouis modorum modis antiquas Theologiæ, & Philoſophiæ difficultates non explicare. Quidquid in oppoſitum ſentiat noſter Vuadingus tract. de Incarn. d. proæm. vbi modos vltra modum inſectatur. Palud. Ferrar. D. Thom. Molin. Soar. Raguſa. Rubius. Hurtad. Vuad.

6 Obijcis tamen obiter pro Vaſq. Per ſubſiſtentiam fit res omnino, & complectè incommunicabilis: ſed materia v. g. cùm ſit pars adhuc communicatur compoſito: ergo non habet ſubſiſtentiam partialem. Reſp. ad minorem ſolam integram, & completam ſubſiſtentiam tollere omnimodam communicationem

tionem: incompletam verò ſubſiſtentiam ſolùm tollere communicationem alteri ſuppoſito, non verò communicationem partis ad compoſitum, vt magis patebit ex diſputatione ſequenti.

7 Neque etiam dici poteſt ſubſiſtentiam totius cum ſola materia identificari, inde verò totum compoſitum denominari ſubſiſtẽs, quia cùm ſubſiſtentia reperiatur in entibus ſpiritualibus, quæ non habent materiam: etiam in ente materiali erit ſubſiſtentia modus reddens naturam ſubſiſtentem, ſecundùm omnem ſui partem, quapropter cum tota natura debet identificari: quod fieri non poteſt, niſi etiam ſubſiſtentia ipſa habeat partes, vnus enim modus indiuiſibilis identificari nequit cum duplici parte realiter diſtincta, quales ſunt materia, & forma in homine: quapropter quando ſeparantur partes aliquæ in toto homogeneo, v. g. partes aquæ, ſeparatur etiã, & diuiditur ſubſiſtentia ipſius aquæ, & quẽadmodùm pars illa aquæ ſeparata à toto, iam non manet pars, ſed totum; ita etiam eius ſubſiſtentia: & ſicut aqua ſeparata manet quoddam totum, & adiuncta cum alia aqua fit pars, ita & ſubſiſtentia; quia modus ſequitur naturam rei. Sed dubium eſt, quomodò partiales ſubſiſtentiæ inter ſe vniantur? pergo igitur ad modos modorum.

Quomodo vniãtur partiales ſubſiſtentiæ? 8 Quarta concluſio. Partiales ſubſiſtentiæ materiæ, & formæ in homine v. g. vniuntur inter ſe per quandam vnionem diuerſam ab ea, qua materia, & forma ipſius hominis inter ſe vniuntur: ita Soar. in Metap. diſp. 34. ſect. 15. num. 23. & ſupponit Rubius in Phyſ. lib. 1. tract. 1. de Materia. quæſt. 4.
Soarius.
Rubius.
Probatur primò. Hæ duæ partiales ſubſiſtẽtiæ vniuntur inter ſe (neque enim ſunt in toto ſeparatæ) ſed non ſunt formales vniones: ergo indigent aliqua vnione, qua inter ſe copulentur. Maior, & minor ſunt certæ: probatur conſequentia, quia vel vniuntur ſe ipſis, vel per vnionem materiæ, & formæ: non ſe ipſis, quia quæ realiter diſtinguuntur non, niſi media vnione, poſſunt vniri, vt patet inductione. Deinde non per vnionem materiæ, & formæ, quia diuerſa extrema diuerſam poſtulant vnionem: ergo &c. cùm igitur vna numero vnio eſſentialiter reſpiciat duo extrema, nec diuinitus poſſit alia duo diuerſa vnire, bene ſequitur partiales ſubſiſtentias habere inter ſe ſuos modos vnionum.

9 Probatur, & declaratur argumentum; quia vnio, quæ de facto datur inter materiam, & formam humanitatis Chriſti Domini, vnit ipſam materiam, & formam Chriſti Domini, quin vniat partiales ſubſiſtentias naturales (ſiquidem Chriſtus Dominus non habet ſubſiſtentias partiales naturales) ergo ſignum eſt quòd vnio inter materiam, & formam non eſt formalis vnio inter partiales ſubſiſtentias materiæ, & formæ hominis, alioquin daretur formalis cauſa, ſeu formalis vnio, ſine ſuo effectu formali. Omitto alias rationes, nam ſatis res confirmata manet.

10 Obijcis tamen pro contraria ſententia (quam præter Vaſques, qui abſolutè negat modos, & ſubſiſtentias partiales, tenet expreſsè Hurtad. in Phyſ. diſp. 2. ſect. 7. à nu. 83. & præcipuè nu. 89.) Si partiales ſubſiſtentiæ medijs vnionibus copulãtur, dabitur proceſſus modorum ſine modo, vſque in infinitum, nam aliqua item requiritur vnio ad partiales vniones partialium ſubſiſtentiarum. *Vaſques.* *Hurtad.*
Reſpond. negando ſequelam, illæ enim partiales vniones ſunt formaliter tales, proptereàque alia non indigent vnione.

DISPVTATIO LVI.

In quibus ſubiectis ſubſiſtentia inueniatur?

ADeò infeſto animo inſectatur P. Vaſques, vbi ſuprà, ſubſiſtentias partiales, vt ſententiam illas admittentem nuperam appellet, & ad hæc vſque tempora in ſcholis inauditam; cùm tamen tot, ac tãtos habeat auctores, quos citaui n. 5. in ſect. præcedenti. Quapropter neceſſarium duxi proponere in hac diſputatione res, in quibus ſubſiſtentia reperiatur: & vt rem altiùs, & à capite reperamus, quærendum imprimis eſt, vtrùm in Deo reperiatur ſubſiſtentia quædam abſoluta, & communis tribus ſubſiſtentijs relatiuis? ergo *Ab Ioue principium.*

SEC.

SECTIO I.

Vtrùm in Deo detur ſubſiſtentia abſoluta?

In quos ſenſu verè detur in Deo ſubſiſtētia. 1 PRima concluſio. Si ſubſiſtentia ſumatur pro exiſtentia abſoluta, & perfectiſsima, per quam natura diuina reddatur omnino independens ab omni ſubiecto, & per quam in nullo ſit per modum partis, datur in Deo ſubſiſtentia abſoluta, etiam prout per intellectũ præſcindit à perſonis. Hæc eſt omnino certa: eſſentia enim diuina, etiam prout abſtrahit à ſubſiſtentijs relatiuis, eſt perfectiſsimè independens ab omni ſubiecto; & in hoc ſenſu veriſsimè loquuntur qui concedũt in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, vt bene explicant Vaſques tom. 2. in 1. p. ad q. 29. ar. 2. diſp. 115. ca. 3. n. 8. vbi oſtendit perperam abuſos hac voce, qui communem exiſtentiam ſubſiſtentiam appellarunt. Idem videre licet apud Valent. diſp. 2. q. 13. puncto. 3. §. Poſſumus autem. Arrubal. 1. p. ad quæſt. 31. diſp. 119. cap. 2. à n. 6.

P. Vaſq. Valent. Arrub.

Nõ datur in Deo ſubſiſtētia abſoluta. 2 Secunda concluſio. Si verò ſubſiſtentia ſumatur pro vltimo naturæ termino, reddenſque illam vltimò terminatam, & incommunicabilem alteri ſuppoſito, in quo ſenſu hîc loquimur, probabiliùs exiſtimo, non dari in natura diuina, prout præſcindit à perſonis, ſubſiſtentiam abſolutam, & eſſentialem: ita Bonauent, Alenſis, Genebrardus, Richardus, Henricus, & Marcilius, quos citat, & ſequitur Vaſques 1. p. ad q. 29. diſp. 115. cap. 3. in eâdem ſententia perſeuerat tom. 1. in 3. p. quæſt. 3. diſp. 27. à num. 4. Idem tenet Valentia 1. p. diſp. 2. quæſt. 13. puncto 3. à §. Sed controuerſia; Mendoça in quodlib. quæſt. 3. dub. 1. eandem ſupponit P. Gaſp. Hurtad. tract. de Incarnat. diſp. 3. difficult. 3. num. 15. & difficult. 4. à num. 17. tenent etiam Lorca de Incarnatione diſp. 24. & Becanus ibidem cap. 4. quæſt. 2. item Petrus Vuadingus tract. de Incarn. diſp. 4. dub. 6. num. 76. §. Alteram, & ſubſcribunt Zunica, Lorca, Roiz, quos citat, & ſequitur Præpoſ. 1. p. quæſt. 29. ar. 4. dub. 3. à num. 20. Idem tenet P. Lugo, de Incarn. diſp. 12. ſect. 3. num. 41. Arrubal. 1. p. quæſt. 31. diſp. 119. cap. 1. 2. & 3. pro qua etiam citari poſſunt illi omnes, qui autumant, Deum, prout præſcindit à perſonis, non poſſe aſſumere creatam naturam, quos refert, & ſequitur Vaſques citatus ad 3. p. immò & loco citato ad 1. p. aſſerit, non minùs notari poſſe, qui exiſtimant, in Deo, præter tres perſonas dari vnam ſubſiſtentiam abſolutam, quàm qui doceret dari quatuor perſonas, & ibidẽ cap. 4. à n. 14. ex Concilijs, & Patribus oſtẽdit quàm noua ſit oppoſita ſententia, & cõtra communem phraſim Conciliorum, vnde aduerſarios ignorantia vocis ſubſiſtentiæ lapſos fuiſſe aſtruit.

Bonau. Alenſ. Genebr. Richard. Henriq. Marſil. Vaſq. Valent. Mendoç. Gaſpar. Hurtad. Becan. Vuad. Zunica. Lorca. Roiz. Præpoſit. Lugo. Arrub.

3 Probatur ratione. Quia ſubſiſtentia, vt conſtat ex communi definitione, eſt vltimus naturæ terminus, reddenſque illam incommunicabilem alteri ſuppoſito: ſed talis ſubſiſtentia, nec eſſet vltimus terminus, ſiquidem adhuc terminabatur per ſubſiſtentias relatiuas: neque redderet Deum incommunicabilem, ſiquidem adhuc communicatur tribus diuinis perſonis: ergo non eſt ſubſiſtentia, ſed exiſtentia per ſe, & abſoluta, de qua non procedit quæſtio. Confirmatur, quia hæc ſententia eſt magis conformis doctrinæ Patrum, & Conciliorum quatenus ſolùm admittunt in Deo tres ſubſiſtentias, ne detur occaſio erroris admittendi quatuor perſonas, cui maximè accedit Caietanus dum auſus eſt ſatis abſonè hanc ſubſiſtentiam abſolutam ſemiperſonam appellare.

Proponitur contraria ſententia, & refutatur.

4 OBijcis tamen pro contraria ſententia, quæ communis, & probabilis eſt, quæ aſſerit in Deo, prout concipitur ſine perſonis, dari abſolutam, & eſſentialem ſubſiſtentiam; quam tenẽt ex antiquis Scotus, Durand. Ocham. Gabr. Caiet. Almain. Capr. Palud. quos citat, & ſequitur Soar. to. 1. in 3. p. q. 3. diſp. 11. ſect. 3. §. Contraria. Idem ſequitur lib. 4. de Trinitate. cap. 11. & in Metaphyſ. diſ. 34. ſect. 1. num. 3. Idem etiam tenent Mol. 1. p. q. 29. ar. 2. diſp. 3. à §. Secunda cõcluſio. Fõſ. 5. Met. c. 8. q. 5. ſect. 7. 8. & 9. Bellar. lib. 2. de Chriſto. cap. 5. §. Nota ſecundò. Zumel 1. p. q. 7. ar. 1. q. vnica. concl. 1 Bañes ibidem q. 29. ar. 3. §. Prætereà Ægyptanenſis tom. 1. de Beatitudine lib. 1. q. 4. ar. 4. n. 5. Raguſa 3. p. q. 3. ar. 3. diſp. 50. §. 1. §. Secunda pars. Granada tom. 1. in 1. p. tract. 4. diſp. 5. ſect. 3. n. 12. vbi citat, præter alios allegatos, Ferrarienſem, Aluares, Palat. Carranzam.

Contraria ſententia eſt probabilis. Scotus. Durand. Ocham. Gabriel. Caiet. Almain. Capreol. Palud. Soarius. Molina. Fonſec. Bellarm. Zumel. Bañez. Ægyt. Raguſa. Ferrar. Aluar. Palat. Carrānz.

5 Obijcis, inquam, primò cum Durando. Subſiſtentia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: ergo debet includi in diuina natura, prout præſcindit à perſonis, ſiquidem

 prout

prout ſic eſt infinitè perfecta. Probatur antecedens, quia ſecundùm definitionem D. Anſelmi, melior eſt ipſa ſubſiſtentia abſoluta, quàm non ipſa. Reſpondetur primò negando antecedens, nam in natura diuina melius eſt non ſubſiſtere ſic, quia ſi ſubſiſteret per ſubſiſtentiam abſolutam, iam non poſſet cõmunicari alijs diuinis perſonis, ſiquidẽ per ſubſiſtẽtiã abſolutã, fit res incommunicabilis alteri termino, ſeu alteri perſonæ.

6 Reſpondetur ſecundò: dato quòd ſubſiſtentia ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, ſufficit, quòd inueniatur in Deo quatenus terminatur per tres diuinas perſonas, quia natura diuina, quatenus ab illis præſcindit, ſolùm eſt ens ſimpliciter infinitum in genere naturæ, non verò in genere ſubſiſtentis, quapropter ſolùm debet admittere perfectionẽ ſimpliciter ſibi debitam in eo genere, & eſt optimum exemplum in quolibet diuino attributo, quod eſt ens ſimpliciter infinitum, & tamen non habet, prout ſic, ſubſiſtẽtiam abſolutam, alioquin poſſet diuina miſericordia ſibi hypoſthaticè aſſumere naturam creatam, quod nemo dicet.

7 Inſtas. Eſſentia diuina, excluſis relationibus, eſt verè Deus, vt docet fides; ſed Deus eſt nomen concretum ex natura, & ſubſiſtentia: ergo Deus, prout abſtrahit à perſonis, dicit aliquam ſubſiſtentiam abſolutam. Reſpond. ad maiorem, eſſentiam diuinam, excluſis relationibus, eſſe verum Deum identicè, & realiter, quod negabat Gilbertus, non verò in ſenſu metaphyſico, & formali, nam ſic potiùs eſt Deitas, quàm Deus, Deitas autem eſt natura abſtracta à tribus diuinis relationibus, Deus verò eſt concretum ex natura, & ſubſiſtentia aliqua relatiua; neque propterea naturæ diuinæ in genere naturæ deeſt aliquod complemẽtum, aut eſt ens imperfectum, quamuis illi deſit complementũ in genere entis ſubſiſtentis.

8 Obijcis ſecundò cum Fonſ. Operationes ſunt ſuppoſitorum: ergo, ſicut Deus ad operationes ad extrà habet ſubſiſtentias relatiuas, ſimiliter, vt operetur ad intrà circa tres diuinas perſonas, requirit ſubſiſtentiam abſolutam, & eſſentialem. Reſpond. negando conſequentiam, nam ad operationes, ſeu quaſi operationes ad intrà, quando Deus operatur circa Filium, iam natura diuina concipitur à nobis ſubſiſtens, per ſubſiſtentiam Patris, & ſimiliter quando operatur circa Spiritum Sanctum, concipitur etiam ſubſiſtens in ſubſiſtentia Patris, & Filij: at verò circa Patrem nulla requiritur ſubſiſtentia, quia circa Patrem nulla datur operatio, ſeu quaſi operatio, quia Pater eſt innaſcibilis, ex quibus patet ſolutio ad argumentum.

9 Obijcis tertiò cum Soar. Si diuina eſſentia, prout præſcindit à perſonis, non haberet aliquam ſubſiſtentiam abſolutam, & eſſentialem, indigeret ſubſiſtentijs relatiuis, vt terminaretur, ſicut humanitas indiget ſua ſubſiſtentia; ex quibus ſequeretur tres diuinas ſubſiſtentias relatiuas non dari propter fæcunditatem, ſed propter neceſſitatem, quod admitti non debet: & propter hoc argumentum admittitur, Verbum eſſentiale, quod ſit terminus diuinæ intellectionis eſſentialis, Verbum enim notionale non ex indigentia intellectionis, ſed ex fæcunditate procedit, quamuis in re idem ſit Verbum eſſentiale, & notionale.

Hoc argumẽtũ facit probabilẽ hanc contrariã opinionẽ.

10 Reſpond cum Vaſq. diuinam eſſentiam ſine ſubſiſtentijs relatiuis concipi perfectiſſimè terminatam in genere naturæ, ſolùmque poſtulare tres illas ſubſiſtentias in genere ſubſiſtentis, vt vltimò terminetur, & reddatur incommunicabilis alteri ſuppoſito alieno, quæ poſtulantia non eſt ex indigentia, ſed ex nimia fæcunditate, ſiquidem poſtulat non vnam, ſed tres ſubſiſtentias relatiuas. Neque propriè dicetur diuina natura indigere his ſubſiſtentijs, vt terminetur, ſiquidem non diſtinguuntur ab ipſa diuina eſſentia, nemo enim dicitur indigere re non diſtincta.

11 Ad probationem de Verbo eſſentiali (propter quam hæc contraria opinio nimis probabilis redditur) reſpondetur dando maiorem rationem, quia in Deo, prout præſcindit à perſonis, datur intellectio eſſentialis, quæ cùm ſit actio, ſeu potiùs quaſi actio, neceſſariò debet habere terminum, nempe Verbum eſſentiale, quod in re eſt Verbum ipſum notionale: at verò nulla datur neceſſitas admittendi ſubſiſtentiam abſolutam, quia præterquàmquòd ſine illa concipiatur diuina eſſentia completa perfectè in eſſe naturæ, ſi admitteretur, redderetur Deus incommunicabilis tribus diuinis perſonis, eſſet enim talis ſubſiſtẽtia vltimus terminus; quod cùm dicendum non ſit, conſequenter admitti nõ poteſt talis ſubſiſtentia.

12 Obijcis quartò cum eodem Soar. Philoſophi antiqui, ante aduentum Chriſti Domini, non cognouerunt Deum ſubſiſtentem per diuinas tres ſubſiſtentias relatiuas, ſed per vnam abſolutam: ergo ita poteſt modò concipi. Reſpond. negando conſequentiam, qui enim ita Deum conciperent, neceſſariò etiam illum conciperent, vt incommunicabilem, ſiquidem concipiebatur vltimò terminatus; vnde, ſicut diuina claritas nobis innotuit in Trinitate Sanctiſſima, ſic etiam

nobis

Digitized by Google

nobis explicauit modum cōcipiendi Deum ita ſubſiſtentem per tres diuinas perſonas, vt non ſit ſuppoſitum incommunicabile circa illas.

13 Obijcis quintò cum eodem Doctore: Terminus, *hic Deus*, ſignificat naturam diuinam de formali cum aliqua ſubſiſtentia, ſed hæc non poteſt eſſe relatiua: ergo eſt abſoluta. Probatur minor, quia *hic Deus* eſt communicabilis tribus diuinis perſonis, quod fieri non poteſt, ſi dicat aliquam diuinam perſonam, quia iam ipſa diuina perſona foret cōmunicabilis, quod tamen negandū omnino eſt, quia nihil relatiuum in diuinis communicatur.

14 Reſpond. negando minorem, nam terminus, *hic Deus*, ſolùm dicit de formali naturam diuinam, ſupponendo pro aliqua ſubſiſtentia relatiua indeterminatè, vt bene aduertit Gillius lib. 2. tract. 4. cap. 5. n. 3. Ad probationem dicendum eſt, hoc nihil obſtare, quominùs Deus ſecundùm ſuam naturā, ideſt ſecundùm id, quod dicit de formali, communicetur alteri perſonæ, quamuis non communicetur illa ratio ſubſiſtentiæ, quæ nō dicitur in recto. *Gillius.*

15 Inſtas. Natura diuina concipitur vt, *hic Deus*, in concreto ante proceſsiones perſonarum: ergo in eo priori eſt concretum à ſubſiſtentia abſoluta. Reſpōdetur in eo priori ſolùm concipi, vt hunc Deum, ſeu hanc Deitatem, ratione naturæ, & exiſtentiæ, non verò completè ratione ſubſiſtentiæ, ſiquidem adhuc nulla datur ſubſiſtentia.

16 Aduertendum verò eſt, quòd licèt diuina eſſentia, prout præſcindit à perſonis non includat ſubſiſtentiam abſolutam, non ideò eſt imperfectior, quàm tota Trinitas, quia, quamuis diuina eſſentia non includat formaliter ſubſiſtētias relatiuas, ſufficit, quòd illas includat eminenter, in diuinis autem tāta perfectio eſt formalis, quàm eminentialis continentia: neque obſtat, quòd diuina eſſētia ſit principium operationum, eſt enim tantùm principium *vt quo*, quod non poſtulat neceſſariò ſubſiſtentiam.

17 Aduertendum vltimò, quòd, licèt diuina natura ſumpta ſine ſubſiſtentijs relatiuis ſit incommunicabilis alteri ſuppoſito extraneo, id quidem non habet ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, ſiquidem illam non habet, ſed ex ipſamet ratione diuinæ naturæ, quæ ex eo, quòd ſit infinita, habet fundamentaliter non poſſe cōmunicari alteri ſuppoſito; quod deinde formaliter vendicat à diuinis relationibus, per quas conſtituitur formaliter in eſſe ſuppoſiti omnino incommunicabilis; hanc litem de diuina ſubſiſtentia abſoluta optimè componit Arrubal (ſecundùm noſtram explicationem) 1. p. ad q. 31. diſp. 119. cap. 1. 2. & 3. vbi videri poteſt.

Corollaria ex præcedenti doctrina.

18 Atque ex dictis ſequitur, *Tertia concluſio*. Omnis prima ſubſtantia ſubſiſtens eſt etiam ſuppoſitum. Hæc concluſio eſt de mente illorum, qui negant in Deo ſubſiſtentiam abſolutam; illam etiam expreſsit Hurtad. in Met. diſp. 11. ſect. 2. n. 10. Probatur. quia, ſi aliqua daretur prima ſubſtantia ſubſiſtens, quæ non eſſet ſuppoſitum, hoc eſt, quæ non eſſet incommunicabilis, foret *hic Deus*, prout præſcindit à perſonis: ſed *hic Deus* in concreto eſt ſuppoſitum: ergo &c. Maior ita proponitur ab aduerſarijs: probatur minor, quia *hic Deus*, ſignificat naturam diuinam in concreto cum aliqua ſubſiſtentia relatiua indeterminata: ſed hoc totum eſt aliquid ſubſiſtens, & ſuppoſitum; ſiquidem per illam talem ſubſiſtentiam redditur Deus formaliter incommunicabilis alteri ſuppoſito alieno: ergo &c. *Omne ſubſiſtens eſt etiā ſuppoſitum.* *Hurtad.*

19 Ex dictis euerſa manent fundamenta, quibus nituntur Soar. in Metap. diſp. 34. ſect. 1. n. 4. & Fonſ. 5. Met. cap. 8. q. 5. ſect. 10. exiſtimantes naturam diuinam, prout abſtrahit à perſonis, ſeu *hunc Deum*, eſſe ſubſtantiam completam, & ſubſiſtentem per abſolutam ſubſiſtentiam, non tamen eſſe ſuppoſitum, ſiquidem adhuc communicatur tribus diuinis perſonis. *Soarius.* *Fonſeca.*

20 Obſtas. Natura diuina cum aliqua ſubsiſtentia relatiua determinata, v.g. Pater æternus, eſt prima ſubſtantia completa, & ſubsiſtens, & tamen communicatur Filio: ergo datur aliqua prima ſubſtantia completa, & ſubsiſtens, quæ non ſit ſuppoſitum, hoc eſt, quæ non ſit incommunicabilis. Reſpōd. ad minorem, Patrem Æternum non communicari Filio, quà ſubſtantia eſt ſubsiſtens, ſeu quà ſuppoſitum eſt, ſed ſolùm quà eſſentia eſt, nam relatiua in Deo non communicantur: at verò ſi natura diuina haberet ſubsiſtētiam abſolutam communicaret ſe cum eādem ſubsiſtentia, quia omnia abſoluta, quæ in Deo dantur, ſunt communicabilia, & conſequenter talis ſubsiſtentia abſoluta vlteriùs terminaretur, quod implicat, vt videbimus.

21 Ex dictis prætereà ſequitur, *Quarta concluſio*. Omnis prima ſubſtantia prædicamentalis creata, vel creabilis, eſt ſuppoſitum, ſiue ſit ſingularis, vt Socrates; ſiue communis, vt homo; nam homo, licet communicetur inferioribus, non tamen communicatur *Omnis prima ſubſtā. tia eſt etiā ſuppoſitū.*

alteri ſuppoſito, quæ ſola communicabilitas repugnat ſubſiſtentiæ. Hinc etiam conſequenter tenent iidem Doctores. Probatur concluſio. Si enim poſsibilis foret talis ſubſtantia creata, quæ foret ſubſiſtens, non tamē ſuppoſitum, illa eſſet, quæ aſſumeretur ad ſubſiſtentiam Dei abſolutam [vt volunt Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 3. diſp. 13. ſect. 1. §. Dico ſecundò, cum Scoto, Durando, Richardo, Almaino, Caietano, quos citat, & refutat Vaſquez tom. 1. in 3. p. ad q. 3. diſp. 27. n. 1. cap. 1.) ſed in Deo non datur talis ſubſiſtentia abſoluta: ergo impoſsibilis eſt talis vnio, & conſequenter ſubſtantia creata ſubſiſtens, quæ non ſit ſuppoſitum: ex quibus tandem patet, ſubſiſtentiam neque in diuinis latiùs patere, quàm ſuppoſitum.

Soarius. Scotus. Durand. Richar. Almain. Caiet. P. Vaſq.

22 Siquis tamen defenderit dari in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, conſequenter tenetur aſſerere diſtingui ſubſiſtentiam à ſuppoſito, illamque diuinam ſubſiſtentiam abſolutam non eſſe ſuppoſitum, quia non vltimò terminat naturam diuinam, neque illam reddit incommunicabilem, eſſe verò ſubſiſtentiam, quia reddit eſſentiam diuinam vltimò completam in genere exiſtentis perfectiſsimè: cauendum tamen eſt, ne quæſtio de re grauiſsima ad quæſtionem de nomine reducatur. Agè verò depone quæſo diuinæ ſubſiſtentiæ ſacroſanctam maieſtatem; ad ſubſiſtentias ergo creatas deſcendam, incipiamque pauliſper

Serpere humi nimiùm cautus, timiduſque procellæ,

Horat. in Art. Poet.

SECTIO II.

Vtrùm anima rationalis, materia prima, partes integrantes, & modi ſubſtantiales habeant ſubſiſtentiam?

Anima habet ſubſiſtentiam.

1 PRima concluſio. Anima rationalis tam in corpore, quàm extra corpus exiſtens veram, & propriam habet ſubſiſtentiam partialem. Hæc eſt communis, Duce D. Thom. 1. p. q. 75. ar. 2. Quem ſequuntur ibi Caietanus, Ferrar. & reliqui Thomiſtæ, inter quos eſt Rubius 1. Phyſic. tract. 2. de Forma. q. 5. n. 44. Patres Conimbricenſes 2. de Anima cap. 1. q. 2. ar. 2. Fonſ. 5. Met. cap. 8. q. 5. ſect. 4. §. Denique. Soar. in Met. diſp. 34. ſect. 2. à n. 30. & loco infrà citando. Raguſa 3. p. q. 4. ar. 1. diſp. 56. §. 3. §. Dico ergo. Becanus de Incarnatione cap. 5. quæſt. 4. eandem ſequuntur Palud. in 3. diſt. 2. quæſt. 2. Aluares 3. p. ad quæſt. 4. Aluar. diſp. 29.

D. Thom. Caiet. Ferrar. Rubius. Patres Conimb. Fonſ. Soar. Raguſa. Becan. Palud.

2 Probatur ratione. Quia ſubſiſtentia non pugnat cum vnione ad materiam, vel ad compoſitum, ſed ſolùm excludit dependentiam ab vlteriori termino: atqui anima rationalis, etiam quando eſt in corpore, independens eſt non ſolùm à materia, ſed quod potiùs eſt ab vlteriori termino: ergo habet veram ſubſiſtentiam: atque hinc eſt, quòd anima Chriſti Domini, quamuis haberet vnionem ad materiam, habebat nihilominùs veram ſubſiſtentiam diuinam.

3 Confirmatur primò, quia ſubſiſtentia totius hominis non eſt indiuiſibilis: ergo cōflatur ex ſubſiſtentia formæ rationalis, & ex ſubſiſtentia materiæ, vt videbimus. Confirmatur ſecundò; quia creatio, teſte D. Thoma 1. p. q. 45. ar. 4. terminatur ad rem ſubſiſtentem: ergo, cùm anima rationalis à Deo creetur, veram habet ſubſiſtentiam: & declaratur, quia anima rationalis priùs naturà creatur, quàm vniatur materiæ: ergo in eo priori verè ſubſiſtit per partialem ſubſiſtentiam.

4 Confirmatur tandem, quia id, quod poteſt aſſumi ad ſubſiſtentiam Verbi, debet habere propriam ſubſiſtentiam: ſed anima rationalis poteſt hypoſthaticè aſſumi, non ſolùm quando eſt extra corpus (ſiquidem vt docet fides, in triduo vnita fuit Verbo) ſed etiam in ipſo corpore, vt communiter docent Theologi cum Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 4. diſp. 14. ſect. 3. §. Dico ſecundo: ergo tam in corpore, quàm extra corpus verā habet ſubſiſtentiam.

5 Obijcis pro contraria ſententia, quam tenent Vaſques tom. 2. in 1. p. ad q. 29. diſp. 125. cap. 4. nu. 17. in fine, vbi aſſerit ineptè appellari ſubſiſtentias partiales, & q. 45. diſp. 174. cap. 4. nu. 5. expreſsè aſſerit, animam rationalem non habere ſubſiſtentiam; & iterū tom. 1. in 3. p. ad q. 4. diſp. 32. cap. 3. & 4. acriter inuehitur contra ſubſiſtentias partiales: pro eâdem ſententia pugnat Albertinus tom. 2. in prædicamento Subſtantiæ diſp. 3. q. 6. à n. 14. item Arriaga in Metaph. diſp. 4. ſect. 9. n. 67. Aliâ viâ eandem ſententiam tuentur alij, qui aſſerunt, animam rationalem ſolùm extra corpus habere ſubſiſtentiam, inter quos eſt Lorca de Incarnatione diſp. 29. Gaſpar Hurtad. tract. de Incarnatione, diſp. 4 diffi. 9. à n. 28. idem ſenſit P. Lugo de Incarnat. diſp. 12. ſect. 3. n. 39.

Refutatur contraria ſententia Vaſq. Albertin. Arriaga. Lorca. Gaſpar Hurt. P. Lugo.

6 Fundātur hi omnes auctores, quia ſubſiſtentia dicit aliquid ſimplex completum, & integrum, ſicut *vnitas, natura, & perſona*: ſed anima rationalis eſt quid incompletum: ergo non habet ſubſiſtentiam, præcipuè dum eſt in

in corpore, quia eſt vnita materiæ, & non exiſtit propriè per ſe. Reſpondetur tamen opus non eſſe, omnem ſubſiſtentiam eſſe completam, ſicut neque etiam opus eſt, omnem vnitatem eſſe entis completi, nam vnitas eſt paſsio entis, vnde etiam ens partiale ſuam habet vnitatem partialem. Neque obſtat, quòd non omnis ſubſiſtentia partialis ſit perſona, plus enim requiritur ad perſonam, ſiquidem perſona, ſolùm eſt ſuppoſitum rationale: friuolum verò eſt aſſerere animam rationalem in corpore non habere propriam exiſtentiam, neque enim communicatio cum materia tollit veram exiſtentiam, aut veram ſubſiſtentiam, effectus enim formalis ſubſiſtentiæ non eſt reddere animam incommunicabilem alicui parti, ſed eſt terminare, & complere in genere ſubſiſtentis, quod in corpore poteſt efficere partialis ſubſiſtentia.

Materia prima habet ſubſiſtentiam. *Soarius.* *Rubius.* *Hurtad.*

7 Secunda concluſio. Materia prima ſuam habet ſubſiſtentiam partialem: eſt etiam communis, vt videre eſt apud Soar. in Met. diſp. 34. ſect. 5. n. 27. & 35 & tom. 1. in 3. p. diſp. 14. ſect. 3. Rubius 1 Phyſ. tract. 1. de Materia, q. 4. n. 26. Hurtad. in Phyſ. diſp. 2. ſect. 7. n. 75, vbi idem aſſerit de Anima rationali. Probatur eiſdem argumentis, nam materia prima creatur à Deo, creatio verò ſolùm eſt rerum ſubſiſtentium; deinde poteſt à Deo hypoſthaticè aſſumi, vt videtur colligi ex principijs fidei, nam in triduo materia, ſiue corpus Chriſti Domini vnitum manſit diuinitati.

Molina. *Raguſa.* *Gaſpar Hurt.* Vaſq. P. Lugo.

8 Contrariam ſententiam nihilominùs tenet Mol. 1. p. q. 29. ar. 2. diſp. 3. §. Ex dictis facilè. Raguſa 3. p. diſp. 56. §. 1. §. Dico ergo. Gaſp. Hurtad. tract. de Incarnatione diſp. 4. difficult. 10. P. Vaſquez partialium ſubſiſtentiarum hoſtis infeſtiſsimus, præcipuè tom. 1. in 3. p. ad q. 4. diſp. 32. cap. 3. Lugo de Incarn. diſp. 12. ſect. 3. n. 38. (quamuis n. 41. materiam, & formam partialiter ſubſiſtere in compoſito dicat) & alij, cuius tamen ſententiæ fundamenta ſoluta manent ex dictis pro prima concluſione; neque enim neganda eſt ſubſiſtentia partialis; neque ſubſiſtentia tollit communicationem alteri, tanquàm parti, vt conſtat ex anima rationali: neque tandem obſtat, quòd materia non poſsit naturaliter exiſtere ſine forma, vt patebit ſatis ex ſect. 3. ex quibus conſequenter colligitur latiùs patere ſubſiſtentiam, quàm perſonam, vel hypoſthaſim, perſona enim, vel hypoſthaſis ſolùm dicitur de ſubſtantia intellectuali cõpleta.

Partes phyſicæ habẽt ſubſiſtentiam.

9 Tertia concluſio. Partes phyſicæ, quæ integrant ſubſtantiam materialem, v. g. cor, caput, &c. habent etiam partiales ſubſiſtentias: hæc bene ſequitur ex dictis, cùm enim ſubſtantiæ corporeæ habeant partes integrales, quibus componuntur, neceſſe eſt, vt illæ partes ſuas habeant ſubſiſtentias, ſicut enim ex partibus ſubſtantiæ corporeæ fit vna ſubſtantia completa, ita ex partialibus ſubſiſtentijs fit vna totalis: atque hinc eſt, quòd pars quælibet integrans, etiam quà pars eſt vnita in toto, v.g. cor, poſsit hypoſthaticè aſſumi, vt docet Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 4. diſp. 14. ſect. 3. §. Dico tertiò. Si verò non haberet ſubſiſtẽtiam, non poſſet aſſumi, vt eſt communis ſententia apud Theologos.

10 Quarta concluſio. Modi ſubſtãtiales, vt vnio inter materiam, & formam, habent etiam probabiliter ſuam peculiarem ſubſiſtẽtiam: pro hac citari poteſt Hurt. in Phyſ. diſp. 2. ſect. 7. n. 81. Probatur, quia ſubſiſtentia eſt terminus cuiuſcumque ſubſtantiæ: ſed vnio eſt ſubſtantia, ſiue modus ſubſtantialis: ergo habet ſubſiſtentiam. Confirmatur, quia id, quod aſſumi poteſt, ſuam debet habere ſubſiſtentiam, vt eſt cõmune principiũ in Theologia: ſed vnio inter materiam, & formã Chriſti Domini de facto eſt immediatè aſſumpta: ergo &c. minor communis eſt, vt videre licet apud Soar. tom. 1. in 3. p. q. 6. diſp 17. ſect. 5. §. Dico tertiò. *Aliqui modi ſubſtãtiales habent ſuas ſubſiſtentias.*

11 Quod declaratur in triduo, in quo ſolùm deſijt vnio hypoſthatica, ad vnionẽ animæ, & corporis Chriſti Domini, enim verò tã anima, quàm corpus ſemper fuere vnita diuinitati, & ſola deſijt vnio ad vnionem animæ, & corporis Chriſti, quæ poſteà in reſurrectione iterum fuit aſſumpta: neque hinc ſequitur modos accidentales v.g. figuram, & Vbi habituros eſſe peculiarem inhærentiam ad ſubiectum, datur enim maior ratio, vt habeãt ſubſiſtentiam modi ſubſtãtiales, quàm vt habeãt inhærentiam: modi enim ſubſtantiales ſunt vltimò terminati, quod ſufficit ad ſubſiſtẽtiã: non habebunt tamẽ propriã inhærentiã, quia inhærẽtia requirit extrema realiter diſtincta, modi verò non diſtinguuntur realiter à ſubiectis. Subſiſtentia verò ipſa non habebit aliã ſubſiſtentiam, tum quia eſt per ſe talis: tum quia daretur proceſſus in infinitum.

12 Tandem notandum eſt, accidẽs nullam habere ſubſiſtentiam, vt eſt communis, & certa ſententia Theologorum, quos refert, & ſequitur Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 4. diſp. 14. ſect. 4. Vaſq. 3. p. ad q. 3. diſp. 30. cap. 5. & ratio eſt, quia ſubſiſtentia eſt modus ſubſtantialis: & hinc eſt quòd accidens aſſumi non poſsit immediatè ad diuinam hypoſthaſim, vt eſt communis ſententia Theologorum ad 3. p. D. Thom. q. 4. ar. 1. *Soarius.* *P. Vaſq.*

SEC-

SECTIO III.

Vtrùm formæ materiales propriam habeant ſubſiſtentiam?

In quo ſēſu nō habent ſubſiſten iā.

1 PRima concluſio, Si ſumatur ſubſiſtentia pro exiſtentia per ſe perfecta, formæ materiales non habent ſubſiſtentiam. In hac concluſione conueniunt omnes ſi rectè intelligātur: quæ, vt percipiatur, aduertendum eſt, exiſtentiam per ſe opponi exiſtentiæ in alio, ſeu dependētiæ ab alio, vt eſt cōmunis omnium ſententia. Hæc igitur exiſtentiæ per ſe alicuius ſubſtantiæ, vel eſt imperfecta, & communis omni ſubſtantiæ, & hæc ſolùm tollit dependentiā à ſubiecto inhæſionis: quæ quidem exiſtentia requiritur in omni gradu ſubſtantiæ; & hanc ſolam exiſtentiam per ſe habent formæ materiales, ſunt enim ſubſtantiæ maximè imperfectæ, & in vltimo gradu ſubſtantiali cōſtitutæ.

Aduerte diligēter. Quotuplex detur exiſtētia?

2 Secunda exiſtentia, quæ perfecta eſt, tollit non ſolùm dependentiam à ſubiecto inhæſionis, ſed etiam à ſubiecto ſuſtentationis, & hæc vel eſt incompleta, qualem habet materia prima, quę licèt naturaliter non poſſit eſſe ſine forma, non tamen dependet à forma; qualem etiam habet anima rationalis, quæ non dependet à materia tanquàm à ſuſtentante, ſicut dependent formæ materiales: vel eſt hæc exiſtentia completa, qualem habet Socrates, qui nec dependet à ſubiecto inhæſionis, nec à ſubiecto ſuſtentationis, nec vlteriùs eſt pars alicuius compoſiti.

Quā exiſtentiā habeant formæ materiales?

3 Formæ igitur materiales non habent hanc perfectam exiſtentiam, ſiue ſubſiſtentiā (ita enim promiſcuè loquuntur auctores) habent tamen primam exiſtentiam imperfectā, quia licet dependeant à ſubiecto ſuſtentationis, nempe à materia, non tamen dependent à ſubiecto inhæſionis, quia ſunt veræ ſubſtantię. Auctores igitur Recentiores clariùs loquuntur in hac re, & ſolùm accipiunt ſubſiſtentiam per ordinem ad terminum, vt reuera debet accipi, non verò per ordinem ad ſubiectum, ſiue inhæſionis, ſiue ſuſtentationis, ne exiſtentia cum ſubſiſtentia confundatur: immò ſi hæc, quæ breuiter dicta ſunt, oculatè expendantur, euaneſcent proculdubio caliginoſæ variarum opinionum nubes, quibus exiſtentia cum ſubſiſtentia, velut in tetro confuſionis labyrintho, inter ſe confligantur, & implicantur.

4 Secunda concluſio. Si verò ſubſiſtentia ſumatur (vt reuera ſumi debet) per ordinem ad terminum, formæ materiales veram, & propriam habent ſubſiſtentiam partialem: hæc concluſio certa videtur [ſi tollatur æquiuocatio inter exiſtentiam, & ſubſiſtentiam] cui maximè fauent Hurt. in Phyſ. diſp. 2. ſect. 7. à n. 88. Soar. in Met. diſp. 34. ſect. 5. à n. 45. quamuìs hanc ſubſiſtentiam ſolùm appellet modum ſubſiſtentiæ. Probatur primò, & præcipuè, quia ſubſiſtentia eſt modus, qui complet, & vltimò terminat ſubſtantiam in genere ſuppoſiti: ſed formæ materiales ſunt ſubſtantiæ vltimò terminatæ in genere ſuppoſiti: ergo habent ſubſiſtentiam. Probatur minor, quia illa ſubſtantia eſt vltimò terminata, quę non indiget alio termino, & quæ alteri eſt incommunicabilis: ſed ita ſe habet materialis forma, neq; enim indiget alio termino, & eſt incommunicabilis alteri ſuppoſito: ergo &c. minor magis conſtabit ex dicendis.

In quo ſēſu habent verā ſubſiſtentiam.

Hurtad. Soar.

5 Confirmatur, quia Bucephalus v. g. habet ſubſiſtentiam completam, vt omnes fatentur, ſed hæc non poteſt eſſe ſola ſubſiſtentia partialis materiæ: ergo completur per ſubſiſtentiam partialem formæ materialis; neque obſtat, quòd forma communicetur materiæ, nam etiam materia communicatur formæ ad faciendum vnum compoſitum; & tamen materia habet ſubſiſtentiam: ſolam enim communicationem alteri ſuppoſito alieno tollit ſubſiſtentia.

6 Confirmatur ſecundò, quia forma materialis poteſt aſſumi hypoſtaticè ad diuinam hypoſtaſim: ergo habet propriam ſubſiſtentiam. Antecedens admittit Soar. to. 1. in 3. p. ad q. 4. diſp. 14. ſect. 3. §. Dico ſecundò, vbi tuetur materialem formam aſſumi poſſe, vel vnitam corpori, vel ſeparatam à corpore, vt credit probabilius §. Secundò ergo: & probatur idem antecedens, quia forma ſanguinis Chriſti Domini immediatè fuit vnita Verbo diuino, quod latiſſimè probat ex Scriptura, ex Patribus, & Doctoribus. Raguſa 3. p. q. 5. ar. 2. diſp. 60. §. 1. Quamuis enim ſanguis non ſit animatus, pertinet tamen ad integritatem corporis: Conſequentia rectè infert, quia id ſolùm poteſt aſſumi, quod habet propriam ſubſiſtentiam, cuius loco diuina ſubrogatur, vt eſt communis ſententia Theologorum.

Soar.

Raguſa.

7 Neque dicendum eſt formam ſanguinis Chriſti ſolùm mediatè fuiſſe aſſumptam, ſicut de accidentibus dici ſolet, cùm enim ſanguis conſtet ex materia, & forma, ſicut materia ſanguinis, ita & forma ſanguinis immediatè fuerunt aſſumptæ; neque præte-

Digitized by Google

rcá dicendum eſt,per diuinam ſubſiſtentiam ſuppleri etiam poſſe modum ſubſiſtentiæ, qualem Soar. concedit in materiali forma, nam cùm ille modus habeat omnia munera veræ ſubſiſtentiæ, non eſt cur proprio nomine fraudetur: quamuis enim Auctores plerumque non audeant concedere talem nominis prærogatiuam,ex eo quòd forma depédeat à materia, cùm tamen hæc dependentia non repugnet cum ſubſiſtentia,audacter, ac ſine vllo ſcrupuli modo,modum illũ ſubſiſtentiæ *ſubſiſtentiam* poſſumus appellare,quæ ſententia magis patebit ex dicendis.

Proponitur, & reijcitur contraria ſententia.

8 Contraria ſententia tenet materiales formas nullam habere ſubſiſtentiam: ita Vaſques 1. p. diſp. 125. cap. 4. & tom. 1. in 3. p. ad q. 3. diſp. 30. à nu. 20. vbi conſequenter aſſerit, non materialem formam aſſumi immediatè à Verbo diuino. Eandem ſententiam tenet Rubius 1. Phyſic. tract. 2. de Forma. q. 4. à n. 36. vbi citat D. Thom. Caiet. Ferrar. Mol. & Fon'. Idem ſequitur Albertin. tom. 2. in prædicamento ſubſtantiæ diſp. 3. q. 6. à n. 11. Qui tamen exiſtimat,compoſitum vnã ſimplicem habere ſubſiſtentiam, quæ afficiat ſolam materiam. Pro eâdem contraria ſentẽtia ſtant Gaſp. Hurt. tract. de Incarn. diſp. 4. diffic. 8. n. 24. Raguſa 3. p. q. 4. ar. 1. diſp. 56. §. Dico ergo.

Vaſq. Rubius. D. Thom. Caiet. Ferrar. Molina. Fonſeca. Albertin. Gaſpar Hurtad. Raguſa.

9 Hos tamen auctores leuiter curo, quia ſubſiſtentiam non diſtinguunt ab exiſtentia, & quia tacitè vnam tantùm partialem ſubſiſtentiam admittunt in compoſito materiali, quæ cum ſola materia identificetur, quod tamen fieri nequit, compoſitum enim habere debet ſubſiſtentiam totalem, & completam, vt probaui. Quòd verò exiſtentia diſtinguatur à ſubſiſtentia probatur, quia exiſtentia eſt per ordinem ad ſubiectum, à quo facit non pendere: ſubſiſtentia verò eſt per ordinem ad terminum, cui reddit ſubſtantiam incommunicabilem: qui effectus ſunt diuerſi, vt patet.

10 Obijcis ergo pro alia ſententia Soar. in Met. diſp. 34. ſect. 1. à n. 42. & tom. 1. in 3. p. ad q. 4. diſp. 14. ſect. 3. §. Dico ſecundò; aſſerentis materiales formas non habere veram ſubſiſtentiam, ſed tantùm modum ſubſiſtentiæ. Obijcis, inquam. Materiales formæ dependent à materia, tanquàm à ſuſtentante: ergo non habent propriam ſubſiſtentiam. Reſpondetur negando conſequentiã, ſubſiſtentia enim ſolùm tollit dependentiam à termino, non verò à ſubiecto vel inhæſionis, vel ſuſtentationis.

11 Inſtas. Saltem ſignum eſt manifeſtum, quòd ea, quæ habent ſubſiſtentiam nõ dependeãt à materia, vt videre eſt in anima rationali, in ipſa materia, & in toto aliquo ſubſtantiali, in Petro v. g. quæ omnia, quia non dependent à materia, verè dicuntur habere ſubſiſtentiam. Reſpondetur tamen negando tale ſignum prouenire à ſubſiſtentia, ſolùm enim prouenit ab exiſtentia perfecta, quæ dicit independentiam etiam à ſubiecto ſuſtentationis. Vnde quando D. Thomas, & antiqui Theologi aſſerunt, ſolam formam rationalem habere ſubſiſtentiam, nomine *ſubſiſtentiæ* intelligunt exiſtentiam perfectam: atque ex his ſolutum manet importunum hoc argumentum, quod vtinam nullatenus audeat poſt hàc ſe dare in theatrum.

12 Quarè conſequenter dicendum eſt, ſi Deus produceret, per creationem, formam aliquam materialem, poſſe illam conſeruari cum eâdem ſubſiſtentia, quam anteà habebat ſub materia, tunc enim ſolùm Deus ſuppleret dependentiam illam, quam forma habet à materia, tanquàm à ſuſtentante, & ſolum præſtaret illi nouum modum exiſtentiæ perfectæ, quæ ſuppleret hanc dependentiã; ſicut quando conſeruat accidens extra ſubiectum, hoc præſtat per nouum modum exiſtentiæ per ſe: vel etiam in vtròque caſu id præſtaret Deus, per actionem creatiuam, iuxta modum philoſophandi de accidente extra ſubiectum, quem tradidi in hac 3. p. tract. 2. diſp. 53. ſect. 3.

13 Neque effringet aciem huius diſcurſus, qui aliò rem verterit, aſſerendo formam ſanguinis Chriſti Domini non per ſe immediatè, & *vt quod*, ſed tantùm concomitanter fuiſſe aſſumptam, vt de accidentibus communiter dici ſolet: dicendum enim eſt, ratione ſui, fuiſſe aſſumptam immediatè, & *vt quod inadæquatè*, ſiquidem totus ſanguis aſſumptus eſt immediatè, & per ſe: atqui ſanguis non eſt ſola materia; ergo etiam forma ſanguinis per ſe fuit aſſumpta. Quòd ſi Verbum diuinum dimitteret formam ſanguinis, hæc non periret ſtatim defectu ſubſiſtentiæ, ſed ratione propriæ defectibilitatis, propter imperfectam exiſtentiam; vel ex defectu actionis creatiuæ, aut noui modi exiſtendi per ſe, quo indigebat, vt vinceret dependentiam, quam habet ex ſubiecto ſuſtentationis.

14 Neque verè ſatisfacit reſponſio Soarij aſſerentis formam ſanguinis Chriſti Domini aſſumptam fuiſſe, quia habet modum ſubſiſtentiæ. Sed contrà eſt, quia hic modus eſt

eſt vera ſubſiſtentia, vt patet ex dictis: neque enim exiſtentia imperfecta materialis formæ pugnat cum ſubſiſtentia. Quod dixi de forma ſanguinis Chriſti Domini, multi etiam dicunt de forma cadaueris in triduo, hoc tamen non eſt ita certum, ſicut primum de forma ſanguinis. Sed tamen, vt moneas caueas, iterum atque iterum aduerto ne quæſtio de re grauiſsima tranſeat in quæſtionem leuiſsimam de vocabulo; & ne tibi exiſtentia pro ſubſiſtentia tacitè obrepat. Hic modus explicandi ſubſiſtentiam mihi maximè probatur, quem ſimiliter ſpero meos auditores approbaturos, quin minùs ſolatio erit Petronij Arbitri arbitrium, *Petron. Arbit. in ſat.*

— Non omnibus vnum eſt
Quod placet, hic ſpinas colligit, ille roſas.

DISPVTATIO LVII.

De Cauſis, & effectibus ſubſiſtentiæ.

MVLTÆ, & graues difficultates in hac diſputatione ponendæ ſunt, & exponendæ, quæ non minùs Philoſophi, quàm Theologi operam integram, & otioſam poſtulabant: quapropter, ne dum ſequimur ſolitam breuitatē in breuia, & ſyrtes obſcuritatis, opus hoc noſtrum miserè vrgeamus, lentiùs aliquarum quæſtionum examen in trutina caſtigandum eſt; quæ igitur hîc tractabimus, magna profectò ſunt, & humano anguſtiora, quippe quæ ex ſolo numinis oraculo mortalibus innotuere; ſed quæ potiùs Metaphyſicus rimari debet, quam futiles, & inutiles contradicentium propoſitionum quiſquilias decerpere, & conuerſionum gerras germanas ſedulò, ac ſeriò veſtigare.

Scilicet in magnis quærenda eſt gloria rebus,
Hinc venient capiti laurea ſerta meo.

SECTIO I.

De Cauſa efficiente, & materiali ſubsiſtentiæ.

1 PRima concluſio, Cauſa efficiens ſubſiſtentiæ non eſt agens extrinſecum (quod naturam ipſam producit) ſed immediatè emanat ab ipſa natura ſubſtantiali, iam producta, & in prioritate naturæ exiſtente. Hæc concluſio communis eſt, & mihi probabilior videtur, quam tenere videtur D. Thomas 3. p. q. 16. ar. 12. in corpore, ad primum. Illam etiam ſequuntur Genebrardus lib. 2. de Trinitate pag. 93. & 94. Medina 3. p. q. 12. ar. 2. Caiet. 3. p. q. 17. ar. 2. Pro qua etiam ſtare videntur Fonſ. 5. Metap. cap. 8. ſect. 5. q. 6. à §. Huic obiectioni. Valentia 3. p. diſp. 1. q. 4. puncto 2. §. Reſpondet. Rubius 1. Phyſ. tract. 1. de Materia. q. 4. n. 29. §. Ad teſtimonium. Eandem ſententiam, vt probabiliorem, ſuſ ponit Raguſa 3. p. q. 4. ar. 3. diſp. 56. §. Secunda ſententia poſt principium; quam ſimpliciter, & optimè defendit Soar. in Metap. diſp. 34. ſect. 6. à n. 9. & tom. 1. in 3. p. diſp. 8. ſect. 3. §. Contrarium, vbi pro ſe adducit D. Thomā, Soar. veſtigia venerantur Hurt. in Met. diſp. 11. ſect. 9 à n 91. & alter Hurtad. de Incarn. diſp. 4. diffic. 6. n. 8. idem tenet P. Lugo de Incarn. diſp. 12. ſect. 7. n. 104.

Subſiſtētia emanat à ſubſtātia. *D. Thom* *Genebr.* *Medina.* *Caiet.* *Fonſ.* *Valent.* *Rubius.* *Raguſa.* *Soar.* *D. Thom* *Hurtad.* *Gaſpar Hurtad.* *Lugo.*

2 Probatur concluſio à priori. Quando proprietas aliqua emanare poteſt ab interno principio, non eſt, cur ad cauſam extrinſecam recurramus; ſed ſubſiſtentia eſt proprietas habens connexionem intrinſecam cum natura, & potens ab ea produci: ergo non à principio extrinſeco, ſed ab ipſa ſubſtantia emanat: maior patet inductione; nam intellectus, & voluntas emanant ab ipſa anima, & frigus ab aqua, quando in priſtinum ſtatum reducitur, ſi anteà calida erat: ergo à fortiori dicendum hoc eſt de ſubſiſtentia, quæ maiorem habet connexionem cum natura, ſiquidem cum ea facit vnum per ſe, quod non cōuenit proprietatibus aſsignatis.

3 Probo nunc, naturam poſſe producere ſubſiſtentiam, quia ſupponitur exiſtens prioritate naturæ, vt patet in humanitate Chriſti Domini, quæ priùs extitit, quàm haberet ſubſiſtentiam diuinam, vt enim dixi ex doctrina veriori, priùs naturâ fuit exiſtens, quàm vniretur Verbo diuino. Et hinc poteſt confirmari noſtra ſententia; quia creatio

animæ

Digitized by Google

animæ Christi Domini fuit eiuſdem ſpeciei cum qualibet creatione alterius animæ rationalis, vt eſt communis ſententia Theologorũ: ſed creatio animæ Christi Domini terminata non eſt ad propriã ſubſiſtentiam: ergo neque creatio reliquarũ animarũ. Confirmatur tandem, quia nihil aliud eſt educi, quàm pẽdere in fieri, & conſeruari: ſed ſubſiſtentia pendet in fieri, & conſeruari à natura: ergo ab ipſa educitur. Non negamus tamẽ ſubſiſtentiam tribui generanti principaliter; quæſtio tamen procedit modò de principio immediato, quod dicimus eſſe non generantem, ſed naturam ipſam.

Proponitur, ac reijcitur contraria ſententia.

Contraria ſententia probabilis eſt.

4 Obijcis pro cõtraria ſententia, quæ etiam communis eſt, & aſſerit nõ à natura ipſa immediatè, ſed ab externo agente, ſiue generante, à quo producitur natura, produci etiam immediatè ſubſiſtentiam: quam tenent Zumel 1.p. q.3 art.3. §. Sexta concluſio. Bañes ibidem. §. Tertia concluſio. Cabrera 3.p.q.4. ar.2. diſp.7.n.10. Ledeſma de Diuina perfectione q.4. art. 3. Vaſq. tom.1.in 3. p. ad q. 4. diſp.34. cap.4. præcipuè nn. 15. Albertinus tom. 2. prædicamento ſubſtantiæ diſp. 3. q. 10. à n.3

Zumel. Bañez. Cabrer. Ledeſma. P.Vaſq. Albertin.

5 Obijcis, inquam, primò ex Philoſopho. Actiones ſunt ſuppoſitorum: ſed natura ante ſubſiſtentiam non eſt ſuppoſitum: ergo non poteſt agere ſuam ſubſiſtentiam. Reſpond. ad maiorem, illud axioma intelligendum eſſe de proprijs actionibus, quæ ſunt ad extrà, non verò de emanationibus, per quas natura conſtituitur in ſuo eſſe, quæ cùm non ſint propriæ actiones, non requirũt ſubſiſtentiam.

6 Obijcis ſecundò cum Vaſques: agens quod producit rem, producit etiam modum rei: ergo agens, quod producit naturam, producit etiam eius ſubſiſtẽtiam. Probat Vaſques antecedens, quia agens, quod producit ſubſtãtiam, producit etiã modũ exiſtendi per ſe: ita argumentatur P. Vaſq. *telumque imbelle ſine ictu proiecit*: facilè enim declinatur argumentum, neque enim exiſtentia eſt modus ſubſtantiæ, ſed eſt ipſa ſubſtantia, vt ſatis conſtat ex ſuprà dictis.

7 Nihilominùs tamen argumentum P. Vaſques ita poteſt roborari. Agens, quod producit accidens, producit etiam eius inhærentiam: ergo agens, quod producit ſubſtantiam, producit etiam eius ſubſiſtentiam. Reſpond. negando conſequentiam, maioris ratio eſt, quia, cùm accidens accipiat eſſe à ſubiecto per inhærentiam, non priùs exiſtit, quàm inhæreat: vnde qui producit accidens, quia producit ens in alio, neceſſariò illud producit cum inhærentia: at verò ſubſtantia, cùm prius naturà intelligatur exiſtens, quàm ſubſiſtens, bene poteſt prodire à cauſa effectiua cum ſola exiſtentia, & poſteà ab ipſa ſubſtantia emanare poterit ſubſiſtentia.

8 Et idẽ proportionaliter dicendum eſt de forma materiali; qui enim producit formã materialẽ, ſimul producit modum, per quem materialis forma dependeat à ſubiecto, quia ſine illo nequit naturaliter conſeruari, vnde nõ priùs exiſtit illa forma, quàm talis modus dependentiæ: ſubſtantia verò priùs naturà exiſtit, quàm eius ſubſiſtentia. Similiter etiam concedendum eſt, actionem, per quam accidens poneretur extra ſubiectum, ſimul terminari ad accidens, & ad modũ exiſtendi per ſe, quia talis modus emanare non poteſt ab accidente, quia accidẽs nõ inclinatur intrinſecè ad modũ per ſe exiſtendi: ſubſtantia autẽ ab intrinſeco poſtulat ſubſiſtentiam, & ad eius emanationem ſupponitur exiſtens.

9 Inſtas. Anima rationalis non producit ſuam vnionem ad materiam: ergo neque producet ſuam ſubſiſtẽtiam. Reſpondetur negãdo conſequentiam. Maior ratio eſt, quia, cùm anima rationalis ſit ens per ſe exiſtens, independenter à materia, non indiget hac vnione ad ſui conſeruationem, ſed ſolùm ad conſeruationem totius compoſiti, vnde fit, quòd agẽs externum, quod producit totum, producat etiam vnionem; cùm verò ſubſtãtia indigeat ſubſiſtentia ad ſui conſeruationem, ideò illam producit.

10 Obijcis tertiò ex D. Thoma. Creatio eſt rerum ſubſiſtentiũ: ſed ſubſtantia Angeli creatur: ergo creatur cum ſubſiſtentia, atque adeò hæc non prouenit ab ipſa natura, ſed tribuitur à Deo, qui creauit Angelum. Reſpondetur maiorem intelligendam ſic eſſe, quòd ſcilicet creatio ſit de rebus, quibus ſubſiſtentia debeatur: vel potiùs etiam dicendũ eſt, creationem eſſe rerum per ſe exiſtentium, hoc eſt rerum, quæ exiſtent independenter à ſubiecto inhæſionis, & ſuſtẽtationis: & proptereà quando accidens creatur à Deo extra ſubiectum, habet etiam modum per ſe exiſtendi, in optima opinione.

11 Inſtas. Si ſubſiſtentia emanat à natura Angeli, ſequitur Angelum creari non poſſe à Deo, ſed generari, vel educi. Probatur ſequela, quia ideò compoſitum phyſicum non creatur, ſed educitur, quia eius vnio educitur: ſed etiam in Angelo eius ſub-

Soluitur efficax inſtantia.

G

ſubſiſtentia educitur: ergo &c. Reſpondetur negando ſequelam, maior ratio eſt, quia compoſitum phyſicum dicit de formali non ſolùm materiam, & formam, ſed etiam ipſam vnionem, ſiue ipſam compoſitionem; quarè, cùm vnio educatur, tribuit denominationem toti naturæ, eſt enim vnio pars cōpoſiti: at verò (præterquàm quòd ſubſiſtentia in meliori opinione non dicatur de formali) ſubſiſtentia non pertinet ad naturam Angeli, ſed eſt eius terminus, non verò pars; vnde, cùm tota Angeli natura creetur, ſimpliciter dicetur Angelus creari.

Nihil obſtat quòd ſubſtantia prius naturâ habeat ſuum Vbi, quàm ſuam ſubſiſtentiam,

12 Obijcis quartò, Si ſubſiſtentia emanaret à natura, ſequeretur ipſam naturam priùs producere aliquod accidens, nempe ſuum Vbi, quàm producat ſubſiſtentiam; ſed hoc non eſt dicendum: ergo &c. Probatur maior, quia Vbi requiritur logicè ad quamlibet operationem. Probatur minor, quia res non debet priùs producere aliquod accidēs, quàm ſuum ſubſtantiale complementum. Reſpondetur negando maiorem, nullum enim eſt inconueniens produci priùs naturâ aliquod accidens modale, nempe Vbi; nam ſicut ſubſtantia priùs naturâ concipitur exiſtens, ita concipitur cum ſuo Vbi: neque obſtat maior connexio ſubſiſtentiæ cum ſubſtantia, quàm ſit connexio Vbi cum eâdem ſubſtantia, nam maiorem habet connexionem cum Socrate eius vnio; & tamē produci nō poteſt, quin priùs naturâ producatur Vbi, ſiquidem priùs debēt præſupponi partes exiſtentes ad vnionem.

13 Obijcis quintò. Si ſubſiſtentia proximè emanat à natura, ſequitur eius emanationem impediri non poſſe à Deo: ſed hoc non eſt dicendum: ergo &c. Probatur maior inductione in figura, Vbi &c. minor verò ex eo probatur, quia, ſi Deus non poſſet impedire reſultantiam ſubſiſtentiæ, daretur in Chriſto Domino duplex ſubſiſtentia, quod eſt hæreticum. Reſpondetur negando ſequelam maioris, & ad probationem danda eſt maior ratio in ſubſiſtentia, quàm in Vbi &c. quia, cùm hæ ſint formæ immediatæ, Deus illas ſupplere nō poteſt: at verò ſubſiſtentia eſt terminus, quē cùm Deus ſupplere poſſit per diuinam ſubſiſtentiam, poteſt etiam eius reſultantiam impedire. Vtrùm verò dari poſſit ſubſtantia ſine omni ſubſiſtentia? infrà decidetur.

Vaſq.

14 Obijcis ſextò. Cum Vaſques tom. I. in 3. p. ad q. 4. D. Thomæ, diſp. 34. cap. 4. n. 11. Si ſubſiſtentia immediatè procederet ab ipſa natura, ſequeretur humanitatem Chriſti Domini pati violentiam in Verbo: ſed hoc non eſt dicendum: ergo &c. Probatur maior, quia illa dicuntur pati violentiam, quæ priuantur à ſua naturali inclinatione, & interno impetu, ad aliquam formam, ſed tunc temporis humanitas Chriſti Domini priuaretur à naturali reſultantia, ſeu à naturali inclinatione, quam habet ad ſuam ſubſiſtentiam: ergo pateretur violentiam. Probatur minor, quia ſequeretur humanitatem Chriſti appetere ſeparationem à Verbo, quod videtur nullo modo dicendum. Occaſione huius argumenti agendum eſt.

Vtrùm humanitas Chriſti Domini patiatur violentiam?

Negatiuè reſpondet P. Vaſq.

15 AB hac difficultate facilè ſe expedit Vaſques citatus num 15. reſpondet enim negatiuè, & quidem conſequenter ad ſuam doctrinam, cùm enim ſecundùm eius opinionē natura ſubſtantialis non producat ſuam ſubſiſtentiam, ſed hæc proueniat ab externo agēte, quamuìs humanitas Chriſti Domini non producat ſuam ſubſiſtētiam, nullam patietur violentiam, ſiquidem non priuatur proprietate aliqua, quam naturaliter deberet producere. Concedit tamen ipſe Vaſques in humanitate Chriſti appetitum innatum ad propriā ſubſiſtentiam, quia videlicet debebatur illi conferri ab externo agente: cùm tamen hæc carentia non ſit contra internum impetum. non eſt dicendum pati violentiam.

16 Tota difficultas eſt in noſtra ſententia, quæ aſſerit, ſubſiſtentiam non produci ab externo, ſed ab ipſa ſubſtantia emanare, nam ſi humanitas ipſa naturaliter debet producere ſuam ſubſiſtentiam, ſiquidem non confertur ab externo; cùm humanitas Chriſti Domini impedita fuerit ab hac naturali emanatione, profectò violentiam patietur; ſicut ſi aqua impediretur, ne ſuum frigus produceret, nemo tam frigidè ſentiret, qui non diceret aquā violentari, ſiquidem contra internum impetum à naturali emanatione, per violentiam retardaretur.

Quid ſenſerit P. Soarius.

17 Huic igitur argumento reſpondet Soar. tom. I. in 3. p. ad q. 2. D. Thom. diſp. 8. ſect. 3. §. Aliter ergo: negādo etiam in hoc caſu talem violentiam; quia, inquit, ad veram violentiam, non ſolùm requiritur carentia debitæ perfectionis, ſed & quòd impediatur talis perfectio per formam contrariā; quo pacto dicitur aqua pati violentiam, quando, per calorem contrariū frigori, impeditur ab emanatione frigoris; ſic enim contendit, explicandā eſſe illam particulā definitionis violentiæ;

Vio-

Digitized by Google

Violentum eſt id, cuius principium eſt extrà, paſſo non conferente vim, ſed reluctante; quam particulam, *reluctante*, aſſerit indicare pugnam inter duo contraria.

18 Contra hunc modum explicandi violentiam, violenter inſurgit Pater Vaſques tom. 1. in 3. p. ad q. 4. D. Thom. diſp. 34. cap. 4. á n. 12. & varijs inſultibus non irritus viget Soarium: & reuera parte aliqua in arma pauit Soarius, & vulneri pectus præbuit inermum, quia requirit ad violentiam, vt per contrariam formam introducatur: quod tamen imprimis nõ inuenitur in definitione violẽti: non autem licet, vt bene aduertit Vaſq. n. 13. viris doctis, & eruditis definitiones rerum immutare, vt effugiant difficultates.

Vaſques.
D. Thom

19 Deinde quia vt bene arguit Raguſa 3. p. q. 4. ar. 1. diſp. 58. §. Hæc reſponſio, introductio formæ contrariæ potiùs requiritur ad corruptionem, quàm ad violentiam. Et confirmari poteſt, quia ad violentiã non requiritur, quòd ſit contrá principium actiuum, ſed ſufficit, quòd ſit contrá principium paſsiuum, vt colligitur ex doctrina ipſius Soarij in Met. diſp. 34. ſect. 6. n. 17. & lib. 2. de Angelis cap. 7. num. 4. quod latè probant Rub lib. 2. de Anima cap. 3. q. 4. nu. 7. Salas tom. 1. 1, 2, tract. 3. q. 6. ar. 4. diſp 2. ſect. 1. num. 4. Raunald. in morali diſciplina diſt. 2. q. 1. ar. 1. á nu. 14. Vnde illa particula, *ſed reluctante*, de qua ſuprá, ſolùm explicat peculiare genus violenti actiui, quidquid in oppoſitum in hac re ſentiant Vaſques tom. 1. in 1. 2. q. 6. diſp. 25. cap. 3. & Conimbr. 5. Phyſ. cap. 6. in com. ergo quemadmodum ad violentum non requiritur principium actiuum, ita etiam non requiritur forma contraria, ſed ſufficit carentia formæ propriæ.

Raguſa
Soarius.
Rubius.
Salas.
Raun.
P Vaſq.
Partes-
Conimb.

20 Quapropter ſi cohærenter loquendũ ſit, ſuppoſito quòd ſubsiſtentia emanet á natura, & quòd humanitas Chriſti Domini connaturali inclinatione priuetur ab hac reſultantia, fatendum conſequenter eſt pati aliqualem violentiam, vt bene arguit Vaſques ſuprà citatus, vltra quem exiſtimant aliqui nullum auctorem, qui typis aliquid mandauerit, talem admittere violentiam. Verùm enim verò ex antiquis hanc violentiam non violenter, ſed libenter admittit peritiſsimus vir Lichetus de Brixia Scoti interpres, lib. 3. ſententiarum diſt. 1. q. 1. nu. 4. quòd ſi huius auctoris commentaria ab aliquibus non leguntur, quia antiquatis, ac rudioribus caracteribus putidè ſunt exarata: eandem ſententiam nouis, & optimis caracteribus, & peramæno ſtylo amplexus eſt eruditiſsimus P. Theophilus Raunaldus in ſua Morali diſciplina, diſt. 2. q. 1. art. 1. n. 15. quam meritò vocat gratam, & optabilem violentiam, ſiquidem eá poſitá, humana natura ſobſtollitur ad diuinitatem. Prætereá hanc ſententiam probabilem dixere pluſquàm viginti viri graues, & docti ſuper ea per me conſulti.

H manitas Chriſti Domini patitur aliqualẽ violentiam.
Lichet. de Brixia.
Theoph. Raunal.

21 Probatur primò ratione á Licheto. Humanitas non habet naturalem inclinationem ad ſuppoſitum diuinum, habet tamen ad ſuppoſitum creatum: ergo quando priuatur hac naturali inclinatione, violentatur. Antecedens certum eſt, neque enim humanitas, quæ naturalis eſt, inclinari naturaliter poteſt ad aliquid ſupernaturale, qualis eſt diuina ſubſiſtentia. Probatur conſequentia, quia quando aliquid habet naturalem inclinationem, ad A, & nullo modo ad B, erit præter ſuam naturalem inclinationem, ſi ponatur in B. & ſic violentatur: ita argumentatur Lichet.

Probatur ratione.

22 Vt probetur ſecundò, duo ſupponẽda ſunt principia certa: primum, Verbũ diuinum, neque eſſentiam humanitatis, neque aliquam proprietatem eius quarto modo deſtruxiſſe; nam qui proprietatẽ deſtruit, conſequenter deſtruit eſſentiam. Secundò præſupponendum eſt ſubſiſtentiam ipſam creatã actualem non eſſe proprietatem quarto modo, ſicut nec intellectũ ipſũ actualẽ reſpectu hominis, ſed poſtulantia huius ſubſiſtentiæ, & poſtulantia intellectus eſt proprietas quarto modo; nam proprietas quarto modo, tolli non poteſt, quin conſequenter deſtruatur eſſentia; & tamen ſubſiſtentia actualis tolli poteſt, quod ſignum eſt, non hanc actualem ſubſiſtentiam, ſed eius poſtulantiam eſſe proprietatem quarto modo. His poſitis

23 Probo ſecundò. Quia naturalis inclinatio ad producendam propriam ſubſiſtentiam non eſt minùs proprium quarto modo reſpectu ſubſtantiæ, quàm naturalis inclinatio, quam habet anima rationalis ad producendum ſuum intellectum: ſed Deus non poteſt priuare animam rationalem á naturali inclinatione producendi ſuum intellectum, quin deſtruat conſequenter eius eſſentiam: ergo ſimiliter non poterit priuare humanitatem naturali inclinatione, quam habet, ad producendam ſuam ſubſiſtentiam, quin deſtruat conſequenter eius eſſentiam: atqui Verbum diuinum, neque primariò, neque ſecundariò deſtruit vel eſſentiam humanitatis, vel aliquid pertinens ad eſſentiam: ergo adhuc in humanitate Chriſti Domini perſeuerat naturalis inclinatio ad propriam ſubſiſtentiam. Per aduentum igitur diuinæ ſubſiſtentiæ priuatur humanitas, ſiue hæc inclinatio ad propriam ſubſiſtentiam, ſuo actu; ergo violentatur, ſicut violentaretur, ſi

priuaretur anima actuali emanatione ſui intellectus.

24 Et confirmatur, quia ſicut homo nihil eſt aliud, quàm naturalis riſibilitas radicalis; ita nihil eſt aliud, quàm naturalis ſubſiſtẽtia radicalis: ſed Verbum non deſtruxit eſsẽtiam: ergo adhuc in hac humanitate datur naturalis ſubſiſtentia radicalis, ideſt poſtulãtia eius: vnde communiter dicunt Theologi, quòd ſi per impoſsibile Verbũ dimitteret humanitatem, ſtatim ab ea eius naturalis ſubſiſtentia emanaret: ergo, cùm adhuc detur hæc radicalis inclinatio, & priuetur ſuo actu ab extrinſeco; ſine dubio violentiã patietur.

Soluũtur contraria argumẽta

25 Solùm obſtat ex parte cõtraria, quòd naturalis ſubſiſtentia ſatis per diuinam ſuppleatur; quæ humanam continet eminenter; vnde ſatiate videtur naturæ propenſionẽ: nihilominùs ſubſiſtentia diuina non eſt formaliter ſubſiſtentia creata, ſed increata: atqui humanitas nõ habet inclinationem naturalem ad ſubſiſtentiam increatam, quæ creatã continet eminenter; ſed ad ſubſiſtentiam creatã: ergo, cùm priuetur hac emanatione, patitur violentiam, optabilem illam quidem, & non moleſtam; vnde quamuis appetitus elicitus humanitatis ſatiatus ſit, non ſatiatur ſaltem innatus appetitus.

26 Obſtabit alius ſecundò. Humanitas habet naturaliter potentiã obedientialẽ erga Deum, vt ſubſiſtat per diuinã ſubſiſtentiam: ergo quando per eam ſubſiſtit, non violentatur: probatur conſequentia, quia non dicitur violentari illud, quod fit, ſecundùm rei naturam: ſed naturale eſt humanitati obedire Deo, & poſſe Deum per eam efficere quidquid nõ implicat contradictionem: ergo, cùm priuatur naturali ſubſiſtentia, & diuinam habet, non patitur violẽtiam, ſiquidem in hoc obedit Deo ipſi. Reſpond. eſſe quidem naturale humanitati obedire Deo, non eſſe verò illi naturalem ſubſiſtentiam diuinam, ſed ſupra eius naturam, & priuationẽ emanationis ſuæ ſubſiſtentiæ eſſe contra eius internum impetũ ſicut naturale eſt intellectui humano poſſe à Deo eleuari ad videndũ Deum ipſum, & nihilominùs lumen gloriæ eſt ſupernaturale eidẽ intellectui. Alio exẽplo explicari poteſt, nam ſi daretur vacuum in aere, tunc quidem naturale eſſet terræ aſcendere ad impediendum vacuum ex naturali inclinatione, quam res omnes habent ad procurandum bonum vniuerſi mundi; nihilominùs nemo negaret in eo caſu terram contra ſuam peculiarem inclinationem aſcendere.

Humanitas Chriſti Domini habet innatum appetitũ ad ſuã ſubſiſtentiam.

27 Admiſſa hac probabili opinione de violentia in humanitate Chriſti Domini, circa propriam ſubſiſtentiam, à fortiori admittendus eſt innatus appetitus ad eandem ſubſiſtentiam, quem abſolutè admittit Vaſques tom. 1. ad 3. p. ad q. 4. diſp. 34. cap. 2. cũ Scoto: neque obſtat, quòd ſubſiſtẽtia diuina ſit perfectior, quàm creata, ſolus enim appetitus elicitus rationalis facit hanc diſtinctionem: at verò appetitus innatus, cũ ſit naturale quoddam pondus, ſolùm fertur in id, quòd ſibi magis conueniens eſt naturaliter, neque aduertit vtrùm id, quod donatur ſit perfectius.

P. Vaſq. Scotus.

28 Obſtas. Si humanitas Chriſti Domini appeteret ſubſiſtentiam naturalem, cõſequenter appeteret ſeparationem à diuina ſubſiſtentia, hoc non eſt dicendum: ergo &c. Reſpondetur negando ſequelam maioris, quia humanitas non appetit propriam ſubſiſtentiam ſub illa reflexione: præcipuè, quia probabilius eſt, poſſe dari ſubſiſtentiam alienam, cum propria, vt videbimus ſect. 5. & deinde quia ſeparatio, quà talis, eſt negatio, quæ per ſe non appetitur. Qui verò conceſſerit hunc appetitum innatum in humanitate Chriſti Domini, conſequenter etiam affirmare poterit Beatum, qui cognoſcit obiectũ per ſcientiam ſupernaturalem, habere innatam inclinationem ad ſcientias naturales, licèt hæ non tam debeantur homini, quàm naturalis ſubſiſtentia.

29 Quæ verò dicta ſunt de appetitu, & violentia circa propriam ſubſiſtentiam, cum proportione ſunt intelligenda de accidente extra ſubiectum circa ſuam inhærentiam (cuius quæſtionis reſolutionẽ à diſp. 53. ſect. 3. n. 28. huc remiſimus) & quidẽ quãuis oppoſita ſententia, quæ aſſerit ſubſiſtentiam immediatè effici ab agente extrinſeco, probabilis ſit (vt fatetur Soar. in Met. diſp. 34 ſect. 6. n. 9. & conſtat ex argumentis pro ea factis) nihilominùs tamen in hanc noſtram ſententiam magis inclinat animus ex peculiari affectu in Beatiſsimam Virginem Matrem, quia ſi agens extrinſecum, nempe generans produceret ſimul naturam, & ſubſiſtentiam, cùm Virgo Sanctiſsima nullo modo produxerit ſubſiſtentiam Chriſti Domini, ſequeretur non eſſe Matrem tam adæquatè, ſicut reliquæ matres, quod non ſequitur ex noſtra opinione; ſiquidem generans ſolam producit ſubſtantiam, à qua poſteà reſultat ſubſiſtentia.

Soar.

De Cauſa materiali ſubſiſtentiæ.

Subſtātia eſt cauſa materialis ſubſiſtentiæ.

30 SEcunda concluſio. Cauſa materialis ſubſiſtentiæ eſt ipſa ſubſtantia. Hæc concluſio certa eſt in vtraque opinione; in noſtra ſequitur euidētiſsimè, quia ſubſiſtentia in hac opinione pendet in fieri, & conſeruari à ſubſtantia. In alia verò opinione, quamuis ſubſiſtentia fiat immediatè ab externo agente, nihilominùs tamen, cùm ſit modus naturæ, in ea debet ſubiectari: neque obſtat huic dependentiæ, quòd ſubſiſtentia ſit formalis ratio independentiæ, quia præterquàmquòd cauſa formalis non exerceat ſuum effectum formalem circa ſe ipſam, ſubſiſtentiæ ſolùm eſt formalis independentia à termino, non à ſubiecto, ſeu à cauſa materiali.

SECTIO II.

De effectibus ſubſiſtentiæ erga naturam, quam terminat.

Subſiſtentia nō eſt principiū effectiuū.

1 PRima concluſio. Si propriè loquendum ſit, ſubſiſtentia nō eſt principium effectiuum actionum, quæ procedunt à ſuppoſito, ſed eſt tātùm conditio. Hæc concluſio certa eſt apud omnes. Probatur, quia modus non poteſt eſſe principium effectiuum verarum actionū, ſed ſubſiſtentia eſt modus: ergo &c. imò neque ſubſiſtentia Chriſti Domini influebat, *vt principium quod*, in actiones humanas; non quòd ſit modus, ſed quia omnes actiones ad extrà ſunt communes toti Trinitati. Secunda pars concluſionis probatur, quia nulla ſubſtantia operari poteſt per veras, & proprias actiones, niſi ſit vltimatè conſtituta in ſuo eſſe: ſed hoc habet per ſubſiſtentiam: ergo &c. atque hinc eſt, quòd actiones dicātur eſſe ſuppoſitorum.

2 Non eſt tamen ſubſiſtentia propriè loquēdo cauſa formalis, ſiquidē nō eſt forma, ſed terminus, nā ſi propriè foret cauſa formalis, eſſet prior, quàm ſit compoſitum, ſicut forma, quæ eſt pars, & cauſa formalis compoſiti eſt prior toto compoſito: ſubſiſtentia verò, cùm ſit terminus, eſt poſterior; & præterea ſi foret propriè forma, non poſſit Deus illam ſupplere, per ſe ipſum: nihilominùs tamen comparatur ſubſiſtentia ad naturam veluti forma illam terminans, & quodammodò informans; vnde ſequitur naturam ipſam, quamuis non propriè pendeat à ſubſiſtentia, niſi tanquàm ab aliquo poſteriori, habet tamen aliquos effectus formales circa naturam, quam terminat: magna verò eſt opinionum varietas in aſsignando primariò effectu ſubſiſtentiæ.

De primario effectu ſubſiſtentiæ erga naturam, quam terminat.

Primarius effectus eſt ſuppoſitare naturam.

SEcunda concluſio. Effectus primarius ſubſiſtentiæ eſt complere, ſeu vltimò terminare naturam in genere ſubſiſtentis, ſiue ſuppoſiti. Hæc cōcluſio ſine dubio eſt de mēte grauiū Theologorum (quamuis non ita clarè loquantur) & pro ea loqui videtur Valent. 3. p. diſ. 1. q. 4 punc. 3. fol. 197 §. Octaua opinio. Hurtad. in Met. diſp. 1. ſec. 6. pro eâdem ſtat. Lugo de Incarn. diſp. 12. ſec. 3. n. 22 Probatur, quia ſubſiſtentia, ex communi omnium ſententia, eſt complementum, & vltimus naturæ terminus in genere ſuppoſiti: ergo, cùm effectus formalis alicuius formæ nihil aliud ſit, quàm ipſa forma vnita ſubiecto apto, bene ſequitur effectum formalem primarium ſubſiſtentiæ eſſe complere, ſiue vltimò terminare naturam ſubſtantialem in genere ſuppoſiti.

Valent. Hurtad. Lugo.

4 Vnde colligo primò cum eodē Hurt. citato à n. 53. & cum Albertino to. 2. in prædicamento ſubſtantiæ q. 2. nu. 4. idem ſentit P. Lugo de Incarn. diſp. 12. ſec. 3. nu. 28. item Arriaga in Met. diſp. 4. n. 46. effectum primarium ſubſiſtentiæ non eſſe facere ſubſtantiam independentem à ſubiecto inhæſionis, quia hæc independentia prouenit ab exiſtentia per ſe, ſiue perfecta, qualē habet forma rationalis, ſiue imperfecta, qualem habet materialis forma. Colligo ſecundò, effectū formalē primarium ſubſiſtentiæ, non eſſe reddere ſubſtātiam independētem à ſubiecto ſuſtētationis, vt vult Soar. multis in locis, & videri poteſt in Met. diſp. 34 ſec. 5. n. 42. hæc enim independētia prouenit ab exiſtētia per ſe perfecta, qualem habent materia prima, & anima rationalis. Colligo tertiò, effectum formalem ſubſiſtentiæ, non eſſe reddere ſubſtantiam incommunicabilem alteri, tanquàm comparti in toto, vt videtur exiſtimare Vaſq. tom. 1. in 3. p. q. 4. diſp. 32. cap. 3. n. 14. nam, vt ſatis conſtat ex dictis, materia, & anima rationalis habent ſubſiſtentias, & tamen communicantur inter ſe, tanquàm partes totius hominis; & præterea quia talis incommunicatio prouenit ab exiſtentia per ſe completa; quæ

Hurtad. Albertin. P. Lugo. *Arriaga. Soar. Vaſq.*

Digitized by Google

quæ omnia cõſtant ex ijs, quæ ſuperiori diſp. ſect. 3. n. 2. & 3. dixi.

Colligo quartò, effectum formalem ſubſiſtentiæ non eſſe reddere ſubſtãtiam independentem à ſubiecto, & incommunicabilem ſuppoſito alieno (vt multi exiſtimant) quia vnius tantùm formæ non poteſt eſſe duplex effectus formalis. Deinde quia, cùm ſubſiſtentia ſit modus, vel quaſi forma poſitiua, non debet habere pro effectu formali aliquid negatiuum, ſiue duas negationes, ſed aliquid poſitiuum. Colligo quintò, effectum formalem primarium ſubſiſtentiæ non eſſe reddere ſubſtãtiam incommunicabilem alteri ſuppoſito, vt tenet Albertinus tom. 2. in prædicamento ſubſtantiæ diſp. 3. q. 2. à n. 8. primò, quia hæc independentia, ſiue incommunicatio alteri ſuppoſito prouenit ab alia forma negatiua, vt mox videbimus. *Albertin.*

6 Obijcis tamen pro ea ſententia, quæ aſſerit, effectum formalem ſubſiſtentiæ eſſe reddere ſubſtantiam independentem à ſubiecto. Inhærentia eſt modus oppoſitus ſubſiſtentiæ: ſed effectus formalis inhærentiæ eſt reddere accidens dependens à ſubiecto: ergo effectus formalis ſubſiſtentiæ eſt reddere ſubſtantiam independentem à ſubiecto. Reſpondetur negando maiorem, neque enim inhærentia opponitur ſubſiſtentiæ, ſed exiſtentiæ; nam bene poteſt res concipi ſine ſubſiſtentia, & tamen poteſt eſſe independens à ſubiecto, quod bene probat Hurtadus in Met. diſp. 11. ſect. 6. n. 55. ſi enim Angelus (per poſsibile, vel impoſsibile) crearetur à Deo ſine omni ſubſiſtentia, adhuc per locum intrinſecum eſſet ille Angelus independens ab omni ſubiecto, ſiquidem eſſet ſubſtantia per ſe exiſtens: ergo hæc independentia nõ prouenit à ſubſiſtentia, ſed à ſua exiſtentia perfectiſsima. *Hurtad.*

De effectu ſecundario ſubſiſtentiæ.

Secundarius effectus eſt independẽtia à ſuppoſito alieno.

7 Tertia concluſio. Effectus formalis ſecundarius ſubſiſtentiæ eſt reddere naturam independentẽ à ſuppoſito alieno, & in hoc ſenſu bene philoſophatur Albertinus tom. 2. in prædicamento de Subſtantia, diſp. 3. q. 2. à n. 7. Probatur, quia effectus formalis ſecundarius alicuius formæ, eſt ille, qui ſecũdariò, & remotè oritur à tali forma; ſed eſſe naturã independentẽ ab altero ſuppoſito, prouenit remotè à ſubſiſtentia. ergo &c. Probatur minor, quia hic effectus independentiæ ab altero ſuppoſito cauſatur primariò ab alia forma negatiua, nempe à quadam negatione depẽdentiæ ab altero ſuppoſito: ergo eſt ſecundarius reſpectu ſubſiſtentiæ, & primarius reſpectu independentiæ. *Albertin.*

8 Declaratur hæc doctrina, nam effectus ſecundarius reſpectu alicuius formæ, neceſſariò reſpectu alterius eſt primarius (non enim dari poteſt effectus aliquis, qui immediatè non proueniat ab aliqua cauſa, vel quaſi cauſa & videri hoc poteſt in hoc exemplo, nam ſubſtantia redditur poſitiuè & primariò exiſtens per ſe per ſuammet exiſtentiam, per quam etiã redditur independens à ſubiecto inhæſionis, verùm hæc independentia formaliter, & primariò prouenit à negatione inhærentiæ, remotè verò, & ſecũdariò prouenit ab ipſa exiſtentia: cùm igitur eſſe aliquid independens ab altero ſuppoſito, ſit effectus primarius independentiæ, erit ſecundarius reſpectu ſubſiſtentiæ; ſicut etiam replere actu locum, eſt effectus primarius formalis Vbi circunſcriptiui, eſſe verò actu impenetrarum eſt effectus ſecundarius reſpectu Vbi, primarius verò reſpectu impenetrationis actualis, quæ eſt quædam priuatio, à qua proximè prodit impenetrabilitas actualis, vt patet ex dictis in Phyſ. diſp. 32. ſec. 3. à nu. 10. & ex dicendis de quantitate ampliùs conſtabit.

9 Confirmatur, quia vna tantùm forma, vel quaſi forma non poteſt habere duplicem effectum formalem primarium, ſed effectus primarius ſubſiſtentiæ eſt reddere ſubſtantiam ſubſiſtentem (ſicut albedo reddit ſubiectum album) ergo reddere ſubſtantiã independentem ab vlteriori termino, non poteſt eſſe effectus formalis primarius eiuſdem ſubſiſtentiæ; ſed ſecundarius, & remotus reſpectu ſubſiſtentiæ, primarius verò reſpectu independentiæ; quemadmodùm effectus ſecundarius albedinis eſt reddere ſubiectum non nigrum, qui tamen ſecundarius effectus, eſt primarius reſpectu alterius formæ, ſeu quaſi formæ, nempe negationis nigredinis, quæ fundatur in albedine.

10 Quarta concluſio. Tertius effectus formalis magis remotus ſubſiſtẽtiæ eſt reddere naturam incommunicabilem alteri ſuppoſito, qui tamen effectus eſt primarius reſpectu cuiuſdam negationis, quæ dicitur incommunicatio. Hæc concluſio bene ſequitur ex dictis, & probatur, quia priùs eſt naturã per ſubſiſtentiã reddi ſubſiſtentem, & deinde reddi independentem ab alio ſuppoſito, & tandem reddi alteri ſuppoſito incommunicabilem: ergo ſicut independentia ab altero ſuppoſito prouenit remotè, & fundamentaliter à ſubſiſtentia, & proximè à negatione *De tertio effectu formali magis remoto.*

Digitized by Google

tione dependentiæ, ita incommunicabilitas alteri ſuppoſito prouenict fundamentaliter, & remotè ab ipſa ſubſiſtentia, proximè verò, & immediatè à negatione communicationis.

11 Et declaratur, quia, ſicut priùs eſt ſubſtantiam v.g. conſtitui in ſuo eſſe, per exiſtētiam per ſe, & deinde habere negationem inhærentiæ, quæ fundatur in hac exiſtentia per ſe: ita ſimiliter priùs eſt ſubſtantiam reddi poſitiuè ſubſiſtentem; & deinde eo ipſo quòd eſt conſtituta in eſſe ſuppoſiti, reddi ab alio ſuppoſito independentem, ac tandem reddi incommunicabilem: ergo, ſicut independentia prouenit proximè à negatione dependentiæ, ita incommunicabilitas prouenit proximè à negatione communicationis, quæ ſatis patet ex terminis. Confirmatur, quia eſſe independentem ab altero ſuppoſito, & eſſe incommunicabilem, ſunt duo veluti effectus formales: ergo prouenire debent à duplici veluti cauſa, neque enim vna, & eadem cauſa formalis producere poteſt duos effectus formales ſpecie diuerſos.

12 Obijcis. Natura diuina, prout præſcindit à perſonis, eſt incommunicabilis alteri naturę & tamen, prout ſic, non habet ſubſiſtentiam, vt dixi in hoc tract. diſp. 57. ſec. 1. à n. 2. (& idem argumentum fieri poteſt de accidente, quod non habet ſubſiſtentiam, & tamen eſt incommunicabile alteri accidenti) ergo hæc incommunicabilitas non prouenit etiam remotè ab ipſa ſubſiſtentia, alioquin dabitur effectus formalis ſine cauſa formali.

13 Ad ſolutionem huius argumenti aduertendum eſt, effectum ſecundarium alicuius formæ, vel quaſi formæ, ita cauſari poſſe immediatè ab aliqua negatione, vt hæc negatio non ſolùm comitetur formam ſuam, cui opponitur, ſed etiam alias formas, exemplum ſit in hac negatione, *eſſe non album*, quæ non ſolùm prouenit ſecundariò à nigredine in ſubiecto, ſeu à nigro, ſed etiam à colore viridi, vel cæruleo, ſiquidem quilibet color, præter albedinem, ſufficit in quolibet ſubiecto, vt ſubiectum dicatur nō album.

Quo pacto natura diuina ſit incommunicabilis?

14 Atque hinc patet ſolutio ad argumentum: negatio enim communicationis ſuppoſito alieno, quamuis proximè procedat ab incommunicabilitate, remotè tamen prouenire poteſt, non ſolùm à ſubſiſtentia, ſed etiā ab exiſtentia per ſe perfectiſſima, qualē Deus habet, cui propter ſuam immutabilitatem, & immenſitatē, repugnat omnis mutatio, & cōmunicatio alieno ſuppoſito: & ſimiliter accidenti repugnat communicatio alteri accidēti propter ſuam defectibilitatem.

SECTIO III.

Vtrùm dari poſſit ſubſtantia cum multis, vel cum nulla ſubſiſtentia?

1 Svb hoc titulo multæ, ac difficiles quæſtiones ſunt explicandę, quæ ne confuſionem pariant, ſeorſim ſunt agitandæ.

Vtrùm eadem natura poſſit habere plures ſubſiſtentias proprias?

Reſolutio eſt affir. atiua.

2 Prima concluſio. Eadem natura creata (non enim eſt quæſtio de diuina, de fide enim conſtat habere tres hypoſtaſes) poteſt diuinitus terminari pluribus ſubſiſtentiis proprijs. Hanc concluſionē expreſſit P. Gaſpar Hurt. tract. de Incarnatione diſp. 4. diffic. 14. n. 45. §. Obſeruandum: eandem libauit Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 4. diſp. 14. ſec. 1. §. Alia hîc, in tertia editione: eandem concluſionem tenet P. Lugo de Incarn. diſp 12. ſec. 6. n. 78. pro eâdem etiam citari poſſunt, qui dicunt eundē effectum prouenire poſſe à duplici, vel pluribus cauſis, quos citabimus in prędicamēto Actionis ſec. 3.

Gaſpar Hurtad. Soar. Lugo.

3 Probatur imprimis; quia nulla hîc datur implicatio, nam ſicut eadem natura poteſt terminari pluribus ſubſiſtentijs alienis (vt communiter conceditur, & mox videbimus) ita & proprijs. Probātur conſequentia, quia ſolùm obſtabit ſuperfluitas: ſed hæc poteſt vinci à Deo: ergo &c. Probatur minor, quia poteſt Deus reddere idem ſubiectum album per duplicem albedinem.

4 Confirmatur, quia idem accidens productum per plures actiones poteſt habere plures inhærentias: eadem materia poteſt ſimul informari pluribus formis (vt dixi in Phyſ. lib. 2. diſp. 25 ſec. 3. n. 2.) Eadem forma poteſt habere plures vniones ad materiam: ergo ſimiliter eadem natura poterit habere plures ſubſiſtentias proprias ſiue ſit in eodē, ſiue in diuerſis locis: ſiue ſimul, ſiue à fortiori ſucceſſiuè: dummodò dentur diuerſæ actiones circa ſubſiſtentiam: & conſequenter dicendum eſt poſſe eandem quantitatem, in eodem loco habere diuinitus plures figuras eiuſdem rationis (non verò ſimul figuram circularem, & quadratam, propter diuerſum

reſpectum, quem dicunt ad ſpatium) & ſimiliter dicendum, poſſe eandem lineam habere plura puncta terminatiua, & eandem rem habere plures vbicationes in eodem loco (quamuis non poſſit in diuerſis locis habere idem Vbi, quia quæuis vbicatio dicit eſſentialem ordinem ad ſpatium determinatum ac tandem dicendum conſequenter eſt poſſe eundem terminum habere plures actiones.

5 Confirmatur tandem, nam ex eo quòd diuina natura ſimul habeat plures ſubſiſtentias proprias, bene infertur, nullam in noſtro caſu dari contradictionẽ: imprimis enim nulla viſitur contrarietas inter plures modos ſubſiſtendi per ſe, quia contrarietas non intercedit inter res eiuſdem ſpeciei, quales eſſent illæ ſubſiſtentiæ. Deinde, licet daretur aliqua contrarietas, diuinitus vinceretur.

Refutatur contraria ſententia. 6 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet, non poſſe eandem naturam terminari pluribus ſubſiſtentijs proprijs, quamuis poſſit alienis, cuius ſententiæ priorem partem

P.Vaſq. perſtrinxit P. Vaſq. tom. 1. in 3. p. ad q. 3. diſp. 29. cap. 1. n. 7. Secundam partem ſtatim approbabimus cum eodem. Obijcis, inquam, primò. Si natura creata poſſet habere plures ſubſiſtentias proprias, poterit etiam habere infinitas; ſed hoc arguit potentiam infinitam. Reſpond. ad minorem, ſolùm argui illam perfectionem infinitam, quando illæ ſubſiſtentiæ naturaliter, & ab intrinſeco poſtularentur, quando verò ſolùm obedientialiter prouenirent, ſolùm arguerent infinitam poteſtatem in Deo producẽte illas ſubſiſtentias.

7 Inſtas. Illæ ſubſiſtentiæ forent propriæ: ergo neceſſariò prouenirent ab intrinſeco; ac proinde, ſicut in Deo arguitur intrinſeca infinitas ex terminatione trium propriarum ſubſiſtentiarum, ita ſimiliter in natura creata. Reſpond. negando conſequentiam. quia quamuis creatæ ſubſiſtentiæ emanarent ab intrinſeco, non tamen procederẽt naturaliter, ſed obedientialiter; ſicut, ſi ab eádem materia ſimul tres formæ materiales diuinitus educerentur. Vnde ſolùm argueretur intrinſeca infinitudo, quando tales ſubſiſtentiæ omnino naturaliter prouenirent, ſicut contingit in diuinis.

8 Obijcis ſecundò. Vna actio non poteſt, vel diuinitus, habere plures terminos, neque vnus conceptus plura obiecta: ergo ſimiliter vna natura, nec diuinitus, habere poterit plures ſubſiſtentias, quæ etiam ſunt termini naturæ. Reſpondetur, negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia ſubſiſtentia non eſt terminus ſpecificans, ſicut eſt obiectum reſpectu potentiæ, vel terminus reſpectu actionis, ſed eſt tantùm quidam terminus ſubſtantialis complens naturam in genere ſuppoſiti.

9 Obijcis tertiò. Vnus effectus, nec diuinitus, poteſt prouenire à duplici cauſa: ergo neque vna natura reddi poteſt ſubſiſtens à duplici, vel pluribus ſubſiſtentijs. Hoc argumentum in ſequenti dubio ſoluetur.

Vtrùm poſſit eadem natura habere plures ſubſiſtentias alienas?

10 SEcunda concluſio. Eadem natura poteſt ſimul, vel ſucceſſiuè terminari diuinitus pluribus ſubſiſtentijs extraneis, præcipuè diuinis: ita communis, & certa ſententia cum D. Thoma 3. p. q. 3. art. 6. Alenſe, Bonauentur. Durand. Marſil. Ocham. & Gabr. quos citant, & ſequuntur Soar. tom. 1. in 3. p. q. 3. diſp. 13. ſect. 2. à §. Dicendum tamen. Vaſq. ibidem diſp. 29. á cap. 2. vbi n. 4. alios citat: tenent eandem ſententiam Valentia p. 3. diſp. 1. q. 3. punct. 3. in principio. Albertin. tom. 2. q. 6. Theologica circa 6. corollarium ex prædicamento ſubſtantiæ, dubit. 1. n. 8. Gaſp. Hurt. tract. de Incarnatione, diſp. 3. difficult. 5. á §. Sanctus Thomas, vbi citat Caiet. Medin. Aluares; idem etiam ſequitur Raguſa 3. p. q. 3. at. 6. diſp. 53. §. Secunda ſententia, vbi prætereá allegat Almainum, Altiſiodorenſem, Henricum, & Paludanum, idem tenet Vuading. tract. de Incarn. diſp. 13. dub. 8. §. 3.

Reſpõſio eſt affirmatiua.

D. Thom. Alenſ. Bonau. Durand. Marſil. Ocham. Gabr. Soarius. Vaſques. Valent. Albertin. Gaſpar. Hurt. Caiet. Medina. Aluar. Raguſa. Almain. Altiſiod. Henriq. Palud. Vuading.

11 Probatur ex D. Thoma, quia ſicut non implicat terminari diuinam eſſentiam pluribus ſubſiſtentijs, ita ex obiecto non implicat, quòd eadem natura humana, quæ modò terminata eſt à Verbo, poſſit etiam per ſubſiſtentiam Patris terminari, per aliam videlicet vnionem factam ad Patrem per diuerſam actionem; præcipuè quia humanitas habet potentiam obedientialem, & diuinæ ſubſiſtentiæ ſunt infinitæ, poſſuntque diuinã, & humanam naturam ſimul terminare. Cõfirmatur, quia ſicut, licet materia prima limitata ſit naturaliter ad vnam formam, poteſt diuinitus habere ſimul plures, ita, licet humanitas Chriſti Domini ſufficienter ſit terminata per perſonam Verbi, nihilominùs poterit vlteriùs aſſumi à Patre, & Spiritu Sancto, conſequenterq́; vlteriùs terminari per tres diuinas ſubſiſtentias alienas.

12 Confirmatur, quia vnus effectus pẽdere poteſt á pluribus cauſis totalibus, vt dicemus in prædicamento actionis, ſect. 3. ergo á fortiori poterit eadem natura pendere á tribus

Digitized by Google

tribus ſubſiſtentijs; quæ non eſt propria dependentia, ſed terminatio. Et in hoc caſu humanitas v. g. cum tribus ſubſiſtentijs diuinis eſſet vnus tantùm homo, vt bene probat Raguſa citatus diſp. 56. ſicut natura diuina cùm tribus ſubſiſtentijs eſt vnus tantùm Deus: & ſimiliter ex triplici illa aſſumptione reſultaret vnum per ſe, ſicut ex natura diuina in tribus diuinis perſonis.

Reijcitur contraria ſententia. *Scotus.* *Richard.* *Albertin.*

13 Obijcis primò pro contraria ſententia, quam tenet Scotus in 1. diſt. 1. q. 2. §. Ad quæſtionem. Richard. ibidem q. 3. art. 1. Albert. ibidem etiam ar. 10 in reſponſione ad primam quæſtionem. Obijcis, inquam, primò ex Scoto; vnus effectus non poteſt prodire à duplici cauſa: ergo neque vna humanitas poteſt reddi ſubſiſtens à duplici, vel triplici ſubſiſtentia aliena, quamuis ſit diuina. Antecedens huius argumenti latè probat Vaſques tom. 1. in 3. p. q. 3. diſp. 29. cap. 3. & 4. quod n. 17. verum appellat, & commune, & propterea laborat maximè in aſsignanda maiori ratione; ac tandem in fine diſputationis, negat conſequentiam, & aſsignat maiorem rationem, quia videlicet propterea non poſſunt duæ cauſæ eiuſdem rationis cõcurrere ad eundem effectum; quia ſemper eodem modo concurrerent, quod non ita foret in diuinis ſubſiſtentijs, quæ terminarent naturam creatam, nam Pater vno modo terminaret, alio verò modo Filius, alio tandẽ Spiritus Sanctus; quia hæ diuinæ perſonæ ſunt primò diuerſæ, & præterea propriè non ſunt cauſæ, ſed termini. *Vaſq.*

14 Facilius tamen reſponderi poteſt negando antecedẽs (iuxta noſtram doctrinam, quam infrà ſequemur in prædicamento Actionis ſect. 6.) quamuis enim non poſsit idẽ effectus prouenire à duplici cauſa per eandẽ actionem, poteſt tamen per plures; & ita cõcedimus requiri plures vniones per diuerſas actiones in eo caſu; & quamuis tota terminatio naturæ penderet à qualibet ſubſiſtentia, non tamen penderet totaliter (ſicut dicam de effectu, reſpectu plurium cauſarum) quælibet enim ſubſiſtentia haberet ſuum effectũ, & redderet naturam ſubſiſtentem intenſiuè, non tamen expleret extenſiuam capacitatem naturæ, atque adeò nunquàm daretur cauſa formalis ſine effectu formali.

15 Obijcis ſecundò. Si tres diuinæ perſonæ aſſumerent eandem humanitatem, ratione illius prædicarentur diuinæ perſonæ inter ſe mutuò, ac proinde Pater diceretur Filius: hoc non eſt dicendum: ergo &c. Probatur ſequela, quia verum eſſet dicere, *hic homo eſt Pater, hic homo eſt Filius: ergo Pater eſt Filius.* Reſpond. negando ſequi talem communicationem idiomatum, ſicut modò non ſequitur, Patrem prædicari de Filio, licet habeant eandem naturam, & ratio eſt, quia quamuis inter duas naturas in vno ſuppoſito detur prędicatio ad inuicem ratione ſuppoſiti; nihilominùs tamen inter duas, vel tres ſubſiſtentias dari non poteſt talis communicatio, ratio diuerſitatis eſt, quia naturæ prædicari poſſunt ex eo quòd conueniant in ſuppoſito, ſubſiſtentiæ verò prædicari non poſſunt, quia, cùm ſint primò diuerſæ, in nullo propriè conueniunt. Ille ſyllogiſmus, qui affertur in probationem, fallaciam habet, quia attribuit formaliter Patrem Filio, Pater autem formaliter non eſt Filius: vtrùm verò reſultaret vnus tantùm homo, ſi tres diuinæ perſonæ aſſumerent eandem humanitatem, dicam diſp. 59 ſect. 2.

Vtrùm eadem natura habere ſimul poſsit ſubſiſtentiam propriam vnam, & alteram alienam?

Reſolutio eſt affirmatiua.

16 Tertia concluſio. Eadem natura poteſt ſimul diuinitus terminari pluribus ſubſiſtentijs, vnâ ſcilicet propriâ, & aliâ alienâ, diuinâ ſaltem: ita Maior. in 3. diſt. 3. q. 3. §. Contra hanc ſolutionem; verſiculo, Sed contra hoc. Bachonius in 3. diſt. 6. q. 1. ar. 2. ad 2. vbi aſſerit, hanc opinionem communiter concedi. Mairon. in 3. diſt. 1. q. 3. Salmeron. tom. 13. in epiſt. D. Pauli, Epiſt. ad Hebr. diſp. 10. §. Ad ſextum. Hurt. in Met. diſp. 11. ſect. 7. à n. 76. eandem præterea tenent Nominales qui aſſerunt, ſubſiſtentiam non diſtingui à natura ex natura rei, immò Soar. oppoſitæ ſententiæ defenſor, concedit tom. 1. in 3. p. q. 4. diſp. 14. ſect. 2. §. Sed nihilominùs, poſſe eandem naturam in diuerſis locis, vel temporibus habere ſubſiſtentiam propriam, & alienam ſimul; & §. Quartum ergo, fatetur, non poſſe hanc ſententiam cõuenienti ratione impugnari, quamuis ibi aſſerat, non legiſſe eam apud aliquem auctorem, qua in re feliciores fuimus, hanc enim ſententiam legimus in prædictis auctoribus, quam præterea defendit Arriaga in Met. diſ. 4. n. 118. *Maior.* *Bachon.* *Mairon.* *Salmer.* *Hurtad.* *Nomin.* *Soar.* *Arriaga.*

17 Sed antequàm concluſio probetur, duo ſunt aduertenda: Primum eſt, quæſtionem non procedere de natura perſonata, ſumpta reduplicatiuè, ſic enim certum eſt apud omnes, aſſumi non poſſe, quia tunc ſubſi-

ſubſiſtentia, quæ eſt vltimus terminus, terminaretur adhuc, quod implicat, eſſet enim, & non eſſet vltimus terminus, ſicut etiam implicat, actionem fieri per aliam actionem. Vnde propriè dicitur, Verbum diuinum aſſumpſiſſe humanitatem, non verò aſſumpſiſſe hominem, vt immeritò contendit Ludouicus Viues Grammaticus in 9. lib. D. Auguſtini de Ciuitate Dei. Hic tamen Auctor, dũ humanas literas ſectatur, diuinas ſubſiſtentias non intellexit, quem propterea vltra ſuos limites liberiùs gradientem, & vana tumentem cogit P. Vaſq. tom 1, in 3. p. q. 4. diſp. 15. cap. 1. n. 1. exiguis Rhetoricæ campis equitare.

Ludou. Viues.

Vaſq.

18 Procedit ergo quæſtio de natura ſpecificatiuè ſumpta, hoc eſt vtrùm natura perſonata poſsit aſſumi, non aſſumpta ipſa ſubſiſtentia propria, quamuis hæc non conſumatur, ſed maneat concomitanter terminando naturam. Secundò aduertendum eſt, quæſtionem modò procedere de ſubſiſtẽtia aliena, quæ ſit diuina: communiter enim aſſeritur, non poſſe fieri vnionem ad ſubſiſtentiam creatam, quia, cùm hæc ſit modus, non poteſt ſimul terminare duas naturas, vnam propriam, & alteram alienam, de quo puncto ſectione ſequenti.

Probatur reſolutio.

19 His animaduerſis, probatur concluſio primò, quia tales rationes ſubſiſtendi per ſe, id eſt, per ſubſiſtentiam propriam; & ſubſiſtendi per aliud, id eſt, per ſubſiſtentiam alienam diuinam, non pugnant contradictoriè: ergo &c. Probatur antecedens, quia ſubſiſtentia propria, qua natura ſubſiſtit in ſe, & vnio hypoſthatica, qua mediante, ſubſiſteret in Verbo v.g (ſeu potiùs per Verbum) ſunt modi poſitiui, & habent effectus poſitiuos: ergo ad ſummum contrariè pugnant: ſed Deus poteſt vincere oppoſitionem contrariã: ergo &c immò contra Soar. argumentor ad hominem, aſſerit enim, vt vidimus ſuprà ſect. 1. nu. 16. in humanitate Chriſti non dari propriè violentiam, quia ſubſiſtentia diuina non eſt forma contraria ſubſiſtentiæ creatæ: ergo ſubſiſtentia increata non opponitur cõtrariè ſubſiſtentiæ creatæ, ſed in hoc caſu ſolùm datur ſuperfluitas, quæ diuinitus poteſt vinci: ergo &c.

20 Confirmatur primò, quia hoc non eſt propriè eſſe in ſe, & eſſe in alio, vt contendunt aduerſarij, ſed potiùs eſt eſſe per ſe, per vnam ſubſiſtentiam poſitiuam creatam, & eſſe iterum per ſe, per aliam ſubſiſtentiam increatam; natura enim, quæ eſt in alio ſuppoſito, aptiùs diceretur ſubſiſtere per aliud, quã ſubſiſtere in alio. Confirmatur ſecundò, quia idem accidens poteſt ſimul diuinitus exiſtere extra ſubiectum, & habere modum exiſtendi per ſe, ſimul cum modo inhærentiæ ad ſubiectum (vt communiter conceditur) præcipuè ſi hoc accidens producatur in eodem loco, per duas actiones, vel ſi ponatur in duobus locis (quod tandem admittit Soar. in Metaph. diſp. 44. ſect. 5. num. 52. in fine, pro quo etiam ſe allegat tom 1. in 3. p. diſp. 14. ſect. 1, & 3) quod ſi concedatur, non video qua ratione abſolutè negari poſsit noſtra concluſio.

21 Confirmatur ſecundò, quia eadem linea in diuerſis locis poteſt eſſe recta, & curua; & idem homo in vno loco poteſt ſedere, & in alio deambulare: ergo ſimiliter eadẽ natura producta in vno loco per vnam actionem, poterit terminari ſubſiſtentia propria; & producta in eodem loco per aliam actionem, poterit terminari per diuinam ſubſiſtẽtiam; & idem à fortiori dicendum in diuerſis locis, cum diuerſis actionibus. Confirmatur tandem, quia idẽ corpus poteſt habere duas præſentias, vnam naturalem, aliam ſupernaturalem; vt Chriſtus Dominus in Euchariſtia, ergo &c.

Proponitur, & refutatur contraria ſententia.

22 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quæ communis eſt inter auctores & ideò valdè probabili; eam tenent D. Thomas, Scotus, Durandus quæ trium D. Doctorum rara concordia magnam huius ſententiæ probabilitatem oſtendit, quos citant, & ſequũtur Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 3. diſp. 13. ſect. 1. §. Ad ſecundam, & diſp. 14. ſect. 1. à §. Cõtraria verò (vbi præterea citat Capreol. Paludanum, Marſilium, Caiet.) Vaſques ibidem diſp. 31. cap. 2. cuius etiam cum Soar. rara eſt concordia. Eandem ſententiam tenent Valentia 3. p. diſp. 1. q. 3. puncto 3. fol. 172. §. Ex quo quod, Albertin. tom. 2. diſp. 3. de prædicamento ſubſtantiæ, q. 82. n. 9. & corollar. 7. de Prædicamento ſubſtantiæ, q. 8. à nu. 9. Ragula 3. p. q. 3. art. 2. diſp. 57. § 1. à §. Eſt cõmunis; vbi præterea citat Henricum, & alios; pro eâdem opinione ſtat P. Gaſp. Hurt. de Incarnatione diſp. 3 difficult. 5. n. 4. & diſp. 4. diffic. 4. à nu. 44 & Vuadingus tract. de Incarn. diſp 13. dub. 8. § 1. à n 10. idem tenet Lugo de Incarn. diſp. 12. ſect. 4. n. 69. idẽ docet ſect. 6 n. 79.

D. Thom. Scotus. Durand. Soar. Capreol. Palud. Marſil. Caiet. Vaſq. Valent. Albertin. Ragula. Henriq. Gaſpar Hurt. Vuading. Lugo.

23 Obijcis, inquam, primò, & principaliter, Quia talis natura per ſubſiſtẽtiam propriam eſſet in ſe, & per ſubsiſtentiam alienã eſſet in alio: ſed eſſe in ſe, & eſſe in alio pugnam habent contradictoriam: ergo &c. maior tamen, & minor huius argumenti ſolutæ ſunt, neque enim contradictoriè pugnare poſſunt duæ ſubsiſtentiæ poſitiuæ.

Inſtas

Digitized by Google

24 Inſtas tamen primò. Subſiſtentia habet annexam negationem alterius ſubſiſtentiæ alienæ logica neceſsitate: ergo non poteſt ſubſiſtentia propria ſimul eſſe cum aliena. Probatur antecedens exemplo lineæ, quæ non poteſt in eodem loco ſimul eſſe recta, & curua, quia ſcilicet rectitudo logicè infert negationem curuitatis. Idem exemplũ fieri poteſt in rationali, & hinnibili, quæ, quãuis ſint termini poſitiui, inferunt tamen logicam contradictionem, ſaltem mediatam.

25 Reſpond. negando antecedens, illa enim negatio alterius ſubſiſtentiæ non eſt logica, ſed phyſica, qualem habet albedo reſpectu nigredinis in eodem ſubiecto: curuitas verò ideò repugnat logicè cum rectitudine, quia dicunt eſſentialem ordinem ad diuerſum ſpatiũ. Rationale verò, & hinnibile, quamuis ſint termini poſitiui, præſtant contradictoriam repugnantiam, ratione negationis hinnibilis, quæ logicè, & immediatè comitatur rationale, idem enim eſt in re rationale, & hinnibile, ac rationale, & irrationale.

Negatio ſubſiſtẽtiæ alienæ eſt ſolùm phyſica, & ideò poteſt tolli.

26 Quod vt meliùs percipiatur aduertendum eſt, in natura cum propria ſubſiſtentia duplicem reperiri negationem; primam logicam, quæ tolli non poteſt: ſecundam phyſicam, quæ poteſt auferri diuinitus: prima eſt negatio indigentiæ alterius ſubsiſtentiæ, quæ tolli non poteſt, nam eo ipſo quòd natura habet vnam ſubſiſtentiam completam, negat indigentiam alterius: ſecunda eſt negatio habendi aliam ſubſiſtentiam ſimul. & hæc poteſt diuinitus auferri, quia noua ſubſiſtentia ſolùm arguit ſuperfluitatem, quam Deus poteſt vincere: exemplo res patefiet; albedo enim habet in ſe negationem nigredinis quæ nec diuinitus tolli poteſt, nũquàm enim albedo poteſt eſſe nigredo; reſpectu verò ſubiecti habet albedo negationem eſſendi ſimul cum nigredine, quæ tamen diuinitus poteſt tolli, quia ſolùm contrariè pugnant albedo, & nigredo in eodem ſubiecto: atque ita ſubſiſtentia propria habet phyſicã negationem eſſendi ſimul in eâdem natura cum ſubſiſtentia aliena, quæ tamen negatio conſumi, & tolli poteſt per aduentum ſubſiſtentiæ alienæ, vt patet ex dictis.

27 Obijcis ſecundò. Effectus formalis ſubſiſtentiæ propriæ, quamuis non primarius, eſt reddere naturam incommunicabilem alteri ſuppoſito: ergo natura cum ſubſiſtentia propria non poteſt communicari ſubſiſtentiæ alienæ. Reſpondetur primò negando antecedens, nam ille effectus ſecundarius ſolùm eſt reddere naturam ſuppoſitatam incommunicabilem, non verò eſt reddere incommunicabilem ſolam naturam ſpecificatiuè: & ratio eſt, quia cauſa formalis intrinſecè debet includi in effectu formali, vt albedo in albo; quapropter, quemadmodùm album, quatenus tale, non poteſt eſſe nigrum, ita ſuppoſitum, quatenus tale, non poteſt vlteriùs terminari, poteſt tamen natura, quæ habet ſubſiſtentiam. Reſpondetur deinde ſecundò, hunc effectum eſſe ſecundarium poſſeque proinde tolli; ſicut ab albedine in ſubiecto poteſt Deus tollere effectum ſecundarium reddendi ſubiectum non nigrum, ſi nimirum ſimul cum albedine conſeruet nigredinem.

28 Obijcis tertiò. Si ſubſiſtentia diuina aliena nõ excluderet logica neceſsitate propriam ſubſiſtentiam, non eſt vnde colligamus Verbum diuinum conſumpſiſſe in natura humana propriam ſubſiſtentiam; immò, cùm hoc diuinitus poſsit fieri, & cùm totum myſterium Incarnationis ſupernaturale ſit, non eſt cur recurramus ad naturalem repugnantiam, quæ inter vtramque ſubſiſtentiam exerceretur, ſed potiùs dicendum foret, Chriſtum Dominum habuiſſe ſubſiſtentiam creatam, & increatam: quia tamen oppoſitum de fide eſt, dicendum conſequenter videtur, non potuiſſe Verbum diuinum aſſumere humanitatem cum ſubſiſtentia propria humanitatis.

Poterat aſſumi humanitas cũ propria ſubſiſtentia.

29 Reſpond. negando ſequelam, licet enim concedamus, potuiſſe Chriſtum Dominum ſimul habere ſubſiſtentiam propriã & alienam, hæc tamen coniunctio duarum ſubsiſtentiarum, ſaltem vnum miraculum de nouo requirebat, quod, cùm non ſit neceſſarium ad hoc myſterium, non eſt cur admittatur: nam vt Deus eſſet verus homo, ſufficiebat aſſumere ſolam humanitatem; & alioquin ſimultas humanæ ſubſiſtentiæ magnam præberet occaſionẽ confuſionis, neque enim ita facilè diſtingui poſſent vtriuſque ſuppoſiti actiones, & merita: immò Concilia, & Patres, qui ex fide verè docent, non fuiſſe in Chriſto Domino ſubſiſtentiam creatam, ſufficiens fundamentum habent ad hoc dicendum ex ſacris literis, ac proinde neceſſarium non eſt recurrere ad implicationem circa ipſas ſubsiſtentias, cùm hæc nulla detur: immò neque Patres, & Concilia admittunt talem repugnantiam.

Vtrùm dari poſsit natura ſine omni ſubsiſtentia?

Reſolutio eſt negatiua.

30 QVarta concluſio. Natura creata, nec diuinitus, conſeruari poteſt ſine aliqua ſubsiſtentia propria, vel

Digitized by Google

D Thom. Suar. Vaſq. Fonſ. Scotus. Patres Conimb. Cabreir.

vel aliena: ita probabiliùs exiſtimant D.Th. in 3. diſt. 5. q.3.ar.3.ad 3. Suar. in Met. diſp. 34. ſect 6.n.27. Vaſq.tom.1. in 3. p. ad q. 4. diſp.31.cap.7.n.35. Fonſ. 5.Met. cap.8. q.6. ſect.5. § Obijcit prætereà Scotus, Patres Conimbr.1.Phyſ.cap. 9.q.6.ar.4.ad 4. Cabreira 3.p.ad q. 4.ar.2.diſp.6.n.10.

33 Probatur, quia terminus intrinſecus rei non poteſt à Deo impediri ita, vt maneat res illa ſine tali termino, vel ſine aliquo illum terminum ſupplente; ſed ſubſiſtentia eſt terminus complens naturam: ergo ſine illo non poteſt exiſtere: maior exemplis oſtenditur, nam quantitas extenſa actualiter exiſtere nō poteſt, ſine aliqua figura; nec res exiſtens extrà cauſas ſine aliquo Vbi, quia tales modi ſunt termini ſequentes neceſſariò naturam exiſtentem, quod à fortiori dicendum eſt de ſubſiſtentia, ſiquidem eſt terminus magis intrinſecus, quàm prædicti, faciénſque vnum per ſe cum natura.

34 Confirmatur, quia ſi daretur talis natura ſine ſubſiſtentia, eſſet terminata, & non eſſet terminata: ſed hoc implicat: ergo &c. Probatur maior: eſſet quidem terminata, quia ſupponitur extra cauſas: non eſſet, quia non haberet terminum, nempe ſubſiſtentiam: neque dici poteſt fore terminatam negatiuè, nam eſſe terminatam negatiuè nihil aliud eſt, quàm non eſſe terminatam: alioquin dicere etiam quis poterit, parietem eſſe album ſine albedine, quia nimirum eſt albus negatiuè, quod falſum eſſe clariùs apparet intellectui, quàm ipſa albedo oculis repræſentatur.

Proponitur, & refutatur cōtraria ſententia. *Scotus. Caiet. Medina. Valent. Albertin. Hurtad. Lorca. Lugo. Arriaga.*

35 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quæ docet poſſe diuinitus conſeruari naturam ſine omni ſubſiſtentia, quam Scot. in 3. diſt.1.q.1. conſequenter tenendam aſſerit, ab illis, qui docent ſubſiſtentiam eſſe aliquid poſitiuum; eandem abſolutè docet Caiet. 3. p. q.4. art. 2. Medina ibidem, Valentia 3. p. diſp. 1. q.4. punc. 2. fol. 200. §, Reſpondet bene. Albertinus tom.2.diſp.3. de Subſtantia. q.3. n.7. Hurt. in Met. diſp.11. ſect.9. n. 95. Lorca 3.p. q.4.diſp.29. n.6. item P. Lugo de Incarn. diſp.12. ſect.7. n. 93. Arriaga in Metaph. diſp.4. ſect. 13.n.135.

36 Obijcis, inquam, primò. Accidens conſeruari poteſt ſine ſubiecto: ergo & natura ſine ſubſiſtentia. Reſpond. negando conſequentiam; maior ratio eſt, quia connexio cum termino eſt maior, quàm accidentis cū ſubiecto, prior enim eſt intrinſeca, ſecunda verò extrinſeca, per ſuperadditam vnionem; quamuis libenter concedamus, maiorem habere dependentiam accidens à ſubiecto, quàm naturam à termino: ſed non ſemper vbi datur maior dependentia, datur maior connexio, relatum enim propriè loquendo, non habet dependentiam à termino, ſicut habet accidens à ſubiecto, & tamen vnum relatum dari non poteſt actualiter ſine termino, poteſt tamen dari actualiter accidens ſine ſubiecto.

37 Immò bene poterit conſeruari diuinitus accidens ſine omni inhærentia, & ſine modo exiſtendi per ſe, per ſolam actionem creatiuam, vt probabiliter aliqui exiſtimant, non tamen poterit conſeruari natura ſine ſubſiſtentia; & ratio eſt, quia inhærentia non eſt terminus accidentis, ſed eſt cauſalitas naturalis, quam Deus ſupplere poteſt: modus autem exiſtendi per ſe, quamuis ſit terminus reſpectu accidentis, eſt magis extrinſecus, ſiquidem eſt illi ſupernaturalis, & ab extrinſeco prouenit: at verò ſubſiſtentia poſtulat ab intrinſeco prouenire, & ideò habet cum natura logicam connexionem: quarè terminus accidentis (ſi conſeruetur ſine modo ſupernaturali, de quo dixi diſp. 53. ſect.3.) erunt eius indiuiſibilia, vel deſectibilitas ipſius accidentis.

38 Obijcis ſecundò. Natura priùs concipitur exiſtens, quàm ſubſiſtens: ergo, cùm ſubſiſtentia ſit modus reſultans à natura iam exiſtente, talis reſultantia poterit impediri à Deo, quia Deus libere concurrit cum omni effectu cauſæ ſecundæ. Reſpond. negando conſequentiam, ad probationem dicendum eſt, quòd licet Deus libere impendat ſuum concurſum effectibus ad extrà, aliquando tamen ex ſuppoſitione, quòd vult conſeruare rem aliquam, tenetur ad aliam producendam, vt patet in Vbi, ad quod Deus neceſſariò concurrit ex ſuppoſitione, quòd velit rem aliquam conſeruare extra cauſas, & ita ſe habet ſubſiſtentia.

39 Obijcis tertiò, Punctum, & ſuperficies poſſunt à quantitate ſeparari, quamuis ſint eius termini, itaut maneat negatiuè terminata: ergo etiam ſeparari poteſt diuinitus omnis ſubſiſtentia. Reſpondetur primò negando antecedens, iuxta ea, quæ dixi in Phyſ. diſp. 35. ſect.3. à n.14. Reſpondetur ſecundò, permiſſo antecedente, negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia ſubſiſtentia non ſolùm eſt terminus quicumque, ſed eſt ſubſtantialis terminus efficiens cum natura intrinſecè vnum per ſe: at verò linea, & puncta non ſunt termini adeò intrinſeci quantitatis, ſunt enim realitates ab ea realiter ſeparabiles, & cum qua linea, quà diuiſibilis eſt, facit vnum per accidens. Quapropter ſimiliter materia prima poterit exiſtere ſine omni forma ſubſtantiali, quia ab ea realiter diſtin-

Digitized by Google

diſtinguitur, nec dependet à forma, tanquàm à termino.

Natura ſine ſubſiſtẽtia eſſet operatiua.

40 Vnica reſtat reſolutio in hac re: ſi natura à Deo produceretur ſine omni ſubſiſtentia (ſiue hoc per poſsibile, ſiue per impoſsibile admittatur) poſſet adhuc talis natura operari, quamuis per miraculum priuaretur propriâ, vel alienâ ſubſiſtentiâ, quin ad hanc operationem nouum miraculum requiratur, vt ſentiunt Soar. in Metaph. diſp. 34. ſect. 7. num. 15. ad medium. Hurtad. in Metaph. diſp. 11. ſect. 9. n. 57. Probatur à priori, quia ſubſiſtentia non eſt principium alicuius operationis, ſed tantùm conditio, vt latè probat Soar. in Met. diſp. 34. ſect. 7. à n. 6. Probatur deinde à poſteriori ex accidẽtibus ſacræ Euchariſtiæ, quæ ſine ſubiecto, vel ſubſiſtentia operantur, abſque nouo miraculo, producendo frigus, calorem, &c. at nequis orat prouenire has operationes ex modo exiſtẽdi per ſe, contrà tamen eſt, quòd certius ſit dari illas operationes, quàm dari talem modum. Cùm verò actiones dicũtur, eſſe ſuppoſitorum, intelligẽdum eſt de actionibus, quæ naturaliter procedunt, non verò, ſuppoſito aliquo miraculo.

Soar.
Hurtad.

SECTIO IIII.

Vtrùm ſubſiſtentia creata terminare poſsit naturam alienam?

Naturaliter nõ poteſt hoc fieri.

1 PRima concluſio. Certum eſt, non poſſe creatam ſubſiſtentiam terminare naturaliter naturam propriam, & alienam: ita communis Theologorum ſententia, vt videre eſt apud Vaſq. tom. 1 in 3 p. q. 3. diſp. 15 cap. 1. vbi iuxta numerum ſecundum aſſerit, hanc veritatem omnibus eſſe confeſſam: eandem præterea docent omnes illi, quos citabimus infrà n. 8. Probatur, quia cùm ſubſiſtentia ſit modus, eſt adeò limitatus, vt extendi nequeat ad terminandam naturam alienam: & confirmatur exemplo materiæ, quæ quamuis ſit entitas realis, non poteſt ſimul naturaliter ſuſtentare duas formas ſubſtantiales: ergo neque ſubſiſtentia poterit terminare duas naturas, propriam ſcilicet, & alienam.

Vaſquez.

Diuinitus poterit ſubſiſtentia creata terminare naturã alienam.

2 Secunda concluſio. Probabilius exiſtimo, poſſe ſubſiſtentiam creatam diuina virtute terminare non ſolùm propriam, ſed etiam naturam alienam: ita imprimis docuere Origenes, Tertullianus, & alij, quos citat Valentia 3. p. diſp. 1. q. 3. puncto 6 in principio, quatenus exiſtimarunt, Angelos, (de quibus in ſacra pagina) verè aſſumpſiſſe ad ſuum ſuppoſitum naturam humanam; eandem noſtram ſententiam tenẽt Ocham. in 3. diſt. 1. q. 1. dub. vlt. Gabr. in 3 eâdem diſt. 1 quæſt. 2. ar. 3. dub. 5. Maior. ibidem, q. 5. Baſſol. ibidem diſt. 1. quæſt. 5. Almainus quæſt. 2. dub. vlt. Pezantius ad 3. p. D. Thomæ, q. 3. diſp. 1. § *Dico*: & in hanc ſententiam magis inclinat Scotus, ſuppoſito, quòd ſubſiſtentia diſtinguatur ex natura rei. Eandem de poſsibili valde probabilem iudicat P. Gregorius de Valentia 3. p. diſp. 1. quæſt. 3. punct. 6. §. *Si autem*; illam præterea veram exiſtimant Albertinus tom. 2. corollario 7. ex prædicamento ſubſtantiæ. quæſt. 7. num. 7. Hurtad. in Metaph. diſp. 11. ſect. 8. à num. 81. Sed quæſtio minorem habet difficultatem in ſententia Albertini, & Hurt. quia ſubſiſtentias realiter diſtinguunt: tota verò difficultas eſt in noſtra ſententia, quæ communis eſt, & aſſerit ſubſiſtentiam creatam eſſe modũ, in qua abſolutè defendo propoſitam concluſionem, quam etiam probabilem iudicat Arriaga in Metaph. diſp. 4. ſect. 13. n. 103.

Origen. *Tertul.* *Valent.* *Ocham.* *Gabr.* *Maior.* *Baſſol.* *Almain.* *Pezant.* *Scotus.* *Albertin.* *Hurtad.* *Arriaga.*

3 Probatur igitur concluſio ratione, quia in hoc nulla cernitur implicatio, neque ex parte naturæ, neque ex parte modi: ergo &c. Probatur antecedens, nam imprimis natura terminari, & compleri valet ab extrinſeco, vt patet in humanitate Chriſti Domini, quæ terminata eſt per ſubſiſtentiam Verbi extrinſecè. Deinde non implicare ex parte modi, ſic probo; quia ſi aliqua daretur implicatio, foret illa, quæ aſsignatur ab aduerſarijs, videlicet, quia implicat, modum exercere ſuum effectum formalem in rem à ſe realiter diſtinctam (vt probant exemplo vbicationis, quæ non poteſt ſimul vbicare duo ſubiecta; ne dicamus, eundem modum ſimul identificari cum duplici re realiter diſtincta) ſed hæc ratio nulla eſt: ergo &c. maior ita proponitur.

4 Probo minorem. Quia in ſubſiſtentia creata virtualiter diſtinguuntur terminare, & modificare: ergo licet creata ſubſiſtentia non poſsit communicare naturæ alienæ ſuum effectum adæquatum modificandi, & terminandi (quia modificatio requirit intrinſecam identificationem) poterit tamen communicare effectum inadæquatum, qualis eſt terminatio, quin modificatio & identificatio neceſſaria ſit: antecedens certum eſt, neque enim omnis terminus eſt modus, vt patet in puncto, qui eſt terminus, & tamen non eſt modus: ergo modificatio, & terminatio virtualiter diſtinguuntur, atque adeò talis ſubſiſtentia erit modus reſpectu

propriæ naturæ, & erit res reſpectu alienæ naturæ, quam terminat, quin modificet.

5 Probatur conſequentia, quòd ſcilicet poſsit communicari vnus effectus partialis, nempe terminatio, quin communicetur identificatio, quia ſimilis diſtinctio virtualis ſufficiens eſt, vt albedo ſi poneretur in Angelo, ſolùm communicaret effectum genericũ partialem; redderet enim Angelum non quidem album, ſed habentem albedinem (vt dixi in 2. p. lib. 1. diſp. 23. ſect. 5. num. 4.) Eademque diſtinctio ſatis fuit, vt Verbum diuinum terminaret humanitatem immediatè, quin diuina eſſentia primariò terminaret: ſed modificatio ſeu identificatio non eſt de intrinſeca ratione ſubſiſtentiæ (vt patet in ſubſiſtentia diuina, quæ extrinſecè terminauit humanitatem, quin illam modificaret) ergo bene poterit creata ſubſiſtentia diuinitus communicare naturæ creatæ effectum terminandi, quin identificetur cum illa, & quin illam modificet.

6 Poterit tamen adhuc quis obijcere cum Soar. citando, ſolam diuinam ſubſiſtentiam identificari poſſe cum natura diuina, & alienam terminare, quia eſt realitas infinitæ perfectionis, & quæ eminenter continet creatam ſubſiſtentiam: Sed contrà, quia licet modus non poſsit hoc præſtare naturaliter: nulla apparet implicatio, cur diuinitus non poſsit; quod ſic probo; vel enim hoc repugnaret ſubſiſtentiæ, ex eo quòd ſit modus, vel ex eo quòd ſit terminus: non ratione termini, ſiquidem terminus poteſt eſſe extrinſecus, vt apparet in ſubſiſtẽtia diuina reſpectu humanitatis: non etiam ratione modi, nam vnio hypoſthatica, quæ eſt modus, identificatur cum humanitate, quam modificat, & tamen extrinſecè attingit Verbum diuinum: ergo &c.

7 Dicet aliquis, hoc eſſe peculiare in vnione, quia eſt vinculum inter duo, cum quibus aliunde nequit identificari: Sed contrà, quia inde ſumitur argumentum, quod non repugnet diuinitus, modum aliquem, nempe ſubſiſtentiam, intrinſecè modificare naturam propriam, & alienam extrinſecè terminare: quod ſic prætereà declaratur, nam bene poteſt vnio fieri ad aliquem modum, vt videtur inter ſubſiſtentias partiales Socratis, quæ media vnione inter ſe copulantur (vt diximus ex eodem Soar. ſupra diſp. 55. ſect. 3.) neque obſtat, quòd perſona diuina eminenter contineat creatam, nam bene poteſt vnus modus naturaliter ſupplere alterum, quin illum eminenter contineat, vt patet in figura quantitatis, quæ ſupplet aliam, quoties variatur quantitas, quin illam contineat: ergo bene poterit vna ſubſiſtentia creata ſupplere aliam, licet illam non contineat.

Proponitur, ac reijcitur contraria ſententia.

8 Obijcies tamen pro contraria ſententia, quæ valde probabilis eſt, aſſerique non poſſe creatam ſubſiſtentiam, vel diuinitus, ſimul terminare propriam, & alienam naturam, quam tuentur imprimis D. Thom. licèt non ex profeſſo, ſed obiter tantùm attingens hanc quæſtionem 3. p. q. 3. ar. 1 ad 2. & ibid. Caietan. eandem tenet Durandus in 4. diſt. 1. q. 5. Palud. ibidem q. 1. ar. 2. Soar. in Metaph. diſp. 34. ſect. 5. nu. 56. dicit hanc ſententiam probabilem, & abſolutè illam ſequitur tom. 1. in 3. p. ad q. 3. diſp. 13. ſect. 4. Vaſq. item tom. 1. ad 3. p. q. 3. diſp. 25. cap. 2. num. 12. & diſp. 29. num. 7. Item Valentia 3. p. diſp. 1. q 3. puncto 6. vbi à §. In hac quæſtione, ſentit hanc opinionem certam eſſe: pro eâdẽ parte ſtant Cabreira 3. p. q 3. ar. 1. diſp. 2. nu. 22. Gaſp. Hurt. de Incarnatione diſp. 3. diffic. 8. §. Durandus verò, vbi prætereà citat Syluium: idem etiam ſentit Raguſa 3 p. q. 3. ar. 1. diſp. 48. vbi §. Sententia, citat Picum Mirandulenſem: eandem opinionem probabiliorem iudicant Patres Conimbr. 1. de Gener. & Corrupt. cap. 4. q. 6. ar. 3. §. Priori. vbi allegant Scotum, & alios: eandem ſententiã obiter docuit D. Fonſ. 5. Met. cap 8. q 7. ſect. 6. §. Deinde non habere; prætereà illam maximè probant Henricus de Fine hominis cap. 13. n. 1. & P. Lugo de Incarn. diſp. 12. ſect. 7. n. 88.

Oppoſita ſententia eſt valde probabilis.

D. Thom. Caiet. Durand. Palud. Soar. Vaſq. Valent. Cabreir. Gaſpar Hurtad. Durand. Syluius. Raguſa. Picus Mirand. Patres Conimb. Fonſeca. Henriq. Lugo.

9 Obijcis, inquam, primò ex D. Thoma citato. Solius ſubſiſtentiæ diuinæ infinitè perfectæ proprium eſt, terminare naturam propriam, & alienam, non illam modificando: ergo poſsibilis non eſt talis ſubſiſtentia creata. Reſpond. ad antecedens cum diſtinctione, ſolùm eſſe proprium diuinæ ſubſiſtentiæ virtute propria hoc præſtare, non tamen repugnare communicari hoc diuinitus creatæ ſubſiſtentiæ; ſicut ſolius Dei proprium eſt connaturaliter ſubſiſtere per tres ſubſiſtentias proprias; & tamen ſupernaturaliter poteſt creata natura tres habere ſubſiſtentias, vel proprias, vel alienas, vt conſtat ex ſuperiori ſect. & ita explicandus eſt Sanctus Doctor.

10 Obijcis ſecundò, & principaliter cum Soar. Implicat contradictionem, modum aliquem

aliquem communicare ſuum effectum formalem, niſi rei, quam modificat, & cum qua identificatur, quia eſſet, & non eſſet modus: ergo ſubſiſtentia non poteſt communicare ſuum effectum naturæ alienæ, cum qua non identificatur. Probatur antecedẽs exemplo inhærentiæ, quæ non poteſt facere inhærere aliud accidens, cuius non eſt inhærentia: & idem cernitur in figura, in Vbi, &c. Hanc rationem, imprimis, non approbat P. Vaſques citatus num. 14. quia, inquit, diuina relatio eſt modus, & tamen terminat creatam naturam, quin identificetur cum illa; quia tamen diuinæ relationes potiùs dicendæ ſunt realitates, quàm modi. Reſpondetur ad argumentum, implicare contradictionem, modum communicare ſuum effectum formalem adæquatũ, niſi rei, quam modificat; non implicare verò communicare effectum formalem inadæquatum, nempe ſolam terminationem, iuxta ea, quæ dixi.

Poteſt modus ſolùm inadæquatè ſe communicare.

11 Ad exemplum de inhærentia reſpõdetur, proptereà non poſſe inhærentiam cõmunicare ſuum effectum formalem alteri accidenti, quia, cùm ſit mera dependentia, nullum effectum præſtare poteſt, niſi dependendo, non poteſt autem dependere niſi informando intrinſecè: & idem apparet in Vbi, & figura, quæ ſunt formæ accidentales, poſtulantque eſſe intrinſecæ in re, quam modificãt: & idem dicendum de exiſtentia in opinione, quæ aſſerit eſſe modum, iuxta ea, quæ dixi in hac 3. p. tract. 1. diſp. 50. ſect. 2. num. 20. at verò ſubſiſtentia non eſt propriè forma, ſed terminus ſubſtantialis: de ratione autem termini, non eſt intrinſecè informare, vt patet in Verbo diuino, quod extrinſecè terminauit naturam humanam.

12 Inſtas primò. Deus non poteſt variare connaturalem modum informandi: ſed connaturalis modus informandi in ſubſiſtentia eſt per identificationem: ergo &c. Reſpond. ad maiorem, bene poſſe Deum variare connaturalem modum informandi alicuius formæ, quin deſtruat eius eſſentiam, vt patet in forma materiali, quæ naturaliter poſtulat informare vnam tantùm materiam, & tamen diuinitus poteſt informare plures, ſaltem in diuerſis locis: quarè etiam ſubſiſtentia poterit à Deo eleuari, vt terminet naturam alienam, quamuis ſolùm cum propria ſit identificata.

13 Inſtas ſecundò. Implicat, animam rationalem vniri materiæ per vnionem, quæ ſit dependentia: ergo etiam implicabit, modum communicare ſuum effectum formalem, niſi per vnionem, quæ ſit dependentia identificata cum re, quam vnit. Reſpondeo negando cõſequentiam, maior ratio eſt, quia ita eſt de eſſentia animæ rationalis independentia à materia, vt qui illi tribueret dependentiam, adimeret eſſentiam, vt conſtat ex iis, quæ dicemus 4. p. lib. 3. diſp. vlt. ſect. 1. de Anima ſeparata: at verò de eſſentia modi ſolùm eſt habere identificationem, & dependentiam cum natura, quam modificat, non eſt tamen contra eius eſſentiam poſſe terminare tantùm, per aliquam vnionem, naturam alienam, quin ſimul identificetur cum tali natura, vt patet ex dictis.

14 Inſtas tertiò. Forma realis, & phyſica non poteſt afficere ſubiectum, niſi per ſuam entitatem vnitam; ergo & modus non poterit afficere naturam alienam, niſi per identitatem. Reſpondeo negando conſequentiam: diuerſa ratio eſt, quia forma, quæ diſtinguitur realiter à ſubiecto, neceſſariò poſtulat vnionem, quæ enim inter ſe realiter diſtinguuntur, non poſſunt identificari inter ſe; vnde ſimiliter modus identificari non poterit cum natura aliena, à qua realiter diſtinguitur; & cùm aliunde ſit capax vnionis (vt conſtat ex partialibus ſubſiſtentiis, quæ inter ſe vniuntur) poterit habere vnionem, non verò identificationem cum natura aliena, iã enim ſupponitur talis modus identificatus cum propria natura.

15 Inſtas quartò. Si creata ſubſiſtentia poſſet naturam alienam terminare, poſſet etiam infinitas ſyncathegorematicè, ſed hoc non eſt dicendum, quia argueret potentiam infinitam: ergo &c. Reſpondeo negando minorem, ſolùm enim argueretur potentia infinita in cauſa eleuante, nempe in Deo. Sicut dici ſolet de potentia materiæ ad infinitas formas ſyncathegorematicè ſuſtentãdas.

16 Obiicis tertiò cum Vaſq. cit. cap. 3. à n. 16. Vel creata perſona haberet hanc virtutem naturaliter, vel ſupernaturaliter; non primum, vt patet; non ſecundum, quia ſubſiſtẽtia non poteſt habere potentiam obedientialem actiuam: ergo &c. & in hoc argumento ſibi maximè confidit Vaſq. aliis exploſis, fortaſſe validioribus. Reſpond. tamen facilè, talẽ virtutem ſupernaturalẽ eſſe, procedereque à potentia obedientiali, vel actiua, vel paſſiua, vtraque enim datur, vt dixi 2. p tract. 1. lib. 2, diſp. 55. ſect. 4. Addo prætereà terminare non eſſe propriè agere, vnde argumentum eſt inualidum.

17 Atque ex dictis conſtat maior probabilitas noſtræ ſententiæ, quæ licet nõ ita cõmunis ſit, facilè tamẽ poteſt ab ingenioſis defendi. Si tamen ſubſiſtentia realiter à natura

diſtingueretur; tunc ſine dubio naturam alienam poſſet terminare, vt bene aduertit Soar. tom. 1. in 3. p. q. 3. diſp. 11. ſect. 3. §. Quocirca & Arriaga ſuprà citatus. Aduerto tamen, poſſe in noſtra ſententia ſubſiſtentiam ſpiritualem terminare naturam corpoream, & è contrà; & ſimiliter ſubſiſtentiam completam terminare naturam incompletam; nam licèt ex forma cæleſti, & ſublunari materia (in opinione, quæ diſtinguit ſpecie has materias) non poſsit effici vnum per ſe, ratione improportionis; hoc ideò eſt, quia maior proportio requiritur inter materiam, & formam, quàm inter naturam, & terminum; hic enim ex natura ſua non poſtulat eſſe intrinſecum, neque indicat hanc proportionem; vt patet in ſubſiſtentia diuina ſpirituali, & completa; quæ terminauit materiam corpoream, & incompletam.

Soar. *Arriaga.*

1886 Nullo tamen modo approbo errorem Origenis, & Tertulliani ſuprà, qui affirmant de facto Malachiam, Aggæum, & D. Ioannem Baptiſtam fuiſſe Angelos incarnatos; nulla enim data eſt vnio hypoſthatica, niſi ad humanitatem Chriſti D. nimirùm, immò aliqui fuere, vt teſtatur Maior, in 3. diſt. 1. q. 1. *Maior.* ſcilicet, qui dixere, Antichriſtum futurum dæmonem incarnatum; quem tamen cum ſimulent eo ita deteſtamur; & circa hoc punctum videri poterunt Vaſq. tom. 1. in 3. p. q. 4. diſp. 84. præcipuè cap. 1. n. 7. & Soar. tom. 1. *Vaſq.* *Soarius.* in 3. p. q. 3. diſp. 13. ſect. 4.

SECTIO V.

Quæ res poſſint immediatè aſſumi, vel aſſumere hypoſthaticè?

Sola ſubſtantia poteſt termi- nari per alienā ſubſiſtentiam. 1 **P**Rima concluſio. Omnis, & ſola natura, quæ habet propriam ſubſiſtentiam, terminari poteſt per alienam ſubſiſtentiam ſaltem diuinā; ita ſupponit Soar. in Metaph. diſp. 34. ſect. 3. n. 17. ex communi Theologorum ſententia; *Soarius.* poteſt enim Deus conſumere, vel impedire, propriam alicuius naturæ ſubſiſtentiam, & efficere, vt per alienam, ſaltem diuinam, ſuppleatur: hinc eſt, quòd natura quæuis irrationalis poſsit vniri ad diuinam ſubsiſtentiam, vt communiter docent Theologi cum D. *D. Thom.* Thoma, quos citant, & ſequuntur Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 4. diſp. 14. ſect. 2. §. Dico ſecundò: Ragula ibidem diſp. 56. §. 2. § Nihilominùs, conſtat enim Verbum diuinum aſſumpſiſſe corpus materiale, & irrationale, *Raguſa.* realiter diſtinctum ab anima. Idem probat Vaſq. ibidem diſp. 30. à cap. 1. quamuis hoc *P. Vaſq.* limitet ad naturas completas, quam limitationem reijcimus, vt conſtat ex ijs, quæ dixi diſp. 57. ſect. 2. & ſect. 3.

2 Alenſis tamen, Bonauent. Henricus, *Alenſ.* Gabr. & Richardus, quos citat Soar. citatus *Bonau.* §. ſecunda ſententia, & Vaſq. cap. 1. num. 1. *Henriq.* oppoſitum exiſtimarunt de natura irratio- *Gabr.* nali, cum quibus etiam conſentit Hurtad. de *Richard.* Anima diſp. 1. ſect. 6. num. 37. qui aſſerunt, *Soar.* repugnare hoc, quia Verbum diuinum prop- *Vaſq.* ter ſuam perfectionem ſolùm eſt capax v- *Hurtad.* nionis perſonalis: at verò ex natura irrationali reſultare non poterat perſona, hæc enim ſolùm reperitur in natura rationali. Reſpondetur nihilominùs ſufficere, quòd vnio fiat ad naturam, quæ habeat ſubſiſtentiam, quamuis non fiat ad naturam perſonalem: neque vllum eſt inconueniens, quòd illud ſuppoſitum reſultans non dicatur perſona.

3 Neque præterea vllum eſt inconueniens, quòd talis natura irrationalis capax non ſit Viſionis Dei, nam viſio Dei eſt perfectio ſolùm accidentaria, neque neceſſariò ſequitur, ſuppoſita illa maiori perfectione vnionis hypoſthaticæ ſubſtantialis. Immò etiam neceſſaria non erit ſanctificatio quòad actus internos in tali natura irrationali, quamuis haberet Sanctificationem, & Deificationem ſubſtantialem. Tandem non eſſet hoc iudicandum indecens, poterat enim Deus hoc facere propter aliquem magnum finem, ad oſtendendā ſuam diuinam omnipotentiam, ſiquidem de facto conſtat aſſumpſiſſe materiam, ſeu corpus, quod ſecundùm ſe rationale non eſt.

4 Ex dictis ſequitur ſecunda concluſio. *Accidēs aſſumi non poteſt ad ſubſiſten- tiam.* Nullum accidens aſſumi poteſt immediatè ad vnionem hypoſthaticam: ita communis ſententia, quam tenent Bacolius, & Palatius, *Baſſol.* quos citant, & ſequuntur Soar. tom. 1. in 3. *Palat.* p. ad q. 4. diſp. 14. ſect. 4. §. Nihilominùs. *Soar.* Vaſques ibid. diſp. 30. cap. 5. nu. 19, idem ten- *Vaſq.* tit Albertinus tom. 2. corollario 8. ex prædi- *Albertin.* camento ſubſtantiæ, q. 8. dubit. 2. à num. 2. *Raguſa.* Ragula 3. p. q. 4. ar. 1. diſp. 56. § Secunda ſententia: & communiter Recentiores. Probatur, quia accidens non habet ſubſiſtentiam, cuius loco diuina ſubſiſtentia ſubrogetur. Confirmatur, quia per vnionem hypoſthaticam conſtituitur vnum per ſe, ex accidenti autem, & diuina ſubſtantia fieri non poterat vnum per ſe. Confirmatur tandem, quia diuina ſubſiſtentia non poteſt eſſe ſubiectum accidentium.

5 Obijcis pro contraria ſententia, quam *Reijcitur contraria ſententia.* ſequitur Almainus in 3. diſt. 2. quæſt. 2. *Almain.*

Digitized by Google

Marſil. Maior. Valent.

Marſilius ibidem q. 1. Gabriel in 3. diſt. 1. q. 2. ar. 2. ad 7. Maior. in 3. diſt. 2. q. 3. Valentia 3. p. diſp. 1. q. 4. puncto. 1. à §. Et hæc quidem. qui teſtatur hanc ſententiam veriorem, & communiorem eſſe. Obijcis, inquam, primò cum Valentia. Diuina perſona continet eminenter omnem creatam virtutem: ergo, ſicut accidens vnitur ſubſtantiæ, ita vniri poterit diuinæ ſubſiſtentiæ. Reſpondetur negando conſequentiam, quia diuina perſona, ſolùm ſupplere poteſt id, quod non arguit imperfectionem, quæ daretur ſi foret ſubiectum accidentis, vt patet.

6 Obijcis ſecundò. Inhærentia eſt terminus accidentis: ergo loco illius poteſt aduenire diuina ſubſiſtentia. Reſpondetur negando conſequentiam, nam licet inhærentia ſit terminus (quod tamen non eſt ita) nihilominùs eſt cauſalitas materialis, quam ſupplere non poteſt purus terminus ſubſtantialis.

7 Inſtas, accidens nullam habet proportionem cum modo eſſendi per ſe; & tamen poteſt illum diuinitus habere, vt eſt cõmunis ſententia: ergo licet accidens non habeat proportionem cum ſubſiſtentia, poterit tamen Deus illud aſſumere ad ſubſiſtentiam. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt quia modus ille exiſtendi per ſe, adhuc in ſua entitate eſt accidens, ſiquidem identificatur cum accidente, & habet pro effectu formali ſupplere dependentiam materialem accidentis ad ſubiectum, & propterea habet ille modus aliquam proportionẽ cum accidente; at verò vnio hypoſtatica, & ſubſiſtentia ſunt modi ſubſtantiales, & ideò non poteſt accidens cum illis proportionem habere, ad faciendum vnũ per ſe.

Natura vt eſt ſubſiſtẽs nõ poteſt aſſumi.

8 Tertia concluſio. Nulla ſubſiſtentia poteſt hypoſtaticè aſſumi. Hæc concluſio communis eſſe debet, illam expreſſit Suar. tom. 1. in 3. p. q. 4. diſp. 14. ſect. 1 §. Suppoſitis [Quod ſimiliter dicendum eſt de natura perſonata reduplicatiuè, vel cum ſubſiſtentia virtualiter tantùm diſtincta) Probatur, quia cùm ſubſiſtentia formaliter ſit vltimus terminus ſimpliciter, non poteſt vlteriùs terminari, eſſet enim, & non eſſet vltimus terminus. Et probari prætereà poteſt hæc cõcluſio ex dictis in hoc tract. diſp. 55. ſect. 2. & diſp. 56. ſect. 1.

9 Obijcis primò. Natura diuina diſtinguitur tantùm virtualiter à ſubſiſtentia Patris, & tamen de facto aſſumitur, & terminatur à ſubſiſtentia Filij: ergo ſi daretur natura cum ſubſiſtentia virtualiter diſtincta, poterit nihilominùs talis natura aſſumi, & ſubſiſtentia vlteriùs terminari. Huic argumento ſatisfactum eſt in hoc tract. diſput. 56. ſect. 2. num 4.

10 Obijcis ſecundò. Vltimus punctus terminatiuus lineæ, vlteriùs terminari poteſt, ſi v. g. linea, quæ fuerit ex vtrâque parte terminata, coeat in circulum: ergo ſimiliter, quamuis ſubſiſtentia ſit vltimus terminus, poterit vlteriùs terminari. Reſpond. negando conſequentiam; maior ratio eſt, quia talis punctus eſt tantùm ſecundùm quid, & per accidens vltimus, quatenus videlicet linea non fit maior, aut minor: at verò ſubſiſtentia eſt vltimus terminus ſimpliciter, vt conſtat ex dictis.

11 Inſtas. Licèt albedo non poſsit reddi talis per aliam albedinem, vel actio per aliam actionem, & quamuis ſubſiſtentia non poſsit per aliam ſubsiſtere; non implicat tamen quòd vna albedo poſsit alteri vniri: ergo ſimiliter non implicabit, quòd vna ſubſiſtentia alteri vniatur. Reſpondeo negando conſequentiam; diuerſa ratio eſt, quia albedo ordinatur ad faciendum vnum per accidens, vnde non eſt contra eius naturam, quòd vniatur cum altera albedine: at verò ſubſiſtentia, cùm ordinetur eſſentialiter ad faciendum vnum per ſe, non poteſt vniri alteri ſubſiſtentiæ. Et prætereà repugnat, quia habet rigoroſam negationem indigentiæ alterius ſubſiſtentiæ, vt diximus ſuperiori ſectione, ſiquidem eſt vltimus terminus ſimpliciter.

12 Quarta concluſio. Subſtantia increata diuina, etiam prout præſcindit ab omni perſonalitate, non poteſt hypoſtaticè aſſumi ad ſubſiſtentiam creatam. Hanc concluſionem expreſſit Gilius tom. 1. lib. 2. tract. 4. cap. 12. n. 7 Probatur imprimis, quia non diſtinguitur à diuinis ſubſiſtentijs, vnde ſimul cum ſubſiſtentia aſſumeretur & vltimus terminus terminaretur, quod implicat. Probatur deinde, quia natura, quæ aſſumitur, neceſſariò recipit in ſe aliquam vnionem, ſeu depẽdentiam, vt patet in humanitate Chriſti Domini (vnio enim recipitur hîc in illo extremo, quod eſt veluti ſubiectum) at verò natura diuina incapax eſt omnis vnionis, quia ſi eam intrinſecè admitteret, conſequenter admitteret mutationem.

Natura diuina non poteſt hypoſtaticè aſſumi ad ſubſiſtẽtiã creatam. Gillius.

13 Quinta concluſio. Valde probabile eſt, modos ſubſtantiales, nempe vnionem ſubſtantialem, inter materiam, & formam, & alios ſimiles, poſſe immediatè terminari hypoſtaticè. Dico, terminari, quia nunquàm poterunt perfectè ſubſiſtere, cùm per ſuã entitatẽ pendeant à ſubiectis. Hæc concluſio conſtat ex ijs quæ dixi diſp. 57. ſect. 2.

num. 10. vbi probaui hos modos habere ſubſiſtentiam, nam conſequenter poterunt aſſumi.

De rebus quæ poſſunt aſſumere hypoſthaticè.

Natura, quà talis nõ poteſt aliam ſibi vnire.

D. Thom.

14 Sexta concluſio. Nulla natura, etiã diuina, poteſt aliam immediatè aſſumere. Eſt communis Theologorum cum D. Thoma 3. p. ad 3. q. ar. 2. & probatur breuiter, quia vnio ſubſtantialis ſolùm eſſe poteſt, vel ad conſtituendum vnum compoſitum, vel ad faciendum vnum ſuppoſitum; ſed natura, vel etiam diuina, vniri non poteſt cum natura creata ad conſtituendum vnum compoſitum (quia ex duplici natura completa non fit vnum compoſitũ per ſe) neque vniri poſſunt ad conſtituendũ vnum ſuppoſitum (quia ſuppoſitum non cõſtat ex natura, & natura; ſed ex natura, & ſubſiſtentia) ergo non poteſt Deus, quà natura eſt, naturam alienam ſibi ſubſtantialiter vnire.

15 Confirmatur, quia quemadmodùm id, quod non eſt formaliter albedo, non poteſt facere formaliter album, ita etiàm id, quod non eſt formaliter vltimus terminus, non poteſt vltimatè terminare: quapropter etiam in opinione illorum, qui aſſerunt, naturam diuinam habere ſubſiſtentiam abſolutam, ſi ab ea præſcindit, non poterit, quà natura eſt, naturam alienam terminare.

Reijcitur contraria ſententia.

16 Quapropter non loquitur cohærenter Valentia 3. p. diſp. 2. q. 3. punct. 5. à §. *Contraria*, dum ex vna parte negat in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, ex altera verò contendit, poſſe Deum, prout præſcindit à perſonis, aſſumere naturam aliquam hypoſthaticè; cuius ratio eſt hæc; natura diuina continet eminenter omnem ſubſiſtentiam: ergo poterit aſſumere ſibi naturam creatam. Reſpond. negando conſequentiam, non enim ſufficit eminentialis ſubſiſtentia, ſed requiritur formalis: ſicut, quamuis Deus eminenter contineat albedinem, non poteſt tamen efficere formaliter album, quin detur albedo formaliter.

17 Obſtas. Ex eo poteſt Verbum diuinum ſupplere creatam ſubſiſtentiam, quia illam continet eminenter: ergo ſimiliter natura diuina ſupplebit creatam ſubſiſtentiam, ſiquidem eã continet eminenter. Reſp. negãdo conſequentiam; maior ratio eſt, quia Verbum diuinum ex ſe eſt formalis ſubſiſtentia, & præterea humanam continet eminenter: at verò natura diuina, quamuis eminenter contineat ſubſiſtentiam, non eſt tamen formalis ſubſiſtentia, ſed eſt formaliter natura.

18 Septima concluſio. Neque diuina attributa, neque relatio ſpiratoris, poſſunt ſibi naturam aliquam hypoſthaticè aſſumere. Hæc concluſio communis eſt, & certa inter Theologos, quia attributa, quà talia, nõ ſunt per modum ſubſiſtentis, & ſimiliter relatio ſpiratoris non eſt ſubſiſtentia; neque ſufficit, quòd in re ipſa contineant ſubſiſtentiam diuinam, nam etiam eſſentia diuina illam continet, & tamen, quà talis, non poteſt aſſumere ſibi naturam creatam.

Vtrùm, poſitá in Deo ſubſiſtentiã abſolutà, poſſit ſibi aſſumere naturam creatam?

Reſponſio eſt affirmatiua.

19 Octaua concluſio. Admiſſá in Deo ſubſiſtentiã abſolutã [quam tamen probabiliùs negaui in hoc tract. diſp. 57. ſect. 1.] probabilius exiſtimo, poſſe talem ſubſiſtentiam ſibi aſſumere creatam naturam: ita Durandus, Scotus, Richardus, Caiet. Ocham. & Gabr. quos citat, & ſequitur Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 3. diſp. 13. ſect. 1. §. Dico ſecundò. Idem tenet Albertin. tom. 2. corollario 11. ex prædicamento ſubſtantiæ. dubit. 2. num. 7. ſubſcribit Raguſa 3. p. q. 3. ar. 3. diſp. 50. §. 1. §. His non obſtantibus. Probatur, quia hæc ſubſiſtentia non eſt minùs ſubſiſtentia, & terminus, quàm ſit ſubſiſtentia relatiua: ſed poteſt fieri vnio ad ſubſiſtentiam relatiuam: ergo ad abſolutam, ſi daretur.

Durand. Scotus. Richard. Caiet. Ocham. Gabr. Soar. Albertin. Raguſa.

20 Tale verò compoſitũ reſultans ex illa aſſumptione non foret ſuppoſitum, neque perſona, ſiquidem adhuc communicaretur tribus diuinis perſonis, cùm tamen ſuppoſitum debeat eſſe incommunicabile: neque eſt abſurdum poſſe dari hominem, qui non ſit perſona, ſicuti nullum eſt inconueniens, *hunc Deum*, ideſt, compoſitum ex Deitate, & ſubſiſtentia abſoluta, non eſſe perſonam: & ſicut, hic Deus, in re ipſa eſt perſona, quia eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ita homo ille cum ſubſiſtentia abſoluta Dei, foret in re ipſa Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quamuis vnio ſolùm facta fuerit ad ſubſiſtentiam abſolutam.

21 Neque ex hac concluſione ſequitur, modò iam de facto datam fuiſſe talem vnionem in humanitate Chriſti Domini immediatè factam ad ſubſiſtentiam abſolutam, quamuis enim ſolùm virtualiter diſtinguatur ſubſiſtentia abſoluta à relatiua, nihilominùs tamen

tamen ſufficit hæc virtualis diſtinctio in diuinis, vt vnio hypoſthatica dicatur immediatè facta ad Verbum diuinum, non verò ad naturam diuinam. Et ſimiliter, quamuis in Deo eſſe abſolutum ſolùm virtualiter diſtinguatur ab eſſe relatiuo, nihilominùs tamen Pater communicat Filio eſſe abſolutum, non verò relatiuum: ergo eodem modo ſufficit hæc diſtinctio virtualis, vt vnio humanitatis dicatur ſolùm immediatè facta ad Verbum, non autem ad ſubſiſtentiam abſolutam, ſi daretur.

22 Quamuis autem non poſſit Deus intuitiuè videri à Beato, quin ſimiliter etiam videantur perſonæ intuitiuè, vt dicemus 4. p. lib. 3. diſp. 84. ſect. 4. num. 11. bene tamen poteſt vnio immediatè fieri ad ſubſiſtentiam relatiuam, quin fiat immediatè ad abſolutã, & ratio diuerſa eſt, quia viſio intuitiua, & perfectiſsima, qualis eſt beata, debet fieri ad omne id, quod formaliter viſibile eſt, alioquin nõ eſſet viſio perfectè beata: terminatio verò ſolùm requirit terminũ aliquẽ, & non omnẽ, vt patet, humanitas enim Chriſti Domini ſolùm terminata eſt immediatè per ſubſiſtentiam Filij, cùm tamen adhuc poſſet terminari per ſubſiſtentiam Patris, & Spiritus Sãcti: ergo neceſſarium non eſt, vt vnio humanitatis ad Deum, etiam terminata ſit immediatè ad ſubſiſtentiam abſolutam.

Reijcitur contraria ſententia. Vaſq. Bonau. Alenſ. Scotus. Capreol. Victoria. Gaſpar Hurtad.

23 Contrariam ſententiam amplexus eſt Vaſques tom. 1. in 3. p. ad q. 3. diſp. 17. cap. 2. cum D. Bonauent. Alenſe, Scoto, Capreolo, & Victoria, quos citat num. 4. Idem ſentit Gaſp. Hurtad. de Incarnatione diſp. 5. difficultate 4. poſt numerum 17. Qui omnes in eo præcipuè fundantur, quòd abſolutè negent ſubſiſtentiam abſolutam; pro quibus vlteriùs ſic poterit quis obijcere.

24 Obijcis. Natura conſeruari non poteſt in ſe, quin ſit incommunicabilis alteri ſuppoſito: ſed illud compoſitum reſultans ex natura creata & ſubſiſtentia abſoluta non foret incommunicabile: ergo &c. Reſpond. negando maiorem, nam incommunicabilitas neceſſaria non eſt ad conſeruationem naturæ, ſed ſolùm illi eſt annexa ratione creatæ ſubſiſtentiæ, vel ratione ſubſiſtentiæ relatiuæ diuinæ. Vnde ex hac opinione ſequitur, dari poſſe primam ſubſtantiam, quæ nõ ſit ſuppoſitum; hoc eſt, quæ non ſit incommunicabilis.

25 Quapropter ille homo reſultans ex tali aſſumptione ad ſubſiſtentiam abſolutam, adhuc erit cõmunicabilis tribus diuinis perſonis, non erit tamen formaliter Pater, vel Filius, quia neque Deus ipſe ſecùndùm ſe, formaliter, & eſſentialiter eſt Pater; ſufficit verò diſtinctio virtualis inter ſubſiſtentiam abſolutam, & eſſentiam; vt formaliter, & immediatè dicatur ſubſiſtentia terminare, non verò eſſentia; quamuis identicè, & realiter eſſentia etiam terminet; ſicut, ſi vnus gradus metaphyſicus aſſumeretur, alius etiam in eodem indiuiduo identicè deberet aſſumi: ex quibus certum manet, datã ſubſiſtentiã abſolutã, compoſitum reſultans ex natura diuina, & humana cũ tali ſubſiſtentia futurum verum hominem, quemadmodùm foret etiam verus homo ille, qui reſultaret ex vnione naturæ humanæ, & Angelicæ ad ſubſiſtentiam Angeli. licet hic foret perſona, & ſuppoſitum, non verò ille, qui reſultaret ex natura humana, & ſubſiſtẽtia abſoluta, vt cõſtat ex dictis.

26 Quare in re non approbo paradoxon, quod affert, & ita nominat Hurt. in Metaph. diſp. 1. ſect. 8. n. 84. nempe naturam humanam cum ſuppoſito Angelico non futurum hominem, neque Angelum: ſed contrà, quia natura humana cum ſuppoſito diuino eſt verus homo: ergo & cum ſuppoſito Angelico, vt enim dixi ad finem ſectionis ſuperioris, ſufficit quælibet ſubſiſtentia ad faciendum vnũ per ſe cum qualibet natura; quarè paradoxon illud pro vero paradoxo reputandũ eſt.

27 Hic tandem ſit terminus diſputationum in quibus de ſubſiſtentia, quæ eſt naturæ terminus, diſſeruimus: cuius ſubſiſtentiæ notitia fuit incognita priſcis philoſophis, nobiſque ex ſola diuini Verbi incarnatione exilitus illuxit: de qua ſubſiſtẽtia, ſi nimis licẽter, at nimis pudẽter, ſi prudẽter nõ licet dicere, tractaui vt philoſophus, nõ vt Theologus, cui relinquo maturius, ac ſecurius tantarum rerum examen; excuſari tamen poſſum circa hanc meam audaciam, ſcis enim has quæſtiones in Metaphyſicis nõ niſi implorato Theologiæ auxilio, diſputari poſſe,

Nec tamen ignoro quid diſtent æra lupinis. *Horat. Epiſt. 7. lib. 1.*

DISPVTATIO LVIII.

De Subſtantia prædicamentali in concreto.

HVC vſque egi de ſubſtantia prædicamentali ſecundùm ſe, & de eius complemento, nempe ſubſiſtẽtia; reſtat agere de ipſa ſubſtãtia, prout iam ſumitur in concreto, cum ſuo complemento; quærendum ergo eſt, vtrùm ſubſtantia dicat de formali hoc complementum, nempe ſubſiſtentiam: ſed quia ſubſtantiæ prædicamentales, vel ſunt ſecundæ, vt homo, & animal; vel ſunt primæ, vt Socrates, & Paulus, de vtriſque quærendum eſt, vtrùm dicant ſuppoſitum de formali? quod, vt præſtemus, tenenda eſt ante oculos definitio ſubſtantiæ prædicamentalis, quæ ſic habet: Subſtantia eſt ens per ſe ſubſiſtens; non eſt autem hæc definitio propriè eſſentialis, ſiquidem traditur per proprietatem, qualis eſt ſubſiſtentia completa. Aduertendum tamen eſt, illam particulam, *ens per ſe,* ita eſſe intelligendam, vt illud *per ſe* iungatur cum ente, ita vt efficiat hunc ſenſum, *ſubſtantia eſt ens per ſe exiſtens, cui debetur ſubſiſtentia.*

SECTIO I.

Vtrùm nomina concreta ſecundarum, & primarum ſubſtantiarum dicant de formali ſubſiſtentiam?

1 PRima concluſio. Nomina concreta ſubſtantiarum, quibus formaliter ſignificatur ratio ſuppoſiti in concreto, qualia ſunt perſona, hypoſthaſis, ſuppoſitum, & ſubſiſtentia, &c. ſignificant tantùm de formali ipſam ſubſiſtẽtiam, & in obliquo connotant naturam: ita D. Thom. 1. p. q. 29. ar. 4. Bonauent. Capr. Marſil. & Torres, quos ſequitur Valq. tom. 2. in 1. p. q. 29. diſp. 127. cap. 2. & citat. n. 4. idem tenet Soar. in Met. diſp. 34. ſect. 8. n. 5. fine. Probatur, quia hæc nomina ſumuntur veluti in abſtracto, vnde ad eorum multiplicationem non multiplicatur natura.

D. Thom. Bonau. Capreol. Marſil. Torres. Vaſques, Soar,

2 Atque hinc prouenit, quòd in Deo multiplicetur triplex relatiua ſubsiſtentia, neque propterea detur triplex natura, ſed vna tantùm; & ſimiliter in caſu, in quo tres diuinæ perſonæ aſſumerent humanitatem vnam, foret vnus homo, vt communiter docent Theologi cum D. Thom. 3. p. q. 3. ar. 6. Soar. ibi diſp. 13. ſect. 2. §. Dicendum eſt ergo. Raguſa ibidẽ diſp. 54. §. Tertia ſententia. Vaſq. 1. p. ad q. diſp. 155. cap. 5. Becanus de Incarnatione cap. 4. q. 3. Gaſp. Hurt. de Incarnat. diſp. 3. diffic. 4. §. Sanctus Th. Arrubal. 3. p. tom. 1. ad q. 39. diſp. 135. cap. 2. à n. 9. cuius rei ratio principalis eſt, quia nomen, *ſubſiſtentia,* ſiue *ſuppoſitum,* ſiue *hypoſthaſis,* ſiue *perſona,* ſumuntur veluti in abſtracto, & de formali non dicunt naturam; quod præterea ſequitur Granado tom. 3. in 1. p. tract. 4. diſp. 3. n. 2. vbi citat Caiet. Alexand. Carthuſianum, & Petrum de Tarantaſia.

D. Thom. Soar. Raguſa. Vaſq. Becan. Gaſpar. Hurt. Arrub. Granad. *Caiet. Alexand.* Carth. Tarant. *Richar.*

3 Richardus verò in 3. diſt. 1. ar. 1. q. 4. aſſeruit, in caſu, in quo tres diuinæ perſonæ aſſumerent eandem humanitatem, non futuros tres homines ſimpliciter, neque ſimpliciter vnum, ſed vnum ſecundùm quid, & tres ſecundùm quid; quæ tamen ſententia, non ſolùm ſecundùm quid, ſed ſimpliciter, eſt reijcienda, vt clariùs patebit ex ſectione ſequẽti; communiter etiam reijciuntur Marſilius in 3. q. 2. ar. 2. dubio 2. Medina q. 3. ar. 6. qui nimis liberaliter aſſeuere in eo caſu futuros tres homines, vrgentur tamen maximè hoc argumento in oppoſitum, quia tres diuinæ perſonæ, cum vna tantùm natura diuina, efficiunt vnum Deum tantummodò.

Marſil. *Medina.*

Quid ſignificent de formali nomina concreta ſecundarum ſubſtantiarum?

4 SEcunda concluſio, Nomina concreta ſecundarum ſubſtantiarum, qualia ſunt animal, & homo, dicunt de formali, & in recto naturam terminatam, in obliquo verò connotant, ſeu concernunt terminum, nempe ſubſiſtentiã: ita D. Thom. in 3. diſt. 1. q. 2. Soar, in Met. diſp.

Non ſignificãt de formali ſubſiſtentiam.

D. Tho. *Soarius.*

Digitized by Google

diſp. 34. ſect. 8. n. 5. & lib. 3. de Trinitate cap. 3. à n. 5. Vaſques multis in locis, pro quibus videri poteſt tom. 2. in 1. p. diſp. 157. cap. 6. n. 27. loquens de hoc nomine (Deus) & 3. p. ad q. 16. diſp. 64. cap. 4. n. 25. pro eâdem ſententia ſtant Gil. lib. 2. tract. 4. cap. 5. n. 3. & tract. 7. cap. 3. n. 6. Fonſ. 5. Met. cap. 8. q. 5. ſect. 8 §. Ad ſecundum: Hurt. in Met. diſp. 11. ſect. 9. n. 98. quamuis enim hi Auctores ex profeſſo non egerint de hac concluſione, illā tamen ſatis expreſſêre locis allegatis, idem de omnibus nominibus concretis ſequitur Alarcon. 1. p. tract. 5. d. 3. cap. 1. à num. 12. & latè Ruiz. 1. p. diſp. 70. ſect. 2. n. 21.

Vaſques. Gillius. Fonſeca. Hurtad. Alarcon. Roiz.

5 Probatur ratione, quia de natura nominis concreti eſt habere concretum ſignificandi modum; ſed hic modus in eo conſiſtit, vt vna pars ſignificati talis nominis exprimatur, & ſit per modum formæ, altera verò concernatur, hoc eſt, dicatur in obliquo: ergo &c. cùm igitur ſecundæ ſubſtantiæ ſint concretæ ex natura, & ſubſiſtentia, dicent naturam de formali, & ſubſiſtentiam in concreto, id eſt, in obliquo, & ſecundariò. Probatur minor, quia de ratione nominis concreti, non eſt ſignificare multas res de formali, nam hoc etiam reperitur in nomine abſtracto (humanitas enim ſignificat de formali ſuam materiam, & formam) ſed ſolùm de ratione nominis concreti eſt, ſignificare vnā rem de formali, concernendo aliam, nempe terminum, cum quo fit concretio, natura enim eſt præcipuum nominis ſignificatum, vt patet.

6 Confirmatur primò, quia nominum ſignificatio pendet ex impoſitione hominū, præcipuè doctorum: ſed communior loquēdi modus inter homines doctos eſt, vt concreta ſecundarum ſubſtantiarum non dicant de formali ſubſiſtentiam, vt patet ex Auctoribus allegatis: ergo &c. Confirmatur ſecundò, & præcipuè, quia ſi *homo* diceret de formali ſubſtantiam, includeret illam eſſentialiter (ſola enim eſſentia dicitur de formali) ſed ſubſiſtentia eſt proprietas: ergo non poteſt dici de formali, ſed tantùm in obliquo. Maior eſt certa: minorem omnes communiter admittunt, & prætereà addit Soar. in Met. diſp. 34. ſect. 8. nu. 10. definitionem ſubſtantiæ, quæ traditur per ſubſiſtentiam, eſſentialem non eſſe, ſed deſcriptiuam, quia videlicet traditur per proprietatem: friuolum verò eſt, ac futile aſſerere ſubſiſtentiam eſſe de eſſentia ſuppoſiti, ſeu rei ſubſiſtentis, hoc enim non negamus, nam etiam albedo eſt de eſſentia hominis albi: noſtra igitur concluſiō non procedit de hoc nomine *ſuppoſitum*, ſiue *ſubſiſtens*, cōſtat enim ex prima concluſione, talia nomina dicere ſubſiſtentiam de formali: ſed quæſtio eſt de nominibus concretis ſecundarum ſubſtantiarum, nempe *homo, equus, &c.*

Soar.

Proponitur, ac reijcitur contraria ſententia.

7 Obijcis pro cōtraria ſententia, quæ docet nomina concreta ſecundarum ſubſtantiarum dicere de formali naturam, & ſubſiſtentiam, quam tenent Aureolus in 1. Caiet. Torres, & alij apud Vaſq. tom. 2. in 1. p. ad q. 39. diſp. 155. cap. 2. n. 9. Ægitanenſis lib. 5. de Viſione diuinæ eſſentiæ, q. 4. ar. 4. num. 2. vbi meritò reprehendendus, eò quòd reprehendat Patres Conimbr. quia in Logica cap 5. de Subſtantia, q. 1. ar. 3. appellent ſubſiſtentiam perſonalitatem, ſeu ſuppoſitalitatem, nam re vera talis nominum communicatio communis, & triuialis eſt inter Theologos, vt ſatis conſtat ex dictis diſp. præcedentibus: nihilominùs tamen Conimbric. loco citato §. Verùm quidquid, ſequuntur hanc ſententiam noſtræ oppoſitam (in quorum opinione hoc nomen, *homo*, dicit de formali naturam humanam, & ſubſiſtentiam, prout abſtrahit à diuina, & humana, quod addunt hi Auctores propter Chriſtum Dominum, qui eſt verus homo, & tamen non poteſt dicere de formali ſubſiſtentiam creatam) in hanc etiam partem inclinat Granado tom. 3. in 1. p. tract. 4. diſp. 3. n. 3. quatenùs abſolutè docet in rebus creatis frequentiùs dici in recto naturam, & ſubſiſtentiam.

Caiet. Torres. Vaſques Ægyt. Patres Conimb. Granad.

8 Obijcis, inquam, primò. Si homo de formali dicit ſolùm naturam humanam, hoc eſt humanitatem, ſequitur hominem de formali eſſe tantùm humanitatem: ſed hoc non eſt dicendum, quia homo eſt ens completum, humanitas verò eſt ens incompletum: ergo homo præter humanitatem dicit de formali ſubſiſtentiam. Reſpond. ad maiorē, ſolùm ſequi ex noſtra doctrina, hominem formaliter eſſe humanitatem in concreto, id eſt, humanitatem concernentem, & in obliquo dicentem ſubſiſtentiam; quo pacto diſtinguitur homo ab humanitate ex natura rei, non verò eſſentialiter, vt bene aduertit Soar. in Met. diſp. 34. ſect. 8. n. 10. ad finem; nam tota eſſentia hominis reperitur in humanitate; atque hinc eſt, quòd Chriſtus Dominus dicatur habere totam eſſentiam hominis, cùm tamen non habeat ſubſiſtentiam hominis, nam ſubſiſtentia non eſt de eſſentia, ſed ſolùm eſt terminus eſſentiæ; & eius comple-

Subſiſtentia nō pertinet ad eſſentiam.

men-

Digitized by Google

mentum, ratione cuius homo dicitur ens completum, & per ſe poni in prædicamento, non verò humanitas. Quæ ſolutio ſi ſatis penetretur, inſeruiet ad ſoluendas omnes difficultates aduerſariorum, pro quibus tamen.

9 Obijcis ſecundò. Hoc nomen, *Homo*, dicit de formali ſuas partes phyſicas, materiã nimirum, & formam, & deinde partes metaphyſicas, nempe genus, & differentiam: ergò ſimiliter dicet alias partes metaphyſicas, nẽpe naturam, & ſubſiſtentiam, ſiquidem ex vtriſque fit vnum per ſe. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia ſubſiſtentia propriè non eſt pars, ſed eſt terminus partium; neque obſtat, quòd ex natura, & ſubſiſtentia fiat vnum per ſe; nam etiam ex natura diuina, & ſubſiſtentia Patris fit vnum per ſe; & tamen Deus non dicit de formali ſubſiſtentiam Patris, ſed vel ſubſiſtentiam abſolutam, ſi datur, vel aliquam relatiuam indeterminatam, vt eſt communis ſententia Theologorum: & conſequenter etiam dicendum eſt, hominem prædicari completè de Socrate, quia dicit omnes gradus communes, & eſſentiales, quamuis non dicat de formali gradum communem ſubſiſtentiæ, quia præterquàm quòd non ſit de eſſentia, ſufficit quòd dicatur ſecundariò, & in obliquo.

10 Obijcis tertiò. Concreta accidentalia dicunt de formali inhærentiam: ergo & concreta ſubſtantialia dicent de formali ſubſiſtentiam. Reſpond. dato antecedente, negãdo conſequentiam; diuerſa ratio eſt, quia accidens ex natura ſua, & eſſentialiter eſt forma inhærens: ergo quando ſumitur in concreto, hoc eſt, inhærens, dicet de formali inhærentiam, licet minùs principaliter, ſiquidem accidens formaliter eſt ens in alio: at verò concretum ſubſtantiale formaliter eſt ens per ſe exiſtens; vnde de formali dicit exiſtentiam, non verò ſubſiſtentiam, cum qua facit concretionem; ſicut etiam accidentia non dicunt de formali ſubiectum, cum quo faciunt concretionem, vt eſt communis ſententia, & bene probat Fonſ. 5. Met. cap. 7. q. 5. ſect. 3. Fonſ.

11 Obijcis quartò. Complementum intrinſecè, & formaliter ingreditur compoſitionem entis completi, & per illud diſtinguitur ab ente incompleto; ſed homo eſt intrinſecè, & formaliter ens completum per ſubſiſtentiam, & per illam diſtinguitur ab ente abſtracto: ergo hoc complementum intrinſecè, & formaliter ſignificatur per nomen, *homo*. Reſpondetur ad maiorem cum diſtinctione, concedo enim complementum formaliter includi in ente completo ſumpto reduplicatiuè; nego tamen complementum ſubſiſtentiæ formaliter includi in eadem ſubſtantia, quatenus ſignificatur hoc nomine, *Homo*, v.g. & ratio eſt iam ſupra ablata, quia videlicet complementum, ſiue ſubſiſtentia non eſt de eſſentia, quod autem non eſt de eſſentia nõ dicitur de formali, ſed ſolùm in obliquo: exemplum eſt in linea, cuius terminus eſt punctus, eiuſque complementum; & tamen linea non dicit punctum de formali: neque propterea *homo* erit nomen connotatiuum, non enim ſignificat aliquid adiacens, quaſi adiacens alicui, ſed eſt nomen concretum, vt patet ex dictis.

Quid dicant de formali concreta appellatiua primarum ſubſtantiarum?

12 TErtia concluſio. Nomina concreta appellatiua primarum ſubſtantiarum, vt hic *homo*, *quidam homo*, & hic *Deus*, dicunt de formali ſolam naturam, & in obliquo ſubſiſtentiam indeterminatam: ita D. Thomas 1. p. q. 3. ar. 4. Durandus in 1 diſt. 25. q. 1. ar. 6. Soar. in Met. diſp. 32. ſect. 8. n. 5. Vaſques 1. p. tom. 2. q. 31. diſp. 130. cap. 3. §. Ex dictis, & alibi Mol. 1. p. q. 36. ar. 4. diſp. 3. in principio diſputationis, ad medium primi §. Dicunt de formali naturam, & in obliquo ſubſiſtentiam D. Thom. Durand. Vaſq. Molina.

13 Probatur; ſi aliqua daretur maior ratio, vt hæc nomina potiùs ſignificarent de formali ſubſiſtentiam, eſſet propter illud pronomen, *hic*, vel *quidam*: ſed hoc non obſtat: ergo &c. Probatur minor, primò, quia illud pronomen, vt benè aduertit Vaſques diſp. 156. nu. 5. non indicat hanc ſubſiſtentiam, ſed tantùm reſtringit nomen ad ſignificandam hanc humanitatem in concreto: ergo &c.

14 Confirmatur, quia hoc nomen, *hic Deus*, non dicit aliquam ſubſiſtentiam determinatam: ergo illa particula (hic) non determinat nomen ad aliquam ſubſiſtentiam ſignificandam de formali, ſed ſolum ſignificat hanc naturam ſingularem in concreto. Antecedens eſt certum inter Theologos cum D. Thoma 1. p. q. 39. ar. 4. vbi videri poteſt Vaſq. diſp. 156. cap. 2. n. 6. & Mol. eadem 1. p. eadem q. 39. eodem ar. 4. diſp. 1. § Nos autem: & ratio manifeſta eſt, nam imprimìs nõ dicit de formali ſubſiſtentiam abſolutam, verſatur enim in quæſtione, verùm detur talis ſubſiſtentia? & nos partem negatiuam ſecuti ſumus diſp. 56. ſect. 1. D. Th. Vaſqu. Molin.

15 Prætereà nomen, *hic Deus*, non dicit

de

Digitized by Google

de formali aliquam ſubſiſtentiam relatiuam determinatam, ſequeretur enim, quòd oſtenſo Patre diceret de formali ſubſiſtentiam Patris, quod dici non poteſt; iam enim Filius, & Spiritus Sanctus non forent idem, *hic Deus*, ſiquidem dicerent de formali alias ſubſiſtentias, quod tamen dicendum non eſt, nam *hic Deus*, tam propriè dicitur de Patre, quam de Filio: quapropter terminus, *hic Deus*, ſupponit aliquando pro ſola natura diuina perfectiſsimè exiſtente, vt cernitur in hac propoſitione, *hic Deus eſt communis tribus diuinis perſonis*; aliquando verò ſupponit pro ſubſiſtentia indeterminata, vt cernitur in hac, *Deus creat*: aliquando verò connotat ſubſiſtentiam Patris, vt in hac, *Deus generat*. Ex quibus colligitur, hoc nomen, *Deus*, potiùs eſſe nomen naturæ, quàm ſuppoſiti.

16 Confirmatur tandem, quia ſi, *hic homo*, oſtenſo Chriſto Domino, diceret de formali hanc ſubſiſtentiam diuinam, ſi Verbum diuinum dimitteret humanitatem, & reſultaret propria ſubſiſtentia; vel ſi Pater, aut Spiritus Sanctus aſſumerent humanitatẽ dimiſſam à Verbo, ſequeretur, non manſurum eundem hominem, ſecundùm ſuum formale ſignificatum, ſiquidem deerat illi ſubſiſtentia diuina, quam de formali dicebat, quod tamen eſt contra Theologos, qui aſſerunt, futurum eundem hominem, vt videre eſt apud Soar. in Metaphyſ. diſp. 34. ſect. 4. num. 12. & apud Vaſq. 1. p. tom. 2. ad q. 39. diſp. 155. cap. 5. num. 18. §. Tertiò infertur.

Suarius. Vaſq.

Proponitur, ac reijcitur contraria ſententia.

17 OBijcis tamen pro cõtraria ſententia, quæ docet concreta appellatiua primarum ſubſtantiarum, vt *hic Deus, hic homo*, dicere de formali naturam, & ſubſiſtentiam; quam tenent Fonſ. 5. Metaph cap. 8. q. 7. ſect. 3. §. Tertiò quia; Conimbric. in Logica cap 5. de Subſtantia q. 1. ar. 1. §. Ad ſecundum, in medio; inclinat etiam Molin. 1. p. q. 39. ar. 4. diſp. 1. §. Nos autem, vbi poſt medium aſſerit, *hunc hominẽ*, deſignare proprietatẽ perſonalem; quamuis ibidem nobiſcum faciat, dum aſſerit, hoc nomen, *hic Deus*, non ſignificare determinatè aliquam ſubſiſtentiam.

Fonſec. Patres Conimb. Molina.

18 Obijcis, inquam, primò. *hic homo*, oſtenſo Chriſto Domino, dicitur eſſentialiter Filius Dei; ſed hoc dici non poteſt, niſi de formali dicat ſubſiſtentiam diuinam: ergo &c. Probatur minor, quia ſola humanitas non eſt Filius Dei. Reſpond. ad maiorem cum diſtinctione: nam, *hic homo*, oſtenſo Chriſto Domino, dicitur eſſentialiter Filius Dei, ſi ſumatur non ſolùm pro formali, ſed etiam pro adæquato ſignificato, hoc eſt non ſolùm pro humanitate, ſed etiam pro natura, & ſubſiſtentia diuina, quæ dicuntur in obliquo, non verò in recto; ſi verò ſumatur pro ſolo formali, & inadæquato ſignificato, hoc eſt, prò natura humana, *hic homo*, non eſt eſſentialiter Filius Dei, ſed tantùm contingenter.

19 Inſtas. Si, *hic homo*, oſtenſo Chriſto Domino, non dicit de formali diuinam ſubſiſtentiam, ſequitur, actiones Chriſti Domini non poſſe tribui Deo per ſe, ſed per accidens: ſed hoc non eſt dicendum: ergo &c. Probatur ſequela maioris, quia tunc temporis ſolùm tribuerentur naturæ humanæ, quæ dicitur in recto. Reſpondetur tamen negando ſequelam, tales enim actiones verè, & realiter Deo tribuuntur, actiones enim ſũt ſuppoſitorum, quod verum eſt, quamuis ſubſiſtentia non dicatur de formali.

20 Aduertendum obiter hîc eſt, *hunc hominem*, oſtenſo Chriſto Domino, ita eſſe Filium Beatiſsimæ Virginis, vt ſi Verbum diuinum dimitteret humanitatem, & reſultaret propria ſubſiſtentia, adhuc talis homo maneret idem Filius, reſpectu Virginis, quia maneret eadem natura humana, cum eâdem vnione inter materiam, & formam, & conſequenter maneret eadem relatio filiationis, ſubſiſtentia enim eſt tantùm conditio requiſita; & præterea talis homo, à nullo alio fuit genitus: ergo &c.

21 Si verò Pater Æternus aſſumeret illam humanitatem dimiſſam à Verbo diuino, non diceretur Virgo Sanctiſsima Mater talis compoſiti ineffabilis, quia generatio illius hominis anteceſſit in tempore vnionem hypoſthaticam ad Patrem: ſicut ſi Pater Æternus modò aſſumeret naturam humanam alicuius peccatoris iam adulti, non diceretur Æternus Pater peccator, per communicationem idiomatum, quia talia peccata anteceſſerunt vnionem hypoſthaticam, quæ optime proſequitur, vt ſolet Doctor Soar tom 2. in 3. p. ad q. 27. diſp. 1. ſect. 1. §. Nihilominùs. & q. 35. diſ. 12. ſect. 2. §. Sed inſtabis.

Quid

Quid dicendum ſit de concretis proprijs primarum ſubſtantiarum?

Hæc nomina ſignificãt naturã de formali,& ſecundariò ſubſiſtẽtiã. *Patres Conimbr.* *Vaſques.*

22 QVarta concluſio. Concreta propria primarum ſubſtãtiarum, vt *Ieſus, Petrus, Paulus, Chriſtus, Emmanuël,* ſignificant de formali,& in recto naturam ſingularem, & concernunt ſubſiſtentiam ſingularem, hanc concluſionem probabilem credunt Patres Conimbricenſes in Logica cap. 5. de Prædicamentis, q. 1. ar. 1. quatenus oppoſitam dicunt probabiliorem; & colligitur hæc concluſio ex Concilio Frãcofordienſi, vt videre licet apud Vaſques tom. 1. in 1. p. q. 30. diſp. 157. cap. 5. n. 20. §. *Quòd ſi*, quatenus docere videtur Conciliũ, nomen, *Chriſtus*, ſignificare de formali naturam humanam,& connotare perſonam Verbi. Eadem præterea eſt aliorum ſententia apud eundem Vaſq. tom. 1. in 3. p. q. 16. diſp. 67. cap. 2. à n. 7. §. *De nomine*, oſtendit enim ibi ex aliquorum Patrum ſententia, hoc nomen, *Chriſtus*, ſignificare ſolam naturam humanam de formali, & connotare diuinũ ſuppoſitum; præterea noſtram concluſionem expreſſit Fonſ. 5. Met. cap. 8. q. 7. ſect. 3. §. *Quod ſiquis*: quamuis ex profeſſo non egerit de hoc puncto; pro eâdem concluſione ſtat Almainus in 3. diſt. 4. q. vnica,& videtur eſſe de mente Soarij in Met. diſp. 34 ſect. 8. n. 5. ad medium. Idem videtur ſentire Gillius lib. 2. tract. 4. cap. 3. n. 3. *Fonſec.* *Almain.* *Soar.* *Gillius.*

23 Probatur ratione primò, quia hæc ſententia eſt magis cohærens cum ſuperioribus; quemadmodùm enim nomen, *hic homo*, ſolam naturam ſignificat de formali, ita etiã idem videtur dicendum de hoc nomine, *Petrus*, Petrus enim nihil aliud ſignificat, quàm hunc hominem. Probatur ſecundò. Ex fundamento ſuprà iacto, quia omne nomen cõcretum debet concernere, ſiue connotare aliquid extra ſuum formale ſignificatum: atqui hoc non eſt differentia ſingularis, hæc enim præcipuè exprimitur, per nomen, *Petrus*: ergo hoc nihil eſt aliud, quàm ſuppoſitum, ſiue ſubſiſtentia.

Refutatur contraria ſententia. *Vaſques.*

24 Obijcis tamen pro prima,& contraria ſententia, quæ docet, prædicta nomina dicere de formali hanc ſubſiſtentiam ſingularem, & concernere, ſiue connotare hanc naturam; quam tenet Vaſq. 1. p. tom. 2. ad q. 30. diſp. 130. cap. 3. §. *Ex dictis*,& q. 39. diſp. 155. cap. 4. n. 17. vbi aſſerit, hoc eſſe ſatis notum, docens vtrobique nomen, *Chriſtus*, dicere de formali ſuppoſitum,& innuere naturam: pro eâdem ſententia ſtat D. Damaſcenus lib. 3. de Fide. cap. 3. docens, hoc nomen, *Chriſtus*, eſſe nomen ſuppoſiti, & connotare duas naturas. *D. Dam.*

25 Obijcis, inquam, primò. Nomen, *Chriſtus*, & ſimiliter nomen, *Petrus*, ſunt nomina ſuppoſiti, & non naturæ: ergo ſolùm ſuppoſitum ſignificant de formali,& concernunt naturam. Probatur antecedens, quia quemadmodum actiones ſunt ſuppoſitorum, ita nomina propria ſuppoſitis imponuntur. Reſpond. negando antecedens: homines enim per talia nomina potiùs voluere ſignificare naturam, quæ eſt præcipua, & eſſentialis forma Petri, quàm ſubſiſtentiam, quæ eſt proprietas: neque inde ſequitur nomen, *Petrus*, ſignificare naturam in abſtracto, ſed ſignificare naturã in cõcreto: nomina verò, *ſubſiſtẽtia, hypoſthaſis, perſona, proſopõ, & ſuppoſitum*, innuunt quidem naturam, ſubſiſtentiam verò dicunt de formali, vt patet ex prima concluſione. Ad probationem dicendũ eſt, nomina imponi ſuppoſitis, hoc eſt huic naturæ in concreto, quæ nihil aliud eſt, quàm Petrus.

26 Obijcis ſecundò pro alia ſecunda, & contraria ſententia, quæ aſſerit, talia nomina dicere de formali naturam ſimul, & ſubſiſtẽtiam ſingularem certam, & determinatam; quam tuentur, vt probabiliorem, Patres Conimbr. in Logica cap. 5. de Subſtantia. q. 1. ar. 1. §. *Verùm*. Fonſ. 5. Met. cap. 8. q. 5. ſect. 1. & præterea illi omnes, qui docent nomen, *Chriſtus*, dicere de formali naturam diuinam, & humanam ſubſiſtentes in Verbo, de quibus infrà. *Patres Conimb.* *Fonſec.*

27 Obijcis, inquam, ſecundò. Nomen, *Chriſtus*, ſignificat de formali compoſitum ex natura diuina, & humana cum ſubſiſtentia Verbi: ergo idem dicendum de ſimilibus nominibus concretis. Antecedens probatur, quia hæ propoſitiones, *Chriſtus eſt compoſitus ex duabus naturis in vna ſubſiſtentia*: *Chriſtus eſt Deus*, ſunt eſſentiales: ſed non poſſunt eſſe tales, niſi de formali ſignificetur ſubſiſtentia: ergo &c. Probatur minor, quia ſola natura humana non eſt Deus, & præterea patet hæc minor ex his, quæ diximus in hoc tract. diſp. 54. ſect. 3. à n. 12. vbi oſtendimus eas prædicationes eſſe eſſentiales.

Quid ſignificet de formali hoc nomen, Chriſtus?

De nominibus, quibus Chriſtus Dominus ſignificatur.

28 HOc argumentum firmum videtur, ac validum, præcipuè cùm tanti nominis auctoritate fundetur, nihilominùs tamen, ſi penitiſsimè

Digitized by Google

penitiſsimè concutiatur, debile apparebit; pro quo ſciendum eſt Chriſtum Dominum varijs nominibus appellari: de quibus ſecundùm meum philoſophandi modum, conſtat, hoc nomen, IESVS, ſignificare de formali naturam humanam, innuendo ſubſiſtentiam diuinam. Probatur, quia fuit nomen impoſitum Chriſto Domino, quà homo erat; deinde conſtat, hoc nomen, *Emmanuel*, ideſt, *Nobiſcum Deus*, ſignificare de formali naturam diuinam; innuendo diuinā ſubſiſtentiam, & naturam humanā; & in hoc placet Vaſques tom. 1. in 1. p. diſp. 67. cap. 2. n. 6.

Vaſques.

29 Tota quæſtio eſt de hoc nomine, *Chriſtus*, quidnam ſignificet de formali? & quidem ſecundùm ſententiam Vaſques, quē citaui in hac ſect. nu. 24. ſignificat de formali diuinum ſuppoſitum, & innuit naturam humanam, quod tamen mihi omnino diſplicet: at verò ſecundùm ſententiam illorum, quos citaui num. 21. ſignificat de formali naturam humanam, innuendo ſubſiſtentiam increatam, quod prætereà expreſsit Soar. in Met. diſp. 34. ſect. 8. n. 5. ad medium; ratio ea videtur eſſe, quia Chriſtus eſt nomen vnctionis, vnctio autem ſolùm data fuit in natura humana: & ſecundùm hanc ſententiam facilè reſpondetur ad argumentum, videlicet nomen, *Chriſtus*, non ſignificare de formali naturam diuinam, & humanam ſubſiſtentes in Verbo diuino, ſed ſolam naturam humanam, connotando Verbum diuinum.

Soarius.

30 Quapropter illæ propoſitiones, *Chriſtus eſt Deus, &c.* ſolùm erunt eſſentiales, ſi ſumantur pro adæquato ſignificato tam formali, quàm materiali, hoc eſt, pro eo, quod dicit de formali, & pro eo, quod dicit de cōnotato, nam ſi nomen, *Chriſtus*, ſumatur pro ſolo ſignificato formali, tales propoſitiones, nō erunt eſſentiales, ſed falſæ: exemplū ſit in hac propoſitione, *homo albus eſt eſſentialiter albus*, quæ vera eſt, & eſsētialis, ſi ſumatur pro adæquato ſignificato, pro homine ſcilicet, & albedine, ſi verò ſumatur pro homine tantùm, quamuis aliunde ſit albus, falſum erit dicere eſſe eſſentialiter album.

31 Inſtas efficaciter: ergo ſi Verbum diuinum dimitteret humanitatem, adhuc maneret idem Chriſtus, ſiquidem Chriſtus ſolùm dicit de formali naturam humanam, quæ re vera maneret eadem, dixi enim nu. 16. manſurum eundem hominem. Reſpondeo manſurum quidem eundem Chriſtum ſecundùm ſuum formale ſignificatum inadæquatum, & ſolitariè, quia maneret eadem natura vncta, quæ formaliter ſignificatur per nomen, *Chriſtus*, non tamen manſurum eundem Chriſtum, ſecundùm ſuum formale ſignificatum adæquatum, & materiale, quod eſt natura humana in concreto, ideſt, natura humana concernendo ſubſiſtentiam Verbi diuini, quam in eo caſu innuere non poterat, ſiquidem ſupponebatur ab ea ſeparata.

32 Et ſecundùm hunc modum philoſophandi, quod ſcilicet, ſolùm dicat de formali naturam humanam in concreto, meliùs expediuntur difficultates aliquæ in Theologia, ſic enim veræ ſunt hæ propoſitiones in omni rigore, *Chriſtus incepit eſſe; Chriſtus prædeſtinatus eſt ad gloriam, Chriſtus ſatisfecit pro peccatis*: quæ nullam habent difficultatem, ſi Chriſtus ſignificet de formali ſolam hanc humanitatem in concreto, innuendo Verbum diuinum. Similiter etiam hoc pacto faciliùs intelligitur, quomodò Chriſtus Dominus ponatur in prædicamento, ſi enim de formali dicat vtramque naturam, obſtat *homo albus*, qui nos malè vexauit diſp. 54. ſect. 3. à num. 6. Si enim Chriſtus Dominus ingrediatur prædicamentum dicendo de formali naturam humanam, & diuinam, quæ eſt infinita, etiam, *homo albus*, ingredietur, quamuis dicat de formali hominem, & albedinem. Licèt adhuc in opinione, quæ aſſerit, Chriſtum Dominum dicere de formali ſubſiſtentiam Verbi, potiùs dicendus foret Chriſtus Dominus poni in prædicamento, quám reijci: nam vt acutè aduertit Vaſques tom. 2. in 1. p. ad q. 29. diſp. 157. num. 20. de Chriſto dici non poteſt, *non eſt mortuus*, cùm tamen natura diuina mortua non ſit; & nihilominùs verè dicitur, *Chriſtus mortuus eſt*, cùm tamen ſola natura humana mortua ſit; & ratio diuerſitatis eſt, quia affirmatio verificatur de quacumque forma, negatio tamen eſt malignantis naturæ, & negat omnia.

Cur Chriſtus Dñus potiùs dicendus ſit, poni in prædicamēto, quā reijci. Vaſq.

33 Valde tamen probabile exiſtimo, hoc nomen, *Chriſtus*, formaliter ſignificare compoſitum ex vtrâque natura, diuina, & humana, vt colligitur ex Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 2. diſp. 7. ſect. 4. ad finem. Ratio eſt, quia ex illa duplici natura reſultauit vnum compoſitum per ſe (ſicut ex materia, & forma humana, ſiue ex animali, & rationali reſultat homo) ergo ſicut hoc nomen, *Homo*, impoſitum fuit ad ſignificandum formaliter vnum compoſitum ex materia, & anima rationali, innuendo ſubſiſtentiam indeterminatam: ita etiam hoc nomen, *Chriſtus*, impoſitum fuit ad ſignificandum illud compoſitum ineffabile ex duplici natura, innuendo diuinam ſubſiſtentiam; alioquin

Chriſtus ſignificat cōpoſitum ex vtrâq; natura. Soar.

aſſignetur aliud nomen; incredibile enim eſt aſſerere, nullum dari nomen vſque ad hæc tempora, quod formaliter ſignificet hoc ineffabile compoſitum.

34 Obſtas. Natura diuina vnita fuit humanitati ratione diuinæ ſubſiſtentiæ, ac veluti ſecundariò (nam vnio formaliter, & primariò fuit ad Verbum diuinum) ergo hoc nomen, *Chriſtus*, potiùs ſignificabit de formali diuinam ſubſiſtentiam, quàm naturam diuinam, ſiquidem, ratione huius ſubſiſtentiæ diuinæ, data fuit vnio ad naturam diuinam. Reſpondetur negando conſequentiam, imprimis quia homines, dum nomen imponunt, potiùs explicare volunt eſſentias, quàm proprietates, ſubſiſtentia verò non eſt de eſſentia compoſiti. Deinde, quia datur inſtantia, prior enim eſt inhærentia in fieri, quàm ſit accidens, & tamen, *album*, priùs, & principaliter ſignificat albedinem, quàm inhærentiam. Ex quibus tamen conſtat, ſubſiſtentiam nunquàm ſignificari de formali per nomen concretum ſubſtantiuum, quamuis ſit nomen proprium.

SECTIO II.

Quæ multiplicatio requiratur ad multiplicationem nominis ſubſtantiui?

Requiritur, & ſufficit ſola pluralitas naturæ.

1 *Sit vnica concluſio.* Ad multiplicationem ſubſtantiuam nominis concreti ſubſtantialis requiritur, & ſufficit ſola pluralitas formæ principalis, id eſt, naturæ: ita D.Thom. in 3.diſt.1.q.2. ar.5. ad 2. Scot. in 3. diſt.1. q.3. & in 1.diſt.12. q. vnica, ad finem. Durand. in 3.diſt.1. q.3. quæ tria Theologiæ lumina, licet in alijs rebus nõ ita vnanimiter, & pariter illuceſcant, in hac tamen ſententia, vt pote probabiliſſima, fraternis animis conglutinantur: eandem prætereà ſequuntur Altiſiodorenſis lib. 3. Summæ tract. 1. q. 5. Capreol in 1. diſt. 4. q. 1. ar. 1. ad 1. Aureol. & alij, quos citat, & ſequitur Vaſq. 1. p. ad q. 39. diſp. 155. cap. 4. & 5. perſeuerat in eàdem ſententia tom. 1. in 3. p. ad q. 17. diſp. 70. cap. 2. n. 9. eandem prætereà tenent vterque Hurt. Gaſpar ſcilicet tract. de Incarnatione diſp. 3. difficult. 7. à §. *Sed Sanctus Thomas*. Petrus verò Hurt. in Met. diſp. 11. ſect. 9. n. 98. fine. Illam appellat valde probabilem P. Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 5. diſput. 13. ſect. 3. §. *Maior controuerſia*, in fine. Idem tenet Arriaga in Metaph. diſp. 4. ſect. 13. nu. 121.

D. Thom. Scotus. Durand. Altiſiod. Capreol. Aureol. Vaſques. Gaſpar. Hurt. Petrus. Hurtad. Soar. Arriaga.

2 Antequàm probetur concluſio aduertendum eſt, multiplicationem, vel fieri in ſola natura, ſeu forma, vt ſi multiplicetur triplex humanitas in vna ſubſiſtentia, vel triplex albedo in vno lapide; & hanc dici poſſe multiplicationem ſubſtantiuam tantùm; vel poſſe multiplicari ſolùm materiale, & minùs præcipuum ſignificatum, vt ſi in vna humanitate ponantur tres ſubſiſtentiæ; vel ſi in triplici lapide ponatur vna albedo; & hanc dici multiplicationem adiectiuam tantùm; vel poſſe multiplicari tam formale ſignificatum naturæ, quàm materiale ſubſiſtentiæ, & hanc multiplicationem dici ſubſtantiuam pariter, & adiectiuam; aſſerit igitur noſtra concluſio, ad multiplicationem ſubſtantiuam tantùm, ſufficere multiplicationem ſolius naturæ.

3 Probatur ratione, quia vnitas, & pluralitas nominis ſubſtantiui, deſumenda eſt ex vnitate, vel pluralitate ſignificati formalis præcipui, & quod in recto à nomine ſignificatur: ſed conſtat ex præcedente ſectione, primarium ſignificatum, & præcipuum eſſe naturam, & non ſubſiſtentiam: ergo ex multiplicatione naturæ deſumenda eſt nominis ſignificatio. Confirmatur, quia directum ſignificatum nominis ſubſtantiui debet eſſe ipſa ſubſtantia.

4 Confirmatur ſecundò, & declaratur, quia ſufficit multiplicatio vnius tantùm partis eſſentialis, ſi ſit præcipua, licet alia non multiplicetur, ad hoc vt totum compoſitum dicatur multiplicari: ergo à fortiori ſufficiet multiplicatio ſignificati formalis &c. Antecedens à nobis probatum eſt 2. p. Summæ, tract. 1. lib. 2. diſp. 25. ſect. 3. à num. 7. ergo &c.

5 Atque ex dictis bene ſequitur primò, tres humanitates cum vna diuina ſubſiſtentia ſimpliciter dicendos eſſe tres homines. Sequitur ſecundò, tres diuinas perſonas cum vna tantùm natura, quæ ſola datur, eſſe vnum tantùm Deum, quia videlicet hîc non multiplicatur formaliter ſignificatum nominis, *Deus*, quod eſt diuina eſſentia. Sequitur tertiò, Patrem, & Filium in diuinis eſſe vnum tantùm Spiratorem, quia licet multiplicentur relationes, nempe Paternitas, & Filiatio, non tamen multiplicatur virtus ſpirandi, id eſt, diuina voluntas. Sequitur tandem, quòd ſi vna ſola humanitas aſſumeretur à tribus diuinis perſonis, vnus tantùm eſſet homo. In caſu verò, in quo plures naturæ aſſumerentur ab vna perſona diuina, foret inter eas communicatio idiomatum, vt contra Caietanum, & Medinam probat Gaſpar Hurtad. tract. de Incarnatione diſput. 3. diffi-

Caiet. Medina. Gaſpar. Hurta.

Digitized by Google

Soar. Raguſa. difficultate 7. ad finem ex Soario, & Raguſa.

Reijcitur contraria ſententia. 6 Obijcis tamen pro prima, & contraria ſententia, quæ aſſerit ad multiplicationem nominis ſubſtantiui ſufficere multiplicationem ſuppoſiti in rebus creatis; foreque proinde tres homines, ſi vna humanitas aſſumeretur à tribus ſubſiſtentijs: ita Marſilius in 3. q. 2. ar. 2. dubit. 2. Gabriel in 3. diſt. 1. quæſt. 1. dub. 4. *Marſil. Gabr.* Obijcis, inquam, quemadmodùm ſufficit multiplicatio naturæ, ita & multiplicatio ſuppoſiti. Reſpondeo tamen negando paritatem rationis, diuerſa ratio eſt, quia natura eſt præcipuum, & formale ſignificatum: immò, licèt ſuppoſitum diceretur de formali, non ſufficeret eius multiplicatio ad multiplicationem ſubſtantiuam, quia eſſet ſignificatum minùs principale.

7 Obijcis ſecundò pro ſecunda, & probabili ſententia, quæ aſſerit ad multiplicationem ſubſtantiuam requiri formæ, ideſt, naturæ, & ſuppoſiti multiplicationem, quam tenent D. Thom. 3. p. q. 3. ar. 7. ad 2. vbi retractauit noſtram opinionem, quam habuerat in 3. diſt. 1. q. 2. ar. 5. quod tamen Angelico D. minimè gratulamur; eandem ſequuntur Almainus in 3. diſt. 1. q. 2. dub. 3. Torres 1. p. quæſt. 39. art. 3. Ferrar. lib. 4. contra Gentes cap. 11. §. *Ad primum*, Gabriel in 3. q. 2. ar. 3. dub 3. Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 3. diſp. 13. ſect. 3. §. *Nihilominùs*. Eiuſdem ſententiæ memor fuit lib. 3. de Trinitate cap. 3. nu. 9. cui ſubſcribit Arrubal tom. 2. in 1. p. ad q. 39. ar. 3. diſp. 135. cap. 3. à nu. 15. vbi citat Caiet. & alios, pro eâdem ſententia ſtant Valentia 3 p. diſp. 1. ſect. 3. puncto 4. §. *Sed nono.* Mol. 1. p. q. 36. ar. 4. diſp. 2. §. *Vt autē*, & diſp. 3. §. *Quod verò*, Bellarmin. lib. 3. de Chriſto Seruatore. cap. 4. §. *Reſpondeo nomina*, Albertin. tom. 2. q. 6. Theologica in 5. corollar. ex prædicamento Subſtantiæ dubit. 6. à n. 5. (quamuîs hanc quæſtionem dicat eſſe de nomine) idem ſentiunt cum Auctoribus allegatis Raguſa 3. p. q. 3. ar. 7. diſp. 55. à §. *Contraria ſententia*, Patres Conimbr. q. 8. Vniuerſalium, ar. 4. §. *At verò*.

Reijcitur alia contraria ſententia probabilis. D. Thom. Almain. Torres. Ferrar. Gabriel. Soar. Arrubal. Caiet. Valent. Molina. Bellarm. Albertin. Raguſa. Patres Conimbr.

8 Obijcis, inquam, ſecundò. Tres humanitates in vna ſubſiſtentia forent vnum tantùm ſuppoſitum: ergo non ſufficit ſola formæ multiplicatio ad multiplicationem ſubſtantiuam. Reſpond. ad antecedens, tres humanitates cum vna tantum ſubſiſtentia futuras quidem vnum tantù m ſuppoſitum; quia, vt conſtat ex ſuperiori ſectione nu. 1. ſuppoſitum de formali ſolùm ſignificat ſubſiſtentiam: nihilominùs tamen dico, illas tres humanitates ſub illa ſubſiſtentia futuros tres homines ſubſtantiuè, vt conſtat ex dictis.

9 Inſtas primò. Ergo etiam vnus homo habēs plures artes, dicetur multiplex artifex; & habēs multas veſtes dicetur multiplex veſtitus; ſed hoc eſt falſū, dicitur enim vnus artifex, & vnus veſtitus, homo, qui habet duas artes, & duas veſtes: ergo &c. Reſpond. diſtinguendo ſequelam, dicetur enim talis homo multiplex artifex, ſubſtantiuè quidē, ſed formaliter; quia reuera in eo multiplicatur forma: non dicetur tamen multiplex artifex materialiter, & in vulgari vſu loquendi: quānuis ſimpliciter dici poſſint plures homines tres humanitates cum vna ſubſiſtentia, quia multiplicatur formale, principale, & ſubſtantiale ſignificatum.

10 Ratio diuerſitatis eſt, quia vt colligitur ex D. Thom. ſuprà, nomen artifex, veſtitus, &c. ſunt nomina adiectiua, quæ, cùm ſignificent formam vt in alio, proptereà ſumunt ſingularitatem, vel multiplicationem à ſubiecto: at verò homo equus &c. ſunt nomina ſubſtantiua, quæ ſignificant formam per ſe, vnde ab ipſa forma præcipuè de ſumitur ſignificatio; quapropter, etiam in materiali ſignificatione, tres humanitates cum vna ſubſiſtentia ſunt tres homines ſimpliciter, & ſubſtantiuè: at verò tres paternitates in vno Socrate, tres creationes in vno creatore, tres artes in vno artifice, tres veſtes in vno veſtito ſolùm efficiunt formaliter, & ſecūdùm quid, tres patres, tres creatores, tres artifices, & tres veſtitos. *D. Thom.*

11 Inſtas ſecundò, & principaliter, quia ſequeretur Chriſtum Dominum, ſiquidem habet duas naturas in vna ſubſiſtentia, poſſe dici duos, vel plures in genere maſculino, quod tamen dici non poteſt, ſecundùm catholicam veritatem, vt doctè, & eruditè oſtēdit Pater Vaſq. tom. 1. in 3. p. q. 17. diſp. 77. cap. 2. & ratio eſt manifeſta; quia, quoties duo in aliquo vniuntur ad faciendum vnum compoſitum, non poſſunt ſimpliciter dici eſſe multa: quarè cùm natura diuina, & humana vniantur ad faciendum vnum per ſe, non poterūt dici de Chriſto Domino ſimpliciter eſſe plures, vel eſſe duos: ergo etiam duæ humanitates in vna ſubſiſtentia non poterunt ſimpliciter dici eſſe duos homines. *Vaſquez.*

12 Ad hanc inſtantiam reſpond. concedendo, antiquos Patres non admiſiſſe in Chriſto Domino ſimiles prædicationes in genere maſculino, ſine aliquo additamēto, ne viderētur in Chriſto admittere duo ſuppoſita: nihilominùs tamen inter Catholicos, vbi iam nō eſt erroris periculum, dici poterit in Chriſto dari plura, & Chriſtum Dominū eſſe aliud, *In Chriſto dici poteſt quòd dētur plura.*

& aliud ; vt oſtendit idem Vaſques tom. 2. in 1. p. ad q. 39. diſp. 155. cap. 6. num. 23. §. *Ratio igitur*, ad medium. Et confirmatur, quia ſi Verbum diuinum aſſumeret duas humanitates, poſſet dici duo Emmanueles v. g. ratione naturarum humanarum, vt docet idem Vaſq. tom. 1. in 3. p. q. 17. diſp. 70. cap. 2. n. 9. §. *Quòd ſi quærat*: ergo ſignum eſt Chriſtũ Dominum modò non dici plures abſolutè, ne detur occaſio erroris, poſſe tamen dici cũ additamento, hoc eſt, eſſe plures in Verbo. Quemadmodùm non dicimus de Deo dari tres ſubſtantias, ſed cũ additamento dari tres ſubſtantias relatiuas.

13 Obijcis tertiò. Pater Æternus eſt vnum tantùm principium reſpectu Filij, & Spiritus Sancti, licet habeat plures proprietates, ſiue relationes, vnam ſcilicet erga Filium, & aliam erga Spiritum Sanctum: ergo ſimiliter &c. Reſpondetur eodem modo, quo ſuprà, Patrem Æternum reſpectu Filij, & Spiritus Sancti poſſe dici plura principia formaliter loquendo, ratione relationũ, licet abſolutè, & ſubſtantialiter ſit vnum tantùm principium.

14 Obijcis quartò. Pluralitas, ſeu multitudo ſignificat diuiſionem, diuiſio autem dicit negationem vnitatis: ergo vt aliqua abſolutè dicantur plura, neceſſaria eſt omnimoda diuiſio: ergo ſi ſubſiſtentia ſit vna, non dabitur multiplicatio hominum, quamuis multiplicentur humanitates. Reſpond. ad maiorem, pluralitatem ſignificare omnimodam diuiſionem in formali ſignificato, nempe in natura, quarè cùm hæc multiplicetur, multiplicabuntur etiam homines v.g. ſubſtantiuè: quamuis ad multiplicationem ſubſtantiuam, & adiectiuam ſimul requiratur vtraque multiplicitas naturæ, & ſubſiſtentiæ, vt patet ex dictis.

15 Ne tamen, dum multiplicationem nominum inueſtigamus, quæſtiones de Subſiſtentia longiùs multiplicemus; hìc tandem prædicamentum ſubſtantiæ finiatur; in quo eam ſaltem laudem merui, quod adiuerim fontes Doctorum,

Faſtidire lacus, & riuos auſus apertos: Hora. Ep. 3. lib. 1.

Solaſque præcipuas difficultates funditus, ac medullitus, ſi fas eſt dicere, enucleauerim, inutiles verò, ſteriles, flaccidas, & inanes vel leuiter prælibauerim, vel nullatenus pertractauerim: quòd ſi adhuc, circa ſtyli breuitatem, ineptus Zoilus fusé, & ineptè cornicetur,

Et ſclopo tumidas intendat rumpere buccas: Perſius. Sat. 5.

Tu tamen, ſi me conſulis, & legito, & boniconſule, atque

Ne quidquam populo bibulas donaueris aures. Perſius, Sat. 4.

DISPVTATIO LX.

De Quantitate.

POſt diſputationes de Subſtantia, quæ dignitate prior eſt, ſequitur, vt de Quãtitate tractemus, quãuis enim ordine dignitatis, cedat quantitas qualitati, nihilominùs tamẽ ſtatim de Quantitate acturi ſumus, quia quantitas habet aliqua attributa cõmunia cũ ſubſtantia, quale eſt illud, præter alia multa, quòd ſit ſuſceptiua accidentium, ad modum ſubſtãtiæ; quãuis nõ vt ſubiectũ *quod*. De Quãtitate igitur, de eius ratione formali, de ſpeciebus, & proprietatibus, vnã tantùm ſtatuemus diſputationẽ, nihil enim hic agendũ eſt de partibus, quibus conſtat, deque illius indiuiſibilibus; hæc enim ſatis ad lucernã rimati ſumus 2. p. Summæ, tract. 1. per totũ lib. 6. vbi etſi indiuiſibilium numerũ quæſiuimus, non tamen ſatis liquet vtrùm inuenerimus: at nihilominùs latebras quaſdã, receſſus, ac latibula cõpoſuimus, vbi difficultates ſolitas, circa compoſitionem Continui, euitamus.

SECTIO I.

Quomodò Quantitas à ſubſtãtia diſtinguatur, & quæ ſint eius ſpecies permanentes?

1 P*Rima concluſio.* Quantitas permanẽs realiter diſtinguitur à ſubſtãtia; ita communis, & vera ſententia cum Ariſtotele multis in locis, cum D. Th. 3. p. q. 77. ar. 2. Durando, Scoto, Capr. Richardo, Heruæo, Ægydio, & Albertto Magno, quos citat Soar. in Met: diſ. 40. ſect. 2. n. 7. & ipſe ſequitur à n. 8. eoſdem etiã Auctores citat, & ſequitur Rubius in Logica, de Prædicamentis, cap. 6. q. vltima à n. 250. idem præſtat Fonſ. 5. Metap. cap 13. q. 2. ſect. 2. & ſupponit Vaſques tom. 3. in 3. p. ad quæſt. 77. diſput. 194. num. 25. & videri etiam poteſt Albertin. tom. 2. in prædicamento Quãtitatis diſp.

Diſtinguitur realiter. D. Thom. Durand. Scotus. Capreol. Richard. Heruæus. Ægydius. Albert. Magn. Soarius. Rubius. Fonſeca.

Digitized by Google

diſp. 1. q. 1. vbi à n. 4. latè oſtendit, accidẽs reale non dicere eſſentialiter actualem depẽdentiam, ſiue inhærentiam, Idem tenet Hurt. in Met. diſp. 13. ſect. 2. n. 12. Araujo tom. 1. ſuæ Met. lib. 5. q. 3. ar. 6. eandem concluſionẽ tradit Barth. Amic. in Phyſ. tract. 15. q. 5. dub. 5. ar. 4.

Hurtad. Araujo. Barthol. Amicus.

2 Probatur breuiter ratione naturali, videmus enim rem vnam quantam repugnare alteri ne penetrentur, ex eo quòd ſit extenſa in loco: atqui hæc repugnantia radicaliter prouenire non poteſt à ſubſtantia, hæc enim non eſt ens per ſe extenſum, ſed per ſe exiſtens: ergo hæc repugnantia prouenit ab aliquo ente reali: quia effectus realis prouenire debet à cauſa reali; hoc verò ens reale, non eſt aliud, niſi quantitas ergo quantitas diſtinguitur à ſubſtantia, vt res à re. Demonſtratur deinde concluſio ratione theologica ex myſterio Sanctiſsimæ Euchariſtiæ, vbi quantitas ſeparatur à ſubſtantia, quod eſt euidentiſsimum ſignum realis diſtinctionis.

3 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quæ aſſerit, quantitatem non diſtingui realiter à ſubſtantia, quam parùm feliciter ſecuti ſunt Nominales, Ochamus in 4. q. 4. & quodlibeto 4. à q. 29. Gabr. in 4. diſt. 10. q. vnica. Maior. in 2. diſt. 12. q. 1. Adamus in 4. q. 5. qui exiſtimant, quantitatem ſubſtantiæ eſſe idem cum ſubſtantia, & quantitatem albedinis eſſe idem cum albedine, proindeque in Euchariſtia manere quidem accidentia ſine ſubiecto (hoc enim negare non poterant, quia de fide eſt) ſed non manere ſine ſubiecto quantitatem panis [hæc enim, in hac ſententia, non diſtinguitur à pane, niſi tantùm virtualiter) ſed manere ſine ſubiecto quantitatem albedinis, quæ realiter diſtinguitur à ſubſtantia, non ratione ſui, ſed ratione albedinis, cum qua identificatur(quam albedinem realiter diſtingui, & realiter ſeparari à ſubſtantia fideliter admittunt) P. Arriaga in Metaph. diſp. 5. ſect. 1. n. 11. dubium ſe, more ſuo, oſtendit in hac quæſtione, ne à Nominalibus ſuis diſcedere videatur, in quos magis inclinat.

Reijcitur contraria ſententia. Ocham. Gabr. Maior. Adamus. Arriaga.

4 Sed contra hanc opinationem primò, quia albedo diſtinguitur realiter à ſubſtantia: ergo etiam quantitas. Secundò, quia Trid. ſeſsione 13. Can. 2. aſſerit in Sacramento Euchariſtiæ non manere ſubſtantiam panis, ſed accidentia eius: ergo ſupponit manere quantitatem: neque admittenda eſt diſtinctio de quantitate albedinis, quam ſolùm aſſerunt Nominales ibi remanere, imprimis, quia vbi ius non diſtinguit, nos etiam diſtinguere non debemus, vt eſt communis regula, de Regulis iuris in 6. Deinde, quia communiter receptum eſt ab omnibus Eccleſiæ Doctoribus remanere ibi quantitatem panis ſine ſubiecto, quæ ſententia adeò certa eſt, vt illam de fide eſſe ſupponat Becanus de Sacramentis cap. 20. q. 1. n. 1. Probabilius tamẽ exiſtimo de fide non eſſe, quantitatem panis ibi manere ſeparatam à pane, cùm hæc opinio pro ſe habeat Doctores Catholicos; quãuis de fide ſit omnino manere ibi aliqua accidentia ſine ſubiecto; cautè tamen in hac re grauiſsima legendi ſunt Nominales, & ad quæſtiones de nomine potiùs ſunt remittendi, in quibus poſſunt audentiores eſſe.

Becan.

5 Obijcis, inquam, primò pro Nominalibus. Sufficit diſtinctio virtualis ad ſaluanda omnia, quæ dicuntur de ſubſtantia, & quantitate, vt de rebus diuerſis: ergo &c. Probatur antecedens primò, quia cum virtuali diſtinctione poſſunt efficere quantitas, & ſubſtantia duo prædicamenta. Secundò, quia ſufficit quòd quantitas albedinis realiter diſtinguatur à quantitate ſubſtantiæ, vt dicantur in Euchariſtia manere accidentia quanta ſine ſubſtantia. Reſpond. fundamentum hoc eſſe leue, nec propter illud cõmunis, & certiſsima ſentẽtia deſerenda eſt, vt patet ex ratione facta pro noſtra concluſione: neque ſufficit talis diſtinctio virtualis, ſicut non ſufficit virtualis diſtinctio inter albedinem, & ſubſtantiam.

6 Obijcis ſecundò. Si quantitas diſtinguatur realiter à ſubſtantia materiali, poterit ſubſtantia ſine quantitate conſeruari in eodem loco; ſed hoc implicat: ergo &c. Probatur minor, quia talis ſubſtantia in eo caſu non maneret extenſa, quia non haberet quantitatem (impoſsibile enim eſt, dari effectum formalem extenſionis, ſine quantitate] ergo implicat &c. Reſpond. negando minorem, ad probationem dicendum eſt, ſubſtantiam in eo caſu manere extenſam per ordinem ad Spatium, propter ſuas partes entitatiuas, quas habet, vt infrà videbimus, non tamen manere quantam, neque extenſam quantitatiuè per ordinem ad locum replendum, hæc enim extenſio prouenit à quantitate: immò quælibet ſubſtantia materialis, etiam redacta ad punctum, poterit diuinitus conſeruare quantitatem, & dici quanta, quia adhuc eſt apta locum replere; & quamuis albedo immediatè recipiatur in quantitate, adhuc ſubſtantia dicitur, *ſubiectum quod.*

De Speciebus quantitatis permanentis.

Quãtitas in cõmuni eſt genus ſumũ.

7 SEcunda concluſio. Quantitas in communi eſt genus ſummum, habetque ſub ſe tres ſpecies, nempe Lineam, Superficiem, & Corpus: ita communis ſententia, duce Ariſtotele; illam ſequuntur D. Thom. in opuſc. cap. 36. cui adhærent omnes Thomiſtæ; eandem tenet Soar. in Met. diſp. 40. ſect. 6. n. 5. (vbi aſſerit, hanc eſſe cõmunem ſententiam omnium Theologorũ) Fonſ. item 5. Met. cap. 13. q. 6. ſect. 3. (quãuis §. *Sit igitur*, aſſerat, non eſſe omnino improbabile, lineam, & ſuperficiem, ſolùm eſſe modos quoſdam puros) eandem communẽ ſententiam ſatis fuſé probat Rubius in Logica cap. 6. de Quantitate, q. 4. fuſiùs tamen Vallius in Logica in prædicamento de quãto q. 3. à cap. 2. vbi n. 1. citat Capr. Caiet. & Sot. pro eâdem ſententia ſtat Albertinus to. 2. diſp. 2. de Quantitate q. 3. à n. 3. & diſp. 3. q. 7. à n. 22. ſtat etiam Araujo 5. Met. q. 3. ar. 5. à n. 4.

Ariſtot. D. Thom. Soarius. Fonſ. Rubius. Vallius. Capreol. Caiet. Sotus. Albertin. Araujo.

8 Probatur, quia eſſentia quantitatis permanentis conſiſtit in extenſione aptitudinali per ordinem ad locum; ſed linea, ſuperficies, & corpus participant hanc rationem formalem per ſuas differentias, quæ vocantur latitudo reſpectu ſuperficiei, longitudo reſpectu lineæ, & profunditas reſpectu corporis: ergo &c. minor probatur, nam linea replet locum quòad longitudinem, ſuperficies, quòad latitudinem, corpus ſecundùm profunditatem: ergo &c. Confirmatur primò, quia, prout ſic, ſunt entia completa. Confirmatur ſecundò, quia alioquin non dabitur prædicamentum quantitatis, hoc enim debet eſſe genus ſummum: neque enim dicendum eſt corpus quantitatiuum habere ſub ſe quantitatem cæleſtem, & ſublunarem, quæ ſint diuerſæ ſpecies; conſtat enim, vtramque quantitatem eſſe eiuſdem ſpeciei.

Reijcitur contraria ſententia. *Ocham. Durand.*

9 Obijcis pro contraria ſententia illorum, qui rem magnam facere exiſtimant, negando indiuiſibilia quantitatis, quibus maximè fauent Ocham. tract. de Euchariſt. q. 1. & Durand. in 2. diſt. 2. q. 4. quatenus aſſerunt, lineas, & ſuperficies eſſe quaſdam negationes; aduerſùs quos debellatum fere iam eſt 2. p. lib. 6. Phyſ. diſp. 35. ſed reſtant adhuc infringenda nouiſsima tela, quæ laſſa, ac veluti moribunda manu proijciunt aduerſarij: quibus multùm fauent qui exiſtimant, lineã, & ſuperficiem eſſe entia incompleta, inter quos eſt Hurt. in Met. diſp. 13. ſect. 6. n. 44.

Hurtad.

10 Obijcis, inquam, primò. Materia, & forma ſunt entia ſimpliciter incompleta, quia ordinantur ad faciendum, & componendum vnum totum: ergo ſimiliter linea, & ſuperficies erunt entia incompleta, ſiquidem ordinãtur ad componendam quantitatem. Reſpond. tamen ad antecedens, materiam, & formam non ex eo ſolùm eſſe entia incompleta, quia ordinentur ad componendum vnum totum: ſed etiam, quia ſub nulla ratione participant ſubſtantiam completè: at verò linea, & ſuperficies, quamuis componãt quantitatem, quatenus ſunt indiuiſibiles, ſub alia ratione ſunt completæ: ſiquidem habent veram diuiſibilitatem, & extenſionem.

11 Obijcis ſecundò. Si linea, & ſuperficies eſſent reales ſpecies quantitatis, realiter inter ſe diſtinguerentur, atque adeò omnes lineæ poſſent eſſe realiter ſeparatæ ab omnibus ſuperficiebus: ſed hoc dici non poteſt, quia implicat dari ſuperficiem ſine lineis copulantibus: ergo &c. Reſpond. concedendo lineam diſtingui realiter ab omnibus ſuperficiebus diuiſim ſumptis: ab omnibus verò collectis ſolùm diſtingui realiter ſecũdùm quid, tanquàm includens ab incluſo, ſicut dicitur materia diſtingui realiter à toto, diſtinctione reali includentis, & incluſi, ſecũdùm quam diſtinctionẽ ſeparari non poteſt materia à toto.

12 Obijcis tertiò. Linea, & ſuperficies non replent locum: ergo non ſunt ſpecies quantitatis, ſiquidem non participant rationem formalem quantitatis, quæ conſiſtit in eo quòd ſit repletiua loci. Reſpond. primò, lineam, & ſuperficiem ſuo modo occupare locum, quatenus videlicet pertinent ad adæquatam conſtitutionem corporis trinæ dimẽſionis, quod per ſe formaliter occupat locũ, quamuis linea, & ſuperficies ſolùm mediatè locum repleant.

13 Reſpondeo ſecundò, Lineam, & ſuperficiem occupare locum per ſe, & immediatè, ſuo tamen modulo hoc eſt, lineam ſecundùm longitudinem, vnde ſi lineæ vnius cubiti addatur linea palmaris, maiorem locum occupabit; & ſimiliter dicendum de ſuperficie; quæ repletio loci metaphyſica eſt, neque ad illam requiritur propriè contactus phyſicus; neque etiam quòd circundetur aliqua ſuperficie ambiente, illa enim ſolùm requirunt contactum phyſicum, & ambientem ſuperficiem, quæ propriè, & phyſicè, hoc eſt ſecundùm trinam dimenſionem, locum replet; reliqua, quæ hic deſiderantur, habes in 2. p. tract. 1. lib. 6. vbi pro compoſitione continui ex ſolis indiuiſibilibus acriter à me decertatum eſt.

SECTIO II.

Vtrùm dentur aliquæ ſpecies Quantitatis ſucceſsiuæ?

Motus eſt quantitas ſucceſsiua. *Albert. Magn. Auerroes. Scotus. Anton. Andreas. Fonſeca. Molina. Gillius. Patres Conimb. Barthol. Amicus.*

1 PRima concluſio. Probabilius exiſtimo, motum veram eſſe ſpeciem Quantitatis ſucceſsiuæ: ita Magnus Albertus tract. 8. in Porphyrium cap. 10. Auerr. 5. Met. tex. 8. Scotus, & Antonius Andreas ad 5. Metaph. cap. de Quãto. Fonſ. 5. Met. cap. 13. q. 8. ſect. 3. §. *ſecunda acceptio*: Mol. 1. p. q. 10. ar. 1. difficult. 3. §. 4. Phyſic. Gillius lib. 2. tract. 10 cap. 4. num. 3. Patres Conimbr. 3. Phyſ. cap. 2. q. 2. ar. 1. §. *Ex dictis*, Barthol. Amic. in Phyſ. tract. 23. q. 1. dub. 1. fol. 899.

2 Vt probetur concluſio aduertendum eſt, motum identificari cum actione, & paſſione, & ſimiliter cum termino, ita tamen vt ab actione, & paſsione ſolùm virtualiter diſtinguatur, à termino tamen modaliter, ſicut etiam actio, & paſsio modaliter diſtinguuntur á termino, & ab eius exiſtentia, quamuis inter ſe virtualiter diſtinguantur. Aduertendum præterea non ſumi hîc motum, prout exit ab agente, ſic enim conſtituit actionem; neque prout recipitur in paſſo, ſic enim conſtituit paſsionem; neque pro forma fluente, hæc enim reducitur ad prædicamentum ad quod pertinet in facto eſſe; neque pro duratione, ſiue permanentia rei, ſic enim conſtituit prædicamentum durationis; neque pro menſura illius durationis, nam, prout ſic, eſt tempus. Deinde non eſt ſumendus hîc motus, quatenus motus eſt eſſentialiter ſucceſſiuus, ſic enim ſemper eſt in fieri, & eſt quid imperfectum, neque pertinere poteſt ad aliquod prædicamentum, vt bene obſeruat Fõſ. citatus. §. *Prima aſſertio*, & dixi 2. p. tract. 1. lib. 5. diſp. 34. ſect. 3. n. 9.

3 Quapropter ſumitur hîc motus pro illa continuitate, vel potiùs pro extenſione, & fluxu, qui datur in forma fluente, quæ formalitas continuationis differt á ſucceſsione, vt latè probat Barth. Amic. tract. 22. q. 1. dub. 1. fol. 897. poteſt enim dari ſucceſsio non continua, ſed diſcreta: &, hoc poſito, probatur concluſio. Datur aliqua quantitas ſucceſſiua, ſed hæc non eſt alia, niſi motus, & tempus: ergo motus eſt vera ſpecies quantitatis. Maior eſt certa ſecundùm doctrinam Ariſtotelis, qui quantitatem diuiſit in permanentẽ, & ſucceſsiuam. Probatur minor. quia illa eſt vera quantitas, cui conuenit definitio quantitatis; ſed hæc conuenit quantitati ſucceſsiuæ, nempe motui: ergo &c. Probatur minor, nam motus eſt ens per ſe extenſum ſucceſsiuè, & ſuo etiam modo extendit entia ſucceſſiua, nempe actiones, & paſsiones ſucceſsiuas, per ordinem ad ſpatium ſucceſsiuum, ergo &c.

4 Confirmatur primò. Quia continuitas, ſiue extenſio permanens, eſt quãtitas permanens: ergo continuitas, ſiue extenſio ſucceſsiua, erit quantitas ſucceſsiua; nam ſicut continuitas permanens extendit res permanentes, ita continuitas ſucceſsiua extendit res ſucceſsiuas, neque enim entia ſucceſsiua extenduntur ſe ipſis, ſicut neque entia permanentia ſe ipſis extenduntur ad locum, ſed per quantitatem.

5 Cùm igitur motui ita accepto conueniant conditiones prædicamentales, & cùm denominet primam ſubſtantiam, ſaltem mediatè, & vt *quod*, erit vera ſpecies quantitatis ſucceſsiuæ, præcipuè quia etiam ſuo modo vendicat impenetrabilitatem ſimultatis partium motus, quæ nequeunt ſimul eſſe, aut penetrari in eodem inſtanti, etiam diuinitus. Quo pacto verò motus ſit vniuocus, licèt identificetur cum terminis analogicis, dixi 2. p. tract. 1. lib. 5. diſp. 34. ſect. 3. n. 7.

Reijcitur contraria ſententia, quæ probabilis eſt. *Porphyr. Amonius. Toletus. D. Thom. Soncin. Iauel. Caiet. Louanienſ. Rubius. Soarius. Pereira.*

6 Obijcis pro contraria ſententia, quæ probabilis eſt, & aſſerit, motum nunquàm eſſe ſpeciem Quantitatis: ita ſentiunt Porphyrius, & Amonius, quos citat, & ſequitur Toletus in Logica cap. de Quantitate, q. 2. §. *Dico vltimò*. Idem tenet D. Thom. 5. Met. lect. 5. Soncin. 5. Metap. q. 24. Iauel. Caiet. Sot. & DD. Louanienſes, quos citat, & ſequitur Rubius in Logica ad prædicamentum Quantitatis, q. 7. á n. 213. ſtant etiam pro eâdem ſententia Soar. in Met. diſp. 40. ſect. 8 á n. 3. Pereira in ſua Philoſoph. lib. 13. cap. 1.

7 Obijcis, inquam, primò. Motus eſt compoſitus per accidens: ergo non eſt ens prædicamentale. Probatur antecedens, quia componitur ex ſucceſsione, quæ eſt negatio, & ex continuitate, quæ eſt ens reale: at verò ex ente reali, & negatiuo fit vnum per accidens: ergo &c. Reſpond. negando antecedens, ſumitur enim hîc motus pro extenſione, quæ aliunde explicatur per ſucceſsionem, quæ ſucceſsio, quamuis formaliter non ſit negatio, explicatur tamen per negationem ſimultatis partium; quapropter motus, quà continuus, ſiue quà extenſus eſt, non dicit formaliter negationem: atque adeò non eſt ens per accidens, ſed eſt ens per ſe extenſum.

8 Obijcis ſecundò. Quantitas permanens formaliter, & eſſentialiter includit rationem

tionem quantitatis permanentis; ergo ſi motus eſt quantitas ſucceſsiua formaliter, & eſſentialiter includere debet ſucceſsionem; ſed ſucceſsio, vel eſt negatio, vel eſt ens eſſentialiter incompletum: ergo &c. Reſpond. tamē negando conſequentiam, nihil enim obſtat quominùs motus explicetur per ſucceſsionē, quæ magis nota eſt, quamuis, prout ponitur in prædicamento, non ſumatur pro ſucceſsione, ſed pro extentione continuitatis.

9 Obijcis tertiò cum Soar. Motus eſt continuus per accidens, & ratione termini: ergo non eſt ens per ſe extenſum, & conſequenter non eſt vera ſpecies Quantitatis, quæ requirit extenſionem per ſe. Probatur antecedens, nam alteratio, quæ eſt motus ad qualitatem, augmentatio, quæ eſt motus ad Quantitatem; latio, quæ eſt motus ad Vbi, ſunt motus continui ratione termini, ergo non per ſe. Probatur antecedens, nam ſi qualitas acquirenda non haberet contrarium, nō daretur ad illam motus: & ſimiliter, quia quantitas non poteſt ſimul acquiri, ideò ad illam datur motus; ac tandem ideò latio habet ſucceſsionem, quia totum corpus non poteſt ſimul eſſe in prima, & poſteriori parte ſpatij, & ideò per accidens indiget continuatione.

10 Reſpondetur tamen concedendo, omnes illos terminos eſſe per accidens continuos, & ſucceſsiuos, quia poterant, ſaltem diuinitus, acquiri in inſtanti, negando tamen motus ad illos terminos eſſe per accidens extenſos: exemplis res patefiet, nam imprimis quodlibet ens creatum eſt per accidens durans in ſua exiſtentia, nihilominùs tamen duratio illa per ſe talis eſt, & vt *quo* dicitur durans, & non per accidens, ſed per ſe. Deinde quamuis aliquod ſubiectum per accidens habeat relationem, ipſa relatio non per accidens, ſed per ſe eſt relatum, vt *quo*: item paries per accidens eſt albus, & nihilominùs albedo ipſa, per ſe eſt alba, vt *quo*: ſimiliter ergo quamuis termini, immò quamuis actiones, & paſsiones talium terminorum, ſint per accidens extenſi, ſiue continui, nihilominùs tamen ipſe motus per ſe habet illam extenſionem continuam.

11 Obijcis quartò. Motus quà ſucceſsiuus eſt, eſt ens incompletum, vt dixi in 2. p. tract. 1. lib. 3 diſp. 10. ſect. 1. n. 6. Deinde continuitas non eſt de eſſentia motus, vt dixi ibidem n. 8. & latè probant Conimbr. 3. Phyſ. cap. 1. q. 2. art. 2. §. *Nihilominùs*: ergo motus nunquàm ponitur in prædicamento, ſiquidē quà ſucceſsiuus, eſt ens incompletum, quia ſemper eſt in fieri; & quà continuus eſt, continuitas non eſt de eius eſſentia, ſed eſt quædā proprietas; ac proinde non collocaretur in prædicamēto motus ipſe, ſed aliqua eius proprietas, nempe continuitas.

Patres Conimbr.

12 Reſpondetur tamen, motum non conſtituere prædicamentum, quà ſucceſsiuus eſt, propter rationem aſsignatam, quamuis concedamus, ſucceſsionem eſſe de eſſentia motus: ponetur igitur motus in prædicamēto, imprimis quà continuus eſt, in ſententia illorum, qui aſſerunt, continuitatem eſſe de eſſentia motus, ſuppoſito quòd motus ſit eſſentialiter ſucceſsiuus, vt contendit Soar. in Met. diſp. 40. ſect. 8. nu 7. Deinde in noſtra opinione non collocabitur in prædicamento, neque, vt ſucceſsiuus eſt, neque, vt continuus, ſed quà extenſio quædam eſt continuitatis, & fluxus formæ, qui per continuitatem explicatur ſic enim concipitur, vt quid completum, & perfectum, cui per accidens erit maior, vel minor extenſio: quà ſucceſsiuus verò, cùm eſſentialiter ſemper ſit in fieri, & in ſuo formali conceptu habeat partes priores, & poſteriores, ſemper eſt quid incompletum, & imperfectum, vnde vt ſic, ad nullum prædicamentum per ſe ſpectare poteſt. Ex quibus patet quàm liberè P. Araujo tom. 1. ſuæ Met. lib. 5. q. 3. art. 5. n. 53. aſſerat hanc noſtram ſententiam repugnare veritati, quæ potiùs ſtat pro Ariſtotele, quem ipſe defendere tenebatur, ſiquidem antiquæ Philoſophiæ ſe iactat inſtauratorem.

Quo pacto accipiendus ſit motus? *Soar.* *Araujo.*

Quid dicendum ſit de Tempore?

13 SEcunda concluſio. Tempus eſt etiam vera ſpecies quantitatis continuæ ſucceſsiuæ: ita ſupponit Ariſtoteles cap. de Quantitate. D. Fonſ. 5 Met. cap. 13, q. 10. ſect. 2. probat ex profeſſo hanc ſententiam; idem præſtat Rubius in Logica de Quantitate, q. 5. à n. 7. Tolet. ibidem q. 2. Mol. 1. p. q 10. art. 1. diſp. 10. §. 4. Flandria ep. de Quantitate, q. 14 art. 11. Vallius in Logica prædicamento de Quantitate, q. 4. cap. 4. Barthol. Amic. in Phyſ. tract. 22, q. 1. dub. 1. fol. 857. probabile tantùm hoc credit.

Tēpus eſt ſpecies quantitatis ſucceſsiuæ. *Ariſtot.* *Fonſeca.* *Rubius.* *Toletus.* *Molina.* *Flandr.* *Vallius.* *Barthol. Amicus.*

14 Ante probationem aduertendum, non ſumi tempus hic pro duratione intrinſeca cuiuſque rei, vt ſic enim pertinet ad prædicamentum durationis; neque ſumi pro ſucceſsione, vel continuitate, ſic enim eſt motus: ſed ſumi tempus, prout eſt menſura quædam prædictæ durationis, vt dixi 2. p. tr. 1. lib. 4 diſp. 33. ſect. 2. n. 2. quo poſito probatur concluſio, quia tempus ita ſumptum eſt ens per ſe extenſum ſucceſsiuè: ergo eſt vera ſpecies quantitatis ſucceſsiuæ. Probatur antecedens

tecedens, nam tempus hoc modo ſumptum habet extenſionem continuatam, quæ copulatur inſtantibus, ſicut partes motus vniuntur cum mutatis eſſe, & partes lineæ cum pũctis. vel cum modis vnionum, iuxta ea, quæ dixi in Phyſ. diſp. 35.

15 Confirmatur primò, quia tempus ita ſumptum habet omnes conditiones requiſitas, & denominat primam ſubſtantiam ſaltẽ mediatè. Confirmatur ſecundò, quia tempus, vt ſic, habet impenetrationem, neque enim poſſunt dari ſimul, & in eodem inſtanti partes temporis, ſicut nec partes motus. vbi aduertendum eſt, quantitatem ſucceſsiuam ita habere pro ſua ratione formali extenſionem, vt ſemper habere debeat extenſionem actualem, quia, cùm ſit eſſentialiter ſucceſsiua, dari non poteſt eius extenſio in inſtanti, ſiquidem ſucceſsio non fit in inſtanti: in quo (præter alia) differt à quantitate permanente, hæc enim non vendicat pro ratione formali actualem extenſionem ad locũ ſed aptitudinalem, quam in puncto conſeruare poteſt.

Reijcitur contraria ſententia. Henriq. Ægyd. Vicomer. Tienenſ. Vallius.

16 Contra hanc concluſionem imprimis ſentiunt, qui docent tempus non eſſe ens reale, vt exiſtimat Henric. Ægydius, Vicomerato, Tienenſis, & alij, quos affert Vallius tom. 1. q. 4. de Quanto cap. 1. §. *Prima eſt.* Satis tamen probatum eſt tempus eſſe ens reale 2. p. tract. 1. lib. 4. diſp. 33. ſect. 1. à n. 4.

Caiet. Soncin. Soar. Hurtad. Vaſques. Gillius. Pereira. Araujo.

17 Obijcis ergo pro alia contraria ſententia, quam tenent Caiet, & Soncin. quos citat, & ſequitur Soar. in Met. diſp. 40. ſect. 9. n. 8. cui ſubſcribit Hurt. in Met. diſp. 13. ſect. 6. n. 43. idem tenet Vaſq. 1. p. q. 10. diſp. 34. cap. 2. n. 11. Gillius lib. 2. tract. 10. cap. 4. n. 3. Pereira in ſua Philoſ. lib. 12. cap. 1. Araujo tom. 1. ſuæ Met. lib. 5. q. 3. ar. 1. n. 54.

18 Obijcis, inquam, primò. Tempus eſt ens per accidens: ergo non eſt ſpecies Quãtitatis. Probatur antecedens, quia tempus nõ ſolùm includit continuitatem motus, ſed etiam formaliter includit ſucceſsionem, ſeu negationem ſimultatis; ſed ex ente reali, & negatione fit vnum per accidens: ergo &c. Reſpond. negando antecedens, tempus enim ſolùm connotat illam negationem ſimultatis: & declaratur, quia ſicut quantitas permanens dicit de formali ſuam extenſionem, & connotat negationem diuiſionis inter partes permanentes, ita tempus dicit de formali ſuam extenſionem ſucceſsiuam, hoc eſt menſuram continuitatis motus, & connotat negationem ſimultatis partium ſucceſsiuarum: neque obſtat, quòd tempus ſit eſſentialiter ſucceſsiuum, eius enim ratio formalis, ſiue diſtinctiua conſiſtit in menſura, non verò in ſucceſsione.

19 Obiter tamen aduertendum eſt, dari etiam tempus ſpirituale, illud videlicet, quo menſuratur motus Angeli; quamuis enim Angelus non habeat partes extenſas ad locum, poteſt tamen habere partes ſucceſsiuas per ordinem ad ſpatium, quod acquirit, de quo dicetur in prædicamento Vbi: & conſequenter ad hanc doctrinam dicendum eſt dari quantitatem ſpiritualem, non quidem permanentem, ſed ſucceſsiuam, nempe motum, & tempus rerum ſpiritualium.

20 De reliquis ſpeciebus Quãtitatis, nẽpe de Numero, & Oratione, quæ ſũt quãtitates diſcretæ, dico nõ eſſe proprias ſpecies quantitatis, ſiquidem numerus eſt ens per accidens (quidquid dicant in oppoſitum Patres Diſcalceati in Log. d. 13. q. 7. à nu. 75. & Curſus Thomiſt. in Log. q. 16. de Quant. n. 2.) idem ſentio de Oratione cum Conimbr. in Log. de Prædicam. cap. 6. q. 2. ar. 1. De Pondere dico eſſe grauitatem pertinentẽ ad qualitatem: de Loco ſufficiant quæ dixi 2. p. diſp. 32.

Patres Diſcalc. Curſus Thomiſt. Patres Conimb.

SECTIO III.

De eſſentia, & effectu formali Quantitatis.

Differẽtia quãtitatis eſt aptitudinalis extenſio ad locum. Soarius.

1 PRima concluſio. Ratio formalis diſtinctiua quantitatis permanentis, ſiue differentia quãtitatis conſiſtit in aptitudinali extenſione ad locũ replendum; hanc primus inuexit, & optimè expendit Soar. in Met. diſp. 40. ſect. 4. à n. 15. & tom. 3. in 3. p. ad q. 75. diſp. 48. ſect. 1. §. *Igitur non impugnando*; qui vnus pro cunctis nobis ſufficiebat, cum illo tamen poſteà fœdus iniere Patres Conimbr. in Logica q. 1. de Quant. ar. 2. eſtque celebris, & communis inter Recentiores, quam latiſsimè, & per octodecim paginas tractat, & probat Vallius in Logica tom. 1. in prædicamento de Quãto q. 1. à cap. 10. præcipuè: ſubſcribit etiam Hurt. in Met. diſp. 13. ſect. 4. n. 36. loquens de formali effectu quantitatis; eandem amplectitur Barthol. Amic. in Phyſ. tract. 15. q. 4. dub. 4. nec diſſentit Arriaga in Metap. diſp. 5. ſect. 1. ſubſect. 2. §. *Dicendum.*

Patres Conimb. Vallius. Hurtad. Barthol. Amicus. Arriaga.

2 Probatur concluſio. Conſtat, quantitatem eſſe ens per ſe extenſum, & conſequẽter conſtat eius formalem rationem conſiſtere in extenſione: ſed hæc extenſio non eſt actualis per ordinem ad totum, vel per ordinem ad locum; deinde non eſt extenſio aptitudi-

Digitized by Google

titudinales per ordinem ad totum: ergo eſt extenſio aptitudinalis per ordinem ad locũ. Maior huius ſyllogiſmi certa eſt; minor, quò ad priorem partem certa item eſt, tum, quia datur actualiter quantitas Chriſti Domini in Euchariſtia, quæ non occupat actualiter locum; tum, quia poteſt Deus confundere omnes partes alicuius quãtitatis, ita vt actualiter non habeant ordinem ad totum: ergo ponenda eſt hæc ratio formalis in aptitudinali extenſione per ordinem ad locum replendum, ſeu in impenetrabilitate alterius corporis.

3 Tota difficultas eſt in probanda ſecunda parte minoris; ideſt, non conſiſtere rationem formalem quantitatis in aptitudinali extenſione per ordinem ad totum, quod ſic probatur. Quia aptitudinalis extenſio ad totum reperitur etiam in materia, & in qualitatibus materialibus: ergo non poteſt eſſe formalis, & diſtinctiua ratio quantitatis (ſicut rationale ex eo quòd eſt ratio diſtinctiua hominis, impoſsibile eſt, quòd inueniatur in alio ente, præter hominem) Antecedens, præter citatos auctores pro hac ſententia, docent Scotus in 4. diſt. 12. q. 2. Sotus in prædicamento quantitatis q. 2. ar. 2. ad 1. Ioannes Maior. in 4. diſt. 12. quæſt. 1. & probat optimè Soar. tom. 3. in 3. p. ad q. 75. diſp. 48. ſect. 1. §. *Alia reſponſio*; quidquid in oppoſitum ſentiãt cum Thomiſtica ſchola (in cuius verba religioſè nuper iurarunt) fratres Diſcalceati in Curſu compl. d. 5. de Gener, quæſt. 3. à nu. 32.

Sotus. Scotus. Maior. Soar.

Patres Diſcalc.

4 Et breuiter ſic oſtenditur, nam materia Socratis ita habet ſuas partes ordinatas, vt materia capitis ſit immediatè coniuncta materiæ colli, &c. quapropter ſi materia Socratis denudetur quantitate, adhuc conſeruabit talem ordinem, neque enim partes illius materiæ poſſent in inſtanti confluere ad punctum; quia motus ille partium ad punctum, dari non poteſt in inſtanti: ergo per aliquod ſaltem tempus haberet materia ſuas partes extenſas ad totum: ergo talis extenſio non proueniebat à quantitate: alioquin daretur effectus formalis ſine cauſa formali, quod eſt maximum abſurdum: ſi verò partes eiuſdem materiæ fortè confundantur, adhuc conſeruabunt talem extenſionem ad totum aptitudinaliter. Cùm igitur formalis ratio diſtinctiua vnius rei non poſsit alteri conuenire, & extenſio ad totum ſit ratio formalis veluti generica omnium entium materialium, non poteſt eſſe ratio diſtinctiua, ſiue differentia quantitatis: & cùm aptitudinalis extenſio ad locum in ſola quantitate materiali reperiatur, hæc erit formalis ratio diſtinctiua quantitatis permanentis.

5 *Secunda concluſio.* Ratio formalis veluti generica quantitatis eſt extenſio illa aptitudinalis per ordinem ad totum: hæc concluſio licèt à nullo exprimatur, neceſſariò tamen eſt de mente Soarij, & aliorum, qui aſſerunt, hanc extenſionẽ pertinere ad omne ens materiale: & probatur, quia ſicut animal eſt ratio formalis generica hominis, quia reperitur in omni viuente ſenſitiuo, ita etiam extenſio per ordinem ad totum eſt ratio generica quantitatis, ſiquidem etiam quantitas eſt ens materiale, & hæc extenſio inuenitur in omni ente materiali.

6 *Tertia concluſio.* Ratio formalis adæquata quantitatis conſiſtit in aptitudinali extenſione ad totum per ordinem ad occupãdum locum. Probatur facilè, quia eſſentia alicuius rei non ſolùm conſiſtit in eius differentia, ſeu in eius ratione diſtinctiua (neque enim eſſentia hominis adæquata conſiſtit in ſola differentia eſſentiali, ſed adæquatè in animali, & rationali) ergo etiam eſſentia quãtitatis adæquatè conſiſtet in vtrâque extenſione, eritque prima extenſio ad totum veluti ratio generica, & priùs conueniet quantitati, ſicut gradus genericus prior eſt, quàm differentia.

Proponitur, ac reijcitur contraria ſententia.

9 Obijcis tamen primò pro præcipua contraria ſententia, quæ collocat eſſentiam quantitatis in aptitudinali extenſione ad totum: quæ ſententia ſaltem propter antiquitatem, & auctoritatem probabilis eſt; illam tenent Durandus, Niphus, Sot. quos refert Soar. in Met. diſp. 40. ſect. 4. n. 3. idem ſentit Fonſ. 5. Met. cap. 13. q. 1. ſect. 2. & ſect. 3. §. *Quarta ſententia.* Pro eâdem ſententia contra Soar. more ſuo, pugnat Vaſq. tom. 3. in 3. p. ad q. 76. diſp. 190. cap. 3. poſt num. 23. à §. *Horum tamen*, cui adhæret Albertinus tom. 2. in prædicamento quantitatis diſp. 3. q. 3. n. 10. vbi allegat D. Thom. Capr. Magnum Albert. Soncin. Ferrar, Scotum, Baſſol. Lichetum, Maironium, Auerr. & tandem Conimbric. quos mendoſè citat 1. Phyſic. q. 2. ar. 2. cùm tamẽ hoc teneant 4. Phyſic. cap. 5. q. 4. art. 2. §. *Porrò autem.* Ipſi tamen Conimbr. re meliùs conſiderata, in noſtram ſententiam pedibus abiere, vt patet ex loco ſuprà citato pro noſtra prima concluſione: contrariam etiam ſententiam tenet, & latè probat Rubius in Logica cap. 6. de Quantitate, q. 1. à num. 13. qui

Hæc ſententia probabilis eſt.

Durand. Niphus. Sotus. Soar. Fonſeca. Vaſques. Albertin. D. Thom. Capreol. Magno Albert. Soncin. Ferrar. Scotus. Baſſol. Lichetus. Mairon. Auerr. Rubius.

qui aſperiùs, quàm ratio poſtulat, aſſerit nu. 20. falſum planè dici à quibuſdam modernis, quòd ſubſtantia, & accidentia materialia habent ex ſe extenſionem entitatiuam ad totū; tandemque pro hac ſententia ſtant Araujo tom. 1. Met. lib. 5. q. 3. ar. 1. à §. *Quarta ſententia:* ac Thomiſtæ diſcalceati in Curſu Compl. in Log. diſp. 13. q. 3. à n. 30. item Curſus Thomiſt. in Logica q. 16. de Quantitate §. *Sit vnica*, & Gallego tom. 1. Controu. 24.

Araujo. Patres Diſcalc. Curſus Thomiſt. Gallego.

8 Obijcis, inquam, primò. Subſtantia materialis, & accidentia materialia non habent extenſionem aptitudinalem per ordinē ad totum: ergo hæc eſt propria quantitatis. Probatur antecedens, quia imprimis ſubſtātia, ex natura ſua, non magis poſtulat habere partes ſeriatim extenſas, quàm confuſas; immò ſi Deus á ſubſtantia auferat quantitatem, ſtatim confluet ad punctum. Deinde idem dicendum de accidentibus materialibus: ergo &c. Reſpond. negando antecedens, quia partes ſubſtantiæ materialis, ex ſe vendicant ordinem partium, qui ſuapte natura reſiſtit confuſioni, hæc enim diſponit ad corruptionem: licèt igitur materia non reſiſtat confuſioni per contactum phyſicum, ſicut quantitas, reſiſtit tamen ſuo modo: immò quamuis gratis daremus partes materiæ ſtatim debere confundi, vel confluere ad punctum, hoc fieri non poterat in inſtanti, quia neceſſariò fieret per motum, qui dari non poteſt in inſtanti: ergo ſaltem breuiſsimo tempore daretur extenſio ſine quantitate, quod fieri non poterat, ſi ratio formalis quantitatis eſſet illa extenſio per ordinem ad totum, vt bene argumentabamur pro noſtra ſententia, darerūt enim effectus formalis extenſionis, ſine cauſa formali, nempe ſine quantitate.

9 Hîc tamen aduertendum eſt, vt Deus conſeruaret materiam ſpoliatam quantitate in eodem loco, in quo antea erat ſub quantitate, ſolùm indigeret vno miraculo, nempe continuatione actionis creatiuæ, per quam iam anteà ſub quantitate conſeruabatur ſubſtantia materialis, hæc enim requirebat quātitatem, tanquàm phyſicam conditionem, qua ſublata naturaliter ſequebatur deſtructio ipſius ſubſtantiæ; quarè ſi Deus materiam velit conſeruare in eodem loco, in quo erat ſub quantitate, ſufficit vnum miraculum, nempe continuatio illius actionis conſeruatiuæ materiæ, quæ actio, ſiue conſeruatio, quia indebita eſt, ideò miraculoſa eſt.

10 Obijcis ſecundò. Subſtantia denudata quantitate, nec diuinitus conſeruari poteſt extenſa in eodem loco: ergo ex ſe nullam habet extenſionem. Probatur antecedens, quia ſi conſeruaretur, vel haberet Vbi definitiuum, vel circunſcriptiuum: nō primum, quia ſupponitur extenſa; non ſecundum, quia, cùm non habeat quantitatem, non poteſt eſſe extenſa in loco: hoc argumentum nullam habet difficultatem in ſententia, quam tenet P. Vaſq. tom. 3. in 3. p. ad q. 76. diſp. 190. cap. 3. á n. 26. & tom. 2. in 1. p. ad q. 53. diſp. 196. cap. 3. á n. 9 quibus in locis mihi incredibilem ſequitur opinionem, nimirùm ſubſtantiam denudatam quantitate poſſe quidē diuinitus conſeruari, nullum tamen Vbi, aut locum habituram; & n. 20. nimis ſeuerè aſſerit, eos, qui locum, & Vbi tribuunt ſubſtātiæ ſine quantitate, verum modum philoſophandi è medio tollere: ego tamen inter hos veræ philoſophiæ deſertores lubentiſsimè vellem adnumerari.

Quid cēſeat Vaſq. de ſubſtātia denudata quātitate.

11 Aſſerere enim ſubſtantiam poſſe manere ſpoliatam quantitate, & tamen nullibi manſuram, opinio eſt, quæ nullibi debet admitti: Angelus enim non habet quantitatem, & tamen habet Vbi, quod, quia negat P. Vaſq. loco citato ad 1. p. ideò conſequenter negat de ſubſtantia, ſed vtrumque falſum eſt, quia percipi nequit res exiſtens extra cauſas, quin alicubi concipiatur exiſtens; immò nemo erit, qui nō intelligat, quàm ſit inintelligibile rem eſſe, & nullibi eſſe; quod ſi quis intelligere hoc præſumat, is ſanè, niſi ego inſanio, intelligendo faciet, vt nihil intelligat: quod ex profeſſo oſtendam in prædicamento Vbi, ſed ibi etiam breuiter, & contemptim, ſpolia enim potiùs legam ex deuicto hoſte, quàm vt conſerta manu acriter cum eo pugnem.

12 Reſpondeo ergo, ſubſtantiam ſine quantitate manſuram in loco circunſcriptiuè per ſuas partes ſubſtantiales, quas habet (quæ tribui nequeunt á quantitate, cùm enim quātitas ſit accidens, dare non poteſt partes ſubſtantiales) in quo caſu ſubſtantia habebit ſuū Vbi, eſt enim Vbi modus quidam accidentalis, qui neceſſariò conuenit cuilibet rei, ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali, ſiue totali, ſiue partiali, dummodò ſit extra cauſas; quod Vbi erit circunſcriptiuum, quia per illud erit ſubſtantia materialis in loco tota in toto, & pars in parte ſpatij, quia eſt verè extenſa ſubſtantialiter ad totum. Ex his patet ſolutio ad argumentum.

13 Poterit tamen Deus ponere illam ſubſtantiam in puncto, & tunc etiam habebit Vbi punctale. Poterit etiam confundere omnes eius partes, & ponere illam in loco definitiuè. Sed quæſtio eſt, quot miracula requirant hæ poſitiones? Reſpondeo primò, ſi Deus velit illam ſubſtantiam confuſam conſeruare tria miracula requiri: primum eſt conti-

Subſtātia ſine quātitate poteſt poni in puncto.

continuatio actionis creatiuæ: ſecundum eſt productio infinitarum vnionũ, quibus omnes partes materiæ, quæ ſupponũtur infinitæ, inter ſe vniantur: tertium denique eſt illa collocatio materiæ in Vbi definitiuo, ſub quo eſſet tota in toto, & tota in qualibet parte ſpatij.

14 Reſpondeo ſecundò. Vt materia conſeruetur in puncto indiuiſibili, ita vt non ſit confuſa, ſed ordinata cum ſua actuali extenſione ad totum [qualem habet materia, & quantitas Chriſti Domini in Euchariſtia, quæ, quamuis ſint in puncto, habent actualẽ ordinationem ad totum) Reſpondeo, inquã, requiri duo miracula: primum eſt conſeruatio materiæ ſine quantitate: ſecundum eſt poſitio materiæ in Vbi definitiuo: primum miraculum admittit Soar. negat tamen ſecundum requiri, in Met. diſp. 40. ſect. 4. n. 20. Probo tamen requiri hoc ſecundum miraculum, nam materia, etiam denudata quantitate, non poſtulat ex ſe nec confluere ad punctum, nec aliquod Vbi definitiuum, ſed potiùs poſtulabat manere in eodem loco, quia, ſuppoſito quòd Deus eam velit conſeruare, magis connaturaliter illi erat Vbi circũſcriptiuum, quod poſtulat naturaliter (ſiquidem eſt ens materiale) quàm Vbi definitiuũ, quod eſt proprium ſpirituum: vnde patet duo illa miracula requiri.

15 Obſtas cum Soar. in Met. citato diſp. 40. ſect. 4. nu. 20. nulla daretur naturalis repugnantia inter partes illius ſubſtantiæ, vt poſſent confluere ad punctum: ergo ſaltem virtute Angelica, hoc fieri poterit, ſine nouo miraculo. Reſpond. negando antecedens, quia, ſuppoſito, quòd Deus vellet conſeruare illam ſubſtantiam, connaturalius illi erat permanere in eodem loco, quàm reduci ad punctum, nam in puncto magis remouetur à ſuo connaturali ſtatu: neque Angelus hoc præſtare poterit virtute naturali, quia cùm punctum ſit aliquid indiuiſibile, & ſubſtantia materialis diuiſibilis, requiritur maior virtus, quàm Angelica, vt deturbetur à naturali ſtatu, & ponatur in indiuiſibili.

De effectu formali quantitatis.

Effectus formalis eſt reddere ſubſtantiã extenſã ad locum.

16 Quarta concluſio. Effectus primarius, & adæquatus quantitatis eſt reddere ſubſtantiam aptitudinaliter extenſam, per ordinem ad totum, ita vt repleat locum aptitudinaliter. Hæc concluſio bene ſequitur ex dictis. Et probatur facilè, quia effectus formalis alicuius formæ nihil eſt aliud, quàm ipſa forma vnita ſubiecto apto, ipſumque denominans in concreto: ſed eſſentia quantitatis adæquata conſiſtit in aptitudinali extenſione ad totum, per ordinem ad locum replendum, vt conſtat ex dictis: ergo hæc eſſentia, ſiue hæc cauſa formalis poſita in ſubiecto, illudque in concreto denominans, eſt effectus formalis primarius quantitatis.

17 Et declaratur, quia ſicut facere ſubiectum calidum accidentaliter, eſt effectus formalis primarius, & adæquatus caloris poſiti in ſubiecto apto, ita facere ſubiectum aptitudinaliter extenſum ad totum (non quidem ſubſtantialiter, ſed accidentaliter] & deinde per ordinem ad locum replendum, eſt effectus formalis primarius, & adæquatus quantitatis: ita vt extendere ſubſtantiam quantitatiuè ad totum, ſit effectus formalis genericus; extenſio verò per ordinem ad locum aptitudinaliter replendum, ſit effectus formalis diſtinctiuus quantitatis. Vnde facere ſubſtantiam diuiſibilem, menſurabilem, impenetratam, actualiter diuiſibilem, actualiter occupantem locum, & actualiter extenſam ad totum accidentaliter, ſunt effectus ſecundarij quantitatis.

18 Quod ſic ampliùs explicatur, quia ſicut facere ſubiectum formaliter frigidum, eſt effectus formalis primarius frigoris, facere autem non calidum eſt effectus ſecundarius frigoris, & primarius alterius formæ, vel quaſi formę, nempe negationis calidi; ita facere ſubiectum extenſum quantitatiuè eſt effectus formalis primarius quantitatis: reddere verò ſubſtantiam impenetratam, diuiſibilem &c. immediatè procedit ab alijs formis, remotè verò à quantitate. Vbi aduertendum eſt, dari poſſe in aliquo ſubiecto formam, ſiue cauſam formalem, quæ ſit diuinitus ſine ſuo effectu formali ſecundario, vt patet in ſubiecto habente ſimul diuinitus frigus, & calorem, tunc enim tale ſubiectum eſt actu calidum, & tamen non eſt non frigidum (ſiquidem ſimul habet frigus) qui eſt effectus ſecundarius caloris. Quamuis ſi res ſecũdùm naturalem ordinem ſit ſpectanda, dari non poſſit effectus formalis primarius ſine ſecundario, præcipuè ſi talis effectus ſecundarius neceſſariò ſequatur, poſito primario, vt contingit in ſubſiſtentia, qua poſita, neceſſariò ſequitur effectus ſecundarius independentiæ, & incommunicabilitatis.

19 Obijcis tamen primò contra concluſionem. Subſtantia materialis, vt ex dictis conſtat, habet aptitudinalem extenſionem partium per ordinem ad totum: ergo hæc extenſio non illi prouenit à quantitate, atque adeò non erit eius effectus veluti genericus præſtare hanc extenſionem materiæ. Vt hoc argu- Soluuntur contraria argumenta

Digitized by Google

argumentum ſoluatur, aduertendum eſt, dari in ſubſtantia materiali duas extenſiones per ordinem ad totum; primam ſubſtantialē, & propriam ipſius materiæ, quæ illi non præſtatur à quantitate: ſecunda eſt accidentalis, & quātitatiua, quæ illi præſtatur à quātitate: habet igitur materia ex ſe, & ex ſua eſſentia primam illam extenſionem; ſecundam verò vendicat à quantitate; ſicut intellectus, quāuis ſit eſſentialiter qualitas, vlteriùs qualificatur per conceptum, & ſpeciem.

20 Inſtas: ergo etiam vnum Vbi poterit per aliud vbicari, & vna actio poterit fieri per aliam. Reſpond. negando ſequelam: maior ratio eſt, quia vnum Vbi non eſt capax alterius Vbi, neque vna actio alterius actionis, quia videlicet in eodem genere redderentur talia per aliud tale; at verò, cùm materia per ſe habeat extenſionem in vno genere ſubſtātiæ materialis, bene poterit habere aliā extenſionē in alio genere, nempe accidentaliter, præcipuè cùm materia ſit capax accidentium, vt patet in exēplo intellectus, qui, cū ſit qualitas, vlteriùs qualificari poteſt per conceptum. Vnde quando communiter dicitur, *quidquid eſt formaliter tale, non poteſt diuinitus vlteriùs fieri tale*, intelligitur in eodem genere & in rebus, quæ non ſunt capaces recipiendi in ſe aliud ſimile, vt patet in actionibus, & in Vbi.

21 Obijcis ſecundò. Diuiſibilitas eſt prior, quàm aptitudinalis extenſio ad locum: ergo formalis effectus quantitatis eſt reddere ſubſtantiam diuiſibilem. Probatur antecedens, quia in eo priori, in quo quantitas percipitur extenſa entitatiuè, ſtatim percipitur diuiſibilis. Reſpond. negando conſequentiam, quia talis diuiſibilitas impropria eſt, & proprietas quædam generica, conueniens omni enti habenti aliquam extenſionem, ſiue phyſicam, ſiue metaphyſicam, & ſubſtantialem; quapropter, quamuis ſit prior, quia ſequitur gradum genericum; in ea tamen diuiſibilitate conſiſtere nequit ratio diſtinctiua: exemplum eſt in homine, in quo prior eſt gradus animalis, & ſimiliter proprietates conſequentes hunc gradum, & tamen eius ratio diſtinctiua ſolùm conſiſtit in rationali.

22 Obijcis tertiò. Omnis aptitudo eſt proprietas: ergo aptitudinalis extenſio ad locum nihil eſt aliud, quàm proprietas quantitatis: ergo cùm in proprietate non poſſit conſiſtere eſſentia alicuius rei, non poteſt ſimiliter eſſe eius formalis effectus reddere ſubſtantiam aptitudinaliter repletiuam loci. Reſpond. ad antecedens, aptitudinem formaliter eſſe proprietatem, vt conſtat in aptitudine ad ridendū, ad intelligendum &c. nihilominùs tamen per hanc aptitudinem, ſeu potiùs per eius fundamentū explicamus eſſentiam quantitatis, & eius formalem effectum, quia, vt bene aduertit Soar. in Met. diſp. 40. ſect. 4. n. 16. rerum eſſentiæ difficulter à nobis poſſunt explicari: neque nouum eſt, formam aliquam actualem in ſubiecto tribuere ſubiecto aptitudinem, nam intellectus reddit Socratem non actu intelligentem, ſed aptum ad intelligendum. *Soarius.*

23 Atque ex dictis conſtat veritas huius ſententiæ, de ratione, & effectu formali quātitatis, præcipuè ſi ſecundùm noſtrum modum explicandi accipiatur. Quapropter minimè nos terrent tumentes illi centuratum fluctus, quos ſuprà ex Rubio n. 7. & Vaſques n. 10. exhibuimus, qui irrito niſu illiſi inanes abeunt in ſpumas: cum igitur quantitas ſit cauſa repletionis loci, eſt etiam cauſa impenetrationis corporum inter ſe, quæ impenetratio nihil eſt aliud, quàm reſiſtentia quædam phyſica, ne vnum corpus ſimul ſit cum alio in eodem loco. Ne verò longiùs extendatur ſectio de extenſione quantitatis, quærendum modò reſtat, quo pacto impenetrabilitas proueniat à quantitate. *Rubius. Vaſq.*

SECTIO IIII.

De Impenetratione Quantitatis.

1 Prima concluſio. Quantitas eſt poſitiua, radicalis, & remota cauſa impenetrationis. Hæc cōcluſio neceſſariò eſt cōmunis inter omnes, qui docent, impenetrabilitatem prouenire à quātitate: probatur ergo quia quantitas eſt vltima radix vnde prouenit loci occupatio: ergo quantitas eſt radix impenetrationis, quia ex eo quòd hic locus eſt occupatus, non poteſt introire aliud corpus in eundem locum. *Quātitas eſt cauſa remota impenetrationis.*

2 *Secunda concluſio*. Impenetrabilitas prouenit radicaliter etiam, ſed minùs remotè, ab Vbi circunſcriptiuo: hæc concluſio magis patebit ex dicendis. Probatur facilè, quia quantitas per Vbi circunſcriptiuum ponitur in loco, ſed eatenus reſiſtit alteri corpori, quatenus eſt in loco: ergo per Vbi reſiſtit formaliter: non tamen immediatè, quia datur alia cauſa immediatior, vt videbimus; non eſt etiā Vbi cauſa omnino remota, quia remotior cauſa eſt ipſamet quantitas, quæ per Vbi formaliter ponitur in loco, & eſt vltima radix impenetrationis.

Impenetratio formaliter eſt negatio. *Albertin.* *Hurtad.* *Patres Conimb.* *Vaſques.* *Lugo.*

3 *Tertia concluſio*. Quantitas redditur formaliter,& immediatè impenetrata per aliquid negatiuum, nempe per negationem, ſiue priuationem penetrationis: hæc eſt magis controuerſa, cui tamen fauet Albertin. tom.2.diſp.3.de Quantitate q. 3. nu.14. §. *Præterea*: Hurt. in Met.diſp.13.ſect.5.n.38. fauent etiam Conimbr.4.Phyſ.cap.5.q.4.ar.2. §.*Quæ cùm ita ſe habeant*; vbi docet, quantitatem reſiſtere penetrationi negatiuè. Fauet etiam P.Vaſq.tom.3. in 3.p.ad q.76.diſput. 190. cap.3. quatenus aſſerit fieri non poſſe, vt Vbi ſit forma, per quam quantitas actualiter repleat locum: idem clarè docet Lugo de Euchar.diſp.4.n.10.fauet tandẽ præcipuè huic cõcluſioni ratio ipſa; quæ pro omni erit auctoritate. Probo igitur concluſionẽ, quia ſi impenetratio non proueniret immediatè ab hac negatione,prouenirer formaliter ab Vbi circunſcriptiuo,vt volunt aduerſarij; ſed non ita eſt: ergo &c. Probatur minor, quia Vbi circunſcriptiuũ habet pro effectu formali ponere rẽ formaliter in loco extenſiuè:ergo nõ poteſt habere pro effectu formali impenetrationem,nam vnius formæ vnus eſt tantùm effectus formalis primarius.

4 Confirmatur,& declaratur, quia impenetratio formaliter eſt aliquid negatiuum (idem enim eſt atque non penetratio) ergo prouenire nõ poteſt formaliter, & immediatè ab Vbi circunſcriptiuo. Probatur conſequentia,nam Vbi,cùm ſit forma poſitiua,nequit habere effectũ primariũ negatiuũ: ſicut igitur eſſe incõmunicabile immediatè prouenit à negatione cõmunicationis, ita eſſe impenetratum procedit immediatè ab impenetratione,ſeu à negatione penetrationis, quæ doctrina cohæret maximè cũ ea,quam tradidimus in hoc tract.diſp.58.ſect.2. loquendo de effectibus ſubſiſtentiæ.

5 Confirmatur tandẽ efficaciter, quia quando penetrantur duæ quantitates,adhuc in vtrâque remanet Vbi circunſcriptiuũ:ergo hoc Vbi non poteſt eſſe formalis cauſa impenetrationis: antecedens infrà probatur à nu. 22. Probatur conſequentia,quia alioquin tales quantitates eſſent,& non eſſent penetratæ;eſſent,quia ita ſupponitur;non eſſent,quia adhuc retinebant cauſam formalis impenetrationis, nempe vbicationes circunſcriptiuas: vel aliunde dabitur cauſa formalis impenetrationis ſine effectu formali, quod cùm dicendum non ſit, fatendum eſt in aliqua penetratione quantitatum remanere vbicationes circunſcriptiuas,cũ ſuis effectibus formalibus,nempe cũ formali poſitione corporis in loco,non manere tamen effectũ ſecundarium, expellendi ſcilicet aliud corpus, quia hic effectus immediatè prouenit à negatione penetrationis, quæ reuera tollitur à quantitate,quando duo corpora penetrãtur, ſicut cæcitas,quæ eſt negatio viſus,tollitur diuinitus per aduentum formæ negatæ,nempe per viſum. Vide quæ dixi in Phyſ. diſp. 32. ſect.3.à n.10.

Proponitur, ac reijcitur contraria ſententia.

6 Obijcis pro præcipua ſententia in contrariũ,quæ cõmunis eſt,& aſſerit quantitatem reddi formaliter impenetratam actualiter per Vbi circunſcriptiuũ,quã docent Scotus in 4. diſt 49.q.16. Argentinas ibidẽ q.1.ar.4.hanc etiã obiter oſtendunt Patres Conimb.in Logica cap.6.de Quantitate q.1.ar.3.§.*Reſpondetur*: nec omnino diſſentit Soar.tom.3.in 3.p. ad q.75.diſp.48.ſect.1. §.*Differunt*,& §. *Nihilominùs*. Obijcis, inquam, primò. Per id redditur quantitas formaliter impenetrata, per quod replet formaliter locum: ſed replet locum per Vbi:ergo per Vbi redditur formaliter impenetrata. Reſpondeo ad maiorem cum diſtinctione; ſi enim velit, quantitatem per Vbi reddi impenetratam radicaliter, & minùs remotè, concedenda eſt; ſi tamen velit, reddi per Vbi formaliter,& immediatè impenetratam, neganda eſt maior,quia quãtitas non per Vbi, ſed per impenetrationem redditur formaliter impenetrata; cùm enim replere locum, & eſſe impenetratũ,ſint duo effectus diuerſi, prouenire debent à duplici cauſa formali diuerſa.

Quãtitas non redditur formaliter impenetrata per Vbi circũſcriptiuum. *Scotus.* *Argent.* *Patres Conimbr.* *Soarius.*

7 Obijcis ſecundò. Negatio, quæ immediatè fundatur in entitate rei, nec diuinitus tolli poteſt: ſed impenetratio fundatur immediatè in quantitate: ergo nec diuinitus auferri poſſet, quod cùm non ſit dicendum, potiùs fatendum eſt,impenetrationem immediatè prouenire ab Vbi circunſcriptiuo. Reſpond. maiorem veram eſſe de rigoroſa negatione, qualis eſt negatio lapidis in homine: at verò impenetratio in quantitate non eſt rigoroſa negatio, ſed priuatio; ſolùm enim illa dicitur rigoroſa negatio, quæ ſequitur eſſentiã rei,vel aliquam eius proprietatem, vt ſe habent in Socrate negatio lapidis,& negatio irriſibilitatis:at verò negatio, quæ ſequitur ex aliquo accidente,eſt tãtùm phyſica,& diuinitus poteſt tolli, vt patet in negatione nigri, quæ datur in Socrate (ſi fortè eſt albus)& ita ſe habet negatio penetrationis, quæ non eſt rigoroſa,ſiquidem ſequitur accidens contingens, nempe Vbi circunſcriptiuum,quod acci-

Digitized by Google

accidentaliter quantitati aduenit, & diuinitus tolli poteſt, ſi quantitas ponatur in puncto.

Impenetrabilitas non poteſt tolli à quātitate.

8 Aduertendum eſt, ſermonem hîc eſſe de actuali impenetratione, nam impenetrabilitas eſt rigoroſa negatio, nec tolli poteſt etiam diuinitus à quantitate, idem enim eſt, quantitatem eſſe impenetrabilem, ac poſtulare ex natura ſua impenetrationem, quod eſt maximè proprium quantitatis; ſicut eſſe riſibilē, hoc eſt poſtulare riſum, eſt maximè propriū reſpectu hominis; & hæc impenetrabilitas non deſtruitur per aduentū alterius quātitatis ad eundem locum, quia etiam, quādo quantitas eſt penetrata, poſtulat ex natura ſua non penetrari, ſicut etiam quando homo non ridet, poſtulat ex natura ſua aliquando ridere.

9 Obijcis tertiò. In hoc diſtinguitur Vbi circunſcriptiuum materiæ ab Vbi circunſcriptiuo quantitatis, quòd quantitas per ſuum Vbi replet locum, & expellit aliud corpus, non verò materia: ergo in illo Vbi quātitatis formaliter eſt ipſa impenetratio. Reſpond. tamen in eo diſtingui illa duo Vbi, quòd videlicet, Vbi quantitatis replet formaliter locum per ſe ipſum: at verò vbi materiæ non replet per ſe locum; cum quo tamen ſtare poteſt, vt impenetratio, ſiue reſiſtentia alterius corporis non proueniat immediatè, & formaliter ab Vbi quantitatis, ſed à negatione, quæ fundatur in ipſo Vbi, & tollitur per penetrationem, ſicut tollitur negatio nigri à ſubiecto albo, ſi ſimul diuinitus introducatur nigredo.

10 Obijcis quartò. Duæ qualitates contrariæ per ſe ipſas immediatè pugnant ſine alio modo ſuperaddito: ergo etiam duæ quātitates, per ſe ipſas immediatè fient impenetrabiles ſine alio modo, vel ſine alia negatione ſuperaddita. Reſpondeo negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia qualitates pugnant per ſuam intenſionem, quæ non diſtinguitur ab ipſa entitate qualitatum: at verò quantitas non reſiſtit penetrationi, niſi ſit in loco, quapropter neceſſariò requirit Vbi, ſiue modum ſuperadditum, per quem reſiſtat, & deinde requirit negationem alterius corporis, à qua proximè proueniet impenetratio.

11 Obijcis quintò. Priùs eſt, quantitatem eſſe talis naturæ, cui repugnet penetratio, quàm habere negationem penetrationis: ergo in eo priori collocanda eſt ratio impenetrationis. Probatur conſequentia, nā ex eo dicimus naturam eſſe incōmunicabilem alteri ſuppoſito, quia priùs habet ſubſiſtentiā, à qua primò prouenit incommunicatio. Reſpond. hoc argumentum ſolùm probare, impenetrationem remotè, & fundamentaliter prouenire ab Vbi quantitatiuo, ſicut etiam dixi, incommunicationē ſolùm remotè prouenire à ſubſiſtentia.

12 Obſtas. Poteſt tolli ab Vbi circunſcriptiuo negatio alterius corporis: ergo etiam poterit tolli à ſubſiſtentia negatio communicationis, atque adeò non ſemper ſubſiſtētia reddet naturam omnino incommunicabilem. Reſpond. negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia negatio alterius corporis, quæ fundatur in Vbi circumſcriptiuo eſt phyſica, ſolùm enim naturaliter repugnāt ſimul eſſe duo corpora: negatio verò cōmunicationis reſpectu ſubſiſtentiæ logica eſt: ſicut negatio lapidis reſpectu hominis: & ratio eſt, quia ſubſiſtentia eſt vltimus terminus, qui cū non poſſit vlteriùs terminari, neceſſariò eſt incommunicabilis.

Vtrùm corporum penetratio fiat per aliquam qualitatem?

Penetratio fieri potest per qualitatē realem.

13 SVppoſito quòd diuinitus fieri poſſit penetratio corporum, vt probaui in 2. p. tract. 1. lib. 4. diſp. 32. ſect. 2. à n. 5. Sit *Quarta concluſio*; probabilius exiſtimo penetrationem corporū fieri connaturaliùs in corpore glorioſo per qualitatē aliquā realiter diſtinctam ab ipſo corpore, quæ dicitur dos ſubtilitatis: ita Bonau. Richar. Petrus de Tarantaſia, Palatius, quos citat, & ſequitur Ægitanenſis tom. 3. de Beatitudine li. 3. q. 6. ar. 4. n. 8. & præterea n. 9. citat pro hac ſententia Ambroſ. Gregor. Iuſtin. Hilariū, Epiphanium, & alios Patres, qui clarè indicant, ſubtilitatem corporum beatorum eſſe qualitatem realem, & hanc ſententiam veriorem credit Salas tom. 1. in 1. 2. q. 5. ar. 5. tract. 2. diſp. 14. ſect. 19. n. 165. pag. 621. col. 2. §. *Hæc parum*: & alij, quos ſuprà citat idem auctor.

Bonau. Richard. Tarantaſ. Palatius. Ægitan. Ambroſ. Gregor. Iuſtin. Hilarius. Epiphan. Salas.

14 Probatur breuiter, quia viſio beata nō ſolùm procedit ab intellectu obedientialiter eleuato, ſed etiam requirit qualitatem ſpiritualem eleuantem ipſum intellectum, nēpe lumen gloriæ: ergo ſimiliter virtus penetrandi corpora non eſt ſola potentia motiua eleuata per diuinum cōcurſum, ſed vlteriùs datur qualitas aliqua, quæ formaliter afficiat corpus Beati, & efficienter præſtet ipſam penetrationem, vt videbimus.

16 Quod ſic declaratur, nam quēadmodùm lumen gloriæ affi[c]it formaliter intellectum Beati, & præterea efficienter concurrit cum eodem intellectu ad viſionē beatam

ſupernaturalem: ita dos ſubtilitatis eſt quædam qualitas corporea ſupernaturalis, quæ formaliter afficit corpus Beati, expellēdo ſcilicet ab eo influxum reſiſtentiæ circa alterum corpus; ſicut albedo, dū formaliter facit ſubiectum album, formaliter expellit ab eo nigredinem: vnde ſequitur hanc dotem ſubtilitatis, ſiue hanc qualitatem non concurrere effectiuè circa penetrationem duorū corporū beatorum (dato, & non conceſſo quòd ſe penetrarent) quandoquidē in eis nulla daretur reſiſtentia, quæ effectiuè tollenda foret: at verò reſpectu alterius corporis non glorioſi habet ſe dos ſubtilitatis actiuè, & efficienter, debet enim ſuperare paſsiuam illam, & quaſi materialem reſiſtentiam, quam habet quantitas corporis nō glorioſi; nam penetrare aliud corpus, eſt agere.

Reijcitur contraria ſententia. 16 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quæ docet penetrationem inter corpora non fieri per qualitatem aliquam, ſed ſolùm per potentiam motiuam, prout obedientialiter ſubijcitur diuino concurſui, & conſequēter dotem ſubtilitatis non eſſe qualitatem: ita Scot. Durand. Paludan. Richard. Capreol. Maior. Sot. & alij, quos citat, & ſequitur Soar. tom. 2. in 3. p. q. 55. diſp. 48. ſect. 1. §. *Hæ rationes*. Virtus, qua quantitas reſiſtit penetrationi, eſt ſyncathegorematicè infinita: ergo à nulla qualitate, vel virtute creata poterit ſuperari. Probatur conſequentia, quia non ſufficiet qualitas ſyncathegorematicè infinita, quia actio ſemper eſt à vincente: antecedens probatur, quia talis virtus ſimilis eſt illi, qua natura reſiſtit vacuo. Reſpond. negando conſequentiam, quia licet talis virtus non poſsit vinci per qualitatem creatam naturalem, bene tamen vinci poteſt per qualitatem ſupernaturalem, quæ potentior eſt, quàm reſiſtentia naturalis quantitatis.

Scotus. Durand. Palud. Richard. Capreol. Maior. Sotus. Soarius.

17 Inſtas. Quando Angelus penetratiuè ponitur cum aliquo corpore, præter motum localem, qui terminatur ad Vbi, nulla alia datur actio ex parte Angeli, qua penetret illud corpus, ex eo ſcilicet, quia corpus non reſiſtit ſpiritui: ſed etiam ex eo quòd corpus beatum habeat dotem ſubtilitatis, nullam habet repugnantiam, vt ſubintret aliud corpus: ergo nullam habet efficientiam in aliud corpus, quando cum eo penetratur. Reſpondeo negando conſequentiam, quia quamuis illa qualitas tollat à corpore beato, repugnantiā, quàm habet ad penetrandum aliud corpus, nihilominùs tamen adhuc corpus non beatū ſuam habet reſiſtentiam, vnde neceſſe eſt, vt hæc reſiſtentia tollatur actiuè per qualitatē, quæ eſt in corpore beato.

18 Diuerſa ratio eſt in ſpiritu circa corpus, nam corpus non reſiſtit ſpiritui: at verò corpus habet reſiſtentiam circa quoduis corpus, quæ tolli debet efficienter, neque enim tollitur exemplariter, neque materialiter, vt per ſe patet; neque prætereà formaliter, quia dos ſubtilitatis ſolum formaliter eſt in corpore glorioſo: ergo cùm hæc reſiſtentia detur, & cùm à parte rei tollatur, neceſſariò dicendum eſt tolli efficienter: exemplum ſit in albedine, quæ ſi ponatur in aliquo ſubiecto nigro, formaliter ab eo tollit nigredinem: at verò eadem albedo ſi tollat nigredinem á ſubiecto, in quo non eſt (ſiue per poſsibile, ſiue per impoſsibile) præſtare hoc non poterit niſi efficienter, ſic etiam dos ſubtilitatis tollit formaliter ab eodem corpore glorioſo repugnantiam, quam habet eſſendi cum alio: at verò à diuerſo corpore non glorioſo tollit reſiſtentiam alterius corporis effectiuè.

19 Obijcis tertiò, Virtus operatiua miraculorum in Chriſto Domino non erat qualitas, ſed erat ipſa humanitas Chriſti Domini, prout ſubijciebatur diuinæ omnipotētiæ: ergo ſimiliter virtus penetrandi aliud corpus erit ipſa potētia motiua cū diuino concurſu, prout ſubijcitur voluntati Beati. Reſpond. negando conſequentiam; diuerſa ratio eſt, quia ipſa humanitas poterat eſſe inſtrumentum miraculorum, quia, ſublata qualibet potentia, ſiue qualitate, adhuc poterat Deus vti illa humanitate tanquàm inſtrumento: at verò cùm penetratio ſit certa, & determinata actio, requirit certam, & determinatam potentiam, ſicut viſio beata requirit certam, & determinatam qualitatem, nempe lumen gloriæ. Non negamus tamen poſſe fieri penetrationem ſine tali qualitate, ſicut fiebant miracula à Chriſto Domino ſine aliqua qualitate, quæ eſſet inſtrumentum miraculorum; & ſicut etiam fieri poteſt viſio beata ſine lumine gloriæ, ſi Deus immediatè eleuet intellectum; ſed ſolùm dicimus connaturalius eſſe dari talem qualitatem ad penetrationem, ſicut datur lumen gloriæ ad viſionem beatam. Poteſt dari corporū penetratio ſine tali qualitate.

20 Obijcis quartò. Chriſtus Dominus in vita mortali habuit virtutem penetrandi corpora, & tamen non per aliquam qualitatem actiuam: ergo &c. Reſpondeo concedendo in Chriſto Domino in vita mortali non fuiſſe dotem ſubtilitatis, vt docet Soar. tom. 2. in 3. p. ad quæſt. 55. diſp. 48 ſect. 5. §. *Dices*; quia dos ſubtilitatis, præter virtutem penetrandi corpora, dicit etiam ſtatum beatificum: quapropter mirum non eſt, ſi in Chriſto Domino non fuit illa virtus, per modum

Digitized by Google

modum qualitatis; cùm enim virtus penetrandi corpora non deberetur Chriſto Domino in vita mortali, ſatis erat, quòd ex miraculo poſſet interdum penetrare corpora: at verò cùm in Beatis detur dos ſubtilitatis permanenter, & ratione ſtatus, potior ratio eſt, vt ſit per modum qualitatis corporeæ ſupernaturalis, ſicut communiter conceditur de claritate corporis beati.

Beati non ſe poſſunt penetrare.

21 Quæſtio tamen eſt, vtrùm corpora glorioſa poſſent ſe ipſa ad inuicem penetrare, & an ſcilicet de facto debeat Beatus penetrare corpus alterius Beati? Communis reſponſio, & vera negatiua eſt: ita D. Thom. Capreol. Pezantius. Viguerius, Abulenſ. Palatius, quos citat, & ſequitur Ægytanenſis de Beatitudine tom. 3. lib. 5. quæſt. 6. art. 5. §. 1. Salas tom. 1. in 1. 2. quæſt. 5. ar. 5. tract. 2. diſp. 14. ſect. 19. num. 167. pag. 623. col. 2. ratio eſt, propter decentiam corporum Beatorum; penetratio enim arguit quoddam veluti dominium in corpus penetratum: & prætereà, quia permixtio illa corporum, & confuſio non videtur decere ſtatum beatificum, præcipuè, quia vnum corpus beatum non ſe opponet alteri ad impediendas eius operationes.

D. Thom. Capreol. Pezant. Vuiguer. Abulenſ. Palat. Ægytan. Salas.

Vtrùm in penetratione corporum tollatur ab illis aliquid poſitiuum?

22 Qvinta concluſio. Poteſt Deus cõnſtituere duo corpora in eodem loco auferendo ab illis cõnaturales vbicationes, & tribuẽdo alias ſupernaturales, ita, vt quælibet illorum quantitas ſit in loco definitiuè. Hæc cõcluſio certa omnino eſt, vt patet ex corpore Chriſti Domini, cuius quantitas definitiuè eſt in loco, cum quantitate panis in Euchariſtia.

23 Obſtas: Poteſt quantitati communicari Vbi definitiuum, ita, vt non repleat locum: ergo ſimiliter poterit communicari ſpiritui, vel ſaltem ſubſtantiæ materiali aliquod Vbi repletiuum loci. Reſpondeo negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia, cùm eſſentia quantitatis ſolùm conſiſtat in aptitudinali extenſione ad locum, hæc eſſentia non tollitur, quamuis actualiter non repleat locum: at verò cùm omnino repugnet dari effectum formalem ſine cauſa formali, non poterit ſpiritus, vel ſubſtãtia materialis replere locum per ſe, ſiquidem per ſe non habet Vbi quantitatiuum, quod formaliter replet locum.

24 *Sexta concluſio.* Vt duo corpora penetrentur, opus non eſt, vt ab illis auferatur aliquid poſitiuum; ſed ſufficit, quòd tollatur aliquid negatiuum: ita D. Thom. in 4. diſt. 44. quæſt. 2. ar. 2. in corpore, & in additionibus ad 3. p. q. 85. ar. 2. vtrobique enim aſſerit, inſaniam eſſe dicere corpus glorioſum non replere locum, quando cum alio non glorioſo alicubi ſimul conſtituitur; idem ſentit Sotus in 4. diſt. 49. quæſt. 4. ar. 6. Soar. tom. 1. in 3. p. ad quæſt. 75. diſp. 48. ſect. 4. §. *Tertio argumentari*, conſentiunt Patres Conimbr. lib. 4. Phyſ. cap. 5. q. 4. ar. 1. §. *Quod ergo*, idem ſupponunt Salas tom. 1. in 1. 2. q. 5. art. 5. tract. 2. diſp. 14. ſect. 19. num. 165. initio. pag. 621. colun. 1. §. *Sed hæc.* Ægytanenſis tom. 3. lib 5. q. 6. ar. 4. §. 3. num. 18. & num. 26. & §. 4. n. 50. & ita à me dictum eſt in Phyſ. diſp. 32. ſect. 2. à num. 10.

In corporũ penetratione nihil poſitiui tollitur. D. Thom. Sotus. Soarius. Patres Conimb. Salas. Ægydius. Luſitan.

25 Probatur á priori, quia duo corpora ſunt formaliter impenetrata per negationem penetrationis: ergo vt penetrentur, ſufficit vt auferatur hæc negatio; quod ſic declaratur, quia ſi aliquid poſitiuum auferendum foret, vel eſſet quantitas, vel vbi circunſcriptiuum, neutrum adimitur: ergo &c. Probatur minor, nam imprimis quantitas non tollitur, alioquin iam non daretur penetratio: deinde non tollitur Vbi circunſcriptiuum, quia vel illa corpora manerent ſine omni Vbi, quod impoſsibile eſt, quia nulla res creata poteſt exiſtere ſine aliquo Vbi; vel ſaltem alterum illorum maneret ſine Vbi, quod non eſt minus falſum.

26 Neque ſatisfaceret qui dixerit, aliquod illorum corporum manſurum cum Vbi definitiuo, nam, vt duo corpora penetrentur omnino requiritur, vt vtrumque habeat vbi circunſcriptiuum. non enim datur penetratio, niſi quando datur reſiſtentia, ſed corpora ſolùm reſiſtunt penetrationi per Vbi circunſcriptiuum: ergo, ſublato tali Vbi, tollitur propria ratio penetrationis: penetratio enim non conſiſtit ſolùm in eo, quòd duo ſint in eodem loco, alioquin materia, & forma eiuſdem corporis dicerentur eſſe penetratiuè: & prætereá corpus Chriſti Domini diceretur eſſe penetratiuè in Euchariſtia cum quantitate panis; immò & Angelus diceretur penetrari cum alio Angelo, quæ omnia, cùm non poſsint admitti, dicendum eſt, tunc ſolùm veram dari penetrationem, quando datur vera reſiſtentia per Vbi quantitatiuum: ex quibus conſtat in corporum penetratione, nihil poſitiuum tolli, ſed ſolùm aliquid negatiuum, nempe negationem penetrationis.

Digitized by Google

Reijcitur contraria ſententia.

Scotus. Argent.

27 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet fieri penetrationem, ſubtrahente Deo concurſum, quo conſeruabat Vbi circunſcriptiuum corporis, quod penetratur, quam tenet Scotus in 4. diſt. 49. q. 16. Argentinas ibidem q. 1. ar. 4. Obijcis, inquam, primò. Quando vnum corpus eſt in aliquo loco, habet totum illum locum occupatum: ergo vt introducatur aliud corpus de nouo, alterum illorum debet non replere locum, ſiquidem locus iam erat occupatus: ergo in penetratione neceſſariò auferendum eſt aliquid poſitiuum, nempe aliquod Vbi circunſcriptiuũ: ſic pugnat Scotus contra communem ſententiam de penetratione, verùm

Virgil Æn. 10.

Aſpice num mage ſit noſtrum penetrabile telum.

Reſpondeo enim negando conſequentiam, quia licet vnum corpus habeat naturaliter occupatum totum locum, hoc non tollit, quominùs idem locus poſsit diuinitus admittere aliud corpus, ſicut vnum contrarium in gradibus intenſis ſufficienter explet capacitatem naturalem ſubiecti, nihilominùs tamen non explet eius capacitatem obedientialem.

28 Obijcis ſecundò. Si duo corpora penetrentur, conſeruatis proprijs Vbicationibus, ſequitur ipſas vbicationes penetrari, ſed hoc eſt impoſsibile, quia Vbi eſt ratio formalis impenetrationis: ergo &c. Reſpond. negando minorem, neque enim impenetratio proximè, & immediatè procedit ab ipſo Vbi quantitatiuo, ſed à negatione penetrationis, quæ re vera tollitur (iuxta ſuprà dicta) & proptereà poteſt dari penetratio; vnde nullũ eſt inconueniens, quòd ipſum Vbi penetretur ſecundariò ratione corporis, quod principaliter penetratur.

29 Inſtas. Negatio non pendet immediatè à diuino concurſu: ergo Deus non poteſt immediatè tollere à quantitate negationem penetrationis. Reſpondetur diſtinguẽdo conſequens, non poteſt tolli immediatè, & per ſe ipſam, concedo conſequentiam; nõ poteſt tolli ſaltem mediatè per aduentum alterius corporis in eundem locum, nego conſequentiam: ſicut negatio lucis tollitur mediatè, per aduentum alterius formæ, nempe per aduentum lucis.

In penetratione aliquid poſitiuum à Deo producitur.

30 *Septima concluſio.* Vt penetrentur duo corpora, neceſſariò debet aliquid poſitiuum à Deo de nouo produci. Probatur facilè, quia hæc penetratio eſt effectus diuinæ omnipotentiæ, qui neceſſariò fit per actionem poſitiuam (nam penetrare eſt agere) omnis autem realis actio neceſſariò vendicat terminum realem poſitiuum; qui terminus eſt imprimis illud ſecundum Vbi circunſcriptiuũ in loco anteà occupato, & prætereà eſt ablatio reſiſtentiæ in corpore quod penetretur. Ex quibus tandem conſtat, ſic poſſe definiri penetrationem: Penetratio *eſt ingreſſus, ſeu poſitio vnius corporis quantitatiui extenſi localiter in locum extrinſecum alterius, primo corpore non recedente*: in qua definitione bene intelligitur poſſe penetrationem fieri, vel per motum, ſi videlicet vnum corpus intret in locum alterius, vel per ſimul productionem in eodem loco: prædicta definitio conuenit penetrationi actiuæ: formalis verò penetratio ſic definiri poteſt: *Eſt exiſtentia duorum corporum in eodem loco, conſeruatis vbicationibus circunſcriptiuis.*

Vtrùm penetratio fiat per actionem naturalem?

31 O*Ctaua concluſio.* Actio, per quam fit corporum penetratio, ſiue immediatè procedat à ſolo Deo, ſiue mediante potentia motiua, ſiue mediante qualitate, eſt actio in entitate naturalis, & ſolùm ſupernaturalis quòad modum. Probatur prima pars, quia actiones ſpecificantur per terminos materiales, ſed vtrũque Vbi eſt naturale in entitate: ergo &c. Probatur minor, quia illæ vbicationes ſunt quantitatiuæ, & eiuſdem ordinis cum alijs. Probatur ſecunda pars, quia talis actio quòad modum eſt indebita: ergo & tale Vbi in loco ab alio corpore iam occupato, eſt item indebitum.

Talis actio ſolũ ſupernaturalis eſt quòadmodum.

32 Obijcis primò. Vnio ſpecificatur per extrema, & tamen vnio hypoſthatica eſt ſupernaturalis in entitate, quamuis identificetur cum humanitate naturali: ergo, licet actio, per quam fit penetratio, identificetur cum Vbi naturali, erit ſupernaturalis in entitate. Reſpond. negando conſequentiam, licèt enim vnio naturalis ſpecificetur per extrema, nihilominùs ſupernaturalitas vnionis hypoſthaticæ non deſumitur ab extremo naturali, ſed à Deo, cum quo nos vnit immediatè, & phyſicè, vt dixi in hoc tract. diſp. 54. ſect. 2. à nu. 17. at verò actio, per quam fit penetratio, ſolùm habet ſupernaturalitatẽ quòadmodum ex eo communi, & generali principio, quòd ſcilicet ſit indebita; & cùm alioquin actiones ſpecificentur per terminos, bene ſequitur hanc eſſe in entitate naturalem, ſiquidem terminus naturalis eſt.

33 Obijcis ſecundò. Illud Vbi eſt ſupernaturale quòad entitatem: ergo & actio. Probatur antecedens, quia illud Vbi naturaliter debebat excludere aliud corpus; ſed nõ exclu-

Digitized by Google

excludit: ergo non eſt naturale, ſed ſupernaturale. Reſpond. negando antecedens, ad hoc enim vt tale Vbi naturale ſit, ſatis eſt, quòd naturâ ſuâ poſtulet expellere aliud corpus; ſicut accidens, quamuis diuinitus habeat modum per ſe exiſtendi, dicitur tamen accidens naturale in entitate, quia poſtulat inhærere.

Duo corpora penetrata non poſſunt ab inuicē naturaliter diſcedere.

34 Aduertendum tandem, ſi duo corpora diuinitus penetrentur, non poſſe naturaliter, hoc eſt per ſolas vires naturæ, ad inuicem diſcedere illa corpora, ſed tantam virtutem requiri ad penetrationem, quàm ad relinquendum corpus penetratum: & ratio eſt, quia vt vnum corpus ab alio diſcederet, neceſſariò debebat dari aliqua partium penetratio, quæ tamen naturaliter fieri nequit.

35 Sed quid ego vlteriùs? verto proram, & remoueo me ab hac ſtatione, ne altiùs circa penetrationem me penetrem in hoc mare extenſum quantitatis: de qua tamen illud dedimus, parca quod ſatis eſt manu; quæ hîc deſiderantur, videri poterunt in ſecunda parte tract.1, lib.4. diſp.32. ſect.5. & per totum lib.6. vbi pro indiuiſibilibus depræliati ſumus; ea tamen, quæ hic dixi de Quantitate, eiuſque penetratione, ſint in laudem Chriſti Domini, qui cælos, vt tonat Apoſtolus, penetrauit, cui libenter perlitabitur, quidquid in hoc ſtudio, aut ſtadio deſudabitur.

DISPVTATIO LXI.

De Qualitate.

POST ſubſtantiam, & quantitatem diſputandum eſt de Qualitate, quæ eſt accidens quoddam phyſicū, & reale, & in quam faciliùs ſenſus incurrunt; proptereàque Ariſtoteles emendauit ordinem, quem tenuerat in logica, vbi priùs egit de relatione, quàm de qualitate; eam igitur ſic definit Philoſophus: Qualitas *eſt ens quo res dicuntur quales*: quam definitionē his laudibus proſequitur Pater Hurtadus Met. diſp.14. ſect.1. n.2. *Ea igitur*, inquit, *non tam eſt definitio, quàm inanis quædam negatio &c.* attamen niſi ipſe nugatur in re ſeria, propugnat nugis armatus, cùm ſine ſufficiente fundamento veterem, & Ariſtotelicam definitionem condemnet, modeſtiùs tamen, & ſeriùs loquuntur Patres Conimbric. in Logica cap.2. de Qualitate q.1. art.1. §. *Albertus Magnus*, in fine, vbi ſic interpretantur hanc definitionem, *quo res dicuntur quales*, id eſt, quo res abſolutè, & in ſe perficiuntur: quapropter eadem definitio à nobis non reijcienda, ſed clariùs erit exponenda.

Hurtad.

Patres Conimbr.

SECTIO I.

De Definitione, Diuiſione, & Diſtinctione Qualitatis.

Proponitur definitio qualitatis.

1 PRima concluſio. *Qualitas eſt accidens reale, & phyſicum complens, & perficiens ſubſtantiam creatam in eſſendo, & operando*: ita P. Soar. in Met. diſp.42. ſect.1. n.5. Patres Conimbr. in Logica cap. de Qualitate q.1. art.1. §. *Vel certè*, & alij communiter; cuius definitionis bonitas ex eo colligitur, quia comprehendit omnem qualitatem, ipſamque diuidit à reliquis prædicamentis: quantitas enim operatiua non eſt; ſed ſolùm extendit ſubſtantiam; relatio refert; & eandem tam quantitas, quam relatio ſolùm per accidens perficiunt, quatenùs ſcilicet habent bonitatem tranſcendentalem: Actio, & Paſſio non ſunt perfectiones, ſed viæ ad perfectionem; Vbi, & Situs potiùs ſunt limitationes, quàm perfectiones: Duratio, & habitus non perficiunt propriè, ſed adueniunt ſubſtantiæ iam perfectæ: vnde ſola qualitas propriè perficit, atque ornat ſubſtantiam.

Soar.

Patres Conimb.

2 Obijcis primò. Quantitas etiam perficit ſubſtantiam, ſiquidem neceſſaria eſt ad eius operationem, & conſeruationem: ergo definitio etiam conuenit quantitati. Reſpond. ad antecedens, quantitatem per accidens perficere ſubſtantiam, quatenùs ſcilicet conſeruatio, & operatio ſubſtantiæ dari nequit ſine quantitate. Nihilominus tamen ideò non eſt accidens perfectiuum, quia per ſe primò ſolùm ordinatur ad extendendam ſubſtantiam: neque obſtat quòd ſubſtantia conſeruari, & operari non poſſit ſine quantitate, nam etiam operari non poteſt ſine Vbi, & tamen Vbi non dicitur ordinari per ſe ad operationem ſubſtantiæ.

3 Obijcis ſecundò. Animæ damnatorū torquentur, in bona opinione, per qualitatem

quandam ſpiritualem productam ab igne æterni, & tamen hæc qualitas non perficit ſubſtantiam: ergo qualitas non eſt accidens perficiens ſubſtantiam. Reſpond. negando minorem, nam talis qualitas ſecundùm ſuam naturalem entitatem perficit ſubſtãtiam phyſicè; quamuis moraliter, & ratione ſigni diuini, ſubſtantiam non perficiat, ſed potiùs inficiat: exemplum eſt in alijs qualitatibus, nempe morbo, &c. Hæc perfectio qualitatis debet eſſe accidentalis, vnde ſubſiſtentia non dicitur perficere propriè in hoc ſenſu, quia non perficit accidentaliter, ſed ſubſtantialiter.

De Diuiſione Qualitatis.

Quatuor ſunt ſpecies qualitatis.

4 SEcunda concluſio. Diuiditur qualitas in quatuor ſpecies ſubalternas, nempe in habitum, & diſpoſitionem: naturalem potentiam, & impotẽtiam: patibilem qualitatem, & paſsionem: formam, & figuram: ita communis ſententia omnium Philoſophorum, quam Picolomineus in ſua Philoſophia morali gradu 2. cap. 8. auſus eſt contradicere: nihilominùs tamen concluſio ſatis probatur ex collectione harum ſpecierum, quam tradit Soar. in Met. diſp. 42. ſect. 5. nu. 7. quæ hic reponenda eſt, quia eſt fundamentum doctrinæ, quam ſequemur.

Picolom.

Soar.

5 Igitur, vel qualitas informat ſubſtantiam, vt illam adiuuet in ſuo eſſe, vel in ſuo operari: ſi in operatione, vel eſt principium proximum operationis, vel terminus: ſi principium, aut eſt innatum tribuens ſimpliciter poſſe operari, & eſt naturalis potentia, & impotentia: aut eſt principium acquiſitum, tribuenſque ſolam facilitatem ad operandum, & eſt habitus: ſi verò eſt terminus operationum, aut ſaltem habet cauſas facilis expulſionis, eſt diſpoſitio: at ſi qualitas ſolùm ordinetur ad ornandam ſubſtantiam in ſuo eſſe, vel eſt modus conſequens quantitatem, & eſt forma, & figura: vel eſt aliqua realitas, quæ ſubſtantiam ſimpliciter ornat, neque tamen primò ordinatur ad operandum tanquàm potentia, & eſt patibilis qualitas, & paſsio.

De Diſtinctione harum ſpecierum.

6 TErtia concluſio. Habitus, & diſpoſitio differunt eſſentialiter, à naturali potentia, & impotentia; & generaliter loquendo quodlibet par harum qualitatum differt ab alio pari eſſentialiter. Hæc concluſio certa eſt, quia illa, quæ habent diuerſas eſſentias, neceſſariò differunt aſſentialiter; ſed diuerſæ ſpecies neceſſariò vendicant eſſentias diuerſas: ergo hæc paria qualitatum, cùm ſint diuerſæ ſpecies, vt ſuppono ex dictis, eſſentialiter inter ſe differunt.

7 Quarta concluſio. Naturalis potentia, & impotentia differunt inter ſe accidentaliter (idem etiam dicendum de patibili qualitate, & paſsione: de forma, & figura) Hæc concluſio probatur, quia ſolùm differunt ſecundùm magis, & minùs; vt eſt communis ſententia; nam impotentia nihil eſt aliud, quàm potentia infirmior.

8 Quinta concluſio. Habitus, & diſpoſitio inter ſe differunt eſſentialiter. Ita D. Thom. 1. 2. q. 49. ar. 2. ad 3. quem ſequuntur Iauellus, & Caiet. in commentario huius capitis. Sotus in hoc prædicamento, quæſt. vnica. Toletus hoc loco, q. 1. Fonſ. 5. Met. cap. 14. q. 2. ſect. 2. Soar. in Met. diſp. 42. ſect. 6. n. 6. Conimbr. in Logica cap. 8. de Qualitate, q. 1. ar. 3. ſect. 1. à §. Oppoſita. Valent. tom. 2. d. 4. q. 1. punct. 1. Patet Rubius in Logica cap. 8. de Qualitate, q. 2. n. 34. vbi præterea citat Canterum, & alios. Ea præcipuè ratio aſsignatur, quòd habitus poſtulat ex natura ſua difficilè abijci, diſpoſitio verò poſtulet facilè abijci, quæ conditiones arguunt ſpecificam diuerſitatem, & eſſentiales differentias nobis occultas, quas tamen per illud, facilè, & difficilè, vtcumque explicamus.

D. Thom. Iauel. Caiet. Sotus. Toletus. Fonſec. Soar. Patres Conimb. Rubius. Valent. Canter.

9 Obijcis primò pro contraria ſententia, quæ docet, has duas ſpecies ſolùm accidentaliter differre, quam tenent Porphyrius, Boetius, Amonius, Albert. Ægydius, Simplicius, Burlæus, Scotus, quos citat Vallius tom. 1. Logica cap. de Qualitate q. 3 cap. 3. & ipſe cap. 5. dicit, hanc ſententiam æquè probabilem eſſe, illam præterea ſequuntur Vaſq. 1. 2. d. 78. cap. 3. n. 20. Sal. 1. 2. q. 52. d. 5. ſect. 1. n. 30. Obijcis, inquam, primò: error eſt habitus ſicut ſcientia, & tamen facilè expellitur, per vnum ſcilicet actum ſcientiæ: ergo facilè expelli non eſt differentia per ſe, ſed per accidens ſe habet. Reſpond. ad minorem, errorem per actus acquiſitum, ex natura ſua poſtulare diu permanere, & difficilè abijci, ſicut ſe habet ſcientia; quãuis aliquando error negatiuus, id eſt ignorantia tollatur facilè per vnum tantùm actum ſcientificum, & propterea hic error dici poterit diſpoſitio, impropriè tamen, cùm non ſit aliqua realitas; & de hoc errore non eſt quæſtio: ex quo patet ſolutio ad argumentum.

Porphyr. Boet. Amonius. Albert. Ægyd. Simplic. Burleus. Scotus. Vallius. Vaſquez. Salas.

10 Obijcis ſecundò. Virtus moralis inchoata,

Digitized by Google

choata, ideſt quatenus per primos actus acquiritur, eſt diſpoſitio, deinde propter actuũ multiplicationem, quando iam firmiùs adhæret, fit habitus; & tamen hæc virtus ſemper eſt eiuſdem ſpeciei: ergo habitus, & diſpoſitio non differunt eſſentialiter. Probatur minor, quia ſemper habet idem obiectum materiale, & formale. Reſpond. ad maiorem, virtutem, vel ſcientiam inchoatam iam eſſe habitum inchoatum, ſiquidem naturâ ſuâ poſtulat difficilè abijci, licèt per accidens ex defectu repetitionis actuum faciliùs abijciatur, quàm habitus aliquis perfectus. Ad probationem minoris reſpondetur, tam habitũ, quàm diſpoſitionem habere idem obiectum aliquando, ſed non eodem modo, quod ſufficit, vt differant ſpecificè, habitus enim tendit in ſuum obiectum, ſub diuerſa formalitate, nempe remotè & per actus, ad quos facilitat. Diſpoſitio verò quando eſt actus, tendit in obiectum immediatè: atque hoc pacto potentia, & actus eſſentialiter differunt (quamuis habeãt idem obiectum materiale) videlicet propter diuerſum modum tendẽdi in ipſum obiectum.

11 Ex quibus patet, habitum, & diſpoſitionem conſtituere duas ſpecies, quæ proximè conueniunt in quadam ſpecie ſubalterna innominata, quæ dici poteſt diſpoſitio. Non caret tamen probabilitate has duas ſpecies accidentaliter tantùm differre, & pro hac parte videri etiam poteſt P. Vaſq. in 1. 2. tom. 1. q. 21. d. 78. cap. 3. nu. 20. vbi citat Durandum.

Vaſques. Durand.

12 *Sexta concluſio.* Inter prædictas ſpecies qualitatis requiritur diſtinctio ex natura rei, ita colligit Soar. in Met. diſp. 42. ſect. 4. n. 5. conſentiunt Patres Conimbr. in Logica cap. de Qualitate, q. 1. ar. 2. à §. *Communior.* Idem videtur ſupponere Fonſ. in Met. lib. 5. cap. 4. q. 1. ſect. 5. Præcipua ratio eſt, quia qualitas eſt accidens phyſicum, & reale: ergo requirit inter ſuas ſpecies phyſicam, & realẽ diſtinctionem, ideſt, vel realem preſſẽ, vel ſaltem modalem, qualis datur in figura, quæ eſt modus.

Hæ ſpecies ex natura rei diſtinguuntur. *Soarius. Patres Cõnimbr. Fonſeca.*

13 Si verò qualitas non phyſicè ſpectetur, ſed metaphyſicè, tum temporis non requiritur diſtinctio realis inter ſpecies reales. Probatur, quia eadem res ſub diuerſis formalitatibus metaphiſicè ſpectatis, pertinet ad diuerſa prædicamenta, vt patet in actione, & paſsione: ergo eadem qualitas ſub diuerſis formalitatibus pertinere poterit ad diuerſas ſpecies eiuſdem prædicamenti: & declaratur exemplo; nam eadem quantitas quatenus extendit ſubſtantiam conſtituit prædicamentum quantitatis, quatenus verò reddit ſubſtantiam æqualem alteri, pertinet ad vnam ſpeciem relationis: quatenus verò illam reddit inæqualem, pertinet ad aliam ſpeciem relationis (quod procedit in opinione, quæ aſſerit, relationem diſtingui virtualiter) ergo ſimiliter eadem qualitas ſub diuerſis formalitatibus pertinebit ad diuerſas ſpecies.

14 Confirmatur hæc doctrina multis exemplis, nam viſio beata eſt accidens phyſicum, & reale; & tamen ſi metaphyſicè ſpectetur habet diuerſas formalitates ſpecificè differentes, nam reſpectu Dei viſio beata eſt intuitiua, reſpectu verò poſsibilium eſt abſtractiua, & pertinet ad aliam ſpeciem notitiæ. Deinde idem actus poteſt reſpectu diuerſorum eſſe practicus, & ſpeculatiuus; & præterea idem actus poteſt eſſe diſcurſiuus, & non diſcurſiuus reſpectu diuerſorum, &c. ergo ſimiliter eadem qualitas metaphyſicè ſpectata poterit pertinere ad diuerſas ſpecies eiuſdem prædicamenti.

15 Atque in hoc ſenſu, explicandi ſunt auctores, qui docent, ſufficere diſtinctionem virtualem inter has ſpecies, non enim loquũtur de his ſpeciebus phyſicè, ſed metaphyſicè ſpectatis, quos inter videri poterunt Toletus in Logica cap. de Qualitate, q. 1. §. *Eſt tertiò.* Vaſq. tom. 1. in 1. 2. ad q. 21. diſp. 78. cap. 3. n. 17. & tom. 2. in 3. p. ad q. 73. diſp. 134. cap. 3. n. 52. Rubius de Qualitate cap. 8. q. 1. n. 21. Ægitanenſis de Beatitudine tom. 2. lib. 10. q. 2. ar. 10. n. 82.

Si hæ ſpecies Metaphyſicè ſpectetur diſtingui poſſũt virtualiter. *Toletus. Vaſques. Rubius. Ægytan.*

16 Pro quibus contra primam partem concluſionis. Obijc. Eadem entitas ſub diuerſis formalitatibus pertinet ad diuerſa prædicamenta: ergo etiam eadem entitas ſub diuerſis formalitatibus dicetur ſimpliciter pertinere ad diuerſas ſpecies eiuſdem prædicamenti. Probatur conſequentia, quia maior diuerſitas, & diſtantia requiritur inter res diuerſorum prædicamentorum, quàm inter res eiuſdem prædicamenti: ergo á fortiori &c. Reſpondeo negando conſequentiam, & ad probationem dicendum eſt, inter res diuerſorum prædicamentorum, requiri maiorem diuerſitatem, quàm inter res eiuſdem prædicamenti, nihilominùs tamen fieri poteſt, vt maior diſtinctio requiratur inter partes eiuſdem prædicamenti, præcipué quando ſpecies fuerint phyſicæ, & reales.

17 Declaratur hæc doctrina, nam ad cõſtituenda diuerſa prædicamenta, ſufficit diuerſitas logica, ideſt prout ſubeſt noſtro intellectui, cum ſolo fundamento in re; prædicamentum enim formaliter eſt opus rationis, vnde poteſt bene ſtare prima diuerſitas, ſine reali diſtinctione; nam diſtinctio non dicit diuerſitatem, ſed ſeparationem, quare dari po-

Digitized by Google

poteſt diſtinctio realis inter res, quæ non ſũt primò diuerſæ; vt inter Socratem, & Platonem, qui realiter diſtinguuntur, & non ſunt primò diuerſi. Quapropter cùm ſpecies qualitatis ſint entia realia, & phyſica poterunt realiter diſtingui, quamuis non ſint primò diuerſæ. Abſolutè igitur fatendum eſt, inter res diuerſorum prædicamentorum, requiri maiorem diuerſitatem, non tamen maiorem diſtinctionem.

SECTIO II.

De Qualitatibus, quæ pertinent ad has ſpecies.

Quæ nam qualitates pertineāt ad habitū?

1 Prima concluſio. Sub habitu collocantur omnes, & ſolæ qualitates, quæ per ſe primò ordinantur ad operandum, ita vt priùs, & eſſentialiter ſupponant potentias, quibus adduntur, & illis non tribuant, niſi tantùm facilitatem operandi, ea tamen lege, vt tales qualitates ex natura ſua ſint diuturnæ, ſiue, vt habeant cauſas difficilis expulſionis. Hæc concluſio colligitur ex ſupradictis. Tales igitur qualitates ſunt imprimis omnes habitus virtutis, & vitij reſidentes tam in intellectu, quàm etiam in voluntate; omnes artes ſcientiæ, errores, ſpecies impreſſæ intellectus, & phantaſiæ; nam hæc omnia cauſas habent difficilis expulſionis. In eâdem etiam ſpecie qualitatis ſedem habent habitus corporei, quos dari concedit Vallius in Logica tom. 1. cap. de Qualitate q. 3. cap. 5. pag. 575. §. *Quod ſic*, & probat in arte ſaltandi, & in arte pulſandi citharam, & in alijs, quæ diu permanent; ſed de his loquemur diſp. 70. ſect. 1. à n. 6.

Vallius.

Habitus ſupernaturales conueniunt cū alijs.

2 *Secunda concluſio.* Habitus ſupernaturales à Deo infuſi, quales ſunt lumen gloriæ, habitus fidei &c. pertinent ad primam ſpeciem, nempe ad habitum; ita Soar. in Met. diſp. 42. ſect. 4. n. 8. Vaſq. tom. 1. in 1. 2. ad q. 21. à diſp. 78. cap. 3. nu. 11. Probatur concluſio. Quia licèt tales habitus dent ſimpliciter operari, cùm tamen inditi non ſint à natura, ſed infuſi à Deo pertinere non poſſunt ad naturalem potentiam: nam diſtinctio eſſentialis inter habitus, & potentias, eſt quòd videlicet potentiæ ſint inditæ à natura, habitus verò non ita. Vnde corruit fundamentum P. Hurt. in Met. diſp. 14. ſect. 2. n. 15. qui exiſtimauit tales habitus pertinere ad naturalem potentiam, ex eo, quòd tribuāt ſimpliciter poſſe operari, ſed cum deficiat ratio diſtinctiua, idest cùm non à natura ipſa, ſed à Deo ſint infuſi, non ad potentiam, ſed ad habitum pertinebunt.

Soarius. Vaſq.

Hurtad.

3 Neque maior nobilitas in habitibus ſupernaturalibus tollit conuenientiam vniuocam in genere qualitatis cum reliquis habitibus naturalibus, ſicut etiam vniuocè conueniunt homo, & leo, licèt homo nobilior ſit; præcipuè cùm etiam qualitatibus ſupernaturalibus conueniat definitio qualitatis: neque obſtat ſupernaturalitas, niſi quando hæc datur inter entia, quorum vnum habet attributionem ad aliud, quod reſpicit eſſentialiter, vt contingit in Deo, & in creatura, quæ non conueniunt vniuocè. Quapropter ſupernaturalitas talium habituum habet ſe veluti per accidens, reſpectu qualitatis, ſicut rationale, reſpectu animalis: vnde lux corporum beatorum, quamuis ſit qualitas corporea ſupernaturalis, cum luce naturali vniuocè conuenit.

4 *Tertia concluſio.* Ad diſpoſitionem pertinent omnes, & ſolæ qualitates, quæ aut ſunt termini operationum, aut etiam principium earum operationum, dummodò cauſas habeant facilis expulſionis. Hæc etiam concluſio ex dictis colligitur: huc igitur reuocantur omnes conceptus noſtri intellectus, omnes actus omnium potentiarum: inter quos etiam numeramus viſionem, & amorem beatificum, nam per accidens eſt, quòd difficilè abijciantur, enim verò ex natura ſua facilè abijci poſtulabant, ſicut reliqui termini potentiarum: neque præterea obſtat, quòd huiuſmodi qualitates ſint ornamenta potentiarum, hoc enim ſecundarium eſt.

Quæ qualitates pertineāt ad diſpoſitionem?

5 Sub hac etiam ſpecie qualitatis collocantur omnes ſpecies ſenſuum externorum, & communis (ſi datur) ita ſatis probabiliter philoſophantur Patres Conimbr. in Logica cap. 8. de Qualitate, q. 1. ar. 3. ſect. 1. §. *Demum.* Probatur, quia tales ſpecies pendent in fieri, & in conſeruari per actiuum concurſum à ſua cauſa efficiẽte, nempe ab obiecto, eo enim remoto, ſtatim remouentur, & propterea cauſas habent facilis expulſionis, quod non cernitur in ſpeciebus intellectus, vel phantaſiæ; nam adhuc, amoto obiecto, perſeuerant. Cùm igitur hæc ſit ratio diſtinctiua habitus, & diſpoſitionis, quòd ſcilicet diſpoſitio non diu perſeueret, habitus verò è contra, inde eſt, quòd tales ſpecies potiùs in diſpoſitione, quàm in habitu diſponantur.

Patres Conimb.

6 Obijcis. In collectione qualitatum aſſignatur pro differentia habitus, quòd ſit principium acquiſitum operationum, & pro diſpoſitione, quòd ſit terminus operationũ: ſed ſpecies ſenſuum externorum, & communis

nis ſunt principia operationum,& deinde nõ ſunt termini:ergo potiùs ſunt habitus,quàm diſpoſitiones. Reſpondetur negando conſequentiam; nam ratio diſtinctiua habitus ea eſt, vt ſit diu permanens qualitas,ac difficilis expulſionis. Et quamuis reuera in collectione ſolùm addatur illa conditio pro diſpoſitionibus, vt videlicet ſint termini operationum, non propterea reijciuntur tales ſpecies à diſpoſitione,ſufficit enim, quòd participet rationem diſtinctiuam talium diſpoſitionũ, nimirum quòd ſint facilis expulſionis,& pẽdeant à ſua cauſa in fieri,& in cõſeruari. ſub habitu enim non quoduis principiũ collocatur,ſed principium diu perſeuerans.

7 Quapropter dicendum conſequenter eſt, contineri ſub diſpoſitione cæleſtes influxus,virtutes illas mirabiles,& incognitas ſucini, magnetis,torpedinis, immò & impulſũ, quamuis hic aliquandiu perſeueret poſt actiuum concurſum cauſæ efficientis, & quamuis etiam ſenſum moueat,quia natura ſuâ ordinatur ad agendum.lux verò, præterquàm quòd ſenſum moueat, cùm ordinetur etiam ad ornatum, potiùs pertinebit ad patibilem qualitatem,quàm ad diſpoſitionem.

De Qualitatibus,quæ pertinent ad ſecundam ſpeciem.

Sub hac ſpecie collocantur potentiæ inditæ à natura.

8 *Quarta concluſio.* In ſecunda ſpecie,hoc eſt,ſub naturali potẽtia, & impotentia collocantur potentiæ à natura inditæ, & quæ primò ordinatæ ſunt ad operandum. Hæc etiam concluſio communis eſt, & bene ſequitur ex dictis. Quapropter quatuor primę qualitates,nempe calor,& frigus, ſiccitas, & humiditas,quamuis ſint proximæ cauſæ operationum, ab hac ſpecie excluduntur, quia non primò ordinatæ ſunt ad operationem, ſed ad conſeruationem ſubſtantiæ; idem etiam dicendum eſt de luce, & coloribus, licèt enim in ratione obiecti ſint productiuæ ſpecierum, quia tamen primariò ordinantur ad ornatum ſubſtantiæ, meritò ab hac ſpecie relegantur.

9 Signum verò quo deprehendi poſſunt quænam ſint qualitates,quæ per ſe primò non ordinantur ad agendum, illud eſſe poteſt. quando videlicet,ſecluſa omni actione, adhuc tales qualitates neceſſariæ ſunt ad ſubiecti conſeruationem, vel ad eius ornatũ, hoc,inquam, ſignum eſt, non eſſe potentias inditas à natura primò,& principaliter ad operandum, quod bene cernitur in quatuor primis qualitatibus. in calore ſcilicet,frigore, ſiccitate,& humiditate; quæ quidem, quamuis operatiuæ non forent, adhuc neceſſariæ iudicabuntur ad conſeruationem, & ornatũ ſubſtantiæ. Et propterea valde probabile eſt, grauitatem,& leuitatem(ſi datur) non pertinere ad hanc ſecundam ſpeciem, quia videlicet requiruntur etiam ad conſeruationem rei grauis,& leuis, & ita ſentiunt Patres Conimbr.in Logica cap.8.de Qualitate q.1. ar. 3. ſect.2. §. *Reſpondemus*, in fine: quamuis probabile etiam ſit ordinari primariò ad operationem, id eſt, ad conſtituenda corpora in ſuo loco naturali,& propterea pertinere ad hanc ſecundam ſpeciem. *Patres Conimbr.*

10 *Quinta concluſio.* Datur qualitas aliqua purè actiua, quæ pertinet ad hanc ſecũdam ſpeciem ſubalternam. Probatur cõcluſio exemplo intellectus agentis, potentiæ motiuę,& impulſiuæ,quia tales potentiæ ſolùm agunt,&nihil in ſe recipiunt:ergo ſolùm ſunt actiuæ,& non paſsiuæ.

11 *Sexta concluſio.* Nulla datur de facto potentia, quæ ſit purè paſsiua: ita docet in Met.Soar. diſp.43. ſect.2.â nu.5. Probatur, quia talis potentia neceſſaria non eſt imprimis in ſubiectis ſpiritualibus, nam hæc recipiunt accidentia immediatè in ipſa ſubſtãtia (niſi ſint actus vitales, ſpecies, & habitus. quos recipiunt in ipſis potentijs, quæ ſimul ſunt actiuæ, & paſsiuæ) Deinde ſufficit ſubſtantia corporea affecta quantitate, vt in ſe recipiat accidentia materialia, actus verò vitales, ſpecies,& habitus recipiuntur in potentijs, quæ ſimul ſunt actiuæ, & paſsiuæ: ergo cùm talis potentia neceſſaria non ſit, ſimpliciter affirmandnm eſt, non dari de facto, natura enim nihil ſuperfluum molitur. *Nulla datur potẽtiá purè paſsiua. Soar.*

12 Negari tamen non poteſt, dari aliquam veluti potentiam purè paſsiuam metaphyſicam,qualis eſt illa,quæ reperitur in ſubſtantia ad ſuſcipienda contraria, hæc tamen propriè non eſt potentia, ſed proprietas (ſicut diaphaneitas in aere, non eſt potentia, ſed diſpoſitio diſponens aerem ad recipiendam lucem) immò quamuis eſſet potentia, nihil obſtaret, quia foret tantùm potentia metaphyſica per rationem diſtincta, nobis tamen ſermo eſt de potentia phyſica realiter diſtincta.

13 Obijcis. In genere ſubſtantiali datur potentia purè paſsiua,nempe materia prima, immò quantitas actiua non eſt: ergo etiam in genere qualitatis dabitur aliqua potentia purè paſsiua. Antecedens patet: ergo &c. Reſpondetur negando conſequentiam, maior ratio eſt,quia potentiæ accidentales ſuaptè natura ordinatæ ſunt ad agendũ, vt cõſtat ex his, quæ de facto dantur; vnde repugnat dari *Solutio contrariæ obiectiones.*

dari aliquam purè paſsiuam: immò dari poteſt aliqua purè actiua, vt eſt intellectus agẽs: at verò cùm materia prima non ordinetur ad agendum, ſed ad recipiendum, nullum eſt inconueniens quòd ſit purè paſsiua: quantitas autem, cùm non ſit potentia, non requirit actiuitatem.

14 *Septima concluſio.* Nec de poſsibili dari poteſt potentia purè paſsiua, quæ ſit qualitas phyſica, & prædicamentalis. Probatur, quia ſicut implicat, dari formam ſubſtantialem, quæ primariò ordinata ſit ad recipiẽdum (ſiquidem primaria ratio actus, ſiue formæ, debet eſſe informare, non verò recipere) ſic etiam implicare videtur, dari formam accidentalem realem primariò ordinatam ad recipiendum, cùm de primaria ratione potẽtiæ accidentalis ſit agere, ſiue ordinari ad actum: immò propterea etiam quantitas, quãuis habeat potentiam ad recipienda accidẽtia, non tamen ſecundùm ſe eſt purè potentia paſsiua, quia non ordinatur primariò ad recipienda accidentia, ſed ad extendendam ſubſtantiam.

Vtrùm detur aliqua potentia ſimul actiua, & paſsiua?

Reſponſio eſt affirmatiua.

15 O*ctaua concluſio*. Dantur aliquæ potentiæ, quæ ſimul ſunt actiuæ, & paſsiuæ. Concluſio communis eſt, & probatur exemplo potentiarum immanenter operantium, nam noſter intellectus, v. g. & voluntas ſimul eliciunt, & recipiunt ſuos actus. Cõſtat autem potentia immanenter operans ex duobus gradibus, nempe ex gradu potentiæ, & ex gradu immanenter operantis, qui gradus immanenter operandi includit formaliter operationem & receptionem.

16 Obſtas: ex actione, & paſsione coaleſcere non poteſt vnum per ſe: ergo ex potentia actiua, & paſsiua, ſeu ex ratione agendi, & patiendi, quam includit intellectus, qui eſt potentia immanenter operans, conſurgere non poteſt vna ſpecies potentiæ, v.g. intellectus. Reſpond. ad conſequentiam cum diſtinctione: non poſſe videlicet fieri vnum per ſe ex potentia actiua, & paſsiua, ſi vtraque adæquatè ſumatur, & prout ſunt entia completa; nos tamen loquimur de vtrâque potentia ſumpta inadæquatè, tunc enim ratio agendi, & patiendi, conſtituunt vnam tãtùm differentiam, quæ dicitur, *immanenter operans*, ex qua, & potentia, fit vna ſpecies potentiæ immanenter operantis, ſicut ex corpore, & ſpiritu fit vnum per ſe, nempe homo.

17 Inſtas. Actio immanens non includit formaliter receptionem, ſiue paſsionem, ſed ſolùm illam connotat: ergo ſimiliter potentia immanenter operans non includit formaliter receptionem, & conſequenter nõ datur potentia, quæ ſimul ſit formaliter actiua, & paſsiua. Reſpond. negando conſequẽtiam: maior ratio eſt, quia actio immanens ſolùm dicit de formali actionem, quæ manet in eodem ſubiecto, à quo elicitur, vnde quaſi per accidens dicit paſsionem, quia videlicet non poteſt manere actio in eodem ſubiecto, quin habeat paſsionem, per quam eius effectus recipiatur: nam alioquin, ſi actio immanens diceret de formali paſsionem, efficeret vnum per accidens, quia actio, & paſſio ſunt entia completa: at verò potentia immanenter operans non minùs formaliter dicit eſſe actiuam, quàm paſsiuam, ſiquidem ex eo quòd operetur immanenter, debet in ſe recipere ſuum actum (idem enim eſt operari immanenter, ac operari recipiendo ſuum actum) & cùm aliunde ratio potentiæ actiuæ, & paſsiuæ ſit partialis; immò integret vnã differentiam potentiæ immanenter operantis, bene poteſt ex hoc gradu, & ex gradu cõmuni potentiæ fieri vnum per ſe.

18 Exiſtimat tamen Soar. in Met. diſp. 43. ſect. 2. n. 17. poſſe eandem potentiam immanenter operantem, ſecundùm mentis præciſionem pertinere ad duas ſpecies potentiæ, nempe ad potentiam actiuam, & ad potentiam paſsiuam. Sed hoc eſt contra doctrinam eiuſdem auctoris in Metap. diſp. 42. ſect. 4. n. 5. vbi requirit diſtinctionem realẽ inter ſpecies qualitatum, ſiquidem ſunt entia phyſica: nihilominùs tamen dicet aliquis pro Soar. potentiam immanenter operantem, nõ phyſicè, ſed metaphyſicè ſpectatam, poſſe pertinere ad duas ſpecies, ſi modò accipiatur, quatenus actiua eſt, modò verò quatenus paſsiua, quo pacto diximus ſuprà, poſſe eandem cognitionem pertinere ad intuitiuam, & abſtractiuam notitiam. *Soar.*

De Potentia obedientiali.

19 N*ona concluſio.* Potentia obedientialis, de qua egi ſecunda parte Summæ tract. 1. lib. 2. diſp. 27. ſect. 4. à num. 1. non eſt qualitas phyſica pertinens ad ſecũdam ſpeciem qualitatis. Ita Soar. in Met. diſp. 43. ſect. 4. n. 12. Hurt. in Phyſ. diſp. 9. ſect. 4. n. 22. Pro eadem ſententia ſtat Ægitan. de Beatit. tom. 2. li. 10. q. 2. ar. 8. n. 6. vbi citat Fonſ. & Cabrer. Probatur, quia qualitas phyſica pertinens ad hãc ſecun-

Non eſt qualitas phyſica. *Soarius. Hurtad. Ægitan. Fonſec. Cabrer.*

Digitized by Google

ſecundam ſpeciem, debet ex natura rei diſtingui, ſed potentia obedientialis non ita diſtinguitur, cùm ſit eadem rei entitas, vt ſubiacet diuino imperio: ergo &c.

20 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quæ docet potẽtiam obedientialem pertinere ad hanc ſpeciem qualitatis. Obijcis, inquam, primò. Potentia obedientialis eſt qualitas phyſica, & realis: ergo pertinet ad hanc ſpeciem qualitatis. Antecedens tenent *Palud.* Palud. in 4. diſt. 1. q. 1. Capr. ibid. & diſt. 13. *Capreol.* q. 1. Ferrar. 3. contra gentes, cap. 56. quatenus *Ferrar.* aſſerũt potentiam operatiuam miraculorum in Chriſto Domino eſſe qualitatem realem; & probatur, quia omnis virtus affectiua in creaturis, eſt qualitas realis, vt patet in intellectu; ſed potentia obedientialis eſt virtus operatiua, per quam ſcilicet res agunt: ergo &c.

21 Nihilominùs tamen ſententiam, quæ aſſerit potentiam obedientialem eſſe qualitatem phyſicam ſuperadditam, conſtans iam, & communis recentiorum DD. conſenſio iugulauit, vt videre eſt apud *Fonſ.* Fonſ. 9. Metap. cap. 1. q. 4. ſect. 4. Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. *Soarius.* 13. diſp. 31. ſect. 5 Albertin. tom. 1. q. 1. in 3. *Albertin.* corollario ex ſecundo principio phyſico, dubit. 3. à num. 14. Ægytanenſem de Beati- *Ægytan.* tudine tom. 2. lib. 10. q. 2. ar. 8. §. 1. à num. 6. vbi prætereà citat Cabreram (quamuis hic *Cabrer.* auctor Ægytanenſis ar. 2. §. 3. num. 12. ad finem, cùm nimis latè explicet potentiam obedientialem, illam potiùs implicet, aſſerit enim eſſe modum quendam purum in rebus) pro eâdem ſententia videri poteſt Vuading. *Vuading.* tract. de Incarn. diſp 7. dub. 3. facilè tamen probatur, non eſſe potentiam obedientialem qualitatem phyſicam, quia, ſublata ea qualitate, adhuc res intelligitur cum potentia obedientiali.

22 Ad argumentum igitur reſpondetur, aſſignando maiorem rationem, quarè potentiæ naturales debeant realiter diſtingui à ſubſtantia, cùm tamẽ potentiæ obedientiales nõ ita diſtinguantur. Diuerſa ratio igitur eſt, quia cùm ſubſtantia per ſe non ſit naturaliter operatiua, requirit potentias realiter diſtinctas: at verò, vt operetur obedientialiter non ſemper requirit potentias realiter diſtinctas, quia, ſublata qualibet potentia diſtincta realiter, & ſublato modo illo puro, ad quem ſine modo confugit Ægytanenſis, poterit Deus vti illa ſubſtantia ad quamcumque operationem, vbi non detur aliqua contradictio, quia talis modus operandi naturalis nõ eſt, nec per naturalem potẽtiam prouenit, ſed miraculoſus eſt, ſupponendo omnipotentiam Dei extraordinariam.

23 Non negamus tamen poſſe res naturales eleuari ad effectus ſupernaturales per qualitatem aliquam in ipſis inhærentem, vt contingit in noſtro intellectu, qui ad viſionem beatam eleuatur per qualitatem ſupernaturalem, id eſt, per lumen gloriæ; ſed aſſerimus poſſe Deum, ſine omni qualitate reali, per ſolum extraordinarium concurſum, eleuare entitatem naturalem, ſuppoſita potentiâ obedientiali actiua, & paſsiua, ad efficiendũ quidquid non implicat contradictionem, vt re vera non implicabat fieri viſionem beatã, ſupplente Deo, per diuinum concurſum, lumen gloriæ; quamuis implicet reddi noſtrum intellectum intelligentem per diuinam intellectionem, & ratio diuerſitatis eſt, quia diuina intellectio eſt immanens, ac proinde inhærere non poteſt in intellectu creato: at verò diuinus concurſus eſt extrinſecus Deo, & poteſt identificari cum re creata; atque adeò per intellectum efficiet Deus quidquid non implicat contradictionem.

24 Obijcis ſecundò pro alia ſententia, *Potentia* quæ rationabilior videtur, aſſeritque ſufficere *obedientia-* diſtinctionem virtualem, quæ datur inter *lis diſtin-* potentiam obedientialem, & rem ipſam, vt *guitur vir-* dicatur talis potentia pertinere ad hanc ſpe- *tualiter.* ciem qualitatis, cui ſententiæ maximè fauet *Albertin.* Albertin. tom. 1. q. 1. Theologica, in primum corollarium ex ſecundo principio, dubit. 2. à num. 11. pag 184. & probatur: quia ſufficit diſtinctio virtualis inter durationem, & rem durantem, vt Duratio per ſe ponatur in prædicamento: ergo etiam ſufficiet diſtinctio virtualis inter potentiam obedientialem, & entitatem rei, vt potentia obedientialis dicatur per ſe pertinere ad hoc prædicamentum qualitatis, & vt collocetur ſub ſpecie potentiæ.

25 Reſpondeo ad hoc argumentum admittendo potentiam obedientialem virtualiter quidem diſtingui ab entitate rei (vt admittit Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 13. diſp. 31. ſect. 6. §. *Id probatur*) quod ex eo conuincitur, quia potentia obedientialis eſt veluti proprietas tranſcendentalis cuiuſque rei, ſicut proprietates entis, *verum*, & *bonum*; ſed proprietates, vel quaſi proprietates ſemper concipiuntur aduenire rei iam conſtitutæ in ſuo eſſe: ergo, ſaltem virtualiter, debent diſtingui, vt communiter admittitur in proprietatibus Entis. Confirmatur quia in hac propoſitione, *Petrus eſt potentia obedientialis*, prædicatum, & ſubiectum non ſunt ſynonima.

26 Hoc, inquam, admiſſo; reſpondeo, non ſufficere diſtinctionem virtualem, vt potentia obedientialis dicatur ſimpliciter per-

pertinere ad ſpeciem naturalis potentiæ; ſiquidem requiritur, quòd potentia pertinens directè, & ſimpliciter ad prædicamentum qualitatis diſtinguatur realiter, ſicut reliquæ potentiæ reales realiter diſtinguuntur à ſubſtantia; quod tamen non tollit quominùs logicè, & metaphyſicè dicatur hæc potentia pertinere ad prædicamentum, iuxta ea, quæ dixi ſect. 1.

27 Obſtas. Potentia obedientialis eſt eadem rei entitas phyſica: ſed eadem entitas phyſica aliquando per ſe pertinet ad hoc prædicamentum (vt intellectus v. g. qui ita eſt potentia obedientialis ad viſionem beatam, vt ſit etiam qualitas pertinens ſimpliciter ad hoc prædicamentum) ergo potentia obedientialis aliquãdo per ſe pertinet ad hoc prædicamentum. Reſpond. entitatẽ rei, id eſt intellectum v. g. non eſſe ſpeciem qualitatis, quà potentia obedientialis eſt, ſed quà potentia realis, vt bene aduertit Soar. in Met. diſp. 43. ſect. 4. nu. 22. ad finem. Vnde nihil colligit argumentum, quamuis enim potentia obedientialis ſit idem cum re, cuius eſt potentia, nihilominùs tamen formaliter non poteſt per ſe pertinere ad aliquam ſpeciem phyſicam, quia ad hoc debebat diſtingui ex natura rei.

Soar.

28 Circa hanc potentiam obiter aduerto cum Fonſ. in Metap. lib. 9. q. 4. ſect. 3. cap. 1. §. *His adiunge*, & cum Albertino tom. 1. quæſt. 1. Theologica ex ſecundo principio phyſico num. 13. à §. *Tertiò obijciunt*; hanc potentiam, quamuis non ſit realis, & phyſica, tranſcendentaliter reſpicere ſuum obiectum, & ab illo ſpecificari, nam omnis potentia, quæcumque ſit, habet obiectum, quod reſpiciat. Quarè audiendi non ſunt, qui dicunt, potentiam obedientialem non ordinari primariò ad ſuum obiectum, quod eſt omne factibile, & proptereà ab illo non ſpecificari, quia exiſtimant, hunc reſpectum talis potentiæ non eſſe naturalem, ſed ſupernaturalem: ſed contrà eſt, quia potentia obedientialis ſumpta formaliter, quà potentia eſt, naturaliter debet reſpicere ſuum obiectum (quamuis materialiter ſumpta illud non reſpiciat, quia vt ſic non eſt potentia, ſed ipſa ſubſtantia, vel accidens) quia implicat dari quamcumque potentiam, niſi per ordinem ad obiectum, & probatur exemplo diuinæ potentiæ, quæ ſupernaturalis eſt, & tamen habet obiectum.

Fonſeca. Albertin. Hæc potẽtia ſuũ habet obiectum.

De qualitatibus, quæ pertinẽt ad tertiam, & quartam ſpeciem.

29 Decima concluſio. Ad tertiam ſpeciẽ qualitatis, nempe ad patibilem qualitatem, ac paſsionẽ pertinent omnes, ac ſolæ qualitates, quæ per ſe primò ordinantur ad ornatum, vel cõſeruationẽ ſubſtantiæ, ſiue alioquin ſint operatiuæ, ſiue non: concluſio cõmunis eſt, & ſequitur ex noſtra collectione, & proptereà ad hãc ſpeciem attinere debẽt quatuor primæ qualitates, calor ſcilicet, & frigus, ſiccitas, & humiditas, prætereà lux, colores, &c.

30 Idem dicendum eſt de qualitatibus ſupernaturalibus, quæ per ſe primò non ſunt operatiuæ, qualis eſt gratia ſanctificans, vt bene colligit Soar. in Met. diſp. 42. ſect. 4. n. 23. Probatur, quia gratia ſanctificans ordinatur primò ad ornandam, & perficiendam ſubſtantiam rationalem, illamque gratam faciendam, vt eſt communis ſententia Theologorum cum D. Thoma 1. 2. quæſt. 109. art. 3. & 4. vnde quando ſuprà dixi habitus ſupernaturales collocari ſub prima ſpecie, ſermo erat de habitibus primò ordinatis ad operationem, quales ſunt fides, ſpes, charitas, lumen gloriæ, &c. neque obſtat, quòd gratia dicatur aliquando habitus, quia ſolùm talis dicitur ex ea communi ratione, quod bene afficit ſubiectum.

Gratia nõ eſt primò operatiua. *Soarius.* *D. Thom.*

31 Idem etiam dicendum exiſtimo de characteribus ſacramẽtalibus, quia non primò à Deo imprimuntur ad operationem, ſed ad ornatum, & diſtinctionem animæ, quidquid in oppoſitum ſentiat Vaſq. tom. 2. in 3. p. ad q. 32, diſp. 134. n 69. neque obſtat, quòd character ſit qualitas inſenſibilis, hoc enim tantùm eſt conditio; ratio verò diſtinctiua eſt, quòd qualitas huc pertinens detur ad ornatum, vel conſeruationem ſubſtãtiæ: quamuis re vera ſecundùm Scoti collectionẽ, gratia ſanctificans, & characteres, nec nõ dotes corporis glorioſi reducantur ad primam ſpeciem, quia in hac tertia ſolas qualitates ſenſibiles admittit.

Vaſquez.

32 Circa dotes corporis glorioſi ſecundùm noſtram collectionem, hæc paucis accipe. Dos claritatis eſt qualitas pertinens ad hanc tertiam ſpeciem, quia primò ordinatur ad perficiendum corpus glorioſum; idem dicendum eſt de dote impaſsibilitatis, ſi forte qualitas eſt: at verò dos agilitatis cùm primò ordinetur ad motum localem, ad omnes differentias loci; & dos ſubtilitatis cùm primò ordi-

Ad quam ſpeciẽ pertineãt dotes corporis glorioſi?

Digitized by Google

ordinetur ad penetrationem corporũ,potiùs pertinebunt ad habitum,quia quamuis videã tur ſpectare ad potentiã, ſiquidem tribuunt ſimpliciter operari, quia tamen non ſunt à natura inditæ,non poſſunt eſſe naturales potentiæ. Tandem pulchritudo, & ſanitas non ſunt propriè ſpecies qualitatis,quia ſunt compoſitæ per accidens.

33 Cæterum circa quartam ſpeciem qualitatis,nempe circa formam,& figuram, illud aduertendum reſtat primò,figuram eſſe qualitatem completam,quamuis ſit modus quãtitatis, ad eum modum, quo quantitas eſt completa, quamuis ſit accidens ſubſtantiæ: & ratio eſt, quia tunc ſolùm modus eſt incompletus, & eiuſdem ordinis cum re, quam modificat, quando pertinet ad eius compoſitionem, vt patet in ſubſiſtentia, quæ ideò ſubſtantialis eſt,& incompleta,quia cõplet ſubſtantiam in ſuo eſſe: at verò figura, Vbi,relatio,&c. cùm aduenìant,rebus iam conſtitutis in ſuo eſſe, poſſunt eſſe entia completa, & pertinere ad diuerſa prædicamenta.

34 Aduertendum tandem eſt, figuram duplicem eſſe, vnam organicam, alteram ſitualem: organica eſt illa, quæ reſultat ex compoſitione partium, hæc modaliter diſtinguitur à quantitate, poteſt enim quantitas diuinitus conſeruari in puncto ſine tali figura. Situalis eſt illa, quæ reſultat ex quantitate per ordinem ad locum, quę etiam modaliter diſtinguitur ab ipſo loco. poteſt enim locus, ſiue ſitus, variari, non variata figura ſituali, vt ſi manus complicata locum, & ſitum] variet, non variata manus complicatione, tunc enim, quamuis locus, & ſitus mutetur, figura erit eadem.

34 Aliam figuram in Numero rimatus eſt P. Rubius cap. 8. de Qualitate, quæſt. vltima à num. 106. quam non admitto, ſiquidem figura modus eſt realis, & per ſe, qui nequit eſſe per ſe in ente per accidens, qualis eſt numerus. In ſubſtantia materiali communiter admittitur figura ſubſtantialis, & organica; licèt, vt verum fatear, difficilimè talis figura à nobis percipiatur, niſi fortè oculos noſtros illuminet lumen Chriſti, *Qui cùm ſit ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius*, ſolus quidem planè; & plenè figuram ſubſtantiæ, & in numero numerum docere poterit figurarum. Nos tamen,relicta qualitatis,& figurarum lite,ad relationẽ iterum pedem referamus, quæ enim de Qualitate reſtant ad librum 9. reſeruantur.

DISPVTATIO LXII.

De Prædicamento Relationis.

QVia Relationis cognitio neceſſaria eſt, vt cætera prædicamenta,quę reſtãt, meliùs percipiãtur, proptereà Philoſophus poſtquã egit de Subſtantia,de Quantitate,&Qualitate, quæ ſunt entia abſoluta,agit in c.15. de prædicamẽto ad aliud,cuius tractatio valde vtilis eſt Philoſopho,ac Theologo: quapropter de Relatione diſputandum nobis eſt, ſupponendo priùs,vt omnino neceſſaria,illa,quæ in Logica ſunt diſcuſſa cap.de Relatione diſp.8.ſec.2.

SECTIO I.

An ſit, & quid ſit Relatio?

1 P*Rima concluſio.* Dantur à parte rei relationes reales, & prædicamentales. Huius concluſionis primus auctor fuit Plato,& fautor Ariſtoteles, quos duces poſteà ſequuti ſunt Philoſophi, immò & Theologi cum Magiſtro in 1. diſt.28.& 30.& cũ D.Th. 1.p.q.13.& 28. eandem cõcluſionem ex profeſſo probant Soar.in Met.diſp.47.ſec.1.à n. 10.vbi multos citat,idẽ præſtat Tolet.in Log. cap 7.de Relatione, q.1.concl.2.& 4. Rub. ibidem q.2.à n 14. Hurt.in Met.diſp.15.Fonſ. 5. Met.cap.15. q.1. ſect. 2. à 5. *At dari*: Vallius in Logica tom.1, prædicamento ad aliud q.1. à cap. 8. Arriaga in Log. diſp. 32. Conimbric.in Log.ca.7. de Relatione q.1. ar.1. Araujo tom.1. Met.li.5.q.5.ar.1.à n.2.vbi ad finem huius numeri ſatis rigoroſè aſſerit, eũ, qui negat prædicamentum relationis, fundamentum noſtræ fidei labefactare, aut debilitare: at enim ne quid nimis,habemus enim firmius fundamentum.

Ariſtot. Plato. Magiſter. D.Thom. Soarius. Toletus. Rubius. Hurtad. Fonſeca. Vallius. Arriaga. Patres Conimbr. Araujo.

2 Hæc concluſio ſic breuiter primò confirmatur, quia duo alba à parte rei, dicun-

dicuntur habere ſimilitudinem; ſed non formaliter per albedinem: ergo per relationem ſimilitudinis. Probatur minor, quia albedo nō facit formaliter ſimile, ſed ſolùm facit formaliter, & primariò album (alioquin haberet vna forma duos effectus formales primarios) & ſimile argumentum fieri poteſt in alijs rebus, nam duæ quātitates ſunt æquales à parte rei, non per ipſam quantitatem (quia quantitas ſolùm facit ſubiectum quātum) ergo per relationem æqualitatis.

3 Confirmatur ſecundò ex myſterio Sāctiſsimæ Trinitatis, quia perſonæ diuinæ cōſtituuntur, & diſtinguuntur non per formas abſolutas, ſed per relatiuas, vt docent cōmuniter Theologi 1. p. q. 40. contra quendam Ioannem de Ripis: ergo, cùm diuinæ perſonæ non ſint abſolutæ (quia abſoluta in Deo ſunt communicabilia, perſonæ autem, quà tales, non communicantur) ſed reſpectiuæ, bene ſequitur dari in diuinis relationes, quæ cū non poſsint eſſe accidentales, erunt ſubſtantiales: ex quibus diuinis relationibus bene argumentātur ad creatas Patres Conimbric. in Logica cap. 7. de Relatione á q. 1. ar. 1. 5. *Theologi.* Quod ſic breuiter oſtenditur, quia in diuinis dantur relationes, ratione proceſſionum: ergo in rebus creatis dabuntur relationes, vbi dātur veræ, & reales proceſsiones vnius creaturæ ab alia (nam Pater in creaturis verè, & realiter generat Filium, & Filius verè, & realiter procedit à patre) ergo, ratione talis proceſsionis, dabitur vera, & realis relatio, quæ cùm non poſsit eſſe ſubſtantialis, vt cōtingit in diuinis, erit accidentalis: hæc doctrina magis patebit ex ſolutione argumentorum.

Patres Conimbr.

Proponitur, ac reijcitur contraria ſententia.

4 Obijcis pro contraria ſententia, quæ negat relationes prædicamētales reales, aſſeritque denominationes ſimilis, Patris, ſerui, &c. non à formis relatiuis, ſed ab abſolutis fieri, prout habent coexiſtentiam, & correſpondētiam cum alijs formis abſolutis ſibi oppoſitis: hanc tenuere Henriq. quodlib 9. q. 3. & Aureolus apud Capr. in 1. diſt. 30. q. 1. qui acriter pugnat pro hac ſententia: idem ſequuntur Nominales ne quid aduerſus communes, & receptas opiniones in auſum relinquerent, & intentatum, inter quos eſt Ocham. in 1. diſt. 5. q. 1. ar. 1. & eius aſſecla Gabr. ibidem; & iterum in 2. diſt. 1. q. 1. ar. 1. idem etiam ſentit Almainus in 4. diſt. 19. q. 5. ar. 1. conſentit etiam Durand. in 1. diſt. 30. q. 2. nu. 14. & q. 3. à n. 10.

Henriq. Aureol. Capreol. Ocham. Gabr. Almain. Durand.

5 Pro eâdem ſententia licenter obſtrepit Baſilius Pontius 1. p. variarum q. 8. cap. 3. qui §. *Communis ſententia*, ad principium capitis inter alia, ſic noſtram ſententiam cauillat, *Mirari*, inquit, *quis rectè poſsit tam debili fundamento innixam concluſionem, tot annos permanſiſſe, aut ita oſcitanter, & per tranſennam conſideraſſe ſcholaſticos rem hanc, vt in ferendo de ea iudicio, non tam quod verum ſit, & lapidi rationis lydio conſonum, quàm quæ alij dixerint, ſequuti videantur, ſine accuratiori examine: &c.* Deus bone! cæleſti numini profectò gratulamur, quòd poſt tot annorum, & Doctorum ſeries, vnus aduenerit Pontius, qui ſcholaſticos excitet tantæ cauſæ indormientes: verùm enim verò hic auctor, dum variarum diſputationū congerit miſcellaneas,

Baſil. Pontius.

Diruit, ædificat, miſcet quadrata rotundis.

Horat. Ep. 1. lib. 1.

Cui illud Hieronymi contra Rufinum dicterium nō incōgruè poteſt regeri, *Diſcipulos*, inquit, *tuos magno ſtudio nihil ſcire docuiſti &c.* qui enim relationes prædicamentales nō calleat, theologicas, & philoſophicas difficultates nequaquàm poterit expedire.

6 Obijcis, inquam, primò. Relationes in bona opinione diſtinguuntur modaliter: ergo bene poterunt dari duæ albedines ſine relatione (ſicut poteſt dari quantitas in pūcto, ſine omni figura, propterea quòd ab ea diſtinguitur modaliter) ſed tunc adhuc tales albedines erunt ſimiles: ergo hæ denominationes proueniunt formaliter à formis abſolutis. Probatur hæc vltima conſequentia, quia tales albedines non dicentur diſsimiles: ergo cùm ſint ſimiles non à relationibus (ſiquidem ſupponimus illas non habere) procul dubio dicentur ſimiles propter ipſas formas abſolutas. Ad hoc argumentum, quòd latè proponit Aureolus, reſpondetur, admiſſo antecedente, negando conſequentiam: neque enim relationes ſeparari poſſunt ab illa duplici albedine, ſunt enim aliqui modi, qui habent neceſſariam connexionem ſubſequentis cum te, cuius ſunt modi, vt patet in Vbi, ſubſiſtentia &c. quapropter ſi per intellectum ſeparentur tales relationes, illæ albedines non dicerentur ſimiles formaliter (ſiquidem deeſt forma ſimilitudinis) ſed tātùm dicentur fundamentaliter ſimiles, quia videlicet conſeruant fundamentum ſimilitudinis, nempe vnitatem in gradu.

7 Inſtas. Duæ naues verè dicuntur ſimiles; & tamen non per relationem prædicamentalem, ſiquidem relatio prædicamentalis dari non poteſt in cōpoſitis per accidēs: ergo

ergo duæ albedines poſſunt dici ſimiles formaliter ſine relatione ſimilitudinis prædicamentali. Reſpond. negando conſequentiã, nam inter illas duas naues dantur formaliter relationes ſimilitudinis reales, quamuis non ſint prædicamentales, vt probat argumentũ, plus enim requiritur ad relationem prædicamentalem, quàm ad relationem, quæ ſolùm ſit realis, non verò prædicamentalis; quapropter ex hoc argumento non colligitur non dari relationes prædicamẽtales inter extrema, quæ habent omnes conditiones requiſitas: immo ſicut multa dantur accidentia, quæ, quia non ſunt completa, non ponuntur per ſe in prædicamento, ita multæ dantur relationes, quæ reales quidem ſunt, ſed quia reperiuntur in compoſitis per accidens, non ſunt prædicamentales.

Nõ omnes relationes ſũt prædicamentales.

8 Obijcis ſecundò. Relationes prædicamentales habent fundamentum in relationibus diuinis, ſed relationes diuinæ potiùs ſunt reſpectus tranſcendentales, quàm puræ relationes: ergo non bene colliguntur relationes creatæ prædicamẽtales ex relationibus diuinis tranſcẽdentalibus. Probatur minor, quia relationes diuinæ non ſunt ad aliud, vt ad purum terminum, ſed ſub ratione alicuius muneris præſtandi, aut recipiendi, quia vt tenet Molin. 1. p. q. 40. ar. 2. diſp. 2. mẽbro 3. à §. *Ex dictis*, & q. 41. ar. 2. diſp. 2. à §. *Tertio ſit*, cum valde probabili ſententia, relatio Patris eſt formalis productio, ſiue origo filij, & ſimiliter relatio Filij eſt formaliter paſſiua generatio, qua Filio communicatur diuinum eſſe, & cum proportione dicendum de relatione Spiratoris, & de relatione Spiritus Sancti: ergo relationes diuinæ potiùs ſunt tranſcendentales, quàm prædicamentales.

Molina.

9 Ad hoc argumentum reſpondendum eſt, relationes diuinas, ſolùm impropriè, dici poſſe tranſcendentales, quatenus, videlicet, ſicut relatio tranſcendens non eſt aliquid ſuperadditum, ſed ipſa entitas rei, ita relationes diuinæ non ſunt accidentia aliqua ſuperaddita diuinis perſonis, & in hoc ſenſu dici poterunt tranſcendentales; nihilominùs tamen propriè loquendo diuinæ relationes ſub expreſſo conceptu relationis, dicendæ non ſunt tranſcendentales, ſed puri reſpectus, qui vt ſic non conſiderantur eſſe in diuinis perſonis, ratione alicuius muneris præſtandi, aut recipiendi, ſed tantùm, vt perſonas referant ad inuicem.

10 Quæ, vt meliùs intelligantur, aduertendum eſt, relationem Patris v. g. multipliciter conſiderari poſſe, primò, vt proprietas eſt, & perſonalitas Patris: ſecundò, vt comprincipium proximum, ſimul cum intellectu reſpectu Filij: tertiò, vt proceſſio eſt, & origo actiua Filij: quartò, vt expreſsè relatio eſt referens Patrem ad Filium, & ſupponens productionem; ſicut in rebus creatis relatio ſupponit productionem cauſæ. Ex quibus colligitur diuinas relationes, quà tales, eſſe puros reſpectus præſupponentes origines, ſiue productiones; quarè quamuis origines concipiantur, tanquàm viæ, & proptereà tanquàm aliquid tranſcendens ad terminum, nihilominùs, quà relationes ſunt, concipiuntur, tanquàm puri reſpectus, ſicut concipitur relatio creata, quæ de nouo aduenit relato tranſcendentali. Ad ſententiam Molinæ reſpondetur cum alia ſententia communiori, & probabiliori, quam ſequitur D. Thom. 1. p. q. 40. ar. 4. cum diſcipulis, quos citat Soar. de Trinitate lib. 7. cap. 7. num. 2. & ipſe poſteà ſequitur à n. 9. perſonas, ſcilicet, diuinas non conſtitui formaliter per ipſas productiones, ſiue origines, vnde relatio Patris, formaliter loquendo, nõ eſt origo Filij, ſed ſupponit originem virtualiter diſtinctam.

Relationes diuinæ ſunt puri reſpectus, veluti prædicamentales.

D. *Thom.* *Soarius.*

11 Obijcis tertiò. Si ex eo quòd dantur relationes in diuinis, colligitur dari etiam relationes in rebus creatis, ſimiliter ex eo quòd diuinæ relationes ſubſtãtiales ſunt, colligetur etiã dari ſubſtantias creatas relatiuas, vel ſaltẽ hoc de poſsibili non repugnabit: ſed hæc ſequela cõmuniter negatur; ergo ex relationibus diuinis nõ bene colliguntur creatæ relationes. Ad hoc argumẽtum reſpondetur negando paritatẽ rationis; nã ex eo quòd in diuinis dentur relationes reales, bene colligitur, poſſe illas ſimiliter dari in rebus creatis, quando ſcilicet detur idẽ fundamentum cũ proportione: v.g. ex eo quòd in generatione Verbi diuini datur relatio. Filij ad Patrem, & Patris ad Filium, bene ſequitur, quòd ſimiliter quando in rebus creatis datur vera generatio, detur etiam vera relatio Filij ad Patrem, & Patris ad Filium.

12 Sed quemadmodùm ex eo quòd relationes in Deo ſint diuinæ, non bene colligimus, quòd relationes creatæ ſint etiã diuinæ; ita etiã ex eo quòd ſubſtantiales ſint, nõ bene colligitur quòd relationes creatæ poſsint eſſe ſubſtantiales, quia videlicet ad hoc datur in Deo diuerſum fundamentum à creaturis, ſicut enim Deus intelligit per ſeipſummet ſubſtãtiã, & ex hoc arguitur diuina, & infinita ſimplicitas, ita etiam referri formaliter per ſe ipſum, arguit ſubſtantiã infinitã, & incapacem omnis formalitatis de nouo aduenientis; quarè ſicut implicat dari ſubſtãtias creatas diuinas, & incapaces cõpoſitionis de nouo aduenĩẽtis,

Digitized by Google

ita implicat dari ſubſtantias creatas, quæ ſint relatiuæ per ſe ipſas, & non per aliquod accidens ſuperadditum.

13 Inſtas. Propterea Deus dicitur intelligere per ſe ipſum, quia intelligit per intellectum, qui ſolùm virtualiter diſtinguitur ab ipſa ſubſtantia Dei; ſed etiam relatio, in bona opinione, ſolùm virtualiter diſtinguitur à fundamento: ergo ſubſtantia creata dicetur referri ad aliam per ſe ipſam, quamuis hoc præſtet per relationem virtualiter diſtinctã, ſicut Deus modò dicitur intelligere per ſe ipſum, quamuis intelligat per intellectum virtualiter diſtinctum: ergo à fortiori de poſſibili dari poterit ſubſtantia, quæ ſit per ſe ipſam relatiua. Reſpondetùr ad maiorem, Deum dici intelligere per ſe ipſum identicè, & in ſenſu reali, nam formaliter dicitur intelligere, per intellectum virtualiter diſtinctum; & ita contingit in ſubſtantia, quæ identicè refertur per ſe ipſam, formaliter tamen per relationem virtualiter diſtinctam, in opinione ſuppoſita.

14 Obijcis quartò, Perſonæ diuinæ ſunt æquales, & ſimiles, ſed non per relationes ſuperadditas: ergo ex æqualitate, & ſimilitudine rerum creatarum non bene colligitur relatio prædicamentalis. Reſpond. ad maiorem, relationem æqualitatis, & ſimilitudinis, inter diuinas perſonas, non eſſe realem, nam imprimis eſſentia eſt vna & eadem in omnibus perſonis, & ideò relatio ſimilitudinis, ratione eſſentiæ, non poteſt eſſe realis, quia eiuſdem ad ſe ipſum potiùs datur identitas, quàm ſimilitudo. fundamenta verò relationum diſtingui deberet ex natura rei. Deinde in ratione perſonarum non dantur relationes reales æqualitatis, & ſimilitudinis, primò, quia perſonæ potiùs ſunt primò diuerſæ, quã ſimiles: ſecundò, quia diuinæ perſonæ perfici non poſſunt accidentaliter, per ſuperadditas relationes: tertiò, quia vna relatio non poteſt eſſe fundamentum alterius relationis: quartò, quia ad relationem requiritur vnitas generica, vel ſpecifica, vt notat Soar. de Trinit. lib. 4. cap. 15. n. 9. quare argumentum nihil colligit. Soar.

15 Obijcis quintò, Iudicium denominatur formaliter verum, per ſolam conformitatem cum obiecto, non verò per ſuperadditam relationem: & tamen hæc denominatio eſt ad aliud: ergo ad ſimiles denominationes non requiritur relatio prædicamentalis. Confirmatur, quia creaturæ per ſe ipſas referuntur ad Deum: cauſa, & effectus tales denominantur à parte rei, non per relationes: ergo &c. Reſpond. iudicium denominari fundamentaliter verum, per ſe ipſum. hoc eſt per tranſcendentalem reſpectum ad obiectum, nihilominùs tamen formaliter, per relationem prædicamentalem ſuperadditam.

16 Ad confirmationem reſpondetur, creaturas per ſe ipſas referri ad Deum, quia ſunt relata tranſcendentalia, quę Deum reſpiciunt ſub ratione muneris recipiendi, relata verò tranſcendentalia, cùm ſint ipſæ rerum entitates non ſunt relationes ſuperadditæ: at verò relatio prędicamentalis ſemper aduenit, ſuppoſita rei eſſentia, & ideò eſt accidens ſuperadditum; & propterea in relatis tranſcendentalibus inueniuntur relationes prædicamentales ſuperadditæ, quando dantur requiſitæ conditiones, de quibus conditionibus dixi in Logica de prædicamentis diſp. 8. ſect. 4. n. 2. & ſimiliter dicendum eſt, *cauſam*, fundamẽtaliter denominari talem ab aliquo abſoluto, quia relatio non eſt ratio cauſandi, nihilominùs tamen ſi formaliter, & relatiuè ſumantur, cauſa, & effectus denominantur tales à ſuperaddita relatione prædicamentali. Relationes tráſcendẽta ea non ſunt relationes ſuperadditæ.

17 Inſtas. Relatio prædicamentalis reſpicit tranſcendentaliter ſua extrema: ergo non diſtinguitur á relatione tranſcendentali. Probatur antecedens, quia relatio prædicamentalis eſt accidens: ſed omne accidens tranſcendentaliter reſpicit ſubiectum: ergo &c. Reſpond. quòd, eſto relatio prædicamẽtalis aliquo modo tranſcendentaliter reſpiciat ſubiectum, quatenus ab illo eſſentialiter pendet, vt à cauſa materiali: non tamen reſpicit terminum tranſcendentaliter, illum enim non reſpicit in aliquo genere cauſæ, ſed tanquàm purum terminum, vnde per ordinem ad terminum conſtituit prædicamentũ relationis. Deinde quamuis relatio prædicamentalis tranſcendentaliter reſpiceret terminum, nihilominùs res, quæ denominatur relata, per relationem prædicamentalem, accidentaliter tantum reſpicit terminum, quod forraſſe ſufficeret, vt relatio conſtitueret ſpeciale prædicamentum.

18 Obijcis ſextò. Relatio prædicamentalis, ſuppoſito quòd ſit accidens exiſtens ante operationem intellectus, debet habere aliquam cauſam (nulla enim res creata exiſtit à parte rei ſine cauſa) ſed relatio nullam habet cauſam: ergo nihil eſt reale. Probatur minor, quia actio cauſæ efficientis, ſolùm terminatur ad fundamentum relationis. Reſpond. ad minorem, relationem non fieri per ſe, & primariò ab agente (ſiquidem primariò non intenditur) ſed fieri concomitanter, & virtualiter per eandem actionem, quatenus, ſcilicet, fit fundamentum, à quo poſteà

proce-

Digitized by Google

procedit relatio; per quandam veluti emanationem.

Quid ſit relatio prædicamentalis, quomodò diſtinguatur à tranſcendentali?

19 Secunda concluſio, Relatio *eſt accidens, cuius totum eſſe eſt ad aliud, vt ad purum terminum*. Hæc concluſio communis eſt, & probata in Logica de Prædicamentis diſp.8.ſect.2. Definitur Relatio.

10 *Tertia concluſio*. Relatio prædicamentalis multipliciter diſtinguitur à relatione tranſcendentali: oſtenditur hæc diſtinctio primò, quia relationes tranſcendentales reſpiciunt terminos ſub ratione alicuius muneris præſtandi, vel recipiendi, vt ſe habet creatura ad Deum, forma ad materiam, potentia ad obiectum &c. at verò relationes prædicamentales reſpiciunt terminum, tanquàm purum terminum, non ſub aliqua cauſalitate actiua vel paſſiua: ſecundò differunt, quia relata tranſcendentalia ſunt res abſolutæ, relationes verò prædicamentales ſunt reſpectus ſuperadditi rebus abſolutis: tertiò differunt, quia relatio prædicamentalis nunquàm per ſe intenditur ab agente, relatio verò tranſcendentalis primario intenditur; vnde conſequenter relatio prædicamentalis nõ eſt per ſe operatiua: differunt præterea, quia relata tranſcendentalia poſſunt eſſe ad terminos indiſtinctos, vt refertur ſcientia Dei ad ipſum Deum, qui eſt obiectum primarium: relatio verò prædicamentalis requirit diſtinctionem ſaltem modalem à termino. Quomodò diſtinguatur à tranſcendentali.

21 Præterea differunt, quia relata tranſcendentalia poſſunt referri ad terminos negatiuos, vel non exiſtentes, vt patet in conceptu tenebrarum, qui ſpecificatur per tenebras, quæ nihil ſunt poſitiuum: immò & referri poſſunt ad entia rationis, vt patet in cõceptu entis rationis: quòd verò non requirãt terminum exiſtentem, patet in conceptu eclypſis futuræ: quæ omnia ſecus adueniunt in relationibus prædicamentalibus, quæ requirunt terminos diſtinctos ex natura rei, qui ſint reales & realiter exiſtentes, quamuis non tribuant ſpecificationem, ſed ſint tantùm puri termini, quas differentias, inter relationes prædicamentales, & tranſcendentales, latè proſequitur Soar. in Met. diſp.47. ſect.4. quẽ ſequitur Albertin. tom.2. in prædicamento ad aliquid, q.5. à fol.381. *Soarius. Albertin.*

22 Aduertendum eſt primò, relationem prædicamentalem, tam ſecundùm eſſe (in) quàm ſecundùm eſſe (ad) eſſe ens reale, & eſſe accidens relatiuum, quamuis enim ratio (in) includatur in omni accidente, nihilominùs ita ſe habet, vt in accidente abſoluto ſit ratio abſoluta; in relatiuo tamen ſit relatiua. Obſtas: relatio prædicamentalis participat communem rationem accidentis: ſed hæc eſt abſoluta: ergo relatio, ſaltem ſecundùm eſſe (in) eſt quid abſolutum. Reſpond. negando minorem, quia eſſentia accidentis in communi abſtrahit ab abſoluto, & relatiuo, ſicut, *Ens*, abſtrahit á ſubſtantia, & accidente: quapropter ſicut ſubſtantia, quamuis ſit ens, nihil habet accidentis, ita relatio, quãuis ſit accidens, nihil habet abſoluti.

23 Aduertendum tandem, relationem eſſe accidens intrinſecum, non quòd ſit de eſſentia, ſed dicitur intrinſecum, ad eum modum, quo albedo dicitur accidens intrinſecum, eſt enim quædam denominatio, ſeu quædam intrinſeca tendentia vnius termini ad alium, iuxta ea, quæ dixi in collectione prædicamentorum. Obſtas. Obiectum dicitur viſum per denominationem extrinſecam: ergo & ſubiectum dicetur relatum per formã extrinſecam. Reſpond. negando conſequentiam: diuerſa ratio eſt, quia viſus non eſt in re viſa, ſed in vidente, & ideò viſus eſt extrinſecus obiecto, quod tantùm intentionaliter attingit: at verò ſubiectum refertur per relationem in ſe ipſo incluſam, & proptereà eſt illi relatio intrinſeca. Quó pacto Relatio dicatur intrinſeca.

SECTIO II.

Vtrùm relationes dicant aliquam perfectionem?

24 Prima concluſio. Relationes creatæ ſunt perfectiones ſubiectorum, in quibus ſunt; ita Soar. in Met. diſp. 10. ſect.3. nu.1. vbi citat Scotum, Durand. Ocham. Gabr. & Gregor. Conſentit in hac concluſione Fonſ. 5. Met. cap.15. q.3. ſect.2. perſtat in eâdem opinione Soar. lib.3. de Trinitate cap 10. nu.2. idem probat Vaſq. 1. p. ad q.5. diſp.23. cap.7. n.21. vbi ſe allegat diſp.122. (quamuis ibi ſolùm loquatur de Relationibus increatis) Idem prætereà tenent Arrubal 1.p. tom.2. ad q.28. ar.4. diſp.105. cap.3. n 13. quatenus aſſerit relationem realem, prout abſtrahit à creata, & increata, dicere perfectionem. Præterea noſtrã concluſionem defendunt Granado 1.p. tom. 2. tract.3. diſp.5. ſect.2. n.25. Albertin. tom. 2. in prædicamento ad aliquid q. 3. num. 4. quam. Reſponſio eſt affirmatiua. *Soarius. Scotus. Durand. Ocham. Gabr. Gregor. Fonſeca. Vaſques. Arrubal. Granado. Albertin.*

quamuis hic auctor exiſtimet, relationem dicere perfectionem abſolutam; noſtram concluſionem præterea approbat Raguſa 3. p. q. 3. ar. 1. diſp. 48. §. *Dicendum eſt ergo*, vbi illam obiter attigit; eandem tandem ſequitur Molina 1. p. q. 42. ar. 6. diſp. 2. §. *Tertia concluſio*.

Raguſa. *Molina.*

2 Probatur ratione. Relationes ſunt perfectiones quædam formales: ſed omnis forma applicata ſubiecto capaci communicat illi ſuam perfectionem: ergo relatio poſita in ſubiecto illud perficiet: ſola maior indiget probatione: probatur ergo, quia bonitas, ſiue perfectio eſt paſsio tranſcendentalis entis: & conſequenter ad hanc doctrinã dicendum eſt primò, vnam albedinem eſſe relatiuè perfectiorem, quando alia exiſtit, ad quam refertur. Dicendum ſecundò perfectionem vel eſſe abſolutam, quando ſcilicet eſt in entibus abſolutis, vel relatiuam. Vnde quando aliqui Theologi negant, relationes eſſe perfectiones, ſic interpretãdi ſunt, quòd ſcilicet negent relationes eſſe perfectiones abſolutas, vel operatiuas, neque enim negare debent eſſe perfectiones purè formales, & relatiuas.

Vtrùm relationes diuinæ dicant perfectiones?

Reſolutiõ eſt affirmatiua.

3 SEcunda concluſio. Relationes diuinæ ſecundùm id, quod dicunt de formali, & ſecundùm id, quod addunt diuinæ eſſentiæ, dicunt perfectionẽ infinitam: ita colligitur ex D. Thom. 1. p. q. 26. ar. 2. ad 3. & abſolutè docet Gabriel in 1. diſt. 7. q. 3. ar. 3. Clitouæus in D. Damaſc. lib. 1. cap. 11. Soar. in Met. diſp. 10. ſect. 3. n. 18. & lib. 3. de Trinitate cap. 9. à n. 15. Valentia 1. p. diſp. 2. q. 2. punct. 1. §. *Videtur ergo mihi*, Arrubal 1. p. tom. 2. ad q. 28. diſp. 105 cap. 3. à n. 7. & n. 6. citat Ocham. Caiet. Medin. eandem concluſionem tenet Granado 1. p. tom. 2. tract. 3. diſp. 5. ſect. 2. à n. 17. Zumel. 2. p. ad q. 28. ar. 2. q 5. Bañes ibi dubio 1. cõcluſione 3. P. Vaſques 1. p. tom. 2. ad q. 28. diſp. 122. præſertim cap. 6. licèt cap. 4. aſſerat tres diuinas relationes eſſe vnam tantùm ſimpliciſsimam perfectionem, nõ verò tres perfectiones relatiuas, vt aliqui auctores citati defendunt.

D. Thom. Gabriel. Clitouæus. Soarius. Valent. Arrubal. Ocham. Caiet. Medina. Granado. Zumel. Bañez. Vaſques.

4 Probatur ratione; quia bonum eſt proprietas totius entis realis, ſed relationes diuinæ, ſunt entia realia, etiã, pro vt præſcindunt ab eſſentia: ergo dicunt aliquam perfectionem. Probatur conſequentia, quia bonum, & perfectum reciprocantur. Et explicatur, quia ſecundùm definitionem D. Thomæ 1. p. q. 4. ar. 1. perfectum *eſt id, cui nihil deeſt in ſuo genere*, ſed relationibus diuinis nihil deeſt in ſuo genere: ergo &c.

D. Thom.

5 Et confirmatur primò. Quia natura diuina poſtulat eſſentialiter tres diuinas relationes, ſed natura diuina non poſtulat, niſi id, quod dicit maximam perfectionem: ergo relationes diuinæ dicunt perfectionem; ſed hæc non eſt abſoluta: ergo eſt relatiua. Confirmatur ſecundò, quia ſi relatio diuina, prout præſcindit ab eſſentia, nullam dicit perfectionem, ſequitur Trinitatem perſonarum eſſe ens imperfectum. Neque dicendum eſt illud ſolùm dici imperfectum, cui negatur perfectio aliqua debita, & propterea diuinas relationes non eſſe dicendas imperfectas, quia nulla perfectio illis debetur; non, inquam, ita dicendum eſt, quia hinc ſequeretur, eſſe maximè imperfectas, quia nihil eſt magis imperfectum, quàm id, cui nulla debetur perfectio: cùm igitur relationes diuinæ dicendæ non ſint imperfectæ, ſequitur eſſe perfectiſsimas.

6 Ex quibus colligitur, relationes diuinas non ſolùm ſecundùm ſe, ſed etiam reſpectu diuinæ eſſentiæ eſſe perfectiones, quod bene proſequitur Arrubal citatus num. 16. & breuiter probatur, quia omnis forma applicata ſubiecto, ſeu quaſi ſubiecto, communicat illi ſuam perfectionem per ſui communicationem, quod explicatur exemplo attributorum, quæ non ſolùm, ſecundùm ſe, ſed, etiam reſpectu naturæ diuinæ, dicunt maximam perfectionem.

Refellitur contraria ſententia.

7 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet, relationes diuinas ſolùm identicè, id eſt ratione eſſentiæ, dicere perfectionem, nõ verò formaliter, & præciſè, quà relationes ſunt, ita Gregor. in 1. diſt. 19. ar. 1. ad finem. Canarienſis 1. p. ad q. 28. ar. 2. diſp. 3. ad 4. Bellarminus tom. 2. controuerſ. 2. lib. 2. cap. 12. & 16. Scotus in 1. diſt. 3. q. 1. ad 4. Durãd. in 2. diſt. 1. q. 3. n. 13. Richard. in 2. diſt. 24. ar. 1. q. 3. ad primum, Caiet. item 1. p. q. 28. ar. 2. circa ſolutionem ad 3. Mol. 1. p. q. 71. ar. 6. diſp. 2. §. 2. concluſ. Becanus in Summa 1. p. tract. 1. cap. 2. q. 6. à nu. 1, vbi allegat D. Thomam q. 42. a. 4. ad 2. idem tenet Cornejo 1. p. tom. 1. tract. 1. q. 14. diſp. 1. dub. 3. n. 7.

Gregor. Canar. Bellarm. Scotus. Durand. Richard. Caiet. Molina. Becan. D. Thom. Cornejo.

8 Obijcis, inquam, primò. Si relatio diuina diceret perfectionem, vna perſona haberet aliquam perfectionem, quam alia non haberet (Pater enim habet formaliter paternitatem, quam non habet Filius formaliter) & deinde Paternitas, & Filiatio ſimul perfectiores eſſent, quàm ſola ſpiratio: ſed hæc vi-

den-

Digitized by Google

dentur abſurda: ergo & illud ex quo ſequitur. Ad hoc argumentum reſpond. bene poſſe vnam perſonam habere formaliter aliquã perfectionem, quam alia non habet formaliter, & tamen non ideò dici perfectiorem; & ratio eſt, quia ſufficit, quòd alia perſona contineat eminenter, ratione eſſentiæ, eandem perfectionem; & propterea negandum eſt perfectionem alicuius perſonæ nullo modo in alia contineri: immò conſequenter dicendum eſt, plures perſonas non excedere vnam ſolùm in perfectione, quia licet Pater ſolùm habeat formaliter perfectionem Paternitatis, nihilominùs habet formaliter eſſentiam diuinam, quæ continet perfectiones relatiuas aliarum perſonarum: in diuinis autem æquè nobilis eſt continentia formalis, & eminentialis, vt eſt communis ſententia inter Theologos.

9 Obijcis ſecundò. Vel relatio diuina diceret perfectionem finitam, vel infinitam: non primum, quia in Deo nulla eſt perfectio finita: non ſecundùm, quia infinitum includit omnem perfectionem formaliter: at verò Paternitas non includit formaliter Filiationem: ergo &c. Reſpond. relationem diuinã dicere perfectionem infinitam in certo genere, neque ad hoc neceſſarium eſſe, vt dicat formaliter omnem perfectionem, quia hoc non cernitur in abſolutis perfectionibus, nã intellectus diuinus v. g. præciſè conceptus dicit perfectionem infinitam in ſola ratione intellectus, in qua ratione non includitur formaliter, & expreſſè volũtas, vel iuſtitia diuina: ex quibus ſequitur dari in Deo, præter perfectiones abſolutas, tres relatiuas, quamuis reclamet Vaſques ſuprà, dicendam eſſe vnam tantùm perfectionem relatiuam.

10 Inſtas, Illa perfectio infinita, vel eſt ſecundùm quid, vel ſimpliciter ſimplex; non primum, quia perfectio ſecundùm quid dicit aliquam imperfectionem (vt cernitur in creatis perfectionibus, quæ, quia eſſentialiter dicunt imperfectionem, ſiquidem ſunt entia creata, ideò ſunt perfectiones ſecundùm quid) non etiam ſecũdum, ideſt, non dicunt perfectionem ſimpliciter ſimplicem, quia ſolæ perfectiones abſolutæ tales dicuntur: ergo &c. huic argumento reſpondebitur in ſequẽti concluſione.

Vtrùm relationes diuinæ dicant perfectionem ſimpliciter ſimplicem?

Reſponſio eſt affirmatiua.

11 *Tertia concluſio.* Relationes diuinæ ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices. Ita Vaſq. tom. 2. in 1. p. ad q. 28. diſp. 121. cap. 4. à nu. 10. Cuius ſententiam more ſuo defendit Alarcon. 1. p. tract. 5. diſp. 3. cap. 3. n. 9. Idem ſentit Ruiz de Trinit. diſp. 30. ſect. 9. item Ioannes Præpoſit. 1. p. q. 4. ar. 3. dub. 5. à n. 24. Valentia 1. p. diſp. 2. q. 2. pũcto 1. §. *Tertium argumentum*. fol. 631. Granado tom. 3. in 1. p. tract. 3. diſp. 5. cap. 3. nu 22. pag. 63. Idem tenet Bañes 1. p. q. 28. ar. 2. à §. *Sed contra hanc ſolutionem*. Probatur ratione, quia illa eſt perfectio ſimpliciter ſimplex ſecundùm D. Anſelmum in Proſologio cap. 5. & cap. 11. vtrobique in fine, & in Monol. cap. 14. quæ *in quolibet ente melior eſt ipſa, quàm non ipſa*: ſed meliùs eſt in Deo habere relationes, quàm non habere relationes: ergo reſpectu Dei meliores ſunt ipſæ, quàm non ipſæ: ergo ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices.

Vaſquez. Alarcon. Ruiz. Præpoſit. Valent. Granado. Bañes. D. Anſel.

12 Sola minor indiget probatione, quæ ſic probatur, quia meliùs eſt in Deo eſſe terminatum, & completum in genere ſubſiſtentis, quàm eſſe interminatum; ſed Deus per diuinas relationes terminatur, & completur: ergo diuinæ relationes ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices. Probatur maior, quia Deus ſine relationibus, cũ quibus facit cõcretionẽ, concipitur in abſtracto, ſolùm enim concipitur tanquam Deitas, & ſolùm completur in genere naturæ: ſed ens completum in genere ſubſiſtentis, & ens terminatum perfectius eſt, quàm ens incompletum, & interminatũ: ergo reſpectu Dei meliores ſunt relationes ipſæ, quàm non ipſæ, ſiquidem cum relationibus concipitur Deus completus, & terminatus in genere ſubſiſtentis, ſine relationibus verò concipitur incompletus, & interminatus in eodem genere: neque recurrendum eſt ad ſubſiſtentiam abſolutam, dixi enim in hoc tract. diſp. 57. ſect. 1. à n. 2. Deũ non habere ſubſiſtentiam abſolutam; & ad ſummum verſatur in opinione, vtrùm habeat, vel non habeat ſubſiſtentiam abſolutam.

13 Confirmatur, & declaratur, quia ex communi Theologorum ſententia, vt docet Sot. lib. 2. de Trinit. cap. 10. n. 4 litera A. ad perfectionem ſimpliciter ſimplicem duæ requiruntur conditiones, prima eſt, vt nullam habeat admixtam imperfectionem, & ideò intellectus, reſpectu hominis, aut Angeli, non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quia habet eſſentialiter admixtas imperfectiones entis creati: ſecunda conditio eſt, vt vna perfectio ſimpliciter ſimplex non excludat aliam perfectionem ſibi æqualem, aut maiorem; vnde riſibile, reſpectu hominis, non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quia præterquamquòd ſit perfectio creata, excludit perfectio-

So.

Digitized by Google

fectionem Angelicam: ſed relationes diuinæ nullam habent admixtam imperfectionem, vt eſt omnino certiſsimum; deinde vna non excludit aliam: ergo &c. Probatur hæc ſecũda pars minoris, nam Paternitas non excludit ab eſſentia Filiationem: immò omnes tres diuinæ relationes, modo ineffabili, ſunt in eſſentia diuina, ipſamque terminant, & per illas æqualiter ſubſiſtit: ergo &c.

14 Confirmatur ſecundò. Quia Deus non minùs eſt ſapiens, quàm fœcundus: ſed ſapientia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: ergo & fœcunditas: maior eſt certa, quia ſicut Deus ex intrinſeca ratione ſuæ eſſentiæ poſtulat eſſe ſapiens, ita poſtulat eſſe fœcundus; vnde communiter aſſerunt Theologi eſſentiam diuinam eſſentialiter poſtulare tres diuinas perſonas: atqui ſapientia in Deo intelligi non poteſt ſine actu: ergo etiam fœcunditas intelligi non poteſt ſine perſonis: ergo ſicut actus ſapientiæ eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ita perſonæ ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices. Hæc doctrina magis patebit ex ſolutione argumentorum.

Proponitur, & impugnatur contraria ſententia.

15 OBijcis tamen pro contraria ſententia, quæ aſſerit, relationes diuinas non eſſe perfectiones ſimpliciter ſimpliciter, quam tenent Gabr. in 1. diſt. 7. q. 1. ar. 3. Heruæus in 1. diſt. 2. q. 4. ar. 1. Soar. de Trinit. lib. 3. cap. 10. à n. 4. Arrubal. 1. p. tom. 2. ad q. 28 diſp. 105. cap. 4. à num. 19. eandem ſupponit Faſſolus 1. p. q. 4. ar. 2. nu. 4. ad finem. Eandem concluſionem ſequi prætereà tenentur Mol. Torres, Bellarminus, Richardus, & alij, quos citaui in hac ſect. n. 7. quatenus abſolutè negant relationes diuinas dicere aliquam perfectionem, & hæc ſententia contraria communis eſt inter Recentiores.

Gabriel. Heruæus. Soarius. Arrubal. Faſſol. Molina. Torres. Bellarm. Richard.

16 Obijcis, inquam, primò. Perfectio ſimpliciter ſimplex non debet excludere aliã perfectionem ſibi æqualem, aut maiorem: ſed Paternitas excludit Filiationem: ergo Paternitas non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Reſpondetur huic argumento ex mente P. Vaſq. citati, negando minorem, neque enim Paternitas excludit à Deo Filiationem, immò Deus ſimul habet Paternitatem, Filiationem, & Spirationem.

17 Inſtat Soar. cit. n. 6. falſum eſſe, & ſine probatione dictum, quòd Paternitas debeat comparari cum diuinitate, ſed affirmat, comparationem faciendam eſſe cum perſona Patris (ſiquidem perfectio ſimpliciter ſimplex, reſpectu cuiuslibet entis, debet eſſe melior ipſa, quàm non ipſa) ſed ſi Paternitas cõparetur cum perſona Patris, excludit à Patre Filiationem, ſiquidem Pater non eſt Filius, quia relatiuè opponuntur: ergo Paternitas reſpectu Patris non eſt melior ipſa, quàm nõ ipſa.

18 Reſpond. primò, negando Paternitatem ſumendam eſſe per ordinem ad perſonam Patris, nam cùm Paternitas ſit relatio terminans eſſentiam in ratione Patris, potiùs comparanda eſt cum eſſentia, quam modificat (vt noſtro modo loquamur) nam perfectio ſumitur per ordinem ad rem, quam perficit. Reſpond. ſecundò: ex mente Iacobi Granado 1. p. tom. 2. trac. 3. diſp. 4. ſec. 3. n. 25. Paternitatem etiam reſpectu perſonæ Patris non excludere Filiationem, neque Filiationem in perſona Filij excludere Paternitatem. Primò, quia Paternitas eſſe non poteſt ſine Filiatione, ſiquidem Filiatio eſt terminus Paternitatis, & ideò Pater dicitur eſſe in Filio, & Filius in Patre, iuxta illud Ioannis 10. *Pater in me eſt, & ego in Patre.* Secundò, quia Pater ſaltem eminenter habet, ratione eſſentiæ, quidquid habet Filius: ergo non excludit Filiationem, ſiquidem id, quod ſimpliciter aliud excludit, non debet illud aliquo modo includere.

Granado.

Quo pacto vna diuina relatio nõ excludat aliam.

19 Inſtas ſecundò, Pater habet Paternitatem formaliter, & ſecum identificatam: Filius non habet Paternitatem formaliter: ergo Pater formaliter ſumptus excludit Filiationem ſumptam formaliter. Reſpond. quia, præterquàmquòd P. Granad. loco citato n. 34. oſtendat ingenioſè vnam Perſonam poſſe dici continere aliam formaliter; ſiquidem terminus eſt de formali conceptu relationis; nihilominùs tamen reſpondetur, quòd nullum ſit inconueniens in eo, quòd vna perfectio ſimpliciter ſimplex non contineat aliam formaliter, quod probo ad hominem ex Soar. lib. 3. de Trinitate cap. 10. n. 8. vbi docet, intellectum diuinum præciſè conceptũ non dicere de formali voluntatem diuinam: & tamen ſecundùm omnes Theologos intellectus in Deo eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: ergo licèt Paternitas non habeat, neque dicat formaliter Filiationé, erit tamen perfectio ſimpliciter ſimplex, ad quod ſatis eſt, quòd non excludat Filiationem ab eſſentia, vt re vera non excludit, ſicut neque intellectus excludit voluntatem.

Soarius.

20 Obijcis ſecundò, Perfectio ſimpliciter ſimplex eſt illa, quæ melior eſt ipſa, quàm non ipſa, & propterea omnipotentia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quia meliùs eſt in

Deo

Digitized by Google

Deo illam habere, quàm non habere, ſed nõ ita ſe habent relationes diuinæ: ergo relationes non ſunt perfectiones ſimpliciter. Probo minorem efficaciter, quia eſſentia diuina tam perfecta eſſet ſine relationibus, quàm cum iiſdem, ſiquidem illas non vendicat ex neceſsitate, ſed ex fæcunditate, quod tamen non cernitur in alijs perfectionibus abſolutis, neque enim tam perfectus eſſet Deus ſine omnipotentia, quàm modò eſt cum omnipotentia.

21 Reſpondetur concedendo, eſſentiam diuinam ſine relationibus habere omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ita tamẽ vt abſolutam habeat formaliter, & relatiuam eminenter, & ideò tam perfectam eſſe cum relationibus, quàm ſine illis in ratione eſſentiæ, ſeu in conceptu formali naturæ: nihilominùs tamen dicendum eſt ſic non habere formaliter omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem relatiuam, & ideò illas poſtulare, vt ſubſiſtat, & perficiatur in genere ſubſiſtentis. Vnde communiter aſſerunt Theologi, quod licèt relationes diuinæ non ſint de formali conceptu eſſentiæ diuinæ, nihilominùs tamen eſſentiam diuinam eſſentialiter poſtulare quòd terminetur tribus diuinis relationibus: atque hoc pacto relationes ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices relatiuæ, vel quia poſtulantur ab eſſentia eſſentialiter; vel quia in Deo includuntur formaliter, vt mox explicabimus.

Eſſentia diuina poſtular eſſentialiter tres relationes.

22 Et declaratur, quia omnipotentia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex abſoluta, non quia formaliter eſt de eſſentia Dei (attributa enim ſunt veluti proprietates Dei, proprietates verò non ſunt de conceptu formali eſſentiæ) ſed quia melior eſt eſſentia ſapiẽs, quàm non ſapiens; ſed etiam melior eſt eſſentia ſubſiſtens, quàm non ſubſiſtens, quia natura ſine ſubſiſtentia concipitur, vt interminata: ergo ſicut omnipotentia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quãuis non ſit de eſſentia Dei, ſed quia poſtulatur ab eſſentia Dei, ita ſubſiſtentia relatiua erit perfectio ſimpliciter Dei, quia, quamuis non ſit de eſſentia, poſtulatur tamen ab eſſentia.

23 Inſtas primò. Perfectio ſimpliciter ſimplex debet in quolibet ente eſſe melior ipſa, quàm non ipſa; ſed in eſſentia diuina, quà eſſentia eſt præciſa à relationibus, non eſt melior ipſa relatio, quàm non ipſa, ſiquidem, quà eſſentia eſt, illam non habet formaliter: ergo &c. Reſpond. ad maiorem admittendo perfectionem ſimpliciter ſimplicẽ eſſe meliorem in quolibet ente ſecundùm ſe ſumpto, & ita in Deo meliùs eſt habere relationes, per quas formaliter terminetur, quàm non habere; non eſſe tamen neceſſarium, quòd perfectio ſimpliciter ſimplex ſit melior in qualibet conſideratione illius entis, cuius eſt perfectio, hoc enim non includitur in definitione huius perfectionis; ſufficit ergo quòd relationes ſint perfectiones ſimpliciter ſimplices reſpectu Dei, licèt tales non ſint reſpectu eſſentiæ, quà eſſentia eſt. Præterquàmquòd etiam reſpectu eſſentiæ ſint meliores, ſiquidem eſſentia diuina poſtulat has relationes, vt dixi.

24 Inſtas ſecundò. Perfectiones relatiuæ continentur eminenter in diuina eſſentia: ergo nullam addunt perfectionem, quam o in ea formaliter concipiuntur. Probatur cõſequentia; ex eo humanitas nullam addit perfectionem Verbo diuino per formalem vnionem, quam habuit ad Verbum, quia humanitas iam erat in Verbo eminenter: ſed etiam relationes diuinæ eminenter erant in eſſentia diuina: ergo nullam perfectionem illi poſſunt addere. Reſpond. diſtinguendo conſequens, nullam addunt perfectionem abſolutam, concedo conſequentiam: nullam addunt perfectionem relatiuam, nego conſequentiam. Ad probationem danda eſt maior ratio, propterea enim humanitas nullam addit perfectionem Verbo, quia eſt res creata, & ideò imperfecta: at verò relatio diuina, cùm ſit increata, & infinitè perfecta, neceſſariò addit perfectionem, quia omnis forma poſita formaliter in ſubiecto illud perficit, nõ obſtante continentia eminentiali.

25 Inſtas tertiò, Paternitas non eſt in Filio, ergo non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, hæc enim reperiri debet in qualibet perſona, ſicut reperiuntur reliquæ perfectiones abſolutæ. Reſpondeo negando conſequentiam, ad hoc enim vt aliquid ſit perfectio ſimpliciter ſufficit quòd ſit melior in indiuiduo Deitatis, vt bene probat Præpoſitus ſuprà, §. *Reſpondeo.* 1. *Præpoſit.*

Soluuntur aliæ difficultates circa eandem materiam.

26 OBijcis tertiò. Perfectio ſimpliciter eſt melior ipſa, quàm non ipſa: ergo ſi paternitas eſt perfectio ſimpliciter, melior erit Paternitas, quàm Filiatio: ſed hoc dicendum non eſt à catholicis: ergo &c. Probatur ſequela. Melior eſt Paternitas, quã nõ Paternitas: ſed nõ Paternitas eſt Filiatio ſicut nõ homo eſt lapis: ergo ſequeretur meliorẽ eſſe Paternitatẽ, quã Filiationem. Reſpond. negando ſequelam primò, quia illa particula, *quàm non ipſa*, poteſt intel-

Quomodò ſit intelligẽda definitio perfectionis ſimpliciter ſimplicis.

Digitized by Google

intelligi contradictoriè, hoc eſt, melior eſt, quàm eius negatio id enim denotat particula, *non ipſa*, & alioquin neque perfectiones abſolutæ forét ſimpliciter ſimplices, ſiquidē, *non ſapientia*, eſt iuſtitia, ergo ſapientia in Deo non eſſet perfectio ſimpliciter, ſiquidem ſapientia non eſt melior, quàm iuſtitia; atque hinc ſolùm ſequitur, melius eſſe in Deo habere Paternitatem, quàm negationem Paternitatis, quod veriſſimum eſt.

27 Secundò etiam negari poteſt ſequela, quia illa particula, *quàm non ipſa*, intelligi poteſt incompoſsibiliter, vt communiter explicant Theologi, hoc eſt, melior eſt, quàm ea forma ſimul incompoſsibilis in eodem ente; cùm igitur Filiatio non ſit incompoſsibilis cum Paternitate, vt ſatis oſtenſum eſt, nō eſt melior Paternitas, quàm Filiatio: neque dicendum eſt, ita intelligendam eſſe definitionem, vt perfectio ſimpliciter ſemper debeat eſſe melior, quàm oppoſita, non enim inuenitur talis definitio, ſi enim ita intelligēda eſſet, cùm Paternitas opponatur Filiationi, & cùm Paternitas non ſit melior, quàm Filiatio, conſequenter bene inferebant, quòd non eſſet perfectio ſimpliciter; quod tamen dicendum non eſt, vt patet ex dictis.

28 Obijcis quartò. Perfectio ſimpliciter debet eſſe formaliter in Deo, vt omnes concedunt, exceptis Rabi Moyſe, & alijs quibuſdam, quos ex doctrina D. Thomæ bene impugnat Faſſolus 1. p. q. 4. ar. 2. n. 4. ad finē; ſed relationes non ſunt formaliter in Deo: ergo &c. & confirmatur, quia Pater habere debet formaliter omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ſed non haber Filiationē formaliter: ergo non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Reſpond. primò in Deo formaliter, & ſimiliter in Patre, includi omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem abſolutam, quamuis Pater præter perfectiones abſolutas, quas formaliter habet, habeat etiam formaliter vnam perfectionem relatiuam, id eſt, Paternitatem; non eſſe tamen neceſſarium, vt includātur formaliter perfectiones relatiuæ, neque de his loquuntur Theologi.

Faſſol.

29 Quæ reſolutio ita confirmari poteſt, quia Deus habet aliquas perfectiones ſimpliciter ſimplices abſolutas, quæ tamen in ipſo, propriè loquendo, non ſunt formaliter: ergo licèt relationes non ſint formaliter in eſſentia Dei, erunt perfectiones ſimpliciter ſimplices. Probatur antecedens. In Deo dātur aliquæ negationes, quæ ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices; ſed hæ non ſunt formaliter in Deo: ergo &c. Probatur minor, quia immortalitas, independentia, incorruptibilitas, vnitas, ſiue ſimplicitas, ſunt negatiuæ perfectiones ſimpliciter ſimplices, vt docent Scotus, Lichetus, Bargius, Viguerius, Durandus, Maior, Andreas de Nouocaſtro, Valentia, & alij, quos citat, & ſequitur Faſſolus 1. p. q. 3. ar. 7. dubit. 3. n 9. & q. 11. ar. 1. dub. 6. n. 19. poſt medium, ſequitur eandem ſententiam.

Aliquæ perfectiones abſolutæ nō ſunt formaliter in Deo.

Scotus. Richet. Bargius. Viguer. Durand. Maior. Nouocaſt. Valent. Faſſolus.

30 Et ex eo breuiter probatur, quòd ſint perfectiones ſimpliciter ſimplices, etiam quā negationes ſunt, quia videlicet perfectionum ſimplicium ſequuntur leges, melius enim eſt eſſe immortalem, quàm mortalem: eſſe ſimplicem, quàm compoſitum; & præterea quia id, quod tollit imperfectionem ſimpliciter, debet eſſe perfectio ſimpliciter. Neque obſtat illa particula, *melior eſt ipſa*, quæ videtur ſignificare ens poſitiuum, ideò enim diuidimus perfectionem ſimpliciter ſimplicem in poſitiuam, & negatiuam. Quòd verò tales perfectiones negatiuæ non ſint in Deo, propriè loquendo, formaliter, probatur, quia negationes non ſunt formæ, & ideò dicendæ non ſunt propriè eſſe formaliter in re aliqua. Ex quibus colligitur, relationes poſſe eſſe perfectiones ſimpliciter, quamuis non eſſent formaliter in Deo.

31 Reſpond. ſecundò ad argumentum, bene poſſe dici relationes diuinas eſſe formaliter in Deo, quod imprimis certum eſt, in opinione aſſerentium, nomen concretum dicere de formali ſubſiſtentiam, cùm enim nomen, *Deus*, ſit concretum ex natura, & ſubſiſtentia, vtrumque formaliter continet, ac dicit; neque enim recurrendum eſt ad diuinā ſubſiſtentiam abſolutam, vt ſatis conſtat ex dictis. Deinde etiam in noſtra opinione, quæ tenet ſubſiſtentiam non dici de formali, per nomen concretum ſubſtantiale; bene poterit defendi, relationes eſſe, & contineri in Deo formaliter, quamuis non ſint de formali conceptu Dei, vel eſſentiæ diuinæ (ſiquidem Deus, quá eſſentia diuina eſt, non eſt Trinus formaliter, vt eſt communis doctrina Theologorum) ſed quemadmodùm intellectus non eſt de conceptu formali Socratis, & tamen dicitur eſſe formaliter in Socrate, ita licèt diuinæ relationes non ſunt de cō- ceptu formalis Dei, erunt tamen formaliter in Deo, quia Deus realiter eſt Trinus.

Relationes Perſonarū ſunt formaliter in Deo.

SECTIO. III.

Quomodò Relatio à fundamento remoto diſtinguatur?

1 *Sit vnica concluſio.* Probabilius exiſtimo relationem non diſtingui ſolum virtuali-

Diſtinguitur modaliter.

Digitized by Google

Molina. Fonſeca. Rubius. Vallius. Vaſquez. Arrubal. Faſolus. Patres Conimb. Ægytan. Albertin. Taner. Zuniga. Murſia. Didacus à Ieſu. Maſius. Flandr. Becan. Deza. Bachon. Palatius. Sotus. Ripa. Gallego. Alarcon. Salas. Sanctacr. Soarius. Scotus. Durand. Arrub.

tualiter à fundamento remoto, ſed formaliter, ſiue ex natura rei. Ita Molina 1. p. q. 13. ar. 7. Fonſec. 5. Metaph. cap. 15. quæſt. 2. ſect. 5. à §. *Nobis tamen*: Rub. in Logica de Prædicamentis cap. 7. q. 14. à num. 308. (quamuis non approbem inhærentiam realem, quam tribuit relationi, tacitè enim videtur concedere diſtinctionem realem) noſtram ſententiam præterea latiſsimè probat Vallius in Logica tom. 1. in prædicamento Relationis q. 3. præcipuè cap. 12. eandem etiam admittunt Valentia 1. p. diſput. 2. q. 2. punct. 1. §. *Ratione quoque*. Vaſq. 1. p. tom. 2. ad q. 45. diſp. 173. cap. 4 num. 13. Arrubal. 1. p. tom. 2. ad q. 45. diſp. 102. cap. 4. num. 39. eandem opinionem appellat Faſſolus 1. p. q. 13. ar. 7. num. 15. communiorem, grauiorem, & veriorem; illam præterea ſupponunt Patres Conimbricenſes 2. Phyſ. cap. 7. q. 7. ar. 2. §. *Secundò ſtabilitur*, fine: ſtat etiam pro hac opinione Ægytanenſis lib. 5. q. 23. num. 35. eandem tenent Albertin. Taner, Zuniga, Murſia, Didacus à Ieſu, Maſius, Becan. Deza, Bachon. Palat. Sotus, Ripa, Compl. Gallego, Alarcon. Salas, & alij, quos citat noſter Franciſcus Gonzales Sanctacruzan. in Log. p. 2. diſp. 5. q. 6. ſect. 7. num. 874. & præterea probabilem iudicat Soar. in Metap. diſp. 47. ſect. 7. num. 9. immò, & graues Theologi exiſtimarunt relationes diuinas diſtingui ab eſſentia formaliter, & ex natura rei, ita Scotus, & Durand. quos citat, & bene refutat Arrubal. 1. p. tom. 2. ad q. 28. diſp. 10. cap. 2. à n. 6.

2 Probatur concluſio: quia quando duo ita ſe habent, vt vnum poſsit exiſtere ſine alio, datur inter illa diſtinctio ex natura rei: ſed fundamentum remotum relationis poteſt manere ſine relatione: ergo ſignum eſt, quòd inter hæc duo detur diſtinctio pluſquàm virtualis, ideſt formalis. Probatur minor, quia Socrates, qui erat fundamentum remotum relationis paternitatis, mortuo filio, manet ſine relatione, quam habebat, viuente filio: ergo diſtinguitur à tali relatione, pluſquàm virtualiter.

3 Reſpondent aduerſarij ad minorem, ſublato filio, qui erat terminus relationis, manere quidem Socratem ſine denominatione extrinſeca (hæc enim, vt inquiunt, requirebat neceſſariò poſitionem termini) non tamen manere Socratem ſine illo, quod erat intrinſecum ipſi Socrati, & in quo fundabatur illa relatio. Sed contrà, quia ſolùm manet fundamentum relationis, vt ipſi tacitè concedunt, ſed relatio formaliter ſumpta, non eſt ipſum fundamentum (vt ſatis patet) ſed eſt illa denominatio à termino: ergo, cùm terminus omnino deſtruatur, deſtruitur etiam relatio: alioquin ex oppoſita ſententia ſequerentur multa abſurda, diceretur enim in humanitate Chriſti manſiſſe ſubſiſtentiam creatam, quia nimirum perſeuerauit eadem natura, quæ eſt fundamentum ſubſiſtentiæ: & ſimiliter paries ſine albedine diceretur albus, ſaltem fundamentaliter, quia habet fundamentum ad albedinem, ſicut aduerſarij aſſerunt, albedinē, ſine termino exiſtente, poſſe dici ſimilem fundamentaliter alteri.

4 Et confirmatur primò. Quia ipſi aduerſarij concedunt, Socratem ſine filio, non eſſe formaliter patrem, ſed tantùm fundamētaliter, & ſimiliter albedinē ſine altera albedine, non habere ſimilitudinem formalem, ſed tantùm fundamentalem: quæro igitur vnde proueniat illa noua denominatio formalis, quæ modò datur in patre, exiſtente filio; & in albedine, exiſtente alia, cui ſit ſimilis? neque enim prouenit ab ipſo fundamēto, vt ipſi aduerſarij concedunt (quatenus aſſerunt albedinem ſine termino eſſe tantùm ſimilem fundamentaliter) ergo hæc noua denominatio neceſſariò prouenit ab aliqua forma reali, quæ etiam neceſſariò diſtinguenda eſt formaliter ab ipſo fundamento, ſiquidem idem fundamentum anteà dabatur, ſine hac forma, & poſteà, ſublato termino, ſine illa poteſt perſeuerare.

5 Confirmatur ſecundò, Quia tunc vna res dicitur continere aliam virtualiter, quando ſecundùm ſuam entitatem alteri æquiualet: ſed albedo v.g. non continet ſimilitudinem hoc pacto: ergo non diſtinguitur tantùm virtualiter ab ipſa ſimilitudine. Conſequentia rectè infert, quia ſi diſtingueretur virtualiter tantùm albedo à ſimilitudine, cōtineret illam virtualiter. Minor probatur, quia albedo non reddit ſubiectum ſimile, niſi ponatur aduerſo alia albedo. Et declaratur, quia, poſito in Socrate rationali, ſtatim ſequitur denominatio rationalis in eodem Socrate, quia videlicet rationale virtute continet hanc denominationem, & tamen poſita albedine in pariete, non ſtatim ſequitur denominatio ſimilis, niſi fortè ponatur terminus: ergo ſignum manifeſtum eſt, albedinē non continere in ſe virtualiter relationem ſimilitudinis, ſed ſimilitudinem eſſe formam modaliter diſtinctam ab albedine.

Digitized by Google

Proponuntur, & reijciuntur contrariæ ſententiæ.

Prima ſententia docet diſtingui realiter.

Capreol. Ferrar. Caiet. Bañes. Iandun. Flandria. Magiſter. Sotus. Curſus Thomiſt.

6 Obijcis primò, pro prima, & contraria ſententia, quæ aſſerit, relationem diſtingui realiter à fundamento remoto, quam tenet Thomiſtæ, Capreol. in 1. diſt. 30. q. 1. Ferrar. 4 cōtra Gentes, cap. 14. Caiet. 1. p. q. 28. ar. 2. Bañ. ibidem, Iandunus 5. Met. q. 24. Flandria 5. Met. q. 16. ar. 18. Magiſter Sotus q. 2. huius prædicamenti. Item Curſus Thom. in Log. q. 17. de Relatione, ar. 4. Hæc tamen ſententia mihi non eſt probabilis, quia ſi relatio diſtingueretur realiter, poſſet à fundamento remoto diuinitus ſeparari, tunc autem, ſicut Socrates pater poſſet conſeruari ſine relatione paternitatis, ita etiam poſſet relatio paternitatis ſeparata conſeruari in homine; qui non habet filium, qui formaliter eſſet pater, ſiquidem haberet relationem paternitatis; & aliunde non eſſet pater, ſiquidem non genuit talem filium; quæ cùm ſint abſurda, dici non poteſt, quòd relatio realiter diſtinguatur à fundamento remoto, & præterea neceſſaria non eſt talis diſtinctio, vt patet ex dictis.

7 Nihilominùs pro hac ſententia obijcis primò. Magis diſtant inter ſe ens abſolutum, & relatiuum, quàm duo entia abſoluta, ſed Quantitas, & Qualitas, quæ ſunt entia abſoluta, realiter diſtinguuntur: ergo à fortiori realiter diſtinguetur relatio à ſubſtantia. Hoc argumentum multa continet, quæ leniori examine indigebant, interim tamen breuiter reſpondetur, non omnia entia abſoluta, quæ conſtituunt prædicamenta, realiter diſtingui, vt ſatis conſtat in Duratione, Actione, & Paſsione, neque enim ad prædicamenta requiritur realis diſtinctio, ſed ſufficit prima diuerſitas: quapropter, cùm relatio ſit primò diuerſa à ſubſtantia, & à reliquis prædicamentis, quamuis ab illis ſolùm virtualiter diſtinguatur, diuerſum efficiet prædicamentum: vnde argumentum futile eſt, & inane.

Proponitur ſententia de diſtinctione virtuali.

Hæc ſententia eſt valde probabilis.

8 Obijcis ſecundò, pro alia ſententia probabili, quæ docet, relationem virtualiter tātùm diſtingui à fundamento remoto, illam tenent Ocham. in 1. diſt. 30. q. 1. Greg. ibidem diſt. 28. q. 2. ar. 2. Ægydius Romanus in 1. diſt. 26. q. 4. Heruæus in 1. diſt. 4. qua ſt. 1. ar. 10. Soncin. 5. Met. q. 28. Petrus Niger 5. Metaph. q. 19. Suar. in Metaph. diſp. 47. ſect. 2. vbi num. 13. præter alios citat D. Thomam, Auguſt. Anſelmum, Damaſcen. Sylueſtrum, & alios, quos ipſe ſequitur num. 22. eandem ſententiam acriter tuetur Hurtad. in Metap. diſp. 15. ſect. 2. à num. 7. vbi præterea citat Scotum, Durand. Vaſq. Gregor. & alios, item Arriaga in Log. diſp. 12. ſect. 5. nu. 19. & Veracruzanus in ſua Logica diſp. 5. q. 6. ſect. 3. num. 848. contendit neque per rationem diſtingui à ſubiecto, citatque Herice, Lugo, Vuadingum, & alios plures, quos in ſuam ſententiam conatur adducere.

Ocham. Gregor. Ægyd. Heruæus. Soncin. Niger. Suarius. D. Thom. Auguſt. Anſelm. Damaſc. Sylueſt. Hurtad. Scotus. Durand. Vaſquez. Gregor. Arriaga. Veracruz. Herice. Lugo. Vuading.

9 Obijcis, inquam, tertiò. Relatio ſimilitudinis aduenit eidem albedini ſine aliqua eius mutatione: ergo ſignum eſt non diſtingui ab ea pluſquàm virtualiter. Declaratur antecedens, quia eadem albedo, quatenus coexiſtit alteri, ſine alia forma ſuperaddita redditur alteri ſimilis: ergo ſimilitudo non eſt forma aliqua de nouo adueniens, quæ diſtinguatur modaliter. Reſpondeo, relationem ſimilitudinis aduenire quidem albedini, ſine aliqua mutatione phyſica, non tamen ſine aliqua mutatione formali; cùm enim ſimilitudo, vel quælibet alia relatio non ſit accidens phyſicum, non inducit phyſicam mutationem; verùm quemadmodùm relatio eſt forma quædam Logica, & Metaphyſica, ita etiam formalem inducet mutationem; cum quo ſtare poteſt, vt ad relationem neque propriè detur actio, neque motus: ex quibus patet ſolutio ad argumentum.

10 Obijcis quartò. Si relatio eſſet forma pluſquàm virtualiter diſtincta, poterit Deus illam impedire, ne reſultet, quamuis detur terminus, ſicut poteſt impedire reſultantiam propriæ ſubſiſtentiæ: ſed hoc non eſt dicendum: ergo &c. Probatur minor, quia ſi impediretur relatio inter duo alba realiter exiſtentia, eſſent, & non eſſent ſimilia. Reſpond. negando maiorem, quamuis enim relatio ſit modus, eius reſultantia impediri nō poteſt à Deo; ſicut neque impediri poteſt reſultātia aliquorum modorum, vt cernitur in Vbi, cuius emanatio impediri non poteſt à Deo, ſuppoſito quòd res ponenda ſit extra cauſas: vnde relatio mutua exiſtere non poteſt, quin alia relatio correſpondeat ex parte termini; quod verùm habet, etiam in opinione, quæ aſſerit, relationem terminari ad abſolutum.

Obij-

Digitized by Google

11 Obijcis quintò, Relationes non habent cauſam: ergo non poſſunt eſſe formæ reales pluſquàm virtualiter diſtinctæ. Reſpond. negando antecedens, cauſa enim relationis eſt ſubiectum ipſum, ſiue fundamentum, quod tamen requirit, tanquam conditionem *ſine qua non* exiſtentiam termini, ſicut voluntas ita eſt cauſa ſuorum actuum, vt ſupponat cognitionem intellectus, tanquam conditionem omnino neceſſariam. De cauſa verò ſpecificatiua relationis, infrà diſputabimus.

12 Inſtas. Fundamentum eſt ſubiectum, ſiue cauſa materialis relationum: ergo non poteſt eſſe cauſa efficiens. Reſpond. negando conſequentiam, exemplum eſt in anima, quæ eſt cauſa materialis ſimul, & efficiens ſuarum potentiarum; & idem cernitur in effectu actionis immanentis, qui recipitur in eodem principio, á quo egreditur: poteſt ergo fundamentum ſimul eſſe cauſa materialis, & ſimul eſſe cauſa veluti efficiens relationis.

13 Obijcis ſextò. Exiſtentia diſtinguitur tantùm virtualiter, & tamen ſeparatur: ergo licèt relatio ſeparetur á fundamento, virtualiter ſolùm diſtinguitur. Reſpondeo ad antecedens, exiſtentiam diſtingui virtualiter á re extra cauſas, & hanc exiſtentiam ſeparari non poſſe à tali re, dum eſt extra cauſas: at verò relatio ſimpliciter ſeparari poteſt á fundamento, cùm tamen fundamentum perſeueret. Immò retorqueri poteſt argumentum, quia ſicut exiſtentia in actu diſtinguitur realiter negatiuè á re ipſa ſumpta ſolùm ſecundùm eſſe eſſentiæ, ex eo quòd detur aliquando eſſentia ſine exiſtentia actuali, ita etiam relatio pluſquàm virtualiter diſtinguetur, ex eo quòd detur aliquando fundamentum ſine relatione; vt patet in Socrate, qui dari poteſt, ſine relatione paternitatis quam habuit aliquando.

Deus dicitur cauſa non formaliter per relationé.

14 Obijcis ſeptimò. Deus verè, & realiter dicitur Dominus, & cauſa, & tamen non per modum aliquem ſuperadditum, vt videbimus: ergo Socrates dici poteſt verè & realiter pater, & dominus non per relationem aliquam modaliter diſtinctam. Reſpondeo ad antecedens, Deum dici verè, & realiter Dominum á dominio reali, ſicut etiam dicitur creator á creatione reali, non tamen dicitur Dominus formaliter, & metaphyſicè loquendo, ſiquidem non habet formam metaphyſicam dominij, nempe relationem realem, & modaliter diſtinctam (non enim negamus in Deo relationes rationis ad creaturas, á quibus poteſt dici formaliter cauſa, & dominus) neque mirum eſt, has denominationes dominij, & cauſæ eſſe modos in rebus creatis, nõ tamẽ in Deo, nõ enim in Deo dãtur denominationes eodẽ modo, quo in rebus creatis dantur: hinc eſt quòd Deus dicatur verè, & formaliter intelligens per ſuammet ſubſtantiam, & non per aliquid ſuperadditum, quod diſtinguatur á Deo ex natura rei: at verò homo, & Angelus dicuntur intelligentes formaliter, per aliquod accidens ſuperadditum, nempe per intellectum.

15 Obijcis octauò. Si relatio modaliter á fundamento diſtingueretur, poſita vna albedine, in eodem inſtanti in ea reſultabit infinita propè modorum congeries, tot enim habebit relationes ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, quot in vtroque mundo fuerint albedines, & nigredines: ſed hoc mirum videtur, & abſurdum: ergo &c. Reſpondeo negando minorem, cùm enim relationes ſint modi minimæ entitatis, non grauabitur ſub tali pondere illa albedo; immò mirabilius, & abſurdius videtur eandem albedinem ſine alia forma ſuperaddita, poſſe ſimul habere infinitas denominationes ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, quas aduerſarij negare non poſſunt; quapropter confidenter admitti poſſunt infiniti modi relationum; & quamuis incredibile aliquibus hoc videatur, confutari tamen non poteſt, niſi per admirationes & exclamationes, vt bene obſeruat Hurt. in Met. diſ. 15. ſect. 2. n. 28. poſt medium: deſinant igitur aduerſarij exclamare, ne fortè, qui infinitos relationum modos condemnant, infinitos alios modos aggerant exclamandi. — Poſita vna albedine reſultant ſtatim plures relationes. — *Hurtad.*

16 Sententia tamen admittens relationes ſolùm virtualiter diſtinctas probabilis eſt propter auctoritatem: & præterea, quia relatio eſt quædam denominatio logica, cui neceſſaria fortè non erit maior diſtinctio, ſicut nec durationi. Obſtas: probabile non eſt dari ſubſiſtentiam creatam virtualiter diſtinctam: ergo etiam probabile non eſt relationem virtualiter diſtingui. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia ſubſiſtentia eſt terminus, & complementum pertinens ad compoſitionem ſubſtantialem rei, implicat verò dari ſubſtantiam creatam adeò ſimplicem, vt non admittat compoſitionem ex ſubſtantia, & modo ſubſtantiali, vt dixi in hoc tract. diſp. 56. ſect. 2. à nu. 1. at verò, cùm relatio nõ pertineat ad compoſitionem ſubſtantialem, nihil obſtat, quòd virtualiter diſtinguatur. poteſt enim aliunde eius fundamentum habere compoſitionem accidentalem cum alijs accidentibus realiter, vel modaliter diſtinctis.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO IIII.

In quibus ſubiectis detur relatio prædicamentalis?

In Deo nõ datur relatio prædicamẽtalis.
D. Thom. Magiſt. Alenſis. Soarius. Vaſques. Pontius. Valentia. Granado. Arrubal. Scotus. Capreol. Hiſpalenſ. Bonau. Richard. Henricus. Caiet. Bañes. Ferrar. Fonſeca. Patres Conimbr. Becan. Albertin. Faſſolus. Prepoſit.

1 PRima concluſio. In Deo nulla datur relatio realis in noſtra ſententia, quæ tuetur relationem diſtingui pluſquàm virtualiter à fundamento: ita D. Thom. 1. p. q. 13. ar. 7. Magiſter, Alenſis, & alij, quos refert, & ſequitur Soar. in Metap. diſp. 47. ſect. 15. num. 17. quatenus abſolutè negant in Deo relationes reales ad creaturas. Eandem concluſionem abſolutè tuetur Vaſques tom. 1. in 1. p. ad quæſt. 25. diſp. 104. cap. 6. à num. 14. & latè probat Baſilius Pontius relationum realium ſeueriſſimus deteſtator 1. p. variarum, quæſt. 8. ſcholaſtica, cap. 5 conſentit Valentia 1. p. diſp. 1. q. 13. puncto 4 á §. Nihilominùs, vbi non admittit in Deo relationes reales, & §. *Atque hoc modo*, ad finem: loquitur in ſenſu noſtræ concluſionis, & in eodem ſenſu negant in Deo relationes reales ad creaturas Granado in 1. p. tom. 1. tract. 3. diſp. 1. nu. 7. Arrubal in 1. p. tom. 2 ad q. 28. diſp. 99. cap. 1. à num. 2. quod probat ex principijs fidei, & n. 16. citat Scotum, Capreolum, Hiſpalenſem, Bonauenturam, Richardum, Henricum, Caietanum, Bañes, Ferrarienſem, & alios: in eodem prætereà ſenſu breuiter docuit hanc concluſionem Fonſ. 5. Met. cap. 15. q. 1. ſect. 7. § *Quintum documentum*. Eandem prætereà in terminis ſupponunt Conimbric. 2. Phyſic. cap. 7. q. 7. ar. 2. §. *ſecundò ſtabilitur*, ad finem: Becanus in Summa 1. p. de Viſione Dei, cap. 9. q. 13. n. 9. Albertinus tom. 1. in prædicamento ad aliquid. q. 3. n 5. Faſſolus 1. p. q. 13. ar. 7 n. 2. & 3. & q. 9. ar. 1. dubit. 2. n. 14. item Præpoſitus 1. p. q. 3. ar. 6. n. 10.

2 Probatur concluſio ratione, quia ſi Deus in tempore reciperet relationes, quæ ſunt modi reales, & intrinſeci, procul dubio mutaretur per talem receptionem, ſaltẽ metaphyſicè; ſed Deo repugnat omnis mutatio: ergo &c. Quapropter Deus non dicitur dominus formaliter à relatione reali dominij, ſed vel à relatione rationis, vel á forma abſoluta dominij per connotationem extrinſecã ad terminum.

3 Obijcis primò. Relatio diuina eſt realis entitas, & tamen aduenit Deo ſine omni mutatione: ergo ſimiliter aduenire poteſt relatio creata. Reſpondetur negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia relatio increata non aduenit Deo ab extrinſeco per receptionem aliquam paſsiuam, ſed datur in Deo per omnimodam, & ſimpliciſsimã identitatem: relatio verò creata aduenire debebat ab extrinſeco, ſiquidem foret per ordinẽ ad creaturam, & propterea neceſſariò induceret mutationem, quando intrinſecè reciperetur in Deo.

4 Obijcis ſecundò. Deus habet reſpectum tranſcendentalem, & realem ad creaturas poſsibiles: ergo à fortiori habebit reſpectum prædicamentalem ad creaturas exiſtentes. Reſp. admittendo antecedens, vt dixi 2. p. tract. 1. diſp. 21. ſect. 4. à n. 39. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia reſpectus tranſcendentalis non eſt aliquid ſuperadditum, ſed eſt ipſe Deus, prout eſt cauſa eſſentialiter connexa cum creaturis, illiſque tribuens eſſe: at verò reſpectus prædicamentalis debebat eſſe modus ſuperadditus, & cũ Deo faciens vnum per accidens, & ideò dari non poteſt.

5 *Secunda concluſio.* In opinione, quæ aſſerit relationem ſolùm virtualiter diſtingui à fundamento remoto, longè probabilius exiſtimo, non dari in Deo relationem realẽ ad creaturas: ita expreſſè Soar. ac Præpoſ. ſupra, & plerique citati ſuperiori concluſione quatenus abſolutè negant in Deo omnem relationem realem ad creaturas. Probant hãc concluſionem Recentiores argumento deſumpto ex Soar. in Met. diſp. 47. ſect. 15. à n. 22. primò, quia Deus eſt diuerſi ordinis à creaturis: ſecundò, quia non ordinatur ad ipſas creaturas. Hoc tamen fundamentum friuolum eſt, quia creaturæ ſunt diuerſi ordinis á Deo, & tamen habent relationem realem ad Deum; & idem cernitur in accidentibus ſupernaturalibus, quæ ſunt diuerſi ordinis á ſubſtantia naturali, & tamen dicunt relationem realem ad ſubſtantiam. Prætereà non repugnabit hæc relatio ex defectu ordinationis, facilè enim admitto in Deo relationem tranſcendentalem ad creaturas; neque enim repugnat, cauſam referri ad effectum ſub ratione præſtandi illi ſuum eſſe, immò hæc eſt maxima cauſæ perfectio.

Non datur in Deo relatio creata, quá uis ſolùm virtualiter diſtinguatur.

6 Repugnat igitur Deo relatio prædicamentalis, ratione mutationis, quæ daretur in Deo per eius receptionem; quod ſic probo. Relatio eſt accidens reale, & intrinſecum, vt ſuppono ex communi doctrina Philoſophorum, ac Theologorum: ergo ſi adueniret Deo in tempore, reciperet Deus aliquid reale, & intrinſecum: ergo mutaretur Deus. Prima conſequentia rectè infert, quia im-

impoſsibile eſt accidens intrinſecum non recipi intrinſecè. Probatur ſecunda conſequẽtia, & declaratur, ſi enim Deo de nouo adueniret diuina omnipotẽtia, vel ſi à Deo tolleretur eadem omnipotentia, procul dubio mutaretur Deus, quamuis omnipotentia virtualiter á Deo diſtinguatur, propterea quòd omnipotentia ſit quid reale, & intrinſecum: ergo licèt relatio ſolùm virtualiter diſtinguatur à fundamento, ſi tamen Deo adueniret in tempore, & Deus illam realiter, & intrinſecè reciperet, mutaretur per receptionẽ accidentis realis; & intrinſeci.

7 Neque obſtat quòd diuina omnipotentia ſit ens phyſicum, relatio verò ens logicum; quia, quamuis relatio ſit ens logicũ, eſt tamen ens reale, & intrinſecum: atque adeò Deus non quidem phyſicè, ſed ſaltem logicè, realiter tamen, & intrinſecê mutaretur, vt patet ex dictis. Friuolum verò eſt dicere relationem eſſe tantùm denominationẽ extrinſecam, ſuppono enim, vt omnino certum, relationẽ eſſe accidens intrinſecũ, quod recipitur veluti materialiter in fundamento, ſupponendo terminum, vt conſtat ex doctrina D. Thom, quam ſequor in Log. diſp. 8. ſect. 1 n 5. Quarè nullo modo approbo, quod admittit Soar. in Met. diſp. 47. ſect. 15. n. 21. nullã videlicet ſequi mutationem in Deo per receptionem relationis virtualiter diſtinctæ.

D. Thom. Soarius.

8 Obijcis pro contraria ſentẽtia, quã ſequũtur Ocham. Gabr. Durand. Greg. Marcilius, Palatius, & alij, quos citat, & ſequitur Hurt. in Met. diſp. 15. ſect. 2. à n. 19. quatenus docet, dari in Deo relationem realẽ ad creaturas, ſi hæc virtualiter tantùm diſtinguatur; quam ſententiam abſolutè probant Soncin. 5. Metap. q. 25. ad 4. Ioannes de Viterbo de prædicamentis q. 2. immò hanc ſententiam non improbabilem dicit Soar. in Met. diſp. 47. ſect. 15. n. 21. neque illam improbat Valent. 1. p. diſp. 1. q. 13. puncto 4. §. *Atque hoc modo.*

Refellitur contraria ſententia. Ocham. Gabriel. Durand. Gregor. Marcil. Palatius. Hurtad. Soncin. Ioann de Viterbo. Soarius. Valent.

9 Obijcis, inquam, primò. Relatio nihil eſt aliud, quám quædam denominatio proueniens à ſola termini poſitione: ergo quamuis Deo de nouo adueniat, nulla in Deo dabitur mutatio: hoc argumentum tacitè, ac furtim tollit prædicamẽtum relationis, quod gratiſsimum erit Baſilio Pontio ſuprà citato, ſi enim relatio nihil aliud eſt, quám poſitio duorum terminorum, nihil erit intrinſecum in fundamento, ſed erit tantùm quædam denominatio extrinſeca, & rationis, & conſequenter tollitur prædicamentum relationis, ſiquidem hoc debet eſſe ens reale, & intrinſecũ, & in hac opinione nihil eſt intrinſecũ, quia, vt ipſi aduerſarij aſſerunt, non recipitur in Deo intrinſecè, ac proinde relatio non erit accidens reale, ſed erit realiter nihil. Reſpond. igitur ad argumentum negando totũ, eſt enim relatio accidens reale, & intrinſecũ, & propterea non poteſt aduenire Deo. Quòd ſi alicui placuerit aſſerere relationem ſolùm eſſe illam denominationem extrinſecam ortam ex ſola poſitione duorum extremorum, tum quidem conſequenter admittet in Deo relationem, ſed caueat, ne conſequenter etiã relationem deſtruat.

10 Obijcis ſecundò. Deus dicitur verè Dominus, & cauſa: ergo habet veram relationem dominij, & cauſantis: huic argumento, quod præcipuè nobis obijcit Hurt. Reſponſum eſt ſuprà ſect. 3. n 15.

11 Obijcis tertiò. Relatio diuina eſt realis entitas, & tamen aduenit Deo ſine mutatione: ergo Relatio creata aduenire poterit Deo ſine omni mutatione. Reſpond. negando conſequentiam. Diuerſa ratio eſt, quia relatio increata non aduenit Deo ab extrinſeco, ſed datur in Deo per omnimodam idẽtificationem: at verò relatio creata debebat eſſe accidens proueniens ab extrinſeco, & in tempore (ſiquidem Deus in tempore creat) & quæ reciperetur in Deo intrinſecè, & cum eo efficeret vnum per accidens, quæ tamen omnia repugnant Deo.

Vtrùm vna relatio poſsit eſſe ſubiectum alterius relationis?

12 TErtia concluſio. Vna relatio, ſi formaliter ſumatur, non poteſt eſſe fundamentum alterius relationis. Ita expreſſè Rub. in Log. ca. 7. in prædicamento ad aliquid q. 11 à n 242. à quo poſteá eandẽ concluſionẽ in terminis mutuatus eſt Vallius tom. 1. in Logicã in prædicamẽto ad aliquid q. 5. cap. 10. licèt more ſuo nomen ſupprimat auctoris. Concluſio duobus modis explicari poteſt. Primò, quia relatio ſub præciſo, & formali conceptu relationis tantúm habet, vt ſit ratio referendi aliud: ergo non eſt id, quod refertur, atque adeò non poteſt eſſe fundamentum relationis: ſicut albedo formaliter ſumpta non eſt id, quod ſit album, ſed eſt id, quo ſit album. Secundo modo explicari poteſt concluſio, quod ſcilicet relatio formaliter ſumpta non ſit fundamentum alterius relationis eiuſdem rationis, ita vt paternitas v. g. non ſit fundamentum alterius paternitatis, quia videlicet per ſe, & eſſentialiter talis eſt. Quæſtio igitur modò eſt, vtrùm duæ paternitates v. g. poſsint eſſe fundamenta alterius relationis diuerſæ

Quo pacto vna relatio poſſit eſſe fundamentum alterius? Rubius. Vallius.

rationis, nempe ſimilitudinis, aut diſsimilitudinis?

Quo pacto vna relatio poteſt eſſe fundamētum alterius?

13 *Quarta concluſio.* Si relatio materialiter accipiatur, poteſt eſſe fundamentum alterius relationis: ita expreſſè Rubius citatus à nu. 247. & Vallius cap. citato, & in hoc ſenſu interpretandi ſunt illi, qui docent, poſſe vnam relationem in alia fundari, ſic enim abſolutè ſentiunt Scotus in 2. diſt. 1. q. 4. Lichetus, Maironius, Antonius Andreas 5. Met. q. 17. & hanc partem potiùs probat Soar. in diſp. 47. ect. 11, à n. 6. concinit Valentia 1. p. diſp. 2. q. 16. pun. 1. §. *Ne ſanè.* Præp 1. p. 42. dub. vni. n. 7.

Rubius. Vallius. Scotus. Lichet. Mairon. Ant. And. Soarius. Valentia. Propoſit.

14 Probatur concluſio. Quia in prædicamento Relationis non minus reperiuntur ſpecies, & indiuidua, quàm in alijs prædicamentis, ſed indiuidua ſubſtantiæ habent inter ſe veras relationes ſimilitudinis in natura, & diſsimilitudinis ab indiuiduis alterius prædicamenti: ergo ſimiliter indiuidua relationis materialiter ſumpta poſſunt eſſe fundamenta relationis ſimilitudinis, vel diſsimilitudinis. Cur enim duæ quantitates erunt formaliter ſimiles, at verò duæ paternitates non erunt formaliter ſimiles? nam ſi quis libere dixerit, duas paternitates eſſe tantùm fundamentaliter, & negatiuè ſimiles, ideſt non per aliquas formas, ſiue relationes, ſed quia non habent diuerſas rationes, is profectò occaſionem præſtabit negandi omnino relationes poſitiuas in quibuſcumque rebus ſimilibus, vt patet.

Proponitur, ac reijcitur contraria ſententia.

15 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet nō poſſe relationem, etiam materialiter ſumptam eſſe fundamētum alterius relationis: ita D. Thom. 1. p. q. 42. ar. 4. quem ſequuntur Caiet. ibidem ar. 1. Soncin. 5. Met. q. 29. ad 1. Ferrarienſis 4. contra gentes, cap. 11. Molin. 1. p. q. 42. ar. 1. diſp. 2. §. *Quemadmodùm.* P. Vaſq. 1. p. tom. 2. ad q. 42. diſp. 166. cap. 4. à n. 9. Conimbr. in Logica cap. 10. de Oppoſitis, q. vnica ar. 3. §. *In hac*; idem ſupponunt Arrubal. tom. 2. in 1. p. ad q. 37. diſp. 103. cap. 3. n. 13. Becanus 1. p. cap. 2. de Relationibus diuinis q. 2. n. 6. idem tenet Curſus Thom. in Log.

D. Thom. Caiet. Soncin. Ferrar. Molina. Vaſques. Patres Conimbr. Arrubal. Becan. Curſus Thomiſt.

16 Obijcis, inquam, primò. Si vna relatio materialiter ſpectata poſſet eſſe fundamentum alterius relationis, v. g. ſi paternitas poſſet eſſe fundamentum relationis ſimilitudinis cum alia paternitate, daretur proceſſus infinitus relationum: ſed hic non eſt admittendus: ergo vna relatio non poteſt eſſe fundamentum alterius relationis, licèt altera relatio ſit diuerſæ rationis. Probatur maior, quia ſi duæ paternitates fundarent duas relationes ſimilitudinis, ipſæ relationes ſimilitudinis fundarent alias relationes identitatis, hæ verò alias ſimilitudinis, & ſic in infinitū. Hac ratione præcipuè ſtabilitur hæc ſententia contraria; verùm hoc fundamentum imprimis eſt à poſteriori, & nullam aſsignat rationem à priori cur duæ paternitates nō ſint dicendæ ſimiles. Deinde ex proceſſu in infinitum, potiùs probatur infinitudo relationū, quæ poſtulatur ex natura ipſarum relationū, quàm negatio relationum.

17 Ad argumentum igitur reſpondetur primò ex Soar. in Met. diſp. 47. ſect. 1. nu 12. admittendo gratis proceſſum in infinitum, quod nullum eſt inconueniens in relationibus, quæ ſunt entia minimæ entitatis, ſicut etiam admittuntur à multis infinitæ partes, & infinita puncta in Quantitate, cum infinitis relationibus inter ſe, vt latè oſtendi 2. p. tract. 1. lib. 6. diſp. 35. & iuxta hanc ſolutionem admittenda eſt relatio realis inter duas vbicationes, quamquàm hìc euidentiùs ſequatur proceſſus infinitus. Qui tamen proceſſus admitti non debet in differentijs, propter rationes, quas aſsignaui 1. p. diſput. 6. ſect. 3. *Soar.*

Negatipo reſt in relationibus proceſſus infinitus.

18 Reſpond. ſecundò. Negando ſequi hìc talem proceſſum infinitum, licèt enim primæ duæ relationes, ideſt duæ paternitates fundent alias duas relationes ſimilitudinis, vel identitatis ſpecificæ, ſiſtendum tamen hîc eſt, neque admittendæ plures, ne dum infinitæ relationes. Rationem, cur hic ſiſtendū ſit, affert Scotus in 2. diſt. 1. q. 4. §. *Ad quæſtionem*, ſub finem, quia ſcilicet ſecunda illa relatio ſimilitudinis, vel oppoſitionis refertur per ſe ipſam, & ideò non indiget alia relatione: ratio vniuerſalis eſt, quia omnis forma habet in ſe, *vt quo*, illud, quod tribuit formaliter ſubiecto, nam albedo v. g. ita facit ſubiectum album, vt non indigeat alia albedine, vt ſit alba, ſed per ſe ipſam eſt alba, *vt quo*, & ſimiliter quantitas non indiget alia quantitate, ſed per ſe ipſam eſt extenſa, *vt quo*: ſimiliter ergo, cùm illa ſecunda relatio ſimilitudinis ſit id, quo paternitas eſt ſimilis alteri paternitati formaliter, non indiget alia relatione ſimilitudinis, ſed ipſa per ſe eſt ſimilis alteri, quamuis ibi concedamus relationes rationis, quas curioſus per otium poterit ibi effingere in infinitum, vſque ad faſtidium, donec defatigetur. *Scotus.*

19 Inſtas primò: illæ ſimilitudines, quæ fundantur in duabus paternitatibus non ſunt forma-

formaliter ſimilitudines ſui ipſius, ſed ipſi- orum paternitatum: ergo indigent alijs relationibus, vt per ſe referentur, & *vt quod*. Probatur exemplis, nam licèt cognitio obiecti ſit cognitio ſui ipſius, *vt quo*, & licèt conceptus ſe etiam ipſum, *vt quo*, repræſentet, nihilominùs tamen vt cognitio, & conceptus attingantur, *vt quod*, indigent alia cognitione, & alio conceptu. Reſpond. negando conſequentiam, ad exemplum dicendum eſt, cognitionem non indigere alia cognitione, vt fiat formaliter cognitio (& idem dicendum eſt de conceptu) quapropter quando per aliã cognitionem attingitur, tunc quidem ſolùm materialiter eſt cognitio, non verò formaliter (nam potiùs eſt terminus cognitionis) cùm igitur cadat à ratione formali cognitionis, & induat rationem obiecti, quid mirum ſi per aliam cognitionem cognoſcatur? at verò relatio ſimilitudinis per reſpectum ad aliã ſimilitudinem ita eſt per ſe talis, vt ſemper ſumenda ſit, quâ ſimilitudo eſt, & ideò non poteſt fieri ſimilis per aliam ſimilitudinem, ſicut albedo non poteſt fieri alba per aliam albedinem, quia ſemper hoc modo ſumitur formaliter, vt albedo eſt.

20 Inſtas ſecundò. Licèt hæ duæ relationes ſimilitudinis inter duas paternitates, quâ ſimilitudines ſunt, non referantur per alias duas relationes ſimilitudinis, nihilominùs, cùm per ſe formaliter non ſint diſſimiles ab alijs relationibus, quibus opponuntur, indigebunt ad hoc munus alijs relationibus diſſimilitudinis, & ſic non euitatur proceſſus infinitus: vel ſaltem ſiſtendum non eſt in ea ſecunda relatione. Reſpond. negando conſequentiam, nam licèt paternitas non per ſe, ſed per relationem diſſimilitudinis ſit diſſimilis filiationi, nihilominùs ipſa relatio ſimilitudinis per ſe ipſam conſequenter poteſt alteri eſſe diſſimilis, quemadmodùm per ſe ipſam eſt ſimilis (non enim datur ſimilitudo, niſi per ordinem ad diſſimilitudinem) ſicut rationale per ſe ipſum conſtituit hominem, & per ſe ipſum diuidit hominem ab equo. Quamuis aliter poſſet ſolui argumentum in ſententia Valentiæ citandi negantis dari relationes diſſimilitudinis, diuerſitatis, & inæqualitatis.

21 Obijcis ſecundò. Si vna relatio realis poteſt fundari in alia relatione reali creata, à fortiori hoc eueniet in diuinis: ergo inter diuinas perſonas dabitur relatio realis ſimilitudinis. Reſpond. negando ſequelam cum cõmuni ſententia, quam contra Scotum tenent Soar. de Trinitate lib. 4 cap. 15. nu. 8. Vaſq. tom. 1. in 1. p. ad q. 42 diſp. 166. cap. 2. à n. 4. Molin. 1. p. q. 42. ar. 1. diſp. 2. §. *Contraria*.

Scotus. Soarius. Vaſquez. Molina.

Valentia 1. p. diſp. 2. q. 16. puncto 1. §. *Nihilominùs*: Quia tales relationes inter diuinas perſonas ſunt rationis, quod ſic probatur à priori, quia datur vnum tantùm fundamentum, nempe eadem diuina eſſentia, in qua perſonæ ſunt ſimiles, & æquales, relatio verò realis requirit fundamenta diſtincta ex natura rei. Probatur deinde à poſteriori, quia alioquin darentur in Deo plures relationes reales, quàm quatuor, quod tamen eſt contra communem ſententiam Patrum, & Conciliorum: ideò verò relationes perſonales reales ſunt, quia ipſæ ſibi ſunt fundamenta, ſunt enim per ſe ipſas ſubſiſtentes. Valentia.

22 Inſtas primò. Quamuis perſonæ diuinæ, ratione eſſentiæ, nequeant habere relationes reales æqualitatis, ſiquidem natura, ſiue eſſentia in omnibus eſt eadem: nihilominùs tamen, ratione proprietatum perſonarũ, quæ inter ſe realiter diſtinguuntur, habebunt reales relationes æqualitatis, præcipuè cùm conueniant vniuocè perſonæ diuinæ. vt dixi 1. p. diſp. 5. ſect. 1. §. *Occaſione huius argumenti*. Reſpond. tamen ex Soar. citato nu. 9. illam vniuocam conuenientiam in ratione perſonæ non eſſe realem aliquam relationem, ſed quandam veluti proportionalem æſtimationem: nam perſonæ diuinæ in nullo genere, vel ſpecie, conueniunt, ſed potiùs ſunt primò diuerſæ in ratione talis, vel talis perſonæ, v. g. Pater, quâ Pater, eſt primò diuerſus à Filio, quà Filius eſt. Cur diuinæ perſonæ non ſunt formaliter ſimiles?

23 Inſtas ſecundò. Si relationes diuinæ ſunt veluti primò diuerſæ, cùm inter ſe realiter diſtinguantur, poterunt habere relationes reales diuerſitatis. Ab hac difficultate facilè ſe expedit Valentia 1. p. diſp. 2. q. 16. puncto 1. §. *ſecundò poteſt*, vbi ſentit denominationes *diſſimilis, diuerſi, & inæqualis*, etiã in rebus creatis, non eſſe aliquas relationes reales, & ratio illius potior eſt, quia relatio eſt ordo, ſiue reſpectus ordinatus inter duas, vel plures res, quæ verò inter ſe habent diſſimilitudinem, diuerſitatem & inæqualitatem non ordinantur inter ſe, immò potiùs abhorrent ab ordinatione; quapropter tales denominationes deſumi exiſtimat à negationibus conuenientiæ: & iuxta hanc ſententiam, quæ improbabilis non eſt, facilè euitatur inſtantia.

24 In communi tamen & probabiliori ſententia, quæ admittit relationes reales *diuerſitatis, diſſimilitudinis, & inæqualitatis*, e ponderandum eſt ex mente Soar. in Met. diſp. 47. ſect. 11 nu. 1. relationes diuinas per ſe ipſas eſſe diſſimiles & diuerſas ſine alijs relationibus ſuperadditis (Pater enim per ſe opponitur Filio) ad eum modum, quo ſuprà dixi Soarius.

ſect. 3. n. 15. Deum dici Dominum, & cauſſ, non à formis relatiuis, ſed fundamentaliter, & modo alio ſuperiori: & quamuis hoc difficile videatur, potiùs debet admitti, quàm aſſerere dari in Deo plures relationes reales, quàm quatuor.

25 Et propterea etiam quamuis origines, ſeu productiones diuerſæ, prout virtualiter diſtinguuntur à relationibus, inter ſe realiter diſtinguantur, non tamen habebunt inter ſe alias relationes reales, quia (prætetquàmquòd in diuinis quatuor tantùm dētur relationes reales) cùm origines ſint rationes fundandi diuinas relationes perſonales, non poſſunt ſimul eſſe rationes fundandi alias relationes ſimilitudinis, vel diſſimilitudinis, nã vna ratio fundandi ad vnam tantùm relationem dicit ordinem.

Poteſt admitti proceſsus infinitus relationum.

26 Aduertendum hîc eſt, quòd licet dicam, poſſe vnam relationem in alia fundari, quin ſequatur proceſſus infinitus, non tamen negari à me abſolutè proceſſum relationum in alijs rebus, v.g. inter duas vbicationes, vel inter duas actiones; nam duæ vbicationes habent duas relationes reales ſimilitudinis, & hæ relationes ſuas vendicant vbicationes, & ſic in infinitum. Idem cernitur in actionibus, quæ habere poſſunt duas relationes reales ſimilitudinis. Hæ verò relationes cùm ſint modi, emanãt per duas actiunculas, quæ etiam ſuas habent ſimilitudines, &c. Quem proceſſum in infinitum facilè admitto cum Soario in Metaphyſica, diſput. 47. ſect. 11. num. 13. quamuis aliquis in infinitum repugnet.

Soar.

Vtrùm dari poſsit relatio realis inter modum, & rem?

Reſolutiō eſt affirmatiua. Soarius. Albertin.

27 Q*Vinta concluſio.* Sufficit modalis diſtinctio inter fundamenta relationum, vt detur relatio realis: ita Soar. in Met. diſp. 47. ſect. 9. n. 4. Albertin. tom. 2. in prædicamento ad aliquid, q. 13. n. 15. Probatur, quia modus diſtinguitur ex natura rei à re, cuius eſt modus: ergo in modo ad rem modificatam, & in re modificata ad modum, fundari poteſt relatio realis, præcipuè quia relatio minimam habet entitatem: vnde inter ſubſiſtentiam, & naturam dabitur relatio realis. Quapropter quamuis plerumque detur diſtinctio preſſé realis inter fundamentum, & terminum relationis, aliquando tamen modalis ſufficiet, quæ ab Auctoribus etiam dicitur realis. Vnde quando in Logica cap. de Differentia, diſp. 7. ſect. 1. à nu. 13. dixi omnes relationes *facientis differre, & facti differentis eſſe rationis*, loquebar in communi opinione Conimbr. qui tenent, relationes virtualiter tantùm diſtingui à fundamentis, ſi enim relationes modaliter diſtinguantur, relationes *facti* erunt reales, ſiquidem fundantur in relatione differentiæ, quæ modaliter diſtinguitur.

28 Fonſeca tamen 5. Metap. cap. 15. q. 1. ſect. 7. in principio, & Soncin. 5. Met. q. 29. requirunt diſtinctionem preſſè realem, pro quibus ſic Obijc. Theologi probant, relationes reales inter diuinas perſonas ex reali diſtinctione: ergo hæc omnino requiritur ad relationem realem. Reſpondetur tamen Theologos non ſolùm colligere reales perſonarũ relationes ex diſtinctione, quæ requiritur inter fundamẽtũ relationũ, ſed etiã ex reali productione vnius perſonæ ab alia, præſertim cũ vna non poſſit eſſe modus alterius. Ex quibus tandem colligitur, nullam relationẽ realẽ fundari poſſe in fundamento remoto, quod ſit negatio, aut ens rationis, nã relatio realis habet eſſe à fundamento remoto, quod autem eſt nihil, non poteſt tribuere eſſe reale. Dixi de fundamento remoto relationum, dicendum reſtat de proximo.

Fonſeca. Soncin.

SECTIO. V.

De fundamento proximo Relationis.

1 P*Rima concluſio.* Relationes diuiduntur in tria genera ſubalterna, iuxta tres rationes fundandi etiã genere diuerſas, quæ dicũtur fundamenta proxima; primum genus, eſt relationum, quæ fundantur in vnitate, & multitudine; ſecundum eſt relationum, quæ fundantur in actione, & paſſione; tertium, eſt relationum, quæ fundantur in menſura, & menſurato. Hanc concluſionem ſuppono ex Logica Conimbr. in prædicamentis cap. 7. de Relat. q. 2. ar. 2. à §. *Prætermiſſa*; & patebit ex dicendis.

Tres ſunt rationes fundandi relationes.

De Relationibus primi generis.

2 S*Ecunda concluſio.* Vnitas, & multitudo ſignificant conuenientiam, vel diſconueniẽtiam in aliquo gradu; quapropter conuenientia tam ſubſtantiarum, quàm etiam accidentium ſufficiens eſt ad relationem realem identitatis. Ita D. Thomas 1. p. q. 28. ar. 1. Caiet. ibi Ferrar. 4. contra

Vnitas, & multitudo eſt prima ratio fundandi relationes. D. Thom. Caiet.

Digitized by Google

Ferrar. Capreol. Soar. Rubius. Vallius. contra gentes cap. 1 Capr. in 1. diſt. 30. q. vnica. Soar. in Met. diſp. 47. ſect. 11. n. 4. Rubius in Logica cap. 7. de Relatione q. 10. à n. 222. Vallius tom. 1. in prædicamento ad aliquid. q. 5. cap. 11. ad finem. Probatur, quia Socrates, & Plato habent á parte rei ſimilitudinē, ſiue identitatem in natura ſpecifica: ergo habent relationem. Probatur conſequentia, quia hæc identitas formaliter ſumpta nihil eſt aliud, quám relatio. Vnde licét ſimilitudo, rigoroſè loquendo, ſolùm inueniatur in qualitatibus, nihilominùs tamen, prout ſimilitudo ſignificat conuenientiam, ſiue identitatem in natura, reperitur in quolibet ente, cum quo alia conueniunt.

Fonſeca. 3 Oppoſitum tamen ſentit Fonſ. 5. Met. cap. 15. q. 1. ſect. 7. á §. *Quartum documentum*, ſed immeritò, quamuis enim inter Socratem, & Paulum non exiſtentem actualiter, non detur relatio realis identitatis in natura; quādo tamen realiter exiſtunt, realem habebunt relationem, cùm habeant omnia requiſita. Vnitas enim formalis, quæ eſt fundamentum proximum, quamuis ſit aliquid negatiuum, non tollit quominùs poſsit eſſe fundamentum proximum relationis realis, nam ad hoc fundamentum proximum ſufficit, quòd non ſit aliquid rationis, vt vel ipſe Fonſ. admittit ibidem §. *Tertium documentum*; relatio enim non identificatur cum fundamēto proximo, ſed cum remoto, ſupponendo proximum, tanquám conditionem *ſine qua non*.

4 Aduertendum hîc eſt, quòd quemadmodúm Socrates ſimpliciter dicitur habere vnam vnitatem formalem, licét formaliter loquendo habeat tot vnitates, quot gradus communes animalis, viuentis, &c. ita ſimpliciter dicitur habere vnam relationem identitatis cum Paulo. Si verò comparatio fiat inter Socratem, & brutum, & inter Socratem, & arborem, vel inter Socratem, & lapidem, tunc habebit diuerſas relationes ſimpliciter, ſecundùm diuerſitatem graduum inter quos fit comparatio.

5 Aduertendum ſecundò, conuenientiam in natura generica, aliqualem etiam fundare relationem realem, hæc enim vnitas, ſeu conuenientia vera eſt, & non ficta per intellectum. Dixi (aliqualem) quia conuenientia, vel diſconuenientia ſpecifica eſt, quæ ſimpliciter denominat. Vnde albedo, & nigredo, quamuis conueniant genericè in qualitate, ſimpliciter tamen dicuntur diſſimiles, ſicut Æthyops ſimpliciter dicitur niger, licèt habeat aliqualem albedinem. Aduertendum tandem, conuenientiam analogicam aliquātulam etiam fundare poſſe relationem ſimilitudinis, vt videre eſt apud Soar. in Met. diſp. 47. ſect. 11. n. 18. quamuis repugnet Valenc. 1. p. diſp. 2. q. 16. punct. 1. §. *Ideò*. Soarius. Valentia.

De Relationibus ſecundi generis.

6 Tertia concluſio. Ad ſecundum genus relationum reuocantur omnes illæ relationes, quæ immediatè fundantur in actione, & paſſione, vel in quauis cauſalitate, & reali dependentia; dummodò non ſit cauſa formalis extrinſeca (relationes enim, quæ fundantur in huiuſmodi cauſalitate, reuocantur ad tertium genus menſuræ, & menſurati) ratio concluſionis eſt, quia tales relationes fundantur in virtute agendi, vel patiendi. Ad hoc genus relationis pertinet dependentia humanitatis, per vnionem ad Verbum. Huc pertinent relationes quæ fundātur in Actione, & Paſsione.

7 *Quarta concluſio.* Relatio patris ad filium, habet pro fundamento remoto ſubſtantiam ipſius patris: ita Soar. in Met. diſp. 47. ſect. 12. n. 5. Fonſ. 5. Met. cap. 15. q. 1. ſect. 8. §. *Ad tertium*. Probatur, quia nō poteſt dari relatio ſine fundamēto remoto: ſed poteſt quis dici pater, quin habeat potentiam accidentalem, & phyſicam: ergo ſignum eſt, quòd relatio paternitatis non identificetur cum potentia accidentali, ſed cum potentia ſubſtantiali; quæ vel eſt tota ſubſtantia patris, vel ſola forma ſubſtantialis, quæ eſt principium, & radix operationum: minor probatur. Poteſt enim Deus ſeparare à Socrate patre potentiā generatiuam, accidentalem, & phyſicam, & tamen adhuc veré diceretur pater, ſi Filius ſit ſuperſtes. Soarius. Fonſeca.

8 In ſolutione huius argumenti multum dellaſſatur P. Rubius in Logica de Prædicamentis, cap. 7. q. 12. á n. 67. ſed meo iudicio laborat in caſſum; quamuis enim relatio cauſæ plerumque fundetur in eo, á quo proximè procedit actio, cùm tamen relatio conſeruari poſsit ſine actuali actione, vt videbimus, dicendum conſequenter eſt, hanc relationem paternitatis non fundari in principio, ſeu in potentia accidentali, á qua formaliter procedit, ſed in potentia ſubſtantiali, á qua procedit principaliter. Quòd ſi idem homo reſpectu diuerſorum ſit pater, & filius, eadem ſubſtantia, ſeu eadem potentia ſubſtantialis, ſub diuerſa formalitate erit fundamentum vtriuſque relationis; ſicut albedo eſt fundamentum relationis ſimilitudinis ad albedinem, & diſsimilitudinis ad nigredinem. Rubius.

9 *Quinta concluſio.* Relatio cauſæ efficientis ad effectum, tranſacta actione, eſt eadem numero. Ita Soar. in Met. diſp. 47. ſect. 12. n. 9. Rub. in Logica in prædicamento ad aliquid. Relatio cauſæ, tranſacta actione, eſt eadem. Soarius.

Rubius.

quid. q. 12. n. 272. Probatur, quia, tranſacta actione in fieri, adhuc effectus, cum verè dependeat à cauſa, verè reſpicit cauſam, ſed nõ habet aliud fundamentum proximum: ergo relatio eſt eadem. Probatur minor, quia ceſſatio actionis in fieri, cùm ſit priuatio, non eſt ſufficiens ratio ad nouam relationẽ, quia hæ relationes fundantur in actione, non verò in priuatione. Sufficit ergo, quòd hoc fundamentum extiterit. Ex quibus conſtat, Virginem Beatiſsimam conſeruare modò eandẽ numero relationem matris, quam habuit in inſtanti, quo concepit Filium Sanctiſsimum; quemadmodùm enim calor ad ſui productionem indiget igne, non verò ad ſui conſeruationem, ita ſimiles relationes, &c.

De Relationibus tertij generis.

De Relationibus, quæ fundantur in menſura, & menſurato. Soarius.

10 Sexta concluſio. Relationes huius tertij generis, quæ fundantur in menſurato ad menſuram, reales ſunt, & prædicamentales: ita communis, & probabilior ſententia, pro qua videri poteſt Soar. in Met. diſp. 47. ſect. 11. à n. 8. Probatur, quia ſcientia refertur ad ſuum obiectum: deinde potentia, actus, & habitus ſunt entia realia, & realiter diſtincta ab obiectis, ad quæ realiter ordinantur: ergo ſi obiecta, per quæ menſurantur, realiter exiſtant, habebunt realem relationem, quæ ſuperadditur relationi tranſcendentali, quam habet potentia, actus, & habitus ad obiectum; in eo tamen diſtinguuntur in eâdem potentia v. g. relationes prædicamentales à tranſcendentalibus, quia ſcilicet, hæ dantur, quamuis obiectum non exiſtat à parte rei: at verò relatio prædicamẽtalis ſolùm datur, quando obiectum realiter exiſtit.

Vaſques. Henriq. Vallius.

11 Obijcis pro contraria ſententia, quã ſequitur Vaſques 1. p. tom. 2. ad q. 45. diſp. 173. cap. 4. à num 13. Quatenus aſſerit cum Henrico, quem citat, has relationes eſſe tantùm ſecundùm dici. Vallius item tom. 1. in Logica in prædicamento ad aliquid. q. 5. ca. 3. §. Poſt hæc; reuocat hoc tertium genus relationum ad alia duo priora: pro quo ſic obijci poteſt. Omnis cauſa eſt menſura perfectionis ſui effectus (effectus enim eam habet perfectionem, quam à cauſa participat) ſed relatio cauſæ ad effectum pertinet ad ſecundum genus relationũm: ergo etiam ad illud pertinebunt relationes menſuræ, & menſurati. Reſpond. ad maiorem, omnem cauſam poſſe dici menſuram ſui effectus, laté, & impropriè loquendo, non verò propriè, ſicut hic ſumitur menſura pro ſola obiectiua terminatione, quæ in rigore non eſt cauſa, ſed ad ſummum dici poteſt cauſa formalis extrinſeca, quatenus omnis menſura eſt veluti forma menſurati: & in hoc ſenſu, vel ſubiectum reſpectu accidentis, vel natura reſpectu formæ habent ſe veluti formæ extrinſecè ſpecificantes, materia enim ſub certa capacitate formam ſpecificat, hinc eſt quòd formæ corporeæ dicantur materiales à materia.

Hæ relationes ſũt non mutuæ. D. Thom. Caiet. Soarius. Rubius. Albertin.

12 Septima concluſio. Omnes relationes huius tertij generis ſunt non mutuæ; ita D. Thom. 1. p. q. 13. ar. 7. Caietan. ibi, Soar. in Met. diſp 47. ſect. 15. à n. 8. Rub. in Logica cap. 7. de Relatione, q. 13. à n. 290. Albertin. tom. 2. in prædicamento ad aliquid. q. 18. à nu. 3. Probatur, quia res menſurata realiter refertur ad ſuam menſuram, à qua ſpecificatur, menſura verò nihil curat de re menſurata; nam ſcientia dari non poteſt ſine obiecto, quod reſpicit, obiectum verò, cùm dari poſſit ſine ſcientia, non reſpicit ſcientiam, neque ad illam ordinatur. Quapropter obiectum denominatur ſcibile, & intelligibile, vel à relatione rationis; vel à denominatione extrinſeca deſumpta à ſcientia; vel etiãm fundamentaliter, quia tale obiectum à parte rei poteſt ſciri, & intelligi.

13 Obijcis primò. Color ex natura ſua magis poſtulat percipi ab oculo, quàm ab auditu: ergo ex natura ſua, & formaliter, ordinatur ad oculum, & conſequenter habebit relationem mutuam. Reſpondetur negando conſequentiam, & ad antecedens, dicendum eſt, colorem magis ad viſum, quàm ad auditum ordinari, quia ſcilicet ipſe viſus magis ordinatur ad colorem, non verò quòd color ipſe de ſe ad viſum ordinetur: exemplum ſit in Deo, qui percipi nõ poteſt à ſenſu aliquo, ſed à ſolo intellectu, & tamen Deus per ſe non ordinatur ad aliquem intellectum naturaliter ſpectatum.

14 Inſtas. Quamuis obiectum de ſe nõ ordinetur ad potentiam, adhuc tamen ad potentiam habere poteſt relationem realem, nam Socrates, & Plato inter ſe non ordinãtur, & habent relationem realem; & idem cernitur in opinione, quæ aſſerit Deum habere relationem realem ad creaturas, quamuis ad illas non ordinetur; cùm igitur obiectum, & potentia conueniant in ente reali, poterunt habere relationem realem mutuã. Reſpond. in hoc tertio genere relationum, ſolùm negari relationes mutuas menſuræ, & menſurati, quamuis aliunde obiectum, & potentia habeant aliam relationem conuenientiæ in aliquo gradu entis, vt argumentũ probat; immò obiectum ipſum poteſt habere relationem cauſæ finalis, & cauſæ efficiẽtis, cum

Digitized by Google

cùm effectiuè producat ſpeciem, ſed tales relationes reuocantur ad ſecundum genus, quod fundatur in actione,& paſsione.

15 Obijcis ſecundò Materia refertur ad formam, tanquam ad ſuam menſuram,& ſimiliter forma ad materiam: ergo habent relationes mutuas, & conſequenter in hoc tertio genere dantur relationes mutuæ. Reſ. 6d. Iuxta ſuperiorem ſolutionem, negando tales relationes, prout ſunt menſuræ, & menſurati, eſſe mutuas, quia, vt eſſent mutuæ, debebant eſſe menſurati ad menſuram,& menſurantis ad menſuratum, quod non ita euenit, omnes enim tales relationes ſunt menſurati ad menſuram, nam ita materia menſuratur à forma, vt forma, quà menſura eſt, non reſpiciat realiter materiam, quamuis aliunde illã reſpiciat, vel tanquàm cauſa, vel tanquàm effectus. Aduertendum verò eſt, etiam in primo, & ſecundo genere relationum inueniri poſſe aliquando relationes non mutuas, quãdo videlicet ex vna parte nō detur terminus realiter exiſtens.

SECTIO VI.

De Relatione per ordinem ad terminum.

Relatio poſtulat terminum realem. *D.Thom. Caiet. Ferrar. Soncin. Scotus Capreol. Mairon. Fonſeca. Rubius. Vallius.*

1 PRima concluſio. Relatio prædicamẽtalis exiſtere non poteſt ſine termino realiter exiſtente: ita communis,& vera ſententia cum D. Tho. 1. p. q. 13. ar. 1. ad 2. Caiet. Ferrar. Soncin. Scoto, Capreolo, Maironio,& alijs, quos citat,& ſequitur Soar. in Met. diſp. 47 ſect. 8. à n. 4. Idem tenet Fonſ. 5. Met. cap 15. q. 1 ſect. 7. §. *Primum documentum*: Rubius in Logica cap. 7. in prædicamento ad aliquid. q. 9. à n. 102. Vallius in Logica in prædicamento ad aliquid. q. 6. cap. 6. immò dicendum etiam eſt, neque diuinitus poſſe exiſtere relationem realem ſine termino reali,& realiter exiſtente, vt probat Soar. citatus n. 13.

2 Probatur breuiter, quia relatio prædicamentalis nihil eſt aliud, quàm denominatio realis intrinſecè recepta in fundamento, ad extrinſecum terminum realiter exiſtentẽ: ergo cùm terminus inuoluatur formaliter in ipſa relatione, implicat dari ſine termino; ſicut implicat dari effectum formalem albedinis ſine ſubiecto quod actualiter ſit album, quamuis alioquin ſubiectum ſit extrinſecum ipſi albedini, ſicut terminus eſt extrinſecus ipſi relationi: & declaratur concluſio, quia relatio prædicamentalis non intenditur per ſe à natura, ſed ſolùm emanat expoſitione duarum entitatum: ergo niſi hæ ſint reales, fundare non poterunt realem reſpectum, alioquin modò in quocumque patre darentur infinitæ relationes paternitatis ad infinitos filios non exiſtentes.

3 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quam tenuit Gregorius in 1. diſt. 28. q. 2. ar. 1. vbi multis rationibus probat poſſe dari relationem realem, quin terminus realiter exiſtat, ſed ſolùm in potentia. Obijcis, inquã: ad tranſcendentales relationes non requiruntur termini realiter exiſtentes,& tamen ſunt reales: ergo,&c. Reſpondetur negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia relationes tranſcendentales ſunt ipſæ rerum eſſentiæ abſolutæ, & per ſe intentæ à natura: at verò relationes prædicamentales ſolum per accidens adueniunt, expoſitione terminorum: vnde niſi dentur termini, non dabuntur relationes. Reliqua argumenta Gregorij facilem habent ſolutionem.

Terminus relationis eſt abſolutus. *Scotus. Soarius. Vaſquez.*

4 *Secunda concluſio.* Terminus relationis creatæ eſt aliquid abſolutum. v.g. relatio patris terminatur ad ſubſtantiam Filij, non verò ad relationem filij: ita Scotus in 1. diſt. 30. q. 2. §. *Reſpondeo igitur*, quem ſequuntur omnes Scotiſtæ; quibus prætereà accedũt Soar. in Met. diſp. 47. ſect. 16 à n. 14. Valques obiter tom. 2. in 1. p. q. 36. diſp. 147. cap. 5. n. 2. & ex profeſſo diſp. 59. cap. 6 à nu. 33. à §. *Ego quidem*, vbi rationem reddit, cur creatæ relationes ad abſolutum, diuinæ ad relatiuũ terminentur? eandem concluſionem in relationibus nō mutuis, vbi maior eſt difficultas, tenet Rubius in Logica cap. 7. de Relatione q. 7. à n. 131. cum Niphe,& alijs; item Hurt. in Met. diſp. 15. ſect. 7 Murſia cap. de relat. diſp 1. q. 6. Onha ibi q. 1. ar. 3. loquentes de mutuis,& non mutuis.

Rubius. Niphus. Hurtad. Murſia. Onha.

5 Hæc concluſio facilè probatur in relationibus tertij generis, quæ ſunt non mutuæ, nam menſuratum, v. g. potentia refertur realiter ad obiectum,& tamen non refertur ad aliquam relationem realem obiecti, ſiquidem, vt conſtat, obiectum non habet relationem realem menſuræ ad potentiam. In relationibus mutuis probatur, quia ſi à parte tollatur paternitas, ſi tamen adhuc perſeueret eius ſubſtantia, adhuc filius ad eum referetur: ergo ſignum eſt, quòd non ad relationẽ paternitatis, ſed ad fundamentum terminabatur relatio filij. Confirmatur, quia ſicut creatura refertur ad potentiã creatoris, nō verò ad relationẽ, primò, quia Deus non habet relationes reales ad creaturas; ſecundò, quia creaturæ non pendent à relatione, ſed à po-

ten-

Digitized by Google

tentia Dei: ita ſimiliter filius terminatur ad ſubſtantiam patris potentem generare, quia ab illa vt ſic, & non ab eius relatione accepit eſſe.

Refellitur contraria ſententia. Caiet. Bañes. Zumel. Fonſeca. Patres Conimbr. Curſus Thomiſt.

6 Obijcis pro contraria ſententia, quæ aſſerit omnem relationem formaliter terminari ad aliam relationem, quam tenet Caiet. Bañes, Zumel, & reliqui Dominicani Thomiſtæ ad 1. p. q. 13. ar. 7. quibus etiam aſſentitur Fonſ. 5. Met. q. 4. cap. 15. ſect. 4. & hanc ſententiam non minùs communem dicunt Patres Conimbr. in Logica cap. 7. de Relatione q. 1. ar. 1. § *Hoc, vt diximus*, item Curſus Thomiſt. in Logic. q. 17. de Relatione at. 3.

7 Obijcis, inquam, primò. Si relatio terminaretur ad abſolutum, non erunt relationes ſimul naturâ; ſed hoc non eſt dicendum: ergo &c. Probatur maior, quia ſi paternitas v. g. terminatur ad ſubſtantiam Filij, cùm hæc ſit prior, quàm relatio filij (ſiquidem ſubſtātia filij eſt fundamentum relationis filij) priùs terminabitur relatio patris ad ſubſtantiam filij, quàm detur filiatio: atque adeò paternitas, & filiatio non ſunt ſimul naturâ. Reſpond. negando ſequelam maioris, nam in eodem priori, in quo fundamentum antecedit relationem, non terminat oppoſitam relationem mutuam (in his enim relationibus, eatenus fundamentum vnius relationis terminat aliam, quatenus tale fundamentum eſt ſub propria relatione: & propterea dicūtur relationes eſſe ſimul cognitione, quia quamuis fundamenta ſint priora, nihilominùs tamen ipſa relatio cognoſci non poteſt, quin eâdem cognitione attingatur terminus abſolutus, vel ipſa relatio correſpondens, quod fieri poteſt, quamuis relatio tendat ad abſolutum, vt ex dictis conſtat.

8 Obijcis ſecundò, Si auferatur à ſeruo, etiam quòd ſit homo, ſi maneat ſeruitus, adhuc Dominus referetur ad ſeruum: ergo ſignum eſt, quòd Dominus non ad abſolutum, ſed ad relatiuum terminatur. Reſpond. negando antecedens, nam in eo caſu non datetur ſeruus, ſed ſola ſeruitus, vt ſupponitur: Dominus autem non habet dominium ſolius ſeruitutis, quæ formaliter eſt quædam relatio, ſed ſerui in concreto, vnde dicitur dominus illius ſubſtantiæ ſerui, neque oppoſitum expreſſè docuit Ariſtoteles cap. de Relatis.

9 Obijcis tertiò. Diuinæ relationes non terminantur ad eſſentiam abſolutam: ergo ſimiliter creatæ relationes non ad fundamentum abſolutum, ſed ad relationem correſpōdentem, terminabuntur. Reſpond negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia diuinæ relationes ſunt per ſe ſubſiſtentes, nec ſupponunt alia fundamenta: at verò creatæ relationes, cùm ſint accidentia, ſupponunt fundamenta, ad quæ fieri poteſt relatio, ſi enim à Filio tollatur relatio filiationis, adhuc Socrates Pater ad illum refertur, ſiquidem verè genuit illam ſubſtantiam.

10 Obijcis quartò. Paternitas habet vnam relationem ſimilitudinis ad aliam paternitatem: ergo vna relatio terminatur ad aliā. Reſpond. in hoc euentu, relationem terminari ad aliam relationem, non, quā talem, ſed quatenus ſe habet, vt terminum, & fundamentum alterius relationis, atque adeò per modum abſoluti: neque enim relatio ſimilitudinis fundata in paternitate refertur ad relationem ſimilitudinis fundatam in alia paternitate, quod requirebatur ad intentum cōtrariæ ſententiæ.

11 Obijcis quintò. Etiam in relatis non mutuis poteſt relatio terminari ad relationē rationis ſibi correſpondentem in termino: ergo omne relatum refertur ad terminum relatiuū; antecedēs ſic probat Fonſ. quia ſufficit ratio fundandi negatiua ad relationem realem: ergo ſufficienter relatio rationis debita termino ad terminandam formaliter oppoſitam relationem. Reſpond. negando antecedens: ad probationem dicendum eſt, ſufficere, quòd ratio fundandi ſit quid negatiuum, dūmodò non dependeat ab intellectu, quia relatio cum ſolo fundamento remoto poſitiuo identificatur; cùm verò terminus correſpondeat fundamento remoto, neceſſariò debet eſſe realis; cùm igitur in relationibus non mutuis, relatio correſpondens ex parte termini ſit rationis, non poteſt realiter terminare relationem realem. Ex quibus tandem patet, vnum relatum etiam formaliter ſumptum terminari ad ſuum correlatiuum fundamentale, & abſolutum.

Fonſeca.

Quòmodò vnum relatum plures reſpiciat terminos?

Datur vnà relatio, ad plures terminos neceſſarios. Patres Conimbr.

12 Tertia concluſio. Relatum, quod logicè poſtulat plures terminos eiuſdem rationis, per vnam tātùm relationem omnes reſpicit: ita communis ſententia, quam tenent Patres Conimbr. in Logica cap. 7. de Relatione, q. 3. §. *Secunda quoque*. Probatur, quia non datur relatio niſi, poſito integro, & adæquato termino: ſed in relatis, quæ poſtulant plures terminos, non datur plena, & adæquata ratio termini, niſi per plura indiuidua, vel per plures ſpecies: ergo hos terminos per vnam tantùm

Digitized by Google

tantùm relationem reſpiciet; quæ relatio quamuis ſit vna in ſe, erit tamen virtute multiplex, ratione terminorum; ſicut viſio eſt vnum tantùm accidens, & ratione plurium obiectorum dici poteſt multiplex virtute: atque hinc eſt, vt quoduis Vniuerſale per vnā tantùm relationem reſpiciat ſua inferiora, & totum reſpiciat ſuas partes; quamuis enim termini inadæquatè ſint plures, adæquatus verò eſt vnus tantùm, & aliunde relatio cū ſolo fundamento remoto identificatur, quod eſt vnum tantùm.

13 Vnde colligo cum Soar. in Met. diſp. 47. ſect. 17. à n. 24. filium per duplicem relationem numero diſtinctam reſpicere patrē, & matrem. Probatur, quia filius non poſtulat neceſſariò habere patrem, & matrem, nā Eua genita fuit ſine matre, & Chriſtus Dominus, quā homo ſine patre: ergo quicumque parens eſt terminus ſufficiens ad terminandam relationem filij. Confirmatur, quia, defuncto patre, matre ſuperſtite, adhuc filius retinet veram filiationem, per ordinem ad ſolam matrem: neque enim dicendū eſt, mortuo patre, reſultare in filio aliam relationem ad ſolam matrem, ex eo quòd, viuo patre, daretur vna tantùm relatio ad vtrumque parētem, non, inquam, hoc dicendum eſt, quia ſicut inſurgere non poteſt noua relatio matris, niſi, dato nouo fundamento proximo: ita ſimiliter in filio, dari non poteſt noua relatio, ſine nouo fundamento proximo, quod tamē hîc non datur, vt conſtat.

14 Obſtas. Quando fundamentū proximū eſt idem, eadem eſt relatio; ſed generatio paſsiua, quæ eſt fundamētū proximū relationis filij, eſt vna numero: ergo ſimiliter vna eſt relatio tantùm ad vtrumque parentem. Reſpondetur tamen generationem paſsiuā materialiter ſumptā eſſe vnam tantúm, formaliter tamen eſſe multiplicem, prout ſtat ſub diuerſis formalitatibus, & prout ordinatur ad diuerſos terminos duarum relationum, nempe ad patrem, & ad matrem.

15 Obijcis contra concluſionem. Signum ſub diuerſa relatione tendit ad potentiam, & ad rem; & tamen ſignum poſtulat eſſentialiter tam potentiam, quā rem; ergo falſa eſt cōcluſio. Reſpond. negando conſequentiā, diuerſa ratio eſt, quia in ſigno potentia, & res ſignificata ſunt termini diuerſæ rationis, & habent diuerſa fundamēta proxima ad vtrūque, quod non ita cernitur in Vniuerſali, reſpectu inferiorum, neque in toto, reſpectu ſuarum partium.

16 Inſtas. Inferiora poſſunt eſſe diuerſæ rationis, & ſimiliter partes: ergo tunc dabitur diuerſa relatio tam in Vniuerſali, reſpectu inferiorum, quàm in toto, reſpectu partium. Probatur antecedens, nam inferiora generis ſunt ſpecies, & indiuidua, & partes alicuius totius ſunt materia, & forma, quæ omnia ſūt diuerſæ rationis. Reſpond. tamen ſpeciem, & indiuiduum dici eiuſdem rationis, quatenus ſunt particularia, ſeu inferiora ſub hac ſcilicet ratione, & ſimiliter materiā, & formā, immò quālibet partem, ſub hac ratione partis.

17 Colligo præterea effectū habere duplicem relationem ad cauſam primam, & ſecundam, quia videlicet non pendet eſſentialiter ab vtráque, ſiquidē dari poteſt effectus à ſola cauſa prima, quin á ſecunda pendeat, videtur enim hîc philoſophandum eſſe eodē modo, quo dixi de relatione filij ad vtrūque parentem.

18 *Quarta concluſio.* Quando ſatis eſt vnus terminus, ſi dantur plures termini, plures etiam dabuntur relationes, v. g. quia pater ſatis per vnum filiùm denominatur pater, ſi plures habeat filios, plures etiam ad illos habebit relationes; & idem dicendum de vno ſimili v. g. in vna albedine, reſpectu pluriū, quibus eſt ſimilis: ita Scotus in 3. diſt. 3. q. vnica. Gabriel. ibidem ar. 1. & alij, quos ſequitur Soar. in Metaph. diſp. 47. ſect. 17. nu. 27. neque diuerſus eſt Fonſ. 5. Met. cap. 15. q. 5. ſect. 2. idem aliter approbant Conimbr. in Logica, cap. de Relatione. q. 3. §. *Secunda quoque*, & tenet Vaſq. 4. tom. in 3. p. c. 91. ar. 1. dub. 4. n. 7. Probatur, quia vnicus filius eſt terminus adæquatus, ad quem pater referri poteſt: ergo ſi datur alius filius, alia dabitur relatio. Confirmatur, quia pater habet ad ſecundum filium diuerſum fundamentum proximum, nempe diuerſam actionem: ergo & diuerſam relationem. Confirmatur præterea, quia relatio patris ad primum filium poteſt manere, corrupta relatione, ad ſecundùm.

*Quando termini ſūt plures, per accidens, vna tātùm datur relatio.

Scotus. Gabr. Soarius. Fonſeca. Patres-Conimbr. Vaſquez.

19. Obijcis pro contraria ſententia, quā tenet Rubius in Logica cap. 7. de Relatione. q. 10. à n. 172. vbi citat D. Thom. Caiet. Ferrar. Soncin. ac Toletum. Pro eâdem ſententia ſtat Albertin. tom. 2. in prædicamento ad aliquid. q. 10. à nu. 14. Bañes, Cabrer, & alij, quos citat, & ſequitur Gallego tom. 1. contr. 30. Obijcis, inquam, primò. Idem ſubiectum non poteſt naturaliter habere plura accidentia eiuſdem ſpeciei, v. g. plures albedines: ergo ſimiliter idem fundamentum non poteſt habere plures paternitates v. g. ſed potiùs paternitas, quæ eſt in primo filio, adueniente ſecundo, extenditur ad denominandum ſecundum filium.

Rubius. D. Thom. Caiet. Ferrar. Soncin. Toletus. Bañes. Cabrera. Gallego.

20 Reſpond. ad antecedens, non poſſe idem ſubiectum materialiter habere plura

accidentia intrinſeca, & realia eiuſdem rationis, poſſe tamen habere plures relationes, quamuis ſint modi intrinſeci, quia dicunt ordinem ad extrinſecū, id eſt, ad termiū dummodò habeant diuerſa fundamēta proxima, & diuerſos terminos, & conſequenter diuerſos effectus; atque hinc eſt, quòd Socrates, reſpectu plurium filiorum, ſit formaliter multiplex pater, ſiue patratus, quamuis materialiter ſit vnus tantùm.

21 Obijcies ſecundò. Genus eâdem relatione reſpicit inferiora, ſiue hæc ſint plura, ſiue pauciora: ergo ſimiliter pater &c. Reſpondetur negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia genus ſolùm poſtulat eſſentiali et habere aliquot inferiora, ſiue hæc ſint plura, ſiue pauciora; cū æquè conſeruetur in pluribus & in paucioribus: at verò Socrates pater non poſtulat eſſentialiter habere aliquot filios, quapropter, cùm in vno tātùm habeat terminum adæquatum, ſi plures adueniant filij, plures dabuntur relationes numero diuerſæ.

Corollaria ex præcedente doctrina.

22 Colligitur primò non poſſe Deum impedire relationem patris, ne reſultet, exiſtente filio, quamuis relatio ſit modus, vt docet communis ſententia, quidquid in oppoſitum ſentiat Rubius in Logica cap. 7. de Relatione q. 14. num. 353. cum Soto, & alijs: neque obſtat, quod, poſitis omnibus requiſitis ad actionem cauſæ ſecundæ, poſſit Deus illam impedire per ſuſpenſionem concurſus, quia Deus libere præſtat concurſum cauſis ſecundis, quamuis ſint neceſſariæ: at verò relatio eſt de natura modorum, in quibus datur implicatio, niſi reſultent, poſitis requiſitis, vt cernitur in Vbi, Subſiſtentia, &c. neque præterea obſtat, quòd fundamentum non pendeat à relatione, nam etiam quantitas non pendet à figurâ; & tamen non poteſt Deus impedire eius reſultantiam in quantitate extenſa.

Rubius ſecus.

23 Colligitur ſecundò, relationem maternitatis in Beata Virgine eſſe eiuſdem ſpeciei cum relationibus aliarum matrum. Probatur, quia fundamentum remotum in Virgine ſanctiſsima, ſiue ſit ſubſtantia ipſa, ſiue potentia generatiua, eſt eiuſdem ſpeciei cum fundamento remoto aliarum matrum; præterea fundamentum proximum, nempe actio generatiua, fuit eiuſdem ſpeciei, habuit enim pro termino humanitatem Chriſti Domini, quæ eſt eiuſdem ſpeciei cum reliquis humanitatibus: neque obſtat, quòd filius ſacratiſſimus differat ſuppoſito à reliquis hominibus, quia relatio terminatur formaliter ad humanitatem, & per illam ſpecificatur; ſicut calefactio non per ſubiectum, ſed per terminum productum, ſpecificatur; & inde prouenit, vt calefactio ligni ſit eiuſdē ſpeciei cum calefactione ferri, quia videlicet terminus calefactionis, nempe calor, eſt eiuſdem ſpeciei in vtroque.

Relatio maternitatis in B. Virgine eſt eiuſdē rationis cum aliis matribus.

24 Neque obſtat, quòd generatio Chriſti Domini fuerit miraculoſa, & ſupernaturalis quoadmodum, nam in entitate fuit naturalis, & eiuſdem ſpeciei cum alijs, ſiquidem habuit terminum eiuſdem ſpeciei, nempe humanitatem; ſicut reſurrectio corporum erit actio eiuſdem ſpeciei, cum prima corporum generatione, quamuis ſupernaturalis ſit quoadmodum.

25 Colligitur tertiò, fuiſſe in Chriſto Domino filiationem realem creatam ad Virginem Matrem, vt communior tenet ſententia cum Scoto, Durando, Richardo, & alijs, quos citat, & ſequitur Soar. tom. 2 in 3. p. ad q. 35. diſp. 12. ſect. 2. à §. *Dico igitur*: id probat P. Ioan. Bapt. Nouatus, de Emin. Deiparæ, to. 1. cap 18. q. 27. & ratio eſt, quia Chriſtus Dominus fuit verus, & naturalis filius Virginis ſanctiſsimæ, ſicut reliqui homines ſunt filij ſuarum matrum. Ex quibus conſtat primò, non referri Chriſtum Dominum ad Matrem puriſsimam per relationem increatam, vt volebat Henr. quodlib. 4. q. 3.

Scotus. Durand. Richard. Soar. Nouat.

Henricus.

29 Conſtat ſecundò, hanc relationem filiationis non eſſe rationis, vt volebat D. Thom. 3. p. q 35. art. 5 cum alijs Thomiſtis, qui omnes aſſerunt, ex eo quòd ſuppoſitum diuinum non ſit capax creatæ relationis realis, illam relationem filiationis futuram rationis. Sed contrà, quia relatio poteſt eſſe in natura immediatè, & denominare perſonam Chriſti, ſicut Chriſtus dicitur verè riſibilis, & tamen riſibilitas non eſt immediatè in perſona Chriſti, ſed in humanitate, & inde denominat totum Chriſtum: neque obſtat, quòd filiatio diuina ſit in perſona, & non in natura, nam in diuinis non natura ipſa, ſed perſona producitur, & ideò relatio eſt in perſona: at verò cùm natura humana producatur, hæc debet eſſe ſubiectum filiationis: quapropter in Chriſto Domino datur duplex relatio filiationis, vna creata ad Matrem, altera increata ad Patrem Æternum, & ideò poterit formaliter dici duplex filius, ſicut Deus dicitur multiplex creator à multiplici relatione creatoris.

D. Thom.

Verùm

Vtrùm relationes ſpecificentur per terminos?

27 QVinta concluſio. Principium intrinſecum diſtinctionis ſpecificæ in relationibus eſt intrinſeca differentia, quæ conſtituit relationem ſub hac, vel illa ſpecie. Probatur facilè, quia ſicut homo conſtituitur in tali ſpecie, per ſuam differentiam intrinſecam, ita relatio &c. ex quibus ſequitur talem ſpecificationem non prouenire á fundamento, vel à termino.

Principiũ ſpecificationis eſt fundamentũ remotũ, prout ſtat ſub proximo. D.Thom. Suar.

28 *Sexta concluſio.* Principium extrinſecum, per quod veluti á ſigno ſpecificantur relationes, eſt fundamentum remotum, prout ſtat ſub proximo: ita D.Thom. 1.p. q.32. art. 2. Suar. in Met. diſp. 47, ſec. 17. num. 15. vbi oſtendit habere ſe fundamentum, tanquàm cauſam materialem extrinſecam. Probatur concluſio, quia vnde res habet ſuum eſſe, inde etiam vendicat ſuam diſtinctionem; ſed relatio à fundamento remoto habet totum ſuum eſſe: ergo etiam á fundamento ſuam vendicat ſpecificationem.

29 Aduertendum tamen eſt, ad hanc ſpecificationem non ſufficere fundamentum remotum (in eâdem enim albedine dari poſſunt plures relationes diuerſæ, nempe ſimilitudinis, & diſſimilitudinis ad diuerſos terminos) ſed debere prouenire hanc diſtinctionē á fundamentis remotis, prout ſtant ſub proximis; quamuis enim relatio, quòad exiſtentiam, magis pendeat à fundamento remoto, cum quo identificatur, quàm á proximo; nihilominùs tamen, quòad ſpecificationē, magis pendet á proximo: quod fundamentum proximum non ſemper requirit actualem exiſtentiam, vt patet in relatione patris, quæ habet pro fundamento proximo actionem præteritam.

Reijcitur contraria ſententia. Scotus. Hiſpalenſ. Soncin.

30 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet à ſolis terminis deſumendam hanc ſpecificationem, quam tenet Scotus in 2. diſt. 1. q. 5. Hiſpalenſis in 2. diſt. 13. q. 1. notabili 4. Soncin. 5. Metaph. q. 33. Obijcis, inquam, In eâdem ſubſtantia Petri, quæ eſt fundamentum remotum, prout ſtat ſub eodem fundamento proximo, nempe ſub eâdem generatione paſſiua, datur triplex diuerſa relatio, nempe relatio Filij ad Patrem, relatio creaturæ ad Deum, & relatio effectus ad Solem; & tamen hæ relationes ſolùm ſunt diuerſæ ratione terminorum: ergo non à fundamentis, ſed à terminis deſumenda eſt ſpecificatio relationum. Reſpondeo negando minorem, tales enim relationes diuerſæ quidem ſunt, ſed non ſolùm propter terminos, ſed propter fundamentum remotum prout ſtat ſub diuerſis fundamentis proximis formaliter ſumptis, eadem enim generatio, prout eſt à patre, eſt diuerſa formaliter à ſe ipſa, prout eſt à Sole, vt à cauſa efficiente ſecunda, & prout eſt à Deo, vt à cauſa prima vniuerſali; explicatur exemplo medij in demonſtratione, quod poteſt eſſe materialiter idem, & tamen ſi vel concluſio, vel aliqua præmiſſa variatur, medium ipſum formaliter iam eſt diuerſum.

31 Hoc tamen non tollit, quominùs relationes ſpecificentur etiam à terminis, veluti in genere cauſæ formalis extrinſecæ. Probatur, quia, cùm relatio eſſentialiter reſpiciat terminum, ſequitur quòd relatio conſtituta in aliqua ſpecie ordinetur ad certum terminum, & conſequenter per illum etiam in certo genere ſpecificabitur. Et explicatur, quia relatio patris non temere ad quemcumque terminum, ſed ad certum filium refertur: ergo relatio per terminum etiam ſpecificatur; cùm verò terminus nō ſpecificet vt ſubiectũ, nec vt finis, neque tanquàm efficiens, ſolùm reſtat, vt ſpecificet veluti cauſa formalis extrinſeca; non eſt tamen propria cauſa, ſed veluti ſignum, quia relatio non reſpicit terminũ in aliquo genere cauſæ propriæ, ſed tanquàm purum terminum.

32 Vnde conſequenter dicendum eſt, relationes rationis creatoris in Deo ad creaturas eſſe diuerſæ ſpeciei, non ſolùm quia terminantur ad terminos ſpecie diuerſos, ſed etiam, quia habent fundaméta proxima diuerſa ſpecie, nempe actiones ſpecie diuerſas, quales ſunt actio, quæ terminatur ad animam rationalem, & creatio, quæ terminatur ad Angelum. Quapropter minimé probamus ſententiam aliquorum Thomiſtarum ad 1. p. q. 32. art. 2. aſſerentium, relationes creatoris in Deo omnes eſſe eiuſdem ſpeciei, nam ſi omnes creationes ex eo eſſent eiuſdem ſpeciei infimæ, quia omnes ſunt productiones ex nihilo, ſimiliter etiam omnes eductiones eſſent eiuſdem ſpeciei infimæ, quia omnes conueniunt in eo, quòd ſubiectum præſupponút: eſt igitur vtraque hæc conuenientia ſolùm generica, nam actiones á terminis etiam ſpecificantur, veluti in genere cauſæ formalis extrinſecæ, iuxta ſuprá dicta.

Digitized by Google

DISPVTATIO LXIII.

De Prædicamento Actionis.

DE Actione ipſa nobis modò agendū eſt, de qua pauca breuiſsimè libauit Ariſtoteles, quem ſic inueſtigabimus, vt quæ de actione tractauimus 2. p. trac. 1. lib. 2. agendo de cauſa efficiente nullatenus hîc tractemus, ne, dum agimus de actione, actum agere videamur: ſuppono tamen actionem eſſe modum realem, quanuis oppoſitū doceant Nominales, quos nuper ſecutus eſt P. Petrus Vuadingo trac. de Incarn. diſp. Proœm. dub. 3. ſed ego non nouitatem, ſed veritatem quæro.

Petrus Vadingo.

SECTIO I.

Quo pacto actio reſpiciat principium?

Actio dicit eſſe uialē ordinē ad principiū. D. Thom. Caiet. Soarius.

1 PRima concluſio. Omnis actio dicit eſſentialem, ſiue tranſcendentalem ordinem ad cauſam efficientem, ſiue ad principium. Ita communis ſententia, pro qua videri poteſt D. Tho. 2. 2. q. 1. ar. 3. Caiet. 1. p. q. 26. ar. 5. Soar. in Met. diſp. 48. ſec. 1. n. 17. & alij communiter. Probatur, quia actio eſt immediata illa dependentia ab agente; ſed quod immediatè ab aliquo dependet, eſſentialiter illud reſpicit: ergo &c. Maior certa eſt: minor oſtenditur exēplis, nam inhærentia, & quæuis vnio ideò eſſentialiter reſpiciunt extrema, quia ab illis pendent immediatè. Cōfirmatur, quia actio non poteſt concipi ſine principio, eſt enim *actus agentis, prout agens eſt.*

Herueus. Iauellus. Fonſeca.

2 Herueus tamen quodlib. 1. q. 9. & Iauel. 5. Met. q. 23. oppoſitum exiſtimant; & videtur idem ſentire Fonſ. 5. Met. cap. 2. q. 14. ſec. 4. §. *Huic obiectioni* quatenus aſſerit, actionem ſolùm dicere reſpectum ad terminum productionis, pro quibus obijc. Si actio diceret reſpectum ad agens, non eſſet vnū per ſe; hoc non eſt dicendum: ergo &c. Probatur ſequela maioris, quia actio etiam dicit reſpectum ad terminum: ex duplici verò reſpectu non fit vnum per ſe: ergo &c. Reſpondetur negando maiorem, & ad probationem dicendum eſt, actionem eſſe vnum tantùm reſpectum tranſcendentalem, & abſolutum, & ſolùm per inadæquatos conceptus concipi, modò per ordinem ad principium, modò ad terminum, qui duo reſpectus inadæquati nō tollunt vnitatem per ſe, ſicut dixi de ſignis formalibus: ſi verò actio ſumatur pro relatione ſuperaddita ad principium, & ad terminum, tūc quidem actio erit compoſitum per accidens, vt ſimiliter dixi in Logica de ſignis, diſp. 9. ſec. 2. n. 11.

3 Aduertendum verò eſt, hunc reſpectū ad principium eſſe veluti genericum, actio enim in quauis ſpecie non ſemper includit reſpectum, & dependentiam eſſentialem ad agens certæ ſpeciei, calefactio enim fieri poteſt tam à Sole, quàm ab igne; immò actio ſupernaturalis reſpicit ſiue agens ſupernaturale, ſiue naturale eleuatum; ad quod ſufficit obedientialis propoſitio: at verò actio hæc indiuidua dicit ordinem ad certum agens, vt mox patebit.

Soarius.

4 *Secunda concluſio.* Hæc numero actio dicit eſſentialem ordinem ad hoc numero agens, ita vt ab eo pendeat eſſentialiter: ita Soar. in Met. diſp. 48. ſec. 3. n. 2. & tom. 2. in 3. p. q. 62. diſp. 9 ſec. 2. § *Ad quartum.* Probatur, quia hæc numero dependentia, non poteſt eſſe ſine hoc numero agente: ſed idem eſt actio, ac dependentia immediata: ergo hæc numero actio eſſentialiter dependet ab hoc numero agēte; ſicut hæc vnio eſſentialiter dependet ab his extremis, & hæc cognitio Petri ab hoc numero obiecto. Ex quo ſequitur, actiones indiuiduari per principia à quibus egrediuntur: vtrùm verò per principia ſpecificentur, ſtatim videbimus.

Patres Conimbr.

5 Obijcis primò pro contraria ſententia, quæ docet, hanc numero actionem ſolùm phyſicè pendere ab hoc numero agente: quā tenent Conimbr. 1. Phyſ. cap. 7 q. 10. ar. 3. § *Ad quartum.* Obijcis, inquam. Hic numero calor poteſt fieri ab vno igne, vel ab alio quouis, vel ſolùm ab ipſo Deo: ergo ſimiliter dicendum eſt de hac numero calefactione. Reſpōdetur negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia calor eſt realitas, quæ non pendet immediatè ab hoc igne, ſed media actione: at verò actio eſt immediata dependentia quæ fieri non poteſt per aliam.

Inſtas

Digitized by Google

6 Inſtas. Calor, qui fit per calefactionem, ſe ipſo immediatè, pendet ab ipſa calefactione; & tamen ſine illa poteſt exiſtere, ſi videlicet Deus ſuppleat calefactionē: ergo ſimiliter hæc numero actio poterit conſeruari ſine hoc numero agēte: quāuis ab eo dependeat immediatè. Reſp. tamen ad maiorē, non ex quacūque immediata dependentia colligi, vnū exiſtere nō poſſe ſine alio, ſed ex illa per quam ipſa entitas eſt immediata, & formalis dependentia: at verò effectus realiter diſtinctus, vt eſt calor, nō eſt immediata, & formalis dependentia ab actione, ſiquidem ſine hac actione, vt omnes concedūt, cōſeruari poteſt calor: potiùs ergo dicendum eſt, effectum pēdere à cauſa per actionem, quàm pendere ipſum effectum ab actione.

Actio cauſæ ſecūdæ non poteſt fieri à ſolo Deo.

7 Vnde colligo, licèt Deus cōtineat eminenter totā hanc numero actionem (ſiquidē tam à Deo, quàm etiam à cauſa ſecunda, tota procedit) quòd nō eā totaliter cōtineat, quia hæc numero actio ita per ſuā entitatē dependet à cauſa ſecunda, vt ſine illa conſtare non poſsit, quod ſic explicatur; nā eadem actio tota quidē continetur in Deo, & tamen nec diuinitus fieri poteſt ſine termino; ergo licèt in Deo cōtineatur tota, cùm immediatè reſpiciat cauſam ſecundā, fieri nō poterit ſine illa. Quando igitur dicitur quòd Deus cōtineat virtutē ad præſtandū ſe ſolo, omnes effectus cauſæ ſecundæ, intelligendū eſt de effectibus realiter diſtinctis, nō verò de actionibus, quæ propriè loquendo nō ſunt effectus, ſed depēdentiæ immediatæ effectuum à cauſis.

8 Obijcies: ergo Deus dependet à creatura, ſiquidem non poteſt Deus producere actionem ſine creatura: probatur, propterea enim creatura dicitur pendere à Deo eſſentialiter, quia non poteſt efficere aliquā actionem ſine Deo. Reſpond. negando ſequelam; quia, vt Deus dicatur independens à creaturis, ſufficit quòd poſsit, ſe ſolo, producere omnes effectus, qui non dicunt ordinem, & dependentiam eſſentialem ab aliqua certa creatura, cùm tamen creaturæ nullum effectum producere poſsint ſine Deo.

9 Obijcis ſecundò. Deus poteſt, ſe ſolo, reproducere hunc numero calorē: ergo etiā poterit reproducere eandem actionem. Reſpond. negando conſequentiam, nam eadem actio requirit neceſſariò idem agens; vnde ſi ſolùm conſeruet calorē, actio erit diuerſa numero, non ſolùm quia anteà procedebat illa actio à cauſa prima, & ſecunda, & poſteà procederet à ſola prima, ſed etiam quia modò quando Deus, ſe ſolo, operatur, adhibet maiorem concurſum, quo ſuppleat defectum concurſus cauſæ ſecundæ,

10 Ex propoſita concluſione bene ſequitur, actiones indiuiduari per agentia, imò & ab illis ſumere vniuocationem prædicamentalem, quamuis enim eſſentialiter reſpiciant terminū, cùm tamen pertineāt ad cōpoſitionem termini, & ſint eius cōplementum, ſunt accidentales, vel ſubſtantiales, pro diuerſitate naturæ terminorū: cùm verò eſſentialiter reſpiciant principium, & illud iam ſupponant conſtitutum in ſuo eſſe, inde eſt, quòd actiones accidentaliter denominent principium, & propterea ab illo deſumant vniuocationē prædicamentalem.

SECTIO II.

Quomodo actio reſpiciat terminum?

Actio eſsētialiter reſpicit terminum.

11 PRima concluſio. Omnis actio eſſentialiter poſtulat terminum, quem tranſcendentaliter reſpicit. ita communis, & vera ſententia, quā tradit Scotus in 1. diſt. 27. q. 3. Soar. in Met. diſ. 48. ſec. 2. n. 16. & circa actiones immanentes, in quibus maior eſt difficultas, tenent noſtram concluſionem idem Soar. citatus n. 17. & in Summa loquens de Viſione Beata trac. 1. lib. 2. cap. 11. n. 4. idem latè probat Faſol. 1. p. q. 12. ar. 2. dub. 3. vbi n. 5. 6. & 7. citat. D. Th. Syluestrum, Ferrar. Sot. Guilhelm. Pariſien. Bonauent. Radam. Richard. Baſſol. Capr. Torres. Henr. Trigoſium, Becan. Arrub. & alios. Eandem ſententiam ſpecialiter circa viſionem beatam (vbi maior eſt dubitatio) ſequitur Sal. 1. 2. tom. 1. q. 3. trac. 2. diſp. 5. ſec. 2. n. 28. vbi ad finem alios præterea citat Auctores.

Scotus. Soar. Faſolis. D. Thom. Syluest. Ferrar. Sotus. Guilhel. Pariſien. Bonau. Rada. Richard. Baſſol. Capreol. Torres. Henriq. Trigoſ. Becan. Arrubal. Salas.

2 Probatur generaliter, quia omnis actio ſiue ſit tranſiens, ſiue immanens, ſemper eſt via, ſiue productio, & cauſalitas; ſed productio intelligi nō poteſt ſine re producta: ergo actio concipi non poteſt ſine termino intrinſeco, quem producat; vel ſi terminus iam eſt productus, adhuc intelligi nō poteſt ſine termino, ad quem dicat ordinē. Confirmatur exēplo vnionis, quæ intelligi nequit ſine extremis. Specialiter probatur cōcluſio in actionibus immanētibus, quibus non repugnat habere terminū, ex eo quòd ſint immanentes; quia talis actio ideò ſolùm dicitur immanens, quia manet in eâdem potentia, à qua elicitur: ergo poteſt habere terminum, & tamē poteſt eſſe actio immanens, ſi videlicet nihil producat extra eandem potentiam: præterea non repugnat terminus actioni immanenti,

Digitized by Google

ex eo quòd ſit actio vitalis, quia vt actio ſit vitalis, ſolùm requirit, vt procedat à principio vitæ. Cùm igitur actio immanens vera ſit actio, neceſſariò vendicat terminum, quia non poteſt intelligi cauſalitas, qualis eſt actio, ſine re cauſata; pro eâdem ſententia ſtant Mol. 1. p. q. 12. ar. 2. diſp. 1. initio. Vaſq. ibid. diſp. 38. cap. 2. n. 5. cum quadam tamen limitatione infrà aſsignanda.

Molina. Vaſq.

3 Obijcis primò pro quadam ſententia, quæ docet, actiones immanentes non eſſe veras actiones, ſed qualitates quaſdam, & ita ſentiunt omnes diſcipuli diui Thomæ, quos citat, & ſequitur Ægyd. tom. 1. de Beatitud. lib. 4. q. 2. ar. 4. vbi citat 18. auctores, falsò tamen allegat Soarium in Met. diſp. 42. ſect. 5. n. 13. ibi enim non aſſerit Soar. actionem immanentem pertinere ad qualitatem, cùm exiſtimet eſſe veram actionem, ſed ſolùm dicit, terminum productum per hanc actionem pertinere ad qualitatem, quod veriſsimum eſt, & aliùde ex profeſſo probat Soar. in Met. diſp. 48. ſec. 2. n. 12. actiones immanentes eſſe propriè prædicamentales actiones.

D. Thom. Ægyd. Luſit. Soarius.

4 Veriùs tamen pro hac ſententia allegari poſſent Vaſq. tom. 1. in 1. p. q. 12. diſp. 38. cap. 2. nu. 5. poſt initium; idem præterea ſentit Durand. in 1. diſt. 27. q. 4. ſubſcribit Araujo in Met. lib. 5. q. 6. ar. 3. qui pro hac ſua ſententia vndecim numerat auctores, & pro contraria ſolùm reponit Fonſ. (falsò tamen allegatum 5. Met. cap. 15. q. 10. ſec. 2.) & Patres Conimbr. 3 de Anima, cap 8. q. 3. ar. 3. hic ergo auctor Araujo religione motus piaculum duxit recedere ab hac ſua opinione, pro qua retulit vndecim auctores, *Cùm*, inquit, in cap. Canonici diſt. 19. *determinatum inueniam, quòd in concurſu duarum opinionum, illi ſtandum ſit, quæ à pluribus fuerit approbata*, & ſimiliter in lege, cum quid ff. ſi certum petatur &c. ex hoc tamen cap. ſecurus ſcrupuli eſſe poterat P. Araujo, & pro noſtra ſtare ſententia, nam Patres Conimbr. multò plures ſunt, quàm vndecim Auctores, qui contra noſtrã ſententiam tela tenent, quamquàm vnus pro cunctis ſufficiat Soarius à me citatus; prætereà quòd ſi legibus ſtandum ſit, Cap. Capellanus de ferijs, ſtatuitur quòd communis opinio non eſt præferenda illi, quæ melioribus rationibus fulcitur (Vide Far. in Praxi 1. p. q. 15. nu. 52.) noſtra verò opinio potiores habet rationes, vt patet ex dictis.

Vaſquez. Durand. Araujo. Fonſeca. Patres Conimb. Farinac.

5 Obijcis, inquam, primò. Intellectio conſiſtit formaliter in ſolo conceptu: ſed cõceptus eſt qualitas quædam: ergo intellectio, quæ eſt actio immanens, non habet alium terminum, cùm non ſit propriè actio, ſed nomine tenus, & propterea dicatur actio grammaticalis, quæ non eſt aliud, quàm conceptus. Huic argumento ſatisfaciemus 4. p. in lib. de Anima diſp. 83. ſec. 3. vbi oſtendemus, intellectionẽ formaliter conſiſtere tã in vera actione, quàm etiam in eius termino; immò vt bene argumentatur Herice 1. p. tract. 4. diſp. 42. cap. 5. n. 44. Quamuis intellectio conſiſteret in ſolo conceptu producto, nihilominùs tamen hæc qualitas creata neceſſariò requirebat veram actionem, per quam procederet, quæ actio in ſententia eiuſdem auctoris, non poteſt non pertinere ad prædicamentum Actionis. Quin, & actiones Dei immanentes dici poſſe veras, & reales actiones, defendit Raynald. in Theologia naturali diſt. 8. q. 1. ar. 4. n. 44.

Herice. Raynald.

Reijcitur alia contraria opinio.

6 Obijcis ſecundò pro alia ſecunda, & contraria ſententia, quæ docet, actiones immanentes non habere terminos, quamuis dicantur veræ actiones. Hanc tenent Caiet. 1. p. q. 27. ar. 1. Ferrar. 1. contra gentes. cap. 15. Capr. in 1. diſt. 27. q. 2. Cabrer. tom. 2. in 3. p. q. 11. ar. 1. diſp. 1. §. 9. n. 289. Zumel, 1. p. quæſt. 12. ar. 2. diſp. 2. concl. 3. Bañes ibid. dub. 1. ad 3. in fine. Nazarius ibid. controu. 2. Nauarr. ibid. §. 3. Dandin. 3. de Anima, digreſſ. 32. eandem opinionem affert, & auctoritate ſua effert Lorin. in Pſal. 35. verſ. 10. §. *Refellitur*. Obijcis, inquam, ſecundò. Reſpectus actionis ad terminum, non eſt accidentis ad ſubiectum, neque effectus ad cauſam, neque cauſæ ad effectum: ergo non datur talis reſpectus. Reſpond. negando conſequentiam, eſt enim reſpectus viæ ad terminum, vel cauſalitatis ad effectum.

Caiet. Ferrar. Capreol. Gabr. Zumel. Bañes. Nazar. Nauarr. Dandin. Lorinus.

7 Obijcis tertiò. Actio immanens, teſte Philoſopho 9. Met. cap. 9. in eo diſtinguitur à tranſeunte, quòd per actionem immanentem nihil fit: ergo actio immanens non habet terminum, quem faciat. Reſpond. Philoſophum ſic interpretandum eſſe, quòd ſcilicet per actionem immanentem, nihil fiat extra potentiam, ſicut per tranſeuntem, quæ terminum producit ad extrà. Aliter etiam poteſt interpetrari, quòd ſcilicet, per actiones immanentes termini producuntur, qui non permanent, tranſacta actione (conceptus enim, qui eſt terminus actionis intelligendi, pendet ab actione intelligendi in fieri, & conſeruari) at verò effectus, qui fit, media actione tranſeunte, plerumque perſeuerat, tranſacta actione, vt patet in calore, qui perſeuerat, finita calefactione. Dixi, *plerumq;* quia aliquando per accidens, & propter defectibilitatem ſuam non permanent termini actionum tranſeuntium, vt patet in actionibus ſaltandi, & cantandi, quæ nihil poſt ſe relinquunt,

Inſta

Digitized by Google

8 Inſtas tamen contra hanc vltimam interpretationem Philoſophi. Per actiones immanentes producuntur habitus; ſed habitus permanent, tranſacta actione, ergo &c. Reſpond. tamen negando maiorẽ, habitus enim non producitur propriè ab actione immanente productiua actus, nam actio non poteſt habere duos terminos intrinſecos, conceptum ſcilicet, & habitum: producitur ergo habitus per aliam actionem procedentem ab ipſo actu, & terminatam ad habitum, quæ actio non eſt immanens, ſiquidem non manet in eodem principio, à quo egreditur, exit enim ab actu, & recipitur in potentia.

9 Multas alias rationes pro ſe afferunt citati auctores, quas latè proponit, & ſoluit Faſſol. 1. p. q. 12. ar. 2. dub. 7. à nu. 5. Verùm, niſi ego fallor, adeò ſunt futiles, vt non ſit propter eas vadimonium deſerendum. Illud obiter aduerte primò, noſtram concluſionẽ certam etiam eſſe in viſione beata, per quam producitur terminus, ſcilicet verbum creatũ, vt latè probant Soar. de Attrib. lib. 2. cap. 11. Herice. 1. p. tract. 4. diſp. 42. cap. 5. vbi initio citat Vaſq. Valent. Attub. Conimbr. Hurt. & alios, quamuis oppoſitum ſentiant Thomiſtæ, quos citant, & more ſuo ſequuntur Patres diſcalceati de Anima, diſp. 21. q. 5. à n. 78. quos impugno ad 1. p. D. Tho. tract. de Viſione Beat. diſp. 3. ſec. 2. Aduerte ſecundò, rationes factas pro noſtra ſententia probare, neque diuinitus dari poſſe actionẽ ſine termino, ſicut non poteſt dari vnio ſine extremis: neque obſtat, quòd vnum relatum tranſcendens, ſcilicet forma materialis, poſſit diuinitus exiſtere ſine materia, nam forma non eſt immediatè dependentia à materia; ſed eſt realitas à materia realiter diſtincta.

Faſſol. *Soarius.* *Herice.* *Conimb.* *Vaſques.* *Valent.* *Arrubal.* *Hurtad.* *Patres Diſcalc.* *D. Thom*

Vtrùm actio reſpiciat terminum tanquàm ſubiectum?

Reſponſio eſt negatiua.

10 Secunda concluſio. Actio ita eſſentialiter poſtulat terminum, vt tamen illum non reſpiciat, tanquàm ſubiectum inhæſionis: ita ſupponimus 2. p. trac. 1. lib. 1. diſp. 21. ſec. 3. num. 14. & docet Soar. in Met. diſp. 48. ſec. 3. quatenus abſolutè docet, actionem ex genere ſuo non poſtulare ſubiectum inhæſionis; ita etiam ſupponit Vaſq. tom. 2. in 1. p. q. 42. diſp. 229. cap. 5. n. 17. §. *Age tamen.* Probatur, quia actio eſt fieri termini: ergo terminus non poteſt eſſe prior ipſa actione; ac proinde non poteſt eſſe eius ſubiectum; ſiquidem ſubiectum debet eſſe priùs.

Soarius.

11 Oppoſitum tenent Conimbric. l. de Gener. cap. 4. q. 4. ar. 3. §. *Quòad ſecundum:* neque pro illis facit, quòd materia, & forma ſint ſibi inuicem cauſæ, vt multi opinantur, cùm enim materia, & forma habeant diuerſas cauſas efficientes, à quibus accipiunt diuerſas exiſtentias, poſſunt ſe præſupponere in diuerſo genere cauſæ. Neque hinc ſequitur vnum modum, ſcilicet actionem, identificari cum duplici re; cum termino, & cum ſubiecto termini, eſt enim actio in termino intrinſecè, & in ſubiecto extrinſecè; vnde etiam conſequenter dicendum eſt, non omnem modum dependere à re modificata, tanquàm à ſubiecto: ad hoc autem, vt actio dicatur verum accidens, ſufficit, quòd ſit in ſubiecto, in quo terminus inhæret: ſi verò terminus non ſit in ſubiecto, vt contingit in termino creationis, tunc actio reſpiciet ſubiectum prædicationis, vel denominationis, quod ſufficit, vt videre eſt apud Soar. in Metap. diſp. 48. ſec. 5. num. 15. & Conimbr. in Logica ad cap. de Prædicamentis in genere, q. 1. ar. 1. §. *Verùm quia.*

Soar. *Patres* *Conimbr.*

12 Immò addo, neque etiam actionem eductiuam, quatenus actio eſt, reſpicere eſſentialiter ſubiectum, nam ſolùm, quà paſſio eſt, reſpicit ſubiectum; de ratione enim actionis ſolùm eſt reſpicere terminum; in eo tamẽ diſtinguuntur actio creatiua, & eductiua, quòd terminus actionis eductiuæ reſpiciat eſſentialiter ſubiectum, quod tamen non reſpicit terminus actionis creatiuæ: immò etiam actio immanens non poſtulat recipi in eodem ſubiecto, à quo elicitur, quà actio eſt, ſed quia neceſſariò habet coniunctam paſſionem, quæ eſſentialiter poſtulat ſubiectum inhæſionis.

SECTIO III.

Vtrùm actiones ſpecificentur per terminos, vel per principia?

1 Prima concluſio. Actiones non ſpecificantur per principia materialiter ſumpta: ita communis, & vera ſententia, pro qua videri poteſt Soar. in Met. diſp. 48. ſec. 1. à n. 10. Probatur facilè, quia idem numero agens poteſt habere actiones ſpecie diuerſas, immò & genere diuerſas: ergo actiones non ſpecificantur per agens materialiter ſpectatum. Probatur antecedens, quia idem ſol producere poteſt multas, & diuerſas actionum ſpecies. Item è contrà diuerſa principia poſſunt producere actiones eiuſdem ſpeciei, vt Sol, & ignis, &

Soarius.

Digitized by Google

lux, quæ ſpecie diſtinguuntur, producere poſſunt calorem eiuſdem ſpeciei: ergo &c.

Actiones ſpecificantur per terminos, quos producunt. *D.Thom* *Ægyd. Romanus.* *Soarius.* *Patres Conimbr.* *Salas.*

2 *Secunda concluſio.* Actiones ſpecificantur tanquàm à ſigno per terminos intrinſecos, & materiales, quos producunt. Ita D.Thom. q. 5. de Potentia, ar.8. Ægyd. Roman. in 1 diſt. 17. ar. 2. Soar. ſuprà n. 5. Conimbric. lib.5. Phyſic. cap.4. q. 1. ar.2. loquentes de motu; ſed eadē eſt ratio in actionibus. Sal. 1. 2. trac. 1. q. 1. art.3. diſp.7. ſec.1.n.13. Quamuis ibi addat, ſumi hanc ſpecificationem à principio, quod minimè negamus, ſi principium formaliter accipiatur. Dixi in concluſione, *tanquàm à ſigno*, quia intrinſeca ſpecificatio prouenit ab intrinſeca differentia cuiuſque actionis.

3 Probatur concluſio. Quia actio eſt via ad terminum materialiter ſpectatum, quē producit: ergo à termino materiali, & intrinſeco debet ſumere ſpecificationem; atque hinc eſt, quòd actio à termino etiam ſumat denominationem, nam à calore dicitur calefactio, à frigore frigefactio: item ideò calefactio, & frigefactio inter ſe contrariantur, quia calor, & frigus ſunt contrarij. Dixi, *à termino intrinſeco*, quia intellectiones v.g. nō ſpecificantur à termino extrinſeco materiali, nam circa idem obiectum verſari poſſunt intellectiones diuerſæ ſpeciei, nimirum de eodem Petro dari poſſet intellectio Angeli, & intellectio hominis, quæ ſpecie diſtinguūtur, non ratione obiecti, ſeu termini extrinſeci materialis, ſed ratione termini intrinſeci, ideſt conceptus, qui ſpecie diſtinguuntur in homine, & in Angelo: ad quam diſtinctionē ſpecificam conceptuum, ſufficit, quòd idem obiectum materiale ſit formaliter diuerſum, prout eſt intelligibile ab homine, vel ab Angelo, ſufficit enim quælibet varietas in obiecto ad variandum cognitionem, vnde differunt ſpecie cognitiones, quas formo de diuinis attributis, licèt attributa habeant eandem eſſentiam.

4 Obſtas. Actiones ſpecificantur per terminos materiales intrinſecos: ergo & cōceptus non per obiecta formaliter ſumpta, ſed ſolùm per obiecta materialia, ſpecificabuntur. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia actiones producunt terminos materiales, ac proinde intellectiones producunt conceptus materiales, & ideò per illos debent ſpecificari: conceptus verò non producunt obiecta extrinſeca, ſed tendunt in illa, atque adeò variari debent per aliquā varietatē obiectorum, vel pro diuerſitate tendentiæ in obiecta: data verò qualibet varietate formali in obiecto, datur diuerſa tendentia conceptus in obiectum.

Reijcitur contraria ſententia. *D.Thom.* *Zumel.* *Herice.*

5 Obijcis primò pro contraria ſententia, quæ aſſerit, actiones ſpecificari per principia; quam etiam videtur tenere D.Thom. 1. p. q.14. ar.5. ad 3. & 1. 2. q. 1. art.3. in corpore, quem ſequitur Zumel 1. p. q. 27. art. 1. diſp. 14. & in hanc ſententiam magis inclinat Herice 1. p. trac. 2. diſp.17. cap. 2. n. 8. qui licèt concedat actionem dicere ordinem eſſentialem, tam ad terminum, quàm ad principium, iudicat tamen reſpectum ad agens eſſe magis præcipuum.

6 Obijcis, inquam, primò. Actio æquè eſſentialiter reſpicit principium, & terminū: ergo non eſt maior ratio, quòd per terminū, & non per principium ſpecificetur. Confirmatur, quia vniones, & relationes non ſpecificantur ab vno ſolùm termino. Reſpondeo negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia actio egreditur à principio, quod deſerit, & tota tendit in terminum: vnde ſatis eſt, quòd à principio ſumpto formaliter ſumat indiuiduationem. Ad confirmationem reſpond. vnionem eſſe vinculum inter duo extrema, & propterea ab vtroque aliquando ſpecificari; relatio item eſt reſpectus inter duo, & ideò à fundamento, & termino ſumit ſpecificationē: nō nego tamē, actiones ſpecificari etiam per terminos, & principia formaliter ſumpta, hoc eſt illuminationem per lucem, quæ eſt terminus materialis, & per ſolem quà illuminatiuus, qui eſt principium formale.

7 Obijcis ſecundò. Creatio, & generatio eiuſdem termini differunt ſpecie, & tamen terminus eſt idem (ſi v.g. ſupponamus eundem calorem, qui modo generatur ab igne, creari à Deò) ergo generatio & creatio differunt ſpecie, ratione principij à quo egrediūtur. Reſpond. negando minorem, terminus enim materialis eſt diuerſus in creatione, & generatione, nam terminus creationis eſt calor cum modo exiſtendi per ſe, vel ſine tali modo; terminus autem generationis eſt idem calor cum modo inhærendi, qui termini materialiter ſunt diuerſi; & idem cernitur in creatione, vel eductione alicuius ſubſtantiæ; ſubſtantia enim generata habet vnionem, ſiue dependentiam: ſubſtantia verò quæ creatur, non eſt terminus dependens. Vide Soarium in Met. diſp.48. ſec.3. à n. 10.

8 Obijcis tertiò. Actio vitalis differt à non vitali: ſed diuerſitas non prouenit à termino, ſiquidem terminus poteſt eſſe idem: ergo prouenit à principio. Reſpond. negando maiorem, quia actio vitalis, & non vitalis circa eūdem terminum non eſt diuerſæ ſpeciei, vt videre eſt apud Soar. ſuprà num. 15. nam vitalitas eſt quædam denominatio extrinſeca

trinſeca iuxta ea, quæ dixi 1 p. trac. 1. diſp. 11. ſec. 1. n. 8. & 8.

Corollaria ex præcedente doctrina.

Actio libera, & neceſſaria circa eundē terminum eſt eiuſdē ſpeciei.

9 EX tradita doctrina colligitur primò, actionem liberam, & neceſſariam circa eundem terminum materialem, non differre ſpecie (ſicut dixi de actu vitali, & non vitali) quapropter idem actus primò primus, & neceſſarius, ſi adſit aduertentia, fiet liber, & tamen ſimpliciter eſt idem actus numero, quia terminus eſt idem: & propterea actus amoris Dei in patria, quamuis ſit neceſſarius, dicitur ab aliquibus eſſe eiuſdem ſpeciei cum actu amoris Dei libero, qui fit in via: immò Soar. to. 2. in 3. p. q. 37. diſp. 21. ſec. 2. §. *Vnde obiter*, valde probabiliter ſentit, Virginem matrem, eundē numero actum charitatis, quem in via libere producebat, in Patria neceſſariò continuaſſe, quin morte interpellaretur: qui verò ex Deo clarè cognito in patria, vel confuſè in via, tribuerit diuerſitatem ſufficientem in termino, conſequenter amorem Dei in Patria ſpecie diſtinguet ab amore Dei in via.

Soar.

10 Colligitur ſecundò, actionem miraculoſam, & naturalem circa eundem terminum eſſe eiuſdem ſpeciei, & ratio eſt, quia actiones á ſolo termino ſpecificantur: Soar. tamen in Metap. ſuprà num. 21. oppoſitum iudicat valde probabile; verùm facta venia tanti auctoris, ſimilis doctrina ſuſtineri non poteſt cum principijs ſuprá iactis eiuſdem auctoris: cohærentiùs ergo, & conſtantiùs videtur dicendum eſſe, actionem miraculoſam, & naturalem circa eundem terminum eſſe eiuſdem ſpeciei, quamuis miraculoſa ſupernaturalis ſit quòadmodum; neque enim repugnat dari maximam varietatem accidétalem inter res eiuſdem ſpeciei, vt patet in actione vitali, & non vitali, neceſſaria, & libera, quæ poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei, ratione eiuſdem termini.

11 Immò conſequenter etiam dicendū eſt, non poſſe ex ſola voluntate diuina variari actiones, ſecundùm ſpeciem, circa eundem terminum, vt ipſe infrà admittit. Confirmatur noſtra ſententia diluendo argumentum Soarij, quia ſi ex aliquo capite daretur diuerſitas ſpecifica inter has actiones, eſſet, propter diuerſas formalitates principij, ſcilicet, quia principium formale producens calorem miraculoſè eſſet Deus tantùm, & producens calorem naturaliter, eſſet Deus cum cauſa ſecunda; & ſimiliter principium formale producens gratiam obedientialiter eſſet aqua, principium verò formale producens eandem gratiam principaliter, eſſet Deus, ſed ex hoc non colligitur diuerſum principium formale, & aliunde terminus eſt idem: ergo non differunt ſpecie.

12 Probatur minor, quòd ſcilicet non detur diuerſum principium formale, quia dari non poteſt diuerſum principium formale, quin reſpiciat diuerſum terminum materialem (propterea enim calefactiuum, & frigefactiuum ſunt principia formalia diuerſa ſpecie, quia tendunt ad terminos materialiter diuerſos ſpecie, ſcilicet ad calorem, & frigus) ſed hic, vt ſupponitur, datur idem terminus: ergo actiones ſunt eiuſdem ſpeciei, neque variantur, vel ex parte termini, vel ex parte principij formalis. Dicendū igitur eſt, quòd Deus ſe ſolo, & Deus ſimul cū aqua, ad productionē gratiæ ſint diuerſum principium materialiter, non tamen formaliter.

13 Confirmatur primò, quia generatio naturalis, & reſurrectio eiuſdem Socratis cómuniter dicuntur ab auctoribus actiones eiuſdem ſpeciei, quamuis reſurrectio ſit actio ſupernaturalis quòadmodū. Confirmatur ſecundò, quia non minùs pendet actio á termino intrinſeco, quám actio intelligendi á motiuo, ſiue ab obiecto extrinſeco, ſed impoſſibile eſt, vt ad eundem terminum tendant diuerſæ actiones in ſpecie, alia ſcilicet naturalis in entitate, alia ſupernaturalis in entitate.

14 Colligitur tertiò, poſſe multa principia eſſe materialiter ſpecie diuerſa, immò & genere, formaliter tamen eſſe eiuſdem ſpeciei, nam Sol, ignis, & lux materialiter ſumpta ſunt principia diuerſiſſima, formaliter verò, quatenus calefactiua, conſtituunt vnum principium ſpecificum, & per hoc principium calefactiuum, & per ſuum terminum, ſcilicet calorem, dicuntur calefactiones eſſe eiuſdem ſpeciei. Actio igitur per ordinem ad principium materiale, vel formale conſtituit prædicamentum actionis, quia eodem modo, id eſt accidentaliter reſpicit quoduis principiū, per ordinem verò ad terminum non conſtituit prædicamentum, cùm ſit complementū termini, vt videbimus.

15 Colligitur quartò, actionem productiuā, & conſeruatiuam, eſſe eandem, vt doctè probat Arriaga in Phyſica, diſp. 9 ſec. 6. à n. 88. probatur, quia terminus eſt idem. *Arriaga*

16 Colligitur tandem, actionem, & paſſionem tendere quidem in eundem terminū materialem, & nihilominùs genere differre, quia præſtant denominationes primò diuerſas formaliter per ordinem ad primam ſubſtantiam: actio enim denominatio agens actiuè

actiuè producens calorem v. g. paſsio verò denominat eandem primam ſubſtantiam recipientem eundem calorem; neque mirum eſt, quòd actio, & paſsio, & ſimiliter motus ſpecificentur per eundem terminum materialem, ſiquidem ſunt idem à parte rei, & reſpiciunt terminum ſub diuerſis formalitatibus. Quamuis ergo actio eſſentialiter reſpiciat quoduis agens etiam materiale; ab eo tamen materialiter ſpectato non ſumit ſpecificationem, ſicut etiã creaturæ reſpiciunt Deũ eſſentialiter, neque à Deo ſpecificantur.

SECTIO IIII.

Quo pacto actio diſtinguatur à termino, & vtrùm cum eo efficiat vnum per ſe?

Diſtinguitur modaliter.

1 **P**Rima concluſio. Omnis actio diſtinguitur modaliter à ſuo termino: ita communis ſententia inter auctores, quatenus appellant actiones modum termini. Probatur primò in actionibus tranſeuntibus, nam hic calor manere poteſt ſine hac actione, videlicet ſi conſeruetur à Deo ſine aliqua cauſa ſecunda. Hæc verò actio perſeuerare non poteſt ſine hoc calore: ergo &c. Probatur ſecundò in actionibus immanentibus, nam conceptus, qui fit ab intellectu noſtro, poteſt fieri à ſolo Deo per aliam actionem, vt dicemus 4. p. diſp. 43. ſec. 5. Hic obiter aduertas actionem realiter diſtingui à principio, à quo egreditur. Probatur, quia identificatur cum termino, qui realiter diſtinguitur ab agente (dummodò ſit verus effectus, de quo loquimur) neque obſtat, quòd actio ſit immediata depẽdentia à principio, ſolùm enim eſt immediata dependẽtia in fieri: at verò in facto eſſe identificatur cũ termino, & ideò iam diſtinguitur realiter à principio.

Actio facit vnũ per ſe cũ termino.

2 *Secunda concluſio.* Probabilius exiſtimo, actionem facere vnum per ſe cum termino; ita communis hodie ſententia, & colligitur ex Soar. in Met. diſp. 48. ſect. 6. vbi n. 6. docet actionem ſolùm per ordinem ad principium eſſe vniuocam, quia per ordinem ad terminum, cùm ſit eius complementum, ſequitur analogiam terminorum. Colligitur etiam ex eodem auctore tom. 3. in 3. p. q. 75. diſp. 50. §. *Dices*, quatenus admittit, actiones terminatas ad ſubſtantiam, eſſe modos ſubſtantiales: vnde ſimiliter dicendum eſt, actiones terminatas ad accidens, eſſe accidentales, & vtraſque cum terminis efficere vnum per ſe, & conſequenter pertinere ad prædicamentum termini.

3 Probatur igitur concluſio. Quia actio pertinet ad complementum (neque enim ſupponit terminum conſtitutum, ſed illum conſtituit) ergo ſicut ſubſiſtentia efficit vnũ per ſe cum ſubſtantia, cuius eſt complementum, & inhærentia ſimiliter cum accidente, ita dicendum eſt de actione, quæ eſt complementum termini. Confirmatur, quia nullum eſt inconueniens, quòd vna entitas, ſecũdùm vnam acceptationem, ſit completa, & ſecundùm aliam, incompleta, vt patet in linea, & ſuperficie, quæ quatenus diuiſibiles, completæ ſunt, quatenus verò indiuiſibiles, incompletæ: ergo ſimiliter nullum erit inconueniens, quòd actio ſit incompleta, quatenus eſt via ad terminum, quia eſt eius complemẽtum; & quòd ſit completa per ordinem ad agens, cum quo facit vnũ per accidens; quod nouum non eſt in actione, ſiquidem eademmet entitas, ſiue idem motus, prout exit ab agente, eſt actio, prout verò recipitur in paſſo, eſt paſsio: ergo ſimiliter prout reſpicit terminum, erit incompleta, & per ordinem ad agens, completa.

4 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quæ non caret probabilitate, aſſeritque, actiones efficere cum terminis vnum per accidens, quam tenet Lugo de Euchar. diſp. 7. n. 129. Actio eſſentialiter ſemper eſt via ad terminum; ſed prout eſt incompleta, eſt via, & pertinet ad prædicamentum termini: ergo nullo modo conſtituet diuerſum prædicamẽtum, niſi efficiat cum termino vnum per accidens. Probatur maior, quia ab actione nõ poteſt praſcindi ratio viæ; cùm tamen certũ ſit dari prædicamentum actionis, dicendum erit, non eſſe complementum termini: ſed efficere cum illo vnum per accidens. Reſpõd. ad maiorem, adhuc in actione poſſe concipi duas formalitates, ſcilicèt prout eſt via ad terminum, & prout eſt via exiens ab agente, via enim quæuis neceſſariò poſtulat terminum à quo, & terminum ad quem; quapropter ſi actio concipiatur, prout exit ab agente, id eſt inadæquatè, eſt completa, & cõſtituere poteſt prædicamentum actionis, licèt aliunde, prout reſpicit terminum, ſit eius complementum, & cum eo efficiat vnũ per ſe, & exemplum ſumi poteſt à linea, quæ modò eſt completa, modò incompleta, vt dixi. *Lugo*

5 Obijcis ſecundò. Non minùs neceſſarium eſt cuilibet entitati habere vbicationẽ, quàm actionem, ſed Vbi efficit vnum per accidens cum re vbicata: ergo ſimiliter & actio. Reſpond. negando maiorem. Actio enim ideò neceſſaria eſt ad complementum termini,

ni,

Digitized by Google

ni quia terminum conſtituit in ſuo eſſe, cùm ſit fieri ipſius termini: at verò Vbi ſupponit iam rem conſtitutam, & ſolùm illam ponit in loco poſt eius conſtitutionem.

6 Obijcis tertiò. Si actio, prout eſt via ad terminum, eſt eius modus pertinens ad prædicamentum termini, & nihilominùs prout exit ab agente conſtituit prædicamentum actionis, etiam inhærentia, prout eſt modus accidentis, poneretur in prædicamento talis accidentis, & prout eſt cauſalitas ſubiecti, illudque denominat cauſans, efficiet aliud prædicamentum: & idem argumentum fieri poteſt de vnione per reſpectum ad materiã, & formam, quatenus eſt complementum; & per reſpectum ad cauſam efficientem, à qua exit, ſed hoc non eſt dicendum: ergo &c.

7 Reſpond. negando ſequelam, & diuerſa ratio eſt; quia, vt aliquid conſtituat nouum prædicamentum, debet habere modum nominandi primam ſubſtantiam primò diuerſum, qualem habet actio per reſpectum ad principium: inhærentia verò denominat primam ſubſtantiam, cui vnit accidens ſolùm materialiter, vnde reducitur ad prædicamentum denominationis cauſæ materialis, ſcilicet ad paſſionem. Similiter dicendum eſt de vnione, quæ cùm plerumque identificetur cũ forma, & denominet materiam materialiter cauſantem, reducitur ad prædicamentum paſſionis, ſi cum illa conſideretur: ſi verò ſpectetur per ordinem ad formam, vel per ordinem ad compoſitum, ad cuius complementum pertinet vnio, tunc quidem pertinebit ad prædicamentum eiuſdem formæ, vel compoſiti.

8 Prætereà, vt aliqua forma conſtituat diuerſum prædicamentum, non ſufficit, quòd ſit completa (vt libere concedo eſſe completam vnionem per ordinem ad cauſam efficientem, ſicut etiam eſt actio per ordinem ad principium) ſed debet vlterius præbere talis forma diuerſam denominationem, quod nõ habet vnio, reſpectu extremorũ, forma enim dicitur vnita ſubiecto eodem modo, quo dicitur ſubiectum vnitum formæ (eſt enim vnio eſſentialiter vinculum duorum) at verò actio per reſpectum ad agens, & ad terminum, tribuit diuerſas denominationes; & cùm, per ordinem ad agens, habeat denominationẽ primò diuerſam ab alijs prædicamentis, conſtituet prædicamentum actionis, non ita tamẽ per ordinem ad terminum, propter rationes aſſignatas.

9 Obijcis quartò. Si actio eſſet complementum termini, quoties variatur actio, variaretur terminus: ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Probatur minor, quia terminus poteſt eſſe idem, quamuis actiones varientur, idem enim erit calor, quando producitur à ſolo Deo, vel quando à Deo ſimul cum igne producitur. Reſpondetur tamen negando ſequelam maioris, vnitas enim, vel diuerſitas termini non ab actione, ſed à natura termini deſumenda eſt, ſicut Socrates ſimpliciter idẽ eſt, quamuis ſubſiſtentia varietur, quia natura eſt pars præcipua, quæ diſtinguit: quamuis tã Socrates, quàm etiam terminus actionis dici poſſint variari ſecundùm quid, variata actione, & ſubſiſtentia.

10 Obijcis quintò. Complementum ſupponit rem, cuius eſt complementum, vt patet in ſubſiſtentia, quæ ſupponit naturam: ſed actio non præſupponit terminum, ſiquidem illum producit: ergo non eſt eius complementum. Reſpond. ad minorem, actionem ſolùm pertinere ad complementum termini in fieri, non verò in facto eſſe, ſicut ſubſiſtẽtia pertinet ad complemẽtum ſubſtantiæ, quod ſatis eſt, vt efficiat cum termino vnum per ſe: neque enim opus eſt, vt complementum ſemper præſupponat rem, cuius eſt complementum, vt patet in inhærẽtia, quæ facit vnũ per ſe cum accidente, quamuis illud nõ præſupponat, ſiquidem inhærentia eſt fieri ipſius accidentis; neque complementa debent in omnibus ſimilia eſſe, poteſt enim diuinitus dari accidens ſine omni inhærentia, quæ ſit eius complementum; & tamen dari nõ poteſt ſubſtantia ſine omni ſubſiſtentia: ex quibus patet, quid dicendum ſit ad maiorem.

SECTIO V.

Vtrum vnica actio fieri poſſit per aliam actionem?

1 Sit *vnica concluſio.* Vna actio nec diuinitus poteſt eſſe terminus alterius actionis: ita communior, & verior ſententia, quæ colligitur ex Soar. in Met. diſp. 18. ſec. 10. nu. 8. & tuetur etiam idem Doctor tom. 3. in 3. p. q. 75. diſp. 47. ſec. 3. §. *Sed ſuperſunt*: eandem concluſionem ſupponit Vaſq. 1. p. tom. 2. q. 41. diſp. 166. cap. 4. n. 9. Idem etiam breuiter probat Hurtad. in Met. diſp. 6. ſec. 1. n. 3. eandem concluſionẽ multò breuiùs attigere Conimbr. 3. de Anima cap. 8. q. 3. art. 2. §. *Vt autem*, vbi poſt medium, aſſerunt abeſſe à vero, quòd vna actio ſit terminus alterius actionis. Reſponſio eſt negatiua. *Soarius. Vaſquez. Hurtad. Patres Conimbr.*

2 Probatur, quia omnis actio eſſentialiter eſt fieri alicuius termini: ergo ipſa non poteſt eſſe terminus. Probo conſequentiam, quia

Digitized by Google

quia ſi foret terminus, iam non foret fieri ipſius termini: declaratur ergo conſequentia, quia terminus actionis nunquàm poteſt eſſe formalis productio actionis: ergo neque actio poteſt terminus eſſe actionis. Confirmatur concluſio, quia omnis cauſa formalis habet *vt quo* effectum formalē, quem communicat ſubiecto, *vt quod*; nam albedo ita facit ſubiectum formaliter album vt quod, vt ipſa eſſentialiter ſit alba, *vt quo*: cùm igitur per actionem fiat terminus ipſe, ſicut ipſa actio eſt eſſentialiter fieri termini, ita etiam eſſet fieri ſui ipſius, quod implicat.

3 Confirmatur præterea, quia ſi vna actio fieret per aliam actionem, daretur proceſſus in infinitum, vt patet. Confirmatur deinde, & principaliter, quia actio eſt eſſentialiter immediata dependentia: ergo fieri non poteſt per aliam actionem, iam enim nō foret immediata dependentia, ſiquidem penderet, mediante alia actione. Confirmatur tandem ab exemplis, quia vna vnio non poteſt per aliam eiuſdem rationis vniri: neque vna ſubſiſtentia poteſt per aliam ſubſiſtere: neque vna relatio referri per aliam eiuſdem rationis: neque vnum Vbi per aliud vbicari: ergo &c.

Refellitur contraria ſententia.

4 Obijcis tamen primò pro contraria ſententia, quæ multa habet argumenta, quæ dubiam reddunt noſtram concluſionem. Obijcis, inquam, primò. Idem accidēs poteſt ſimul inhærere, & exiſtere per ſe: ergo ſimiliter eadem actio poterit per ſe eſſe immediata dependentia, & deinde poterit dependere, mediante alia actione: vnde non ſequeretur eſſe, & non eſſe immediatam depēdentiam, ſed ſequeretur eſſe immediatam dependentiam per ſe ipſam, & mediatam per aliam actionem: ſicut accidens non dicitur eſſe, & non eſſe per ſe, ſed eſſe per ſe per modum exiſtendi, & eſſe in alio per inhærentiam. Reſpond. negando conſequentiam, & ad probationem dicendum eſt, propterea accidens reale poſſe ſimul inhærere, & habere modum exiſtendi per ſe, quia non inhæret per ſuammet eſſentiam, ſed per modum ſuperadditum, ſcilicet per inhærentiam, cùm verò actio non per aliam ſuperadditā actionem, ſed per ſe ipſam ſit immediata dependentia, non poteſt pendere, mediante alia, ſic enim eſſet, & non eſſet immediata dependentia, vt patet ex dictis.

Relatio tranſcendentalis poteſt habere relationem prædicamentalē.

5 Obijcis ſecundò. Relatio tranſcendētalis reſpicit ſuum terminum eſſentialiter, & immediatè: & tamen adhuc admittit aliquando relationem accidentalem prædicamentalem: ergo ſimiliter actio, quamuis talis ſit eſſentialiter, poterit tamen accidentaliter eſſe terminus. Reſpond. negando conſequentiā, diuerſa ratio eſt, quia relatio prædicamentalis eſt omnino diuerſa á tranſcendentali, vt in mea doctrina ſatis eſt manifeſtum, vnde mirum non eſt, ſi res eadē habere poſſit duas relationes omnino diſparatas, qualis eſt tranſcendentalis, & prędicamentalis: at verò actio ſemper eſt eſſentialiter immediata dependentia, vnde fieri non poteſt per aliā actionem.

6 Inſtas. Eadem relatio prædicamentalis referri poteſt per aliam relationem prædicamentalē: ergo & actio fieri per aliam actionē. Reſpōd. ad antecedēs, relationē prædicamentalem referri poſſe per aliam diuerſæ rationis v. g. relationem paternitatis referri poſſe ad aliam paternitatem, per relationem ſimilitudinis, vt admiſimus in prædicamento relationis: ſed ſicut non poteſt relatio paternitatis referri per aliam relationem paternitatis, ita neque vna actio fieri poteſt per aliam actionem, exemplum eſt in vnione inter materiam, & formam Chriſti Domini quæ inter ſe vniri non poſſunt alia vnione, cùm tamen ad Verbum diuinum vniri poſsit hæc vnio naturalis per aliam vnionem ſupernaturalē, vt admiſi in prædicamento ſubſtantiæ loquēs de rebus, quæ aſſumi poſſunt.

7 Inſtas ſecundò. Vnio hypoſthatica, per quam anima Chriſti Domini vnitur Verbo diuino, eſt realiter diſtincta ab vnione hypoſthatica, quam habet materia Chriſti Domini ad idem Verbum diuinum, quia tales partiales vniones identificantur cum materia, & forma, quæ inter ſe realiter diſtinguuntur: ergo tales vniones realiter diſtinctæ indigent aliqua vnione inter ſe: ergo ſimpliciter loquendo vna vnio vnitur per aliam vnionem. Reſpondeo admiſſo antecedente, diſtinguendo primum conſequens; cū enim tales partiales vniones ſolùm ſint formaliter vniones ad Verbum diuinum, non verò inter ſe, ideò non illis repugnat inter ſe vniri alia vnione; nego tamen fieri poſſe vnionem hypoſthaticam materiæ, vel formæ Chriſti Domini per aliam vnionem hypoſthaticam: actiones verò ſunt immediatæ depēdentiæ per ſe formaliter, vnde non poſſunt fieri per alias actiones; iam enim non eſſent formaliter dependentiæ immediatæ.

8 Obijcis tertiò. Quamuis noſter intellectus ſit eſſentialiter qualis, poteſt tamen reddi vlteriùs qualis accidentaliter per ſuos actus: ergo ſimiliter, quamuis actio ſit eſſentialiter fieri ſui ipſius, poterit nihilominùs accidentaliter eſſe in facto eſſe, ſeu vlteriùs fieri per aliam actionem accidentaliter. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia eſſentia intellectus non deſtruitur,

ex

ex eo quòd reddatur qualis accidentaliter, & diuerſo modo: eſſentia tamen actionis deſtrueretur, ſi foret per aliam actionem: & ratio eſt, quia eſſe in facto eſſe, ſeu eſſe terminum opponitur eſſentialiter eſſe in fieri, ſeu actioni: at verò eſſe quale eſſentialiter, & intrinſecè, & præterea eſſe quale accidentaliter, & extrinſecè non opponuntur, quia ſunt in diuerſo genere. Aliter hoc explicari poterat: repugnare ſcilicet in actione, quia actio eſt immediata dependentia, atque adeò eſſentialiter poſtulat non pendere, mediante alia actione, cùm tamen de eſſentia intellectus nõ ſit, quòd ſolùm vno modo ſit qualis.

9 Aduertendum eſt, nobis ſermonẽ nõ eſſe de terminatione extrinſeca, nã vna actio ad aliam extrinſecè terminari poteſt, vt v. g. alteratio ad generationem; & intellectio noſtra poteſt etiam naturaliter tendere in aliquam actionem, quam habet, tanquàm terminum; modò enim cùm diſputo de actione, noſtra intellectio habet actionem pro termino.

10 Obijcis vltimò. Vnus effectus fieri poteſt á duplici cauſa totali, & conſequenter per plures actiones totales: ergo ſimiliter vna actio, quæ eſt quidam veluti effectus, fieri poterit per aliam actionem. Reſpondeo negando conſequentiam: maior ratio patet ex dictis, quia ſcilicet effectus realis non eſt immediata dependentia, ſicut eſt actio, quæ propriè non eſt effectus, ſed eſt fieri ipſius effectus: antecedens tamen huius argumenti grauem continet quæſtionem, quæ pro dignitate agitanda modò eſt, vt fidem oppignoratam liberem, ſecundùm ea, quæ promiſi in 2. p. tract. 1. diſp. 26. ſect. 2. num. 10.

SECTIO VI.

Vtrùm idem effectus fieri poſſit per plures actiones totales?

Si naturaliter procedat quæſtio, reſolutio eſt negati. a. D. Thom, Scotus. Soarius. Fonſeca. Albertin.

1 Prima concluſio. Idem effectus non poteſt naturaliter pendere à pluribus cauſis totalibus eiuſdem ordinis & ſimul ſumptis: ita communis ſententia, quam tenent D. Thom. 1. p. q. 51. ar. 3. Scot. in 3. diſt. 1. q. 2. Soar. in Metap. diſp. 16. ſec. 4. n. 4. quatenus admittit ſolùm diuinitus hoc contingere poſſe: eandem concluſionem docent Fonſ. 5. Met. cap. 2. q. 5. ſect. 2. Eandem ſententiam ſupponit Albertinus tom. 1. in 2. principio philoſophico, q. 2, 1. dubit. 4. aſſertione poſt numerum 15. à §. *Sed hæc reſponſio*, poſt medium, fol. 175. Hurtad. in Phyſica diſp. 8. ſect. 10. nu. 130. Salas tom. in 1. 2. q. 1. art. 4. tract. 1. diſp. 8. ſect. 2. fol 110. n. 21. (vbi ſe allegat 2. phyſ.) Rub. 2. Phyſ tract. 7. q. 1. nu. 85. §. *Quæſtio autem*, eandem ſententiam ſequitur Ægytan. lib. 2. de Beatitudine tom. 1. q 5. art. 2. §. 2. num. 8. vbi ad medium aſſerit, hanc cõcluſionem eſſe indubitatã apud omnes, quod debet intelligere, exceptis his, quos pro contraria ſententia infrà citabo, alioquin multùm dubito, quomodò dicenda ſit apud omnes indubitata. *Hurtad. Salas. Rubius. Ægytan.*

2 Ante probationem aduerte, ſermonẽ non eſſe de cauſis ſubordinatis, nam idem effectus dependet ſimul à cauſa prima, & à cauſa ſecunda, præterea non loquimur de pluribus agentibus totalibus inadæquatè cõcurrentibus in diuerſo genere, vt concurrit intellectus cum ſpecie. Quibus poſitis, probatur concluſio: vna cauſa totalis ſufficit ad producendum vnum effectum, cum vna tantùm actione: ergo neceſſaria non eſt alia cauſa cum diuerſa actione. Probatur conſequentia, quia natura abhorret ſuperfluum.

3 Confirmatur, quia ideò cauſa dicitur totalis, quia producit totum effectum, quin indigeat alia cauſa: ergo &c. atque hinc eſt, quòd natura non tribuat vni ſubſtantiæ niſi vnam tantùm ſubſiſtentiam; neque vni corpori concedat plures præſentias; neque vni quantitati plures figuras; quia videlicet ſufficit vna ſubſiſtentia, vna præſentia, & vna figura, cùm igitur ſufficiat etiam vna cauſa totalis, naturaliter alia admitti non debet.

Proponitur, ac refutatur contraria ſententia.

6 Obijcis pro contraria ſentẽtia, quæ docet, naturaliter eundem effectũ poſſe prodire à duplici cauſa totali: immò de facto id aliquãdo contingere, quã ſententiã tenent Ochamus, & Adamus, quos citat Capreolus in 3. diſt. 1. q. vnica. In eandem ſententiam inclinat Gabr. ibidẽ, neque omnino diuerſus abit Caiet. 1. p. q. 52. ar. 3. quatenus aſſerit, quòd licet naturaliter hoc nunquàm eueniat, ex eo tamẽ hoc prouenire, quia tales cauſæ nunquàm ſimul concurrunt: fatetur tamen quòd ſi applicarẽtur, tunc quidem poſſent concurrere ad eundem effectum producendum. *Ocham. Adam. Capreol. Gabriel. Caiet.*

5 Obijcis, inquam, primò. Si duo ignes ſimul applicentur vni materiæ diſpoſitæ,

vterque ignis ſimul operabitur (neque ſe mutuò impedient, ſiquidem ſunt eiuſdē ſpeciei, & minimè contrarij) ſed non operantur, vt cauſæ partiales, ſiquidem quilibet ignis eſt ſufficiens ad effectum producendum: ergo concurrūt vt cauſæ totales; atque adeò idem calor, ſeu idem effectus, poteſt naturaliter procedere à duplici cauſa totali. Reſpondeo tamen illos ignes diuiſim ſumptos eſſe cauſas totales: at verò ſimul ſumptos vniri in vnam tantùm cauſam totalem, & fieri duas cauſas partiales, tanquàm ſi duo homines ſimul trahant idem ſaxum; nam ex diuerſo genere applicationis prouenit quòd cauſa ſit, aut non ſit totalis: quemadmodùm intellectus, & ſpecies ſunt quidem cauſæ totales in ſuo genere, & tamen ratione applicationis, ſcilicet propter ſimultaneum concurſum ad eundem actum, dici poſſunt partiales: ſic igitur illæ duæ cauſæ, quamuis in ſuo genere ſint totales, ratione tamen applicationi, ſfiunt partiales, quia videlicet natura abhorret ſuperfluum.

Quid dicē dū ſit quādo ſimul ponuntur duo luminoſa.

6 Inſtas. Si ponantur duo luminoſa, vnum ſcilicet poſt aliud, ſed ita tamen, vt ambo ſimul perſeuerent in eodem loco, & prætereà habeant æqualem virtutem ad producendam lucem, vt octo, vtrumque luminoſum producet eandem lucem per diuerſam actionem (neque enim eſt maior ratio de vno, quàm de alio) ergo iam idem effectus prouenire poteſt à duplici cauſa totali, per duas actiones diuerſas, & totales. Reſpondeo tamen explicando antecedens, nam ſi ſecundum luminoſum non ſolùm ponatur poſt primum, ſed etiam in diuerſo loco aliquid lucis productum eſt: cùm enim primum luminoſum producat lucem vniformiter, diſformiter, & ſecundum luminoſum applicatum ſit in diuerſo loco, intendet in eo lucem, quæ iam per primum luminoſum erat remiſsior: & ita experientiā compertum eſt, nam ſi duæ lucernæ ponantur in diuerſis locis eiuſdem domus, medium illud intrinſecè eſt magis illuminatum, & ita ſecundum luminoſum aliquid operatur.

7 Si verò illa duo luminoſa ponantur omnino in eodem loco, vt ſi per poſsibile, vel impoſsibile, ponantur penetratiuè; tunc reſpondeo ſecundum luminoſum de nouo adueniens nihil operaturum, quia videlicet iam inuenit productum tam intenſiuè, quàm extenſiuè quidquid naturaliter poterat producere, multitudo enim agentium, quæ ſunt in eodem loco, non auget intrinſecè virtutē cauſæ: quapropter ſi duo luminoſa ſimul penetratiuè conſtituantur, concurrent partialiter ad producendam vnam numero lucem per eandem totalem actionem, & per duplicem partialem, ſicut de duplici igne philoſophati ſumus.

8 Obijcis ſecundò commune argumentum in hac materia, deductum à ſacra Theologia, nam quando plures Sacerdotes ſimul cum Epiſcopo proferunt verba conſecrationis, ſupra vnam tantùm hoſtiam, dantur plures cauſæ totales; & tamen effectus, nempe conſecratio eſt vna tantùm: ergo plures cauſæ poſſunt naturaliter concurrere ad eūdem effectum. Simile argumentum fieri poteſt, quando plures ſimul baptiſant eundem infantem: omiſsis igitur longis reſponſionum ambagibus, reſpondeo breuiter, quòd ſi vnus ſacerdos primò proferat verba, ſolus ille conſecrabit, reliqui nihil efficient: ſi verò omnes ſimul illa proferant, tunc dico, vel ſingulos concurrere partialiter, omneſque totaliter, atque adeò efficere vnum agens totale, vt de duobus ignibus dicebamus; vel ſingulos concurrere tanquàm cauſas totales, ſed eleuatas à Deo; ſiue tanquàm inſtrumēta totalia miraculosè eleuata, ad eum modū, quo dicemus, poſſe diuinitus plures cauſas concurrere ad eundem effectum, qui modus in ſacramentis magis conſentaneus videtur; vtrumque affert Soarius circa baptiſmum tom. 3. in 3. p. ad quæſt. 67. diſp. 23. ſect. 5. à §. *Ad primum:* at verò circa verba conſecrationis doctè diſcutit hoc punctum eodem tom. ad q 78. diſp. 61. ſect. 4. à §. *Dico tertiò.* Soarius.

9 Obijcis tertiò. Eadem cauſa poteſt ſimul habere duas actiones ſpecie diuerſas, circa eundem numero effectum; ergo ſimiliter idem effectus poteſt habere duas cauſas totales. Probatur antecedens, quia actio productiua, & conſeruatiua eiuſdem termini differunt ſpecie; ſed eadem cauſa, quæ producit, conſeruat effectum: ergo eadem cauſa habere poteſt, circa eundem numero effectum, duas actiones ſpecie diuerſas. Ad hoc argumentum reſpondetur negando antecedens, actio enim productiua, & conſeruatiua eiuſdem termini ſemper eſt eiuſdem ſpeciei, ex eo quòd terminus eſt idem: immò in effectibus immanentibus actio productiuā eſt eadem numero cum conſeruatiua, ſiquidem effectus ille pendet ab eādem cauſa in fieri, & in conſeruari; in effectibus verò tranſeuntibus eſt eadē actio ſpecie, non verò numero, quia calor v.g. qui fit ab hoc igne, cōſeruari poteſt naturaliter à ſole (non enim pendet ab igne in fieri ſimul, & conſeruari, ſed ſolùm in fieri) diuerſa igitur agentia circa eundem terminum, ſolo numero variant actiones.

Obijcis

10 Obijcis quartò. Idem numero effectus poteſt naturaliter produci ſucceſsiuè à pluribus agentibus totalibus: ergo etiam poterit ſimul. Probatur conſequentia, quia ille effectus continetur in virtute illarum cauſarũ: ergo ſi ſimul applicentur, ſimul producent illum effectum. Ad hoc argumentum reſpondendum eſt ad antecedens, ſecundùm varias auctorum ſententias, Scotus enim in 1. diſt. 10. q. 2. Soar. in Metaph. diſp. 26. ſect. 5. à num. 25. tuentur eundem numero effectum prouenire poſſe naturaliter à pluribus cauſis ſucceſsiuè operantibus, & ſecundùm hanc ſententiam, quæ probabilis eſt, admiſſo antecedente, negatur conſequẽtia, diuerſa ratio eſt, quia nulla viſitur ſuperfluitas in eo, quòd idem effectus ſucceſsiuè prodire poſsit à pluribus cauſis, cùm tamen maxima detur, ſi ſimul exeat à pluribus cauſis.

Scotus. Soarius.

11 At verò D. Thom. Capreol. Sot. & alij, quos citat, & ſequitur Fonſ. 5. Metaph. cap. 2. quæſt. 14. ſec. 3. & 4. & præterea Patres Conimbric. 2. Phyſ. cap. 7. quæſt. 15. art. 2. §. *Secundò obſeruandum*, vnanimiter defendunt, determinatam cauſam habere certos, & determinatos effectus, & hunc numero calorem ita pertinere ad certum ignem, vt naturaliter non poſsit ab alio procedere; in hac igitur ſententia, quæ etiam probabilis eſt, negato antecedente, nihil colligit conſequentia.

D. Thom. Capreol. Sotus. Fonſeca. Patres Conimbr.

12 Obijcis quintò. Idem effectus, ſeu eadem actio ſaltem externa fieri naturaliter poteſt propter duos fines totales, ſed fines totales, ſunt veræ cauſæ totales: ergo ſimiliter idem effectus prouenire poterit naturaliter à duplici cauſa effectiua. Reſpondeo, conceſſa maiori, iuxta ea, quæ dixi in 2. p. lib. 2. diſp. 19. ſec. 5. à num. 4. & admiſſa minori in verò ſenſu explicata, negando conſequentiam; diuerſa ratio eſt, quia fines ſunt valde extrinſeci, & ſunt cauſæ quaſi intentionales, vnde pro libito operantis poſſunt intendi: at verò cauſæ efficientes non ſunt cauſæ intentionales, ſed habent naturalem, & intrinſecam connexionem cum effectu. Et retorqueri poteſt argumentum, quia neque pro libito operantis poteſt actio habere, niſi vnum tantùm finem internum, hoc eſt vnum tantùm terminum quia videlicet cum hoc termino habet naturalem, & intrinſecam connexionem: ergo ſimiliter vnus effectus habebit naturalem connexionem cum vna tantùm cauſa.

Vtrùm diuinitus idem effectus prouenire poſsit à pluribus cauſis totalibus?

13 Secunda concluſio. Probabilius exiſtimo, poſſe diuinitus eundem numero effectum produci per plures actiones totales, à pluribus cauſis totalibus efficientibus. Ita Caiet. 1. p. q. 52. ar. 3. & idem inſinuat 3. p. quæſt. 3. ar. 6. Soar. in Metaph. diſp. 26. ſect. 4. à n. 14. item Fonſ. 5. Metaph. cap. 2. q. 15. ſec. 2. §. *ſed quæres*: Idem tenet P. Valentia 3. p. diſp. vt. 1. q. 3. punc. 3. §. *Mihi videtur*, eandem ſententiam approbat P. Hurtad. in Phyſ. diſp. 8. ſec. 10. à num. 131. & ſequitur P. Præpoſit. 1. p. q. 12. ar. 2. poſt num. 13. §. 4. item Ocham. Gabr. Murſia, & alij, quos citat Barthol. Amicus in Phyſ. tract. 14. q. 7. dub. 3. ar. 4. num. 21. & ipſe ſequitur ar. 6. num. 36. idem tenet Arriaga in Phyſica diſp. 7. ſec. 9. pro qua etiã citari poſſunt omnes illi, qui tenent poſſe hoc fieri naturaliter; citari etiam poſſunt pro hac ſententia omnes illi, qui docent, eandem naturam habere poſſe plures ſubſiſtentias alienas, quos allegaui in hoc tract. diſp. 58. ſec. 3.

Affirmatiuè reſolutio.

Caiet. Soar. Fonſeca. Valent. Hurtad. Præpoſit. Ocham. Gabriel. Murſia. Barthol. Amicus. Arriaga.

14 Probatur concluſio ratione, quia in hoc nulla viſitur repugnantia; neque implicatio, vt patebit ex ſolutione argumentorum: ergo &c. ſolùm enim arguitur ſuperfluitas naturalis, quæ tamen diuinitus poteſt ſuperari: ſicut eadem natura diuinitus terminari poteſt pluribus ſubſiſtentijs, & idem corpus habere plura Vbi, & idem accidens habere modum exiſtendi per ſe, cũ modo inhærendi.

Proponitur, ac reijcitur contraria ſententia.

15 Obijcis tamen pro contraria ſentẽtia, quæ docet, nec diuinitus poſſe eundem effectum produci à pluribus cauſis totalibus, efficiẽtibus, ſimulque cõcurrẽtibus, quã tenet Scot. in 3. diſt. 1. q. 2. & in 4. diſt. 6. q. 2. ar. 1. Capr. in 2. diſt. 2. q. 2. ar. 3. Ferrar. 3. contra gentes c. 68. Soncin. Iauel. & alij, quos citat P. Vaſq. tom. 4. in 3. p. ad q. 3. diſp. 29. cap. 4. num. 17. & ipſe ſequitur à n. 20. vbi ait hoc facilè dẽ nõ ſtrari, ſed faciliùs ab eo hoc dicitur, quàm demonſtretur. Idẽ ſequitur Ægyptanenſis tom. 1. de Beatitud. lib. 1. de vltimo fine hominis.

Scotus. Capreol. Ferrar. Soncin. Iauel. Vaſquez. Ægyl. Luſitan.

Digitized by Google

Themiſt. *Albert.* *Palatius.* *Marſil.* *Albertin.* *Curſus Compl.* *Curſus Thomiſt.*

q. 6 ar. 2, §. 1. n. 8. vbi præter citatos refert Themiſtium, Albertum Magnum, Palatium, & Marſilium, & in eandem ſententiam magis inclinat Albertinus tom. 1. in 2. principio philoſophico quæſt. 2. philoſophica in 1. dubit. 4. aſſertione, à §. *Sed hæc reſponſio,* folio 175. idem ſentiunt Patres Diſcalceat. in Phyſ. diſp. 15. quæſt. 3. à num. 31. pro eâdem ſtat Curſus Thomiſt. in Phyſ. q. 10. art. 5.

16 Obijcis, inquam, primò. Cauſa totalis differt à non totali in eo, quòd totalis non admittat conſortium alterius cauſæ: ergo implicat quòd duplex cauſa totalis concurrat ſimul ad eundem effectũ, eſſent enim totales, vt ſupponitur, & non eſſent totales, ſiquidem quæuis illarũ admitterit conſortiũ alterius cauſæ. Reſp. ad antecedẽs, cauſam totalẽ dici illã, quæ naturaliter poteſt producere totum effectũ, excludendo conſortium alterius cauſæ creatæ; vnde nõ deſinit eſſe cauſa totalis, ex eo quòd diuinitus cum alia cauſa totali creata, & eiuſdem ordinis coniungitur.

17 Inſtas. Actio ita eſt immediata depẽdentia naturaliter, vt nec diuinitus poſſit pẽdere, mediantè alia entitate: ergo ſimiliter cauſa totalis, ita ex natura ſua erit totalis, vt nec diuinitus habere poſſit conſortium alterius cauſæ creatæ eiuſdem ordinis. Reſpondeo negando conſequentiam; diuerſa ratio eſt, quia actio ex natura ſua eſt immediata dependentia; quapropter ſi fiat alia actione amittet ſuam eſſentiam: cauſa verò totalis non eſt illa, quæ non admittit conſortium alterius, ſed eſt illa, quæ poteſt naturaliter, ſe ſola, ideſt ſine alia cauſa creata, totum effectum producere, quapropter non amittit cauſa totalis hanc ſuam eſſentiam, ex eo quòd admittat conſortium alterius cauſæ totalis.

18 Obijcis ſecundò. Si duæ cauſæ totales ſimul concurrant ad eundem effectum, neceſſariò altera illarum, vel nihil aget, vel actum aget neutrum eſt dicendum: ergo &c. Probatur maior, quia vna tantùm ſufficit ad producendum totum effectum: ergo altera cauſa, ſiquidem nihil agit, non eſt cauſa actu, quia nihil actu cauſat, ac proinde non dantur duæ cauſæ in actu ſecundo; præterea non eſt dicendum, quòd alia cauſa actum agat, nam agere eſt educere rem de nihilo ad eſſe: ergo implicat agere actum.

19 Reſpondeo dupliciter poſſe duas cauſas concurrere ad eundem effectum, imprimis concurrere poſſunt ambæ æquè primò, tunc verò non ſequuntur abſurda maioris, nam tunc vtraque cauſa actu agit, & non agit rem iam actam, ſiquidem vtraque ſimul rem educit de nihilo ad eſſe. Deinde, ſecundo modo, ita poſſunt concurrere, ſi videlicet vna poſt aliam influat eſſe in eſſectũ eundem, tunc verò ſecunda cauſa, etſi nihil producat de nouo, nihilominus aliquid agit, vel comproducendo, vel conſeruando effectum productum à priori cauſa, quapropter neceſſarium non eſt, vt terminus actionis anteà non exiſtat, priuſquàm fiat, nam actio latiùs patet, quàm productio, vnde licèt productio rei requirat, vt res antecedenter non exiſtat, actio tamen hoc non poſtulat, ſed ſolùm dicit aliquam effectionem, quæ verè datur, quamuis ſolùm rem conſeruet: & hoc pacto concedimus, poſſe cauſam agere actum, ideſt conſeruare rem iam productam.

20 Inſtas. Quando aduenit ſecunda cauſa, vel prior adhuc applicat totam ſuam virtutem, vel non; ſi non applicat, tollitur quæſtio: ſi applicat, cùm ſint duæ cauſæ concurrentes, duplex etiam debet dari concurſus: ergo etiam ex parte effectus aliquid ampliùs correſpondet, ac proinde non eſt idem numero effectus, qui anteà erat. Reſpond. concedendo ex parte cauſarum creſcere virtutem extenſiuè, dantur enim plures actiones, ſeu plures virtutes cauſarum, non verò creſcere virtutem cauſarum intenſiuè; ſicut plura luminoſa æqualis virtutis non componunt vnũ agens intenſiùs operans, licèt illa virtus ſit maior extenſiuè; ex eo tamen non ſequitur effectum eſſe maiorem intenſiuè, vel extenſiuè: quemadmodùm enim multiplex via poteſt rectà tendere ad eundem terminum, ſic multiplex actio, quæ eſt via quædam, poteſt tendere ad eundem effectum. *Virtus cauſarũ ſolùm augetur extenſiuè.*

21 Obijcis tertiò. Si vnus effectus procederet à duplici cauſa ſequeretur; talem effectum pendere, & non pendere ab illis cauſis: pendere quidem, quia ita ſupponitur, non pendere tamen, quia quãuis deſinat vna cauſa, adhuc dabitur talis effectus: ergo ſignum eſt, effectum non pendere ab illa cauſa, ſiquidem illud ab alio dicitur pendere, quando ſine illo ſtare non poteſt. Reſpondeo tamen effectum in eo caſu dependere ſimul ab vtrâque cauſa, & ab vnaquaque illarum; vt tamen dicatur pendere ab vtrâque, ſatis eſt, quòd ab vtrâque accipiat eſſe, licèt non pereat, ex eo quòd deſinat vna illarum: vel etiam dici poteſt, effectum pendere ab vtrâque cauſa, quia ita vnaquæque dat eſſe, vt ſi vna deficeret, effectus periret ex vi deſtructionis illius cauſæ, niſi aliunde per miraculũ daretur ſimul alia cauſa ſupplens defectum prioris.

Obijcis

22 Obijcis quartò. Non poteſt idem effectus prodire à duplici cauſa formali: ergo neque à duplici cauſa efficiente. Antecedens probatur, quia ſi duplex forma ſit in eâdem materia, non erit idem effectus, vel idem compoſitum, ſed duplex, vt dixi 2. p. tract. 1. lib. 1. diſp. 15. ſect. 3. num. 6. ergo ſimiliter ſi duæ cauſæ efficientes concurrant, non producent vnum, ſed duplicem effectum. Reſpondeo negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia cauſæ formales intrinſecè componũt, & cùm diſtinctio ſumatur ab actu ſubſtantiali, ſi datur duplex actus, datur duplex compoſitum, ſeu duplex effectus.

23 At verò cauſæ efficientes ſunt omnino extrinſecæ effectui, ac proinde ex multiplicatione cauſæ efficientis, ſolùm ſequitur multiplicatio actionum, quæ immediatè dependent, & per quas vtraque cauſa concurrit, non ſequitur verò multiplicitas effectus extrinſeci, niſi tantùm phyſicè, & naturaliter. Et iuxtà ſuprà dicta conſequenter dicẽdum eſt, quòd ſi dentur plures albedines in eodem ſubiecto, dentur ſimul plures effectus, nempe plura alba adiectiuè, quia albedo dicitur intrinſecum accidens, & nihil eſt aliud effectus formalis, quàm forma poſita in ſubiecto apto: ergo ſi datur duplex forma in ſubiecto apto, datur duplex effectus.

24 Obijcis quintò. Vel tales cauſæ cõcurrunt, vt inſtrumenta eleuata, vel vt cauſæ principales; non vt inſtrumenta, ſiquidem effectus continetur in earum virtute; non vt cauſæ principales, ſiquidem nunquàm naturaliter tali modo poſſunt operari: ergo nullo modo concurrunt. Reſpond. ad maiorem, ſi effectus ſit in entitate naturalis, tales cauſæ ſimpliciter dicendæ ſunt naturales in entitate, & ſolùm quoad modum ſupernaturales, & eleuatæ; ſi verò effectus ſit ſupernaturalis, vt vna gratia producta à duplici aqua baptiſmali, tunc cauſæ dicendæ ſunt inſtrumenta eleuata, ſed ſingula erunt totalia inſtrumenta, quia quæuis ſufficiebat.

25 Atque ita prælium illud, quod à 2. p. tract. 1. diſp. 16. ſect. 2. n. 19. in hanc 3. p. protraxi, aperto iam Marte contra P. Vaſq. & reliquos aduerſarios commiſſum, ac deciſum eſt: diſcuſſa igitur hac quæſtione, circa actiones omnino actum eſt.

Appendix circa Paſsionem.

26 QVæ de Paſsione dici poſſent, patent ex ijs, quæ de Actione dicta ſunt, nam Actio, & Paſsio ſunt eadem res, & ſolùm penes diuerſas formalitates diſtinguuntur, vt dixi in 2. p. tract. 1. lib. 3. diſp. 30. ſect. 3. Solùm aduerto primò, non omne id, quo mediante, aliquid recipitur, eſſe paſsionem, nam ſubſtantia materialis recipit accidentia, mediante quantitate, quæ non eſt paſsio: eſt igitur paſsio ille actus recipiendi, ſeu illa formalis receptio, quæ propterea definitur, *Actus patientis, quo mediante, formam recipit*. Aduerto ſecundò, paſsionem diſtingui ab vnione, ex eo quòd paſsio ſumatur in fieri, vnio verò intelligatur in facto eſſe. Definitur Paſsio.

27 Aduerto tertiò paſsionem, quamuis ſolùm identificetur cum termino, eſſentialiter tamen pendere à ſubiecto, quod eſſentialiter reſpicit, & explicatur exemplo, nam etiã vnio identificatur cum vno ſolo extremo; & tamen ab vtroque pendet eſſentialiter: vnde actio, quà actio, non poſtulat ſubiectum inhæſionis, ſed ſufficit ſubiectum denominationis, cùm tamen paſsio illud poſtulet eſſentialiter. Aduerto tandem, paſsionem inſtantaneam non diſtingui à temporaria, ſi habeãt eundem terminum; neque circa paſsionem diutiùs immorabimur, cùm reliqua pateant ex Actione.

DISPVTATIO LXIV.

De Vbi, & Situ.

CIRCA prædicamentum Vbi variæ quæſtiones expeditæ ſunt in 2. p. tract. 1. lib. 4. per totam diſput. 32. Quapropter, quæ ſuperſunt, breuiter expedientur; quãuis igitur D. Soar. in Met. ſtatim poſt actionem, & paſsionem diſputet de Duratione, & quamuis idem præſtent Toletus, Rubius, & alij, nihilominùs placet in hac re ſubſcribere Conimbric. in Logica cap. 9 q. 2. de Prædicament. Fonſ. in Metaph. lib. 5. cap. 5. q. 9. Petro de Onha in Log. q. 4. ar. 4. & alijs Recentioribus.

Soarius. *Toletus.* *Rubius.* *Patres Conimbr.* *Fonſeca.* *Onha.*

Digitized by Google

Suppono igitur, quòd Vbi ſit forma interna, & quòd diuidatur in circumſcriptiuum, & definitiuum, vt dixi in Logica, agendo de prædicamentis diſp. 8. ſect. 2. quamuis enim Nominales negent eſſe Vbi formam, & modum realem, quos nuper ſecutus eſt P. Petrus Vuadingo in tract. de Incarn. diſp. proœm. dub. 4. nihilominùs in hac parte communiter reijciuntur. *Vuadingo.*

SECTIO I.

Quomodò Vbi diſtinguatur à re vbicata, & in quibus ſubiectis corporeis reperiatur?

Vbi modaliter diſtinguitur à re vbicata. *Soarius.* *Patres Conimbr.* *Durand.* *Maior.* *Ocham.* *Landun.* *Rubius.* *Onba.* *Hurtad.* *Arriaga.*

1 PRima concluſio. Vbi diſtinguitur modaliter à re vbicata. Ita Soar. in Met. diſp. 51. ſect. 1. n. 16. Patres Conimbr. 3. Phyſ. cap. 3. q. 2. ar. 2. §. *Eſt tamen*, ad medium, & in Log. q. 2. de Prædicamento Vbi, ar. 1. qui in §. *Hanc vltimam*, citant Durand. Maior. Ocham. & Landun. Idem tenet Rubius in Logica in Prædicamento Vbi n. 6. & 3. Phyſic. q. 6. n. 37. Onba in prædicamento Vbi, art. 4. concl. 4. (immò Hurt in Phyſ. diſp. 14. ſect. 2. n. 9. docere videtur, Vbi realiter diſtingui à re vbicata, & idem clarè docet Arriaga in Phyſ. diſp. 14. ſec. 2. ſubſect. 7.)

2 Probatur concluſio. Quia res vbicata ſeparari poteſt ab hoc Vbi, vt patet, quando hæc res aliò mouetur: ergo datur diſtinctio modalis. Confirmatur, quia anima rationalis modò reſpondet quantitati vnius infantis, & poſteà correſpondet maiori quantitati viri perfecti, hoc tamen non habet per ſe ipſam (cùm ipſa ſit indiuiſibilis, & inextenſa) ergo per aliquam entitatem ex naturâ rei ab ipſa diſtinctam: cùm igitur ipſa præſentia, ſeu ipſum Vbi, neque diuinitus dari poſsit ſine re vbicata, cùm tamen res, dari poſsit ſine hoc Vbi dicendum eſt dari diſtinctionem ſolùm modalem. Et declaratur, quia Vbicatio eſt quædam immediata dependentia eſſentialiter poſtulans actu ſubiectum quod ponat in loco, ſicut vnio poſtulat actualiter extrema: quod non viſitur in actu intelligendi, qui proptereà poteſt diuinitus ſeparari ab intellectu, quia non eſt immediata dependentia ab illo; & ita ſoluitur argumentum P. Arriagæ in Phyſica diſp. 14. ſect. 2. ſubſect. 7. exiſtimantis *Vbicationem* realiter diſtingui; quod eſt valde probabile.

3 Obijcis. Duratio diſtinguitur virtualiter à re durante, quamuis res poſsit eſſe ſine hac, vel illa duratione: ergo etiam virtualiter tantùm diſtinguetur Vbi à re vbicata. Probatur conſequentia; quia, vt ſe res habet ad ſuã durationem, ita etiam ad ſuam vbicationem. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia Vbi eſt terminus motus localis, qui motus, cùm ſit à parte rei diſtinctus à re, quæ mouetur, habere debet terminũ modaliter etiam diſtinctum: cùm verò duratio non ſit terminus alicuius actionis diſtinctæ à conſeruatione rei exiſtentis, ſed ſit ipſa res correſpondens huic, vel illi tempori, non habemus vnde colligamus maiorem diſtinctionem, quàm virtualem: immò dicendum eſt impoſsibile eſſe ens aliquod creatum, cuius Vbi ab eo virtualiter diſtinguatur, quia videlicet dari non poteſt ens, quod ſit incapax motus, vel ab intrinſeco, vel ab extrinſeco prouenientis.

4 *Secunda concluſio.* Subſtantiæ corporeæ habent Vbi intrinſecum, & peculiare: ita Scotus in 1. diſt. 2. q. 2. Ocham. quodlib. 10. q. 4. Soar. in Met. diſp. 51. ſect. 5. à num. 3. Hurt. in Phyſ. diſp. 14. ſect. 4. à § 27. Probatur facilè, quia ſi Deus ſeparet quantitatem à ſubſtantia, & conſeruet ſubſtantiam in eodem loco, neceſſariò habebit ſuum Vbi, alioquin nullibi eſſet. Confirmatur, quia ſubſtãtia ordine naturæ antecedit quantitatem, quam cauſat, ſaltem materialiter: ergo in eo priori habet ſuum peculiare Vbi, alioquin non cauſabit aliquid, cùm nullibi exiſtat; quapropter quando Philoſophi communiter dicunt, ſubſtantiam eſſe in loco, ratione quãtitatis, intelligendi ſunt de loco externo, ſiue ſuperficie ambiente, à qua materialis ſubſtãtia circumſcribitur, vt explicui 2. p. tract. lib. 4. diſp. 32. ſect. nihilominùs tamen P. Vaſq. quem citat Hurt. in Phyſ. diſp. 14. ſect. 4. à n. 19. ſoli quantitati attribuit verum Vbi, aduersùs quem vtroque brachio digladiatur Hurt. vt vtar eius loquendi colore, aſſeritque hanc opinionem parum habere ponderis, ac rationis; in eo tamen præcipuè fundatur Vaſquez, quod exiſtimet, ſubſtantiam materialem nullam habere extenſionem, etiã ſubſtantialem, & in probanda hac ſua ſententia nimis liberè ſe extendit tom. 2. in 1. p. ad q. 53. diſp. 196. cap. 2. à n. 9. *Scotus.* *Ocham.* *Soarius.* *Hurtad.* *Vaſquez.* *Hurtad.*

5 Nihilominùs tamen, quia in ſubſtantia materiali admiſi veram extenſionem entitatiuam, vt conſtat ex his, quæ dixi in hoc tract. in prædicamento quãtitatis ſect. 3. proptereà etiam admitto verum Vbi, & conſequẽter verum locum, ſiquidem ſubſtantia materialis veras habet ſuperficies ſubſtantiales, quibus circumſcribitur; immò infrà oſtendã res ſpirituales habere verum Vbi, licèt nullas ha-

Digitized by Google

habeant proprias extẽſiones: erit autem hoc Vbi ſubſtantiæ materialis potiùs dicendum circunſcriptiuum, quia videlicet ponit partẽ extra partem: neque obſtat primò, quòd non reſiſtat penetrationi, hoc enim ſolùm prouenit ex Vbi quantitatiuo: neque etiam obſtat ſecundò, quòd Pater Rubius 4. Phyſ. tract. de Natura loci, q. 5. n. 69. ad medium, appellet hoc vbi definitiuum.

Rubius.

6 *Tertia concluſio.* Accidentia realia, & realiter diſtincta habent ſuas peculiares vbicationes. Hæc eſt hodie communis, aſſertorem habet Soar in Met. cap. 51. ſect. 5. nu. 9. Probatur imprimis in quantitate ſacræ Euchariſtiæ, quæ, quamuis non habeat propriam ſubſtantiam, habet tamen proprium Vbi, & eodem modo quæuis albedo v. g. ſi conſeruaretur ſpoliata ſubſtantia, & quantitate, procul dubio alicubi eſſet: ergo neceſſariò haberet Vbi.

Accidẽtia realia habent veru Vbi. *Soarius.*

7 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quam tenet P. Rubius 4. Phyſ. tract. de Natura loci, q. 5. à nu. 58. vbi hanc noſtram ſententiam ſingularem appellat, & nunquam auditam in ſchola, quod intelligere debet in Mexicana ſchola, vbi publicè docuit Theologiam; noſtra enim hæc opinio valdè celebris eſt in hac alma Academia Conimbricæ. Obijcis, inquam, primò. Accidentia non habent eſſe per ſe: ergo neque præſentiam per ſe, ſed per accidens, ratione ſubſtantiæ, à qua etiam habent eſſe. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia præſentia ſequitur quodlibet eſſe reale per ſe, ſiue ſit ens per ſe, ſiue in alio; ſicut relatio non per accidens, ſed per ſe, comitatur accidentia, quamuis accidentia ſint entia in alio; vna enim albedo dicitur ſimilis alteri per ſimilitudinem inhærentem propriè in ipſa albedine, non verò in ſubſtantia. Et confirmatur; quia, ex eo dicimus, accidentia materialia habere extenſionẽ materialem, quia poſſunt manere in eodem loco ſine quantitate: ergo etiam habebunt Vbi in ſe ipſis, ſiquidem poſſunt manere diuinitus in eodem loco ſine ſubſtantia.

Rubius.

8 Obijcis ſecundò cum eodem Rubio: Si accidẽs haberet diuerſum Vbi à ſubiecto, haberet etiam motum localem ſibi peculiarem: ſed hoc eſt falſum, albedo enim v. g. ſolum mouetur ratione ſubiecti: ergo &c. Reſpond. negando minorem, accidentia enim mouentur proprio motu in ſe ipſis recepto. Dicuntur tamen accidentia communiter moueri per accidens, & ratione ſubiecti quia motus primariò, & principaliter exercetur circa ſubiectum, non verò ex eo quòd accidentia in ſe ipſis non moueantur: ſicut anima Socratis dicitur per ſe moueri, quamuis motus primariò, & principaliter cõueniat ipſi Socrati.

Vtrum modi materiales habeant propriam vbicationem?

9 Q*Varta concluſio.* Probabilius exiſtimo, entitates modales non habere diſtinctum, & proprium Vbi, præter Vbi ſuarum realitatum. Huic concluſioni maximè fauet Pater Vaſq. tom. 2. in 1. p. ad q. 53. diſp. 196. cap. 5 & alibi ſæpe, quatenus docet in rebus materialibus ſolam quantitatem proprium habere locum, & Vbi, eſt etiam hæc concluſio de mente P. Rubij 4. Phyſ. tract. de Natura loci, q. 5. n. 58. quatenus aſſerit nulla accidentia proprium habere Vbi, ſed omnia accidentia accipere ſuum Vbi à ſubſtantia, quamuis ſubſtantia ipſa vendicet Vbi circunſcriptiuum à quantitate; quam ſententiam, quamuis non approbemus in accidentibus realibus, in modalibus tamen videtur probabilior.

Reſolutio eſt negatiua. *Vaſquez.* *Rubius.*

10 Probatur concluſio. Quia modus ſumit à ſua realitate totam eſſentiam, & totam extenſionem: ergo etiam ab eâdem ſumet vbicationem. Confirmatur, quia modus eſt in loco per accidens, id eſt, per locum ſuæ realitatis (cùm enim modus nullam per ſe habeat extenſionem, nullam etiam per ſe habet vbicationem, vel locum) ergo etiam habet Vbi per accidens, id eſt, per Vbi ſuæ realitatis. Confirmatur ſecundò, quia, ex eo quòd accidentia realia poſſunt per ſe exiſtere ſeparata à ſubſtantia, habemus maximum fundamẽtum, vt illis concedamus diuerſum, & proprium Vbi, atqui modi nunquàm poſſunt exiſtere ſeparati à ſua realitate: ergo non indigent Vbi peculiari, nec datur fundamẽtum ad concedendum tale Vbi.

11 Confirmatur tertiò: Quia actio, & relatio ſunt modi, & tamen non habent Vbi proprium (ſatis enim vbicatur actio per Vbi ſui termini, & relatio per Vbi ſui fundamenti) ſed actio, & relatio ſunt modi: ergo idem dicendum de reliquis. Probatur maior. Quia dareſur proceſſus in infinitum, nam ſi hæc actio haberet aliquod Vbi, hoc Vbi fieret per aliquam actionem: Deinde hæc actio haberet aliud Vbi, & rurſus hoc Vbi fieret per aliam actionem, & ſic in infinitum: idem probatur in relationibus, nam in noſtra opinione, quæ aſſerit relationes eſſe modos, ſi hæc relatio habet proprium Vbi, hoc Vbi debet etiam habere ſuam relationem ad aliud Vbi, & hæc relatio ſuum Vbi, & hoc Vbi ſuam relationem, &c.

12 Propter hanc confirmationem ſolēt communiter noniores aſſerere, omnes modos habere ſuas peculiares vbicationes, quia tamen vident in actionibus, & relationibus ſequi proceſſum in infinitum, limitant conclusionem in iiſdem actionibus, & relationibus; hæc tamen limitatio libere eſt inuenta ad effugiendam difficultatem, nulla enim ratio affertur à priori, cur actiones, & relationes non habeant propria Vbi ſicut habent reliqui modi, quarè potiùs hinc ſumendum eſt argumentum ad probandum modos non habere propria Vbi, ſicut non habent propriā extenſionem.

Refellitur contraria opinio. *Durand.*

13 Obijcis ergo pro hac communi ſententia apud modernos, inter quos eſt Hurt. in Phyſ. diſp. 14. ſect. 4. n. 33. Quando datur diſtinctum mobile, datur diſtincta vbicatio, ſed datur motus ad modum: ergo etiam in modo datur diſtinctum Vbi. Reſpondeo maiorem intelligendam eſſe de diſtinctione reali mobilis: ad minorem verò dicendū eſt, non dari propriè motum, aut actionem ad modum, ſed ſolùm emanationem, vnde ſicut non datur motus ad rem diſtinctam, ita non datur Vbi diſtinctum.

14 Inſtat. Modus diſtinguitur modaliter: ergo quamuis non habeat Vbi diſtinctū realiter à ſua realitate, habebit tamen Vbi modaliter diſtinctum. Probatur conſequentia, quia Vbi eſt proprietas debita vnicuique rei exiſtenti extra cauſas. Reſpond. negando cōſequentiam, quia bene poteſt Vbi eſſe in realitate, & denominare modum, ſicut vnio identificatur cum vno extremo, & denominat aliud, à quo ipſa vnio realiter diſtinguitur; quod non erit nouum in Vbi, quia Vbi dicit ordinem ad extrinſecum. Ad probationem conſequentiæ reſpondetur, *Vbi* conuenire omnibus rebus, quæ ſūt extra cauſas, ſiue per ſe, ſiue per accidens, conuenit enim realitatibus per ſe, & conuenit modalitatibus per accidens, ideſt, ratione realitatis, ſicut etiam extenſio conuenit omnibus rebus materialibus, ita tamen vt realitati conueniat per ſe, modo verò per accidens, ideſt ratione realitatis.

15 Obijcis ſecundò: modi poſſunt habere in ſe ipſis proprias relationes, vt dixi in prædicamento relationis: ergo etiam poſſunt habere ſuas proprias vbicationes. Reſpond. negando conſequentiā, diuerſa ratio eſt, quia relatio eſt modus magis intrinſecus, qui fundatur in ipſa cuiuſque rei eſſentia, quæ cum alia habet relationem identitatis, vel diuerſitatis: nam paternitas v. g. in ſe ipſa habet, quòd ſit ſimilis alteri paternitati, atque adeò poteſt eſſe fundamentum relationis ſimilitudinis: at verò *Vbi* eſt reſpectus magis externus, qui prouenire poteſt aliunde, quarè ſicut modus extenditur per accidens, ratione ſuę realitatis, ita etiam vbicatur.

16 Obijcis tertiò. In relationibus facilè admiſimus proceſſum in infinitum, vt patet ex ijs, quæ in hoc tract. dixi diſp. 62. ſect. 4. n. 17. ergo ſimiliter admitti poterit talis proceſſus in actionibus, & relationibus, ſuppoſito quòd habeant veras vbitates: ergo non bene ex hoc inconueniente confirmatur noſtra concluſio. Reſpondetur negando vtramque conſequentiam, & aſsignanda eſt maior ratio, quia (præterquàm quòd relatio in bona opinione non ſit modus, vnde non ſequitur proceſſus modorum in infinitum) talis proceſſus non admittitur ſine magno fundamento, paternitas enim v. g. in ſe ipſa habet, quòd ſit alteri ſimilis: quod tamen fundamētum hîc non datur, cum ſatis poſſit modus vbicari per *Vbi* ſuæ realitatis, vt ex dictis patet.

17 Obijcis quartò. Subſiſtentiæ, quæ ſunt modi, habent inter ſe peculiares vniones, nec ſufficit vnio totius: ergo ſimiliter modi per ſe habebunt ſuas vbitates, nec ſufficiet vbitas realitatis. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia res diſtinctæ realiter, quales ſunt ſubſiſtentia materiæ à ſubſiſtentia formæ, intelligi non poſſunt formaliter vnitæ ſine formali vnione, vnio autem inter materiam, & formam non eſt formalis vnio inter duas ſubſiſtentias partiales, vt oſtendi in hoc tract. diſp. 56. ſect. 3. à n. 8. at verò *Vbi* eſt extrinſecum ratione partij & poteſt eſſe formaliter in ſubiecto, & denominare modum, vt patet ex dictis, & probatur exemplo vnionis: aliquid tamen probaret argumentum, ſi diceremus, modos eſſe per ſe, & formaliter in loco, nā quemadmodùm implicat dari partes formaliter vnitas ſine formali vnione, ita implicaret, rem eſſe formaliter, & per ſe alicubi ſine formali, & proprio *Vbi*, nos tamen dicimus, modos non per ſe, ſed per accidens eſſe in loco.

18 Obijcis vltimò. Inhærentia huius intellectus in Socrate habet relationem præſentiæ ad inhærentiam voluntatis in eodem Socrate: ſed hæc relatio fundatur in *Vbi*: ergo inhærentia, quæ eſt modus, habet verum *Vbi*. Reſpond. ad minorem, illam relationem fundari in *Vbi*, quod habet inhærentia per accidens ratione intellectus, cuius eſt modus inhærentia; ſicut Socrates dicitur ſimilis Paulo ratione albedinis, quam habet per accidens, vnde non ſequitur inhærentiam habere per ſe proprium *Vbi*.

SEC-

SECTIO II.

Vtrùm res ſpirituales habeant proprium Vbi?

Deus habet propriũ Vbi.

1 PRima concluſio. Deus etiam habet ſuam propriam vbicationem, quæ non eſt modus aliquis, ſed eſt diuinum quoddam attributum, quod dicitur immenſitas virtualiter tantùm à Deo diſtincta, qua Deus realiter eſt præſens omnibus locis omnia conſeruando, & viuificando; de qua immenſitate doctè, & copioſè tractat ingenioſiſſimus P. Gillius 1. p. lib. 2. trac. 9. per ſeptem priora capita, & cap. 1. confirmat noſtram concluſionem auctoritate ſacræ paginæ, & omnium penè Patrum; de eadem immenſitate ſyluam metes immenſam apud Patrem Hieronymum Faſſolum 1. p. q. 8. per 34. paginas; neque cedit P. Theophilus Raynaldus in ſua Theologia naturali diſt. 7. q. 1. ar. 6. à nu. 75. vbi hanc veritatem confirmat auctoritate Ethnicorum Philoſophorum: videri etiam poterit pro eadem veritate Iuſtus Lipſius lib. 1. Phyſiologiæ cap. 21. vbi ex Stoicorum ſententia oſtendit, Deum diuinam eſſe mentem per omnia commeantem, omnibus rebus inſitam, ac diffuſam.

Gillius. Faſſol. Raynald. Lipſius.

2 Probatur breuiter à priori, quia Deus non eſt ſolùm intenſiuè perfectus, ſecundùm internas perfectiones, ſed etiam extenſiuè per ordinem ad omne ſpatium: ergo Deus præſens eſt per ſuum Vbi, ſeu per ſuam immẽſitatem omnibus ſpatijs veris. Probatur conſequentia, quia maxima eſt perfectio poſſe correſpondere, & adeſſe omni ſpatio realiter: ergo talis perfectio non eſt Deo deneganda: & declaratur, quia ſubſtantia, quamuis ſit ſpiritualis, non ideò debet eſſe in puncto, licet nõ habeat partes propriè extenſas quantitatiuè, vt patet in noſtra anima, quæ, quamuis ſit ſpiritualis, reſpondet tamen toto corpori diuiſibili, illud animando: atque ita, quãuis Deus ſubſtantia ſit maximè ſpiritualis, nihilominùs tamen correſpondet omnibus ſpatijs veris, per ſuam vbicationem.

3 Ratio à poſteriori deducitur ex diuina operatione, ex eo enim quòd Deus præſtet ſuum concurſum realem in quouis loco, bene infertur per locum intrinſecum, Deum habere præſentiam, ſeu Vbi reale in eo loco, vt efficaci ratione oſtendi in 2. p. trac. 1. lib. 7. diſp. 36. ſec. 2. Vtrùm verò hæc diuina immenſitas extendatur ad ſpatium imaginariũ? Quæſtio eſt inter Philoſophos, & Theologos, quam pro parte negatiua reſolui eodem lib. 7. diſp. 38. ſec. 2. à n. 5.

Nõ poteſt creatura vbicari per diuina immenſitatẽ.

4 Quæſtio hic obiter eſſe poteſt, vtrùm creatura aliqua poſsit diuinitus vbicari per immenſitatem Dei, ſicut poteſt ſubſiſtere per diuinam ſubſiſtentiam? huic breuiſſimè reſpondeo negatiuè cum Soar. tom. 1. in 3. p. diſ. 32. ſec. 4. §. *Vltimò arguitur*: immò etiam cum communi Theologorum ſententia, quatenus aſſerunt, ſolam creatam ſubſiſtentiam ſuppleri poſſe per diuinam. Probatur, quia ſubſiſtẽtia, etiam creata, eſt actus ſubſtantialis, ideòque ſuppleri poteſt per ſubſiſtentiam increatam, & ſubſtantialem; at verò Vbi eſt vera forma, & actus accidentalis, qui proinde ſuppleri non poteſt, niſi per formam accidentalem, quod repugnat diuinæ immẽſitati: alioquin poſſet etiam diuina natura per ſe ipſam reddere formaliter miſericordem naturã humanam, quod eſt abſurdum, nam miſericordia formaliter eſt quædam forma.

5 Confirmatur, quia immenſitas Dei, quá talis, eſt veluti quædam forma (neque enim prout ſic concipitur tanquàm aliquid ſubſiſtens) ergo vt afficeret naturam creatam, debebat in ſe recipere aliquam vnionẽ: ſed hæc vnio repugnat Deo: ergo &c. Probatur prima conſequentia, quia omnis forma, quæ aduenit rei iam conſtitutæ in ſuo eſſe, in ſe recipit vnionem, per quam vnitur, vt patet inductione intellectus, albedinis &c. ne igitur dicamus, Deum intrinſecè poſſe mutari per receptionem huius vnionis, negandum omnino eſt poſſe per immenſitatem diuinam creaturã vbicari: diuerſa ratio eſt in ſubſiſtẽtia, quia cùm hæc ſit terminus, qui poteſt eſſe extrinſecus, poteſt etiam naturam creatã terminare, quin in ſe recipiat vnionem.

Vtrùm Angeli propriè habeant Vbi?

Reſponſio eſt affirmatiua.

6 SEcunda cõcluſio. Angeli habẽt verũ, & proprium Vbi: ita Bonauent. Scotus, Gabr. Alenſ. Marſil. Ocham. quos citat, & ſequitur Soar. in Met. diſp. 51. ſec. 3. à n. 7. Idem ſentit Molina 1 p. q. 52. ar. 1. diſp. vnica, membro 5. præcipuè à §. *Hu præmotatis.* Item Gabr. Vaſq. 1. p. tom. 2. ad q. 52. ar. 1. diſp. 188. cap. 7 vbi citat Henricum; idem etiam latiſſimè probat Bubalus tom. de Angelis q. 52. ar. 1. difficultate 3. §. 6. fol. 502. (qui auctor per 54. paginas tractat de hoc Vbi Angelico) Arriaga in Phyſica diſp. 14. ſec. 4. idem tenet Lugo de Euch. diſp. 5. ſec. 2. n. 55. quatenus abſolutè docet cuilibet enti creato reſpondere proprium Vbi.

Bonau. Scotus. Gabr. Alenſ. Marſil. Ocham. Soarius. Molina. Vaſques. Henriq. Bubal. Arriaga. Lugo.

Pro-

7 Probatur concluſio. Angelus verè, & realiter mouetur: ſed motus localis habet pro termino intrinſeco ipſum Vbi: ergo Angelus habet verum Vbi. Maior huius demõſtrationis eſt irrefragabilis ex diuina auctoritate, dicuntur enim Angeli miſſi à Deo, & pro hac veritate citat Soar. n. 14. proximè allegatus D. Thomam, Magiſtrum, Alenſem, Albertum, Marſilium, D. Auguſtinum, Diuũ Gregorium, & alios, & præterea Bubalus q. 52. art. 1 difficultate 2. § 1 citat D. Hilarium, Nyſſenum, Epiphanium, Hieronymum, Damaſcenum, Chryſoſtomum, Ambroſium, Athanaſium, Theodoretum, Tertullianum, & alios: vide etiam P. Franciſcum Amicum in Curſu Theol. tom. 2. diſp. 6. ſec. 1. n. 3.

D. Thom. Magiſter. Alenſ. Albert. D. Aug. D. Grego. Bubal. D. Hilar. Nyſſen. Epiphan. Hieron. Damaſc. Chryſoſt. Ambroſ. Athanaſ. Theodor. Tertul. Franciſc. Amicus.

8 Minor autem etiam certa eſt, quia motus eſſentialiter eſt via ad Vbi, quod eſt eius terminus, & ſicut implicat dari actionem ſine termino, ita implicat dari motum ſine Vbi. cùm igitur motus ſit in Angelo, in eo etiam debet eſſe Vbi, ſeu in eo eſſe debet terminus ipſius motus: neque enim fieri poteſt, vt actio ſit in vno ſubiecto, & terminus in alio ſubiecto, ſiquidem actio identificatur cũ termino; atque hinc eſt, quòd modalitates non habeãt Vbi per ſe, ſiquidem per ſe propriè non mouentur: quapropter certum omnino eſt, Angelos habere proprium Vbi.

Referuntur, & refutantur contrariæ ſententiæ.

9 DVrandus tamen in I. diſt. 37. 2. p. diſtinctionis q. 1. n. 16. exiſtimat, Angelum eſſe formaliter in loco per ſuam ſubſtantiam, ſed falsò, quia ſubſtantia cuiuſque rei non eſt ratio formalis eſſendi in loco; quod ſic probo, quia illa nõ eſt ratio formalis alicuius effectus, quæ non determinat ſubiectum ad talem effectũ: ſed ſubſtantia Angeli non determinat Angelum ad hunc effectum eſſendi in loco: ergo eſſentia Angeli non eſt ratio formalis conſtituendi Angelum in loco, quamuis ſit ratio fundamentalis, de qua nõ eſt quæſtio. Maior huius ſyllogiſmi certa eſt, nam vt lignum potiùs ſit ſubiectum cathedræ, quam ſtatuæ, & vt homo potiùs ſit ſubiectum albi, quam nigri, ideò eſt, quia lignum determinatur à forma cathedræ, & homo ab albedine, ſubiectũ enim de ſe eſt indifferens ad hanc, vel illam formam: minor conſtat, quia Angelus per ſuam ſubſtantiam indifferens eſt ad eſſendum in hoc, aut illo loco, ſubſtantia enim quæuis de ſe non magis poſtulat hunc locũ, quàm illum.

Durand.

10 Hanc tamen ſententiam Durandi exiſtimantis, Angelum eſſe in loco formaliter, & immediatè per ſuam ſubſtantiam, ſequuntur alij, quos citat Granado tom. 3. in 1. p. tract. 9. diſp. 3. ſec. 2. quam opinionem ipſe Granado intendit conciliare cum noſtra, & vera ſententia, quæ docet, Angelum formaliter eſſe in loco per ſuum Vbi, nihilominùs ipſe magis inclinat in noſtram ſententiam. Granado.

11 Secunda ſententia docet, Angelum eſſe in loco per aliquam operationem, quam tenent Ægyd. in 1. diſt. 37. q. 1. §. *Hæc igitur*. Ferrar. 3. contra gentes cap. 68. §. *Conſiderandum*. Capreol. in 2. diſt. 2. q. 1. ar. 1. Caiet. 1. p. q. 52. ar. 1. §. *Quòad quartum*: Bañes item, & Zumel, ad eundem locum D. Thomæ, Gotfred. quodlib. 8. q 13. qui omnes, licèt varij. modis explicent ſuam ſententiam, in eo tamen conueniunt, quòd Angelus ſit in loco per aliquã ſui virtutem, vel operationem, ſicut Deus, vt ipſi autumant, eſt in omnibus locis per operationem.

Aliqui dicunt Angelũ eſſe in loco per operationem. Ægyd. Ferrar. Capreol. Caiet. Bañes. Zumel. Gotifred.

12 Sed contra eſt quia operatio ſupponit eſſe rei (priùs enim eſt rem eſſe alicubi, quam operari) ergo priuſquàm Angelus concipiatur operans, iam formaliter concipitur locatus. Deinde ſic Scotus argumentatur: Angelus non poteſt formaliter eſſe in loco per operationem immanentem, neque per tranſeuntem: ergo per nullam. Probatur prima pars, quia ſi Angelus eſſet formaliter in loco per actionem immanentem, eſſet v. g. per aliquam intellectionem, ſed hoc fieri non poteſt: ergo &c. Probatur minor, quia Angelus eſt in continua operatione immanente: ergo ſaltem nunquàm poſſet Angelus ſe abſoluere ab omni præſentia locali, quod exiſtimãt citati Thomiſtæ, poſſe Angelum efficere, vt mox videbimus: præterea cùm intellectio ſit formalis ratio intelligendi, non poteſt eſſe formalis ratio vbicandi, eadem enim ratio formalis non poteſt habere duos effectus formales primarios.

13 Probatur ſecunda pars, quòd ſcilicet non poſſit Angelus eſſe in loco formaliter per operationem tranſeuntem; imprimis, quia operatio non eſt ratio formalis vbicandi. Deinde, quia præſentia, quæ realiter afficit aliquod ſubiectum, debet eſſe intrinſeca eidem ſubiecto: ſed illa operatio tranſiens non eſt intrinſeca Angelo: ergo non eſt ratio formalis ponendi Angelum in loco. Maior certa eſt, quia nihil eſt in loco per præſentiã à ſe realiter diſtinctam, quæ actualiter non afficiat rem vbicatam. Minor verò probatur, quia operatio tranſiens recipitur in termino qui realiter ab Angelo diſtinguitur: ergo &c.

Quæ

Digitized by Google

14 Quæ verò pro hac ſententia obijciuntur, parum habent ponderis, & rationis; Deus enim, quamuis operetur in quocumque loco, vbi eſt, nihilominùs formaliter loquendo non per operationem ipſam, ſed per ſuam immenſitatem formaliter eſt præſens, videri tamen poteſt *Vaſquez.* Vaſques 1. p. tom. 2. ad q. 52. diſp. 188. cap. 2. vbi ſoluit Thomiſtarum fundamenta.

Alenſ. 15 Alia fuit ſententia Alenſis 2. p. q. 32. qui exiſtimauit Angelum eſſe in loco per qualitatem quandam diuinitus datam, per quam Angelus ſe determinat ad exiſtendum in hoc, aut illo loco. Sed contrà eſt, quia per qualitatem res formaliter qualificantur, & non vbicantur: ergo per illam qualitatem Angelus redderetur qualis, non verò vbicatus: & deinde quia, ſublata illa qualitate, adhuc res verè eſſet in loco, ſiquidem adhuc exiſteret extra cauſas. Ex quo etiam ſequitur, Angelum non eſſe in loco per aliquam relationem, vt alij exiſtimarunt, relatio enim eſt formalis ratio referendi, non verò ponendi in loco. Aliam ſententiam nupèr inuenit P. *Franciſc. Amicus.* Franciſcus Amicus in ſuo Curſu Theol. diſp. 5. ſect. 2. n. 42. vbi docet Angelos eſſe in loco per locabilitatem, non per Vbi, ſed quæſtio videtur de nomine.

SECTIO III.

Vtrùm res ſpirituales abſolui poſſint ab omni Vbi?

Reſolutio eſt negatiua. Richard. Alenſ. Molina. Valentia. Bubalus. Soarius. Franciſc. Amicus. Præpoſit. Arriaga.

1 SIt *vnica concluſio.* Angelus exiſtens, nõ ita poteſt abſolui ab omni loco, ſeu ab omni Vbi, vt verè dicatur nullibi eſſe, Ita Richard. in 1. diſt. 37. art. 1. q. 1. §. *Ad argumenta*: Alexander Alenſ. 2. p. q. 32. membro 1. versùs finem. Mol. 1. p. q. 52. ar. 1. diſp. vnica, membro 4. Valentia 1. p. diſp. 4. q. 3. puncto 2. §. *Petrò ſecundum*: Bubalus tom. de Angelis, q. 52. ar. 2. quæſito 2. diffic. vlt. §. 1. idem tenet Soar. de Angelis, lib. 4. cap. 1. præcipuè à n. 9. vbi latè docet, quòd licèt Angelus creetur intra, vel extra hunc mundum, neceſſariò debeat creari cum aliquo Vbi: & eandem veram ſententiam ſupponit eodem libro cap. 11. nu. 29 Idem tenet Franciſcus Amicus in ſuo Curſu Theol. tom. 2. diſp. 5. ſect. 1. nu. 10. item P. Præpoſit. 1. p. q. 52. ar. 1. dub. 1. §. *Quamuis autem*: Arriaga in Phyſica diſp. 14. ſect. 4 à n. 72.

2 Probatur concluſio breuiter, & efficaciter, quia illa non poſſunt abſtrahi ab omni loco, de quibus verè affirmantur aduerbia loci: ſed de Angelo verè affirmantur, ergo &c. Maior eſt certa, de Socrate enim in hoc loco exiſtente dici non poteſt, quòd non ſit hîc: immò ſi coexiſtit alteri, impoſſibile eſt, quód de eo dicatur, nullibi exiſtere. Probatur minor, quia de Angelo exiſtente neceſſe eſt, vt dicatur, quòd ſit præſens ſubſtantialiter cum Deo, & ſimiliter quòd coexiſtat Deo: ſed Deus neceſſariò eſt alicubi: ergo & Angelus, qui eſt præſens Deo.

3 Immò ex hac concluſione, eiuſque probatione rectè concluditur, neque per potentiam abſolutam dari poſſe creaturam aliquam exiſtentem, quæ non ſit alicubi; nam omne ens debet eſſe ſaltem inadæquatè ſimul cum Deo; ſed Deus neceſſariò eſt alicubi: ergo & illa creatura. Confirmatur, quia nullum ens eſſe poteſt in rerum natura, quod non habeat durationem determinatam: ergo etiam nullum eſſe poterit, quod non habeat determinatam vbicationem. Probatur conſequentia; quia, vt ſe res habet ad ſui durationem; ita ſe habet ad locum. Nihilominùs tamen non poterit Angelus virtute propria acquirere Vbi extra hunc mundum, & quamuis virtute diuina poſſit extra mundum collocari, nihilominùs nõ poterit per Deum abſolui á ſuo Vbi intrinſeco, adhuc enim ibi erit præſens Deo.

4 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet Angelum poſſe naturaliter abſtrahere ab omni loco, atque ita exiſtere, vt nuſquã, ſeu nullibi exiſtat. Ita D. Thom. in 1. diſt. 37. q. 4. ar. 1. ad 4. quatenus docet nullum eſſe incommodum, ſi Angelus, quando nihil operatur, nullibi ſit, quem ſequitur Capr. in 2. diſt. 2. q. 1. art. 1. concl. 2. Idem tenet Caiet. 1. p. q. 52. ar. 2. Ferrar. 3. contra gentes, cap. 68. cùm enim doceant, Angelum eſſe in loco per operationem tranſeuntem, vel per applicationem ſuæ virtutis, cùm Angelus, vt ipſi fatentur, ceſſare poſſit ab hac operatione, coguntur neceſſariò dicere tum temporis Angelum nullibi futurum. *Reijcitur contraria ſententia. D. Thom. Capreol. Caiet. Ferrar.*

5 Ne tamen hoc nobis videatur mirabile, mirabilius addit Caiet. citatus §. *Quòad ſecundum*, ſi Deus, nimirum ab aqua in vaſe exiſtente ſepararet quantitatem, fore vt illa aqua exiſteret quidem in rerum natura, ſed nullibi tamen eſſet, Huic ſententiæ ſubſcribit Vaſq. tom. 2. in 1. p. ad q. 52. diſp. 188. cap. 6. n. 26. *Vaſquez.* vbi ait immeritò aliquos mirari poſſe Angelos ſubſtantialiter nullibi eſſe: nihilominùs tamen admirationem noſtram non ademit, ſed meritò auxit tantus auctor, cuius partes tacitè defendere intendit Granado 1. p. tom. 3. tract. 9. diſp. 3. ſect. 2. n. 15. *Granado.* quatenus more ſuo vtramque opinionem conciliat, aſſerit enim

Digitized by Google

enim D. Thomam, & reliquos Thomiſtas *D. Thom.* ſolum velle, quòd Angelus, qui nihil opera- *Granado.* tur in aliquod corpus nullibi ſit, idest in *Alarcon.* nullo loco corporeo: expreſſè tamen ſuum *Bañez.* Vaſques defendit Alarcon. 1. p. tract. 6. diſp. *Zumel.* 6. cap. 5. n. 7. vbi citat Bañez, & Zumel.

6 Obijcis tamen, inquam, primò. Eſſe alicubi denotat diſtantiam quantitatiuam, & relationem ad aliquod corpus, cum quo detur coniunctio, vel diſtantia: ſed Angelus, cùm non habeat quantitatem, habere non poteſt veram diſtantiam, vel veram relationem diſtantiæ: ergo poteſt nullibi eſſe. Hoc argumentum, ſi verum eſſet, nimium probaret: probaret enim, nunquam Angelum eſſe in loco (ſiquidem nunquam Angelus habet quantitatem) quod tamen non concedent Thomiſtæ citati, nam ex fide catholica rectè colligitur, Angelos eſſe in loco, vt docet idē *Vaſquez.* Vaſques citatus diſp. 187. cap. 1. Molina 1. p. *Molina.* q. 52. art. 1. diſp. vnica, membro 2. dicit oppo- *Valent.* ſitum eſſe errorem in fide, Valentia item 1. p. diſp. 4. q. 3. puncto 1. affirmat eſſe ex fide certum, Angelum eſſe in loco: idem tenet *Granad.* Granado tom. 3. in 1. p. tract. 9. diſp. 3. ſect. 1. & lariſſimè ex auctoritate Scripturæ, & Pa- *Bubal.* trum probat hoc Bubalus tom. de Angelis, q. 52. art. 1. quæſito. 1. difficultate 2. §. 1. folio 471.

7 Pro explicatione igitur argumenti aduertendum eſt, Angelum dupliciter, dici poſſe eſſe in loco: primò, ſi locus accipiatur philoſophicè, ideſt pro loco Ariſtotelico, qui conſiſtit in ſuperficie externa ambiente, & circunſcribente corpus, de quo dixi 2. p. trac. 1. lib. 4. diſp. 32. ſect. 1. & quidem ſi locus hoc modo accipiatur, Angelus non dicetur propriè eſſe in loco, ſiquidem non habet vbi circunſcriptiuum, nec propriè circunſcribitur ſuperficie corporea: Secundo modò poteſt aliter ſumi locus pro Vbi interno, quod abſtrahit ab omni ſuperficie corporea, & de hoc loco, ſiue Vbi, verè dicitur, quòd Angelus ſit in loco.

8 Ad argumentum igitur reſpondetur, eſſe alicubi corporaliter denotare diſtantiā, vel approximationem quantitatiuam, non verò eſſe alicubi ſpiritualiter, qualiter Angelus eſt in loco: cùm igitur Angelus non habeat quantitatem, & alioquin habeat verum, & proprium Vbi internum, quamuis non habeat Vbi circunſcriptiuum, adhuc tamen verè dicetur eſſe alicubi, per ſuum vbi definitiuum. Quapropter ſi Angelus à Deo crearetur ante mundi conſtitutionem, licèt nullū eſſet corpus, à quo Angelus diſtaret, nihilominùs haberet verum Vbi, quamuis nihil operaretur circa aliquod corpus.

9 Obijcis ſecundò. Angelus liberè producit hanc, vel illam vbicationem: ergo etiā poterit nullam producere, & nullibi ſe conſtituere. Reſpondetur negando conſequentiam, nam Socrates v.g. liberè eſt in hoc, vel illo loco, & tamen non poteſt ab omni loco ſe abſoluere, quia Vbi neceſſariò ſequitur rei exiſtentiam, & ſub hoc exemplo patet reſponſio ad argumentum. Scio tamen reſpondere aliquos vi argumentorum coactos, Angelum exiſtentem non poſſe ſe abſoluere ab omni loco, ita vt ſit nullibi; cùm tamen non dicant, ceſſante operatione, eſſe alicubi, mirabilem quandam confingunt ſolutionem, nimirum Angelum, ceſſante operatione extrinſeca, per quam eſt in loco, non eſſe alicubi, aut nullibi, ſed in aliquo veluti loco, prout abſtrahit ab alicubi, & nullibi: hæc tamen doctrina non alicubi, ſed nullibi eſt recipienda.

SECTIO IIII.

Sit né Vbi rerum ſpiritualium diuiſibile?

1 PRima concluſio. Vbi rerum ſpiritualium eſt in ſua entitate immateriale, & incorporeum. Hæc concluſio communis, & certa omnino eſt. Probatur, quia Vbi Angelicum educitur à ſubiecto ſpirituali; ſed quod ita educitur nō poteſt eſſe corporeum in entitate: ergo &c. Maior certa eſt, nam illa vbitas non ſubſiſtit per ſe: minor inde probatur, quia quemadmodùm nullus modus ſpiritualis educi poteſt naturaliter à ſubiecto corporeo, ita nullus modus corporeus poteſt educi à ſubiecto ſpirituali, iam enim ſæpè dixi, non poſſe accidens corporeum eſſe in ſubiecto ſpirituali naturali: conſequentia rectè infert, nam vbitas Angelica in Angelo recipitur: ergo neceſſariò debet eſſe in entitate ſpirituali.

2 *Secunda concluſio.* Vbitas Angeli habet partes formaliter diuiduas, & extenſas per ordinem ad ſpatium, quando Angelus ſe applicat ſpatio diuiduo, & extenſo. Hanc concluſionem non inuenio apud auctores antiquos pro neutra parte agitatam, eam tamen expreſſit Soar. in Met. diſp. 51. ſect. 5. n. 36. & poſteà illam ſuppoſuit tom. 3. in 3. p. ad q. 68. diſp. 48. ſect. 1. præcipuè § *Dices etiam*, quatenus admittit præſentiam ſacramentalē Chriſti Domini in Euchariſtia dici poſſe diuiſibilem, non per menſurationem partium corporis ad partes ſpatij, ſed quaſi per reduplicatio-

Vbi Angelicū eſt formaliter diuiſibile per ordinē ad ſpatium. *Soar.*

cation-

Digitized by Google

cationem ... corporis in pluribus partibus ſpatij, quòd confirmat exemplo præſentiæ Angelicæ ad ſpatium diuiſibile.

3 Hanc tamen opinionem legit poſteà Vaſques, eamq; ſeueriſsimè damnauit tom. 2. in 1 p. ad q. 52. diſp. 188. cap. 7. n. 30. vbi ad medium huius numeri ait, *ſe mirari Theologos noſtri temporis, qui de Angelis ſpiritualibus diſſerentes, nondum corporea hæc, & materialia obliuiſcantur, & in ſubiecto ſpirituali, & omnino indiuiſo conſtituant aliquod accidens formaliter loco extenſum &c.* vidit hanc cenſuram Soar. nec proptereà lib. 4. de Angelis cap. 17. aliam regerit, ſed modeſtè nimis reſpondet: & vt ipſe ait n. 2. *non erubeſcit fateri ingenij ſui tarditatē quòd rem aliter non poſsit intelligere, &c.* ego tamen huius potiùs tarditatem æmulari vellē, quàm aliorum intempeſtiuam, ac præcipitem celeritatem, ſuam enim ſententiam magnis rationum momentis eodem cap. iterū validè corroborat.

4 Quem poſteà ſequuti ſunt non ignobiles Recentiores Arrubal. ſcilicet 1. p. to. 2. ad q. 52. diſp. 155. cap. 1. à n. 2. & Bubalus to. de Angelis, q. 52. art. 1. quæſito 2. difficult. vlt. à §. 1. à folio 56. qui duo Auctores contendūt in hanc ſententiam adducere Mol. 1. p. q. 52. art. 1. diſp. vnica, membro 5. § *Quòd ſi quis petat*, vbi ait præſentiam Angeli reſpectu ſpatij habere ſe non ſecus, ac quantitas in ſubiecto corporeo; nihilominùs tamen Mol. non ita clarè loquitur de hac re (ibi tamen doctè explicat, quomodò Angelus poſsit dilatare ſuam ſphæram ad maius ſpatium, vel ſe contrahere) eandem ſententiam tenent P. Franciſcus Amicus tomo 2. qui eſt de Angelis diſp. 5. ſect. 3. à n. 37. & Tanerus diſp. 5. q. 2. dub. 2. aſſertione 5. idem docet Barth. Amicus in Phyſ. tract. 20. quæſt. 5. dub. 3. num. 7. idem tenet Arriaga de Anima diſp. 1. ſect. 4. ſubſect. 4 quatenus in Vbi Angelico, & in re ſpirituali admittit partes integrantes.

Vaſquez. *Arrubal.* *Bubal.* *Molina.* *Franciſc. Amicus.* *Tanerus.* *Barthol. Amicus.* *Arriaga.*

5 Probatur igitur primò concluſio ratione: quia Angelus per tale Vbi reſpondet ſpatio diuiduo, & formaliter extenſo: ergo tale Vbi eſt diuiduum, & extenſum formaliter: antecedens ita ſupponitur: probatur conſequentia; quia id, quod eſt omnino indiuiſibile, non poteſt correſpondere diuiſibili: ergo ſi Vbi Angelicum eſt formaliter indiuiſibile, non poteſt formaliter correſpōdere ſpatio diuiſibili. Quod ſic declaratur; quia nulla forma, quæ non ſit actu alba, *vt quo*, vel *vt quod*, poteſt efficere ſubiectū album; & è cōtra nulla forma, quæ actu ſit alba efficere poteſt ſubiectum formaliter nigrum: ergo ſimiliter nulla forma, quæ ſit formaliter inextenſa, & indiuiſibilis *vt quo*, & *vt quod*, poteſt ponere Angelum in loco diuiſibili, & extenſo; quia ſicut vnum punctum, quod eſt omnino indiuiſibile, non poteſt præbere ſubiecto effectum formalem diuiſibilem; ita neque etiam Vbi indiuiſibile formale poteſt præbere Angelo effectum diuiſibilem formaliter, ideſt eſſendi in loco diuiſibili.

6 Confirmatur idem argumentum; quia ſi forma actu, & formaliter indiuiſibilis poteſt applicare totum Angelum ſpatio formaliter diuiſibili, etiam vnum inſtans, quod eſt formaliter indiuiſibile, poterit facere Angelū correſpondere formaliter tempori formaliter extenſo; quod eſt falſum, ex eo quòd diuiſibile non poſsit æquiparari indiuiſibili. Quod iterum confirmatur cōmuni argumento; nam omnis cauſa formalis priùs habet in ſe ſuum effectum formalem, ſaltem *vt quo*, quarè illud Vbi ſi extendat Angelum, ſiue ſphæram Angeli ad ſpatium extēſum (ſupponimus enim Angelum eſſe in ſpatio extenſo) neceſſariò illud Vbi erit extenſum formaliter *vt quo*, per ordinem ad ſpatium, ſiquidem reddit ipſum Angelum formaliter extenſum *vt quod*, non in ſe quidem, ſed per ordinem ad ſpatium. Aſſumptum probatur, nam albedo v. g. eſt priùs in ſe alba, *vt quo*, ideſt, mediante quo ſubiectum fit album.

7 Probatur ſecundò à Soar. lib. 4. de Angelis c. 17. à nu. 7. Vnio animæ rationalis (vt modò ſuppono ex communi ſententia iuxta ea, quæ dixi 2. p. tract. 1. diſp. 16. ſect. 2. à n 8.) eſt ſpiritualis, quia identificatur cum anima; & tamen habet partes formales, ratione corporis, cui vnit animam: ergo ſimiliter Vbi Angelicum habebit partes formales, ratione ſpatij, cui facit Angelum correſpondere, quāuis identificetur cum ſubſtantia ſpirituali Angeli. Maior ita ſupponitur: minor probatur, quia quando homini amputatur brachium, deperdit vnionem cum brachio, non verò cum toto corpore: ergo illa vnio animæ eſt formaliter diuiſibilis, ſiquidem habet partes formaliter diuiſibiles, non ratione ſui, ſed ratione corporis.

Soar.

8 Reſpondent aduerſarij, in eo euentu amitti totam vnionem, & aliam de nouo reddire, & quidem conſequenter loquuntur, ſiquidem aſſerunt, illam vnionem eſſe indiuiſibilem. Sed contra ſolutionem, quia incredibile eſt deperdi totam vnionē, nam cùm perpetuò detur in homine noua augmētatio, vel decretio inter partes materiæ, ſequeretur dari etiā in eodē homine continuā vnionum mutationē, & ſucceſsionē; immò cùm augmētatio detur in quolibet inſtanti aſsignabili (quia in quolibet poteſt corpus eſſe maius) & cùm

P ante

Digitized by Google

ante hoc inſtans aſsignatum detur aliud, & aliud inſtans in infinitum: iuxta communem ſententiã, darẽtur etiã in homine, in quolibet breuiſsimo tẽpore infinitæ vniones, quod cũ dicendum non ſit, affirmandum potiùs eſt, illas vniones eſſe diuiſibiles, & habere partes, quæ ſucceſsiuè acquiruntur, ac deperduntur.

9 Alias multas rationes proſequitur idem Soar. citatus: Arrubal verò confirmat noſtram ſententiam exemplo præſentiæ ſacramentalis Chriſti Domini in Euchariſtia, quod latè proſequitur idem Soar. tom. 3. in 3 p. q. 68. diſp. 48. ſect. 1. de quo exemplo infrà nobis recurret ſermo, in ſolutione decimi argumenti.

Arrubal.

Soarius.

Proponitur, ac reijcitur contraria ſententia.

10 OBijcis pro contraria ſentẽtia, quæ docet Vbi Angelicum non eſſe formaliter diuiſibile habere tamẽ partes virtuales, quã tenet Vaſq. to. 2. in 1. p. ad q. 52. diſp. 188. c. 7. n. 30. qui nullũ pro ſe citat auctorẽ, immò nõ niſi multiplices iterat admirationes cõtra noſtrã ſentẽtiã; cuius veſtigijs inſiſtit Gran. to. 3. in 1. p. diſp. 3. ſect. 3 n. 18. trac. 9. neque alienus abit Hurt. de anima, diſp. 2. ſect. 3. quatenus defendit vnionem animæ rationalis eſſe ſpiritualem, quod probare intẽdit exemplo Vbi Angelici, quod aſſerit ſemper eſſe indiuiſibile, etiam reſpectu ſpatij diuiſibilis, qui n. 16. malè citat Soar. tom. 2 Met. diſp. 4 ſect. 1. nu. 11. cùm tamen Soar. hoc diſputet locis ſuprà à nobis allegatis. Eandem opinionem ſecutus fuit Albertinus tom. 2. ad prædicamentum quantitatis, & Vbi, 5. corollario, dubit. 5. n. 4. & 5. folio 346. item P. Præpoſit. 1. p. q. 52. ar. 1. dub. 2 n 13 § *In hac re*: & Lugo de Euchar. diſ. 5. ſect. 3. nu. 75. magna tamen argumentorum ſuppellectili hæc opinio adornatur.

Hæc ſententia eſt probabilis.

Vaſques.

Granado.

Hurtad.

Soarius.

Albertin.

Præpoſit.

Lugo.

11 Obijcis, inquam, primò, Modus debet eſſe proportionatus rei, quam modificat: ſed illud Vbi eſt modus rei ſpiritualis, & indiuiſibilis, a cuius rei potẽtia educitur: ergo eſt omnino indiuiſibilis. Reſpond. ad maiorem, modum ſolùm in aliquibus debere eſſe proportionatũ, non tamen requiri quòd ſemper in omnibus proportionetur: & declaratur exemplis, nã Vbi ſemper eſt accidentale, quamuis educatur à ſubſtãtia: atque ita Vbi Angelicũ; quãuis in ſe ipſo ſpirituale ſit, & indiuiſibile, nihilominùs, per ordinem ad ſpatium, erit diuiſibile, ſicut ipſe Angelus eſt intrinſecè indiuiſibilis, & tamen poteſt eſſe in ſpatio diuiſibili. Aliud exemplum eſt in motu, qui educitur de ſubſtantia Angeli, quando mouetur Angelus; & tamen motus habet veras partes formales ſucceſsiuas: aliud præterea exemplũ eſſe poterit in habitibus ſpiritualibus, qui educuntur de ſubſtantia Angeli, & tamen habent partes formales intentionis.

12 Obijcis ſecundò. Actus cadens ſupra concluſionem formaliter, dicitur habere partes virtuales quibus cadit ſupra præmiſſas: ergo ſimiliter dicetur Vbi Angelicum habere tantùm partes virtuales, non verò formales. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia Vbi Angelicum non collocat formaliter Angelũ in aliqua ſolùm parte ſpatij, ex qua virtualiter attingat reliquas partes ſphæræ ſuæ, ſed ponit formaliter Angelum in toto illo ſpatio diuiſibili: ergo totum illud Vbi eſt formaliter diuiſibile: explicatur exẽplo, nam calor, qui eſt in manu, non poteſt facere formaliter calidum ſubiectum, quod eſt extra manum: ita ergo illud Vbi, ſi non ſit formaliter extenſum in toto loco, non poteſt facere, quod Angelus illi toti loco correſpondeat: at verò actus, qui cadit formaliter ſupra concluſionem, non cadit eodem modo ſupra præmiſſas; ſed ex eo dicitur virtualiter cadere ſupra illas, quia, cùm cõcluſio ſit effectus præmiſſarũ, aſſentitur intellectus concluſioni propter præmiſſas, in quibus cõcluſio virtualiter eſt.

13 Obijcis tertiò. Si Vbi Angelicum, & ſpirituale eſt diuiſibile, non diſtinguetur præſentia ſpiritualis à præſentia materiali, ſiquidem vtraque diuiſibilis eſt. Reſpond. negando ſequelam. Diuerſitas verò in eo eſt, quia præſentia quantitatiua, & materialis habet partes formales, tã ratione ſubiecti, quã ratione ſpatij: at verò pręſentia Angelica ſolùm habet partes, ratione ſpatij, non verò ratione ſubiecti; alia præterea datur diuerſitas, quia præſentia quãtitatiua reijcit naturaliter aliud corpus ab eodem loco, non verò præſentia Angelica. &c.

14 Obijcis quartò. Deus eſt præſens omni ſpatio diuiduo, & tamen non habet Vbi diuiſibile: ergo ſimiliter Angelus per Vbi indiuiſibile poterit correſpondere ſpatio diuiſibili. Probatur cõſequẽtia, quia ſicut diuina immenſitas, quamuis non habeat partes formales, poteſt tamen dici habere illas virtuales, ita illud Vbi Angelicũ dici poterit virtualiter extenſum. Reſpond. negando conſequentiã, diuerſa ratio eſt, quia Deus non eſt præſens per aliquam formam accidentalem diſtinctã ex natura rei, ſed per ſe ipſum: at verò Angelus præſẽs eſt ſpatio per aliquod Vbi, proptereà verò non poteſt immenſitas diuina dici formaliter extenſa ad ſpatiũ, quamuis Vbi Ange-

Cur Vbi diuinũ nullas habeat partes?

Angelicum ita dicatur extenſum, quia extenſio dicit partes, quas Deus non habet, cùm tamen Angelus illas habere poſsit, ratione ſuæ vbicationis, quæ ſaltem eſt modus ſuperadditus, cùm neceſſariò illas habeat; quod ſic explicatur, nam ita Deus eſt totus in toto aliquo ſpatio, & in quouis puncto, vt non poſsit pro libito ſe contrahere, vel dilatare: at verò Angelus, qui eſt in ſphæra huius domus, poteſt ſe cõtrahere ad angulum, quod eſt ſignũ manifeſtum, hanc præſentiam habere partes: ex quibus conſtat, poſſe Deum indiuiſibilem per ſe ipſum correſpondere ſpatio diuiſibili, cùm tamen Angelus præſtare hoc nõ poſsit, niſi per Vbi diuiſibile.

15 Obijcis quintò contra argumentum Soarij. Vnio animæ rationalis ad corpus, in bona opinione, materialis eſt: ergo non bene argumentatur Soarius, ſupponendo illam eſſe ſpiritualem. Reſpond. fatendo illud argumentum ſolùm habere vim in opinione, quæ tenet talem vnionem eſſe ſpiritualem. Quæ ſententia, cùm ſit probabilior (vt patet ex ijs, quæ dixi 2. p. tract. 1. diſp. 25. ſect. 2. à n. 8.) ſed det etiam modò noſtram ſententiam ſaltem probabiliorem.

16 Inſtas. Quamuis hæc vnio ſit ſpiritualis, non inde ſequitur fore diuiſibilem per ordinem ad corpus, cui vnit animam, nullũ enim eſt inconueniens concedere, dari in nutritione perpetuam illam vnionum ſucceſsionem, ſicut communiter conceditur perpetua multorum modorum tranſmutatio, vt cernitur in Vbi. & Situ: immò, & in ſubſiſtentia, quæ variatur ad variationem cuiuslibet partis materiæ. Reſpond. negando inſtantiam; inconueniens autem illud eſt, quia cùm talis vnio in reliquis partibus ſubiecti contineat ſuas diſpoſitiones requiſitas, non eſt dicendum, quód ex eo ſolùm, quòd in brachio v. g. deſinant hæ diſpoſitiones, eo ipſo pereat tota vnio; & eodẽ modo philoſophandũ eſt in ſubſiſtentia, quando enim materia v.g. deperdit aliquam partem, non amittitur tota ſubſiſtentia, & idem dicendũ de Vbi. poteſt enim ſolùm per partes acquiri, vel amitti; vt ſi Socrates manum extendat, acquirit vnum tantùm Vbi partiale.

17 Obijcis ſextò. Illud Vbi non habet partes, ratione ſubiecti. Deinde non poteſt illas habere, ratione ſpatij: ergo &c. Probatur minor, quia ſpatium non eſt aliquid reale ergo non poteſt dare partes formales, & reales. Reſpond. negando minorem, quamuis enim ſpatium poſsit eſſe aliquid negatiuũ, nihilominùs tamen dico bene poſſe colligi tales partes formales ex hoc ſpatio, tanquàm à ſigno, licèt enim non ſit reale, ordinatur tamen ad illud præſentia Angeli, ſicut conceptus tenebrarum ad ipſas tenebras ordinatur, quamuis tenebræ nihil ſint poſitiuum.

18 Obijcis ſeptimò. Si Vbi Angelicum in ſpatio diuiſibili eſt diuiduum, non poterit Angelus in tali loco eſſe totus in toto, & totus in qualibet parte illius ſpatij, ſiquidem Angelus eſt extenſus per totum ſpatiũ. Reſpond. negando ſequelam, quia adhuc Angelus ita eſt indiuiſibiliter in loco, vt totus ſit in toto illo ſpatio extenſo, & totus in qualibet parte, ita tamen vt in qualibet parte huius præſentiæ ſit tota ſubſtantia Angeli; ſicut præſentia ſacramentalis poteſt etiã hoc modo dici diuiſibilis, ratione ſpatij, ſeu hoſtiæ cui reſpondet; atque ita ſit, vt ſi corrumpatur vna pars hoſtiæ, corpus Chriſti Domini deſinat eſſe in illa parte corrupta, & adhuc maneat præſens alijs partibus incorruptis. Et ex eo quòd Chriſtus Dominus in Euchariſtia habeat Vbi diuiſibile, & extenſum per ordinem ad ſpatium hoſtiæ, habere poteſt veram relationem præſentiæ, vel diſtantiæ ad alia corpora, quod, vt omnino indubitatũ, docet Soar. In 3. p. tom. 3. ad q. 75. ar. 1. diſp. 48. ſect. 1. §. *Atque hinc etiam.* Soar.

19 Obijcis octauò. Cõceptus, quem habeo de lapide, eſt ſpiritualis, licèt lapis, ad quẽ terminatur, ſit corporeus: ergo Vbi Angeli ad ſpatium diuiſibile erit indiuiſibile, quamuis ſpatium ſit diuiſibile. Probatur conſequẽtia, quia ſicut Angelus terminatur ad ſpatium, ita conceptus ad obiectum. Reſpondeo negando conſequentiam: diuerſa ratio eſt, quia conceptus eſt valde extrinſecus obiecto, & ab illo ſolùm ſumit ſpecificationem in genere cauſæ formalis extrinſecæ; vnde bene poteſt obiectum eſſe corporeum, & conceptus ſpiritualis, quia ſubiectatur in ſubiecto ſpirituali, nempe intellectu. at verò Vbi Angelicum, quamuis ſit extrinſecũ ſpatio, nihilominùs eſt intrinſecũ Angelo: quapropter cùm extendat Angelum in ſpatio, nõ poteſt non eſſe extenſum formaliter, vt patet ex dictis. Solũtur aliæ obiectiones.

20 Obijcis nonò. Non poteſt ex ſubiecto corporeo educi modus ſpiritualis: ergo neque ex ſubiecto ſpirituali educi poteſt modus diuiſibilis. Reſpondetur negando conſequentiam, debebat enim ſic colligere: ergo ex ſubiecto ſpirituali nõ poteſt educi modus corporeus, quæ illatio certa eſt: nihilominùs tamen non repugnat educi modum, qui, quamuis ſit in entitate ſpiritualis, ſit tamen, quòad ſpatium, diuiſibilis; vt patet exemplo motus, qui educitur ex Angelo omnino indiuiſibili. & tamen ipſe motus eſt diuiſibilis ſecundùm ſucceſsionem; vt enim

ſuprà dixi, modus non ſemper accommodatur in omnibus ſuæ realitati. Dixi, *in omnibus*, quia modi, qui pertinent ad complementorum termini, ſemper accommodantur termino, vt patet in actione comparata cum termino, & in ſubſiſtentia comparata cum natura.

21 Obijcis decimò. Corpus Chriſti Domini, quamuis in re ſit corporeum, quantitatiuum, & diuiſibile, poteſt habere Vbi indiuiſibile, ſi conſeruetur in vno tantùm hoſtiæ puncto: ergo ſimiliter Angelus, quamuis in ſe ſit omnino indiuiſibilis, poterit correſpondere ſpatio diuiſibili per Vbi indiuiſibile. Reſpondeo negando conſequentiã, quia (præterquàm quòd ſolùm debebat inferre poſſe Angelum correſpondere ſpatio diuiſibili, ſicut corpus poteſt eſſe in puncto) diuerſa ratio eſt, quia corpus, quod eſt in puncto, nullas habet partes actualiter extenſas, ſed tantùm aptitudine, vnde mirum non eſt, ſi ſit in puncto indiuiſibili: at verò tale Vbi Angelicum habet actualiter partes extenſas, vt patet ex dictis: ergo implicat habere partes extẽſas actualiter per Vbi inextenſum, & indiuiſibile, vnum punctum enim non poteſt extendere ens permanens, ſicut neque vnum inſtans poteſt extendere tempus ſucceſsiuum; confugere autem ad partes virtuales Vbi indiuiſibilis, nihil aliud eſt, quàm quærere latibula obſcuritatis.

22 Obijcis vndecimò. Subſtantia ſpiritualis nullum habet accidens reale formaliter diuiſibile: ergo etiam nullum habebit accidens modale formaliter diuiſibile: immò hoc erit à fortiori, ſiquidem accidens modale identificatur cum ſubſtantia ſpirituali. Antecedens certum eſt, quia, vt ſæpè dixi, nullum accidens corporeum educi poteſt de ſubiecto ſpirituali. Reſpondeo diſtinguendo antecedens; ſubſtantia ſpiritualis nullum habet accidens reale, & corporeum formaliter diuiſibile, concedo antecedens: nullum habet accidens modale, & ſpirituale formaliter diuiſibile, nego antecedens: habitus enim, qui eſt formaliter diuiſibilis, quà ad partes intenſionis, educitur de potentia Angeli, & idem cernitur in motu, qui quamuis ſit in Angelo formaliter indiuiſibili, ſicut per ordinem ad tempus, poteſt eſſe diuiſibilis, ita etiam illud Vbi poteſt in ſe ipſo eſſe diuiſibile per ordinem ad ſpatium, quamuis radicaliter, id eſt, ratione ſubiecti, ſit indiuiſibile. Fateor tamen ad perfectam intelligentiam huius Vbi Angelici, Angelicam requiri intelligentiam.

Appendix circa prædicamentũ Vbi, & Situs.

23 AD calcem huius prædicamenti aduerto primò, omnes vbicationes Angelorum dici poſſe eiuſdem ſpeciei, quamuis Angeli ſint diuerſæ ſpeciei, quia Vbi definitiuum Angelorum ſemper eodem modo ponit totum in toto, & totum in qualibet parte. Quapropter hoc Vbi definitiuum ſemper eodem modo videtur ſequi gradum ſpiritus, quá ſpiritus eſt: exemplum ſit in viſu, qui eſt eiuſdem ſpeciei in homine, & in equo, quamuis homo, & equus ſpecie differant, quia videlicet, viſus ſequitur gradum animalis. *Omnes vbicationes Angelicæ ſunt eiuſdẽ ſpeciei.*

24 Obſtas. Vbi ſacramentale corporis Chriſti Domini in Euchariſtia eſt diuerſæ ſpeciei ab Vbi Angelico, & tamen conſtituit corpus Chriſti Domini totum in toto, & totum in qualibet parte hoſtiæ definitiuè: ergo diſtinguitur ſpecie ab Vbi Angelico ratione ſubiecti in quo eſt: ergo ſimiliter vbitates Angelicæ quamuis omnes ſint definitiuæ, ſpecie inter ſe differunt, ratione ſubiectorum. Quapropter, cùm Angeli inter ſe ſpecie differant, idem dicetur de vbitatibus Angelorum. Reſpond. bene probare argumentum, Vbi ſacramentale corporis Chriſti Domini in Euchariſtia non diſtingui ſpecie ab Vbi Angelico, ratione effectus formalis, quẽ præbet: nihilominus tamen hæc diſtinctio aliunde ſumẽda eſt, quia videlicet hoc Vbi eſt omnino ſupernaturale, & alterius ordinis, vt laté probat Soar. tom. 3. in 3. p. ad q 68. ar. 1. diſp. 48. ſect. 1. à § *Nihilominùs dicendum*: quapropter in Logica agendo de prædicamentis diſp. 8. ſect. 2. diuiſimus Vbi definitiuum in ſpirituale, & corporeum, quod Vbi corporeum definitiuũ, propterea ſupernaturale eſt, quia habet rationem ſupernaturalitatis, vt conſtat ex dictis in diſputatione de Subſtãtia ſupernaturali; præterquàm quòd nulli corpori debeatur eſſe in loco definitiuè, cùm tamen hoc debeatur omni ſpiritui.

25 Circa prædicamentũ Situs aduertendum eſt, nihil aliud eſſe Situm, quàm modum quendam intrinſecum reſultantem ex certa partiũ poſitione: atque adeò probabilius eſſe, Sitũ ab Vbi ſolùm virtualiter diſtingui, quia Situs eſt ipſummet Vbi conceptũ ſub diuerſa ratione, nam Vbi concipitur per ordinẽ ad ſpatium, Situs verò concipitur per ordinẽ ad partes corporis, ſic vel ſic ordinatas, vt videre licet apud Soar. in Metap. diſp. 52. ſect. 1. à n. *Quid ſit Situs?* *Soarius.*

Digitized by Google

à n. 9. vnde quamuis Situs diſtinguatur à figura organica, propriè tamen non diſtinguitur à figura externa.

28 Obſtas primò. Aliquando reperitur Vbi ſine Situ, vt patet in Angelis, qui habent Vbi, non tamen Situm: ergo Situs, & Vbi modaliter diſtinguuntur. Confirmatur, quia Situs eſt modus ipſius Vbi, modus autem diſtinguitur modaliter. Reſpondeo negando conſequentiam, quamuis enim aliquando reperiatur Vbi ſine Situ, quando tamen ſimul reperiuntur, ſolùm virtualiter diſtinguuntur: exemplum eſt in actione, & paſsione, quamuis enim aliquando detur actio ſine paſsione, vt patet in creatione, nihilominùs tamen actio illatiua paſsionis, à paſsione virtualiter tantùm diſtinguitur. Ad confirmationem reſpondetur, Situm non eſſe propriè modum Vbi, ſed quaſi modum.

19 Obſtas ſecundò. Aliquando mutatur Vbi, non variato Situ: ergo Situs, & Vbi diſtinguuntur ex natura rei. Probatur antecedens exemplo illius, qui ſedens mouetur vectus ab alio, qui mutat Vbi, non tamen Situm. Reſpondetur, propter hoc argumentum, improbabile non eſſe, Situm ab Vbi diſtingui ex natura rei; reſponderi tamen poteſt in eo caſu, ſitum etiam eſſe diuerſum, ſi concipiatur per ordinem ad ſpatium; nihilominùs tamen dici communiter eundem, quia in Situ ſolùm concipimus ordinem partium inter ſe, non verò ordinem ad ſpatium; ſed argumentum habet vim; nolo tamen à communi ſententia diſcedere in re parui momenti.

30 Reſtabat quærere, vtrùm idem corpus poſſit ſimul eſſe in diuerſis locis, vel vtrùm plura corpora ſimul eſſe poſſint in eodem loco? præterea quærendum erat, quæ accidentia ſiue vitalia, ſiue non vitalia comitentur idem corpus poſitum in diuerſis locis, ſed de his latè egi ſuo loco, id eſt, in 2. p. tract. 1. lib. 4. Phyſ. diſp. 32. ſect. 3. & 4. Hæc tantùm de Vbi, ac Loco ſupererant diſputanda, ſed iam,

Diſplicet iſte locus, clamo & diludia poſco. Horat. Ep. 19. lib. 1.

DISPVTATIO LXV.

De Duratione.

QVÆ circa durationem dicenda erant, partim breuiter ſunt prælibata in Logica de Prædicamentis diſput. 8. partim in Phyſicis, cùm de Tempore egi lib. 4. diſp. 33. Quæ igitur diſputanda reſtant non lentè, ſed leuiter, ac breuiter ad incudem reuocabimus.

SECTIO I.

Quid ſit Duratio, quomodò diſtinguatur, ac diuidatur?

Definitio Durationis. Fonſeca. Suarius.

1 PRima concluſio. Duratio *eſt permanentia rei in ſua exiſtentia*: ita communis ſententia, pro qua Suar. videri poteſt in Met diſp 50. ſec. 2. n. 9. & Fonſ. 5. Metaph. cap. 15. q. 10. Eſt etiam duratio forma intrinſeca, vt dixi in Logica de Prædicamentis diſp 8. ſect. 2. quod non tollit, quominùs duratio explicetur per reſpectum ad tempus verum, vel imaginarium.

2 *Secunda concluſio.* Duratio diſtinguitur ſolùm virtualiter ab exiſtentia. Ita probabilior ſententia, quam tuentur Ochamus, Gabriel. Scotus, Capreolus, & Soncinnas, quos refert, & ſequitur Suar. in Metaphyſ. diſp. 50. ſect. 1. num. 5. Idem tenet Vaſquez tom. 1. in 1. p. ad quæſt. 10. diſp. 33. cap. 3. num. 18. vbi docet, durationem non diſtingui ex natura rei ab ipſa ſubſtantia rei; cùm verò ſubſtantia non diſtinguatur ab exiſtentia, niſi tantùm virtualiter, bene ſequitur durationem ſolùm virtualiter diſtingui ab exiſtentia, ex ſententia huius auctoris. Idem probat Gillius 1. p. lib. 2. tract. 10. cap. 6. à num. 3. vbi ait, hanc eſſe veriorem, & communiorem ſententiam inter Philoſophos, & Theologos: eandem ſententiam tuentur alij, quos citaui 2. p. tract. 1. lib. 4. Phyſic. diſput. 33. ſect. 1. loquentes de Tempore; quam etiam, cum multis alijs Auctoribus, defendit Barthol. Amicus, in Phyſ. tract. 22. quæſt. 1. dub. 1. fol. 793.

Duratio diſtinguitur virtualiter ab exiſtentia. Ocham. Gabriel. Scotus. Capreol. Soncin. Suarius. Vaſq. Gillius. Barthol. Amicus.

3 Probatur concluſio. Quia durare per horam nihil eſt aliud, quam exiſtere per horā. & ſimiliter exiſtere per horam nihil eſt aliud, quā durare per horā. ergo &c. Quod ſic præterea declaratur; quia præciſo quocumque

 que

que alio modo ab exiſtentia, adhuc intelligitur res ipſa durare, ex eo ſolùm quòd perſeueret in exiſtentia: ergo duratio non diſtinguitur niſi virtualiter tantùm ab exiſtentia. Probatur antecedens, quia ſi res concipiatur perſeuerans in exiſtẽtia, impoſsibile eſt, quòd perſeueret ſine duratione: ergo cùm duratio ſeparari non poſsit ab exiſtentia, neque exiſtentia à duratione; & præterea cùm vna nõ ſit cauſa alterius, dicendum eſt, quòd non diſtinguatur ex natura rei.

4 Quod verò ſaltem virtualiter diſtinguatur duratio ab exiſtentia, inde probatur, quia durare, & exiſtere non ſunt ſynonima; exiſtere enim ſolùm ſignificat de formali poſitionem rei extra cauſas: at verò duratio dicit de formali permanentiam rei in eâdem exiſtẽtia, quæ cùm ſint diuerſæ formalitates, dicendum eſt, dari inter eas diſtinctionem virtualem, præterquàmquòd eſſentialiter diſtinguantur: & confirmatur exemplo, nam productio, & conſeruatio eiuſdem cõceptus virtualiter diſtinguuntur: ergo & exiſtentia, & duratio, nam exiſtentia dicit ordinem ad productionem, duratio verò ad conſeruationem.

Reijcitur contraria ſententia. Bañes. Rubius.

5 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quæ docet, durationem diſtingui ab exiſtentia ex natura rei, quam tenent Bañes 1. p. q. 3. ar. 4. dub. 1. ad 3. Rubius in Logica cap. 10. de prædicamento Quando, præcipuè à n. 17. vbi requirit maiorem diſtinctionem, quàm virtualem inter durationem, & ſubſtãtiam, & conſequenter inter durationem, & exiſtentiam. Idem ſequitur Hurt. in Metap. diſp. 17. ſect. 1. n. 5. vbi ſe citat diſp. 2. ſect. 5. item Arriaga in Phyſica diſp. 15. ſect. 1. Hanc etiam opinionem tenent Conimbric. & alij, quos citaui lib. 4. Phyſ. diſp. 33. ſect. 2.

Hurtad. Arriaga. Patres Conimbr.

6 Obijcis, inquam, primò. Præſentia localis, nempe Vbi diſtinguitur ex natura rei, ſiue modaliter à re, cuius eſt præſentia: ergo ſimiliter duratio. Probatur conſequentia, quia ſicut res poteſt variare præſentias, perſeuerante eâdem exiſtentia, ita etiam variare poteſt durationes, & durare per hanc, & deinde per illam horam. Reſpondeo negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia Vbi ſiue præſentia localis terminat actionem realem, nempe motum, ac proinde debet eſſe aliquid diſtinctum à re vbicata, ſiquidem fit per aliquam actionem realem: at verò duratio per ſe nullam terminat actionem, ſed ex eo ſolùm quòd exiſtentia rei reſpondeat tẽpori vnius, vel alterius horæ, cenſetur durare.

7 Obijcis ſecundò. Res aliquando exiſtit, & non durat: ergo cùm duratio ſeparari poſsit ab exiſtentia, diſtinguentur ex natura rei. Probatur antecedens, quia in primo inſtanti dicitur res verè exiſtere, neque tamen dicitur durare, nam duratio ſupponit eſſe rei, in primo verò inſtanti res accipit eſſe, non illud ſupponit. Reſpond. tamen, dato antecedente, cum Soar. in Met. diſp. 50. ſect. 2. n. 7. (quamuis aliqui oppoſitum probabiliter ſentiant cum Pereira in ſua Philoſophia lib. 12. cap. 5.) negando conſequentiam; ſolùm enim concedimus, rem in priori inſtanti poſſe dici exiſtentem, neque tamen propriè durantem: quamuis etiam dici debeat in eo inſtanti durare inchoatiuè, ſicut conſeruatio non diſtinguitur, niſi tantùm virtualiter ab actione, quãdo terminus, & principium eſt idem, & tamẽ in priori inſtanti, quo datur actio, ſolum inchoatiuè concipitur conſeruatio, nam conſeruatio propriè loquendo requirit tempus.

Soarius. Pereira.

8 Obijcis tertiò. Duratio identificatur cum motu: ſed motus diſtinguitur modaliter à re exiſtente: ergo etiam duratio. Reſpondeo ad maiorem, durationem ſolùm identificari cum motu, quando datur motus, & tũc non diſtingui durationem ab exiſtentia eiuſdem motus, niſi tantùm virtualiter, non poteſt enim dari motus ſine aliqua duratione; ſed quemadmodùm motus diſtinguitur modaliter à mobili, ita & duratio ipſius motus diſtinguitur modaliter ab ipſo mobili durãte, quod nihil facit contra concluſionem, ſolúm enim aſſerimus, durationem cuiuſque rei non diſtingui ab ipſa re, niſi tantùm virtualiter. Reliqua argumenta ſoluta ſunt lib. 4. Phyſicorum, diſp. 33. ſect. 2. à n. 10. Quando verò dico durationem ſolùm virtualiter diſtingui à re durante, intelligendum eſt de re actualiter durante, ſicut dixi de exiſtentia comparata cum re exiſtente; nam cùm eſſentia rei dari poſsit ſine actuali exiſtentia, & ſine actuali duratione, euidens eſt, tunc ab vtráque diſtingui realiter negatiuè.

Quomodò diuidatur Duratio?

Diuiditur in ſucceſsiuã, & permanentẽ.

9 TErtia concluſio, Duratio diuiditur in ſucceſsiuam, & permanentem. Ita communis ſententia; de duratione ſucceſsiua minor eſt dubitatio, nam tempus, & motus, vt omnes fatentur, durationem habent ſucceſsiuam: immò, *durare* videtur ſecum importare ſucceſsionẽ, vnde aliqui negant durationem permanentẽ. Ita D. Thom. Capreol. Caiet. Durand. Aleuſ. Ægyd. Ocham. Scot. Gabriel. Albert. Magn. & Henr. quos citat, & ſequitur Soar. in Met. diſp. 50. ſect. 5. à num. 8. Idem tenet Mol.

D. Thom. Capreol. Caiet. Durand. Alenſ. Ægyd. Ocham. Scotus. Gabr. Albert. Henriq. Soarius.

Molina. Vaſques. Faſſolus. Valentia. Ripa. Fonſeca. Bañes. Zumel.

Mol. 1. p. q. 10. ar. 5. diſp. 1. §. *Contraria ſententia*, & Vaſq. tom. 1. in 1 p. ad q. 10. diſp. 33. ca. 3. & diſp. 34. idem tenet Faſſolus 1. p. q. 10. ar. 5, dubit, 2. á num. 2. vbi prætereà citat Valentiam, Ripam. Fonſ. Bañes, Zumel, & alios.

10 Probatur concluſio ratione. Datur exiſtentia creata permanens, qualis eſt Angelica v.g. ergo etiam datur duratio permanēs. Conſequentia bona eſt, quia exiſtentia, & duratio ſunt idem á parte rei. Probatur antecedens, quia exiſtentia Angeli non dependet à ſucceſsione, ſiquidem in quolibet inſtanti habet totum ſuum eſſe integrè, & completè, ita vt non varietur natura Angeli per diuerſam correſpondentiam ad diuerſas temporis partes, ſicut variatur motus per intrinſecam receptionem, & variationem diuerſarum partium; ſed eodem modo quòad intrinſecam naturam durat Angelus in hoc, vel illo tempore ſucceſsiuo: ergo duratio Angeli, quòad intrinſecum, permanens eſt, neque enim illi ex diuerſa correſpondentia ad diuerſum tempus aliqua pars, vel aliqua varietas intrinſeca de nouo aduenit.

11 Confirmatur, & declaratur: quia talis eſt actio, qualis eſt eius terminus (eſt enim actio fieri ipſius termini, vnde actio, qua Deus per longum etiam tempus conſeruat Angelum, eſt vna numero indiuiſibilis carēs partibus, ſicut eſt ipſe Angelus) ergo ſimiliter talis eſt duratio, qualis eſt res, quæ durat; ſed Angelus v.g. eſt res permanens, ideſt independens à ſucceſsione: ergo etiam eius duratio eſt permanens.

Refellitur contraria ſententia. Bonau. Varrò. Capreol. Scotus

12 Obijcis pro contraria ſententia, quā tenent D. Bonauent. in 2. diſt. 2. ar. 1. q. 3. quē poſteà ſequutus eſt Varro apud Capreolum in 2. diſt. 2. ar. 2. quam non improbabilem ſentit Scotus ſuprá, quæ docet nullam dari durationem permanentem. Obijcis, inquam, primò. Duratio permanens debet eſſe indiuiſibilis: ſed nulla duratio creata eſt indiuiſibilis: ergo neque eſt permanēs. Maior probatur, quia duratio permanēs eſt tota ſimul, quæ verò diuiſibilis eſt, non poteſt eſſe tota ſimul, quia habet vnam partem poſt aliam: minor probatur, quia id, quod poteſt habere magis, & minùs; priús, & poſteriùs, non eſt indiuiſibile: ſed vna duratio Angelica poteſt eſſe maior, quàm alia ſi Deus v.g. faciat durare vnum Angelum per tempus magis extēſum, alium verò anihilaret: ergo nulla duratio creata eſt indiuiſibilis.

13 Reſpondeo diſtinguendo minorem: nulla duratio creata eſt indiuiſibilis extrinſecè & per ordinem ad tempus verum, vel imaginarium: concedo minorem. nulla eſt indiuiſibilis intrinſecè: nego minorem: quod explicari poteſt, adducto exemplo, ſi enim à Deo crearetur vnus Angelus priùs alio, non haberet maiorem durationem per receptionem plurium veluti partium intrinſecarum, ſed per ſolam coexiſtentiam ad plures partes temporis extrinſeci, diceretur verò duratio illa prioris Angeli maior duratione ſecundi Angeli. Explicatur etiam exemplo Vbi Angeli, quod eſt in entitate indiuiſibile, & eſt diuiſibile, reſpectu ſpatij.

14 Inſtas, Angelùs in primo inſtanti habet totum eſſe permanens: ergo in primo inſtanti diceretur durare. Conſequens eſt falſum, ſiquidem duratio dicit ordinem ad tempus: ergo & antecedens. Reſpondetur habere quidem Angelum in primo inſtanti totum ſuum eſſe permanens, non adhuc tamen dici propriè durantem, niſi tantùm inchoatiuè, quia duratio dicit neceſſariò ordinem ad tēpus; eatenus igitur dicitur habere durationē permanentem, quia non eget aliqua intrinſeca additione, vt correſpondeat partibus tēporis ſucceſsiui, ſicut indiget motus, qui intrinſecè variatur per receptionem partium nouarum, cùm tamen Angelus idem intrinſecè perſeuerans correſpondeat omni tempori.

Duratio creata nō habet omnes differentias tēporis.

15 Obijcis ſecundò cum eodem Bonau. Duratio permanens, cúm ſit tota ſimul, debet in ſe habere omnes differentias temporis, præſentis, & futuri: ſed duratio creata non poteſt ſimul illas habere: ergo non poteſt eſſe permanens. Reſpond. diſtinguendo maiorem. Duratio permanens, ſi ſit diuina, debet in ſe cōtinere omnes has temporum differentias, concedo maiorem: ſi ſit creata, nego maiorem: & ratio eſt, quia duratio creata, quamuis ſit Angelica, & nobiliſsima, ita eſt, vt poſsit non eſſe, adeò vt, licèt aliquis Angelus creatus eſſet ab æterno, & in æternum eſſet duraturus, non tamen contineret has temporum differentias poſitiuè, ſicut Deus continet, quia non illas neceſſariò poſtularet, & ab intrinſeco, poterat enim Angelus ex natura ſua incipere, & deſinere; ex eo tamen duratio Angelica dicitur permanens, quia in quolibet puncto habet intrinſecè omnes partes, quas tamen nō habet duratio ſucceſsiua, vt patet ex dictis.

16 Rogas, vtrùm duratio permanens reperiatur in ſolis rebus incorruptibilibus, quales ſunt Angeli, anima rationalis, & cæli in veteri opinione, an etiam in rebus corruptibilibus, quales ſunt ſubſtantiæ materiales, & accidentia non ſucceſsiua? Reſpond. affirmatiuè. Ita probabilius ſentiunt Conimbric. 4. Phyſ. cap. 14. q. 3, á §. *Quod attinet*: cum alijs, quos

Patres Conimbr.

Soar. quos ibi citant. Idem etiam tenet Soar. in Met. diſp. 50. ſect. 7. nu. 3. Probatur, multæ enim res corruptibiles habent ſuum eſſe permanens, quarum eſſentia non conſiſtit in aliqua ſucceſsione, vt patet in auro, & lapidibus, & in alijs prætereà rebus, quæ quamuis nutriantur, & augmententur, earum tamen eſſentia non conſiſtit in hoc perpetuo fluxu: differt tamen hæc duratio ab æuo, ſeu à duratione rerum incorruptibilium, quia res incorruptibiles non habent in ſe ipſis principium ſuæ defectibilitatis, ſicut res corruptibiles, & proptereà hæc duratio, non dicitur æuum, ſed modus æui. Videnda ſunt, quæ dixi in 2. p. tract. 1. lib. 4. Phyſ. diſp. 35. ſect. 2. ad finem.

17 Circa durationem ſucceſsiuam recolenda ſunt, quæ dixi 4. Phyſ. diſp. 33. agens de Tempore; illud aduerto durationem ſucceſsiuam, & permanentem formaliter differre, & eſſentialiter, tanquàm duas ſpecies: quia duratio ſucceſsiua eſſentialiter poſtulat habere partes priores, & poſteriores, quas tamen non poſtulat intrinſecè duratio permanens: quæ differentia eſſentialis eſt.

18 Obſtas. Res ſucceſsiua non habet perſeuerantiam in exiſtentia: ergo non habet durationem, ſiquidem duratio eſt permanentia in exiſtentia. Probatur antecedens, quia res ſucceſsiua ſemper eſt in continuo fluxu: ergo nunquàm permanet in exiſtentia. Reſpondetur ad antecedens, res ſucceſsiuas permanere in ſuo eſſe, eo modo, quo poſſunt, nempe per continuum fluxum, & proptereà motus, qui fit per horam, dicitur permanere per horam.

SECTIO II.

De Duratione diuina.

Duratio Dei eſt æternitas. D. Thom. Alenſ. Tarant. Carth. Henricus. Scotus. Richard. Durand. Faſol. Soarus. Granado. Vaſques. Gillius.

1 PRima concluſio. Deus habet veram, & propriam durationem, quæ dicitur æternitas; vel aliter æternitas Dei eſt eius duratio formalis; ita communis, & vera ſententia, quam tenet D. Tho. 1 p. q. 10. art. 1. Alenſ. 1. p. q. 12 memb. 2. Tarantaſia apud Carthuſ. in 1. diſt. 8. q. 3. ad 3. Henric. in ſum. art. 31. q. 1. 2. & 3. Idem ſequuntur Scotus, Richard. & Durand. quos citat, & ſequitur Faſol. 1. p. q. 10. art. 1. dub. 1 n. 3. cui ſententiæ ſubſcribunt Soar. in Met. diſp. 50. ſect. 3. n. 2. & 1 p. lib. 1. de Attributis cap. 4. Gran. 1. p. tom. 1. diſp. 5. ſect. vlt. à n. 19. Vaſq. to. 1. in 1. p. q. 10. art. 1. diſp. 31. n. 9. Idẽ etiã latè probat Gil. 1. p. lib. 2. tract. 10. c. 2. à n. 6. vbi prætereà citat Abulenſ. Baſſol. & Viguer. pro eâdem ſententia videri poteſt Valent. 1. p. diſp. 1. q. 10. puncto 1. §. Poſtremò ex dictis.

Abulenſ. Baſſol. Viguer. Valent.

2 Antequàm probetur concluſio, ſciendum neceſſariò eſt, quid ſit æternitas? Definitur ergo ſic à Boetio, lib. 5. de Conſolatione proſa vlt. in principio. *Eſt interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſsio.* Quæ definitio recipitur ab omnibus Theologis. Dicitur, *poſſeſsio*, quia ſolùm Deus propriè poſsidet ſuam durationem; duratio enim etiam rerum incorruptibilium poſsidetur à Deo, penes quẽ eſt libertas circa rerum omnium durationes. Dicitur, *tota ſimul*, hoc eſt indiuiſibilis, quia nullas habet partes intrinſecas, nec permanentes, nec ſucceſsiuas; in quo differt à Tempore, quamuis in hoc genericè conueniat cũ æuo, vt vidimus ſuperiori ſectione.

Boet. Explicatur definitio æternitatis.

3 Vbi prætereà aduertendum eſt, quòd quamuis diuina æternitas indiuiſibilis ſit, & tota ſimul, non poteſt tamen à nobis concipi niſi per comparationem ad ſucceſsionem tẽporum veram, vel imaginariã, dicimus enim, *Deum fuiſſe ſemper, ſemperq; duraturum*: atque hoc modo concipimus æternitatem, tanquàm ſpatium quoddam, ſeu latitudinem ab æterno fluentem ſine principio, & omnia tempora complectentem, non quidem per partes formales, ſed per quandam virtualem extenſionem.

4 Dicitur, *perfecta*, ad excludendum inſtans temporis, quod eſt quidem indiuiſibile, ac proinde totum ſimul, ſed imperfectũ, quia non poteſt ſecundùm ſe correſpondere partibus alterius durationis, quia inſtans ita modò eſt, vt immediatè poſt non ſit: at verò diuina æternitas ita eſt in hoc inſtanti, vt eadẽ perſeuerans correſpondeat omnibus temporibus: præterea dicitur, *perfecta*, ad excludẽdam omnem durationem creatam etiam rerum ſpiritualium, duratio enim Angelica quamuis æterna foret, ſi à Deo crearetur Angelus ab æterno, adhuc tamen haberet potẽtiam obedientialem, vt à Deo annihilaretur; quapropter illa ſolùm dicitur duratio perfecta, quæ per nullam potentiam poteſt amitti, & ita ſe habet diuina æternitas.

5 Dicitur, *vitæ*, quia id, quod æternum eſt, vt ſit perfectius, nõ ſolùm debet eſſe ens, ſed etiam debet eſſe viuens, alioquin æterna illa duratio eſſet valdè imperfecta. Dicitur tandem, *interminabilis*, quia caret termino, principio ſcilicet, & fine, quod intelligendũ eſt de carentia terminorum abſque vlla aptitudine habendi principium, aut finem: vnde ſi Angelus crearetur ab æterno, & in æternum duraret, non diceretur *interminabilis*, ſiquidem

quidem adhuc ex natura ſua habebat aptitudinem ad habendum principium, & potentiam ſaltem obedientialem ad habendum finem, quæ doctrina cõmunis eſt apud Theologos, vt laté docent Vaſq. tom. 1. in 1. p. ad q. 10. ar. 1. diſp. 32. cap. 1. & Gillius lib. 2. trac. 10. cap. 1.

Vaſquez. Gillius.

Probatur concluſio.

6 His poſitis, probatur concluſio. Quia attributum diuinum, quo Deus correſpõdet omni ſpatio, non eſt formaliter ipſa Deitas, ſed dicitur immenſitas: ergo ſimiliter attributum diuinum, quo Deus correſpondet omni tempori vero, vel imaginario, non erit formaliter ipſa Deitas, ſeu ipſa exiſtentia Dei, ſed erit æternitas Dei. Atqui immenſitas eſt formaliter Vbi diuinum: ergo æternitas erit formaliter duratio diuina: antecedens declaratur, quia in Deo per noſtros inadæquatos conceptus diſtinguimus diuerſas formalitates, neque enim, formaliter loquendo, eſt eadem vis, qua Deus intelligit, qua vult, & qua ſubſiſtit; ſed in ipſa Deitate apprehendimus has virtutes, veluti diſtinctas inter ſe, & ab ipſa eſſentia Dei. Probatur conſequentia, quia ſicut immenſitas eſt quædam veluti magnitudo, & quantitas metaphorica, & virtualis correſpondens omni loco, ita æternitas correſpondet omni tempori: ergo ſicut immenſitas eſt formaliter ipſum Vbi diuinum, ita æternitas formaliter erit ipſa diuina duratio.

7 Confirmatur, quia æternitas eſt vnum ex attributis diuinis, vt eſt communis Theologorum ſententia: ſed non habet aliam rationem formalem, niſi quòd ſit duratio ipſa Dei: ergo æternitas formaliter eſt ipſa duratio. Probatur minor, quia æternitas eſt ipſa permanentia Dei in ſua exiſtentia, ſed permanentia in exiſtentia eſt duratio: ergo in Deo permanẽtia in æterna exiſtentia dicetur duratio æterna.

Proponitur, ac reijcitur contraria ſententia.

9 Obijcis primò pro ſententia cõtraria, quæ docet, æternitatem in Deo non eſſe formaliter durationem, ſed ipſammet Deitatem, prout eſt neceſſariò exiſtens, & attingens omnem imaginabilem durationem, dici æternitatem ſine alia formalitate durationis, docet enim hæc ſentẽtia repugnare in Deo durationem. Ita Aureol. in 1. diſt. 9. q. 2. ar. 2. immò & Bañes 1. p. q. 10. ar. 2. in fine, exiſtimat æternitatem non eſſe formaliter durationem, ſed tantùm identicè.

Aureol. Bañes.

9 Obijcis, inquam, primò ex Aureolo, Omnis duratio neceſſariò vendicat prius, & poſterius; ſed Deo conuenire non poteſt ratio prioris, & poſterioris: ergo neque Deo conuenire poteſt vera ratio durationis. Probatur maior, quia omnis duratio neceſſariò debet eſſe ſucceſsiua. Reſpond. negando maiorem, nam duratio permanens eſt vera duratio, neque tamen poſtulat intrinſecè componi ex partibus prioris, & poſterioris, vt conſtat ex præcedenti ſectione; vnde ſimiliter diuina duratio eſt indiuiſibilis, & poteſt tota ſimul coexiſtere, & nihilominùs ſicut duratio permanens creata reſpondere poteſt partibus temporis ſucceſsiuis, ita diuina duratio habere poteſt prius, & poſterius, non formaliter, ſed virtualiter, & eminenter, vt ſoluit Caiet. 1. p. q. 10. ar. 2. § *Ad hoc breuiter.*

Caiet.

10 Obijcit ſecũdò idem Aureolus. Omnis duratio debet habere in ſe formaliter vnde poſsit dici tanta, vel tanta, ſed cõſtat, quòd non detur quantitas, vel tantitas, niſi vbi eſt multitudo partium ſibi ſuccedẽtium per ante, vel poſt: ergo cùm in Deo non reperiãtur hæ partes, non dabitur in eo vera duratio. Reſpond. tamen ad veram durationem ſufficere quantitatem, vel tantitatem virtualem, quæ verè datur in diuina duratione, neque requiri formalem correſpondẽtiam ad prius, & poſterius, vt patet ex dictis.

11 Obijcit tertiò idem Auctor. Immenſitas, quæ eſt virtus, per quam Deus correſpõdet omni ſpatio, non ponit in Deo aliquã formalem, & propriam magnitudinem, ſiue extenſionem: ergo pari ratione duratio Dei, ideſt æternitas, quæ eſt vis correſpondendi omni durationi creatæ non debet ponere in Deo aliquam propriam, & formalem durationem. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia nomina quantitatis, magnitudinis, & extenſionis ſignificant formaliter aliquam imperfectionem partium, & ideò hæc nomina ſolùm metaphoricè dicuntur de Deo, vt Theologi explicant 1. p. q. 8. ar. 4. at verò duratio in ſua propria, ac formali ſignificatione, cùm nullas poſtulet partes intrinſecas, nullam inuoluit imperfectionem, & ideò duratio propriè, ac formaliter, abſque vlla metaphora, poni poteſt in Deo.

Vtrùm duratio addat Deo aliquid poſitiuum, aut negatiuum?

12 Secunda concluſio. Diuina duratio nihil poſitiuum addit exiſtentiæ Dei, ſed aliquid formaliter negatiuum. Hæc concluſio ſupponit durationẽ addere aliquid, quod apud omnes in cõfeſſo eſt,

Duratiõ diuina addit aliquid negatiuũ.

Digitized by Google

eſt nam ſicut intellectus diuinus formaliter, & ſecundùm noſtrum concipiendi modum, aliquid addit diuinæ eſſentiæ, ita diuina duratio cùm ſit attributum reale, ideſt non dependẽs à ratione, debet aliquid addere: quod verò hoc additum ſit formaliter aliquid negatiuum, communior eſt, & probabilior ſententia, quam tenent D. Thom. in 1. diſt. 8. q. 2. ar. 1. ad 1. Alenſ. 1. p. q. 12. memb. 2. Albert. Magnus in 1. diſt. 9. art. 2. Ioann. Dunus in quodlib. q. 6. §. *Contra illud*: Durandus in 1. diſt. 19. q. 2. nu. 5. Idem prætereà ſentiunt Ægyd. Ioannes de Neapoli, Capreol. Baſſol. Ocham. Gabr. Caiet. Marſil. Ferrar. Syluest. Hiſpalenſ. quos citat, & ſequitur Faſſol. 1. p. q. 10. ar. 1. dub. 2. n. 13. & n. 14. & probat concluſionem auctoritate Patrum, quam prætereà latè confirmat dub. 7. per totam, idem etiam ſentit Soar. in Met. diſp. 50. ſect. 4. à n. 13. nec diſſentit Valentia 1. p. diſp. 1. q. 10. pũcto 1. §. *Quoad ſecundum.*

D. Thom. Aleſ. Albert. Magn. Scotus. Durand. Ægyd. Ioann. de Neapoli. Capreol. Baſolus. Ocham. Gabr. Caiet. Marſil. Ferrar. Syluest. Hiſpalenſ. Faſolus. Soarius. Valentia

13 Probatur concluſio ratione. Quia æternitas propriè ſignificat carentiam terminorum, eſt enim æternitas, quaſi extra terminos, vt communiter explicant Theologi: ergo æternitas formaliter ſignificat negationẽ terminorũ, ideſt negationem principij, & finis: immò propterea appellatur interminabilis: & confirmatur primò, quia qui concipit diuinam exiſtentiam cum omnimoda interminabilitate, ideſt cum negatione principij, & finis in duratione, ſufficienter concipit æternitatem diſtinctam eſſentialiter ab omni alia duratione creata; nam tempus habuit principium, & habebit finem; æuum habuit principium, & ſaltem obedientialiter poteſt habere finem: ergo hæc negatio eſt formaliter, & vltimò conſtitutiua æternitatis, & ſimiliter eſt ratio diſtinctiua à quouis alio attributo diuino.

14 Confirmatur ſecundò, Quia ſimplicitas Dei eſt attributum reale, & tamen per negationem formaliter explicatur, & ſimiliter, *eſſe à ſe*, quamuis ſit attributum Dei reale, explicatur tamen formaliter per negationem independentiæ, vbi diligenter aduerte, has negationes reales eſſe, eo modo, quo poteſt negatio dici realis, nam v.g. æternitas negat formaliter realem ſucceſſionem intrinſecam, vel negat principium, & finem, quæ negatio realiter in Deo reperitur.

Proponũtur, ac reijciũtur contrariæ ſententiæ.

15 OBijcis tamen pro prima, & contraria ſententia, quæ aſſerit, æternitatem non conſiſtere formaliter in aliquo negatiuo, ſed in aliquo poſitiuo, quam tenent Maironius in 1. diſt. 9. q. 1. ar. 1. Albertus in 1. diſt. 8. ar. 8. ad 1. Henriq. in ſum. ar. 31. q. 1. & q. 4. ad 1. Hurt. etiam in Metaph. diſp. 17. ſect. 4. à n. 17. contendit æternitatem diuinam non conſiſtere formaliter in aliqua negatione. Granado item 1. p. tom. 1. diſp. 5. ſect. 4. n. 12. aſſerit, æternitatem ſolúm minùs propriè eſſe quandam negationem.

Maironi. Albertus. Henriq. Hurtad. Granad.

16 Obijcis, inquam, primò. Immenſitas dicit formaliter perfectiorem quandam poſitiuam: ergo & æternitas. Conſequentia bona videtur, quia ſicut Deus per immenſitatẽ extenditur omni loco, ita per æternitatem omni tempori, ſiue vero, ſiue imaginario. Probatur ergo antecedens, quia immenſitas dicit realem extenſionem ad omnem locum, quæ extenſio verè, & realiter datur actualiter, ac poſitiuè. Ad hoc argumentum negari poteſt antecedens, immenſitas enim formaliter etiam explicatur per negationem, negat enim terminum præſentialitatis, vt tenet Soar. in ſum. lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 2. num. 1. ad medium. Aliter ſoluit argumentum Faſſol. 1. p. q. 10. art. 1. dubit. 2. n. 11.

17 Obijcis ſecundò. Æternitas formaliter eſt duratio: ſed duratio nõ dicit formaliter aliquid negatiuũ: ergo formaliter dicit aliquid poſitiuum. Probatur minor, quia duratio formaliter ſignificat permanentiam in exiſtentia quæ eſt aliquid poſitiuum: & prætereà duratio Angelica eſt vera duratio, neque tamen dicit negationem terminorum. Reſpond. ad minorem, concedendo, durationem creatam nõ dicere formaliter aliquid negatiuum, ſed permanentiam in exiſtentia cum diuerſa connotatione, pro diuerſitate durationis: negando tamen, durationem diuinam non dicere formaliter hanc negationem terminorum, neque enim aliter explicari poteſt diuina duratio, vt patet ex dictis.

18 Obijcis tertiò pro alia ſecunda, & contraria ſententia, quæ docet rationem formalem æternitatis conſiſtere in ratione poſitiuæ menſuræ: quam tenent Ferrar. 1. contra gentes cap. 15. §. *Proportionaliter.* Hiſpalenſ. in 1. diſt. 9. q. vnica, art. 3. Bañes 1. p. q. 10. ar. 1. dubit. 2. concl. 1. & 2. Zumel ibid. q. ſua 2. concl. 1. & 2. Trigoſius 1. p. q. 4. art. 2. dub. 3. concl. 3. Granado item 1. p. tom. 1. diſp. 5. ſect. 4. n. 13. contendit, æternitatem formaliter conſiſtere in menſura actiua, & fundamentali diuini eſſe, idem ſentit Ioannes Gonſalues tom. 1. in 1. p. q. 10. ar. 1. & 2. diſp. 22. ſect. 4. concl. 3.

Ferrar. Hiſpal. Bañes. Zumel. Trigoſ. Granado. Ioannes Gonſal.

19 Obijcis, inquam, tertiò. Æternitas

habet.

Digitized by Google

habet rationem quandam virtualis quantitatis, & extenſionis; & prætereà habet virtualem multiplicationem partium, quibus poteſt eſſe menſura prima maximè vniformis, & inuariabilis omnium durationum: ergo æternitas diuina eſt menſura omnium durationum: ergo in hac potiùs menſura collocanda eſt ratio formalis æternitatis. Huic argumento concedenda imprimis eſt illa virtualis extenſio, & multiplicitas partium virtualium in diuina duratione.

Faſſolus.

20 Concedendum prætereà eſt diuinam durationem eſſe menſuram realem, & fundamentalem omnium durationum creatarum, vt eſt communis ſententia Theologorum, quos videre licet apud Faſſolum q. 10. ar. 1. dubit. 5 num. 35. & ratio eſt, quia, ſicut diuina entitas eſt menſura, & velut exemplar omnium entium, ita ſimiliter diuina duratio debet eſſe menſura cæterarum durationum, nam ſicut diuina eſſentia reſpicit eſſentias participatas, ita duratio diuina reſpicit durationes participatas.

Æternitas nō cōſiſtit in menſura durationum. *Vaſq.* *Gillius.*

21 Nihilominùs tamen contra Theologos, qui collocant rationem formalem æternitatis in hac menſura, bene argumentatur Vaſq. 1. p. tom. 1. ad q. 10. diſp. 31. cap. 6. & Gil. lib. 1. tract. 10. cap. 9. & ratio facilis eſt, quia quamuis nullæ darentur durationes creatæ, quæ per diuinam menſurarentur, adhuc Deus haberet æternitatem: prætereà cōcedo æternitati conuenire eſſe menſuram diuinæ exiſtētiæ, vt latè oſtēdit Faſſolus q. 10. dubit. 6. vbi n. 45. citat pro hac ſententia viginti Theologos; quamuis oppoſitum acriter tueatur Soar. in Metaph. diſp. 50. ſect. 4. à n. 3.

Faſſolus. *Soarius.*

22 Ex dictis tamen facilè probatur, diuinā durationem poſſe dici, menſuram exiſtentiæ Dei, qua Deus dicitur durare, dicitur perſeuerare in ſuo eſſe, per annos, & ſæcula; ſed menſura huius permanentiæ, ſeu huius vniformis exiſtentiæ non eſt aliqua externa mēſura; quia licèt non daretur tempus externum reale, adhuc Deus diceretur perſeuerare in ſua exiſtentia per tempus imaginarium: ergo diuina duratio eſt menſura huius exiſtentiæ diuinæ; nihilominùs tamen dicimus rationem æternitatis non conſiſtere formaliter in hac menſura diuinæ exiſtētiæ, vt, præter alios, probat Valentia 1. p. diſp. 1. q. 10. pūcto 1. à §. *Secundò poteſt*, folio 157. Quod ſic breuiter oſtendo: priùs enim eſt, rem eſſe in ſe durantem, quàm menſurari per aliquam menſuram: ergo priùs intelligitur in Deo æternitas per negationem terminorum, quàm intelligatur relatio menſuræ, eſt igitur hæc relatio quædam proprietas conſequens rationem formalem æternitatis. *Valentia.*

23 Ex dictis colligitur prætereà, rationem formalem æternitatis non conſiſtere in ſola vniformitate vitæ diuinæ, vt ſentiunt Caiet. 1. p. q. 10. ar. 1. & alij, nam etiam æuum ſuā habet vniformitatem, neque tamen eſt æternum. Ex dictis etiam facilè refutatur opinio P. Vaſq. tom. 1. in 1. p. ad q. 10. diſp. 31. ſect. 6. n. 23. à §. *Tertia pars*, vbi exiſtimat, formalem rationem durationis non conſiſtere in negatione principij, & finis, ſed in negatione mēſuræ, quia videlicet ita eſt diuina duratio interminabilis, vt non poſsit paſsiuè menſurari per aliquam menſuram. Sed contra eſt, quia conceptâ vitâ diuinâ cum ſola negatione omnis termini, quamuis nulla negatio menſuræ intelligatur, nihilominùs concipi poteſt perfectè, & formaliter æterna. Ac tādem, quia, vt conſtat ex dictis, potiùs explicatur per negationem terminorum. *Caiet.* *Vaſquez.*

24 Hactenus circa æternitatem. Prædicamentum habitus nudum relinquo; cuius indumenta in Logica diſp. 8. noſtra ſect. 2. curioſulus inueſtiget.

25 Hic iam prædicamentorum, huiuſque primi tractatus Metaphyſici eſto finis. Nos à 5. Met. libro, & à Prædicamentis ad libros poſt prædicamentales progrediamur, vbi res non minùs illuſtres, & graues ſunt pertractandæ. Hæc, quæ à nobis ſunt diſputata, boni conſule, amicè lector, quæ, prout potui, & prout intellexi, ad veritatis metam direxi. Quòd ſi ſcopum aliquando ſubterfugi, quid mirum? mortales ſumus qui de Sapientia diſputamus, præclarè enim Nazianz. orat. 17. *Deus*, inquit, *latere nos multa voluit, vt arrogantiam noſtram comprimeret, vt intelligamus nos nihil eſſe, ſi cum vera illa, & prima ſapientia conferamur, ideòque ad ipſum ſolùm tendamus, quæramusq́; ſemper aſfluentibus inde radijs fulgurari, &c.*

Finis prædicamentorum omnium.

TRA-

TRACTATVS SECVNDVS.

IN POSTERIORES LIBROS METAPHYSICORVM.

Circa librum ſextum Adnotatio breuis.

1 QVIA Philoſophus in hoc libro ſexto agit de diuiſione ſcientiarũ ſpeculatiuarum, propterea anſam capiunt Recentiores Metaphyſici agẽdi de ſpeculatione, & praxi, ſed, quia res non ita magni eſt momenti, ideò pauciſsimis ſunt hæc abſoluenda, qui verò diffuſiorem hac de re optauerit commentarium, adire poterit Auctores ſequẽtes, imprimis Gillium tom. 1. in 1. p. lib. 1. tract. 5. per totũ, vbi hac de re latiſsimè, & doctiſſimè: de eâdem materia tractant Theologi, 1. p. q. 1. art. 4. vbi Mol. diſp. 1. Vaſq. diſp. 8. Valentia diſp. 1. q. 1. puncto 3. §. 4. Faſol. q. 1. art. 4. dubit. 1. & alij communiter de eâdem re diſputant Fonſ. 6. Metaph. cap. 1. q. 5. Soar. in Met. diſp. 44 ſect. 13. à n. 19. Iul. Cæſ. Recupit. tom. 1. in 1. p. lib 6 q. 28. &c. ex quibus omnibus hæc ſunt breuiſsimè decerpẽda, & aduertenda.

Gillius. Molina. Vaſques. Valentia. Faſolus. Fonſeca. Soarius. Iul. Cæſar. Recupit.

2 Primum eſt, quid ſit praxis? praxis igitur, vt hoc loco ſumitur, *eſt actus cuiuſq; potentiæ proximè, & formaliter directus, ſiue aptus regulari ab intellectu, per ſe, & non per accidens*: vnde notitia practica eſt illa, quæ dirigit hunc actum, ſpeculatiua verò notitia eſt illa, quæ nullum actum, aut opus dirigit: exemplum ſit, hæc notitia, *Deus eſt ſummum bonum*, eſt ſpeculatiua, quia ſiſtit in cõtemplatione Dei: hæc verò notitia, *ſummum bonum eſt diligendum*, eſt notitia practica, quia vlteriùs dirigit amorem Dei.

3 Præterea omnis habitus practicus habet duos actus, primus dicitur elicitus, ſecũdus dicitur imperatus: exemplum ſit in habitu Logicæ, qui me inclinat ad faciendum ſyllogiſmum, cuius actus elicitus docet, hoc modo faciendum eſſe ſyllogiſmum, & hic actus immediatè procedit ab habitu practico: at verò actus imperatus eſt ille, per quem conſtruitur ipſe ſyllogiſmus, imperatur enim quodammodò à priori actu.

4 Quarè cùm notitia practica ſit illa, quæ dirigit actum, vel opus, ſequitur primò omnes actus noſtræ voluntatis eſſe praxes, ſiue ſint liberi, ſiue neceſſarij ſint, vnde amor Dei in patria eſt praxis: ſequitur ſecundò actus ipſius intellectus, qui ab alio actu regulantur, eſſe ſimiliter praxes, quamuis enim omnis actus intellectus noſtri ſit cognitio veri, nihilominùs, ſi ab alio actu dirigatur, iã erit cognitio practica, ſpeculatio enim ita eſt veri cognitio, vt non procedat ab alio actu directiuè.

5 Sequitur tertiò, Operationes aliarum potentiarum, quæ regulantur ab intellectu, & à voluntate imperantur, qualis eſt v. g. viſio oculi, eſſe veras praxes: actus verò potẽtiæ nutritiuæ, & ſimiles non eſſe propriè praxes, quia non per ſe, ſed per accidens regulãtur ab intellectu, & voluntate; nam ſi quis ſumat talem, vel talem cibum, ſolùm per accidens ſequeretur talis operatio nutritiuæ. Sequitur quartò in Deo, circa operationes ad extrà, dari veras praxes, operatur enim Deus per veras actiones, ſeu dependentias creaturarum, ſupponendo notitiam practicam intellectus: operationes verò ad intrà non dicentur praxes, cùm non ſint propriè actiones, & dependentiæ.

6 Aduertendum ſecundò notitiã practicam debere verſari circa obiectum operabile, & modo operabili, ſiue alioquin obiectum ſit operabile ab eo, in quo eſt notitia, ſiue non: exemplum ſit: notitia, quam aliquis haberet de modo, quo cæli moueri poſſunt, eſſet quidem ſpeculatiua, de re operabili, vt loquitur D. Thom. 1. p. q. 14. art. 16. at verò notitia, quam aliquis præſcriberet alteri de modo, quo poſsint cæli moueri, cùm non ſiſtat in ſola ſpeculatione, ſed procedat modo operabili, erit notitia practica, licèt per accidens homo, qui præſcribit hunc modũ mouendi cælos, illos non poſſet mouere: ſimi- *D. Thom.*

liter

liter notitia, quam haberet Angelus de modo, quo poſſit confici ſyllogiſmus in re euidenti, eſſet ſpeculatiua de re operabili; ſi verò Angelus tradat has regulas alicui homini, ſub finem docendi hominem cõponere ſyllogiſmum, foret hæc notitia practica, quia non ſolùm eſſet de obiecto operabili, ſed etiã procederet modo operabili, & directiuo, quãuis per accidens ab eodẽ Angelo non poſſit cõfici talis ſyllogiſmus, ſed ab homine.

7 Obijcies: iuxta ſupradicta, ars ſaltãdi in claudo eſt notitia practica, quamuis claudus ſaltare non poſſit: ergo etiam ſcientia faciẽdi ſyllogiſmum in Angelo erit practica, quãuis Angelus illum non poſſit efficere. Probatur conſequentia, quia vtraque notitia eſt de re ſecundùm ſe operabili. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia claudus ſolùm per accidens non poteſt exercere opus practicum ſaltandi: at verò Angelus nõ per accidens, ſed per ſe impeditur circa fabricam ſyllogiſmi, qui conſtaret materia naturali, & euidenti.

8 Inſtas. Illa notitia de ſyllogiſmo in Angelo eſt de re operabili, & alioquin dicimus per accidens eſſe, quòd opus non poſſet fieri ab eodem, qui habet notitiam: ergo talis notitia in Angelo practica erit. Reſpond. negando conſequentiam, nam vlteriùs requiritur, quòd notitia practica tradatur modo operabili, & ſit directiua alicuius operationis; alioquin notitia, quam habet Philoſophus de modo, quo fiunt pluuiæ, eſſet practica, cùm verſetur circa obiectum operabile, & nihilominùs talis notitia ſpeculatiua eſt, non enim ſufficit quòd obiectum ſit materialiter operabile, ſed vlteriùs requiritur, quòd obiectum ſit formaliter operabile, hoc eſt quòd dirigat aliquod opus; ſcientiæ enim diſtinguuntur penes obiectum formale.

9 Aduertendum tertiò, ad notitiam practicam requiri, quòd ſit iudicatiua, vel formaliter, vel eminenter, alioquin non dabitur perfecta praxis. Aduertendum quartò, ſcientiam practicam vel ſpeculatiuam ab obiecto præcipuè ſpecificari, quamuis poſſit etiam ſcientia dici practica, ratione finis: benè tamen poterit dari aliqua ſcientia practica, quæ talis ſit ex ſolo obiecto operabili, quãuis non habeat opus externum, tãquàm præcipuum finem, cognitio enim diuina circa res ad extra practica eſt, neque tamen dirigitur per ſe primò ad opus externum, tãquàm ad finem.

10 Aduertendum quintò, & vltimò, practicum, & ſpeculatiuum eſſe differentias eſſentialiter oppoſitas, & ratio eſt, quia habent obiectum formale eſſentialiter diuerſum: nam practica notitia tendit in obiectum operabile, prout operabile eſt: obiecti verò actus, ſiue habitus ſpeculatiui, eſt ſolùm ſpeculabile; quæ reſolutio præcipuè procedit in cognitionibus naturalibus, ſupernaturales enim poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei, quamuis materialiter videantur practicæ, vel ſpeculatiuæ, quia non ſpecificantur propriè ab obiecto, ſed omnes reſpiciunt diuinam auctoritatem, ſicut dixi de propoſitionibus ſupernaturalibus fidei. Vtrùm verò poſſit dari aliqua notitia, quæ inadæquatè ſit practica, & ſpeculatiua? dubium eſt, quod reſolui debet iuxta ea, quæ dicam in 4.p, trac. 2. diſp. 84. ſec. 1. à nu. 20. quærendo, vtrùm eadem notitia ſimul eſſe poſſit intuitiua, & abſtractiua.

Circa librum ſeptimum breuis adnotatio.

11 POſtquàm Ariſtoteles libris ſuperioribus tractauit de ente reali, in præſenti libro ſeptimo, quem ſeptẽdecim capitibus abſoluit, diſputat de præcipuo entis ſignificato, nempe de ſubſtãtia, & ſimiliter aliquas dirimit quæſtiones circa accidens, ſed, quia de his egi in prædicamentis, propterea breuiſsimè tantummodò ſunt aliqua, tãquàm in ſpicilegio, decerpẽda.

12 Notandum igitur eſt primò inhærentiam actualem eſſe de eſſentia omnium accidentium, quæ tantùm modaliter diſtinguuntur: at verò accidentia, quæ realiter diſtinguũtur, ſolam aptitudinalem inhærentiam poſtulare, in qua conſiſtit eſſentia talium accidentium: immò nihil aliud eſt accidens phyſicum, & reale, quàm illa capacitas ad inhærendum, ſicut materia prima nihil eſt aliud, quàm capacitas ad recipiendas formas ſubſtantiales: eſt igitur accidens reſpectus quidam tranſcendentalis, & poſitiuus ad ſubſtantiam, ſicut potentiæ ſunt quidam tranſcendentales reſpectus ad actus, & obiecta.

Inhærẽtia aptitudinalis eſt de eſſentia accidentis realis.

13 Notandum ſecundò, inhærentiam actualem in accidentibus phyſicis, & realibus, eſſe modum phyſicum, realem, diſtinctum ex natura rei ab ipſo accidente, vt ſatis conſtat ex dictis: & præterea aduertendum eſt eandem inhærentiam actualem, diſtingui ex natura rei ab actione, per quam accidens educitur ex ſubiecto. Probatur à priori, nam eſſe vnitum, & eſſe effectum, ſunt diuerſæ formalitates: ergo prouenire debent à diuerſis cauſis formalibus: atque

Digitized by Google

atque adeò eſſe accidens vnitum ſubiecto proueniet ab vnione, ſiue inhærentia; eſſe verò factum, proueniet ab actione, qua educitur.

14 Et declaratur exemplo, quia ſicut anima rationalis, præter actionem, qua creatur, indiget ſua peculiari ſubſiſtentia, qua ſubſiſtat: ita accidens, præter actionem, qua educitur ſecundum quam pendet in fieri, indiget alio modo, quo in facto eſſe concipiatur vnitum; neque obſtat quòd actio eductiua reſpiciat eſſentialiter terminum, quà actio eſt, & prætereà reſpiciat ſubiectum, quà paſſio eſt, non ideò enim eſt formaliter vnio; nam etiam Vbi eſſentialiter dependet ſimul à ſubiecto, & ſpatio & tamen nõ ex eo quòd reſpiciat hæc duo, eſt formalis vnio. Videnda ſunt quæ dixi 2. p. tract. 1. lib. 2. diſp. 25. ſect. 1

Inhærentia accidentis realis neceſſariò eſt modus.

15 Ex dictis colligitur primò, nec diuinitus condi poſſe accidens reale, cuius inhærentia actualis ab eo modaliter non diſtinguatur, quia eſſet, & non eſſet realitas; eſſet quidem, quia ita ſupponitur; non eſſet verò quia non poſſet ſeparari à ſubiecto. Obſtas: actio diſtinguitur realiter ab agente, & tamen dari non poteſt ſine agente: ergo nullum eſt inconueniens, quòd detur accidens realiter diſtinctum à ſubiecto, licèt non poſſit ſeparari à ſubiecto. Reſpondeo negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia actio non eſt propriè realitas, ſed tantùm eſt modus ſui termini, cum quo identificatur, & proptereà realiter diſtinguitur ab agente, ſine quo tamen ideò dari non poteſt, quia actio eſt immediata dependentia ab efficiente, quapropter accidenti reali repugnat à ſubiecto per ſe ipſum dependere, non ex eo præciſè, quòd ſit realiter diſtinctum (nam actio etiam realiter diſtinguitur, ab agente) ſed ex eo etiam quòd ſit realitas, & non modus.

16 Colligitur ſecundò, quòd, quamuis admitteretur natura cum ſubſiſtentia virtualiter diſtincta, non proptereà admittendum erit accidens reale cum actuali inhærentia, ab eo virtualiter diſtincta; & ratio diuerſitatis eſt, quia illa ſubſtantia non amitteret ſuam eſſentiam, adhuc enim foret ens per ſe exiſtens, & ſubſiſtens, licèt aliunde non poſſet aſſumi: at verò illud accidens reale cum inhærentia actuali virtualiter diſtincta amitteret eſſentiam realitatis, cùm enim per ſe, & immediatè dependeret, non haberet eſſentiam realitatis, quæ poſtulat pendere à ſubſtantia, mediante modo inhærentiæ actualis.

17 Notandum tertiò, actualem inhærentiam (& eadem eſt ratio de quibuis vnionibus) ſumere ſimul ſpecificationem ab vtroque extremo, ita vt, variato alterutro ſecundùm ſpeciem, varietur etiam inhærentia, ſiue vnio etiam ſecundùm ſpeciem. Probatur, quia ex diuerſitate effectuum formalium benè colligitur diuerſitas eſſentialis alicuius formæ; ſed variato, ſecundùm ſpeciem, vno tantùm extremo, variatur formalis effectus vnionis: ergo etiam variatur vnio. Maior eſt certa, minor oſtenditur in hoc exemplo, nam ſi eadẽ humanitas Chriſti Domini, modò vniretur ad ſubſiſtentiam Patris, vel alicuius Angeli, haberet diuerſam vnionem, ex eo quòd daretur diuerſus effectus formalis vniendi, vt communiter dicunt Theologi (vt videre eſt apud Suar. tom. 1. in 3. p. ad q. 3. art. 8. diſp. 13. ſec. 2. à §. *Ex hoc ergo*) & tamen humanitas ſemper eſſet eadem numero: ergo &c. Suarius.

18 Neque obſtat, quòd vnio identificetur cum vno tantùm extremo, & ad aliud ſolùm extrinſecè terminetur; non, inquam, hoc obſtat, quia primarius effectus vniendi æqualiter præſtatur in vtroque extremo. Neque prætereà obſtat, quòd actio ſumat ſpeciem á ſolo termino, non verò à principio ſimul, & termino, nam actio recedit à principio, quod deſerit, & producit terminum, cũ quo identificatur; vnio verò, quamuis cum vno tantùm extremo identificetur, quatenus verò vnio eſt, vtrumque reſpicit eſſentialiter, & æqualiter.

19 Obſtas nihilominùs: ſi forma equi crearetur à Deo, adhuc poſſet cum materia efficere vnum per ſe; & tamen in hoc caſu, inter eadem extrema numero, eſſent vniones ſpecie diuerſæ: ergo vnio non ſumit ſpecificam diſtinctionem ab extremis. Probatur minor, quia in eo caſu forma equi copularetur materiæ, per vnionem, quæ non eſſet dependentia, nunc verò per vnionem, quæ eſt dependentia: ergo &c. Reſpondetur, dato illo caſu, & concedendo vniones eſſe diuerſas ſpecie, negando tamen, extrema eſſe omnino eadem, in caſu enim, in quo anima equi crearetur, deberet de nouo habere modum quendam, non quidem ſubſiſtentiæ, ſed exiſtentiæ per ſe, qui ſuppleret dependentiam, quam naturaliter habet anima equi à materia, tanquàm à ſubiecto ſuſtentationis, iuxta ea, quæ dicta ſunt in hac tertia parte tract. 2. diſput. 37. ſect. 3. Cùm igitur forma materialis, cum modo exiſtendi per ſe, differat, Metaphyſicè loquendo, & formaliter; ab eàdem anima, ſine tali modo, & cum modo dependentiæ: ita dicendũ ſimiliter eſt, vniones, quæ ad tales formas termi-

Digitized by Google

terminantur, eſſe ſpecie diuerſas. Hæc pro ſexto, & ſeptimo libro, nunc ad librum octauum, vbi agendum eſt de formarum intenſione, neruos omnes intendamus.

LIBER VIII.

DISPVTATIO LXVI.

De intenſione, & remiſſione formarum.

IN Libro octauo multa Philoſophus diſputat de Subſtantia, & accidente; quæ diſcuſſa fuere in trac. Phyſic. quapropter agendum eſt hoc loco de intenſione, & remiſſione formarum accidentalium, occaſione ſumpta ab eo quod Ariſtoteles ait in hoc libro cap. 3. vbi formas accidentales comparat numeris, nam ſicuti numeri ex pluribus vnitatibus coaleſcũt, ita etiã qualitates ex gradibus cõponuntur. Qua in re ſupponenda eſt experientia, quæ eſt omniũ ſcientiarũ mater; videmus enim, ſubiectũ aliquando fieri magis, aut minus calidũ. Vt igitur quæſtio intelligatur, ſciẽdũ intẽſionẽ fieri per augmentũ eiuſdẽ formæ in eadem parte ſubiecti, vt ſi eadẽ manus fiat magis calida: vnde remiſsio tunc datur, quando idẽ calor in eadẽ manu paulatim deficit: ex quibus patet quomodò intẽſio ab extenſione differat: extenſio enim fit per additionẽ formæ in diuerſis partibus ſubiecti, vt quando calor à manu extenditur ad brachium; intenſio, verò fit in eadem forma, & in eadem parte illius.

SECTIO I.

Quo pacto fiat intẽſio, & remiſsio formæ accidentalis?

Intẽſio fit per additionẽ gradus ad gradum.

1 SIt vnica concluſio. Intenſio formarum accidentalium fit per maiorem additionem partium: vel aliter, qualitas intenſibilis diuiſibilis eſt, & intenditur per additionem gradus ad gradum: ita communis, & valde celebris ſententia, quam tenent Scotus in 1. diſt. 17. q. 3. Ocham. & Gabriel Biel ibid. q. 6. idem ſequuntur Antonius Andreas, Marſilius, Auguſtinus, Niphus, Toletus, & alij, quos citat. in Met. citat diſp. 46. ſec. 1. n. 29. & ipſe quòad hanc partem ſequitur à n. 33. eidem ſententiæ adhæret Vaſquez 2 tom. 1. ad q. 81. diſp. 82. cap. 3. & 4. qui præterea citat Albert. D. Bonau. & alios: pro eâdem ſtat Petrus Hurt. de Generatione diſp. 5. qui aſſerit nu. 28. in hanc ſententiam conſpiraſſe hac tempeſtate vniuerſos Philoſophos, ac Theologos, paucis exceptis Thomiſtis. Latè etiam probat hanc ſententiam Rub. 1. de Gener. cap. 4. trac. 3. q. 5. à n. 145. (qui contendit, hanc eſſe Diui Thomæ opinionem) ſubſcribit Fonſ. 8. Met. cap. 3. q. 2. ſec. 2. idem præſtat Arriaga de Gener. diſp. 3. ſec. 1. ſubſec. 3. Eandem ſupponũt Ioannes Azorius p. 1. Inſtitutionum moraliũ lib. 3. cap. 22. Iacobus Granadus 1. 2. cõtrou. 4. diſp. 9. n. 9. folio 326. fauent maximè Patres Conimbr. 1. de Generat. cap. 4. q. 2. art. 2. quatenus docent, alterationis motum eſſe continuum: ex quibus conſtat, quàm incaſſũ moneat Caiet. 1. 2. q. 52. art. 2. cohibendã eſſe linguam ab hoc modo loquendi, neque vllo modo dicendum eſſe, hanc additionem fieri per gradum ad gradum.

Scotus. Ocham. Gabr. Ant. And. Marſil. Niphus. Toletus. Vaſquez. Albert. Bonau. Hurtad. Rubius. Fonſecà. Arriagà. Azor. Granadus. Patres Conimbr.

2 Probatur concluſio ratione: quia ſubiectum fit calidum per calorem: ergo fit magis calidum per plures partes eiuſdem caloris: antecedens certiſsimum eſt: probatur cõſequentia, quia ſicut implicat fieri ſubiectũ calidum ſine calore, ita ſimiliter implicabit, fieri magis calidum, ſine pluribus partibus caloris; quod ſic probatur: quia forma intenſa communicat ſubiecto maiorem effectum formalem, quàm forma remiſſa: ergo neceſſariò debet eſſe calor maior in ſe ipſo, quia ſicut non poteſt ſubiectum fieri calidum ſine calore, ita non poteſt fieri magis calidum ſine maiori calore: ſed hæc maior latitudo non eſt ſecundùm extenſionem, neque eſt ſecundùm maiorem radicationẽ, vt mox videbimus: ergo neceſſariò eſt ſecundùm

Digitized by Google

dùm maiorem additionem partium, vel graduum.

3 Confirmatur ex qualitatibus ſupernaturalibus, quæ paulatim augentur, vt patet in gratia ſanctificante, quam peccator in prima iuſtificatione non accepit ſtatim totam, ſecundùm totam ſuam latitudinem, ſed poſteà per bona opera paulatim promeretur plures, & plures gradus eiuſdem gratiæ; alioquin ſequerentur duo abſurda: primum eſt, quòd omnes iuſti haberent æqualem gratiam, & conſequenter æquale præmium. Secũdum abſurdum eſt, quòd iuſtus nihil promereretur per actus meritorios, quos in toto decurſu vitæ exercet; quod vtrumque abſurdum à Catholica fide immanè quantùm abhorreat: hæc vera ſententia magis ex ſolutione argumentorum patebit.

Proponuntur, ac refellũtur contrariæ ſententiæ.

4 OBijcis tamen primò pro prima, & contraria ſententia, quæ aſſerit in intẽſione qualitatis perire formam imperfectam, & remiſſam, aliamque de nouo perfectiorem, & indiuiſibilem etiam, ſicut priorem, produci: ita exiſtimauit Durãdus in 1. diſt. 17. q. 7. n. 25. & alij pauci, quos citat Soar. in Met. diſp. 46. ſect. 1. n. 2. Obijcis, inquam, primò. Quando calor intenditur, datur in ſubiecto perfectior effectus formalis: ergo ſimiliter dabitur perfectior forma; cùm igitur hæc forma ſit indiuiſibilis quòad partes, neceſſe eſt confugere ad productionẽ nouæ formæ, hoc tamen fundamentum tam falſum eſt, quàm ipſa ſentẽtia, forma enim illa diuiſibilis eſt etiam quòad gradus, vt videbimus.

Durand.
Soarius.

5 Probatur ergo falſitas huius ſententiæ; quia quando ignis intendit calorem in ligno, non datur agens, à quo primus ille calor præexiſtens corrumpatur: quod ſic probatur; quia agens naturale, qualis eſt calor, non corrumpit ſibi ſimile, immò conſeruat, & auget: ſed ibi nulla datur alia cauſa, à qua præexiſtens calor remiſſus corrumpatur: ergo &c.

Oſtẽditur falſitas huius opinionis.

6 Obſtas. Generatio vnius eſt corruptio alterius, vt eſt cõmune inter Philoſophos, duce experientià, videmus enim in generatione cadaueris corrumpi formam viuentis, & ſimiliter in generatione caloris corrumpi frigus: ergo ſimiliter intenſio formæ perfectæ eſt corruptio imperfectæ. Reſpond. antecedens non ita eſſe intelligendum, quaſi vera generatio ſit alterius corruptio, in prima enim mundi molitione, primæ generationes datæ fuerunt, ſine corruptione formæ præexiſtentis; quia tamen inter generationem, & corruptionem ſemper interuenit cõtrarium, quod, priuſquàm forma generetur, corrumpit formam præexiſtentem, propterea cum generatione vnius formæ coniungitur corruptio alterius: at verò in intenſione formæ accidentalis, nullum interuenit cõtrariũ, ſed ſolùm eadem forma maiorem vendicat latitudinem graduum, ex quibus patet quid dicendum ſit ad inſtantiam.

7 Obijcis pro ſecunda, & contraria ſententia, quæ aſſerit, qualitates ſolùm intendi quaſi per accidens, ex eo ſcilicet, quod magis remoueant contrarium à ſubiecto: ita Ægyd. Rom. quodlib. 1. q. 14. Obijcis, inquam, ſecundò. Maior calor intenditur in hoc ligno, quia magis ab eo expellitur frigus: ergo maior intenſio fit per maiorem contrarij expulſionem. Reſpondetur negando totum, quia bene poteſt dari maior expulſio frigoris, quin maior calor introducatur, vt ſi à Deo immediatè expellatur frigus: deinde poteſt dari maior calor, quin maius frigus expellatur, ſaltem diuinitus: ergo formalis expulſio frigoris non eſt formalis intenſio caloris. Probatur præterea, quia multæ dantur qualitates, quæ intenduntur, nullum tamen habent contrariũ, vt patet in luce.

Ægyd. Roman.

8 Obijcis tertiò, pro tertia contraria, principali, communi, ſatiſque plauſibili ſententia inter deuotos Thomiſtas; quæ aſſerit, qualitates eſſe formas indiuiſibiles, quamuis ſint materiales, & totas ſimul produci, conſiſtereque earum intenſionem in eo quòd ſubiectum perfectiùs afficiant, quod vocant habere maiorem, & minorem radicationem cum ſubiecto: ita Thomas de Vio Caietan. Paulus Soncin. Henr. Ioannes Cazis, Heruæus, Didacus de Aſtudilho, quos citat Soar. in Met. diſp. 46. ſect. 1. nu. 3. & multi alij tenent eandem ſententiam apud Rub. 1. de Generat. cap. 4. tract. 3. q. 5. n. 143. fauet etiã Valentia t. 2. diſp. 4. q. 4 puncto 3. folio 413. quamquàm §. *Ex dictis patet*, ſententiam Thomiſtarum cum noſtra intendat conciliare, ſeipſo eâdem Thomiſtica radicatione pugnant, vt ſolent, Patres diſcalceati in ſuo Curſu Complutenſi, in lib. de Gen. d. 4. q. 9 à n. 122.

Refutatur celebris Thomiſtarũ opinio.

Caiet.
Soncin.
Henriq.
Cazis.
Heruæus.
Aſtudilho
Soarius.
Rubius.
Valentia.
Patres Diſcalc.

9 Reijcitur tamen à nobis hæc Thomiſtica opinio, quia vel illa maior radicatio eſt aliqua maior vnio, vel aliquis alius modus: neutrum eſt dicendum: ergo &c. Antecedẽs ſic ab ipſis proponitur. Probatur minor quòad vnionẽ, quia dari nõ poteſt noua vnio ſine nouis partibus, vel ſine corruptione

compo-

Digitized by Google

compoſiti antecedentis: ſed forma illa, ſiue qualitas, vt ipſi autumãt, eſt indiuiſibilis, nec habet partes de nouo, nec corrumpuntur partes antecedentes: ergo dari non poteſt noua vnio. Confirmatur, quia ſi illa vnio poteſt de nouo admittere maiorem, vel minorem partium augmentationem, cur ipſa qualitas ſimiles partes habere non poteſt?

10 Deinde talis radicatio non eſt aliquis alius modus, nam modus per ſe actiuus nõ eſt, at verò illa qualitas de nouo acquiſita, eſt per ſe magis actiua. Si verò admittant vnionem eſſe indiuiſibilẽ; ſicut eſt ipſa qualitas; cùm talis vnio producatur tota ſimul, non poterit magis perfici, niſi quando colleretur vnio imperfecta, & alia de nouo adueniret, quod hîc contingere non poteſt, ſiquidem, vt ex dictis patet, qualitas, quæ intenditur, non corrumpitur: quapropter cùm maior intenſio non ſit ſola maior vnio, neque nouus modus, ſequitur quòd ſit pars aliqua integralis, quæ additur, iuxta noſtram ſententiam: ex quo fundamento Thomiſtica radicatio radicitus profectò manet eradicata: et ne iterum repullulet,

11 Pro illa obijcis primò. Rerum eſſentia conſiſtit in indiuiſibili, vnde meritò dixit Philoſophus, eſſentias eſſe veluti numeros, qui per quãlibet additionem eſſentialiter variantur: ergo eſſentia qualitatis nõ poteſt eſſe diuiſibilis. Reſpond. ad antecedens rerũ eſſentias eſſe indiuiſibiles, ſi accipiantur ſecundùm partes eſſentiales, id eſt, ſecundùm gradus metaphyſicos, genus ſcilicet, & differentiam, hoc enim pacto nullus gradus eſſentialis addi poteſt eſſentiæ, quin eſſentia varietur, vt dixi de numero: cum hoc tamen rectè ſtare poteſt, quòd qualitas habeat partes intenſionis, exemplum ſit in quantitate, cuius eſſentia conſiſtit quidem in indiuiſibili, & tamen habet partes extenſionis.

12 Obijcis ſecundò Qualitas materialis extra ſubiectum non poteſt intendi, & tamẽ ibi conſeruat omnes ſuas partes: ergo intenſio in qualitate non fit per additionem partis ad partem, ſed per aliquem modũ eſſentialiter dependentem à ſubiecto. Reſpond. ad maiorem, poſſe qualitatem diuinitus poſitam extra ſubiectum, diuinitus etiam intẽdi, ſicut & linea extra quantitatem poteſt diuinitus extendi: vndè argumentum poteſt retorqueri, ſi enim dari poteſt qualitas extra ſubiectum magis intẽſa, ſignũ eſt, quòd maior intenſio non ſit maior radicatio in ſubiecto: & in eo caſu calor magis intenſus diceretur magis calor integraliter, non verò eſſentialiter, ſiquidem tota caloris eſſentia datur in quolibet gradu caloris.

13 Obijcis tertiò, Extenſio quantitatis fieri poteſt ſine additione partis ad partem: ergo & intenſio qualitatis: Probatur antecedens in rarefactione, in qua quantitas fit maior, quin dentur nouæ partes, ſed ſolum nouus modus: Reſpondetur diſtinguendo antecedens: extenſio localis fieri poteſt in quãtitate, ſine noua partium additione; concedo antecedens: extenſio integralis, nego antecedens. Et ratio diuerſitatis eſt, quia extẽſio localis, qualis eſt illa, quæ datur in rarefactione, ſolùm extrinſecè fit ad maiorem locum; vnde neceſſariò non eſt noua additio partium: at verò intenſio qualitatis; cùm ſit aliquid intrinſecum, fieri non poteſt ſine noua partium additione; quemadmodùm etiam extenſio integralis in quantitate; quæ eſt illi intrinſeca, fieri non poteſt ſine noua partium multiplicatione De rarefactione ago diſp. 37.

14 Obijcis quartò: Formæ ſubſtantiales non intenduntur per additionem partium: ergo neque formæ accidentales. Reſpondeo negando conſequentiam; diuerſa ratio eſt, quia (præterquàmquòd ſubſtantiæ non ſuſcipiant magis, & minùs, vt probat Ariſtoteles cap. de Subſtantia) forma ſubſtantialis eſt, quæ primò conſtituit eſſentiam rei, eſſentia autem indiuiſibilis eſt, & inuariabilis, quæ rationes non militant in qualitatibus.

15 Obijcis quintò. Accidentia ſpiritualia intenduntur, & tamen non habent partes: ergo intenſio in qualitatibus non fit per additionem partium: Reſpondetur diſtinguendo minorem, non habent partes extenſionis, concedo minorem: non habent partes intenſionis; nego minorem: quæ ſolutio patebit magis ex diſputatione de habitibus.

16 Obijcis ſextò. Vel gradus de nouo adueniens eſt eiuſdem; vel diuerſæ ſpeciei: non eſt eiuſdem, neque diuerſæ: ergo &c. Probatur minor quoad primam partem, quia alioquin multiplicatio graduũ eſſet per accidens qualitati, neque augebit eius perfectionem, quemadmodùm ideò multiplicatio partium eiuſdem ſpeciei in quantitate eſt illi per accidens, & non auget eius perfectionem. Probatur minor quoad ſecundam partem, quia ſi gradus de nouo adueniens foret diuerſæ ſpeciei, etiam ipſa qualitas redderetur diuerſæ ſpeciei, quod eſt omnino falſum, nam calor remiſſus eſt eiuſdem ſpeciei cum calore intenſo.

17 Reſpondetur, intenſionem fieri per additionem graduũ eiuſdem ſpeciei, vt bene probat ratio facta; quod tamen non tollit quominùs intenſio ſit perfectio formæ, quæ Intẽſio fit per gradus eiuſdẽ ſpeciei.

intenditur, cùm tamen extenſio non ſit perfectio quantitatis, quæ extenditur; diuerſa ratio eſt, quia intenſio fit in eâdem parte, & ideò illa pars perficitur, extenſio verò in diuerſis: atque hinc etiam colligitur diſtinctio, quæ datur inter intenſionem, & extenſionem: cùm enim intenſio fiat in certa parte & cùm ea pars non ſit capax graduum infinitorum, inde ſit, vt ſolùm octo gradus in qualitatibus Philoſophi ſoleant aſsignare, quòad intenſionem; at verò cúm extenſio fiat in diuerſis partibus; ideò poteſt fieri in infinitum, quando enim datur noua pars formæ quòad extenſionem, etiam datur noua ſubiecti pars, vnde non requiritur perfectior capacitas in ſubiecto ad recipiendum plures partes extenſionis, ſed tantúm ſufficit, quòd plures partes ſubiecti augeantur, quæ cùm poſsint extendi in infinitum (ſuppoſito quòd dari poſsit quantitas quòad extenſionem infinita) ita etiam qualitas materialis augeri poteſt in infinitum quòad extenſionem.

18 Inſtas. Vt qualitas ſit vnum per ſe, debent eius gradus habere ſe ita, vt vnus ſit veluti potentia reſpectu alterius; ſed inter ea, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, non poteſt vnū eſſe ſicut potentia reſpectu alterius: ergo &c. Probatur maior, quia alioquin darentur plura accidentia eiuſdem ſpeciei in eodem ſubiecto. Reſpondetur tamen negando maioré, neceſſarium enim non eſt, vt vnus gradus reſpectu alterius habeat ſe veluti potentia, & alter veluti actus, vt fiat compoſitio intenſiua, & integralis; vt cernitur in compoſitione extenſiua quantitatis, in qua ſit vnum per ſe, & tamen vna pars non eſt potentia reſpectu alterius. Vnde non ſequitur plura accidentia eiuſdem ſpeciei eſſe in eodem ſubiecto, nam omnes hi gradus ſunt partes eiuſdem accidentis; ſicut diuerſæ partes quantitatis pertinent ad conſtituendam eandem numero quantitatem.

19 Dixi gradus extenſionis in eâdem qualitate eſſe eiuſdem ſpeciei, modò verò quærendum reſtat, vtrùm intra eandem ſpeciem graduum, vnus ſit diuerſæ rationis indiuidualis ab altero.

SECTIO II.

Vtrúm gradus, per quos intenditur qualitas, ſint diuerſæ rationis?

Reſponſio eſt affirmatiua.

1 SIt *vnica concluſio.* Gradus, per quos intenditur qualitas, ſunt diuerſæ rationis numericæ intra eandem ſpeciem: hæc eſt ſententia D. Soar. in Met. diſp. 46. ſect. 1. à n. 30. quam ſequitur P. Lugo de Incarn. diſp. 5. ſect. 7. n. 44. Fracaſtorius lib. de Sympatia, cap. 6. Hurtad. 1. de Generat. diſp. 5. ſect. 2. & alij ab his relati. Quæ mihi probabilior videtur, quamuis Recentiores magis inclinent in oppoſitam; quæ, vt intelligatur, aduertendum eſt, qualitates habere poſſe duo genera partiū, quali⁀ter enim corporea partes habet extenſas, & intenſas, cum hac tamen diuerſitate, conueniunt enim Philoſophi, partes extenſionis eſſe eiuſdem rationis, non ſolum ſpecificè, ſed etiam numericè, quod ita intelligendum eſt, vt partes extenſionis, quæ dantur in primo gradu caloris v. g. habeant extenſionem eiuſdem rationis; & ſimiliter partes extenſionis ſecūdi gradus caloris.

Suarius. Lugus. Fracaſtor. Hurtad.

2 Quod facilè probatur, quia habent eundem effectum formalem, nam primus caloris gradus extenſus per ſubiectum, eodem modo illud afficit, quod ſimiliter cernitur in ſecundo gradu caloris extenſi per ſubiectū. Et confirmatur à ſimili, nam partes extenſionis quantitatis omnes ſunt eiuſdem omnino rationis: Probatur, quia partes quantitatis non habent diuerſum effectum, ſed eodem modo extendunt ſubiectum: neque obſtat, quòd detur vna quantitas maior aliâ, hoc enim per accidens eſt, neque enim datur aliqua quantitas, quæ ex natura ſua poſtulet eſſe maior altera quantitate. Confirmatur exēplo materiæ, cuius partes ſunt eiuſdem rationis.

3 Conſtat igitur inter Philoſophos, has partes extenſionis eſſe eiuſdem rationis, tàm in qualitate quàm in quantitaté: difficultas verò eſt circa partes intenſionis, quas qualitas habere poteſt in eâdem parte ſubiecti. Dico ergo, has partes eſſe diuerſæ rationis indiuidualis; ita, vt ſecundus gradus ſit perfectior primo, quem naturaliter ſupponit, & tertius ſit perfectior ſecundo, quem ita naturaliter ſupponit, vt non poſsit dari tertius gradus, quin ſecundus imperfectior præſupponatur, quamuis poſsit Deus immutare hunc ordinem, qui tantùm eſt phyſicus: addo prætereà, hos gradus intenſionis vniri, & copulari inter ſe vnionibus, ad eum modum, quo communiter dicitur, partes extenſas copulari inter ſe per indiuiſibilia: cum hac tamen diſtinctione, quòd vniones partiū extenſarum ſint omnes eiuſdem rationis, ſicut etiam ipſæ partes; at verò vniones partium intenſarū ſint diuerſæ rationis, quemadmodùm etiā ſunt ipſæ partes, ſiue gradus, qui intenduntur.

4 Probatur concluſio, Quia effectus diuerſæ

uerſæ rationis manifeſtè indicat cauſam diuerſam; ſed calor magis intenſus habet effectum diuerſum à calore minùs intenſo, intra eandem ſpeciem caloris: ergo ſignum eſt, quòd calor magis intenſus conſtet partibus diuerſæ rationis, ſiquidem habet effectum diuerſæ etiam rationis; & conſequenter ſequitur, quòd gradus intenſus, vt duo, ſit diuerſus à gradu intenſo, vt vnum. Quod ſic prætereà confirmatur, & declaratur, quia quamuis ponantur duo gradus caloris, vt vnum in eodem ſubiecto, non illud intendũt, neque efficiunt magis calidum, ex eo videlicet, quia illi duo gradus ſunt omnino eiuſdẽ rationis: ergo ſignum eſt, ſubiectum non fieri magis calidum per gradus eiuſdem rationis: antecedens probatur, quia illi duo gradus ſunt vt vnum: ergo non poſſunt producere, neque efficere calorem v.g. vt duo, nam agens intendit aſsimilare ſibi effectum, quapropter ſolùm efficient ſubiectum calidum, vt vnum: atque hinc eſt, quòd licèt multiplicentur gradus, vt vnum, non efficiant niſi calorem, vt vnum; ſicut ſi multiplicentur calores, nunquàm producent frigus: & nihilominùs ſi in eodem ſubiecto, vbi eſt calor vt vnum, ponatur alius gradus, vt duo, ſtatim producet diuerſum effectum: ergo ſignũ eſt, gradus eſſe diuerſos.

5 Confirmatur prætereà, quia ſequeretur, calorem, vt vnum, poſſe intendere calorem, vt octo; quod eſt contra communem ſententiam Philoſophorum, qui conſtituunt certum gradum in qualitatibus, vltra quem non poteſt fieri intenſio. Sequela probatur, quia ex eo per quamlibet partem extenſam poteſt magis extendi calor, vel quantitas, quia omnes partes extenſionis ſunt eiuſdem rationis, ſed in oppoſita ſententia etiam omnes gradus intenſionis ſunt eiuſdem rationis: ergo datur eadem ratio: neque ſatisfaciet, qui dixerit, ideò non poſſe gradum aliquem intendere octauum, quia qualitates habent certum gradum, quoad intenſionem, quem excedere non poſſunt naturaliter: nõ, inquam, ſatisfaciet, proptereà enim ille gradus nõ poteſt augere gradum octauum, quia illi octo gradus poſtulant habere diuerſas rationes indiuiduales, ita, vt octauus ſupponat ſeptimum, quem proptereà intendere non poteſt gradus vt vnum.

Proponitur, & reijcitur oppoſita ſententia.

6 Obijcis pro contraria ſententia, quæ probabilis eſt, & docet gradus omnes vnius qualitatis eſſe eiuſdem perfectionis indiuidualis, nullamque inter ſe habere ſubordinationem: ita Vaſq. tom. 1. in 1. 2. ad q. 82. diſp. 82. cap 6. à n. 25. vbi citat Niphũ Conimbric. 1. de Gener cap. 4. q. 2. Rubius ibidem, tract. 4. idem nouiter docuit Ioannes Baptiſta Nouatus de Eminent. Deiparæ, tom. 2. cap. 6. quæſt. 23. & Arriaga de Gener. diſp. 3. ſect. 3. vbi citat Richard. Tolet. & alios. Obijcis, inquam, primò. Omnes gradus eiuſdem caloris ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo ſunt eiuſdem perfectionis indiuidualis: nam inter entia eiuſdem ſpeciei dari non poteſt tanta diuerſitas. Reſpond. negando conſequentiam, nam inter indiuidua eiuſdem ſpeciei dari poteſt maxima diuerſitas, vt patet in actionibus circa eundem terminum, quarum altera poteſt eſſe vitalis, altera non vitalis; quod prætereà mirum non eſt in qualitate, cùm qualitas ſit ens perfectibile, & ex natura ſua ſuſcipiens magis, & minùs.

Vaſquez. Niphus. Colleg. Conimb. Rubius. Nouatus. Arriagà. Richard. Toletus.

7 Obijcis ſecundò. Deus poteſt intendere calorem, vt octo, illique addere gradum vt nouem: ergo iam ille gradus vt octo, non erat vltimus, neque præſupponebat phyſicè gradum ſeptimum, ſed per accidens fuit octauus. Reſpond. tamen ad conſequentiam, illum gradum octauum eſſe vltimum naturaliter, habere tamen obedientialem ſubordinationem ad nonum gradum, ſicut ſubiectum ipſum eſt obedientialiter capax ad recipiendum ſimul plures gradus caloris, quàm octo.

8 Obijcis tertiò. Quantitas fit magis extenſa per partes eiuſdem rationis multiplicatas: ergo & qualitas fiet magis intenſa per partes eiuſdem rationis multiplicatas. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia inæqualitas in gradibus qualitatis neceſſaria eſt ad præſtandum effectum formalem aliquo modo diuerſum, qualis cernitur in intenſione qualitatis, reſpectu ſubiecti: quæ tamen diuerſitas neceſſaria non eſt in partibus quantitatis, nam omnes conſtituunt corpus eodem modo in loco: idem dicendum eſt circa partes extenſionis eiuſdem qualitatis, omnes enim afficiunt ſubiectum eodem modo.

19 Obijcis quartò. Duæ cauſæ impellẽtes habentes impulſum, vt vnum, ſi coniungantur ſimul, poſſunt in ſubiecto producere impulſum, vt duo: ergo ſimiliter ſi duo gradus caloris, vt vnum coniungantur in eadem parte ſubiecti producent calorem, vt duo. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia cauſæ impellentes non intendunt aſsimilare paſſum ſibi: at verò cauſæ de quibus loquor, cùm intendant aſsimilare

intenditur, cùm tamen extenſio non ſit perfectio quantitatis, quæ extenditur; diuerſa ratio eſt, quia intenſio fit in eâdem parte, & ideò illa pars perficitur, extenſio verò in diuerſis: atque hinc etiam colligitur diſtinctio, quæ datur inter intenſionem, & extenſionem: cùm enim intenſio fiat in certa parte & cùm ea pars non ſit capax graduum infinitorum, inde fit, vt ſolùm octo gradus in qualitatibus Philoſophi ſoleant aſsignare, quòad intenſionem; at verò cùm extenſio fiat in diuerſis partibus, ideò poteſt fieri in infinitum, quando enim datur noua pars formæ quòad extenſionem, etiam datur noua ſubiecti pars, vnde non requiritur perfectior capacitas in ſubiecto ad recipiendum plures partes extenſionis, ſed tantùm ſufficit, quòd plures partes ſubiecti augeantur, quæ cùm poſsint extendi in infinitum (ſuppoſito quòd dari poſsit quantitas quòad extenſionem infinita) ita etiam qualitas materialis augeri poteſt in infinitum quòad extenſionem.

18 Inſtas. Vt qualitas ſit vnum per ſe, debent eius gradus habere ſe ita, vt vnus ſit veluti potentia reſpectu alterius; ſed inter ea, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, non poteſt vnũ eſſe ſicut potentia reſpectu alterius: ergo &c. Probatur maior, quia alioquin darentur plura accidentia eiuſdem ſpeciei in eodem ſubiecto. Reſpondetur tamen negando maiorẽ, neceſſarium enim non eſt, vt vnus gradus reſpectu alterius habeat ſe veluti potentia, & alter veluti actus, vt fiat compoſitio intenſiua, & integralis; vt cernitur in compoſitione extenſiua quantitatis, in qua fit vnum per ſe, & tamen vna pars non eſt potentia reſpectu alterius. Vnde non ſequitur plura accidentia eiuſdem ſpeciei eſſe in eodem ſubiecto, nam omnes hi gradus ſunt partes eiuſdem accidentis; ſicut diuerſæ partes quantitatis pertinent ad conſtituendam eandem numero quantitatem.

19 Dixi gradus extenſionis in eâdem qualitate eſſe eiuſdem ſpeciei, modò verò quærendum reſtat, vtrùm intra eandem ſpeciem graduum, vnus ſit diuerſæ rationis indiuidualis ab altero.

SECTIO II.

Vtrùm gradus, per quos intenditur qualitas, ſint diuerſæ rationis?

Reſponſio eſt affirmatiua.

1 SIt *vnica concluſio.* Gradus, per quos intenditur qualitas, ſunt diuerſæ rationis numericæ intra eandem ſpeciem: hæc eſt ſententia D. Soar. in Met. diſp. 46. ſect. 1. à n. 30. quam ſequitur P. Lugo de Incarn. diſp. 5. ſect. 7. n. 44. Fracaſtorius lib. de Sympatia, cap. 6. Hurtad. 1. de Generat. diſp. 5. ſect. 2. & alij ab his relati. Quæ mihi probabilior videtur, quamuis Recentiores magis inclinent in oppoſitam; quæ, vt intelligatur, aduertendum eſt, qualitates habere poſſe duo genera partiũ, quaſi as enim corporea partes habet extenſas, & intenſas, cum hac tamen diuerſitate, conueniunt enim Philoſophi, partes extenſionis eſſe eiuſdem rationis, non ſolùm ſpecificè, ſed etiam numericè, quod ita intelligendum eſt, vt partes extenſionis, quæ dantur in primo gradu caloris v. g. habeant extenſionem eiuſdem rationis; & ſimiliter partes extenſionis ſecũdi gradus caloris.

Suarius. Lugus. Fracaſtor. Hurtad.

2 Quod facilè probatur, quia habent eundem effectum formalem, nam primus caloris gradus extenſus per ſubiectum, eodem modo illud afficit, quod ſimiliter cernitur in ſecundo gradu caloris extenſi per ſubiectũ. Et confirmatur à ſimili, nam partes extenſionis quantitatis omnes ſunt eiuſdem omnino rationis: Probatur, quia partes quantitatis non habent diuerſum effectum, ſed eodem modo extendunt ſubiectum: neque obſtat, quòd detur vna quantitas maior aliâ, hoc enim per accidens eſt, neque enim datur aliqua quantitas, quæ ex natura ſua poſtulet eſſe maior altera quantitate. Confirmatur exẽplo materiæ, cuius partes ſunt eiuſdem rationis.

3 Conſtat igitur inter Philoſophos, has partes extenſionis eſſe eiuſdem rationis, tàm in qualitate, quàm in quantitatẽ: difficultas verò eſt circa partes intenſionis, quas qualitas habere poteſt in eâdem parte ſubiecti. Dico ergo, has partes eſſe diuerſæ rationis indiuidualis; ita, vt ſecundus gradus ſit perfectior primo, quem naturaliter ſupponit, & tertius ſit perfectior ſecundo, quem ita naturaliter ſupponit, vt non poſsit dari tertius gradus, quin ſecundus imperfectior præſupponatur, quamuis poſsit Deus immutare hunc ordinem, qui tantùm eſt phyſicus: addo præterea, hos gradus intenſionis vniri, & copulari inter ſe vnionibus, ad eum modum, quo communiter dicitur, partes extenſas copulari inter ſe per indiuiſibilia: cum hac tamen diſtinctione, quòd vniones partiũ extenſarum ſint omnes eiuſdem rationis, ſicut etiam ipſæ partes; at verò vniones partium intenſarũ ſint diuerſæ rationis, quemadmodùm etiã ſunt ipſæ partes, ſiue gradus, qui intenduntur.

4 Probatur concluſio, Quia effectus diuerſæ

uerſæ rationis manifeſtè indicat cauſam diuerſam; ſed calor magis intenſus habet effectum diuerſum à calore minùs intenſo, intrà eandem ſpeciem caloris: ergo ſignum eſt, quòd calor magis intenſus conſtet partibus diuerſæ rationis, ſiquidem habet effectum diuerſæ etiam rationis; & conſequenter ſequitur, quòd gradus intenſus, vt duo, ſit diuerſus à gradu intenſo, vt vnum. Quod ſic prætereà confirmatur, & declaratur, quia quamuis ponantur duo gradus caloris, vt vnum in eodem ſubiecto, non illud intendunt, neque efficiunt magis calidum, ex eo videlicet, quia illi duo gradus ſunt omnino eiuſdē rationis: ergo ſignum eſt, ſubiectum non fieri magis calidum per gradus eiuſdem rationis: antecedens probatur, quia illi duo gradus ſunt vt vnum: ergo non poſſunt producere, neque efficere calorem v.g. vt duo, nam agens intendit aſſimilare ſibi effectum, quapropter ſolùm efficient ſubiectum calidum, vt vnum: atque hinc eſt, quòd licèt multiplicentur gradus, vt vnum, non efficiant niſi calorem, vt vnum; ſicut ſi multiplicentur calores, nunquàm producent frigus: & nihilominùs ſi in eodem ſubiecto, vbi eſt calor vt vnum, ponatur alius gradus, vt duo, ſtatim producet diuerſum effectum: ergo ſignū eſt, gradus eſſe diuerſos.

5 Confirmatur prætereà, quia ſequeretur, calorem, vt vnum, poſſe intendere calorem, vt octo, quod eſt contra communem ſententiam Philoſophorum; qui conſtituunt certum gradum in qualitatibus, vltra quem non poteſt fieri intenſio. Sequela probatur, quia ex eo per quamlibet partem extenſam poteſt magis extendi calor, vel quantitas, quia omnes partes extenſionis ſunt eiuſdem rationis, ſed in oppoſita ſententia etiam omnes gradus intenſionis ſunt eiuſdem rationis: ergo datur eadem ratio: neque ſatisfaciet, qui dixerit, ideò non poſſe gradum aliquem intendere octauum, quia qualitates habent certum gradum, quoad intenſionem, quem excedere non poſſunt naturaliter: nō, inquam, ſatisfaciet, proptereà enim ille gradus nō poteſt augere gradum octauum, quia illi octo gradus poſtulant habere diuerſas rationes indiuiduales, ita, vt octauus ſupponat ſeptimum; quem proptereà intendere non poteſt gradus vt vnum.

Proponitur, & reijcitur oppoſita ſententia.

6 OBijcis pro contraria ſententia, quæ probabilis eſt; & docet gradus omnes vnius qualitatis eſſe eiuſdem perfectionis indiuidualis, nullamque inter ſe habere ſubordinationem: ita Vaſq. tom. 1. in 1. 2. ad q. 82. diſp. 82. cap. 8. à n. 25. vbi citat Niphū Conimbric. 1. de Genet. cap. 4. q. 2. Rubius ibidem, tract. 4. idem nouiter docuit Ioannes Baptiſta Nouatus de Eminent. Deiparæ, tom. 2. cap. 6. quæſt. 23. & Arriaga de Gener. diſp. 3. ſect. 3. vbi citat Richard. Tolet. & alios. Obijcis, inquam, primò. Omnes gradus eiuſdem caloris ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo ſunt eiuſdem perfectionis indiuidualis: nam inter entia eiuſdem ſpeciei dari non poteſt tanta diuerſitas. Reſpond. negando conſequentiam, nam inter indiuidua eiuſdem ſpeciei dari poteſt maxima diuerſitas, vt patet in actionibus circa eundem terminum, quarum altera poteſt eſſe vitalis, altera non vitalis; quod prætereà mirum non eſt in qualitate, cùm qualitas ſit ens perfectibile, & ex natura ſua ſuſcipiens magis, & minùs.

Vaſquez. Niphus. Colleg. Conimb. Rubius. Nouatus. Arriaga. Richard. Toletus.

7 Obijcis ſecundò. Deus poteſt intendere calorem, vt octo, illique addere gradum vt nouem: ergo iam ille gradus vt octo, non erat vltimus, neque præſupponebat phyſicè gradum ſeptimum, ſed per accidens fuit octauus. Reſpond. tamen ad conſequentiam, illum gradum octauum eſſe vltimum naturaliter, habere tamen obedientialem ſubordinationem ad nonum gradum, ſicut ſubiectum ipſum eſt obedientialiter capax ad recipiendum ſimul plures gradus caloris, quàm octo.

8 Obijcis tertiò. Quantitas fit magis extenſa per partes eiuſdem rationis multiplicatas: ergo & qualitas fiet magis intenſa per partes eiuſdem rationis multiplicatas. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia inæqualitas in gradibus qualitatis neceſſaria eſt ad præſtandum effectum formalem aliquo modo diuerſum, qualis cernitur in intenſione qualitatis, reſpectu ſubiecti: quæ tamen diuerſitas neceſſaria non eſt in partibus quantitatis, nam omnes conſtituunt corpus eodem modo in loco: idem dicendum eſt circa partes extenſionis eiuſdem qualitatis, omnes enim afficiunt ſubiectum eodem modo.

19 Obijcis quartò. Duæ cauſæ impellētes habentes impulſum, vt vnum, ſi coniungantur ſimul, poſſunt in ſubiecto producere impulſum, vt duo: ergo ſimiliter ſi duo gradus caloris, vt vnum coniunguntur in eadem parte ſubiecti producent calorem, vt duo. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia cauſæ impellentes non intendunt aſſimilare paſſum ſibi: at verò cauſæ de quibus loquor, cùm intendant aſſimilare

Digitized by Google

ſibi effectum; inde eſt quòd calor vt vnum, quantumuis multiplicetur, nunquàm producet niſi calorem vt vnum. ...apropter ſubiectum, quod habuerit diuinitus plures gradus caloris, vt vnum, in eâdem parte ſubiecti, neque dicetur magiſ intenſum, neque habere plures gradus extenſionis; ſed dicetur habens plures gradus intenſionis vt vnum multiplicatos.

Soluitur præcipuũ argumentum. 10 Obijcitur quintò, & principaliter, quia ſi dentur duo homines iuſti, & vnus habeat gratiam intenſam, vt duo, alter verò habeat gratiam intenſam, vt quatuor, & deinde vterque eliciat actum æqualiter meritorium ille, qui habet gratiam, vt duo, conſequetur tertium gradum gratiæ per talem actum, & ille, qui habet gratiam intenſam, vt quatuor, cõſequetur, per ſuum actum, quintum gradum gratiæ: ſed quartus, vel quintus gradus gratiæ ex natura ſua perfectior eſt, quàm tertius gradus. ergo ſi intenſio qualitatis ſit per gradus diuerſæ rationis, ſequitur, quòd operationi æqualiter meritoriæ reſpondeat præmium inæquale; cui tamen ſequelæ repugnat vera Theologia. Huic argumento reſponderi poteſt præmium in eo caſu futurum æquale, nã plures gradus inferiores multiplicati aliquo modo æquare poſſunt vnum gradum ſuperiorem, & perfectiorem: ſicut plures partes argenti æquare poſſunt valorem auri, atque adeò in eo caſu præſtabit Deus plures gradus inferiores, vt tria, qui ex æquo reſpondeant gradui, vt quatuor, vel vt quinque, quod poteſt confirmari ex ſententia Soarij 1. 2. trac. 3. diſp. 5. ſect. 3. n. 14. vbi aſſerit, poſſe, ſecundùm moralem æſtimationem, plures actus remiſſos ſuperare vnum intenſum, ne dum æquiparare. *Suarius.*

11 Quæ ſolutio explicari poteſt hoc exẽplo, aſſerunt enim graues Theologi cũ Scoto in 3. diſt. 12. q. 3. & cum Durando in 3. diſt. 14. q. 1. intellectum nobiliorem, cum æquali lumine gloriæ, meliùs viſurum Deum, quo ſuppoſito, addunt, ſi duo Angeli habentes inæqualem intellectum habuerint æquale meritum, Deum daturum imperfectius lumẽ gloriæ illi Angelo, qui habet nobiliorem intellectum, vt viſio beata, quæ eſt præmium præcipuum, procedat æqualiter ab vtroque intellectu. *Scotus. Durand.*

12 Aduertendum eſt: licèt ſola qualitas admittat intenſionem, & remiſſionem, non omnem tamen qualitatem poſſe intendi, & remitti, vt patet in figura, quæ cùm ſit modus quantitatis, non intenditur, nec remittitur, ſicut neque ipſa quantitas. Similiter nullus actus diuinæ Voluntatis (vt obiter hoc dicam) poteſt propriè intendi, vel remitti, cùm actus diuinæ Voluntatis ſit ipſe Deus. Hæc de qualitatum intenſione, nunc ad librum nonum Metaphyſicorum curas intendamus.

LIBER IX. METAPHYSICORVM.

DISPVTATIO LXVII.

De Libertate creata.

SOLENT Metaphyſici agere in hoc libro de potẽtijs liberis, & neceſſarijs, occaſione ſumpta ex Ariſtotele, qui proſequitur in hoc loco diuiſionem entis in potentiam, & actum, & inter potentias, alias docet eſſe neceſſarias, alias verò liberas, ſed antequàm diuinam libertatẽ inueſtigemus, aliqua de creata libertate libetiùs ſunt diſcutienda.

Suppono igitur imprimis ex fide, & naturali ratione, dari in homine libertatem, vt latè, & doctè oſtendit Soar. 1. 2. tract. 2. diſp. 1. ſect. 2. cum communi omnium ſententia. *Suarius.* Suppono deinde ſumi hic libertatem non prout opponitur ſeruituti, ſed prout opponitur neceſſitati, in quo ſenſu idem eſt liberum, atque non neceſſarium. Suppono prætereà libertatem creatam diuidi in radicalẽ, & for-

Digitized by Google

& formalem; radicalis remotè eſt ſubſtantia intellectualis, proximè eſt intellectus: libertas formalis ſi concipiatur in actu primo eſt ipſa voluntas ex natura ſua indifferens ad agendum, vel non agendum, ad operandum hoc, vel oppoſitum: libertas verò formalis in actu ſecundo eſt ipſa operatio libera voluntatis. Suppono tandem, libertatem diuidi in libertatem quòad ſpeciem, quòad indiuiduũ, & quòad exercitium, cui ex oppoſito reſpondet triplex neceſsitas, prima quòad ſpeciem, ſecunda quòad indiuiduum, tertia quòad exercitium, quæ ampliùs patebunt ex dicendis; his ſuppoſitis quæritur.

SECTIO I.

Quid ſit libertas, & quid addat ſupra potentiam liberam?

Definitur potentia libera.

1 *Prima concluſio.* Libertas in actu primo, ſeu potentia libera *eſt illa, quæ poſitis omnibus requiſitis, poteſt operari, & non operari, hoc vel oppoſitum agere*: ita communis omnium ſententia: ex quibus patet, potentiam liberam debere eſſe actiuã, vt latè, & doctè probat ex communi omniũ ſententia Soar. tom. 1. de Gratia prologomeno 1. cap. 3. vbi ſe citat lib. 1. de auxilijs, quæ veritas conſtat ex definitione ipſius libertatis, quæ eſt ad agendum, & non agendum: vnde potẽtia purè paſsiua, nõ dicetur propriè libera, quia non poteſt agere, ſed pati: immò in ſuſpẽſione actus, quãuis nulla actualiter detur actiuitas, ideò tamen voluntas dicitur libera, quia actiuè poterat actum elicere. *Soar.*

2 *Secunda concluſio.* Hæc libertas in actu primo eſt aliquid poſitiuum: hæc etiam eſt communis. Probatur, quia libertas in actu primo eſt ipſa potentia, ſed hæc eſt aliquid poſitiuũ: ergo &c. Confirmatur, quia actus ſecũdus liber oritur, & fit ab actu primo libero; ſed actus ſecũdus eſt aliquid poſitiuũ: ergo & actus primus, qui eſt ipſa potentia: neque obſtat, quòd libertas in actu primo explicetur per indifferentiam, quæ videtur eſſe negatio, per hanc enim indifferentiam explicamus potentiam poſitiuam indifferentem ad agendum, & non agendum.

3 *Tertia concluſio.* Libertas in actu ſecũdo eſt actio, ſiue actus, qui ita eſt, vt poſsit non eſſe: ita etiam communis, & vera ſententia: hæc libertas in actu ſecundo diuiditur in libertatem contrarietatis, & contradictionis, vt conſtabit.

Vtrùm libertas ſit aliquid intrinſecũ actui libero?

Libertas in actu ſecundo, eſt denominatio extrinſeca.

4 *Quarta concluſio.* Formalis libertas in actu ſecundo, nihil eſt intrinſecum, ſed eſt ſola denominatio extrinſeca moralis, & ſeparabilis, proueniens à voluntate operante cum perfecto dominio ſuorum actuum, dummodò actus liber ſumatur ſpecificatiuè, non reduplicatiuè quà liber: ita Soar. 1. 2. tract. 2. diſp. 1. ſect. 3. à n. 18. Vaſq. 1. 2. tom. 1. ad q. 79. diſp. 119. cap. 7. poſt numerum 15. & q. 19. diſp. 55. cap. 3. poſt numerum 12. in medio. Mol. 1. p. q. 23. art. 4. & diſp. 1. Concordiæ, membro 7. Becanus 1. 2. tract. 1. cap. 3. q. 3. Leſsius lib. 13. de diuinis perfectionibus, n. 176. Ægyd. Bellanus diſp. 2. de Actibus ſupernaturalibus, dub. 8. Idem ſupponit contra Zumel Salas 1. 2. tom. 1. q. 18. art. 1. tract. 7. diſp. 2. ſect. 6. n. 49 & diſp. 9. n. 49 Raynald. in Morali diſciplina diſt. 2. q. 2. art. 3. à n. 133. Eandem ſententiam confirmat communis Doctorum opinio docens, moralitatem eſſe extrinſecã actui, quos citat, & ſequitur Vaſq. 1. 2. ad q. 19. diſp. 55. cap. 2. n. 7. idem docet Arriaga de Anima. diſp. 8. ſect. 4. ſubſect. 4. *Soarius. Vaſquez. Molina. Becan. Leſsius. Bellanus. Salas. Raynald. Vaſquez. Arriaga.*

Probatur rationibus.

5 Probatur concluſio. Quia actus ſecũdus dicitur liber ex eo quòd voluntas poſsit illum elicere, & non elicere: ergo ratio liberi nihil eſt intrinſecum actui, ſed eſt denominatio extrinſeca proueniens à potentia operante, cum ſufficiente deliberatione, & dominio ſuorum actuum. Confirmatur, quia tota entitas actus manere poteſt quin denominetur libera: ergo libertas non eſt aliquid intrinſecum actui. Declaratur antecedens, quia idem numero actus voluntatis, abſque vlla ſui mutatione intrinſecâ, poteſt eſſe modò liber, ſi fiat cum aduertentia, & poteſt reddi neceſſarius, ſi cõtinuetur ſine aduertẽtia: & idem cernitur in actibus primò primis, qui dicuntur neceſſarij, accedẽte verò aduertentia, redduntur liberi: ſed aduertentia, vel inaduertentia eſt in potentia, non in actu: ergo &c. Tandem quia voluntas deambulandi durans per duo inſtantia, poteſt in primo oriri à potentia, cum concurſu indifferenti, in ſecundo poteſt Deus habere concurſum determinatum ad vnum; quo reddatur actus neceſſarius: ergo cùm idem actus mutetur de libero in neceſſarium, ſignum eſt quòd libertas ſit quid extrinſecum. Ex quibus patet, libertatem non eſſe prædicatum eſſentiale, reſpectu operationis liberæ ſpecificatiuè ſump-

Digitized by Google

ſumptæ: ſed eſſe denominationem extrinſecam, & accidentariam.

Hurtad. D. Thom. Conrad. Capreol. Ferrar.

6 Obijcis primò pro contraria ſententia, quam tenet Hurt. de Anima, diſp. 15. ſect. 5. ſubſect. 2. à §. 21. vbi pro ſe adducit D. Tho. Conrad. Capr. & Ferrarienſem. Obijcis, inquam primò. Vitale, & non vitale eſt eſſentiale, & intrinſecum actui. ergo & liberum, & neceſſarium. Repond. negando antecedens, licèt enim non poſſit idem actus numero eſſe vitalis, & non vitalis, propter eſſentialem ordinem, quem dicit actio vitalis ad principium vitale, nihilominùs tamen inter eandē ſpeciem actionum poteſt dari vna, quæ ſit vitalis, alia verò non vitalis, ſi terminus ſit idem, & vt ſæpe dixi; ex quibus patet vitalitatem, vel non vitalitatem non eſſe eſſentialem actui, ſed tantùm accidentalem, quod à fortiori dicendum eſt de libero, & neceſſario, ſiquidem eadem actio numero non poteſt eſſe vitalis, & non vitalis, eadem tamē numero poteſt eſſe libera, & neceſſaria, vt cōſtat ex dictis.

7 Obijcit ſecundò P. Hurt. citatus §. 54. Actus liber eſt obiectum diuinæ complacētiæ, non verò actus neceſſarius: ergo actus liber aliquam habet perfectionem eſſentialem, quam non habet actus neceſſarius, complacentia enim Dei ſupponit perfectionem in obiecto. Reſpond. negando conſequentiam, actus enim liber eſt obiectum diuinæ complacentiæ, quando eſt bonus, prout fit à potentia operante cum aduertentia rationis, quod licèt ſit extrinſecum actui, poteſt à Deo æſtimari; ſicut impoſitio monetæ facta à Principe, eſt in cauſa, vt moneta æſtimetur, quamuis illa impoſitio nihil eſſentiale, nihil phyſicum, & intrinſecum ſit in moneta.

Soluūtur alia argumenta.

8 His duobus fundamentis, quæ ſatis prolixè proſequitur P. Hurtad. ſtabilitur eius ſententia, quæ tamē vimas agit vndequaque, ideoque neceſſe eſt firmioribus aliquantulùm rationibus illam roborare; pro eâdem igitur ſententia, obijcis tertiò. Libertas in actu primo eſt quid intrinſecum potentiæ: ergo libertas in actu ſecundo erit intrinſeca actui. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia libertas in actu primo eſt ipſamet potentia ſecundùm ſe indifferens ad operandum, & non operandum, nihil autem eſt magis intrinſecum rei, quàm ſuamet entitas, actus verò ſecūdus dicitur liber non per ſuāmet entitatē, ſed, quia fit à potentia cū aduertētia, per quam nihil poſitiuū, & intrinſecum accreſcit actioni, ſiquidem eadem entitas actus tranſire poteſt de neceſſario in liberum, vt dixi.

9 Obijcis quartò. Libertas in actu ſecūdo eſt fundamentum meriti, & bonitatis moralis, ſed bonitas eſt quid poſitiuum: ergo & libertas erit quid poſitiuum, & intrinſecum in ipſo actu. Probatur conſequentia, quia fundamentum rei poſitiuæ debet eſſe poſitiuum. Reſpond. negando conſequentiam, eſt enim libertas veluti fundamentum proximū meriti; & ſicut in relationibus realibus poteſt fundamentum proximum eſſe negatiuum, dummodò remotum ſit poſitiuum; ita cùm entitas actus ſit poſitiua, parùm intereſt, ſi libertas nihil ſit poſitiuum, & intrinſecum actui. Aduertendum tamen eſt obiter libertatem non ſemper eſſe fundamentum bonitatis, nam viſio beata non eſt libera, habet tamen moralem bonitatem.

10 Obijcis quintò. Neceſſitas eſt intrinſeca actionibus, quæ ex cauſis neceſſarijs procedunt: ergo ſimiliter libertas erit intrinſeca actionibus quæ procedunt à cauſis liberis. Reſpond. negando antecedens, adhuc enim neceſſitas illa eſt extrinſeca ſimilibus actionibus, quamuis ſit ab illis inſeparabilis, ex eo quòd potentia neceſſaria nunquàm poſſit liberè operari; nam adhuc talis neceſſitas prouenit ab extrinſeco illis actionibus, ex eo videlicet, quia fieri non poſſunt cum aduertentia rationis.

11 Obijcis ſextò. Non poteſt eadem cognitio intellectus eſſe deliberata, & indeliberata: ergo ſimiliter non poterit eadem entitas actus eſſe libera, & neceſſaria. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia cognitio deliberata ſemper attingit aliquid in obiecto, quod indeliberata non attingebat; illud verò quod prouenit actui ex parte obiecti eſt intrinſecum actui: at verò libertas, vel neceſſitas non prouenit actui ab obiecto, ſed omnino extrinſecè à potentia operante cum aduertentia, vel ſine aduertentia intellectus.

12 Inſtas. Cognitio deliberata ſemper attingit in obiecto aliquid, quod non percipit indeliberata: ergo proponit voluntati diuerſum obiectum: ergo ſicut ratione diuerſi obiecti cognitio indeliberata non poteſt fieri deliberata, ita actus voluntatis deliberatus fieri non poteſt indeliberatus. Reſpond. concedendo actum intellectus deliberatum diuerſum obiectum voluntati offerre, quàm offerat actus ipſius intellectus indeliberatus; nihilominùs tamen dico, voluntatem pro ſua libertate poſſe tendere in idem obiectū, prout antea tendebat; quapropter non variatur obiectum actus voluntatis, prout attingitur ab actu elicito voluntatis deliberato, aut indeliberato.

13 Obijcis ſeptimò. Libertas in actu ſecundo

cundo nihil eſt aliud, quàm ipſe actus volũtatis. qui,poſitis omnibus requiſitis, poteſt fieri, & non fieri: ergo libertas in ſimili actu, nihil eſt aliud, quàm ipſa entitas actus: ſed nihil eſt magis intrinſecum rei, quàm ipſa ſua entitas: ergo &c. Reſpond. antecedens laborare in æquiuoco,ſumit enim libertatem pro ipſo actu reduplicatiuè ſumpto, de quo quæſtio non procedit, loquimur enim de actu ſpecificatiuè ſumpto libero,qui prout ſic non eſt ille, qui actualiter poteſt fieri,& non fieri, ſed eſt ille,à quo poteſt ſeparari actualis libertas. quamuis illam poſtulet aptitudinaliter: ex quibus conſtat libertatem,aut neceſsitatem actualem eſſe extrinſecam actui, & maximè accidentariã,ſiquidem ab eodem actu ſeparari poteſt ſine ſubſtantiali actus mutatione.

14 Obijcies octauò. Eſſe voluntarium eſt intrinſecum in actu voluntatis:ergo etiam eſſe liberum. Probatur conſequentia, idem enim eſt voluntas, & potentia libera in actu primo. Reſpond. negando conſequentiam: diuerſa ratio eſt, quia eſſe voluntarium deſumitur ex parte obiecti, quod ſpecificat actum voluntarium:at verò eſſe liberum deſumitur ex parte potentiæ,quæ non ſpecificat ſuos actus: cum verò dicitur,idem eſſe volũtatem ac libertatem in actu primo; verum quidem eſt, ſed modò quærimus, vtrùm libertas in actu ſecũdo ſit aliquid intrinſecum in ipſo actu? ex quibus conſtat, libertatem poſſe eſſe intrinſecam voluntati; non verò actui.

15 Inſtas. Libertas eſt extrinſeca actui voluntarii,& ſolùm datur,quando datur aduertentia: ſed aduertentia eſt in intellectu: ergo libertas erit in intellectu. Reſpond. ad conſequentiam, libertatem eſſe in intellectu ſolùm radicaliter, quatenus requiritur eius aduertentia ad opera libera voluntatis; ipſa vero aduertentia non eſt libertas formalis; quia quamuis intellectus haberet ſummam aduertentiam, ſi tamen non daretur voluntas, non daretur libertas; eſt igitur libertas formaliter in voluntate, ſiquidem ſola volũtas eſt potentia,quæ,poſitis omnibus requiſitis,poteſt agere, & non agere, quod tamen non tollit quominus voluntas ad hanc libertatem requirat aduertentiam intellectus. & deinde quòd hæc libertas ſit extrinſeca actui, ſicut bonitas, vel malitia eſt extrinſeca entitati phyſicæ actus.

16 Ex dictis colligitur primò, quænam diſtinctio intercedat inter actum liberum, voluntarium, & ſpontaneum: actus enim liber eſt ille, qui procedit à potentia libera cũ actuali aduertentia rationis: actus voluntarius dicitur ille, qui procedit à voluntate, ſiue ſit neceſſarius, ſiue liber: vnde licèt omnis actus voluntaris ſit voluntarius, non tamen omnis eſt liber: nam actus neceſſarius, qui procedit à voluntate, eſt voluntarius,nõ tamen liber: actus verò ſpontaneus dicitur ille,qui non eſt coactus, procedirque ab appetitu vel rationali,vel irrationali. *Quid ſit actus liber,voluntarius, & ſpontaneus*

17 Colligitur ſecundò. Libertatem actualem eſſe quid accidentarium potentiæ, ſiquidem potentia poteſt habere libertatem, vel neceſsitatem.

SECTIO II.

In quibus potentijs reperiatur Libertas?

1 PRima concluſio. Libertas formalis reperitur in ſola voluntate. Hæc cõcluſio certa eſt, & communis,illam tradunt D.Thom. 1.p. q.83. ar. 4. Scot. Henr. & alij, quos citat, & ſequitur Fonſ.9. Met. cap.2. q. 2. ſec. 3. Suar. item in Met. diſp.19 ſec.3.à n.11. Vaſq.tom.1. in 1.2. ad q 13 diſp.43.cap 3.n.19. Hurt de Anima,diſp.15. ſec.2.n.12. Molin.in Concordia, q.14. ar.13.diſp.3 & alij. *Libertas reperitur in ſola voluntate. D.Thom. Scotus. Henriq. Fonſeca. Suarius. Vaſquez. Hurtad. Molina.*

2 Probatur concluſio. Illa eſt potentia formaliter libera,quæ,poſitis omnibus requiſitis,habet dominium ſupra ſuos actus ad agendum, & non agendum, vel etiam ad oppoſitum: ſed omnis, & ſola voluntas habet hoc dominium, ex intrinſeca indifferentia in operando: ergo &c. Confirmatur, quia in homine datur formalis libertas,vt conſtat ex fide, & naturali experientia: ſed hæc non datur in intellectu, neque in appetitu ſenſitiuo, vt mox patebit: ergo in ſola voluntate.

3 Ex quibus patet, quàm impiè,& impudenter noſtri temporis hæretici libertatem negarunt in homine; vt ipſi alioquin liberè poſsint in omne flagitium laxis habenis ſe effundere, contra quos, vt monet Scotus nõ rationibus,ſed cruciatibus procedendum eſt; de hac veritate videri poteſt Molina 1.p. q. 14. ar.13. diſp. 3. qua de re nemo doctiùs egit, quàm P. Theophilus Raynaldus in morali diſciplina,diſt.2.q.1.Contra negantes libertatem prudenter argumentatur Sanctiſſimus Vates Prudentius in impugnatione oſorum libertatis. *Scotus. Molina. Raynald. Prudent.*

Neſcis,ſtulte,tuæ vim libertatis,ab ipſo
Fundatore datam, neſciſq; ab origine quanta
Sit conceſſa tibi famulo ſuper orbe poteſtas,

Ii

Et ſuper ingenij proprio, lexé que ſoluto
Iure, potestate, liceat cui velle, ſequique
Quod placitum, nullique datum ſubiungere vinclo.

Intellectus nõ eſt formaliter liber.
Durand.

4 Colligitur ſecundò ex dictis, intellectum non eſſe potentiam formaliter liberam (vt contendit Durand. in 2. diſt. 24. q. 3.) quod inde probatur, quia intellectus non operatur cum dominio ſuorum actuum, ſed propoſita veritate euidenti, neceſſitatur quòad ſpeciem: immò, & quòad exercitium: quapropter quando obiectum non apparet ſufficienter euidens, ſi intellectus manet ſuſpēſus, non eſt ex eo quòd intellectus ſit liber, ſed, quia obiectum non proponitur ſufficienter verum: at verò voluntas manet libera etiam circa obiectum ſufficienter propoſitum.

5 Obſtas. Intellectus eſt potentia nobilior, quàm voluntas: ergo, ſi voluntas eſt libera, à fortiori intellectus. Circa antecedens huius argumenti antiquum eſt diſsidium inter Scotum, & D. Thom. contendit enim Scotus cum diſcipulis, voluntatem, ex eo quòd ſit libera, & veluti domina intellectus, nobiliorem eſſe: at verò D. Thomas, cum ſocijs Thomiſtici nominis, nobilitatis prærogatiuã attribuunt intellectui: quam difficultatem ſoluit optimè Soar. lib. 5. de Anima, cap. 9. à n. 2. Reſpond. igitur, conceſſo antecedente, negando conſequentiam, ad maiorem enim intellectus nobilitatem ſufficit, quòd habeat nobiliorem operandi modum, per cognitionem ſcilicet, & independentẽ à voluntate, cùm tamen voluntas, quæ cæca eſt, dependeat ab intellectu, à quo regitur, tanquàm à duce, ac luce: libertas autem non arguit maiorem nobilitatem, ſed ſolùm maiorem indifferentiam in operando: neque obſtat, quòd voluntas dominatum aliquem habeat in intellectu, potiùs enim intellectus regit, & gubernat voluntatem.

Soarius.

6 Inſtas. Libertas eſt proprietas potentiæ rationalis, ſed intellectus eſt potentia rationalis ergo &c. Reſpõd. ad maiorem, libertatem eſſe proprietatem potentiæ rationalis, prout abſtrahit libertas à formali, & radicali, quæ ſolutio patebit ex concluſione ſequenti.

Appetitus non eſt liber formaliter.
Vaſq.

7 Colligitur tertiò ex tradita concluſione, in appetitu humano nullam dari formalem libertatem, vt eſt communis ſententia, pro qua videri poteſt Vaſq. tom. 1. in 1. 2. ad q. 74. diſp. 104. cap. 1. à n. 3. vbi impugnat Caiet. concedentem appetitui humano aliquam libertatem ſufficientem ad peccatũ veniale. Colligitur quartò, neque veſtigium libertatis in brutis reperiri, quod tamen nimis liberaliter concedit Mol. 1. p. q. 14. art. 4. diſp. 11. §. *Antequam*, in quam opinionem omnes moderni Thomiſtæ ſatis aſperè inuehuntur.

Molina.

8 Colligitur quintò, liberum arbitrium non eſſe tertiam quandam potentiam ab intellectu, & voluntate diſtinctam, vt volebat Alenſis apud Soar. in Met. diſp. 19. ſec. 5. n. 9. nam ſecundùm communiſsimam Patrum, & Theologorum ſententiam, liberum arbitriũ nihil eſt aliud, quàm ipſa potentia voluntatis, quatenus cum ſufficiente aduertentia intellectus manet indifferens ad operandum, & non operandum, vel etiam ad oppoſitum. Alenſ.

Intellectus eſt radicaliter liber.
D. Thom.
Bonau.
Fonſeca.
Soar.
Vaſques.
Salas.
Ferrar.
Caiet.
Victoria.
Soncin.

9 *Secunda concluſio.* Solus intellectus eſt potentia radicaliter libera: ita communis ſententia cum D. Thoma 1. p. q. 35. & 1. 2. q. 17. ar. 1. ad 2. Idem ſequitur D. Bonauent. in 1. diſt. 15. q. 6. Fonſ. 9. Met. cap. 2. q. 2. ſec. 5. § *Ergo ij meliùs*, patrocinatur Soar. in Met. diſp. 19. ſec. 5. n. 21. Vaſq. 1. 2. q. 13. diſp. 43. cap. 3. num. 19. Salas item tom. 1. in 1. 2. q. 6. ar. 1. trac. 3. diſp. 1. ſec. 11. à num. 150. & num. 151. citat Ferrarienſem, Caiet. Victoriam, Soncin. & alios.

10 Probatur concluſio. Quia niſi intellectus proponat obiectum cum indifferẽtia, tollitur libertas in actu, vt cernitur in pueris, & amentibus, qui propterea non operantur liberè, quia intellectus non proponit obiectum cum ſufficiente indifferentia: ergo ſignum eſt, quòd intellectus ſit radix libertatis, hinc eſt, quòd in pueris, quò magis rationis vſus illuceſcit, eò perfectiorem habent libertatem. ſolus verò intellectus eſt radix libertatis, quia ſolus proximè miniſtrat voluntati, vnde phantaſia non dicetur radix libertatis, quia valdè remotè miniſtrat.

Scotus.

11 Ex quibus colligitur primò, improbabilem omnino eſſe opinionem Scoti in 1. diſt. 38. q. vnica negantis omnem libertatem intellectui: quamuis enim intellectus ſit libertas radicalis: & præterea quamuis in omni ſubiecto vbi datur intellectus, detur etiam voluntas, vt tamen detur formalis libertas actualis, dari etiam debet perfecta libertas radicalis, id eſt perfectus vſus rationis, nam in pueris, & amentibus datur intellectus, non tamen datur libertas formalis actualis, quia non datur perfecta libertas radicalis actualiter: neque ex eo quòd intellectus ſit radix libertatis, erit magis liber, illud enim axioma, *Propterquod vnumquodque tale &c.* vt verum ſit debet eadem forma multiplicari, vt dixi ſuo loco: at verò libertas formalis non multiplicatur, ſed in ſola voluntate reperitur.

12 Colligitur tandem in omnibus, & ſolis creaturis intellectualibus, vbi datur libertas radicalis, dari etiam formalem; neque tol-

lia

lit Angelorum libertatem eorum firma adhæſio ad obiectum, quia apprehendere immobiliter non eſt neceſsitari, ſed eſt habere conſtantiam circa rem ſemel liberè apprehenſam.

SECTIO III.

Circa quæ obiecta libera ſit creata voluntas?

Voluntas in hac vita eſt libera quòad exercitium.

D.Thom. Soar. Vaſques. Caiet. Medina Valent. Maior. Scotus. Granado. Salas. Capreol. Conrad. Raynald.

1 PRima concluſio. Voluntas creata in hac vita, poſitâ perfecta deliberatione, manet libera quòad exercitium, circa omne bonum creatum, vel etiam increatum, ita D.Thom. 1.p. q. 82. art. 2. & 1.2. q.10. art. 2. Soar. in Meta. diſp. 19. ſect. 8. nu. 9. Vaſq. 1. 2. tom. 1. q. 10. diſp. 39. cap. 2. & 4. Caietan. Med. Valent. Maior, & Scotus, quos citat, & ſequitur Granado 1. 2. tom. 1. controuerſ. 2. tract. 3. diſp. 4. aſſertione 2. numero 6. Salas tom. 1. in 1. 2. q. 10. tract. 5. diſp. 4. ſect. 2. à num. 21. vbi præterea refert Capreol. Conradum, & alios plures: idem tenet Raynaldus in diſciplina morali, diſt. 2. quæſt. 2. art. 5. à num. 173.

2 Probatur concluſio, quia vt voluntas neceſsitetur quòad exercitium, duo requiruntur, primum eſt, vt in obiecto nulla appareat ratio mali; ſecundum eſt, vt in eius conſequutionem, nulla appareat moleſtia: atqui nullum obiectum in hac vita offertur voluntati, quod non habeat, aut non habere poſsit, vel aliquam rationem mali, vel ſaltem aliquam difficultatem in conſequutione: ergo &c. Probatur minor, nam ſi obiectum eſt increatum (qualis eſt Deus, & beatitudo increata) quamuis in ſe nullam habeat rationem mali; moleſtiam tamen habet in conſequutione, vnde experientiâ patet, neminem neceſsitari in hac vita quòad exercitium amoris Dei, vel æternæ beatitudinis; ſi verò obiectum eſt creatum, vel habet, vel habere poteſt aliquam rationem mali: ergo &c.

3 Dixi in concluſione, *poſita perfecta deliberatione*, ad excludendum actus primò primos, ad quos ex defectu deliberationis neceſsitatur voluntas, quòad exercitium. Ex quibus colligitur primò Beatos neceſsitari ad amorem Dei, quia in tali obiecto nullum malum, vel difficultas apparet. Colligitur ſecundò, libertatem dici etiam poſſe eſſe radicaliter, & remotè in obiecto. Colligitur tertiò cum Soar. lib. 3. de Angelis cap. 4. à n. 6. Angelum non ſe amare neceſſariò quòad exercitium, quamuis ſe neceſſariò cognoſcant.

4 Obijcis cum Thomiſtis, apud Soar. in Metap. diſp. 19. ſect. 8. num. 11. primus actus, quem voluntas elicit, quando primò aduenit vſus rationis, eſt neceſſarius, quòad exercitium: ergo, poſitâ perfectâ aduertentiâ, poteſt voluntas in hac vita neceſsitari. Reſpond. negando antecedens, quamuis enim prima cognitio deliberata ſit neceſſaria, poteſt tamen offerre obiectum, vt indifferens: & quamuis voluntas neceſſariò debeat producere aliquem actum liberum, cùm primò incipit vſus rationis, tamen non neceſsitatur ad producendum hunc potiùs, quàm illum, vnde libera manet, quòad electionem. Soarius.

Voluntas neceſsitatur quòad speciẽ, circa bonum.

D.Thom. Caietan. Medina. Valentia. Granado. Soarius. Vaſq. Salas. Raynald. Soncin. Bañes.

5 *Secunda concluſio.* Voluntas circa bonum in communi neceſsitatur in hac vita quòad ſpeciem. Hæc eſt etiam communis, vt videre eſt apud D. Thom. 1. 2. q. 10. ar. 1. & 2. Caietan. Medin. Valent. & alios, quos refert, & ſequitur Granad. 1. 2. tom. 1. controu. 2. tract. 3. diſp. 4. aſſert. 1. à nu. 3. Soar. in Metap. diſp. 19. ſect. 8. num. 15. Vaſq. ſuprà citatus: Salas item proximè citatus ſect. 2. & ſect. 3. idem ſequitur Raynald. in diſciplina morali, quæſt. 2. diſt. 2. ar. 5. num. 188. & *Prateræ*, vbi citat Soncinatem, & Bañes.

6 Probatur concluſio. Quia voluntas non poteſt odiſſe bonum ſub ratione boni (quia bonũ non eſt obiectũ odij, ſed amoris) ſed in beatitudine, prout ſic, nulla apparet ratio mali: ergo non poteſt odio haberi, & conſequenter manet voluntas neceſsitata, quòad ſpeciem, vnde ſi dandus ſit aliquis actus voluntatis, potiùs erit amoris, quàm odij.

7 Dixi, *circa bonum in communi*, quia nullum particulare bonum, quamuis ſit ipſa beatitudo ſupernaturalis, imponit in hac vita noſtræ voluntati neceſsitatem, etiam quòad ſpeciem, quia ſemper in eius aſſequutione conſiderari poteſt aliqua ratio moleſtiæ: non tamen loquimur de hoc obiecto particulari, qua bonum eſt, quia, vt ſic, manifeſtum eſt, non poſſe odio haberi, ſed loquimur de quouis obiecto ſecundùm ſe, nam obiectum ſecundùm ſe bonum, ideò quà tale neceſsitat voluntatem quòad ſpeciem, id eſt ad actum amoris, non verò odij, quia ratio formalis motiua odij, non poteſt eſſe bonum aliquod, ſed malum.

8 Quapropter quando damnati Deum odio habent, illum apprehendunt ſub

R ratione

Digitized by Google

ratione mali, ideſt, tanquàm cauſam tormẽtorum, quia vident ſe à Deo tanta ſuppliciorum mole in æternum premẽdos; & præterea odium Dei illis offertur ſub aliqua ratione boni deprauati, ideſt, ſub ratione vindictæ &c. & ſimiliter ille, qui ſpei peteret non eſſe, illud *non eſſe* offertur ſub aliqua ratione maioris boni, quàm ipſum eſſe.

9 Obſtas. Beatitudo poteſt odio haberi etiam quà bonum eſt; ſi Deus imponeret alicui præceptum ad hoc odium: ergo &c. Reſpondetur negando antecedens, Deus enim non poteſt imponere præceptum de re impoſſibili.

Voluntas eſt libera circa duo obiecta æqualiter bona. *Richard.* *Henric.* *Maior.* *Marſil.* *Vaſquez.* *Soarius.* *Raynaud.*

10 *Tertia concluſio.* Si proponantur volũtati duo obiecta æqualiter bona, manet libera in eorum electionem: ita Richard. Henriq. Maior, & Marſilius, quos citat Vaſq. tom. 1. in 1. 2. q. 13. diſp. 43. cap. 1. num. 1. quatenus docent ex duobus medijs æqualiter bonis poſſe voluntatem vtrumlibet eligere; idem tenent Soar. in Metaphyſic. diſp. 19. ſect. 6. num. 13. Raynald. in diſciplina morali, diſt. 2. quæſt. 2. art. 3. à num. 177. Probatur, quia voluntas libera manet circa talia obiecta, ſiquidem non proponuntur, vt neceſſaria, ſed vt libera: ergo poteſt vtrumlibet eligere. Confirmatur experientiâ, aliter enim neceſsitaretur homo, ſicut brutum, quod ſemper fertur in obiectum ſibi oblatum, vt melius.

Vaſques. *Conrad.*

11 Vaſques tamen tom. 1. in 1. 2. ad q. 13. diſp. 43. cap 2. oppoſitum tuetur, & pro ſe afert Conradum, & alios Thomiſtas: nihilominus tamen addo cum Soar. non ſolùm eſſe liberam electionem noſtræ voluntatis circa duo bona, vel duo media æqualia, ſed etiam ex duobus bonis, poſſe voluntatem eligere minus bonum. nam bonum minùs vtile, comparatione vtilioris, non habet rationem mali, vt contendit Vaſq. ſed habet rationem minoris boni, vnde benè poteſt eligi, relicto maiori bono; hinc eſt, quòd in materia morali, licet conſulere minùs malum parato ad faciendum maius, & licet etiam ſequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, & tutiori; procedit autem concluſio etiam, ſuppoſita efficaci intentione finis, dummodò illud minùs bonum ſufficiat ad conſequutionem finis.

Voluntas non poteſt appetere malum. *D. Thom.* *Soarius.*

12 *Quarta concluſio.* Voluntas non poteſt appetere malum quà tale: ita communis Theologorum ſententia cum Diuo Thoma 1. 2. quæſt. 8. art. 1. Soar. in Metaphyſ. diſp. 23. ſect. 1. à num 4. vbi oppoſit. in Nominalium ſententiam antiquatam appellat, & ab Scholis reiectam, noſtramque ſententiam probat Patrum auctoritate, eandem tenet Vaſq. 1. 2. tom. 1. diſp. 31. cap. 2. Probatur, quia ratio formalis obiectiua volitionis eſt bonum, quà tale, cognitum: ergo ne voluntas tranſcendat limites ſui obiecti, non poterit malum, quà tale, appetere.

Vaſques.

13 Immò ſi exercendæ libertatis cauſa id fieret, non feretur voluntas in malum, niſi ſub aliqua ratione boni, quæ apparet in tali exercitio. Quod autem dicimus de obiecto ex omni parte malo, dicendum eſt de obiecto ex omni parte indifferente, quod neque amari, neque poterit odio haberi, ſiquidem nulla in eo apparet ratio amoris, vel odij. Loquimur tamen ex ſuppoſitione, quia tale obiectum videtur impoſſibile, ipſa enim carentia omnis boni eſt aliquod malum, & cõſequẽter tale obiectũ poterit odio haberi.

14 Obſtas. Voluntas eſt libera circa malum: ergo illud poteſt amare. Reſpondetur ad antecedens, voluntatem circa malum manere liberam quoad exercitium, poteſt enim ſuſpendere actum odij, non manere tamen liberam quoad ſpeciem, quia ſi actum aliquem ſit elicitura, debet eſſe odij, & non amoris.

15 *Quinta concluſio.* Poſita efficaci volitione finis, ſi vnum tantùm appareat medium, neceſsitatur voluntas circa eius electionem; ita cõmunis Doctorũ ſententia, quos citat, & ſequitur Vaſques tom. 1. in 1. 2. ad quæſt. 13. diſp. 43. cap. 4. Probatur, quia impoſsibile eſt, finem efficaciter intendi, quin medium aliquod applicetur, ad eius conſequutionem; ſed, vt ſupponimus, vnum tantùm medium offertur: ergo implicat quòd voluntas non neceſsitetur ad huius medij electionem; neque verò hæc neceſsitas abſoluta eſt, ſed tantùm ex ſuppoſitione.

Vaſq.

16 In ea autem opinione, quæ docet, media habere propriam bonitatem, vel malitiam, præter illam, quàm habent à fine, dabitur, circa hoc, vnicum medium, diuerſum meritum, vel demeritum, ad quod ſufficit, quòd hæc electio ſit libera in cauſa, talis enim neceſsitas, ex ſuppoſitione, non tollit meritũ, vel demeritum.

Voluntas nõ poteſt amare obiectum impoſsibile.

17 *Sexta concluſio.* Voluntas amare non poteſt efficaciter obiectum impoſsibile, ſiue tale ſit ſimpliciter, & per ſe, vt v.g. Deũ non eſſe; ſiue tale ſit per accidens & ex ſuppoſitione, vt v.g. hominẽ non peccaſſe: ita cõmunis Doctorũ ſentẽtia 1. 2. ad q. 13. vbi videri poſſũt Vaſq. diſp. 42. cap. 4. ſed cũ hic iram ne intra porrẽda, idẽ tenet ibidem quid à Martin. ar. 5. à folio

Vaſques. *Martin.*

Digitized by Google

Salas. Fonſeca. Soarius.

à folio 754. quam veritatem doctiſsimè egit Salas 1. 2. tom. 1. q. 11. trac. 6. diſp. 1. ſec. 5. à n. 2. ſubſcribit præterea Fonſ. 5. Met. cap. 2. q. 5. ſect. 3. à §. *His ita conſtitutis*. Soar. de Angelis, lib. 7. cap. 11. à n. 14. Probatur, quia actus abſolutus, & efficax debet tendere in rem, quæ poſsit poni in actu; ſed obiectū impoſsibile nunquam ponetur in actu: ergo à nullo appeti poteſt efficaciter.

D. Thom. Capreol. Scotus. Sotus. Gabr. Medina. Lorca.

18 Dixi, *efficaciter*, quia certum eſt poſſe tale obiectum appeti amore inefficaci, qui dicitur velleitas. Ità D. Thom. Capreol. Scot. Sotus, Gabr. Med. quos refert, & ſequitur quidam Ciſtercienſis Lorca 1. 2. diſp. 17. mébro 2. Probatur, quia poteſt repræſentari tale impoſsibile ſub aliqua ratione boni, & propterea appeti amore, ſaltem conditionato: hinc eſt quòd Beati appetūt maximè non peccaſſe, & damnati Deum non eſſe; & confirmatur, quia in ipſo Deo reperitur hic actus ſecūdùm communem ſententiam Theologorum, pro quibus videri poteſt Salas tom. 1. in 1. 2. q. 11. tract. 6. diſp. 4. ſec. 3. à num. 9. vbi præter Patres affert viginti & tres ſcholaſticos, qui omnes communiter hoc probant, quia Deus vult omnes homines ſaluos fieri, quod tamē impoſsibile eſt, ſuppoſito ordine rerum, quē ſtatuit.

Salas.

Caiet.

19 Caietanus tamen 1. p. q. 63. ar. 3. cenſet, impoſsibile ſimpliciter abſolutum nullo modo poſſe appeti actu proſequutionis, quāuis admittat poſſe appeti impoſsibile per accidens: probat, quia impoſsibile abſolutum non habet rationem entis: ergo nec bonitatem, & conſequenter non poteſt eſſe obiectum voluntatis. Reſpondetur tamen ad cōſequentiam, aut hac in re impoſsibili poſſe concipi aliquam bonitatem fictam ab intellectu, quæ poteſt appeti actu inefficaci, & conditionato.

20 Bene tamen aduertunt Doctores recentiores citati, actum videlicet inefficacem, quo quis appeteret impoſsibile, poſſe eſſe abſolutum ex parte ſubiecti, ſed conditionatum ex parte obiecti, qualis eſſet ille actus, quo quis diceret, *volo dare eleemoſynam Petro, ſi ipſe petat*. Probatur igitur, hunc actum poſſe eſſe abſolutum ex parte ſubiecti, quia non peccaſſe eſt perfectio, ſeu bonum: ergo abſolutè poteſt appeti à voluntate. Quòd verò talis actus ſit conditionatus ex parte obiecti, probatur, quia in re impoſsibili, quæ appetitur, ſemper ſubintelligitur ea conditio, *ſi ita poſſet fieri*.

Vaſquez.

21 Contra hanc doctrinam ſe opponit Vaſquez 1. 2. ad q. 13. diſp. 42. cap. 3. vbi exiſtimat prædictum actum, etiam ex parte obiecti, futurum abſolutum, quia, inquit, actus conditionatus ex parte obiecti non explicatur per verbum, *volo*, ſed per verbum, *vellem*: atqui ego ſimpliciter dico, volo non peccaſſe: ergo iſte actus non eſt conditionatus, ex parte obiecti. Reſpondetur tamen, bene poſſe talem actum explicari per verbū de præſenti, vt patet in actu, quo dico, volo tibi dare eleemoſynam, ſi à me petas; qui quidem eſt abſolutus ex parte voluntatis, & cōditionatus ex parte obiecti, diuerſuſque eſt ab eo, quo dicerem, darem eleemoſynam, ſi à me petatur, qui eſt omnino conditionatus, & ſine dubio dari poteſt circa impoſsibile, vt notat Salas citatus num. 31. pro quo citat Fonſ. & alios. Salas.

22 Obſtas. Potentia cognoſcens non fertur in obiectum conditionatum: ergo neque potentia appetens: antecedens eſt certū, quia intellectus non aſſentitur obiecto ſub conditione, *ſi fortè ſit verum*. Reſpondeó negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia potentia non poteſt actum elicere, niſi circa ſuum obiectum; vnde ſi obiectum non eſt actualiter verum, nón poteſt intellectus illi aſſentiri: at verò obiectum poteſt eſſe impoſsibile, & repræſentari actualiter ſub aliqua ratione boni, quod eſt obiectum voluntatis appetentis: ergo tunc poterit amari inefficaciter, & conditionatè.

SECTIO IIII.

Vtrùm, & quæ cognitio neceſſaria ſit ad actus voluntatis?

1 PRima concluſio. Non poteſt voluntas etiam diuinitus operari ſine præuia cognitione: ita Soar. in Met. diſp. 23. ſec. 7. n. 6. Vaſq. 1. 2. ad q. 9. diſp. 35. cap. 5. vbi citat Palud. & Durand. Salas 1. 2. tom. 1. q. 1. ar. 1. & 2. tract. 1. diſp. 5. ſec. 1. à n. 5. vbi oppoſitam ſententiam appellat plenā abſurditate, & citat Azor. Henr. Carthuſia. & alios; idem tenet Lorca tom. 1. in 1. 2. ad q. 9. folio 275. & præterea patet ex his, quæ dixi in 2. p. tract. 1. lib. 2. Phyſic. diſp. 19. ſect. 1. à n. 10. vbi plures citaui; videri etiam poteſt Fonſ. 9. Metap. cap. 2. q. 5. ſect. 6. à §. *Videtur tamen*.

Nō poteſt voluntas operari ſine præuia cognitione. Soar. Vaſquez. Durand. Palud. Salas. Azor. Henriq. Carthuſ. Lorca. Fonſeca.

2 Probatur concluſio, quia nulla potentia operatur, niſi habeat obiectum proportionatum: ſed obiectum voluntatis eſt bonum cognitum, & propoſitum ab intellectu: ergo &c. Quæ ratio probat etiam diuinitus: nulla enim potentia ferri poteſt extra ſuum obiectum, etiam de potentia

Digitized by Google

Dei abſoluta. Et declaratur concluſio, quia voluntas eſt cæca, indigetque face præeunte, quam attollit intellectus: quapropter ſicut implicat intellectum aſſentiri concluſionibus ſine premiſsis, ita voluntatem velle obiectũ non cognitum.

3 Obijcis tamen pro contraria ſentẽtia, *Ochamus.* quam tenent Ochamus, Argent. & alij, quos *Argent.* citat, & ſequitur Granad. 1. 2. tom. 1. con- *Granado.* trou. 2. tract. 3. diſp. 2. ſect. 1. num. 8. quam *Patres Conimbr.* etiam probabiliorem iudicant Conimbric. lib. 3 de Anima, cap. 13. q. 3. art. 2. ad 3. im- *Bonau.* mò D. Bonauentur. opuſculo de myſtica Theologia exiſtimat contingere aliquando in ſumma contemplatione voluntatem amare Deum ſine omni cognitione intellectus.

4 Obijcis, inquam. Cognitio eſt tantùm conditio reſpectu voluntatis: ergo ſuppleri poterit ſaltem diuinitus. Et confirmatur, quia Deus poteſt ſupplere concurſum ſpeciei impreſſæ reſpectu intellectus. Reſp. negando conſequentiam, quia cognitio eſt conditio logica, ſicut ſe habet exiſtentia reſpectu cauſæ efficientis. Ad confirmationem reſpondetur aſsignando diuerſam rationem, quia ſpecies concurrit effectiuè: at verò cognitio eſt conditio, quæ complet obiectũ formale voluntatis, & ideò ſuppleri non poteſt: non negamus tamen poſſe Deũ vti voluntate, tanquam inſtrumento ad producendum actum amoris ſine cognitione: at noſtra concluſio procedit de actu vitaliter elicito.

Vtrùm ſufficiat cognitio ſenſitiua ad actus voluntatis?

Reſponſio eſt negatiua. 5 SEcunda concluſio. Cognitio ſenſitiua ſatis non eſt ad voluntatem liberè operandum: ita communis, & certa ſententia. Probatur, quia cognitio requiſita ad actum liberum debet eſſe indifferens, cognitio autem ſenſitiua eſt determinata ad vnum, immò hinc deducitur ſimilem notitiam, neque ad actus voluntatis neceſſarios ſufficientem eſſe, vt eſt etiam com- *D. Thom.* munis ſententia cum D Thoma 1. 2. q. 9. vbi *Vaſquez.* videri poteſt Vaſq. diſp. 37. cap. 2. idem e- *Soarius.* tiam tenet Soar. in Met. diſp. 28. ſect. 7. n. 8. *Salas.* Salas item 1. 2. trac. 1. diſp. 5. ſec. 2. nu 10. *Henriq.* vbi citat Henriq. Valent. Medin. Capreol. *Valent.* Hiſp. ſenſ. & alios. Probatur, quia obiectum *Medina.* voluntatis eſt bonum intelligibile: at verò *Capreol.* obiectum cognitum per ſenſus nunquam *Hiſpal.* fit intelligibile, ſed ſolùm redditur ſenſibile. Confirmatur, quia ſicut intellectus non poteſt iudicare obiectum ſolùm apprehenſum per ſenſus, ita etiam voluntas amare non poteſt obiectum ſolùm cognitum per ſenſus.

6 Obijcies. Appetitus ſenſitiuus mouetur à cognitione ſpirituali, vt quando lætatur, vel triſtatur de re ſpirituali: ergo etiam appetitus rationalis moueri poterit à notitia ſenſitiua. Reſpondeo negando antecedens, quia in tali caſu phantaſia proponit appetitui illud obiectum, non vt in ſe eſt, ſed per modum rei corporeæ. Ex quibus colligitur, nec diuinitus poſſe cognitionem ſenſitiuam mouere volũtatem propter omnimodam improportionem.

Vtrùm ſufficiat cognitio apprehẽſiua ad actus voluntatis?

7 TErtia concluſio. Ad actus neceſſarios, ſiue primò primos voluntatis ſufficit cognitio apprehenſiua intellectus; ad actus verò liberos neceſſarium eſt iudicium rationis ſaltem virtuale, Ita Scotus, Marſil. Olchot. quos af- *Scotus.* fert, & ſequitur Vaſq. ad quæſt. 14. diſp. *Marſil.* 44. cap. 2. Granad. item tom. 1. in 1. 2. *Olchot.* controu. 2. tract. 3. diſp 2. ſec. 1. num. 4. vbi *Vaſquez.* docet ſufficere ſolam apprehenſionem ad a- *Granad.* ctus inefficaces: ſequitur etiam noſtram con- *Gabriel.* cluſionem Gabriel in 1. diſt. 5. q. 1. ar. 3. dub. *Fonſeca.* 2. patrocinatur Fonſ. 9. Met. c. 2. q. 5. ſec. 7.

8 Probatur, quia quamuis intellectus per apprehenſionem non certificetur de bonitate obiecti, per illam tamẽ repræſentatur obiectum, vt bonum eâdem, vel maiori ratione, quàm repræſentetur à phãtaſia; ſed repræſẽtatio phãtaſiæ, quin ſit propriè iudicatiua, mouet appetitum: ergo ſimiliter repræſentatio apprehẽſiua intellectus ſufficiens erit aliquãdo ad mouendam voluntatẽ ſaltem ad actus inefficaces, vel primò primos.

9 Quòd verò ad actus liberos requiratur iudicium formale, vel virtuale, probatur; quia actus liber eſt actus deliberatus: ſed actus deliberatus eſt ille, qui fit à voluntate, præcedente deliberatione in intellectu: ergo &c. Probatur conſequentia, quia deliberatio non reperitur in ſola apprehenſione; quapropter quando Soar. in Metaph. diſp. 23. ſec 7. num. 9. & Salas tom. 1. in 1. 2. trac 1. *Soarius.* diſp. 5. ſec. 2. n. 15. cum D. Thom. Valent. Me- *Salas.* din. Azor. & alijs, requirunt iudicium ad o- *D. Thom.* perationem voluntatis, explicandi ſunt circa *Valent.* operationes liberas voluntatis, ſolùm enim *Medina.* loquuntur de electione, & amore libero cir- *Azor.* ca finem, nam ad actum aliquem inefficacem, vel primò primum ſatis eſt apprehẽſio ad

ad attingendam aliquo modo conuenientiã, vel diſconuenientiam obiecti.

Quomodò cognitio concurrat ad actus voluntatis?

Concurrit tamquam conditio.

10 QVarta concluſio. Cognitio intellectus non concurrit effectiuè ad actus voluntatis, ſed ſolùm vt conditio logica. Secunda pars huius concluſionis conſtat ex dictis in hac ſect. Prima pars traditur à D. Thoma 1.p.q.82.a.4. Idem tenet Soar. in Metaph. diſp.18. ſec.8. n.40. & diſp.23. ſec.8. num.14. probatque ex profeſſo lib.3. de Anima, cap. 3.n.3. vbi citat Scot. Capr. & Ferrar. idem etiam ſentit Vaſq. 1. 2. diſp. 36. q. 9. cap. 2. & 3. Bellarm. lib.3. de Libero arbitrio. cap. 3. Granad. tom. 1. in 1. 2. controu. 3. tract. 3. diſp. 2. ſect. 1. n. 5. Barthol. Amicus in Phyſica tract. 13. q. 5. dub. 7. n. 2. vbi citat Hiſpal. Iauel. Azor. Valent. Martin. & alios.

D. Thom. Soar. Scotus. Capreol. Ferrar. Vaſques. Bellarm. Granad. Barthol. Amicus. Hiſpal. Iauel. Azor. Valentia. Martin.

11 Probatur, quia potentiæ appetentes ſunt cauſæ principales ſuorum effectuum, neque indigent aliquo actiuo comprincipio, ſicut indigent potentiæ cognoſcitiuæ, & ratio diuerſitatis ſumitur ex diuerſo modo operandi harum potentiarum, quia potentia cognoſcens recipit in ſe obiectum, & ideò indiget aliqua concauſa, per quam intra ſe recipiat impreſſionem obiecti: at verò voluntas fertur in obiectum, & ideò non indiget niſi tantùm cognitione, quæ illi extrinſecè proponat obiectum. Neque obſtat, quòd voluntas ſit cauſa vniuerſalis ad ſuos actus, ſatis enim eſt, quòd extrinſecè determinetur à cognitione obiecti. Et confirmatur, quia cognitio non poteſt concurrere, vt cauſa principalis, ſiquidem voluntas eſt cauſa totalis ſuorum actuum. Deinde neque poteſt concurrere vt inſtrumentalis, quia inſtrumentum naturale debet eſſe ignobilius, cognitio autem intellectus nobilior eſt volitione, ſicut intellectus voluntate præſtantior eſt.

12 Neque item cognitio erit concauſa partialis, vel quia voluntas, cùm ſit potentia appetens, eſt cauſa totalis; vel quia actus vnius potentiæ vitalis non efficit actum alterius, ſiquidem non inhæret, niſi in propria potentia. Confirmatur tandem exemplo phantaſiæ, quæ non concurrit effectiuè ad actus appetitus, ſiquidem phantaſia eſt in cerebro, & appetitus in corde, alioquin talis efficientia eſſet veluti per ſaltum, de quo videri poteſt Soar. citatus ſuprà: neque hinc ſequitur voluntatem per ſe ſolam reducere ſe de potentia ad actum, nam intellectus determinat voluntatem, ratione obiecti repræſentati.

Refelli de contraria ſententia. *Fonſeca. Durand. Caiet.*

13 Ex dictis ſoluta manent argumenta contrariæ ſententiæ, quam tenent Gregor. & alij, apud Lorcam ſuprà: idem etiam ſecutus eſt Fonſ. in Met. lib. 9. cap. 2. q. 6. ſect. 2. vbi citat Durand. Caiet. & alios: pro quibus adhuc obijcis primò. Verbum diuinum concurrit per modum efficientis (vt loquitur Caietanus) ad productionem Spiritus Sancti: ergo ſimiliter verbum creatum, ſiue cognitio concurret effectiuè ad productionem actus in voluntate. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia Verbum diuinũ, cùm habeat eandem voluntatẽ quam Pater cũ Patre habet, per voluntatem producit Spiritum Sanctum: at verò Verbum creatum, nec eſt idem cum voluntate creata, neque illam in ſe habet, & ideò non eſt proprium productiuum effectiuè actus voluntatis.

14 Obijcis ſecundò. Quamuis intellectus agens diſtinguatur à phantaſmate, & quamuis phantaſma ſolùm ſit in phantaſia, nihilominùs intellectus agens concurrit effectiuè cum phantaſmate ad productionem ſpeciei intelligibilis: ergo quamuis cognitio non ſit in voluntate, concurret cum ea effectiuè ad productionem actus voluntatis. Reſpondetur negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia phantaſma non eſt cauſa totalis, ſed ſolùm inſtrumentalis: at verò potentia appetens eſt cauſa totalis ſuorum actuum, vt patet ex dictis: prætereà hoc argumentum nullam habet vim in mea ſententia, quam tradam 4. p. diſp. 83. ſect. 1. §. *Prædicta verò*, vbi dicam ex ſententia Soarij, intellectum agentem nullam habere efficientiam circa phantaſma.

R 3 DIS-

DISPVTATIO LXVIII

De modo, quo Deus concurrat ad actus voluntatis creatæ?

DE hac quæſtione aliqua breuiter attigi in 2. p. tract. 1. lib. 2 diſp. 27. ſect. 1. modò pro dignitate materiæ, inter limites ſūmæ breuitatis, totis viribus dimicandum eſt. In hac igitur diſp. in prima, & ſecunda ſectione Prodibit in aciem fatalis illa phyſica præmotio, quæ tot motus, ac tot procellas toties excitauit, contra quam omnes copias ſummatim educam; potiores rationes proponam, quas grauiſsimorum hominum auctoritate roborabo, in quorum me conſilij ſocietatem, velut in equum Troianum, cum principibus includi, non recuſo.

SECTIO I.

Vtrúm aliquid præuium requiratur, vt creata voluntas operetur?

Aduertũtur aliqua. 1 ANtequàm noſtra concluſio proponatur, neceſſariò explicandi ſunt termini quæſtionis. Aduertendum igitur eſt primò, omnē actionem voluntatis creatæ ſiue liberam, ſiue neceſſariam, immediatè pendere à Deo, vt oſtendi 2. p. tract. 1. diſp. 27. ſect. 1. à n. 5. Aduertendum eſt ſecundò, diuinum cōcurſum, vel ſumi poſſe in actu primo, vel in actu ſecundo: concurſus Dei in actu primo, nihil aliud eſt, quàm voluntas Dei, prout habet concurſum præparatum ad concurrendum cum cauſis ſecundis in tali, vel tali tempore: concurſus verò in actu ſecūdo eſt ipſa actio cauſæ ſecundæ, prout immediatè pendet, & egreditur etiam à Deo ſimul concurrente cū cauſa ſecunda.

2 Aduertendum eſt tertiò, per hoc præuium, ſeu per hanc præmotionem, quam dicunt aliqui antecedere operationes noſtræ voluntatis, intelligendam formam phyſicam, ſiue qualitatem impreſſam in voluntate, cum qua voluntas ad ſuos actus completur, quæque determinat voluntatem ad exercitium actus: dicitur autem phyſica, vt oſtendatur eius naturalis vis, quæ non moraliter inuitat, ſed phyſicè mouet: cuius efficaciam, vt exprimant huius qualitatis fautores, præmotionem hanc vocant excitationem, impulſum, & impetum: illa autem particula, *præ*, oſtendit antecedentiam cauſalitatis, non verò dignitatis.

3 Aſſerunt igitur Recentiores aliqui auctores (nam inter antiquos, non eſt hæc quæſtio adeò tenaciter pertractata) hāc præuiam qualitatem imprimi antecedenter à Deo in voluntate creata, ita vt ſine illa operari non poſsit voluntas, & cum illa nō poſſit non operari. Alij verò, quibus potiùs aſſentimur, docent Deum concurrere cum cauſis ſecundis liberis, nihil illis præuium imprimendo, ſed tantùm offerendo illis concurſum indifferentem in actu primo, tam ad ſpeciem, quàm ad indiuiduum, & exercitium actus, quæ indifferentia conſiſtit in eo, quòd Deus decreuit concurrere cum voluntate creata, non abſoluiè, ſed conditionatè, ſi humana voluntas velit, & hæc indifferentia formaliter ſumpta in actu primo, licèt non ſit aliquid phyſicum, eſt tamen aliquid morale.

4 Fit autem neceſſarium ponere hanc indifferentiam ex parte diuini concurſus in actu primo, quia ſicut ipſa voluntas ex ſe indifferens eſt ad volendum, & nolendum, vel etiam ad ceſſandum ab actu; ita etiam neceſſarium erat, vt Deus ex parte ſua præparatū haberet duplicem concurſum ad amorem, & odium, v.g. quia Deus vult concurrere cum cauſis ſecundis accommodatè ad eorum naturas: vnde ſicut vnum tantùm habet concurſum præparatum ad cauſas neceſſarias, ita debet habere concurſum conditionatum, & indifferentiam in actu primo ad cauſas liberas, & indifferentes, vt ita relinquat cauſam ſecundam operari iuxta ſuam naturam; nam ſi voluntas illa diuina antecedens foret abſoluta, & non cōditionata, cùm ſit prior, quàm voluntas creata, & cùm ſit infinitè potens, poſſet applicare maiorem concurſum in actu ſecundo, & neceſsitare creatam voluntatem. Explicatis terminis, priùs quàm proponatur concluſio, aduerto animum non eſſe neque

et

Digitized by Google

ex profeſſo, neque incidẽter diſputare vtrùm auxilium efficax conſiſtat in hac prąuia qualitate. hoc enim non pertinet ad Metaphyſicum, ſed ſolùm ago de modo, quo Deus concurrit phyſicè cum actibus noſtræ voluntatis.

Proponitur concluſio, & probatur auctoritate.

Per præmotionẽ ãtecedẽtẽ tollitur libertas à voluntate.

Soarius.

5 **S**it igitur vnica cõcluſio. Phyſica præmotio neceſſaria nõ eſt, vt volũtas creata libere operetur: immò, ea poſita; tollitur libertas in actu ſecundo. Hanc veritatem probat imprimis auctoritate Soar. in opuſculis lib. 1. de Concurſu Dei cap. 12. vbi pluſima affert Sanctorum Patrũ teſtimonia, priùs tamen illam probo auctoritate Concilij Trident. ſeſsione 6. cap. 5. & canone 4. vbi docet; liberum arbitrium á Deo motum, & excitarum, ita agere, & cooperari, dum conſentit, *vt poſsit diſſentire, ſi velit, &c.* Quod ſtare nõ poteſt cum phyſica præmotione, qua poſita; voluntas diſſentire nõ poteſt. Omitto reliqua teſtimonia Scripturæ ſacræ, quia videri poſſunt apud Soar. in opuſcul. lib. 1. de Concurſu Dei cum voluntate; cap. 14. n. 9.

Concil. Trident.

D. Thom. ſtat pro nobis.

D. Thom.

6 Age verò, ſecundam aciem inſtruo, in qua procedunt auctores ſcholaſtici, & controuerſiſtæ: & imprimis ſit Angelicus Doctor multis in locis, quæ omnia ſi afferrem in medium, annum integrum fatigarem, videatur ſaltem tom. 8. q. 3. de Potentia, ſiue de Creatione, art. 7. ad 3. & ad 17. vbi expreſſè aſſerit determinationem actus relinqui in poteſtate rationis, & voluntatis: & in 2. diſt. 28. q. 1. art 1. in hæc verba, *Non eſſet homo liberi arbitrij, niſi ad eum determinatio ſui operis pertineret, vt ex proprio iudicio eligeret hoc aut illud &c.* & q. 22. de veritate, art. 6. ad 1. loquendo de noſtra anima, *Ipſa*, ait, *determinat ſibi ſuum velle, &c.* ad hæc tamen, & alia infinita teſtimonia Sancti Doctoris moderni aliqui Thomiſtæ infinita parant ſubterfugia, & mille nodos inutiliter quærunt in ſcyrpo.

D. Anton.

Capreol.

Caiet.

Ferrar.

Conrad.

Sotus.

7 Nihilominùs tamen noſtram ſententiam, tamquàm Thomiſticam, tuentur antiquiores, & candidiores aliquot ex illuſtri Dominicanorum familia, ita D. Antoninus 1. p. lib. 4. cap. 2. Capr. in 1 diſt. 45. q. 1. ar. 2. in ſolutione ad 3. vbi aſſerit, neceſsitatem ex antecedente ſuppoſitione ſimpliciter repugnare libertati: pro nobis ſtant Caiet. 1. p. q. 14. art. 13. & q. 19. ar. 8. Ferrar. 3. contra gentes; cap. 159. Conrad. 1. 2. q. 79. ar. 1. Sot. lib. 1. de Natura, & Gratia, cap. 15, in hæc verba, *Neminem coactu Deus, aut neceſsitate ad ſe trahit, ſed in noſtra eſt poteſtate gratiam eius reſpuere &c.* item Thomas Eliſius de lib. arbitr. q. 3. ar. 3. Tandem allego Ioannem Vincentium ex eâdem familia, qui hanc noſtram ſententiam (teſte Baſilio Põtio variar. diſp. p. 1. q. 4. expoſitiua, c. 3. ad finẽ, in hæc verba) *docuit in Salmantino Collegio, me ſpectante, & audiente; & poſteà alij ex eadem familia ab illa propoſitione* phyſicæ motionis, *cum laude & fructu diſceſſerunt, &c.* item Romæus Generalis Ordinis Prædicatorum, lib. de Libertate, & Neceſsitate operum, docet eſſe communem ſententiam Patrum, neceſsitatem ex ſuppoſitione antecedente repugnare libertati; qui omnes Doctores, tamquàm veri Diui Thomæ diſcipuli, veritatem hanc ab illo hauſtam alijs fideliter propinarunt. Quòd ſi Angelici Doctoris rigidiores interpretes contendant, illum contra nos ſtare; hoc mihi iuris cum venia dabit Sanctus Doctor, ſi in hac parte meis potiùs doctoribus adhæreo; qui quamuis aliàs Diuo Thomæ præcipuè auſcultem,

Eliſius.

Ioann. Vincent.

Baſ. Pont.

Romæus.

— Hac in re ſcilicet vna
Multùm diſsimiles, ad cætera penè gemelli.
Fraternis animis, quidquid negat alter, & alter,
Annuimus pariter. — *Hora. Ep. 10. lib. 1.*

8 Pergo ad alios: noſtram concluſionem ſatis exprimunt, & ſequuntur Vualdenſis lib. 1 Doctrinæ fidei antiquæ à cap. 23. & cap. 25. ait *Periculoſè erraſſe aliquot magiſtros ponentes in humanis operibus neceſsitatem antecedentem ex voluntate Dei, &c.* Sanctiſsimus item Epiſcopus Roffenſis, & martyr inuictiſsimus art. 36. contra Luterum: prætereà Driedo, Richard. Stapleton. Caſtro, Vega; & alij, quos citat Soar. lib. 3. de auxilijs, cap. 13. poſt num. 21. Item Didacus à Paiua Luſitanus, egregius concionator lib. 4. Orthodoxæ explicationis, vbi Caluinum arguit; eò quòd reprehenderit Patres Societatis IESV, quia negabant phyſicam præmotionem.

Vualden. Roffenſ. Driedo. Richard. Staplet. Caſtro. Vega. Soarius. Paiua.

9 Prætereà pro noſtra, & vera ſententia potiùs ſtant Scotus in 4 diſt. 1. q. 1. ad vltim. Palatius in 2. diſt. 37. q. 1. Gregor. in 2. diſt. 28. q. 1. art 2. citantur prætereà Bonauent. Alenſis, Ægyd. Roman. Henriq. Marſil. Adamus; Ocham. Gabr. Armacan. Dionyſius Ciſter. Adrianus, Corduba, & alij deinde, quos refert, & ſequitur Herice 1. p. tract. 2. diſp. 19. cap. 2. nu. 10. vbi prætereà refert ex noſtris Fonſ. Bellarm. Leſsium, Torr. Cornel. Iuſtinian. Tolet. quorum loca omitto breuitati conſulens, & quia videri poſſunt apud citatum Hericem. Pro eâdem doctrina ſuo more fulminat Magiſter Molina cauſa boni tanti, 1. p. q. 14. art. 13. diſp. 17. & 18. & in Concordia. diſp. 50.

Scotus. Palat. Gregor. Bonau. Alenſ. Ægyd. Roman. Henriq. Marſil. Adam. Ocham. Gabriel. Armac. Adrian. Cordub. Herice. Fonſeca. Bellarmi. Leſsius. Torres. Cornel. Iuſtin. Toletus.

10 Eandem prætereà ſententiam ſequun-

Molina.

quamuis illi omnes, qui admittunt efficaciam gratiæ (de qua nõ ago) conſiſtere in vocatione congrua, ſupponunt ſcientiam conditionatam, quam ſequitur idem Herice 1.p. tract.1. diſp. 7. n. 7. vbi, præter citatos, affert Valentiam, Vaſq. Pererium, Salmeron, Henriq. Becan. Maldon. Barrad. Lorin. Arrubal, & præterea n. 9 citat Curiel. Ferd. Mascaregn., Epiſcopum Algarbiorum, & in Luſitania maximum Fidei quæſitorem, Peſan, & alios.

Herice. Valentia. Vaſquez. Perer. Salmer. Henriq. Becan. Mald. Barrad. Lorin. Arrubal. Alphonſ. Curiel. Maſcare. Penot. Viotal. Raynald. Salas. Azor. Granado.

11 Præterea hanc noſtram ſententiam tuetur, & latè probat Gabriel Penotus in propugnaculo humanæ libertatis, lib. 9. cap. 13. item Viotal. eius p. 1. Opuſcul. Theologici à cap. 5. eandem ſententiam probat erudit. Raynaud. in naturali Theologia diſt. 8. q. 5. ar. 5. à n. 342. vbi plures auctores refert; & in diſciplina morali, diſt. 4. q. 6. ar. 3. à n. 18. (vbi phyſicam præmotionem ferream vocat, & ineluctabilem) Salas item copioſè tom. 1. in 1. 2. q. 9. ar. 6. trac. 5. diſp. 3. ſec. 1. n. 29. & n. 24. citat Azorium, & alios plures: eandem veritatem ſupponunt Granad. tom. 1. in 1. 2. controuerſ. 2. de actibus humanis tract. 3. diſp. 1. ſec. 2. n. 9. & ſec. 3 docet, Deũ non prædeterminare voluntatem ad aliquod bonum in particulari, ſed ipſam ſe determinare. Idem etiam ſupponit Hurtad. in Phyſ. diſp. 10. ſec. 3. nu. 29. & latè probat Ioannes Præpoſit. in diſp. quam addidit ad tom. 1. in 1. p. tandemque hac de re (præter ea, quæ dixit in Met. & in Opuſculis) tomum integrum compoſuit D. Soar. qui eſt ſecundus de Gratia, nondum tamen excuſus, quo edito, velut vltimo ingenij ſui miraculo, obijt, & ad ſuperos abijt: ex quibus tandem colligitur qua veritate C bt. 3. p. q. 17. art. 4. diſp. 2. n. 113. dicat contrariam huic noſtræ ſententiam eſſe omnium Philoſophorum.

Hurtad. Præpoſit. Soarius. Cabrer.

Probatur rationibus noſtra concluſio.

12 PRobatur igitur prima pars concluſionis, quòd ſcilicet talis phyſica prædeterminatio neceſſaria nõ ſit: aut enim eſſet neceſſaria propter eſſentialem ſubordinationem, quam habet cauſa ſecunda ad primam; aut vt per talem præmotionem voluntas applicaretur ad agẽdum; aut vt compleretur virtus voluntatis; aut tandem vt voluntas determinaretur: ad nullum horum neceſſaria eſt: ergo &c. Probatur minor quòad primam partem, quia voluntas creata ſufficiẽter ſubordinatur Deo in eo quòd nihil operari poteſt, niſi Deus ſimul cum illa concurrat ad ſingulos actus: nõ ſecundum, id eſt, vt per talem qualitatem voluntas applicetur ad agendum, ad hoc enim ſufficit cognitio intellectus: non tertium, id eſt, vt voluntas compleatur, quia, vt dixi ſuperiori ſectione, voluntas per ſe eſt potentia completa: non denique quartum, id eſt, vt voluntas determinetur, quia voluntas eſt potentia formali et libera, libertas autẽm in eo conſiſtit, vt voluntas poſsit ſe ipſam determinare ad exercitium: immò ipſa voluntas determinat Deum quòad ſpeciem, & Deus determinat voluntatem quòad indiuiduum: alia autem eſt determinatio ad exercitium actus, alia verò determinatio ad indiuiduum actus, vt videbimus: hæc autem determinatio ad indiuiduum nullam affert neceſsitatem, &c.

13 Reſpondent aliqui huic argumento cauſas ſecundas reſpectu primæ eſſe inſtrumenta, & propterea indigere prævia motione, vt cernitur in arcu, qui prius in ſe recipit impulſum, quàm ſagittam emittat; falſum tamen aſſumunt, nam cauſæ ſecundæ reſpectu ſuorum effectuum ſunt veræ cauſæ, quæ vi ſuæ propria producunt effectus: dicuntur verò agere in virtute cauſæ primæ, non, quia non habeant in ſe propriam virtutem operandi, ſed, quia non poſſunt agere ſine conſortio cauſæ primæ, ſimul actualiter influente, vt breuiter dixi 1. p. tract. 1. lib. 1. diſp. 27. ſec. 1. & latiſsimè probat Salas tom. 1. in 1. 2. q. 9. ar. 6. trac. 5. diſp. 3 ſec. 2. à n. 9. vbi præter Patres, citat pluſquàm triginta auctores Scholaſticos.

Cauſæ ſecundæ veræ cauſæ. Salas.

14 Probatur ſecunda pars concluſionis, quòd ſcilicet, per hanc phyſicam præmotionem tollatur è medio libertas creata, quòad exercitium; quia, vel illa qualitas eſt omnino præ requiſita ad operatiõnẽ volũtatis, vel nõ: reſpõdẽt eſſe prærequiſitã. Cõtrà, quia eã poſitâ poterit volũtas nõ operari, illiq; reſiſtere: negãt hoc aduerſarij: ſed cõtrà, quia niſi voluntas poſsit reſiſtere, non manet libera quòad exercitium: & præterea, quia potentia libera eſt illa, quæ, poſitis omnibus requiſitis, poteſt agere, & non agere (quam definitionem communiter admittunt Theologi, quos citat, & ſequitur Raynaud. in diſciplina morali, diſp. 2. ar. 2. à num. 76. vbi refert pro ea multos Thomiſtas oppoſitæ ſententiæ defenſores, Bañes ſcilicet, Zumel, & Medin.) ergo quamuis daremus illam præuiam motionem prærequiri, adhuc voluntas poſſet non agere, quod tamen negant aduerſarij aſſerentes, poſita illa qualitate, voluntatem non poſſe non agere; cum qua determinatione, ſeu potiùs neceſsitate, quomodò concilietur libertas, nunquàm poterit probari.

Quomodò antecedẽs præmotio tollat libertatem. Raynaud. Bañes. Zumel. Medina.

Con-

Digitized by Google

15 Confirmatur, quia voluntas non eſt libera ad recipiendam illam phyſicam præmotionem ſiquidem, vt volunt aduerſarij, infunditur à Deo ante omnem voluntatis operationem: & poſita tali qualitate, non poteſt voluntas non operari: ergo cum illa nõ ſaluatur, ſed tollitur libertas. Probatur conſequentia, quia ſuppoſitio omnino antecedẽs tollit omnino libertatem, vt videbimus: atqui Tridenr. ſeſſ. 6. cap. 5. & Can. 4. docet, hominem præmotum, & excitatum à Deo poſſe non conſentire: ergo &c.

16 Hoc argumentum eſt Herculea claua; vt tamen telum ineuitabile poſsint aduerſarij effugere, diuerſa effingunt confugia: imprimis admittunt libertatem in voluntate creata, etiam ad opera gratiæ, ſunt enim Catholici. Si tamen quæras, quo pacto poſitâ ſimili prædeterminatione phyſica antecedẽte, ſaluari poſsit libertas? ſiquidem voluntas ſine tali qualitate impoſsibile eſt, quòd operetur, & eâ poſitâ impoſsibile eſt, quòd non operetur. Reſpondent communiter, hanc eſſe omnipotentiam, & ſapientiam Dei, quæ

Sapient. 8.

vt habetur Sapientiæ 8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuauiter &c. Fortiter*, ideſt efficaciter prædeterminando phyſicè. *Suauiter*, ideſt libertatem ſeruando: hanc tamen explicationem circa libertatem, liberè ſibi vſurpant aduerſarij, talis enim qualitatis fortitudo ita fortis eſt, vt fortiter tollat libertatis ſuauitatem; quapropter non eſt intelligibile, quomodò cum libertate ſtare poſsit talis prædeterminatio, quæ neceſsitet, & vim afferat voluntati.

17 Alij igitur reſpondent; vt illis credâmus eſto hoc percipere non poſſimus *Quemadmodùm*, inquit Bañes citandus ſect. ſequenti,

Bañes.

credimus myſterium Trinitatis, quod tamen naturali lumine percipere non valemus &c. Quæ reſponſio admiſſa illis quidem eſt; mirabiliùs tamen reſpondet Zumel. 1. 2. tom. 2. q. 111. art. 3. diſp. 2. §. *Ad hæc igitur.*

Zumel.

Conſulit enim, ſeu potius iubet, vt qui præmotionem phyſicam, ſi ſua libertate, intelligere non poſſunt, *credant priùs, & fortaſſe deinceps intelligent*: at enim

Horat. ſat. 5. lib. 1.

— *Credat Iudæus Apella;*
Non ego —

18 Neuter enim accommodatè reſpõdet; non Bañes, ideò enim credimus myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis, quia à Deo reuelatũ eſt, & quia quamuis ſit ſupra rationem naturalem, non eſt contra illam; quæ tamen dici non poſſunt de phyſica præmotione; & præterea à nobis non conſtat à Deo fuiſſe reuelatam, niſi fortè reuelata fuerit Magiſtro Bañ. quod tamen ipſe de ſe non aſſerit; immò licet aſſereret, eius reuelationibus credere non tenemur. Non etiam reſpondet appoſitè ſecundus, non enim credimus, niſi quæ à Deo, & ab Eccleſia proponuntur; non verò quæ à Zumele confinguntur. Neque intelligimus quomodò opinionem illam credentes deinceps intelligimus: quod ipſe tamen impoſsibile eſſe non obſcurè fatetur 1. p. q. 19. ar. 8. diſp. 1. §. *Nos ergo*, vbi laudat eos ſcholaſticos, qui fatentur ignorantiam ſuam, eò quòd non intelligant hanc opinionem; nihilominùs, cùm ſcientia longè ſit laudabilior, quàm ignorantia, eos potiùs laudabo, qui noſtram ſententiam potiùs eligunt, & intelligunt.

19 Quapropter reſpondent alij aliter, ad ſaluandum, ſcilicet, libertatem, ſatis eſſe, quòd obiectum indifferẽter proponatur per iudicium rationis. Sed contrà, quia non refert ad libertatem voluntatis indifferentia iudicij ſi voluntas ipſa neceſsitata eſt per impreſsionem illius qualitatis. Et confirmatur, quia, cum indifferentia iudicij poteſt Deus neceſsitare voluntatem creatam, vt infrà videbimus; & prætereà indifferentia iudicij eſt extrinſeca voluntati, qualitas verò prædeterminans eſt intrinſeca, ideſt ponitur intra ipſam voluntatem: ergo non ſufficit indifferẽtia iudicij, ſi alioquin ipſa voluntas manet determinata per qualitatem intra ſe receptam.

Præcluduntur alia effugia eiuſdem argumenti.

20 ALiam ſolutionem commentus eſt Cabeçudo infrà citandus, aſſerit enim in eo caſu voluntatẽ dicendam eſſe liberam, ſiquidẽ ab intrinſeco libera eſt, quamuis aliunde ab extrinſeco dici poſsit neceſsitata ſecundùm quid per talem qualitatem. Hæc tamen ſolutio Cabecudi non placet, quia Deus neceſsitare poteſt voluntatem, & tamen hæc neceſſitas prouenit ab extrinſeco. Et prætereà Beati neceſsitantur ad amorem Dei, non ab intrinſeco voluntatis, hæc enim libera eſt: ergo ſufficit neceſsitas illata ab extrinſeco, vt voluntas dicatur ſimpliciter neceſsitata. Cabeçudo.

21 Igitur, quia hæc non ſucceſsit, aliâ aggreditur viâ idem Cabeçudo 3. p. q. 72. art 5. q. ſua 2. §. *Ad quintum*, reſpondet enim phyſicam qualitatem neceſſariam non eſſe ex parte potentiæ, eſſe tamen neceſſariam ex parte actus, hoc eſt, tale auxilium phyſicum neceſſarium non eſſe, vt voluntas poſsit operari opus bonum, eſſe tamen neceſſarium, vt

de

Digitized by Google

de facto operetur; atque adeò voluntatem ſine tali prævia motione poſſe quidem operari, nunquàm tamen ſine illa operaturam, ſicut voluntas cum ſolo auxilio ſufficiente poteſt operari, ſed nunquàm de facto operabitur, vt communiter docent Theologi, & in hoc exemplo aduerſariorum

——— *Spes tota inclinata recumbit.*

22 Sed contrà, quia cùm illa motio ſit antecedens ipſum actum, neceſſariò debet eſſe prior actu: ergo habebit ſe ex parte potentiæ: neque refert, quòd detur ſimul cum actu, nam etiam ſpecies concurrit ad actum, & tamen priùs ſe habet ex parte potentiæ, ideſt priùs potentiam ponit in actu primo; quod verò addit Cabeçudo, quòd ſcilicet, voluntas poſsit operari ſine hac qualitate, nunquam tamen illa de facto ſit operatura, friuolum eſt effugium, imprimis quia non poteſt dici completa ad operandum ea potẽtia, cui deeſt aliquod phyſicum comprincipium. Deinde exemplum de auxilio ſufficiente non ſufficit ad rem, propterea enim voluntas poteſt operari cum tali auxilio, quia nihil illi deeſt requiſitum ad operandum: at verò voluntati ſine tali phyſica qualitate deeſt in hac ſententia aliquod complementũ: & ideò non per accidens, ſed per ſe impedita eſt ad operandum. Quòd ſi huic ſolutioni non acquieſcat adhuc Cabeçudo, non nobis imputet, ſed de ſe, de ſuoque nomine conqueratur.

Reijcitur ſolutio de ſenſu compoſito.

23 His inſtantijs, tanquàm ſtimulis adacti, comminiſcuntur quendam ſenſum compoſitum, qui in re ipſa apud ſenſatos viros congruum non habet ſenſum, in quem tamen, velut ad ſacram anchoram ſe recipiunt: aſſerunt igitur communiter ſequentes M. Bañ. 1. p. q. 33. ar. 3. fol. 887. §. *Tandem aduertendũ,* voluntatem creatam prædeterminatam tali phyſica motione non poſſe non operari in ſenſu compoſito, ideſt ſuppoſito quòd habeat talem qualitatem; poſſe tamen in ſenſu diuiſo, ſi nimirum auferatur talis qualitas. Sed contrà, quia potentia libera eſt illa, quæ poſitis omnibus requiſitis, poteſt agere, & nõ agere: ſed vnum ex requiſitis (ſecundùm oppoſitam ſententiam) eſt illa phyſica qualitas: ergo vt voluntas maneret libera, debebat adhuc in ſenſu compoſito, ideſt, poſita illa qualitate, poſſe agere, & non agere.

Bañez.

24 Deinde, ſublata illa qualitate, voluntas neceſſariò non operabitur, ſiquidem illi deeſt complementum illud antecedens: ergo voluntas etiam in ſenſu diuiſo non manet libera ad operandum, & non operandum, ſed neceſſitata manet ad non operandum. Et confirmatur, quia vt voluntas dicatur libera neceſſe eſt, vt in ſenſu compoſito poſsit agere, & non agere; neque hoc ſufficit in ſenſu diuiſo, alioquin amor beatificus diceretur liber, quia in ſenſu diuiſo poterat voluntas non elicere amorem Dei, ſi nimirum intellectus Deum non videret. Senſus igitur compoſitus, ſiue ſuppoſitio, quando eſt ſubſequens actum noſtræ voluntatis, non tollit libertatem: aliter verò dicendum eſt, quando eſt antecedens: v. g. ſcientia, quam Deus habet de peccato Socratis futuro, non tollit Socratis libertatem, etiam ſuppoſito quòd Deus ſciat Socratem peccaturum, quia hæc ſciẽtia ſubſequitur Socratis peccatum.

25 Et ratio huius veritatis eſt, quia talis ſuppoſitio diuinæ ſcientiæ eſt ſubſequens voluntatem Socratis ad peccandum, ideſt, ideo Deus ſcit Socratem peccaturum, quia ipſe Socrates libere peccabit: at verò ſuppoſitio antecedens quæ omnino antecedit libertatẽ creatam, & nullo modo dependet à libertate operantis, hæc nimirum omnino tollit libertatem; & ita ſe habet phyſica præmotio, quia non eſt in poteſtate voluntatis illam recipere, ſed à ſolo Deo infunditur, ſine vllo concurſu voluntatis creatæ, vel ſine reſpectu vllo ad illam, ſiquidem dependet à ſola diuina voluntate, &, eâ poſitâ, infallibiliter, ſeù potiùs neceſſariò, ſequitur effectus.

26 Reſpondent alij, adhuc voluntatis operationem poſſe dici liberam, quia ſcilicet in libertate noſtra fuit talem qualitatem à Deo accipere, ſiquidem libere nos diſpoſuimus ad illam recipiendam. Sed contrà, quia diſpoſitio illa eſſet aliquis actus voluntatis liber: ſed actus ille liber non poteſt dari, vt volunt, ſine prauia qualitate: ergo vt diſpoſitio, ſeu actus illius diſpoſitionis eſſet liber, neceſſariò ſupponeret aliam diſpoſitionem liberam, & hæc aliam, & ſic in infinitum: & confirmatur, quia diſpoſitio ad opera ſupernaturalia, quæ fit per gratiam efficacem præuenientem, non eſt in noſtra poteſtate, datur enim in nobis, ſine nobis, vt loquuntur Patres, & Concilia.

Reijcitur alia ſolutio Cabreræ.

27 Quapropter has omnes ſolutionum vias tranſiliens Cabrera 3. p. tom. de Sacramentis, q. 62. ar. 1. diſp. 12. n. 31. fol. 473.

Acrior ad pugnam redit, & vim ſuſcitat ira.

Virgil. Æn. 5.

Aliter imitem vertit, ſed difficultatem non euertit; aſſeritque voluntatem cum illa phyſica qualitate adhuc in ſenſu compoſito poſſe diſſentiri, vel etiam ſuſpendere ſuum actũ, nihilominùs infallibiliter eſſe operaturam, non tamen neceſſariò, & exemplum affert Zumel 1. 2. tom. 2. ad q. 111. art. 5. diſp. 2. §. *Hæc aſſertio,* in homine confirmato in gratia, qui infallibiliter non peccabit, neque tamen

Zumel.

ad

ad hoc neceſsitatur: aliud exemplum eſſe poteſt, nam voluntas creata, ſuppoſito quòd Deus præuiderit eius peccatum, infallibiliter peccatura eſt; non tamen neceſſariò.

28 Verùm hæc etiam via inuia eſt, & in hac voluntatis infallibilitate infallibiliter hallucinatur Cabrera: & ratio eſt, quia id, quod infallibiliter ſequitur ex vi alicuius cauſæ phyſicæ concurrentis cum potentia per antecedentem qualitatem ipſam complentem, non poteſt ex vi eiuſdem cauſæ aliter euenire; ſed effectus ita ſequitur infallibiliter, ex vi prædeterminationis phyſicæ poſitæ antecedenter, vt implicet contradictionem non euenire, idque ex vi ipſius cauſæ, ſiue ipſius phyſicæ qualitatis, vt aduerſarij aduertunt: ergo non poteſt voluntas ita determinata habere poteſtatem ad oppoſitum: ergo non ſolùm infallibiliter, ſed & neceſſariò operabitur.

29 Exemplum de peccato infallibiliter futuro, ſuppoſita præſcientia diuina, potiùs declarat, & confirmat noſtram ſententiam; tale enim peccatum propterea libere euenit, quia voluntas nullum habet comprincipium intrinſecè ipſam afficiens, & determinans; ſed ideò ſequitur infallibiliter, quia extrinſecè præſupponitur præſcientia Dei, qui falli non poteſt: quapropter tale peccatum non ſequitur infallibiliter, & neceſſariò, quia præſcitur à Deo, ſed ideò à Deo cognoſcitur, quia futurũ eſt ex libera operantis determinatione. Exemplum de homine cõfirmato in gratia explicabitur ſectione ſequenti, quãuis iam ex dictis ſolui poteſt.

30 Hæc ſunt latibula, & dumeta, in quæ confugiunt aduerſarij, vt noſtrum effugiant argumentum: verùm enim verò fruſtra delaſſantur,

— Et hæreni
Nequidquam cæno cupientes vellere plantam.

Hora. ſat. 7. lib. 2.

SECTIO II.

Proponitur, ac refutatur contraria opinio.

1 Contraria tamen ſententia ſumma religione colitur inter Patres Dominicanos, quæ docet neceſſariã omnino eſſe qualitatem phyſicã impreſſam in voluntate, ad hoc vt ipſa voluntas operetur: quam primus compendioſè inſinuauit Medina 1.2 q. . art 9. fine, & q. 109 art. 10. ad tertium. inter antiquos enim Auctores non eſt agitata hæc quæſtio ſub his terminis, quibus inculcatur: hanc ſententiam poſteà maximè approbauit Bañes multis in locis; videri poterit 1.p. q.23. art.3. poſt decimam concluſionem à fol.82. & 1.p.q 14.ar. 13. dub.2. diſp.3. & 12. q.10. ar.1. dub.2. decum. tert. Item Zumel. 1.p. q.14. ar.13. diſp. 4. concl.4 eandem prolixè nimis tradit 1.2. tom.2. q.111. ar.3. diſp.2. (vbi in principio ſectionis ſe allegat alijs in locis) qui aduerſùs M. Molinam more ſuo ſtomachoſus delatrat, ruitque

Medina. *Bañes.* *Zumel.*

Flumen vt hybernum fertur, quò rara ſecuris.

Hora. ſat. 7. lib. 1.

Subſcribit Iacobus Aluarez in reſponſione ad Concordiam liberi arbitrij per totos quatuor libros, vbi ſuam ſententiam latè intẽdit probare Patrum, & Scholaſticorum auctoritate. Idem tenet diſp. 18. 22. 23. & 24. de Auxilijs: quibus accedit, neſcio qua mercede conductus, Petrus Cabrera ſuprà citatus.

Aluarez. *Cabrera.*

2 His auctoribus tenaciter adhæret Cabeçudo multis in locis, videri poterit 2.p.q.62. ar. 5. q. ſua 2. vbi fol.151. miratur cur D. Thomas citetur pro noſtra ſententia, & fol. 170. timet ne fortè ipſe Cabeçudo allegetur à nobis pro noſtra, & ſibi contraria ſententia: nihilominùs in hac parte poteſt eſſe animo otioſo, ac penitus defæcato: eandem ſententiã ſequitur Ripa 1.p. q.19. ar.8. dubit.2. à cap.3. Conradus 1.2. q.10 art.4. adducuntur etiam Caietan. Ferrar. Capreol. quos citat quidam Ioſeph de Sancta Maria in ſuo tractatu Thomiſtico de libero arbitrio q.4. diſp. 4. & ipſe folio 175. ſequitur à §. *His ſuppoſitis, &c.* & in eandem ſententiam iurant communiter Moderni omnes auctores, qui veri, ac ſeueri Thomiſtarum diſcipuli nominantur, quorum partes religioſè venerãtur Fratres Diſcalceati in ſuo Curſu Cõplut. in Phyſ. d.11. q.3. à n.24. item Curſus Thomiſt. in Phyſ. q.25. ar.2. Argumenta quibus hanc ſuam opinionem fabricantur, nolim me vniuerſa recenſendo delaſſare, infinita enim propè ſunt, &

Cabeçud. *Ripa.* *Conrad.* *Caiet.* *Ferrar.* *Capreol.* *Ioſeph. à S. Maria.* *Patres Complut.* *Curſus Thomiſt.*

— Quodcumq; repertum
Rimanti telum ira facit. —

Virgil. Æn. 7.

potiora igitur eligam: pro quibus.

3 Obijcis primò pro hac opinione, Voluntas naturâ ſuâ eſt indifferens ad operandum, & non operandum: ergo non poteſt à ſe determinari, ſed à Deo per phyſicam motionem. Probatur conſequentia, quia ſi voluntas poſſit determinari à ſe ipſa, ſimul eſſet indifferens, & determinata, quod implicat. Reſpondetur negando conſequentiam, non enim implicat voluntatem eſſe indifferentem, & determinatam in diuerſo genere: eſt enim indifferens in actu primo, & determinatur in actu ſecundo. immò niſi poſſet ſe determinare actiuè in actu ſecundo, non eſ-

ſet

Digitized by Google

ſet formaliter libera quòad ſpeciem,& quòad exercitium.

4 Inſtas primò. Solius Dei proprium eſt, poſſe ſe determinare. Et confirmatur, quia ſi voluntas non determinetur à Deo, vt à primo agente, ipſa voluntas erit primum agens reſpectu ſuarum actionum. Reſpondetur tamen, ſolius Dei proprium eſſe poſſe determinare ſe independenter à cauſis ſecundis, & in hoc ſenſu ſolus Deus eſt primum agens liberum, quod non tollit quominùs voluntas creata ſe poſſit determinare, quamuis cum dependentia à cauſa prima, ſine cuius ſimultaneo conſortio nihil poteſt operari cauſa ſecunda. Ex quibus patet, quid dicendum ſit ad confirmationem: ideò autem materia prima determinatur ab alio, quia eſt pura potentia paſsiua, voluntas verò eſt potentia actiua.

5 Inſtas ſecundò. Si voluntas ſe determinet ad ſuum actum, dabitur proceſſus in infinitum, non enim poteſt determinari niſi per alium actum: ergo, vt euitetur talis proceſſus, requiritur phyſica motio. Reſpondetur tamen, voluntatem non ſe propriè determinare ad actum, ſed potiùs ad obiectum volendum, vel nolendum, quia tamen primariò vult obiectum, ideò ſecundariò, & implicitè vult etiam actum; vnde non ſequitur talis proceſſus.

6 Objicis ſecundò. Cauſæ ſecundæ non poſſunt agere, niſi in virtute cauſæ primæ: ergo quando operantur, poſtulant aliquid in ipſis impreſſum. Probatur conſequentia, quia volitio, & nolitio voluntatis creatæ ſunt effectus diuinæ actionis, ſed non poſſunt immediatè produci à Deo per aliquam actionem, ſiquidem vna actio non terminatur ad aliã: ergo priùs Deus producit in voluntate qualitatem aliquam, qua voluntas determinatur ad volitionem, vel nolitionem. Reſpondetur negando antecedens, ad hoc enim, vt cauſæ ſecundæ dicantur agere in virtute cauſæ primæ, ſufficit, quòd nihil poſsint agere ſine cõſortio cauſæ primæ. Ad probationem dic, volitionem, & nolitionem voluntatis creatæ nõ dici effectus actionis Dei ad extrà, quia actio Dei ad extrà eſt eademmet actio cauſæ ſecũdæ, & conſequenter eadem volitio eſt actio Dei, & voluntatis creatæ; & ideò non poteſt eſſe effectus actionis Dei ad extrà, aliter eſſet effectus ſui ipſius: voluntas autem Dei ad intrà, qua vult applicare ſuam omnipotentiam, non eſt actio, & ideò non dicitur terminari ad aliam actionem.

7 Objicis tertiò. Gratia efficax ſaluari non poteſt ſine phyſica præmotione: ergo ſaltem ad opera ſupernaturalia neceſſaria eſt qualitas phyſica. Probatur antecedens, quia gratia efficax eſt illa, quæ infallibiliter habebit effectum: ſed ſi Deus priùs non determinet voluntatem ad opus bonum, ſicut ipſa poteſt ſe determinare, poteſt etiam ſe non determinare: ergo vt infallibiliter detur effectus, neceſſe eſt, vt priùs voluntas phyſicè determinetur à Deo. Reſpond. breuiter negando antecedens; ad probationem dicendũ eſt, gratiam efficacem ſaluari poſſe ſine tali præmotione phyſica, hæc enim præmotio tollit libertatem, quæ debet dari cum gratia efficaci. Conſiſtit igitur gratia efficax in vocatione congrua, qua homo vocatur à Deo in occaſione, in qua Deus ſcit per ſcientiam conditionatam libere conſenſurum, vt communiter docent noſtri Theologi in materia de gratia, de qua modò non diſputo, neque per ſe, neque incidenter, & ideò non immoror in hoc argumento.

Proponuntur, & ſoluuntur alia argumenta.

8 OBjicis quartò ex communi Theologorum ſententia. Voluntas creata cum auxilio ſufficiẽte poteſt operari, ſed nunquàm operabitur; & ſimiliter in noſtra ſententia, de qua 2.p. lib. 2. diſp. 22. ſect. 4. materia cæli poteſt habere formas ſublunares, ſed nunquàm illas habebit; & tamen neque potentia ad operandum cum gratia ſufficiente, dicitur ſuperflua; neque potentia materiæ cæli dicitur ſuperflua ad formas ſublunares: ergo ſimiliter dici poteſt, voluntatem operari poſſe ſine illa qualitate, quamuis in re non ſit operatura ſine illa: & conſequenter non bene ſuprà diximus contra Cabeçudo, fruſtra eſſe hanc potentiam, quia non poteſt reduci ad actum. Et roborari poteſt argumentum exẽplo hominis confirmati in gratia, qui poteſt peccare, nunquàm tamen peccabit. Hoc argumentum aliquem terruit aliquando, ſed larua fuit vmbratilis, & inane terriculamentum.

9 Reſpondetur ergo negando conſequentiam, & circa primum exemplum de voluntate cum auxilio ſufficiente, reſpondetur, quòd ex eo voluntas dicitur ſimpliciter habere potentiam ad operandum, quia nihil illi deeſt intrinſecum, ſiquidem habet auxilium, quod ſufficit, quamuis per accidens, & ſolùm ab extrinſeco, non ſit operatura, ex eo ſcilicet, quòd Deus præuiderit voluntatem libere non operaturam cum tali auxilio: at verò voluntas ſine phyſica qualitate, ideò Cur voluntas nõ ſit operatura cũ ſolo auxilio ſufficiente.

non

non poteſt ſimplicitet dici habere potẽtiam expeditam ad operandum, quia deeſt illi aliquid intrinſecum, nempe phyſica illa qualitas, quam dicunt omnino neceſſariam ad operationem.

10 Exemplum de materia cæli retorqueri poteſt, propterea enim materia cæli, in cõmuni opinione, non habet potentiam proximam ad formas ſublunares; quia deeſt illi aliquid intrinſecum, nempe diſpoſitio antecedens ad tales formas, & quia habet aliquod intrinſecum impedimentum, nempe qualitates cæleſtes; vnde materia cæli ſolum habet potentiam remotam, & eſſentialem ad tales formas ſublunares: ergo ſimiliter voluntas creata non habebit potentiam proximam ad operandum cum auxilio ſufficiente ſine illa præuia qualitate, ſiquidem illi deeſt aliquid, intrinſecum, nempe ipſa præuia qualitas (non enim eſt quæſtio de potentia remota, neque enim de hac loquuntur aduerſarij) quapropter quando diximus, fruſtra eſſe potentiam, quæ non poteſt reduci ad actum, intelligendum eſt de potentia proxima, quæ non per accidens, ſed ab intrinſeco non poteſt reduci ad actum.

11 Inſtas exemplo ſuprà adducto de homine confirmato in gratia, qui habet potentiam proximam ad peccandum, & tamen nũquám peccabit: ergo etiam voluntas creata ſine illa præuia præmotione habebit potentiam proximam ad operandum, quamuis in actu nunquam ſit operatura. Reſpond. tamẽ imprimis, illam potentiam ad peccandum in homine confirmato in gratia, non eſſe aliquã potentiam ſuperadditam de genere qualitatis, ſed eſſe ipſam libertatem conſeruatam in tali homine eodem modo. Deinde propterea talis homo dicitur habere potẽtiam proximam ad peccãdum, ideſt ad poſſe peccare, quia nihil intrinſecum illi deeſt, habet enim libertatem eodem modo, ſed ſolùm per accidens non peccabit propter aliquid ab extrinſeco, nempe propter diuinam aſsiſtentiam, quæ talem hominem liberabit ab occaſione peccandi: vnde illa veluti potentia ad peccandum non eſt fruſtranea in tali homine, ſiquidem inſeruit ad meritum conſequendum, ex eo quòd libere non peccat: at verò voluntas ſine tali præmotione dici non poteſt habere potentiam expeditam, & proximam, ſiquidem illi deeſt phyſicum, & intrinſecum comprincipium, & non per accidens, ſed per ſe manet impedita ad operandum.

12 Obijcis quintò. Quando cauſa ſecũda operatur, aliquam perfectionem acquirit, quam anteà non habebat, ſed hæc perfectio non eſt operatio ipſa, quia operatio non recipitur in agente, ſed in paſſo, vel in termino: ergo alia perfectio debet produci à Deo in cauſa, quæ determinatur ad operandũ: hanc rationem appellat Cabeçado, demonſtrationem. Reſpondetur tamen explicando quo pacto actio ſit perfectio agentis, quamuis enim agens, vt agens, non perficiatur propriè, (vel enim agit tranſeuñter, & perficit paſſum, vel ſi immanenter potiùs ſe perficit, quàm perficiat paſſum, quatenus recipit actum) nihilominùs actio dicitur perfectio agẽtis, quatenus agens per actionem reducitur ad actũ. Vnde Ariſtoteles, qui actionem appellauit perfectionem agentis, nullam mentionem fecit de tali præuia qualitate, quæ antecedenter perficeret agens. Vtrùm verò hæc ratio Cabeçudi ſit demonſtratio? iudicent æqui veritatis æſtimatores.

13 Obijcis ſextò. Deus determinat cauſas ſecundas quòad indiuiduum: ergo per aliquã phyſicam determinationem, talis enim determinatio moralis non eſt. Reſpondetur negando conſequentiam, quia imprimis eſt longè diuerſum determinare ad indiuiduum, & determinare ad exercitium: prima determinatio non tollit libertatem, ſecunda verò maximè: determinare enim ad indiuiduum, nihil eſt aliud, quàm concurrere Deum ad hunc numero actum, ſuppoſito quòd voluntas operari velit aliquem actum talis, vel talis ſpeciei; & adhuc exercitium talis actus liberum manet; quod explicatur exemplo illius, qui vult libere tendere in aliquem terminum, quò ducit vna tantùm via, qui ſi eò pergat neceſſariò iturus eſt per illam vnicam viam, non tamen neceſsitatur ad tale iter; ita ſimiliter ſuppoſito, quòd voluntas velit operari actum talis ſpeciei, determinatur à Deo ad hunc numero actum, non tamen determinatur ad exercitium illius. Quo pacto Deus determinet cauſas ſecundas ad indiuiduum?

14 Deinde hæc determinatio neque, quòad indiuiduum ſit per aliquam phyſicam qualitatem, ſed per concurſum Dei immediatum, alioquin cùm Deus determinet omnes cauſas ſecundas, quòad indiuiduum, ſequeretur hinc, quòd daretur talis præuia motio in qualibet cauſa naturali, & neceſſaria, vt in equo v.g. quod tamen non concedent aduerſarij, ne videantur derogare ſuæ præuiæ qualitati. Et explicatur exemplo, quia ex communi Philoſophorum conſenſu cauſæ ſecundæ determinant primam quòad ſpeciem, nihil tamen præuium imprimunt in cauſa prima: eſt igitur determinatio diuina quòad indiuiduum, ſi ſumatur in actu ſecundo ipſe diuinus concurſus, qui ſecundùm ſe

ſe eſt aliquid phyſicum; ſi verò ſumatur in actu primo, per reſpectum ad cauſas liberas, eſt diuinus concurſus præparatus ſub conditione, *ſi humana voluntas voluerit cooperari.*

15 Obſtas. Deus certò ſcit quam partem Socrates ſit electurus: ergo neceſſarius non eſt concurſus conditionatus in actu primo, ſed ſufficit abſolutus. Reſpondetur negando conſequentiam, quia ita Deus ſcit quam partem Socrates ſit electurus, vt etiam ſciat, Socratem hanc, aut illam liberè electurum. & ideò neceſſe eſt, quòd talis concurſus in actu primo ſit conditionatus; ſi enim voluntas Dei in actu primo foret abſoluta, & efficax, & ſine reſpectu ad libertatem Socratis, cum hæc voluntas Dei ſit omnipotẽs, Socrates neceſſariò operaretur.

16 Obijcis ſeptimò. Deliberatio voluntatis ad eligendum bonum potiùs, quàm malum, eſt opus bonum: ergo procedere debet à Deo. Probatur conſequentia, quia omne opus bonum Deo attribuitur. Reſpondeo diſtinguendo conſequens, debet procedere à Deo concomitanter, & immediatè cauſando tale opus bonum, concedo conſequentiam: debet procedere à Deo prædeterminante priùs voluntatem per aliquam antecedentem qualitatem, nego conſequentiam: ſufficit ergo quòd tale opus bonum procedat à voluntate creata phyſicè, & à Deo moraliter inuitante per gratiam excitantem: quod non tollit quominùs illud opus bonum attribuatur Deo, & quia moraliter inuitauit, & quia phyſicè, ſed immediatè concurrit cum voluntate ad tale opus.

17 Obijcis octauò. Deus in actu ſecundo non confert concurſum, niſi ad vnum tãtùm actum: & tamen voluntas adhuc manet libera in actu ſecundo: ergo quamuis illa qualitas prædeterminaret ad vnum tantùm actum, non tolleret libertatem. Reſpondetur negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia, licét in actu ſecundo detur vnus tantum concurſus ad vnum actum, ſemper eſt cum reſpectu ad voluntatem creatam, ſi ipſa cooperari voluerit, quia in actu primo præparatus eſt concurſus ad vtramque partem, volitionem ſcilicet, aut nolitionem: at verò talis phyſica qualitas abſolutè neceſſitabat ad vnam tantùm partem, vt patet ex dictis.

Quomodo intelligendus ſit D. Thom.

18 Obijciunt prætereà noſtri illi fratres, contra quos nobis res eſt, teſtimonia quædam D. Thomæ, quem ſolùm ipſi intelligere arrogantèr præſumunt, quaſi verò ſolis hæreditario iure, ac veluti per traduce tanti Doctoris ſenſa pateſiant. Ad teſtimonia igitur, quæ ſine fine ſurſque deque coacervant, vno verbo reſpondeo Angelicum Doctorem in locis, quæ allegant, nunquàm clarè loqui de tali phyſica prædeterminatione, ſolùmque velle ſignificare dependentiam, quam omnes cauſæ ſecundæ habent à Deo, qui ad ſingulos earum effectus immediatè concurrit, ipſaſque determinat ad indiuiduum. Quando verò 1. p. q. 10. docet, Deum applicare cauſas ſecundas ad agendũ; per applicationẽ intelligit, vel concurſum in actu ſecundo; vel auxilium inuitans, & ſuadens, non verò determinans.

19 Ac tandem ſententiam ſuam Philoſophi auctoritate probant, cui iam reſpondimus in Phyſicis, loco citato: neque deſtitui videntur auctoritatibus ſacræ paginæ, Conciliorum, ac Patrum, vt videre licet apud Auctores citatos: ſed præcipuè nituntur teſtimonio ex Ioann. 6. vbi Chriſtus Dominus ſic: *Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum* In quibus verbis clamant Chriſtum Dominum loquutum de præmotione, cui homines vocati à Deo reſiſtere non poſſunt, quod roboratur ex Concilio Arauſicano, canone 25. vbi ſtatuitur, in opere bono non nos, ſed Deum incipere: quòd ſi voluntas ſe determinaret, ipſa, & non Deus inciperet, quòd cùm dicendum non ſit, ſequi videtur determinationem incipere à Deo per qualitatem phyſicam.

20 Roboratur tertiò ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. can. 4. vbi decernitur liberum arbitrium non poſſe conſentire, niſi à Deo motum: ad hæc tamen, & alia multa ſimilia teſtimonia facilè, ac breuiter reſpondetur, Chriſtum Dominum, & Concilia ſolùm docuiſſe, neminem elicere poſſe actum bonum, & meritorium, niſi priùs moueatur per gratiã excitantem quæ vel eſt diuina vocatio, vel illuminatio, & inſpiratio, quæ moraliter inuitat, & ſuadet, non tamẽ phyſicè determinat, vt dicunt auctores noſtri citati.

21 Atque ita omnes aduerſariorum aditus ſunt intercluſi; *nec ſpes vlla fugæ.* Quæ cùm ita ſint, quæret aliquis curioſus, cur noſtram ſententiam non amplectantur? Reſpondeo Horatianum illud, Epiſt. ad Auguſtum,

Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi ducunt, Hora. Ep.
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ 1. lib. 2.
Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri. &c.

Hæc breuiter dixi circa modum, quo Deus concurrit cum voluntate creata, in quo explicando, ſi dictum aliquod effluxit inclementius, ſic exiſtiment reſponſum, non dictũ fuiſſe.

Vtrùm

SECTIO III.

Vtrùm Deus poſsit violentare, vel neceſsitare voluntatem creatam?

Reſponſio eſt negatiua. D.Thom. Scotus. Hurtad. Durand. Paludan. Marſil. Gabriel. Almain. Hangeſt. Soar. Fonſeca. Valentia. Granado. Curiel. Martin. Lorca. Gaſpar. Hurtad.

1 PRima concluſio. Voluntas non poteſt cogi, ſiue violentari à Deo in actibus, quos ipſa elicit. Ita ſententia communis eſt cum D.Thoma, Scoto, Durando, Bonauentura, Paludano Marſilio, Gabriele, Almaino, Hangeſto, quos citat, & ſequitur Soarius. 1. 2. trac. de Voluntario, diſp. 2. ſect. 5. n. 6. Idem tenet Fonſ. 9. Metaph. cap. 2. quæſt. 2. ſec. 5. §. *Altera ratio.* Vaſq. 1. 2. ad quæſt. 6. diſput. 26. cap. 1. & 2. Valentia 1. 2. diſp. 2. q. 2. puncto 3. §. *Prima quo.* Item Granado tom. 1. in 1. 2. controu. 2. tract. 2. diſp. 6. num. 1. qui nu. 4. citat Curiel. ſubſcribit Martines 1. 2. quæſt. 6. ar. 4. dub. 1. à folio 443. à §. *Sit ergo.* Vbi præter alios citat Lorcam. Idem prætereà ſequitur Gaſpar Hurtad. trac. de Actibus humanis, diſp. 1. de voluntario, difficult. 9.

2 Probatur breuiter quia omnis actus, qui procedit, & elicitur à voluntate, eſt intrinſecè voluntarius: ergo non poteſt eſſe coactus, ſiue violentus; nam violentum ab extrinſeco procedit, vnde implicat, quòd actus ſit voluntarius, id eſt intrinſecè elicitus à voluntate, & quòd ſit violentus, id eſt prouenien s ab extrinſeco, eſſet enim, & non eſſet voluntarius. Neque obſtat, quòd voluntas poſsit neceſsitari, poteſt enim actus eſſe neceſſarius, non verò violentus, ſed maximè voluntarius, & ſpontaneus, vt patet in amore beatifico.

3 *Secunda concluſio.* Voluntas creata quòad actus, quos imperat, violentari poteſt, etiam naturaliter; eſt etiam communis, & probatur facilè, quia poteſt voluntas imperare brachio, vt moueatur, & aliunde poteſt brachium ab alio detineri; in quo caſu ab extrinſeco, & naturaliter infertur violentia voluntati, in qua prætereà datur reluctantia: ergo &c.

4 *Tertia concluſio.* Voluntas poteſt cogi, ſiue violentari, circa ceſſationem ſuorum actuum elicitorum: & quidem ſi actus elicitus neceſſarius erat, vt eſt viſio beata: certa omninò eſt concluſio apud citatos auctores, quia tunc voluntas à principio extrinſeco detineretur contra internum impetum. Quoad actus verò elicitos liberos, quos efficaciter voluntas vult; idem docet Soar. 1. 2. tract. de Voluntario ſect. 4. diſp. 2. à nu. 7. Idem etiam ſequitur Vaſq. contra Lorcam, Curiel & Cornejo, quos citat; & ſequitur Gaſp. Hurtad. tract. de Humanis actibus, diſp. 1. de Voluntario, difficult. 12. §. *Lorca.* Noſtra concluſio probatur; quia tunc voluntas priuaretur intrinſeca, & naturali perfectione, qualis eſt actuum operatio, ad quam habet naturalem capacitatem: cùm igitur talis priuatio foret ab extrinſeco; paſſo non conferente vim, ſed potiùs reluctante, dabitur violentia.

Soarius. Vaſquez. Lorca. Curiel. Cornejo. Gaſpar Hurtad.

5 Confirmatur, quia natura patitur violentiam, ſi contra internum impetum priuetur à naturali reſultantia ſuæ ſubſiſtentiæ, vt dixi in hac 3. p. tract. 2. diſp. 56. ſec. 1. nu. 19. ergo ſimiliter voluntas patietur violentiam, ſi ab extrinſeco cogatur ceſſare ab omni actu: quamuis enim ſubſiſtentia ſit neceſſaria, & actus voluntatis ſint liberi, nihilominus tamen inclinatio illa, ſiue pondus, quod voluntas habet, vt poſsit producere actus, naturalis eſt: quapropter ſi voluntas omninò ab extrinſeco priuetur concurſu diuino ad producendum omnem actum, procul dubio violentabitur, ex quibus ſolutum manet præcipuum argumentum aduerſariorum.

6 *Quarta concluſio.* Voluntas non poteſt pati violentiam, quando ceſſat ab actu, ex defectu cognitionis: ita communis ſententia cum Paludano, Soar. Vaſq. Curiel. & Cornejo, quos citat, & ſequitur Gaſp. Hurt. trac. de Actibus humanis, diſp. 1. difficult. 11. initio, contra Monteſinum. Probatur, quia tunc infertur violentia voluntati, quando ipſa eſt cum omnibus requiſitis ad operandum; ſed vnum ex requiſitis, vt ſit apta ad operandum, eſt cognitio antecedens in intellectu: ergo ſi hæc deſit, ſi voluntas ceſſet à ſuo actu, nulla violentia illi infertur, ſiquidem talis ceſſatio non eſt contra principium ſufficiens ipſius voluntatis.

Palud. Soarius. Vaſquez. Curiel. Cornejo. Gaſpar Hurtad. Monteſin.

7 Obijcis. Si voluntas ſolùm violentari poteſt, quando habet omnia requiſita ad operandum, nunquàm violentabitur, quia vnum ex requiſitis eſt concurſus diuinus: ergo quando in ceſſatione actuum non datur concurſus à Deo, non violentabitur voluntas, ſiquidem illi deeſt vnum requiſitum, nempe diuinus concurſus: ergo falsò ſuprà diximus poſſe voluntatem violentari ad ceſſandum à ſuis actibus per negationem concurſus diuini; vel ſaltem violentabitur voluntas in ceſſatione actus, cùm non habeat cognitionem antecedentem. Reſpondetur [illegible] eſſe ra-tionem, [illegible] in ceſſante actus, [illegible]

cognitione obiecti & efficaci volitione finis, erat voluntas apta ad eliciendum actum, & ex parte ſua habebat omnia requiſita, poſtulabatque naturaliter diuinum concurſum in actu ſecundo, quo ſi priuetur, violentatur, nam propriè loquendo, diuinus concurſus in actu ſecundo, nō dicitur requiſitum aliquod ad operandum, ſed eſt ipſa operatio, aliter verò ſe habet cognitio antecedens, quæ eſt omnino requiſita, vt voluntas ſit apta ad operandum.

8 Circa hanc violentiam, ſiue coactionem voluntatis multæ aliæ quæſtiones diſputari poſſent, quas relinquo Theologis, ſed præter citatos auctores videri poſſunt alij apud Salas tom. 1. in 1. 2. q. 6. ar. 4. & 5. trac. 3. diſp. 2. ſect. 6. vbi latè, & erudiè agit de hac materia.

Salas.

Vtrùm, & quomodò poſsit Deus neceſsitare voluntatem creatam?

Poteſt neceſsitare creatā voluntatem. D. Thom. Scotus. Marſil. Capreol. Conrad. Palat. Ocham. Gabriel. Cabrera. Alman. Sotus. Medina. Valentia. Bellarm. Zumel. Soarius. Salas. Durand.

9 QVinta concluſio. Deus poteſt per potentiam abſolutam neceſsitare creatam voluntatem ad volēdum, vel nolendū, vel ad ceſſandū ab omni actu, etiā poſitis omnibus requiſitis. Ita cōmunis, & vera ſententia cum D. Thoma q. 22. de Veritate, ar. 8. & 1. 2. q. 6. ar. 4. ad 1. eandem veritatem tenent Scotus, Marſilius, Capreolus, Conradus, Palatius, Ochamus, Gabriel, Cabrera, Almainus, Sotus, Medina, Valentia, Bellarminus, Zumel, & alij, quos refert, & ſequitur Soar. tom. 1. de Gratia, tract. 1. prologom. 1. cap. 4. à num. 9. vbi citat etiam plures ex Patribus. Idem etiam ſequitur 1. 2. tract. de Voluntario, diſput. 2. ſect. 4. num. 12. pro eâdem concluſione inter alios videri poteſt Salas tom. 1. in 1. 2. q. 6. ar. 4. & 5. tract. 3. diſp. 2. ſect. 6. num. 71. vbi prætereà citat Durandum, & alios, & noſtram ſententiam, proſequitur à num. 72.

10 Probatur facilè, quia virtus voluntatis creatæ eſt finita: ergo Deus per ſuam virtutem infinitam poteſt illi inferre neceſſitatem, & ita de facto contingit in viſione beata, circa quam, propter excellentiam obiecti, neceſsitatur creata voluntas, quamuis ad alios actus Beatus maneat liber. Et in ſimili neceſsitate illata voluntati, adhuc manet aptitudinalis indifferentia, in qua conſiſtit eſſentia voluntatis. Similiter neceſsitabitur voluntas, per negationem concurſus; in quo caſu ſi talis ceſſatio ſit contra internum impetum voluntatis, & ipſa renitatur, talis neceſsitas erit violenta, ſi verò non renitatur, ſolùm neceſsitabitur, non tamen violentabitur. Ex quibus patet, omnem violentiam inferre neceſsitatem, non tamen omnem neceſsitatem eſſe violentam, vt patet in amore Beati, qui eſt neceſſarius, & non violentus.

11 Obijcis. Deus non poteſt efficere, vt potentia neceſſaria operetur liberè: ergo neque poterit efficere, vt potentia libera operetur neceſſariò. Reſpondetur negando conſequentiam; diuerſa ratio eſt, quia libertas debet eſſe ab intrinſeco; implicat autem, quòd potentia ab intrinſeco neceſſaria, ſit ab intrinſeco libera: neceſsitas autem poteſt eſſe ab extrinſeco, vel à cognitione ſcilicet, vel ab obiecto, vel à cauſa prima, in quo caſu potentia libera, quæ neceſsitatur, adhuc manet ab intrinſeco libera, quāuis actualiter neceſsitetur ab extrinſeco.

12 *Sexta concluſio.* Probabile eſt poſſe Deum neceſsitare voluntatem creatam per qualitatem creatam. Ita cum D. Thoma q. 22. de Veritate, ar. 8. Soar. tom. 1. de Gratia, tract. 1. prologom. 1. cap. 5. à num. 2. Salas tom 1. in 1. 2. q. 6. ar. 4. tract. 3. diſp. 2. ſect. 6, num. 72. Probatur, quia voluntas habet potentiam finitam: ergo poterit Deus producere qualitatem maioris virtutis, per quā ſuperat liberam voluntatis potentiam; quam qualitatem, quamuis nolint, admittunt Thomiſtæ, qui defendunt præuiam motionem: poterit verò talis qualitas eſſe permanens, ita vt perſeueret in potentia, per quam tamē non deſtruitur libertas voluntatis, licèt maneat quaſi ligata: & dici poterit ea qualitas ſupernaturalis, ſaltem ſub ea generali ratione, quia nulli rei naturaliter debetur tanta virtus, vt illam vim inferre poſsit creatæ voluntati.

D. Thom. Soarius. Salas.

13 *Septima concluſio.* Per concurſum actualem poteſt Deus neceſsitare creatam voluntatem; ita communis, & vera ſententia cum D. Thoma q. 22. de Veritate, ar. 8. & pro eâdem videri poteſt Soar. de Gratia, to. 1. prolog. 1. cap. 5. num. 9. Probatur, quia quidquid Deus poteſt efficere per cauſas ſecundas efficienter, poteſt etiam ſe ſolo; ſed Deus poteſt neceſsitare creatam voluntatem per qualitatem: ergo etiam immediatè per ſuum concurſum. Confirmatur, quia potentia voluntatis ad agendum liberè eſt finita, diuina omnipotentia eſt infinita: ergo poterit neceſsitare voluntatem, quamuis nihil antecedenter in ipſa imprimat, ſed per ſolum immediatum concurſū in actu ſecūdo, omnes enim cauſæ ſecundæ perfectiſsimè obediunt Deo.

D. Thom. Soarius.

14 Sunt tamen inter Recentiores permag-

magnæ lites in hac concluſione, vtrùm ſcilicet poſsit Deus neceſsitare voluntatem creatam per concurſum, qui ſit idem numero in phyſica entitate cum illo, cum quo ipſa voluntas libere operabatur? affirmant communiter iuniores, de quo puncto dicendum eſt in ſect. ſequenti.

SECTIO IIII.

Vtrùm Deus poſsit neceſsitare volũtatem, per eundẽ numero cõcurſum?

Reſolutio eſt negatiua.

1 SIt vnica concluſio. Probabilius exiſtimo, non poſſe Deum neceſsitare voluntatem per eundem numero concurſum phyſicum, quo concurrebat in actu ſecundo cum eâdem voluntate libere operante; ſed dico neceſſariò futurum diuerſum concurſum, numerò ſaltem, ideſt maiorem. Hanc concluſionem vnus pro cũctis tenet Soar. tom. 1 de Gratia, prolog. 1. cap. 5. à n. 14. & n. 13. initio contrariam ſententiam falſam vocat, & impoſsibilem. idem tradit 1. 2. trac. 2. de Voluntario, diſp. 1. ſec. 3. n. 22. Probatur, quia voluntas creata per illum concurſum diuinum libere operabatur, vt ſupponimus, ſed modò datur idem concurſus, & nulla datur mutatio, neque etiam ex parte cognitionis, vt ſupponimus: ergo operatio erit ſemper eadem, ideſt libera: ergo dari non poteſt neceſsitas per eundem numero concurſum.

Soar.

Refutãtur reſponſiones aduerſariorum.

2 Reſpondent aduerſarij, ſufficere voluntatem Dei extrinſecam, quæ præparet voluntati creatæ eundem numero concurſum, non ſub conditione, ſi ipſa voluerit cooperari, ſed abſolutè ad vnam tantùm partem, volendo nimirum, vt voluntas determinatè amet v.g. quin illi præparet concurſũ ad odium; ſed cõtrà, quia ſola extrinſeca Dei voluntas nihil mutare poteſt circa concurſũ, nec circa voluntatem: ergo licèt ille concurſus per impoſsibile, ex parte decreti extrinſeci, non maneret conditionatus, nihilominùs in ſua entitate talis eſſet, ſiquidem in re erat idem numero, vnde conſequenter volũtas eodem modo operabitur.

3 Et declaratur exemplo, quia ſi Deus tribueret igni concurſum ſufficientem ad calefaciendum, licèt per impoſsibile vellet, vt non calefaceret, adhuc tamen calefaceret, quia videlicet extrinſeca voluntas Dei nihil efficeret in hoc caſu: ergo ſimiliter ſi concurſus in actu ſecundo eſt idem, qui anteà, & voluntas creata habet reliqua requiſita, non ſufficiet extrinſecum decretum Dei. Quapropter ad neceſsitandam voluntatem neceſſariò dandus eſt concurſus diuinus, qui ſit maior in entitate phyſica.

4 Ex quibus infero, impoſsibile eſſe, perſeuerante eodem numero concurſu, habere Deum decretum, vt non ſit concurſus conditionatus; nam ille concurſus in ſua entitate phyſica eſt ſufficiens ad libertatem cauſæ ſecundæ, vt cum aduerſarijs ſupponimus; ſed hoc ipſum eſt, eſſe concurſum conditionatum: ergo impoſsibile eſt, perſeuerãte tali concurſu, Deũ circa illum variare decretũ; quapropter, ſi Deus vellet, vt ille cõcurſus non ſit conditionatus, ſed abſolutus, neceſſariò erit maior, & talis naturæ, cui ſcilicet creata voluntas reſiſtere non poſsit.

5 Confirmatur concluſio. Quia volũtas non neceſsitatur, niſi, vel quãdo priuatur poteſtate ſuſpendendi ſuum actum, vel quando priuatur poteſtate illum producendi; ſed per ſolam voluntatem Dei extrinſecam hoc fieri non poteſt: ergo &c. Probatur minor exemplo lapidis, cui ſiquis impulſum imprimat ad motum ſurſum, licèt poſteà velit, vt non moueatur ſurſum, nihilominùs lapis mouebitur ſurſum, perſeuerante tali concurſu, ſiue impulſu: ergo ſimiliter ſi voluntati applicetur concurſus ad actum liberum ſufficiens, non poterit idem cõcurſus neceſsitare voluntatem, per ſolum extrinſecum decretũ diuinum, quod, vt etiam aduerſarij ſupponunt, nihil mutat in concurſu, vel in voluntate.

6 Reſpondent aduerſarij, primò diuerſam eſſe rationem, quia diuinum decretum eſt omnipotens: ſed imprimis hæc ſolutio friuola eſt, nihil enim facit diuina omnipotentia, niſi quando applicatur ad aliquem actum, hîc verò, vt ſupponimus, habet ſe omnino extrinſecè, & nihil operatur. Reſpondent igitur ſecundò, voluntatem extrinſecam Dei in eo caſu nihil phyſicum efficere, efficere tamen aliquid morale, quo poſito, neceſsitatur voluntas. Sed contrà, quia non ſufficit ſola moralitas, vt voluntas in re efficiat aliquem actum, ſed requiritur omnino aliquid phyſicum, nempe concurſus phyſicus: ergo ſimiliter non ſufficiet aliquid morale, nempe voluntas diuina extrinſeca, vt creata voluntas, vel ceſſet à ſuo actu, vel vt illum continuet, ita vt non poſsit ab eo ceſſare.

7 Confirmatur, & demonſtratur. Si ſufficit externa voluntas Dei, vt neceſsitetur voluntas creata, quælibet prædefinitio Dei eam neceſsitaret, prædefinitio enim denominat rem abſolutè volitam à Deo: ergo ſi

ſufficit voluntas extrinſeca abſoluta ad neceſsitandam voluntatem creatã, cùm quælibet prædefinitio ſit voluntas abſoluta Dei, quælibet prædefinitio neceſsitabit voluntatem, quod tamen nemo admittit. Neque dicat aliquis prædefinitionem diuinam ſupponere cauſæ liberæ determinationem; inde enim euidenter colligi poteſt, non ſufficere decretum Dei abſolutum, ſi eſt merè extrinſecum, ad neceſsitandam voluntatem.

8 Confirmatur tandem, nam actio, qua Deus producit calorem in ſubiecto habente frigus, vt octo, eſt diuerſa numero ab ea, qua illum producit in ſubiecto non habente frigus (& idem cernitur in alijs multis exẽplis, quia per tales actiones debet non ſolùm poni calor in ſubiecto, ſed etiam vincitur repugnantia frigoris) ergo ſimiliter quando neceſſitatur voluntas, debet dari diuerſus concurſus, quia illam neceſsitat tollendo eius libertatem, & vincendo repugnantiam naturalem, quam voluntas libera habet operandi neceſſariò.

Proponitur, ac reijcitur contraria ſententia.

9 OBijcis tamen pro contraria Recentiorum ſententia, quæ aſſerit, poſſe Deum neceſsitare voluntatem creatam per eundem numero concurſum in entitate phyſica inuariabilem, quo anteà concurrebat ad actus liberos eiuſdem voluntatis, ſi nimirum talis cõcurſus à Deo præpararetur, non ſub conditione, ſed abſolutè; & conſequenter ſufficere externam Dei voluntatem ad neceſsitãdam creatam voluntatem: ita Salas tom. 1. in 1. 2. q. 6. art. 4. tract. 3. diſp. 2. ſect. 6. n. 74. vbi ſolùm attigit hanc ſententiam, & promittit in materia de Gratia latiùs eam tractare, & probare. Præterea eandem opinionem defendit breuiter Raynaudus in diſciplina morali, diſt. 1. q. 2. art. 3. folio 124. §. *Neque verò* & §. *Verùm ea*; eandem communiter docent iuniores Magiſtri, quam tamen mihi valde probabilem facit auctoritas eximij noſtri Doctoris Franciſci à Coſta in ſuis Manuſcriptis in materia de Gratia, diſp 6. ſect. 6. §. *Ego verò*.

Salas. Raynaud. Franc. à Coſta.

10 Obijcis, inquam, primò & principaliter. Idem numero actus voluntatis poteſt ſimul eſſe liber, & neceſſarius, vt ſuprà dixi diſp. 67. ſect. 1. nam idem actus primò primus, qui modò eſt neceſſarius, accedente aduertentia intellectus, fit liber: ergo quemadmodùm ſola mutatio cognitionis, quæ eſt extrinſeca voluntati, ſufficit, vt actus neceſſarius mutetur in liberum: ita ſola variatio decreti diuini de conditionato in abſolutũ, quamuis ſit extrinſeca voluntati creatæ, ſufficiet, vt reddat actum, qui erat liber, neceſſarium. Reſpondetur negãdo conſequentiam; diuerſa ratio eſt, quia in mutatione cognitionis datur mutatio phyſica ex parte intellectus, cognitio enim cum aduertentia eſt diuerſa phyſicè, ſaltem numero, à cognitione ſine aduertentia; cùm igitur obiectum voluntatis non ſit ſolum obiectum nudè ſumptũ, ſed obiectum ipſum cum tali, vel tali cognitione (eſt enim cognitio conditio logicè neceſſaria in obiecto voluntatis) & cùm obiectum phyſicè varietur, mirum non eſt ſi actus voluntatis varietur etiam de neceſſario in liberum: at verò decretum diuinum eſt omnino extrinſecum tam voluntati operanti, quàm etiam concurſui, & obiecto; quare cùm nihil phyſicè mutet, neque in voluntate, neque in concurſu, neque in obiecto, nullo modo poterit variare modum operandi voluntatis de libero in neceſſarium.

11 Inſtas primò. Si obiectum variatur phyſicè, variata cognitione, etiam actus voluntatis variabitur phyſicè, quoties variatur cognitio: ergo falsò ſuprà dixi diſp. 67. ſect. 1. poſſe eundem numero actum tranſire de libero in neceſſarium, nulla facta in eo phyſica mutatione, ſed ſolum morali. Reſpond. negando antecedens, quamuis enim obiectũ cum hac, vel illa cognitione ſumptum; ſit phyſicè diuerſum, cùm tamen cognitio non ſit, propriè loquendo, obiectum voluntatis, ſed ſolùm conditio requiſita, quamuis eius phyſica variatio ſufficiat ad moralem voluntatis mutationem, non tamen ſemper ſufficiet ad phyſicam mutationem.

12 Inſtas ſecundò. Propterea, ſublata cognitione indifferente, neceſsitatur voluntas in actu ſecundo, quia deeſt conditio neceſſaria ad libertatem, nempe cognitio indifferens, ſed præparatio concurſus cum indifferentia eſt etiam conditio requiſita ad actũ liberum: ergo ſi Deus decernat præſtare cõcurſum abſolutum, non dabitur libertas in actu ſecundo in voluntate creata: ergo per ſolum decretum extrinſecum non tribuendi concurſum conditionatum neceſsitabitur voluntas. Reſpondetur negando ſecundam conſequẽtiam, in eo enim caſu, in quo Deus haberet decretum dandi concurſum abſolutum, iam ille concurſus eſſet phyſicè diuerſus, & propterea voluntas phyſicè neceſsitaretur, omnino enim nego, non dari diuerſum concurſum phyſicum, eo ipſo, quòd detur decretum abſolutum. Addo tamen, quòd ſi per impoſsibile daretur decretum abſolutũ,

& vo-

Digitized by Google

& voluntas maneret cum eodem concurſu in actu ſecundo, liberam manſuram, iuxta ſuprà dicta.

Soluuntur alia argumenta.

13 Obijcis ſecundò. Libertas, & neceſſitas ſunt aliquid extrinſecum actui voluntatis: ergo ſufficit variatio decreti extrinſeci, vt varietur actus de libero in neceſſarium. Reſpond. negando conſequentiam, & ratio eſt, quia quamuis libertas & neceſsitas ſit aliquid extrinſecum actui, nunquàm tamen variatur actus, ſine aliqua mutatione phyſica facta in ipſa cognitione, vel in obiecto, vel in concurſu, vt ex ſuprà dictis conſtat, modò verò, vt ſupponimus, nulla in his fit mutatio phyſica: ergo &c.

14 Obijcis tertiò. Per eundem numero impulſum poteſt lapis ſurſum, & deorſum impelli: ergo per eundem numero concurſum poteſt voluntas libere agere, & neceſſitari. Reſpondetur retorquendo argumentū, non enim ſufficit idem numero impulſus ad mouendum, pro eâdem diſtantia, lapidem ſurſum, & deorſum, cùm reſiſtentia ſit diuerſa. Inſtas, ſaltem qui impellit lapidem deorſum, poteſt ſurſum illum impellere: ergo ſimiliter concurſus ſufficiens ad libere operandum, ſufficiet ad neceſsitandam voluntatem. Reſpondetur negando conſequentiam; diuerſa ratio eſt, quia qui lapidem ſurſum impellit, diuerſum, & maiorem applicat concurſum, quàm cùm illum deorſum mittit: at verò concurſus hîc ſupponitur omnino idem.

15 Obijcis quartò. Ille concurſus, ſiue illa actio (iam enim ſuprà dixi concurſum Dei in actu ſecundo eſſe ipſam actionem, prout ſimul egreditur à cauſa prima, & ſecūda) habent eundem terminum materialem: deinde principium eſt idem, nempe Deus, & voluntas creata: ergo non datur vnde ille concurſus dicatur phyſicè diuerſus. Reſpondetur argumentum imprimis ſi verum eſſet, nimis multum probare, probaret enim, nunquàm poſſe phyſicè variari concurſum, ſiquidem terminus, & principium eſt idem. Reſpondetur ergo, terminum quidem eſſe eundem voluntatis actum, & propterea concurſum non variari quidem ſpecie, nihilominùs poſſe variari numero ex parte principij, cùm enim Deus applicet maiorem concurſum, & cùm actiones indiuiduentur à principijs, ſufficit diuerſus modus operandi ad variandam actionem; neque nouum eſt, intra eandem ſpeciem dari indiuidua maioris, vel minoris intentionis.

16 Inſtas. Maior efficacia, aut applicatio ex parte principij operantis non ſufficit ad variandam numero actionem: ergo &c. Probatur antecedens, quia idem numero actus amoris Dei elicitus in via, continuari poteſt in patria, immò de facto ita contigiſſe in amore B. Virginis, probabile exiſtimat Soar. tom. 2. in 3. p. diſp. 21. ſect. 2. §. *Vnde obiter.*

Soarius.

Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem nego, eundem numero actum cōtinuari ſimpliciter poſſe in via, & in patria; & ratio eſt, quia in patria ſupponitur obiectum cognitum diuerſo modo, & propterea ille actus fit cum maiori efficacia, & non poteſt eſſe idem numero. Ad exemplum actus amoris Virginis Beatiſsimæ reſpondetur, eos qui concedunt fuiſſe eundē numero in via, & in patria, ſimiliter concedere Virginem Beatiſſimam cum eâdem efficacia Deum amaſſe in via, & in patria, quamuis in patria neceſſariò, in via libere, libertas enim, & neceſsitas nihil phyſicum variat ipſo actu, cùm ſit denominatio extrinſeca, maior verò, aut minor efficacia eſt intrinſeca ipſi actui.

Amor in via, & in patria eſt diuerſus.

17 Obijcis quintò. Deus ab æterno potuit præparare hanc numero entitatem concurſus ſub conditione, & abſolutè, pro diuerſis durationibus, ita vt actus amoris inchoaretur libere, & continuaretur neceſſariò: ergo ſine mutatione phyſica concurſus. Reſpond. negando antecedens, nam poſito quòd illa entitas concurſus fuit conditionata, non potuit tranſire in abſolutam, ſine mutatione phyſica, quia, vt dixi, poſita illa entitate, voluntas libere ſe haberet: ergo ſi tranſiret in abſolutam, ne diuina voluntas fruſtraretur, debebat addere maiorem efficaciam concurſus, vt de conditionato tranſiret in abſolutum.

18 Obijcis vltimò. Efficacia voluntatis creatæ ſufficiens eſt, vt potentia motiua exerceat ſuos actus, quin voluntas imprimat potentiæ motiuæ aliquid intrinſecum: ergo ſimiliter efficacia diuinæ voluntatis ſufficiens erit ad neceſsitandam voluntatem creatam, ſine vlla mutatione facta in ipſa voluntate. Probatur conſequentia, quia magis ſubordinatur voluntas Deo, quàm potentia motiua voluntati creatæ. Reſpond. negando conſequentiam, & ad probationem dicendum eſt, modum ſubordinationis eſſe valde diuerſum, nam potentia motiua ſubordinatur volūtati creatæ per naturalem ſympathiam, quam habent inter ſe membra eiuſdem ſuppoſiti, & eo ipſo quòd voluntas vult, ſtatim datur de nouo aliquid phyſicum in brachio v. g. quando mouetur: at verò decretum Dei eſt omnino extrinſecum, neque hîc de nouo datur aliquid phyſicum, vt ſupponimus: ergo quamuis ſubordinatio ſit maior, non mouebitur voluntas diuerſo modo, niſi de nouo

Digitized by Google

detur aliquid phyſicum in eâdem voluntate, ſicut in brachio, quando mouetur, datur de nouo, vel nouus concurſus, vel motus. Hæc de creata libertate; nunc ad increatam aſcendamus.

DISPVTATIO LXIX.

De Libertate increata.

QVoniam de potentijs liberis nobis quæſtio fuit, ideò aliquid de diuina libertate audendum eſt attingere, quæ materia in hac vita propè eſt imperceptibilis, & humano captu longè ſublimior, vt ingenuè fatentur ingenioſiſsimi Theologi quos infrà citabimus; aliqua tamen circa diuinam hanc libertatem neceſſariò inueſtigabimus, vt melius percipiātur ea, quæ de creata libertate liberiùs diſſeruimus.

SECTIO I.

Vtrùm ſit, & quid ſit libertas in Deo?

Deus eſt formaliter liber.
Magiſter.
D. Thom.
Bellarm.
Soarius.
Molina.
Salas.
Albertin.
Herice.
Granado.

1 PRima concluſio. Ex fide, & ratione conſtat, dari in Deo libertatem formalem: ita communiter omnes Theologi cum Magiſtro in 1. diſt. 45. & cum D. Thoma 1. p. q. 19. art. 3. inter quos videri poſſunt Bellarminus lib. 3 de Gratia, & Libero arbitrio, cap. 15. Soar. in Metap. diſp. 30. ſec. 16. præcipuè à n. 15. & in opuſculis relectione de Libertate diuina, diſp. 1. ſec. 1. Vaſq. tom. 1. in 1. p. ad q. 19. diſp. 79. Molina 1. p. q. 19. ar. 3. §. *Secunda concluſio.* Salas 1. 2. tom. 1. q. 6. tract. 3, diſp. 1. ſect. 7. à nu. 74. Albertinus tom. 1. q. 1. Theologica in 1. corollar. ex 6. principio phyſico, n. 6. à fol. 354. Herice 1. p. tract. 2. diſp. 16. cap. 1. & 2. Granad. 1. p. tom. 1. tract. 3. diſp. 4. n. 1. qui omnes latiſsimè probant hanc veritatem teſtimonijs ſacræ paginæ.

2 Probatur igitur breuiter, quòd hæc veritas conſtet ex fide, Pſal. 93. *Deus vltionum Dominus, Deus vltionū liberè egit*, &c. Probatur deinde ratione, quia Deus eſt intellectualis: ergo habet libertatem, impoſsibilis enim eſt ſubſtantia intellectiua, quin ſit volitiua. Probatur ſecundò, quia libertas eſt maxima perfectio naturæ intellectualis. Probatur tertiò, quia omnis perfectio, quæ reperitur in creaturis, ſi in ſua ratione abſtracta nullam inuoluat imperfectionem, debet in Deo reperiri, non ſolùm eminenter, ſed formaliter: ſed ita ſe habet libertas: ergo &c. Confirmatur tandem, quia Deus non habet neceſſariam connexionem cum creaturis exiſtentibus (nullū enim bonum Deo accreſcit ex creaturis exiſtentibus) ergo Deus non vult has creaturas neceſſariò, & conſequenter Deus habet formalem libertatem ad extrà.

Refellitur contrarius error.
Plato.
Ariſtot.

3 Oppoſitum tamen errorem tenuere Plato, Ariſtoteles, & alij hæretici, quos citat, & impugnat Bellarminus lib. 3. de Gratia, & Libero arbitrio, cap. 5. pro quibus objicis primò. Libertas dicit aliquam contingentiam; ſed contingentia includit imperfectionem mutabilitatis: ergo libertas in Deo non reperitur. Reſpondeo cum Soario in Met. diſp. 30. ſect. 16. n. 43. libertatem in Deo idem eſſe, ac contingentiam, dummodò contingentia ſignificet indifferentiam diuinæ voluntatis, vt Deus producat, vel non producat creaturas, nec enim eſt de ratione perfectæ libertatis, vt ſit mutabilis, ſed ſolùm vt faciat, quæ vult, pro libero ſuæ voluntatis arbitrio, & non pro neceſsitatis obſequio, vt loquitur D. Ambroſius lib. 2. de fide, cap. 5.

Soarius.
D. Ambr.

4 Objicis ſecundò. Potentia libera non ſolùm debet habere dominium circa obiecta, ſed etiam circa actus ipſius potentiæ, id eſt non debet eſſe indifferens ſolùm circa hoc, aut illud obiectum, ſed etiam debet eſſe domina ſuorum actuum, ita vt poſsit illos elicere, vel non elicere: ſed diuina voluntas non habet hoc dominium circa ſuos actus (non enim poteſt Deus non habere actum, quem habuit ab æterno) ergo &c. Reſpondetur tamen ad veram libertatem ſufficere dominium in actum quoad terminationem ad obiecta, quo pacto datur in Deo, vt mox videbimus; habere autem dominium circa entitatem actus, ita, vt ab eo poſsit dari ceſſatio, vel variatio, non arguit perfectiorem libertatem, ſed indicat creatam mutabilitatem.

5 Objicis tertiò. Deus neceſſariò vult ſuam

Digitized by Google

ſuam bonitatem, tanquam finem omnium creaturarum: ergo ſimiliter neceſſariò vult ipſas creaturas. Probatur conſequentia, quia neceſſaria volitio finis, habet neceſſariam volitionem mediorum. Reſpondetur ad antecedens, Deum ſolùm abſolutè velle ſuam bonitatem ſecundùm ſe, ſine aliquo reſpectu dependentiæ, ad creaturas, nulla enim indiget ad ſui perfectionem, ſolùmque ex ſuppoſitione, quòd Deus vult communicare ſuum eſſe creaturis, illas amat, tanquàm medium ad manifeſtandam ſuam diuinam bonitatem; immò etiam in hac ſuppoſitione inuenitur diuina libertas, poteſt enim creare has potiùs, quàm illas creaturas.

6 Inſtas. Si voluntas diuina foret omninò libera, poſſet Deus nihil producere ad extrà: ſed hoc videtur repugnare diuinæ bonitati, quæ eſt diffuſiua ſui: ergo &c. Reſpōd. concedendo maiorem, & negando minorem; cùm enim Deus non indigeat creatura aliqua, non repugnat diuinæ bonitati, quòd nullam producat, hæc enim bonitas quamuis ſit communicatiua ſui, debet eſſe ſubiecta libertati, Deo igitur ex creaturis nullum accreſcit bonum intrinſecum, ſed ſolùm accidentale.

7 Aduertendum eſt, hanc libertatem in Deo non eſſe per modum potentiæ, ſed per modum actus vltimi puriſsimi, & maximè ſubſiſtentis: vnde multùm differt à libertate creata, quæ concipi poteſt in potentia; vel indifferentia ad agendum, aut non agēdum. Deinde potentia libera creata, vt ſe determinet, indiget actu à ſe reali et diſtincto, neque denominatur actualiter libera, niſi poſtquàm datur talis actus liber, libertas verò diuina non indiget alio actu de nouo producto: immò neque indiget actuali exiſtentia rei volitæ, ab æterno enim dicitur Deus liber circa creaturas, quæ in tempore habebūt exiſtentiam.

Quid ſit actus liber diuinæ voluntatis?

8 ARdua tamen, & inexplicabilis difficultas eſt, quidnam addat actus liber diuinæ voluntatis, quo Deus amat creaturas, ſupra actum neceſſarium, quo ſe ipſum amat? & ratio dubitandi eſt, quia actus liber eſt aliquid poſitiuum, & intrinſecum; ſed propterea actus dicitur liber, quia poterat non eſſe in Deo: ergo aliquid poſitiuum, & intrinſecum poterat deſinere eſſe in Deo; vnde non euitaretur mutabilitas in Deo. In hac grauiſsima difficultate dicam illud, in quo plures, & meliores Theologi conueniunt, omiſſa interim in aliud tempus accuratiori huius dubij inueſtigatione: ſit igitur

Actus liber in Deo nihil addit poſitiuum.

9 *Secunda concluſio.* Actus liber in Deo, quá liber eſt, nihil poſitiuum addit, & intrinſecum ſupra actum neceſſarium, ſed eſt idem actus neceſſarius, quo Deus ſe amat, prout tamen terminatur ad obiecta creata, ad quæ poſſet non terminari; quapropter ſine vlla additione idem actus reſpectu Dei eſt neceſſarius, & prout terminatur ad creaturas dicitur liber: ita D. Thom. 1. p. q. 19. ar. 2. ad 4. vbi docet nihil Deo accreſcere perfectionis ex eo quòd velit aliquid extra ſe: idem ſentit Scotus, Gregor. Bonauent. & alij, quos ſequitur Soar. & citat in Met. diſp. 30. ſect. 9. à n. 39 Vaſq. item 1. p. diſp. 1. tom. 1. ad q. 19. diſp. 80. cap. 2. Valentia 1. p. diſp. 1. q. 19. puncto 4. poſt ſecundam concluſionem: pro eādem ſententia ſtat Molina 1. p. q 19. ar. 2. diſp. 2. Item Arrubal. 1. p. diſp. 54. cap. 2. ſubſcribit etiam Granadus 1. p. tom. 1. tract. 3. diſp. 5. ſect. 3. à n. 15. vbi præterea citat Zumel, Bañes, & alios. Eandem ſententiam latiſsimè tractat, & ſequitur Herice 1. p. tract. 2. diſp. 16. præcipuè cap. 4. Idem etiam ſupponit Faſſolus 1. p. q. 9. ar. 1. dub. 2. n. 12. in medio. Hanc etiam concluſionem approbat Becanus 1. p. tract. 1. cap. 11. q. 4. concl. 1. & 2. & latè proſequitur Albertinus tom. 1. in corollarijs, q. 2. Theologica in ſecundum corollarium ex ſexto principio phyſico à n. 18. Item Præpoſitus 1. p. q. 19. ar. 3. dub. 4. n. 6. Immò P. Alarcon. 1. p. tract. 3. diſp. 4. poſtquam cap. 6. ſententiam Patris Soarij verbis refellit, tādem re ipſa illam amplectitur cap. 8. à nu. 3. vbi præterea citat Ruicium, Tanerum, & alios plures. Eandem noſtram concluſionem docet P. Lugo tract. manuſcripto de Deo, diſp. 5. ſect. 1. vbi retractat ſententiam, quam aliquando tenuerat; eandem tangit, & approbat P. Iulius Cæſar Recup. tom. 1. lib. 5. q. 21. n. 7.

D. Thom. Scotus. Gregor. Bonau. Soarius. Vaſques. Molina. Arrub. Granad. Zumel. Bañes. Herice. Faſſolus. Becan. Albertin. Præpoſit. Alarcon. Ruicius. Tanerus. P. Lug. Ceſar Recupit.

10 Hæc concluſio ita in communi propoſita ſic probatur; quia, vt ex fide conſtat, Deus habet libertatem actualem; ſed hæc libertas actualis non eſt aliquid intrinſecum, & reale ſuperadditum diuinæ voluntati: deinde non eſt aliquis reſpectus rationis: ergo actus liber in Deo eſt ipſemet actus neceſſarius, prout terminatur ad creaturas futuras, vel exiſtentes. Probatur minor quoad primā partem: quia ſi actus liber in Deo adderet aliquid reale, & intrinſecum, cùm Deus poſſet carere tali realitate, circa illam foret mutabilis. Probatur quoad ſecundam partem, quia Deus actualiter eſt liber, & talis fuit ab æterno circa

circa

circa creaturas futuras, nemine cogitante, per intellectum.

11 Eſt igitur actus liber in Deo ipſemet actus diuinæ voluntatis, non quidem conceptus ſecundùm ſe tantùm, tunc enim omnino neceſſarius eſt, ſed prout tendit, & terminatur ad creaturas. Exemplis declaratur concluſio: primum ſit; eadem albedo, ſi ſecundùm ſe ſumatur, eſt aliquid abſolutum; ſi verò ſumatur prout terminatur ad aliam albedinem, eſt ens relatiuum. Secundum exemplum ſit, voluntas noſtra per ſe ipſam eſt potentia neceſſaria, reſpectu Dei clarè cogniti, & eſt libera reſpectu creaturarum. Tertium exemplum ſit, nam Vbi, & duratio ſunt formæ intrinſecæ, & abſolutæ, intelligi tamen non poſſunt ſine ſuo extrinſeco connotato, nempe tempore, & ſpatio imaginario.

12 Quartum exemplum eſſe poterit, nã eadem res creata in ſua entitate intrinſeca inuariata, propter ſolam terminationem ad extrinſecum, ſortitur diuerſas appellationes, & rationes, eadem enim res modò dicitur eſſe eſſentia, modò futura, modò exiſtens, modò præterita, per ſolam connotationem ad aliquid extrinſecum: & idem cernitur in potentia obedientiali, nihil enim addit intrinſecum, & poſitiuum rei; niſi tantùm connotationem ad extrinſecam voluntatem, & ad omnipotentiam diuinam. Explicatur tandem exemplo Verbi diuini, quod, ſine vlla ſui mutatione, vel additione intrinſeca terminauit humanitatem, ex qua terminatione nihil de nouo reſultauit in Verbo, præter reſpectum terminantis ad humanitatem terminatam.

13 Atque ita in communi manet explicata hæc difficilis veritas, in explicanda tamẽ hac terminatione velle diuini ad creaturas, multùm variant auctores, & in hac parte *Velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno*, vt videre licet apud citatos pro noſtra concluſione; quorum opiniones proſequi eſſet longiſſimum. Contra communem hanc ſententiã proponẽ aliqua argumenta, omiſſis alijs infinitis, quæ circa diuerſos modos explicandi hanc terminationem coacervantur.

Soluuntur aliqua argumenta contra propoſitam concluſionem.

14 OBijcis tamen primò pro contraria ſententia, quæ aſſerit, actum liberum diuinæ voluntatis addere aliquid intrinſecum, & reale, quã ſententiam tenet Caiet. 1. p. q. 19. ar. 2. qui tamen communiter, & meritò ab omnibus impugnatur, propter rationem ſuprà factam; cui tamen adhæret maximè Fonſ. 7. Metap. cap. 8. q. 5. ſec. 4. concedit enim terminationes illas ad obiecta eſſe reales entitates, quæ à Deo abeſſe potuiſſent. Fonſecam ſequitur Salas tom. 1. in 1. 2. trac. 3. q. 6. diſp. 4. ſect. 8. §. 7. præcipuè n. 104. & §. 6. nu. 95. intendit probare hanc ſententiam communẽ eſſe inter auctores, quos ibi numerat, & ſine fine allegat, quatenus docere videntur cum Fonſ. terminationem illam ad obiectum eſſe modum realem, virtute diſtinctum ab actu neceſſario.

Margin: Caiet. — Fonſeca. — Salas.

15 Obijcis, inquam, primò. Cauſa formalis, vel quaſi formalis, poſita in ſubiecto capaci, ſtatim illi communicat ſuum effectũ, vel quaſi effectum formalem: ſed actus diuinæ voluntatis, quòad ſuam entitatem eſt in Deo neceſſarius: ergo non poteſt conſtituere Deum liberè volentem, ſed ſolùm conſtituet Deum neceſſariò ſe amantem: ergo vt Deus intelligatur liberè volens creaturas, addenda eſt aliqua entitas. Reſpondetur, negando conſequentiam, quia bene poteſt idem diuinus actus denominare Deum ſe amantem neceſſariò, & propter ſuam eminentiam poterit etiam denominare Deum liberè volentem, vel nolentem creaturas, iuxtà exempla poſita.

16 Inſtas: In primo ſigno, in quo adhuc non concipiuntur creaturæ liberè productæ à Deo, concipitur actus diuinæ voluntatis; & tamen non denominat Deum liberè volentem: ergo actus Dei neceſſarius non poteſt habere pro effectu formali reddere Deũ liberè volentem, alioquin daretur cauſa formalis ſine effectu formali. Reſpondetur negãdo conſequentiam; nam, vt cauſa formalis denominet & præſtet ſuum effectum formalem adæquatum, habere debet omnia requiſita, cùm igitur in eo primo ſigno non concipiantur adhuc creaturæ, tanquàm effectus liberi, quid mirum ſi diuinus actus, non denominet Deum liberũ; ſic albedo in Angelo non reddit Angelum album, ſiquidem in Angelo non habet omnia requiſita, & ſimiliter actus primò primus nõ reddit hominem liberè volentem, quia deeſt illi aduertentia, qua poſita idem actus in entitate phyſica denominat actum liberum, ita ſimiliter poſita in alio ſigno determinatione ad obiectum, denominatur Deus liberè volens tale obiectum liberum.

Margin: Quo pacto actus neceſſarius Dei ſe extendat ad creaturas?

17 Obijcis ſecundò. Deus dicitur verè, realiter, & intrinſecè volens creaturas, ſicut verè, & realiter dicitur intellectiuus, & omnipotens: ſed intellectus, & omnipotentia in Deo dicunt aliquid reale, poſitiuum, & intrinſe-

trinſecum virtualiter diſtinctum: ergo ſimiliter actus liber &c. Reſpond. ad maiorem, Deum dici verè, realiter, & intrinſecè volentem creaturas per ipſum actum realem, & intrinſecum, quo ſe ipſum neceſſariò amat; qui eſt actus realis, & intrinſecus, ſicut eſt ipſe intellectus, quamuis requirat connotationem illam ad extrinſecum obiectum: ſicut duratio eſt aliquid reale, & intrinſecum in creatura, neceſſariò tamen habet connotationem ad extrinſecum tempus: negandum verò omnino eſt, actum liberum in Deo addere aliquam perfectionem realem, & poſitiuam, vt volebat Caiet. cum enim Deus poſſet carere tali perfectione, ſiquidem libere eam habuit, ſequeretur, quòd poſſet Deus intrinſecè mutari.

18 Inſtas. Deus ab æterno haberet illum actum liberum ſuperadditum, & ſemper in Deo eſſet: ergo non ſequeretur, quòd mutaretur Deus. Reſpondetur negando conſequentiam, ad hoc enim, vt Deus foret mutabilis circa talem actum, ſatis eſt, quòd poſſet illum non habere, ſicut Sol dicitur mutabilis erga lucem, quia quamuis ſemper fuerit cum luce, immò, & quamuis illam ſemper ſit habiturus, poterat tamen illam non habere, quod ſufficit ad inducendam mutabilitatem.

19 Obijcis tertiò. Non poteſt fieri mutatio ab vno contradictorio in aliud ſine aliqua mutatione facta in altero extremorum; ſed Deus in primo ſigno concipitur, vt volens ſe ipſum neceſſariò, indifferenſque ad volendum, vel nolendum creaturas. Deinde in ſecundo ſigno iam concipitur libere volens ipſas creaturas: ergo neceſſariò danda eſt aliqua additio, ſiue mutatio ex parte actus diuinæ voluntatis; nam quòd hæc mutatio non fiat ex parte creaturarum, inde patet, quia omnis varietas obiecti diuinæ voluntatis prouenit ab ipſa voluntate diuina, priùs enim intelligitur volitio Dei libera, tanquàm cauſa futuritionis creaturarum, quàm concipiatur varietas in ipſa creatura: ergo additio, ſiue mutatio debet dari ex parte actus diuinæ voluntatis.

20 Reſpondetur tamen nullam in diuino actu dari mutationem, aut variationem, ſed ſolam terminationem ad extrinſecum, ſecundùm quam Deus à non determinato in primo ſigno, concipitur determinatus, propter moralem mutationem factam in obiecto, quod à purè poſſibili factum eſt futurum; vnde facilè dici poteſt dari in actu diuino mutationem obiectiuam.

Sola datur terminatio ad extrinſecũ.

21 Inſtas. Voluntas Dei libera non tantùm duratione, ſed etiam cauſalitate eſt prior creaturis: ergo non poteſt dici libera à connotatione creaturarum. Reſpond. creaturam futuram in ratione effectus, eſſe poſteriorem actu diuinæ voluntatis efficacis, ſiquidem diuina voluntas efficax eſt cauſa futurorum; omnis autem cauſa eſt prior ſuo effectu: at verò creatura futura in ratione obiecti eſt prior actu diuinæ voluntatis; quod exemplis explicatur, nam diuina omnipotentia, quatenus cauſa creaturarum, eſt prior illis; quatenus verò potentia eſt, concipitur poſterior, omnis enim potentia ſupponit obiectum; ſimiliter in actu efficaci, quo volo exercitium, ipſum exercitiũ, quatenus obiectum, eſt prius actu volendi, quatenus verò effectus eſt poſterior.

22 Obijcis quartò. Velle libere, & velle neceſſariò, ſunt effectus formales diuerſi: ergo prouenire non poſſunt ab eâdem forma. Reſpondetur diſtinguendo conſequens, prouenire non poſſunt ab eâdem forma creata, & eodem modo conſiderata, concedo conſequentiam: prouenire non poſſunt ab eodem actu puriſsimo, & diuerſo modo concepto, ſecundùm noſtros inadæquatos conceptus, nego conſequentiam: hoc enim tribuere debemus actui diuino, ratione infinitatis, ac eminentiæ, vt patet in exemplis, ſuprà allatis.

23 Obijcis quintò. Actus liber ideò talis dicitur, quia potuit non eſſe in Deo, & tamen ex hoc non arguitur mutatio in Deo: ergo licèt concedamus actum Dei liberum addere aliquam perfectionem realem, & poſitiuam, quæ poterat non eſſe in Deo, nulla inde argueretur in Deo mutatio. Reſpondetur ad maiorem, actum liberum potuiſſe nõ eſſe in Deo ſolùm quoad connotationem ad extrinſecum, non verò quoad entitatem intrinſecam, ſic enim eſt ipſe Deus: ſicut albedo potuit eſſe in Socrate ſecundùm ſuam entitatem, quin ſit ſimilitudo, quia vt ſit ſimilitudo, præter entitatem intrinſecam, requirit aliam albedinem extrinſecam, ad quã terminetur: ex quibus patet, quid dicendum ſit ad reliquum argumentum, nam in hoc modo philoſophandi nulla cernitur mutatio in Deo, neque perfectio de nouo adueniens, quæ tamen neceſſariò dari poſſet, ſi actus liber adderet aliquid reale intrinſecum, vt patet ex dictis.

Quomodò actus liber potuit non eſſe in Deo.

24 Atque ex dictis ſoluta ſunt argumẽta pro contraria ſententia, quæ ſine dubio minùs probabilis eſt, quàm noſtra, quæ de Deo digniùs cenſet; quamuis autem non ità clarè explicet hunc actum liberum, aliquid tamen in re propè inexplicabili deglutiendum eſt. Et prætereà noſtra concluſio confirmari

Confirmatur amplius hæc doctrina. firmari poteſt, quia ſi actus liber adderet aliquid poſitiuum, & reale intrinſecum, cùm nihil ſit intrinſecum, & reale in Deo, quod non ſit ipſe Deus, & cùm ille actus liber poſſet non eſſe, ſequeretur, quòd ipſe Deus poſſet etiam non eſſe.

25 Quam ſententiam tandem confirmo. Quia ſi actus liber adderet aliquid poſitiuum, illud additum non per rationem, ſed à parte rei diſtingueretur: atquì in Deo nulla perfectio diſtinguitur ex natura rei: ergo actus liber non eſt perfectio poſitiua, & realis ſuperaddita actui neceſſario. Probatur maior ex principijs metaphyſicis; illa enim ex natura rei diſtinguuntur, quorum vnum poteſt eſſe ſine alio; ſed actus neceſſarius, quo Deus ſe amat, potuit eſſe ſine illa perfectione ſuperaddita, quam fingunt aduerſarij: ergo diſtingueretur ex natura rei. Probatur minor hæc, quia propterea actus eſt liber, quia poſſet non eſſe, & de facto caret actualiter Deus multis actibus liberis, qui eſſe poterant erga creaturas, quæ in æternum manebunt ſub pura poſſibilitate: quòd verò nulla perfectio Dei diſtinguatur ex natura rei, ſatis conſtat.

Molina. Ferrar. Capreol. Hiſpalenſ. Zumel. Herice.

26 Ex dictis etiam ſoluta manent argumenta Molin. Ferrarienſ. Capreol. Hiſpalen. & Zumelis, quos Herice citat 1. p. tract. 2. diſp. 16. cap. 1. n. 13. exiſtimantium, actum liberum Dei ſolùm addere ſupra neceſſarium reſpectum rationis. Quæ opinio ex eo præterea confutatur, quia actus liber in Deo datur à parte rei: neque Deus dicitur liber, quia talis apprehenditur per noſtram rationem.

SECTIO II.

Poſſit ne dari mutatio in diuina Voluntate?

Reſolutio eſt negatiua.

1 PRima concluſio Voluntas diuina, ita eſt omnino immutabilis, vt non poſſit de nouo velle id, quod ab æterno noluit, vel nolle id, quod ab æterno voluit. Ita vera & catholica ſententia cum D. Thoma 1. p. q. 19. a. 7. Vaſq. ibidem, Mol. Valent. & reliqui interpretes D. Thomæ. Item Suar. in Metap. diſp. 30. ſec. 9. n. 55. Salas 1. 2. tom. 1. q. 6. trac. 3. diſp. 1. ſect. 8. Eandem veritatem latè probat Gillius lib. 2. trac. 8. cap. 8. 9. 10. & 11. vbi Patres, & Scholaſticos citat; videri etiam poteſt Albertin. tom. 1. q. 2. Theologica in ſecundum corollarium ex ſexto principio phyſico folio 356. n. 16.

D. Thom. Vaſquez. Molina. Valentia. Soarius. Salas. Gillius. Albertin.

2 Probatur hæc veritas ex Malachiæ 3. *Ego Deus, & non mutor.* Deinde Prouerb. 19. *Multæ cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini in æternum manet, &c.* Ex quibus conſtat, hanc concluſionem de fide eſſe; non eſt tamen facile aſſignare efficacem rationem, qua demonſtretur: illam igitur afferam ex Suar. in Met. diſp. 30. ſec. 9. n. 58. quæ communiter recipitur, fundaturque in diuina immutabilitate; ſi enim Deus de nouo vellet in tempore aliquid, quod ab æterno non vellet: vel ſi ceſſaret modò ab actu volitionis, vel nolitionis, quam habuit ab æterno, procul dubio mutaretur, quia tranſiret à non volente in volentem, vel è contra, &c. ſed omnis mutatio & variatio repugnat Deo: ergo &c. Probatur maior, quia ille, qui habet modò actum volendi, quem anteà non habebat, mutatur, vel phyſicè, per nouam additionem actus, qui de nouo datur: vel ſaltem moraliter in caſu, in quo ille actus æquipolleret volitioni, & nolitioni, vt fit in actu diuino; qui ſimul eſt volitio, & nolitio: ſed omnis etiam moralis mutatio prouenit ex aliqua inconſtantia, vel inconſideratione, vel ignorantia, quæ omnia Deo repugnant: ergo &c.

Malac. 3. Prou. 19.

3 Et declaratur, quia vel Deus cognouit ſe retractaturum volitionem, quam habuit ab æterno, vel non cognouit: hoc ſecundum non eſt dicendum: ſi verò cognouit, leuiſsimum foret decernere, quod præſciuit, ſe in tempore retractaturum: ergo dicendũ non eſt, Deum poſſe velle de nouo, quod ab æterno noluit vel è contra, quin detur aliqua mutatio ſaltem moralis, ex qua neceſſariò ſequitur mutatio phyſica.

Fruſtra impugnatur ratio huius concluſionis. *Fonſeca. Salas.*

4 Hæc ratio ſufficiens eſt, ſuppoſita diuina immutabilitate, vnde nihil curo argumenta, quibus impugnatur à Fonſ. 7. Metap. cap. 8. q. 5. ſect. 6. minùs etiam curo quod ait Salas tom. 1. in 1. 2. q. 6. trac. 3 diſp. 1. ſec. 8. n. 113. vbi noſtrum philoſophandi modum friuolum appellat, exiſtimat enim, nullam dari poſſe mutationem moralem, quin immediatè etiam detur mutatio phyſica, ex qua moralis mutatio oriatur; ſed contra eſt, quia, perſeuerante eâdem omnino cognitione, poteſt volũtas amare quod anteà non amabat, ſolùm pro ſua libertate: ergo ſine præcedente mutatione phyſica.

5 Obſtas tamen pro Salas. Dixi ſuprà diſp. 68. ſect. 4. n. 13. non poſſe dari mutationem actus de neceſſario ad liberum, quin priùs detur aliqua phyſica mutatio ſaltem ex parte cognitionis: ergo ſimiliter dari non poterit aliqua variatio moralis actus amoris in actũ odij, quin detur priùs aliqua mutatio phyſica,

Digitized by Google

phyſica. Reſpond. negando conſequentiam; diuerſa ratio eſt, quia, cùm neceſsitas non ſit propriè in manu voluntatis, non poteſt mutari actus de libero in neceſſarium ſine aliqua mutatione ex parte obiecti cogniti, quæ phyſica eſt, vt vidimus: at verò cùm omnis actus liber ſit in manu voluntatis, poteſt immediatè voluntas per ſe ipſam hos actus variare: quapropter ſi detur vnus actus adeò perfectus, qui ſimul ſit amor, & odium, propter ſuam eminentialem virtutem, qualis eſt diuinus, bene poterit mutari de amore in odium, ſine mutatione phyſica, non tamen ſine morali; cùm tamē hæc moralis mutatio alioquin de Deo repugnet, vt vidimus; inde eſt, quòd actus amoris Dei non poſsit in tempore mutari.

6 Obijcis contra concluſionem. Summa libertas etiam viſitur in deponendo actum voluntatis, vel etiam in mutatione illius: ergo Deus poterit variare actum ſuæ diuinæ voluntatis, vel ab illo ceſſare. Reſpondetur negando antecedens, nam ad ſummam Dei libertatem ſatis eſt, quòd ita libere habeat actum amoris ab æterno, vt potuerit illū non habere quoad hāc terminationem, neque requiritur, vt poſsit mutare talem actū, vel ab illo ceſſare, hoc enim ſolùm arguit creatam libertatem imperfectam, ac mutabilem.

7 Inſtas, Deus modò amat Socratem in gratia, & mox peccantem odio habet: ergo datur mutatio in voluntate. Reſpondetur negando conſequentiam; idem enim actus diuinæ voluntatis, propter ſuam virtutem eminentialem, eſt ab æterno amor, & odium reſpectu eiuſdem Socratis, pro diuerſitate circūſtantiarum, & ideò in eo nulla datur mutatio, quia talis actus, cùm ſit infinitus, & multiplex virtute, poteſt eſſe ſemper ab æterno amor, & odium.

8 Atque ex dictis etiam ſoluta manent plurima teſtimonia ex ſacra Scriptura, quæ afferri ſolent contra hanc veritatem; ex quibus probare nituntur hæretici dari mutationem in diuina voluntate, vt cùm Ionæ 3. pepercit Niniuitis, & 4. Reg. 2. Regi Ezechiæ, quibus antea multa mala fuerat minatus, &c. Reſpondetur enim, nullā ibi dari mutationem, tales enim comminationes conditionatæ erant, ſi videlicet non agerent pænitentiam, neque enim in Deo propriè reperitur pænitudo, ſed tantùm metaphorica, propter mutationes, quas cauſat in obiectis, ſecūdùm conſilium ſuum æternum, quamuis ſoleat ſcriptura ſe explicare per hanc phraſim, vt cùm Deus dixit, *Pænitet me feciſſe hominem.*

Ionæ 3.
4. Reg. 2.

Vtrùm Deus mutaretur phyſicè, ſi aliquid de nouo vellet, aut ſciret?

9 EX dictis manifeſtè ſequitur *ſecunda concluſio*. Si Deus aliquid de nouo vellet, non mutaretur phyſicè ſed tantùm moraliter. Ita communis ſententia, & bene ſequitur ex prima concluſione. Probatur; quia volitio Dei libera nihil phyſicum addit ſupra actum neceſſarium, ſed nihil phyſicè mutatur, niſi per phyſicam additionem: ergo &c. Ex hac tamen noua volitione libera ſuperaddita bene infertur mutatio moralis, quæ conſiſtit in inconſtantia, & variatione actus; & ex hac mutatione morali immediata, ſequeretur mutatio phyſica mediata, qui enim capax eſt moralis mutationis, etiam capax eſſe poterit phyſicæ mutationis.

Si aliquid de nouo vellet moraliter mutaretur.

10 Obijcis primò. Si Deus in tempore aliquid de nouo ſciret, immediatè mutaretur phyſicè: ergo ſimiliter ſi aliquid de nouo vellet. Huic argumento reſpondent communiter Moderni cum Soar. in Met. diſp. 30. ſec. 9. num. 53. concedendo antecedens, & negando conſequentiam, aſsignantq; diuerſam rationem, quia ſcientia in Deo neceſſaria eſt, & proinde repræſentare debet omne ſcibile, per realem repræſentationem, quapropter ſi Deus aliquid ſciret, neceſſariò illi addenda erat aliqua realis repræſentatio, & conſequenter Deus phyſicè mutaretur per realem ſcientiam de nouo aduenientem: at verò determinatio libera ad obiectum nihil addit reale actui diuinæ voluntatis, quare licèt Deus de nouo aliquid vellet, non mutaretur phyſicè.

Soarius.

11 Hæc eſt communis hodie reſponſio, quæ tamen non ita videtur cohærens ad doctrinam ſuprà traditam, quapropter philoſophandum videtur eodem modo circa actum ſcientiæ liberæ, & circa actum liberum diuinæ volūtatis, vnde ſicut Deus nō mutatur phyſicè, licèt de nouo aliquid vellet, quia ſolū daretur noua terminatio ad obiectū intrinſecū, ita etiā nō mutaretur phyſicè, quāuis de nouo aliquid ſciret, quia ſolū daretur noua expreſſio obiecti in ſcientia libera, de qua ſermo eſt.

Quamuis aliquid de nouo ſciret nō mutaretur phyſicè.

12 Quod ſic probatur, nā ſcientia libera futurorū potuit non dari in Deo (hæc enim ſciētia non cōcipitur in Deū, niſi poſt decretū liberū futurorū) ergo ſcientia libera in Deo nihil de nouo addit intrinſecū ſciētiæ neceſſariæ. Probo cōſequentiā, quia propterea actus liber diuinæ voluntatis nihil de nouo addit actui neceſſario, ne dicatur poſſe fieri

aliquam realem additionem intrinſecam actui diuinæ voluntatis: ergo ſimiliter ſcientia libera nihil de nouo reale, ſiue phyſicum, & intrinſecum addit. Probatur conſequentia, quia cùm hoc additum ſit liberum, & conſequenter poſſit non eſſe in Deo, conſequenter etiam ſequeretur, quòd aliquid, quod eſt ipſe Deus, poſſet non eſſe Deus. Ex quibus optimè infertur, quòd ſi ſcientia libera nihil intrinſecum, & phyſicum addit Deo, quamuis auferatur actus ſcientiæ liberæ, vel quamuis de nouo adderetur, non mutaretur Deus phyſicè, ſed tantùm moraliter, vt dixi de actu diuinæ volitionis.

13 Obſtas primò. Cognitio diuina habet pro obiecto adæquato omne cognoſcibile; voluntas verò diuina non tenetur velle omne volibile, & ratio diuerſitatis eſt, quia intellectus eſt potentia neceſſaria, voluntas verò libera: ergo ſi de nouo aliquid cognoſceret diuinus intellectus, mutaretur. Probatur conſequentia, quia cùm repræſentatio omnis obiecti cognoſcibilis ſit neceſſaria in diuina ſciẽtia, ſi aliqua de nouo adderetur, mutaret diuinam ſcientiam, ſiquidem modò datur noua repræſentatio, quæ anteà non dabatur.

Sciẽtia libera ſolũ addit connotationẽ ad obiectũ liberum.

14 Reſpondetur, hoc argumentũ ſolùm oſtẽdere diuerſitatem inter actus diuinæ voluntatis, & diuini intellectus, nam volitio diuina quoad creaturas futuras eſt omnino libera: at verò ſcientia diuina circa eadem futura ſolùm eſt neceſſaria ex ſuppoſitione, quòd dentur futura: ex eo tamen quòd illa expreſſio futurorum in ſcientia Dei ſit neceſſaria ex ſuppoſitione, non probat, quòd mutaretur Deus, ſi de nouo aliquid ſciret, quia illa noua expreſſio de obiecto futuro nihil eſt intrinſecum, phyſicum, & reale ſuperadditum, ſed eſt ipſamet ſcientia neceſſaria, cum noua expreſſione obiecti liberi, ſicut actus liber, eſt ipſemet actus neceſſarius cum noua terminatione ad obiectum liberum.

15 Obſtas ſecundò. Actus diuini intellectus eſt naturâ ſuâ determinatus ad cognoſcendum omne cognoſcibile: actus verò diuinæ voluntatis eſt indifferens ſecundùm ſuam entitatem, vt ſit nolitio & volitio obiecti creati. Vnde bene ſequitur, quòd ſi modò foret volitio, quod anteà erat nolitio, nulla ſequeretur mutatio, cùm tamen ſequeretur in intellectu, ſi modò repræſentaret id, quod anteà non repræſentabat. Reſpondetur negando ſequelam, intellectus enim ita modò repræſentaret id, quod anteà non repræſentabat, vt hæc additio non foret aliquid phyſicum ſuperadditum, eadem enim met ſcientia neceſſaria eſt libera ſecundum diuerſam expreſſionem ad obiecta libera, ſicut idemmet actus voluntatis neceſſarius per reſpectum ad diuerſa obiecta, ſolùm ſecundùm diuerſas terminationes; eſt volitio, & nolitio eſt neceſſarius, & liber.

16 Ex quibus patet eodem modo philoſophandum circa actum liberum diuinæ voluntatis, & circa ſcientiam liberam diuini intellectus, in vtroque enim caſu, ſi Deus aliquid de nouo vellet, aut ſciret, ſolùm moraliter, & non phyſicè mutaretur: neque obſtat, quòd in intellectu creato noua expreſſio obiecti fiat per nouam entitatem phyſicam, nam intellectus creatus non eſt per ſe ipſum repræſentatiuus, & expreſſiuus obiecti, ſed per ſuperadditam ſpeciem impreſſã, & expreſſam realiter diſtinctam ab intellectu, quod non ita contingit in diuino intellectu, qui per ſe repræſentatiuus eſt, non verò per aliquam ſpeciem, vel actum realiter diſtinctum: ex quibus conſtat eodem modo philoſophandum eſſe circa actum liberum diuinæ voluntatis, & diuini intellectus, nam in vtroque caſu ſola daretur moralis mutatio immediatè, & phyſica mediatè. Quam reſolutionem approbat Granadus 1. p. tom. 2. controuerſ. 3. trac. 3. diſp. 5. ſec. 4. nu. 28. vbi prætereà citat Molinam, & Soarium. Granad. Molina. Soarius.

SECTIO III.

Vtrùm in diuina voluntate libera detur pura ſuſpenſio actus?

1 Sit vnica concluſio. Probabilius eſt in voluntate diuina libera non dari, nec dari poſſe putam actus ſuſpenſionem: vel aliter, circa obiectum, per ſcientiam diuinam ſufficienter propoſitum, non poteſt voluntas diuina negatiuè ſe habere, nullum actum efficiendo volitionis, aut nolitionis. Ita communis ſententia, quã tenent D. Thom. Ferrar. quos citat, & ſequitur Salas tom. 1. in 1. 2. trac. 3. q. 6. art. 2. & 3. diſp. ſec. 1. n. 85. idem etiam ſequitur Albertin. tom. 1. q. 2. Theologica ex ſexto principio phyſico, puncto 7. n. 13. Vaſquez tom 1. in 1. p. q. 19. diſp. 79. cap 3. à num. 17. Soar. 1. p. lib. 5. de Reprobatione, cap. 4. n. 5. vbi citat Scotum (quatenus vterque docent, non ſe habuiſſe Deũ circa ſalutẽ reproborum merè negatiuè) Eandem ſententiam tenent Bañes 1 p. q. 19. ar. 10. n. 1. Arrubal. 1. p. diſp. 56. n. 10. Eandem etiam obiter ſequuti ſunt Fonſ. in Metaph. tom. 3. lib. 7. cap. 8. q. 5. ſec. 3. ad finem primi §. vbi promitti ſe huc

Reſolutio eſt negatiua.

D. Thom. Ferrar. Salas. Albertin. Vaſquez. Soarius. Scotus.

Bañes. Arrub. Fonſeca.

Hurtad. Granad. Nauarr. Ioannes Gonzales. Lugo.

hoc alibi oſtenſurum. Similiter Hurtad. de Anima, diſp. 15. ſect. 7. num. 49. pro eâdem concluſione ſtat Granadus tom. 2. in 2. p. tract. 2. diſp. 6. à n. 3. vbi præterea citat Nauarrete, & Ioannem Gonçalues, idem docet P. Lugo tract. manuſcripto de Deo, diſp. 5. ſect. 1.

2 Probatur concluſio. Quia actus poſitiuus perfectior eſt, quàm mera negatio: ergo meliùs eſt velle aliquid, vel nolle poſitiuè, & per actum poſitiuum, quàm per puram actus ſuſpenſionem: antecedens eſt certum; probatur conſequentia, quia id, quod amatur, vel negligitur per puram actus ſuſpẽſionem, dicitur voluntarium indirectum, & interpretatiuum; cùm igitur maior perfectio ſit actus poſitiuus, quàm eius negatio, & cùm voluntarium directum perfectius ſit, quàm indirectum, dicendum procul dubio eſt, etiã circa creaturas merè poſsibiles, & circa res, quæ nunquàm ſunt futuræ, Deum ſe habere poſitiuè nolendo illarum exiſtentiam, ſiquidem circa tales res datur in Deo perfectum voluntarium, non verò ſolùm indirectum, & interpretatiuum.

Reſpondetur argumentis pro parte contraria.

3 Obijcis tamen primò pro cõtraria opinione, quæ placet aliquibus modernis ingenioſis (inter quos eſt P. Prepoſ. ... q. 19. ar. 3. dub. 3. n. 23 vbi citat Valent.) Si non poſſet dari in Deo pura ſuſpenſio actus, Deus neceſſariò ſemper haberet erga creaturam aliquam, vel actum amoris, vel actum odij: ſed hoc eſt falſum: ergo Deus poteſt ſuſpendere ſuum actũ. Maior probatur, quia ſi voluntas diuina nõ poteſt ſuſpendere actum, neceſſariò habebit actum amoris, quando non habuerit actum odij, alioquin ſuſpendet ſuum actum: minor probatur, quia difficile videtur, Deum circa quamlibet creaturam non poſſe ceſſare, vel ab actu odij, vel ab actu amoris; præcipuè, quia poſsibilia in bona opinione non ſunt obiectum odij, neque amoris, vt videbimus. Reſpondetur negando ſequelam maioris, neque enim ſemper Deus haberet actum amoris, vel odij, poteſt enim Deus poſitiuè habere actum amoris, & poſitiuè nole habere actum amoris, vel ècontra; vt patet in eodem exemplo poſsibilium, circa quæ Deus, in bona opinione, non habet actũ odij, vel amoris, neque purè manſit ſuſpẽſus, ſed poſitiuè voluit ipſa neque amare, neque odio habere.

Prepoſit. Valent.

4 Obijcis ſecundò. Deus non intendit mala culpæ poſitiuè: ergo ſaltẽ circa mala culpa habet ſe verè negatiuè permittendo illa. Reſpondetur ad antecedens, Deum etiã circa mala culpæ poſſe dici habere actum poſitiuũ, quatenus ſcilicet poſitiuè non vult tribuere auxilia efficacia ad cõſequutionẽ gratiæ, ad quod poteſt Deus habere aliquã rationẽ boni, ſaltẽ per ordinẽ ad aliquod attributum, ad oſtendendam v.g. diuinã iuſtitiam.

5 Obijcis tertiò. In Deo datur libertas ſpecificationis, poteſt enim Deus circa obiecta creata habere actum amoris, vel odij. Deinde datur libertas contradictionis: ſed hæc dari non poteſt, niſi in potentia, quæ habere poteſt puram actus ſuſpenſionem: ergo &c. Probatur minor; quia, vt detur libertas contradictionis, neceſſe eſt, vt voluntas circa idem obiectum poſsit operari; vel ſuſpendere actum. Reſpondetur primò ad hoc argumentum cum Granado 1. p. trac. 3. diſp. 6. n. 3. permittendo non dari in Deo propriam libertatem contradictionis, propter rationem factam, & quia libertas contradictionis habet annexam imperfectionem, quia actus poſitiuus nolitionis perfectior eſt, & magis voluntarius, quàm mera negatio, vt patet ex probatione noſtræ concluſionis. Neque obſtat, quòd Deus habeat libertatem ſpecificationis, ſiue contrarietatis, quæ maior eſt, quàm libertas contradictionis, nõ enim ſemper qui poteſt maius, poteſt etiam minus, immò ex eo quòd Deus habeat ſummam, & perfectiſsimã libertatem; neceſſe non eſt quòd habeat libertatem contradictionis, quæ habet admixtam imperfectionem; tunc autem qui poteſt maius, poteſt etiam minùs, quando nõ ſequitur aliquod inconueniens, vt hîc ſequitur.

Vtrum detur in Deo libertas cõtradictionis? Granads

6 Reſpondetur ſecundò concedendo dari in Deo libertatem contradictionis; ad quã neceſſaria non eſt pura ſuſpenſio actus, ſed ſatis eſt, quòd volũtas poſsit velle amare per actũ poſitiuũ, & quòd poſsit velle non amare per actũ etiam poſitiuũ, & hæc libertas appellari poteſt ſine dubio libertas exercitij, quia eſt ad actum in particulari, vel ad eius oppoſitum. & poteſt etiam appellari libertas contradictionis, quia actus poſitiuus amoris opponitur alteri actui poſitiuo non habendi amorem, in quo datur negatio amoris, & ſic datur libertas contradictionis, quia datur actus poſitiuus amoris ex vna parte, & datur negatio huius amoris ex altera parte, quamuis hæc negatio fundetur in actu poſitiuo, nõ habendi amorem.

7 Et confirmari poteſt, quia omnes Auctores verè, & communiter concedũt dari in homine libertatẽ contradictionis, & tamẽ aliqui negant, poſſe in eo dari purã actus ſuſ-

 pen-

Digitized by Google

Hurtad. penſionem, vt videre eſt apud Hurtad. de Anima, diſp. 15. ſect. 7. ergo ſignum eſt nō leue ad libertatem contradictionis, non requiri neceſſariò puram actus ſuſpenſionem, ſed ſufficere ſuſpenſionem veluti impropriam, hoc eſt quòd Deus per actū poſitiuū determinetur ad nolitionem etiam, cui tamen actui poſitiuo ſit anneхa negatio actus oppoſiti; neque ex hac ſententia ſequitur proceſſus in infinitum.

8 Obijcis quartò. Si in diuina voluntate dari non poſſet pura ſuſpenſio, darentur in ea infinitæ volitiones circa quamlibet creaturā, quam nollet creare. Probatur ſequela, quia in quolibet inſtanti temporis, in quo illam nollet creare, haberet vnum actum nolitionis: ſed inſtantia ſunt infinita: ergo &c. Reſpondetur tamen, hoc argumentum ad ſummum probare dari vnum tantùm actū æquipollentem illis actibus infinitis, quod nullū eſt inconueniēs, eſt enim diuinus voluntatis actus infinitus, & multiplex virtute.

9 Inſtas. Si, vt Deus omittat amorem, neceſſarius eſt actus poſitiuus nolitionis huius amoris, ita ſimiliter ad omiſsionem nolitionis neceſſaria erit nolitio nolitionis, & ad hanc alia reflexa, & ſic in infinitum: ergo niſi detur in Deo pura ſuſpenſio actus, ſequeretur proceſſus interminabilis. Reſpond. inſtātiam eſſe inefficacem, dici enim poteſt, nolitionem amoris ſatis omitti per ipſum amorē, neque proinde neceſſarium eſſe actum reflexum, per quem Deus nolit ipſam nolitionē, vt ſatis ex ipſis terminis patet.

SECTIO IIII.

De Obiecto diuinæ voluntatis liberæ.

Bonitas diuina nō eſt obiectum diuinæ libertatis. 1 PRima concluſio. Diuina bonitas, & reliqua Dei attributa non ſunt obiecta diuinæ voluntatis liberæ. Ita omnes Theologi, & videri poteſt Soar. in Met. diſp. 30. ſect. 16. n. 16. & 17. Vaſq. 1. p. ad q. 19. diſp. 79. cap. 1. Granadus 1. p. to. 2. tract. 3. diſp. 2. n. 2. vbi citat D. Thomā, Scotum, Caietanum, Ferrar. Mol. Zumel, & Valentiam. Probatur, quia diuina bonitas eſt infinitè perfecta, & infinitè amabilis, & vt talis cognoſcitur ab intellectu diuino: ergo vt talis neceſſariò amabitur non libere. Confirmatur, quia Spiritus Sanctus eſt omnino neceſſarius, non poteſtque procedere niſi per amorem, qui ſit omnino neceſſarius, qualis eſt amor, quo Deus ſe diligit.

Soarius. Vaſquez. Granad. D. Thom. Scotus. Caiet. Ferrar. Molina. Zumel. Valent.

2 *Secunda concluſio.* Voluntas diuina non eſt libera quoad ſpeciem circa mala culpæ, ita vt ea poſſit amare, & odio habere; quamuis ſit libera quoad exercitium circa hæc mala. Ita communis ſententia Theologorum cum D. Tho. 1. p. q. 19. ar. 10. ad 1. & 2. & videri po- D. Thom. teſt Soar. in relectione de Libertate volūtatis diui- Soarius. næ, diſp. 2. ſect. 1. à n. 5. probatur ex Pſal. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es &c.* Probatur deinde ratione, quia ſi Deus vellet, & approbaret peccata, eò ipſo poſſet peccare in ſimili approbatione, quod tamen maximè repugnat diuinæ bonitati, & ſanctitati: ergo Deus non eſt liber quoad ſpeciem circa mala culpæ, ita vt poſſit elicere odium, vel amorem.

3 Adhuc tamen permanebit Deus liber quoad exercitium circa mala culpæ, poterat enim elicere actum odij, vel nō elicere, propter aliquem finem, ad eum modum, quo dixi ſectione ſuperiori dari in Deo libertatem quoad exercitium, quod ſic probatur; quia quemadmodum nullum bonum creatū neceſsitat Deum ad illud volendum, ita etiam nullum malum creatum neceſsitat Deum ad illud nolendum poſitiuè.

Quomodò Deus amet poſsibilia?

4 SVppoſito quòd Deus libere amet res omnes futuras, & exiſtētes, quod certum omnino eſt, ſit *Tertia concluſio.* Creaturæ poſsibiles amantur à Deo neceſſariò ſecundùm eſſe eminentiale, quod in diuina eſſentia habent. Hæc concluſio citra controuerſiam eſt, quia hoc pacto amare Deum creaturas, nihil eſt aliud, quàm amare ſuam eſſentiam, & ex hoc etiam amore creaturarum producitur Spiritus Sanctus, vt docet Soar. in Summa lib. 11. de Trinitate, cap. 2. nu. 7. Tota difficultas eſt de amore Soarius. poſsibilium in ſe ipſis.

5 *Quarta concluſio.* Deus amat poſsibi- Deus amat poſsibilia libere. lia in ſe ipſis. Ita Scotus, & alij plures, quos infrà citabo, quatenus exiſtimant, Deum poſsibilia neceſſariò amare. Probatur, quia diuina voluntas amare poteſt omne obiectum, quod habet rationem boni; ſed creaturæ, etiam in eſſē poſsibili, ſunt bonæ: ergo amari poſſunt à Deo. Maior, & conſequentia etiam ſunt bonæ; probatur minor: quia bonum eſt paſsio entis, ſed creaturæ poſsibiles ſunt vera entia: ergo habent aliquam bonitatem, quæ minor facilior eſt in noſtra ſententia, docuimus enim in hac 3. p. diſp. 50. ſect. 1. à num. 4. rerum eſſentias in eſſe poſsibili eſſe poſitiuas. Confirmatur, quia Deus, vt teſtatur Apoſtol.

Digitized by Google

ad Timoth. 2. *Vult omnes homines ſaluos fieri.* Et tamen multorum ſalus eſt tantùm poſsibilis: ergo Deus vult, & amat aliquid merè poſsibile. Eſt tamen hic amor inefficax, quia quando diuina voluntas amat aliquid efficaciter, neceſſariò tribuit illi exiſtentiam.

6 *Quinta concluſio.* Deus amat poſsibilia non neceſſariò, ſed liberè. Ita Scotus in 2. *Scotus* diſt. 1. q. 1 ar. 2. §. *Sed contrà*; & in 3. diſt. 32. *Alexand.* q. 1. §. *Quod etiam*, Alexand. Zumel. Molin. *Zumel.* & Valentia, quos citat Granad. tom. 2. in *Molina.* 1. p. tract. 3 diſp. 3. n. 2. item Præpoſi. 1. p. q. *Valentia.* 37. ar. 2. dub. vnico à nu. 6. Probatur, quia *Granad.* nullum bonum, niſi increatum, poteſt neceſ- *Præpoſit.* ſitare quoad exercitium voluntatem creatā, niſi ratione imperfectæ cognitionis, vt contingit in actibus primò primis: ergo creaturæ poſsibiles neceſsitare non poſſunt voluntatem diuinam, quoad exercitium amoris, vel complacentiæ in illis. Antecedens eſt certum, conſequentia eſt optima; quia ſi nullum bonum finitum neceſsitare poteſt volūtatem finitam, quoad exercitium amoris, multò minùs neceſsitabit voluntatem infinitam.

Proponuntur, & reijciuntur contrariæ ſententiæ.

7 Obijcis pro prima, & contraria ſententia, quæ docet, Deum nullo modo amare poſsibilia in ſe ipſis. Ita Soar. in Met. diſp. 30. ſect. 16. à *Soarius.* n. 39 & 1 p. lib. 3. de Attributis, c. 6. n. 7. & lib. *D.Thom.* 11. de Trinitate, c. 2. n. 9. quam etiam abſolutè *Bonau.* docuit D. Thom. q. 23. de Veritate, ar. 3. ad 1. *Alenſis.* D. Bonau. Alenſis, quos citat Penotus in pro- *Penotus.* pugnaculo, lib. 4. cap. 2. n. 3. vbi hanc ſentē- *Torres.* tiam probabilem iudicat; idem tenet Torres *Bañes.* 1. p. q. 27. ar. 1 diſp. vnica. Bañes 1. p. q. 34. ad *Zumel.* 3. argumentum Scoti, Zumel ibidem, & alij Recentiores.

8 Obijcis, inquam, primò. Deus nullum bonum confert creaturis poſsibilibus, prout ſic: ergo illas non amat. Probatur conſequentia, quia amor Dei ſemper eſt collatiuus alicuius bonitatis: ſed creaturæ poſsibiles non habent exiſtentiam: ergo nullum habent bonum. Reſpondetur ad antecedens: Deum creaturis poſsibilibus velle, & conferre bonitatem poſsibilem, neque mirum eſſe, ſi eis non tribuat exiſtentiam, quia ſolus amor efficax ordinatur ad præſtandam bonitatem exiſtentem, amor verò poſsibilium eſt inefficax; quæ ſolutio facilior eſt in noſtra ſententia, dixi enim poſsibilia habere eſſe poſitiuum, & conſequenter bonitatem: & iuxta hanc primam opinionem Spiritus Sanctus non procedit ex amore poſsibilium, vt aduertit Soar. de Trinitate, lib. 11. cap. 2. à n. 7.

9 Obijcis ſecundò pro alia ſecunda, cōtraria, & probabili etiam ſententia, quæ docet, Deum amare poſsibilia neceſſariò. Ita D. Thomas 1. p. q. 37. ar. 2. ad 3. Caiet. ibid. q. 34. ar. 3. ad 5. Vaſq. tom. 1. in 1. p. ad q. 19. diſp. *D. Thom.* 79. cap. 2. vbi initio citat Scotum, Richar- *Caiet.* dum, & Dionyſium. Pro eâdem ſententia *Vaſques.* pugnat Arrubal. 1. p. diſp. 33. nu. 10. Herice *Scotus.* 1. p. diſput. 18. cap. 1. num. 2. Granado item *Richard.* 1. p. tom. 1. tract. 3. diſp. 3. nu. 5. vbi præte- *Dionyſ.* reà citat Aureol. & Lacerd. Pro eadem ſen- *Arrubal.* tentia ſtant Salazar de Conceptione, cap. 2. *Herice.* num. 48. Pennotus in propugnaculo lib. 4. *Granad.* cap. 2. num. 3. immò & Soar. in Summa lib. *Aureol.* 3. de Attributis, cap. 6. n. 10. ſuppoſito quòd *Lacerda.* talis amor detur in Deo (quem tamen ipſe *Salazar.* negat) exiſtimat cum his Auctoribus fore ne- *Pennotus.* ceſſarium quoad exercitium; & conſequen- *Soarius.* ter docet hæc ſententia Spiritum Sanctum procedere ex hoc amore, quia, quamuis ſit inefficax, eſt tamen neceſſarius, quem etiam admittit P. Lugo tract. de Deo, manuſcripto, *P. Lug.* diſp. 5. ſect. 1.

10 Obijcis, inquam, ſecundò. Quando voluntas fertur neceſſariò in aliquod obiectum, fertur etiam in omne id, ad quod tale obiectum habet neceſſarium ordinem; ſed diuina voluntas amat neceſſariò ſuam omnipotentiam, quæ habet neceſſariam connexionem cum poſsibilibus: ergo etiam amat neceſſariò poſsibilia: minor ſaltem in noſtra ſententia habet maximam vim; dixi enim in 2. p. tract. 1. lib. 1. diſp. 21. ſect. 4. à num. 18. Deum ita habere connexionem cum poſsibilibus, vt niſi darentur poſsibilia, non daretur in Deo omnipotentia. Et confirmari poteſt, quia quando intellectus noſter aſſentitur præmiſsis, neceſſariò etiam aſſentitur concluſioni, quæ cum præmiſsis habet neceſſariam connexionem: ergo ſimiliter, cùm Deus neceſſariò diligat ſuam ſcientiam, & omnipotentiam, neceſſariò diliget poſsibilia, cum quibus ſcientia, & omnipotentia habet neceſſariam connexionem.

11 Vt hoc argumentum ſoluatur, aduertendum eſt, connexionem poſſe eſſe triplicem, vel medij ad finem, vel cauſæ ad effectum, vel potentiæ ad obiectū: quòd ſi cōnexio ſit medij ad finē, concedendū eſt efficacē volitionem finis habere expreſſam volitionem medij, quia videlicet efficax intentio finis neceſsitat voluntatem ad procurandum ipſum

ipſum finem, quod fieri non poteſt, niſi per explicitam electionem medij, & in hoc caſu concedenda eſt maior argumenti.

11 Si verò connexio ſit cauſæ ad effectum, vel effectus ad cauſam, neganda eſt maior; experimur enim ſæpe velle nos, & amare cauſam aliquam explicitè, & tamen nõ velle explicitè eius effectum, experimur etiã amare explicitè effectum, non verò cauſam: neque enim eò ipſo quòd amem Socratem amo etiam explicitè Paulum eius filium; neque eò ipſo quòd vellem lucem, volo explicitè Solem: vnde ſimiliter ſtare poteſt complacentia effectus cum diſplicentia cauſæ, vel è contra, vt communiter docent Theologi de filio habito ex adulterio, de quo poteſt quis gaudere, quamuis doleat de adulterio. Et eodem modo philoſophandum eſt de potentia, & obiecto, poteſt enim amari potẽtia explicitè, quin explicitè ametur obiectum, vel è contra.

13 Cùm igitur creaturæ poſsibiles ſint effectus diuinæ omnipotentiæ, vel diuini exemplaris, & cùm ſint obiecta diuinæ ſcientiæ, non neceſſariò amabuntur explicitè, ex eo quòd Deus explicitè amet ſuam ſcientiã, & omnipotentiam; dixi explicitè, & formaliter, quia concedo amorem explicitum cauſæ eſſe virtualiter, & interpretatiuè amorem effectus: concedoque huncamorem implicitum, & virtualem erga poſsibilia: & de hoc loquebamur in hac 3. p. tract. 1. lib. 4. diſp. 50. ſect. 1. num. 10, quando diximus, ex multorum ſententia, Deum amare poſsibilia neceſſariò, nam ibi ſolùm probare intẽdebam, poſsibilia eſſe aliquid poſitiuum, quia à Deo amantur: quod eſſe poſitiuum probatur tam ex amore implicitò, quàm explicito, id enim quod modo aliquo amatur, non eſt purum nihil.

14 Obſtas. Non poteſt intellectus cognoſcere vnum obiectum habens neceſſariam connexionem cum alio, quin cognoſcat illud aliud neceſſariò connexum, vt patet in relatiuo, & correlatiuo, quæ ſunt ſimul cognitione: ergo etiam non poteſt amare vnum obiectum, quin amet aliud, cum quo habet neceſſariam connexionem. Reſpondetur negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia cognitio eſt quædam repræſentatio intentionalis obiecti. Vnde quando eſſentia obiecti conſiſtit in ordine ad aliud, non poteſt cognoſci vnum ſine alio: at verò cùm actus voluntatis ſit formaliter liber poteſt explicitè tendere ad vnum bonum, quin formaliter tendat ad aliud cum illo connexum; quia illud primum obiectum habet ſufficientem bonitatẽ, & voluntas eſt libera, poteſtque velle vnum ſine alio, niſi connexio ſit medij ad finem, vt ex dictis patet.

15 Atque hinc etiam conſtat, quid reſpondendum ſit ad confirmationem petitam ex aſſenſu concluſionis propter præmiſſas, cùm enim intellectus ſit potentia neceſſaria, non poteſt aſſentiri præmiſsis, quin aſſentiatur concluſioni, quæ in præmiſsis continetur: at verò voluntas eſt potentia libera, & poteſt amare cauſam neceſſariò, & explicitè, quin neceſsitetur ad explicitè amandum effectum: hic verò ſumimus poſsibilia, vel quatenus ſunt effectus diuinæ omnipotentiæ, vel quatenus ſunt obiecta diuinæ ſcientiæ. Hæc circa diuinam libertatem. Reſtat circa Metaphyſicam vltima diſputatio, in qua de Habitibus diſſerendum eſt.

DISPVTATIO LXX.

De Habitibus.

ACCEDIMVS tandem aliquando ad metam vltimam Metaphyſicæ, in qua nobis extremo iam ſub fine laborum, extrema ſupereſt de Habitibus diſputatio: de quibus in hoc libro diſputant Recentiores Metaphyſici, occaſione ſumpta ex Ariſtotele, qui eodẽ libro 9. cap. 5. habitus appellauit potentias doctrina acquiſitas: & quamuis habitus plures habeat ſignificationes, nos tamen tractabimus de illis, prout habitus vſurpatur pro qualitate iuuante, ſiue facilitante potentiam ad operandum.

SECTIO I.

Quid, & qualis ſit habitus, & in quibus potentijs reperiatur?

1 PRima concluſio Habitus *eſt qualitas acquiſita, & permanens per ſe primò ordinata* Definitur Habitus.
ad

Digitized by Google

ad operationem, non tribuens primam facultatem operandi, ſed adiuuans, & facilitans potentiam. Dicitur, *acquiſita*, vt reijciantur potentiæ: dicitur, *permanens*, vt reijciantur actus, qui ſunt in continuo fieri, & fluxu; dicitur, *per ſe primò ordinata ad operationem*, ad diſtinctionem aliarum qualitatum, quæ permanentes quidem ſunt, ſed non primò ordinatæ ad operationẽ, vt ſunt patibiles qualitates. Deinde per vltimas particulas reijciuntur tam potentiæ naturales, quã habitus ſupernaturales, quia tribuunt primam operationem: at habitus, de quibus loquimur, ſolùm facilitant: reijciuntur præterea ſpecies impreſſæ, hæ enim abſolutè ſunt naturaliter neceſſariæ, vt potentia operetur, quamuis, vt dixi diſp. 61. de qualitate, ſect. 2. num. 1. reducantur ad habitus.

Habitus nõ eſt repræſentatiuus. 2 *Secunda concluſio.* Habitus etiam potentiæ cognoſcentis, repræſentatiui non ſunt, hæc videtur eſſe ſententia D. Thomæ 1. 2. q. 54. ar. 4. Caietani ibidem, quibus ſubſcribũt Soar. in Summa, tract. 1. lib. 2. cap. 1. ſ.num. 10. & 3. de Anima, cap. 2. n. 24. Fonſ. 6. Metaph. cap. 1. q. 2. ſect. 2. Patres Conimbr. in Logica, lib. 1. de Interpretatione, c. 4. q. 4. ar. 4. §. 2. & §. ad 3. Probatur: habitus non ſe habet ex parte obiecti, ſed ex parte potentiæ, nec requiri ut ad faciendum obiectum præſens intentionaliter, vt requiritur ſpecies (quæ ideò repræſentatiua eſt, quia habet vicem obiecti, & in eius defectu ipſum obiectum potentiæ repræſentat) ſed ſolùm requiritur ad potentiam facilitandam; cùm igitur potentia, ex cuius parte ſe habet habitus, repræſentatiua nõ ſit, nõ erit etiã habitus repræſentatiuus.

D. Thom. Caiet. Soar. Fonſeca. Patres Conimb.

3 Obijcis pro contraria ſententia, quam tenet Capr. in prologum ſententiarum, q. 3. & Soncin. 6. Met. q. 9. Habitus potentiarũ cognoſcentium generatur ab actibus repræſentatiuis: ergo ipſe eſt repræſentatiuus. Confirmatur, quia ideò actus ſunt repræſentatiui, qui oriuntur ab ſpeciebus repræſentatiuis. Reſpondetur negando conſequentiam, quia actus ſunt cauſæ æquiuocæ habituum; & ſi argumentum aliquid concluderet, etiam probaret actum ſimilem euadere potentiæ. Ad confirmationem reſpondetur, actus non eſſe repræſentatiuos, ex eo quòd fiant per ſpecies repræſentatiuas, cùm aliquando dentur veri repræſentatiui, ſine ſpeciebus, vt patet quando Angelus ſe ipſum cognoſcit, quin detur ſpecies in actu primo repræſentatiua ipſius Angeli; ideò ergo actus ſunt repræſentatiui, quia habent ſe ex parte obiecti, cuius ſunt vicarij, non in eſſendo, ſed in repræſentando.

Capreol. Soncin.

4 Vnde habitus procedens ab actu repræſentatiuo, non eſt repræſentatiuus, quia repræſentatio repugnat ex natura ipſius habitus, eſſet enim ſuperflua, nam repræſentatio ſolum eſt neceſſaria ad faciendum obiectum præſens: at verò quando habitus concurrit, iam ſupponitur obiectum præſens per repræſentationem ſpeciei impreſſæ: ergo &c. alioquin dicamus, potentiam etiam eſſe repræſentatiuam, quia ſimul concurrit ad actũ: ſed hoc non admittitur: ergo &c. Ex quibus colligo cum Soar. in Met. diſp. 44. ſect. 8. n. 10. actum eſſe nobiliorem habitu, quia (præterquàmquòd ſit eius cauſa) actus eſt actualior, ponit enim potentiam in actu ſecundo, & immediatè tendit in obiectum: at verò habitus ſolùm ponit potentiam in actu primo, & ſolùm mediatè tendit in obiectum.

In quibus potentijs non dentur habitus?

5 **T**Ertia concluſio. Potentiæ purè apprehenſiuæ, vt ſunt ſenſus externi, & ſenſus communis, ſi fortè datur, non ſunt capaces habituũ, Ita communior ſententia, quam tenet D. Thomas 1. 2. q 51. ar. 3. ad 3. Soar. in Metap. diſp. 44. ſect. 1. n. 1. Valentia 1. 2. diſp. 4. q. 2. puncto 2. Vaſq. ibidem diſp. 78. cap. 4. Azor lib. 1. Inſtitutionum moralium, cap. 30. q. 1. & 4. & cap. 11. q. 5. Patres Conimbr. lib. 1. de Poſteriori reſolutione, cap. 1. q 1. ar. 4 §. *Supereſt*. Salas 1. 2. tract. 10. q. 50. diſp. 2. ſect. 2. à n 56. Ratio præcipua eſt, quia hæ potentiæ ſunt omnino determinatæ ad vnum, nullamque habent indifferentiam in operando, ſed ſemper habent eandem facilitatem in operando.

D. Thom. Soarius. Valentia. Vaſquez. Azor. Patres Conimbr. Salas.

6 *Quarta concluſio.* Potentia motiua non eſt capax habituum, & idem dicendum de reliquis potentijs, quæ non operantur immanenter. Ita D. Thom. 1. 2. q. 50. ar. 1. & 3. Medina, Caiet. & alij ibidem. Item Fonſ. 9 Met. cap. 5. q. 3. ſect. 1. Soar. in Met. diſp. 34. ſect. 2. Vaſq 1. 2. ad q. 21. diſp. 78. cap. 4. num. 28. Valent. ibid. diſp. 4. q. 2. puncto 1. & 2. Azor tom. 1. Inſtitutionum moralium, lib. 3 cap. 20. q 8. Salas 1. 2. q. 50. tract 10. diſp. 2. ſect. 1. n. 51.

D. Thom. Medina. Caiet. Fonſeca. Soarius. Vaſquez. Valent. Azor. Salas.

7 Probatur, quia ſubiectum proximum capax recipiendi habitum, debet eſſe immanenter operans; ſed potentia motiua non operatur immanenter: ergo &c. Minor eſt certa, nam actio, quæ egreditur à potentia motiua, recipitur in corpore: maior autem declaratur, quia habitus debet eſſe in ea potentia, quam iuuat, & facilitat, cùm tamen habi-

habitus generetur per actus, & actus potentiæ motiuæ non recipiantur in ipſa potentia, impoſsibile eſt, quòd in ea potentia relinquantur habitus, ſi enim in ea non dantur actus, quomodò dabuntur effectus ipſorum actuũ, nempe habitus?

Reijcitur contraria opinio. *Scotus.* *Gabriel.* *Maior.* *Geruaſius.* *Vallius.*

8 Obijcis primò pro contraria ſententia, quam tenent Scotus in 3. diſt. 33. q. 2. §. *Ad primum*, in reſponſione ad tertium. Gabr. ibidem diſt. 23. q. 1. ar. 1. dub. 1. Maior. ibidem, q. 2. Geruaſius de Notitijs, tract. de Habitibus, q. 2. Item Vallius in Logica, tom. 1. cap. 1. de Qualitate, q. 3. cap. 5. pag. 575. §. *Quòd ſi*. Obijcis, inquam, primò. Experimur cum exercitatione maiorem facilitatem, fit enim potentia motiua ex vſu, & repetitione actuum promptior ad illos, vt patet in arte ſaltandi, & pingendi: ergo &c. Reſpondetur tamen, tales actus non recipi in potentia motiua, & conſequenter non generare habitus: illa igitur maior facilitas prouenit ex eo quòd exercitatione attenuantur humores, & cæteræ qualitates attemperantur, redduntúrque mẽbra corporis habiliora, & faciliora, quæ antea ſine illo exercitio potentiam motiuam impediebant, ne ita facilè exercerent has functiones, multùm etiam ad hanc facilitatem iuuat ipſe habitus artis reſidens in intellectu, qui per frequentationẽ actuum, magis intẽditur.

9 Obijcis ſecundò. Potentia motiua eſt aliquo modo indifferens, proptereà enim determinatur à voluntate ad hũc potiùs, quã ad illum motum: ergo poteſt habere habitũ. Reſpondetur negando conſequentiam, quãuis enim potentia motiua quoàd applicationem ſit aliquo modo dependens à voluntate, & in hoc ſenſu dici poſsit indifferens, & ſic determinetur à volũtate, nihilominùs tamen nullam habet indifferentiam in exercitio actus, ad quam ſuperandam requiratur habitus. Exemplum ſit in oculo, qui quoàd applicationem eſt indifferens, non autẽ quoàd operationem, poſtquam ſemel eſt applicatus: vnde non approbo ſententiam noſtri Vallij in Logica admittentis hos habitus corporeos, quos ſolum ex ſuppoſitione, quòd darentur, admiſimus in hac 3. p. tract. 2. diſp. 61. ſect. 2. n. 1. fine.

In phãtaſia, & appetitu brutorum non dantur habitus. *Suarius.* *Vaſques.* *Azor.*

10 *Quinta concluſio.* In phãtaſia brutorũ, & appetitu, non dantur habitus, propriè dicti. Ita Suar. in Met. diſp. 44. ſect. 3. n. 3. Vaſq. 1. 2. ad q. 21. diſp. 74. cap. 4 à nu. 28. Azor. tom. 1. lib 3. cap. 20. q. 4 §. *Quartò igitur*. Probatur, quia huiuſmodi potentiæ in omnibus ſuis actionibus determinantur ad vnum, ex vi obiectorum: ergo, præter ſpecies ſenſibiles, neceſſarij nõ ſunt habitus: quod ſic declaratur, nam vt primum phãtaſiæ bruti proponitur obiectũ per aliquam ſpeciẽ, ſtatim illud cognoſcit, ſine vlla indifferentia: & ſimiliter appetitus neceſſariò appetit obiectum, vbi primùm proponitur à phantaſia: ergo &c.

11 Quòd verò aliquando in operationibus brutorũ inueniatur maior facilitas, prouenit ex maiori, vel minori repræſentatione ſpecierum: immò quamuis phantaſia bruti poſsit modò apprehendere obiectum, vt cõueniens, & modò vt diſconueniens, hoc tamen non erit ſufficiens ſignum ad inducendos habitus in phantaſia, quia hoc ſignum ſolùm eſt ſufficiens, quando datur hæc indifferentia in aliqua potentia, quæ ab intrinſeco habet indifferentiam, vt ſe determinet in alterutram partem, quam tamen non habet phantaſia bruti, totam enim determinationẽ habet ex parte obiecti, neque enim fertur in illud, mediante aliqua ratione motiua, ſicut intellectus, ſed mouetur ab obiecto, mediante ſpecie, quæ modò magis, modò minùs mouet ſenſum; atque hoc pacto reſpondetur argumentis contrariæ partis.

Fonſeca. *Salas.* *Granad.* *Vallius.*

12 Quæ ſententia abſolutè docet, in ſenſibus internis phantaſiæ ſcilicet, & appetitus dari habitus; illam tenet Fonſ. 9. Met. cap. 5. q. 3. ſect. 1. §. *Multi addunt*, & in terminis docet Salas tom. 2 in 1. 2. q. 50. diſp. 2. ſect. 1. à n. 58. vbi pro ſua opinione citat aliquos; idẽ magis placet Granado t. 2. controu. 4. diſp. 7. ſec. 4. à n. 18. immò in corpore abſolutè dari habitus docet P. Vallius in Log to. 2. diſp. 4. p. 1. q. 2. cap. 5. nihilominùs tamen argumenta ſatis ſoluuntur ex dictis.

13 Pro his tamen auctoribus adhuc obijcis primò. In brutis experimur maiorẽ memoriam ex repetitione actuum, vt cernimus in cane, qui recordatur de timore fuſtis, quo percuſſus eſt, quem antea non timebat &c. ſed hæc maior facilitas prouenit ex habitibus: ergo &c. Reſpondetur tamen, nullos ibi dari habitus; illa igitur maior facilitas prouenit ex eo, quòd per repetitionum actuum magis excitantur phantaſmata, firmiúſque adhærẽt, & ita in nobis etiam philoſophandum eſt in caſu, in quo in memoria ſenſitiua non habeamus habitus, de quo ſtatim.

14 Obijcis ſecundò. Brutæ animantes ſubduntur imperio hominis: ergo cùm homo habeat indifferentiam ſimpliciter, illam etiam habebit phantaſia bruti, quatenus ſubditur libertati hominis, & ita argumentatur Granadus. Reſpondetur tamen, argumentũ nihil probare, nam ſi brutum haberet indifferentiam in operando, quia ſubditur humanæ indifferentiæ, etiam haberet libertatem, ex eo quòd ſubditur humanæ libertati: hoc eſt falſum; ergo & illud.

Sexta

15 *Sexta concluſio.* In ſententia,quæ aſſerit, appetitum, & phantaſiam humanam diſtingui ſpecie ab appetitu, & phantaſia brutorum;certum eſt dari habitus in appetitu,& phantaſia humana. Hanc ſententiam à fortiori tenet Salas tom.2.in 1.2. ad q.50. diſ.2. ſect.2.à n.57. vbi citat D.Thomam.Durandum,Palatium,Valentiam,Azor,Vaſq.Fonſ. & alios: idem abſolutè ſequitur P.Vallius in Log. tom. 2. diſp.4.par.1. q. 2. cap. 4. quod præterea ſequi debet Granadus tom.1. in 1. 2 controu.4.diſp.7.ſec.4. à n.6. Probatur, quia in hac opinione, phantaſia iudicat, & diſcurrit ſaltem circa ſingularia materialia, tenditque in obiectum; mediante ratione motiua, ac proinde ſupponit difficultatem, & indifferentiam, ad quam vincendam ſunt admittendi habitus: idem dicendum de appetitu humano, qui in hac opinione participat aliquid libertatis, & conſequenter vendicat aliquam indifferentiam.

Salas. D.Thom. Durand. Palat. Valentia. Azor. Vaſquez. Fonſeca. Vallius. Granad.

16 In ſententia verò,quæ aſſerit,phantaſiam humanam eſſe eiuſdem ſpeciei cum belluina, concedendus item eſt aliquis habitus diſtinctus ab ſpeciebus,tribuens facilitatem, & inclinans potentiam ad aliquos actus determinatos. Probatur, quia phantaſia hominis non eſt ita ſimpliciter determinata ad vnum, ſicut phantaſia bruti, poteſt enim aliquo modo moueri ex imperio rationis:idem etiam dicendum in appetitu humano,quamuis enim ſit determinatus ad vnum,fertur tamen in bonum, mediante ratione motiua, quam illi proponit humana phantaſia; & ita philoſophatur Soar. in Met. diſp.44.ſect.5. n.6.

Soar.

17 Confirmatur ex Patribus Conimbr. lib.de Ethicis,diſp.7.q.5.ar.2. vbi ſtatuunt, habitum temperantiæ eſſe in appetitu concupiſcibili,& habitum fortitudinis in appetitu iraſcibili:neque obſtat, quòd appetitus ſit determinatus ad bonum delectabile, fertur enim in illud,propter rationem motiuã propoſitam à phantaſia,vt dixi: neque præterea obſtat, quòd appetitus plerumque non obediat voluntati,nam aliquando etiam obedit, quamuis reclamet;quæ obedientia,cùm proueniat ab ipſo appetitu, propter rationem motiuam propoſitam à ratione, ſatis indicat habere intrinſecè aliquam indifferentiã; nec ſemper eſſe omnino determinatum:quod tamen non cernitur in oculo, v. g. qui ita eſt omnino determinatus, vt nullam habeat indifferentiam ab intrinſeco, ſed ſolùm habet extrinſecam obedientiam voluntati, quæ pro ſuo libito mouet, & applicat ſenſus externos.

Patres Conimb.

Vtrùm in intellectu, & voluntate dentur habitus?

18 Septima concluſio. In intellectu humano,præter ſpecies, dantur habitus. Ita D.Thom.1.2.q. 50 ar 4 & 5.item Capr.Scotus,Tolet.Palatius, Durand. Gabr. Almain. Angeſtus, Caietan. Geruaſius, Ferrar. Henric. & alij, quos citat, & ſequitur Salas 1.2. tom.2. ad q. 50. tract. 10. diſp. 2. ſect. 3. n.71. Soar.in Met.diſp.44. ſect 4. Vaſq.1.2.tom.1.ad q. 21. diſp.78.cap. 4 n. 5. Valentia 1.2. diſp. 3 q. 4 puncto. 1. Azor lib. 3. cap. 20. & 21. Fonſ. 9. Metaph. cap.5. q.5. ſect.4. Patres Conimbric. lib. 1 Poſterior. q.1.ar.4. Granad. tom. 1. in 1. 2. controuerſ.4. diſp.7. ſect.4. à nu.13. & latè probat Vallius in Log.tom.2.diſp.4 par.1.q. 2. cap.9.

D.Thom. Scotus. Capreol. Toletus. Palatius. Durand. Gabriel. Almain. Angeſt. Caiet. Geruaſ. Ferrar. Henric. Salas. Soarius. Vaſquez. Valent. Azor. Fonſeca. Patres Conimbr. Granad. Vallius.

19 Probatur concluſio, quia quamuis noſter intellectus non ſit formaliter liber,habet tamen difficultatem in ferendo iudicio, ſuamque vendicat indifferentiam in aſſentiendo concluſioni,etiam poſt acquiſitas ſpecies obiecti, propterea quòd fertur in illud, mediante ratione motiua. Deinde experimur, quòd poſt actuum repetitionem non habet hanc indifferentiam: ergo &c. neque illa maior facilitas attribui poteſt ſpeciebus, ſpecies enim ſolùm inſeruiunt ad apprehenſionem, habitus verò ad iudicium, & diſcurſum: hinc eſt, quòd poterit aliquis habere ſpecies valde intenſas, & tamen erunt valde remiſſæ in ferendo iudicio, & è contra homo ſapiens remiſsè poteſt apprehendere per ſpecies, & nihilominùs promptiùs iudicabit. Vnde colliges, in prima operatione non dari habitus, cùm circa illam intellectus nullam habeat indifferentiam: de quo vide Salas tom.2 in 1.2. q.50. tract.10. diſp. 2. ſect.2.n 65.

Salas.

20 Quapropter, quamuis intellectus ſit potentia naturalis, & determinata quoad exercitium circa obiectum euidens, habet tamen ſufficientem indifferentiam ad recipiendos habitus, ſiquidem fertur in obiectum,mediante ratione motiua,& ex his reprobata manet contraria opinio, quam probabilem iudicauit Soncin. 5. Metaph. q. 9. quam etiam abſolutè ſequutus eſt Hurtad. de Anima,diſp.16. ſect.2.à n.3. vbi ad finem huius numeri malè pro ſe citat Vaſq. 1. 2. q.21. diſput. 78. cap. 4. num.15. cùm tamen Vaſq. ibidem, §. *Ego verò*, noſtram ſententiam expreſſè tueatur, eamque veriſsimam iudicet. Fundamenta Hurt. ſoluta manent

Soncin. Hurtad. Vaſquez.

ex

Digitized by Google

ex dictis: immò circa prima principia admittendos eſſe habitus, dixi in Logica in lib. de Poſter, reſolut. diſp. 17. ſect 1. & ita cenſent Suar. Azor, Rub. Fonſ. Caietan. & alij multi, quos citat Salas 1. 2. tom. 2. q. 50. tract. 10. diſp. 2. ſect. 4. fol. 36 pag 2. & ipſe ſequitur à n. 90. quidquid in oppoſitum dicat Hurt. citatus, quem poſteà ſecutus eſt Hiſpanus alter, nempe Arriaga diſp. 9. ſec. 2. ſubſec. 1. §. *Quarta concluſio.*

Suar. Azor. Rubius. Fonſeca. Caiet. Salas. Hurtad. Arriaga.

21 *Octaua concluſio.* In voluntate humana dantur habitus: ita cõmunis, & certa omnium ſententia, quam tradunt D. Thomas 1. 2. q. 50. ar. 5. quem ſequuntur omnes Thomiſtæ, & videri poteſt Suar. in Met. diſp 44. ſec. 1. n. 11. Vaſ. 1. 2. tom. 1. ad q. 21. diſp. 78. cap. 4 n. 26. Valentia ibi. diſ. 4. q. 2. puncto 1. Azor lib. 3. cap. 20. q. 4. & cap. 25. q. 5. Salas 1. 2. tom. 2. q. 50 trac. 10. diſp. 2. ſec. 8. nu. 106. vbi plures citat. Item Granadus 1. 2. tom. 1. contrcu. 4. diſp. 7. ſec. 4 à n. 13. item Hurt. de Anima, diſp. 16. ſec. 5 à n. 8. Arriaga de Anima, diſp. 9. ſec. 3. n. 49.

D. Thom. Soarius. Vaſques. Valent. Azor. Salas. Granad. Hurtad. Arriaga.

22 Probatur, quia voluntas humana eſt libera, & conſequenter indifferens ad operandum, & non operandum, & aliunde obiecta in quæ tendit ſub ratione motiua, quæ videntur bona, habent aliquando coniunctã aliquam rationem mali, vnde ſuas in operando habet difficultates, & indifferentias, ac proinde indiget habitibus, quibus reddatur facilior, & promptior in operando.

Vtrùm in Angelis dentur habitus?

Reſolutio eſt negatiua.

23 NOna cõcluſio. Probabilius exiſtimo in intellectu Angelico non dari habitus naturales acquiſitos (certum enim eſt, habere bonos Angelos habitus infuſos ſupernaturales) ita Soar. in Met. diſp. 35. ſec. 4. à n. 23. & in materia de Angelis, lib. 3. c. 12. Vaſq. 1. p. tom. 2. ad q. 58. diſp. 219. cap. 2. & 1. 2. ad q. 21. diſp. 78. cap. 3. n. 20. & cap. 4. n. 22. & 25. & alij.

Soar. Vaſques.

24 Probatur, quia illa potentia indiget habitu, quæ de ſe non ſatis propenſa, & expedita eſt ad actus: ſed lumen Angelicum eſt de ſe omnino expeditum ad obiectum, vnde non indiget appræhenſione antecedente: ergo &c. quod intelligendum eſt circa res euidentes, & naturales; nam circa ineuidẽtes, & ſupernaturales, ſicut appræhendere, & diſcurrere poteſt, ita etiam poteſt habere habitus, vt bene aduertit Soar. citatus in Met n. 20. Et Amicus in Curſu Theol. tom. 2. diſp. 24. ſec. 2. à n. 23.

Franciſc. Amicus.

25 Obijcis pro contraria ſententia, quæ etiam circa euidentia admittit habitus in intellectu Angelico, quam tuetur Mol. 1. p. q. 58. ar. 1. concl. 6. Zum el eodem art. Salas 1. 2. tom. 2. q. 50. trac. 10. diſp. 2. ſec. 5. n. 101. in quã etiam videtur inclinare Fonſ. 9. Met. cap. 1. q. 2. ſec. 1 ad finem. Eandem tenent Granadus 1. 2. controu. 4. diſp. 7. ſec. 3 à n. 9. vbi citat D. Thomam, Scotum, Sotum, Victoriam, & alios. Obijcis, inquam: Intellectus Angeli fertur mediante ratione motiua: ergo indiget habitu. Probatur conſequentia, ſuprà enim dixi, ſenſus externos non habere habitus, quia non feruntur ſub ratione motiua, alias verò potentias habere habitum, quia feruntur ſub ratione motiua.

Molina. Salas. Zumel. Fonſeca. Granad. D. Thom. Scotus. Sotus. Victoria.

26 Reſpondetur, iudicium à nobis propoſitum eſſe veriſsimum, quà negatiuum eſt, id eſt, omnes potentias, quæ non feruntur in obiectum, mediante ratione motiua, non eſſe capaces habituum, quales ſunt ſenſus externi: & deinde idem iudicium, quà affirmatiuum eſt, valet in potentijs, quæ habent aliquam difficultatem in operando, proptereà quòd obiectum non ita clarè proponatur, ſiue ratione ſpecierum, ſiue ratione phantaſmatum: cùm verò hæ difficultates non inueniantur in intellectu Angelico circa euidentia, non eſt cur indigeat habitibus: inde eſt, quòd intellectus hominis etiam circa euidentia indigeat habitibus, quia obiectum poteſt proponi magis, vel minùs clarè, ratione ſpecierum, & phantaſmatum, habet enim intellectus noſter infirmum lumen, Angelus verò propter nobiliſsimum lumen eſt expeditus in operationibus intellectualibus. vnde circa obiecta, quæ Angelo non ſint euidentia facilè admitto habitus in intellectu.

27 *Decima concluſio.* In voluntate Angelica dantur habitus. Ita Molina 1. p. q. 58. ar. 1. concl. 6. & Soar. lib. 3. de Angelis, cap. 12. n 3. (vbi citat Maior, Angeſtum, & Azor) Granadus 1. 2. tom. 1. controu. 4. diſp. 7. ſec. 3 vbi plures citat. Probatur, quia voluntas Angelica eſt libera, habetque poteſt aliquã difficultatem, circa amorem naturalem Dei ſuper omnia: ergo poteſt habitum habere, qui nimium vincat hanc difficultatem. Cõfirmatur ex ratione, qua ſuprà in intellectu Angeli, circa res ineuidentes admiſimus habitum; quamuis oppoſitum de habitu volũtatis teneat Vaſq. 1. 2. ad q. 21, diſp. 78. cap. 4, n. 26. & alijs in locis: Idem etiam tenet Scotus, Maior, & Caietan. citati à Soario lib. 3. de Angelis, cap. 12, n. 1.

Molina. Soarius. Maior. Angeſt. Azor. Granad. Vaſq. Scotus. Caietan.

SEC.

Digitized by Google

SECTIO II.

De cauſa effectiua habituum.

Habitus effectiuè prouenit ab actu.

Maior. Molina. Soarius. Salas. Medina. Scotus. Almain. Capreol. Valentia. Patres Conimb. Fonſeca. Vallius. Valent.

PRima concluſio. Cauſa effectiua habituum non eſt potentia, ſed ſunt actus potentiæ: ita communis ſententia, quam tenet Maior, in 3. diſt. 23. q. 3. Mol. 1. p. q. 27. ar. 1. ad 8. membro 2. §. Illud Soar. in Met. diſp. 44. ſec. 8. n. 6. Salas 1. 2. tom. 2. trac. 10. q. 51. diſp. 3. ſec. 1. n. 3. (vbi citat Med. Scot. Almain. Capr. Valen. Patres Conimb. & alios) Fonſ. 9. Met. cap. 5. q. 4. ſec. 3. & 4. Vaſq. 1. 2. ad q. 21. diſp. 79. cap. 9. Granadus 1. 2. tom 1. controu. 4. diſp. 4. n. 7. Vallius in Log. tom. 2. diſp. 4. par. 1. q. 4. cap. 13. Valẽt. diſp. 4. q. 3. pun. 2.

2 Probatur prima cõcluſionis pars: quòd ſcilicet potentia non ſit cauſa effectiua habituum, quia potentia capax habituum eſt vitalis; ſed productio habituum non eſt vitalis: ergo fieri nequit à potentia: probatur minor, quia productio vitalis intellectus, eſt intellectio, voluntatis verò, eſt volitio: atqui productio habitus, neque eſt cognitio, neque volitio: ergo &c. Confirmatur, quia alioquin quandiu potentia haberet habitus, vitaliter operaretur, quemadmodùm operatur quando habet actus. Probatur ſecunda pars, quòd ſcilicet, actus ſint cauſæ habituum: quia habitus inueniuntur in potentia poſt actus, vt conſtat; ſed non fiunt à potentijs: ergo ab actibus.

3 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet, actum non eſſe cauſam habituum, ſed potentiam, actumque eſſe tantùm diſpoſitionem, quam tenet Durand. in 3. diſt. 33. q. 2. Obijcis, inquam, primò: Ad habitum non datur per ſe motus, vt docet Philoſophus 7. Metaph. cap. 3. ergo actus per ſe non cauſat habitum. Reſpondetur, ad habitum dari veram actionem, vnde Philoſophus ſolùm intendit, non dari ad habitum motum alterationis ſenſibilis.

Durand.

4 Obijcis ſecundò. Habitus eſt cauſa effectiua actus: ergo actus non poteſt eſſe cauſa effectiua habitus, ſed tantùm diſpoſitiua. Reſpondetur negando conſequentiam, poſſunt enim inuicem eſſe cauſæ æquiuocæ in diuerſo genere, nam actus eſt cauſa principalis habitus, habitus verò eſt cauſa inſtrumentalis, & diſpoſitiua actus: ſicut ignis eſt cauſa principalis caloris, calor autem diſpoſitio ad ignem.

5 Ex hac concluſione colligitur, actus non eſſe formales productiones habituum. Probatur, quia dantur aliqui actus, qui non generant habitus, vt ſunt actus valde remiſſi, qui iam ſupponunt habitus; impoſſibile autem eſt, dari formales productiones, ſiue actiones ſine termino. Sed quæres modò, qui actus generent habitus?

6 *Secunda concluſio.* Per quemcumque actum produci poteſt habitus ſecundùm ſuã eſſentiam: ita communis ſententia, vt videre eſt apud Soar. in Metap diſp. 44. ſec. 9. num. 6. Vaſq. 1. 2. q. 21. diſp. 78. cap. 8. (concedit tamen hoc de quolibet actu intenſo, non verò de remiſſo) Azor lib. 3. cap. 21. q. 2. & 3 Salas 1. 2. trac. 10. q 51. diſp. 3. ſec. 3. à n. 23 vbi citat Viguerium, & alios, idem tenet Vallius in Log tom. 2. diſp. 4. par. 1. q. 5. cap. 4. Probatur prima pars, quia ſi primus actus nihil in potentia relinquat, nec etiam relinquet ſecundus, eſt enim eadem ratio. Vnde conſtat priorem actum non eſſe tantùm diſpoſitionem, nihil enim eſt, quod actus diſponat: quamuis enim antecedenter detur contrarium aliquod in potentia, id quidem non per actum, ſed per habitum tollitur, habitus enim, & non actus eſt contrarius habitui. Deinde ſæpe generantur habitus, quin detur habitus contrarius: quòd verò actus, etiam remiſſus, poſſit producere habitum, probatur, contra Vaſq. citatum, diſp. 79. cap. 8. § *Cæterum*, quia vt cauſa exeat in actum, nihil magis requiritur, quàm vt eius virtus ſit maior effectu; ſed in qualibet minima entitate actus, eius virtus eſt maior habitu: ergo &c. Probatur, quia actus eſt cauſa æquiuoca, & eminenter in ſe continet habitum: ergo &c. Et confirmatur, quia habitus generari poteſt in quacumque minima intenſione aſsignabili, vt etiam concedit Vaſques citatus.

Omnis actus producit habitum.

Soar. Vaſques. Azor. Salas. Viguerius. Vallius.

7 Ex quibus colligitur primò, habitum quòad ſuam intenſionem, & perfectionem produci per plures actus, vel per aliquem actum valde intenſum, nam actus valde intenſus æquiualet pluribus, qui non ſunt ita intenſi. Colligitur ſecundò, quemlibet primum actum, etiam remiſſum, producere aliquam particulam habitus in ſubiecto, etiam habente contrarium habitum intẽſum, vt octo. Probatur primò quia ignis intenſus, vt vnum, poteſt agere in aquam frigidam, vt octo, & expellere ab ea vnum gradum frigoris, & introducere vnum gradum caloris: ergo ſimiliter actus intenſus, vt vnum, producet aliquam particulam habitus, etiam in ſubiecto habente contrarium, vt octo. Confirmatur exemplo hominis vitioſi, vt octo, qui, per actus virtutis valde remiſſos,

pau-

Digitized by Google

paulatim acquirit habitum virtutis; alioquin nemo fieret virtuoſus, niſi per actus intẽſos, vt octo, & in inſtanti, quod repugnat experientiæ.

Molina. Granad. Gabriel. Almain. Medina.

8 Obſtas cum Molina 1. p. q. 27. ar. 1. diſp. 8. membro 2. §. *Quod ſi quis*, & cum Granado tom. 1. cap. 2. controu. 4. diſp. 4. n. 9. vbi pro ſe citat Gabriel. Almainum, & Medin. qui probabiliter docent, non ſufficere actum remiſſum ad introducendum habitũ, quando datur habitus contrarius. Obſtas, inquam. Actio debet eſſe à vincente, ſed maior eſt habitus intenſus, vt octo, quàm actiuitas actus remiſſi. ergo &c. Reſp. negando minorem, quia actus, quãuis remiſſus in ſua operatione, efficacior eſt, quàm habitus, vt patet experientiâ ſuprà allatâ; neque neceſſe eſt, vt priùs tollantur impedimẽta, vt poſteà producatur habitus, nã ipſe habitus, qui introducitur, formaliter expellet aliũ: nihilominùs tamen, vt bene aduertit Soar. in Met. diſp. 44. ſec. 9. n. 12. ille habitus inchoatus per primum actum, adhuc non eſt habitus perfectus, ſed in fieri, ſiquidem non eſt ſuffiɔienter radicatus: vnde ille primus gradus habitus valde remiſſi, bene poteſt dici diſpoſitio ad habitum, vt oſtendit Soar. & Hurt. de Anima, diſp. 16. ſec. 5. num. 38.

SECTIO. III.

De Intenſione, Extenſione, & Remiſſione habituum.

Actus minus intenſus nõ poteſt intendere habitum.

D. Thom. Almain. Maior. Azor. Soar. Salas. Molina. Aragon. Bañes. Victoria. Caiet. Zumel. Cordub. Valent. Vallius.

1 PRima concluſio. Actus æquè, vel minùs intenſus, quàm habitus, non poteſt illum intendere. Ita communior, & probabilior ſententia, quam tenent D. Thom. 1. 2. q. 51. ar. 3. & 2. 2. q. 24. ar. 5. & 6. Almainus in 3. diſt. 23. Maior q. 6. Azor lib. 3. cap. 11. § *Quartò quæritur*. Soar. in Metaph. diſp. 44. ſec. 10. à n. 9. Pro eàdem ſententia citat Salas 1. 2. tom. 2. quæſt. 51. trac. 10. diſp. 4. ſec. 2. à num. 4. citat, inquam, Medinam, Aragonium, Bañes, Victoriam, Caietanum, Zumel, Cordubam, Valentiam, & alios: idem tenet Vallius in Log. tom. 2. diſp. 4. par. 1. q. 6. cap. 4. & 7.

2 Probatur primò: Quia omne agens operatur, vt aſſimilet ſibi paſſum, ſi non in ſpecie, ſaltem in genere. ſed actus, cùm ſit cauſa æquiuoca habitus, illum nõ poteſt aſſimilare ſibi in ſpecie: ergo ſaltem illũ debet ſimilem efficere in gradu: at ſi actus æquè, vel minùs intenſus intenſiorem redderet habitũ, in nulla re euaderet effectus ſimilis cauſæ. Probatur ſecundò ex abſurdo, quia ſi actus, vt ſeptem, poteſt intendere habitum vt octo, ſimiliter actus, vt octo, intenderet habitum, vt nouem, quod eſt abſurdum: naturaliter enim intendi non poteſt habitus vltra octo gradus.

Scotus. Durand. Gabriel. Salas. Vaſquez. Maior.

3 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet, per actum minùs intenſum poſſe augeri habitum, quam tenet Scotus in primo diſp. 17. q. 3. Durand. Gabriel, & alij, quos citat, & ſequitur Salas 1. 2. tom. 2. q. 51. diſp. 4. ſec. 2. num. 8. quibus accedit Vaſq. 1. 2. q. 21. diſp. 80. cap. 1. nu. 6. eandem tenet Maior. in 1. diſt. 17. q. 4. Obijcis, inquam, primò. Actus eſt cauſa æquiuoca, & nobilior habitu: ergo quamuis ſit remiſſior, poterit illum intendere. Probatur conſequentia, quia quilibet actus, etiam remiſſus, poteſt producere habitum, licèt habeat contrarium habitum valde intenſum: ergo etiam poterit intendere.

4 Reſpondetur negando conſequentiam ad probationem illius, conceſſo antecedente, negatur conſequentia, & maior ratio eſt, quia cùm in deſtructione nõ intendatur ſimilitudo, bene poteſt minùs intenſum agere in contrarium intenſius; at verò in productione, cùm intendatur ſimilitudo, ideò cauſa extra ſuum gradum non agit; hinc eſt, quòd ſuprà [redacted] conceſsimus habitum produci poſſe per quemlibet actum remiſſum, non tamen concedimus intendi poſſe, ſeu produci quoad ſuam intenſionem per actum minùs intenſum.

5 Obijcis ſecundò. Per repetitionem ſimilium actuum experimur maiorem facilitatem; ſed hæc maior facilitas eſt maior intenſio: ergo &c. Reſpondetur tamen eam maiorem facilitatem nõ eſſe maiorem intẽſionẽ, ſed quia habitus intra ſuos gradus magìs roboratur per actus æquè intenſos, vt fortiùs inclinet ad actum æquè intenſum; & ita reſpondet Soar. citatus n. 14.

6 Obijcis tertiò. Habitus ſupernaturales intendũtur per actus æquè intenſos: ergo idem dicendum eſt de naturalibus. Reſpondetur negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia habitus ſupernaturales intenduntur meritoriè per actus, à Deo verò phyſicè; cùm igitur in quolibet actu ſupernaturali detur meritum, à quolibet intenditur habitus, moraliter tamen, non phyſicè.

7 Aduerte autem diligenter, quòd licèt dicamus, actum vt quatuor, non poſſe intendere habitum, vt quatuor, vel vt quinque, quæſtionem tamen eſſe, vtrùm actus, vt quatuor, quando primò productus eſt, ſtatim efficiat habitum, vt quatuor, an paulatim illum

illum producat? Vtrumque probabile eſt, negatiuam partem ſequitur Soar. in Met. diſp 44. ſect. 10 n. 11. quia non ſemper ſubiectum ita eſt diſpoſitum, neque actus adeò efficax, vt poſſit communicare totam ſuam intenſionem, præcipuè, quia licèt in potentia non detur habitus contrarius, tamẽ ipſa potentiæ indifferentia, & inclinatio ad alios actus efficit, vt actus vt quatuor non poſſit plerumque prima vice ſtatim communicare totam ſuam intenſionem.

8 Secundó probatur experientiâ, experimur enim ex repetitione actuum aliqualem maiorem facilitatem ad ſimiles actus: ergo ſignum eſt per actum vt quatuor, productum prima vice, intendi habitum productum per eundem actum primum, vſque ad intenſionem vt quatuor, in quo habitus manet ſimilis actui, vt quatuor; vnde quando ſubiectum fuerit bene diſpoſitum, & actus vt quatuor, ſatis efficax, ſtatim prima vice producet actum vt quatuor, nam cauſa naturalis non impedita producit nobiliorẽ effectum, quem poteſt.

Quid dicendum circa extẽſionem habituum.

9 Circa extenſionem habituum aduertendum eſt, eam tunc dari, quando habitus extenditur ad facilitandam potentiam ad nouum aliquem actum; in quo re ſit: *Secunda concluſio:* Quando habitus ſcientiæ alicuius totalis, per verum augmentum reale, extenditur ad nouas concluſiones, & obiecta repræſentanda, illa extenſio non fit ab eodem omnino habitu numero, ſed per alios habitus, qui adduntur, & vniuntur priori, cum quo efficiunt vnum ordine, & aggregatione. Ita Soar in Met diſp. 44 ſect. 11 à n. 10 & Fonſ. l. 5. Met. cap. 7. q. 5. ſect. 1. Mol. 1. p. q. 1. art. 3. diſp. 3 quam concluſionem ſuppono probatam lib. 1. Poſterior. cap. 23. diſp. 18. ſect. 4. & probatur breuiter, quia habitus habent eandem rationem diſtinctiuam cum actibus ſolùm que differunt, quòd actus immediatè pendet à motiuo, habitus verò, mediante actu: Atqui actus diſtinguitur per motiua ergo, & habitus. Ex quibus patet, quòd ſicut vnus actus non poteſt procedere à pluribus motiuis ita nec vnus habitus ad plures concluſiones inclinare poteſt, propter diuerſitatem motiuorum: ergo habitus ſolum augentur, & extenduntur per additionem noui habitus diſtincti, cũ quo efficiant vnum vnitate ordinis.

Soarius. Fonſecá. Molina.

De corruptione habituum.

Habitus non corrumpũtur per ceſſationem actus.

10 TErtia concluſio. Habitus naturales non corrumpuntur per ceſſationem actus per ſe, ſed per accidens. Ita D. Thomas. 1. 2, q. 52. art. 3. & q. 53 art. 2. Henr. Quodlib 5. q. 18. ad 1. & alij plures, quos referunt, & ſequũtur Soar. in Met. diſp. 44. ſect. 12. n. 6. Vaſq. 1. 2. ad q. 21. diſp. 8 c. 2. Salas 1. 2 tom. 2. q. 53. tract. 10. diſp. 6 ſect. 5. n. 12. vbi citat Azor, Med. Valent. Aragonium, Caietanum, Angelum, & alios idem docet Vallius in Log. tom. 2. diſp. 4. part. 1. q. 8. cap. 6. & 7.

D. Tho. Henric. Soar. Vaſq. Salas. Azor. Medina. Valent. Aragon. Caiet. Angeſt. Vallius.

11 Probatur prima pars. quia habitus, ceſſante actu, poteſt ſaltem per breue tempus perſeuerare, vt patet experientiâ: ergo non minuitur per ſe ex defectu actus: Confirmatur, quia habitus eſt qualitas diu permanens, actus veró breui tranſit. Probatur ſecunda pars, quia, ceſſantibus actibus, vel datur locus contrarijs actibus, per quos introducatur habitus contrarius, vel per non vſum phantaſmatum, quæ reſident in organo corporeo (à quibus pars ſuperior dependet) paulatim amittuntur, & ita per accidens ex ceſſatione actus corrumpitur habitus, & hac ratione dixit Philoſophus 8. Ethicor. cap. 5. Amicitias taciturnitate diſſolui.

12 *Quarta concluſio.* Habitus ſupernaturales non corrumpuntur per corruptionem ſubiecti; ſecus dicendum de corporeis. Ita D. Thom. ſuprá, & alij communiter. Probatur prima pars, quia ſubiectum habituum ſupernaturalium eſt incorruptibile: ergo nõ corrumpuntur habitus per corruptionem talis ſubiecti. Secunda pars inde conſtat, quia habitus corporei, ſi dantur, ſunt in phãtaſia, & appetitu, quæ ſunt potentiæ corporeæ, & corruptibiles, quãuis ſi mutatio fiat in ſolo organo corporeo, ſaluâ, & illæſâ potentiâ, habitus quoque, qui potentiam ſequuntur, maneant incolumes, licèt ob defectum talis organi maneant impediti circa operationem.

13 *Quinta concluſio.* Habitus formaliter per ſe, & immediatè corrumpuntur à ſolo habitu contrario, effectiuè autem, & mediatè ab actu contrario: Ita communis ſententia, vt videre eſt apud Soar. in Met. diſp. 44 ſect. 12. n 21, & alios ſuprà citatos, pro quibus vide Sal. in 1. 2. tom. 2. q. 53. tract 10. diſp. 6 ſect. 4. n. 25. vbi citat Gabriel. Med. Azor. Angelum, Maior, & Zumel. idem ſequitur Granadus tom. 1. in 1. 2. controu. 4. diſp. 2. ſect. 3. à n. 14. Vallius in log tom. 2. diſp. 4 par. 1. q. 8. cap. 9 & 10.

Corrumpuntur à contrario

Soarius. Salas. Gabriel. Medina. Azor. Angeſt. Maior. Zumel. Granad. Vallius.

14 Probatur prima pars, quia forma immediatè contraria habitui non eſt actus, ſed habitus: ergo non per actum, ſed per habitum contrarium formaliter corrumpitur. Contraria enim formaliter ſe expellunt, v. g. frigus formaliter expellit calorem, quãuis ignis

ignis effectiuè expellat frigus. Probatur ſecunda pars, quia actus effectiuè producit habitum formaliter expellentem habitum contrarium: ergo eſt principium effectiuum remotum illius expulſionis. Atque ita non terminatur actus immediatè ad corruptionē ſeu ad nō eſſe habitus, omnis enim actio debet habere terminū aliquē poſitiuū, ſed ita vt terminentr ad habitum contrariū, qui habitus formaliter expellit priorē habitum.

15 Vnde quādo in logica in lib. de Poſterior. ad caput de Scientia, & Opinione diſp. 19 ſect. 2. dixi habitum ſcientiæ poſſe eſſe cum habitu opinionis, id propterea defendi, quia habitus ſcientiæ non eſt immediatè cōtrarius habitui opinionis, ſed ratione actuū; actus verò ſcientiæ, & opinionis, nō ſunt omnino contrarij, ſiquidem actus opinionis nō habens formidinē extrinſecā, poteſt eſſe cū actu ſciētiæ: habitus igitur immediatè contrarius habitui ſcientiæ, eſt habitus erroris, & propterea non poteſt dari ſcientia cum errore.

16 Ex quibus colligitur, habitus nō corrūpi ex ſua intrinſeca defectibilitate, quæ enim ita deſinunt, ſtatim poſt ſui productionem incipiunt debilitari, vt in impulſu, & ſonitu patet, at verò habitus poſt multa tēporum ſpatia perſeuerant, & ſolùm corrūpuntur, vel à contrario, vel propter defectum phantaſmatum.

SECTIO IIII.

De effectibus habituum.

1 PRima concluſio. Primus effectus quē habet habitus ergà potentiā eſt informatio ita cōmunis ſententia, vt videre eſt apud Soar. in Met. diſp. 44. ſect. 7. n. 8. Salas tom. 2. 1. 2. q. 49. tract. 10 diſp. 1. ſect. 4. n. 48. & alij plures, quos ibi allegāt. Probatur, quia quēadmodū primarius effectus, quē exercet potentia in ſubiecto, eſt formalis, quia videlicet eſt forma informās ſubiectū, ſic primarius effectus habitus qui eſt quædā forma, eſt informatio, per quā reddit potentiam facilem in actu primo.

Soar. in Met. *Salas.*

2 *Secunda concluſio.* Habitus concurrit cū potētia ad actū effectiuè. Ita D. Th. tom 2. q. 49. & q. 51. art. 2. ad 3. Caiet. ibid. Fonſ. 9. Met. cap. 5. q. 4. ſect. 2. Salas 1. 2. q. 49. tract. 10 diſp. 1 ſect. 1. n. 24. & 40 qui pro hac ſententia triginta citat Authores. Idem tenet Soar. in Met. diſp. 44. ſect. 5. nu. 6. quamuis huic ſententiæ non acquieſcat Hurtad. de Anima diſp. 16. ſect. 7. à. §. 47. idem latiſſimè vt ſolet, oſtendit Vallius in Log. tom. 2. diſp. 4. q. 1. à cap. 5.

D. Tho. *Caiet* *Fonſeca,* *Salas.* *Soarius.* *Hurtad.* *Vallius.*

3 Probatur, quia certum eſt habitum facilitare potentiam ad promptiùs, & faciliùs operandum; ſed hoc præſtare non poteſt, niſi iuuando illam ad effectiuè cōcurrendū ad actum: ergo, &c. Probatur minor, quia nullus alius apparet modus; vel enim adiuuaret remouendo impedimentum, ſed hoc non ſemper datur, vt patet: vel augendo eius virtutem, quod fieri nequit, quia potētia ſpiritualis eſt indiuiſibilis, & conſequenter non augetur, nec intēditur, vel tādem diſponendo illā, vt actus recipiatur in potentia, mediante habitu, & hoc etiam nō eſt dicendum, quia actus immediatè recipitur in potentia.

4 *Tertia concluſio.* Potentia cum habitu non poteſt efficere actum intenſiorē, quàm ſine habitu. Ita Henr. quodlib. 4. q. 22. Gab. in 3. diſt. 23. q. 1. art. 3. dub. 1. propoſitione 5. Soar. in Met. diſp. 44. ſect. 6 n. 2. Probatur, quia habitus ſolùm facilitat potentiam, & non auget eius virtutem: ergo cùm potentia per habitum non habeat maiorem virtutem, non poterit efficere, ſimul cum habitu actus intenſiores.

Potētia cum habitu non poteſt efficere actum intenſiorē. *Henric.* *Gab. id.* *Soar.* *Salas*

5 Obijcis pro contraria ſententia, quā tenet Salas 1. 2. tract. 10. diſp. 1. ſect. 2. n. 36. & alij, quos ibi refert. Si potentia cū habitu non poſſet plus efficere, quā ſine habitu faciebat, eſſet habitus ſuperfluus; hoc eſt falſum: ergo, &c. Confirmatur, quia non apparet quo pacto potentia, & habitus, quæ ſunt duæ cauſæ, poſſint naturaliter ſimul cōcurrere ad eundē effectū. Reſpond tamen habitum non eſſe ſuperfluum, quia licèt potētia per ſe ſolam ſufficiat ad producendam ſubſtantiā actus, non eſt tamē ſufficiens ad producendum illum cū facilitate. Ad confirmationē reſpondetur potentiā, & habitū concurrere, vt cauſas totales in diuerſo ordine, vel vt cauſas ſubordinatas, quo pacto neutra, vt ſic, poteſt efficere illum actum facilè, ſed ambæ ſimul neceſſariæ ſunt; quo pacto concurrunt cauſa prima, & ſecunda ad eundem effectum.

6 *Quarta concluſio.* Habitus remiſſus poteſt cum potentia concurrere ad actus intenſiores ipſo habitu. Ita Fonſ. 7. Met. cap. 5. q. 4. ſect. 3. § *ſupereſt* & § *hæc tamen.* Salas 1. 2. tract 10. ſuprà diſp. 1. ſect. 2. à num. 39. Probatur, quia licèt cauſa minùs principalis per ſe non poſſit influere in effectum intenſiorem ſe ipſa, poteſt tamen in virtute cauſæ: ſed ita ſe habet habitus: ergo, &c. Probatur maior exemplis, nam licèt ſpecies

Fonſeca *Salas*

intelligibilis per ſe ſit remiſſa, poteſt cũ potentia concurrere ad actum intenſum: & licèt vnus gradus caloris per ſe non poſſit producere octo gradus caloris; conjunctus tamen cum alijs ſeptem; illos octo producet; ergo ſimiliter, &c. Confirmatur, quia experimur eos, qui habent habitus remiſſos, acquirere aliquam facilitatem ad actus intenſiores.

7 Obijcis pro contraria ſententia, quæ probabilis eſt, quam tenet Soar. in Met. diſ. 44 ſect. 6. nu. 7. Habitus ſolùm inclinat ad actus ſimiles illis, à quibus genitus eſt: ergo non poteſt concurrere ad actum ſe intenſiorem. Reſpondetur diſtinguendo conſequens: non poteſt virtute ſua, concedo: virtute potentiæ, nego, quod patet ex dictis.

Soar.

8 Obijcis ſecundó. Actus non poteſt concurrere ad habitum intenſiorem ſe: ergo nec habitus ad actum ſe intenſioré. Reſpondetur negando conſequentiam: diuerſa ratio eſt, quia actus eſt cauſa principalis, & ſufficiens ad producendum habitum, vnde ſi in ſe non habet virtutem, non habet vnde eleuetur: at verò habitus eleuari poteſt à potentia, quæ eſt cauſa principalis cuiuſuis actus.

9 Aduerte autem, bene poſſe habitum concurrere ad eundem actum, à quo genitus eſt, non quidem ad eius productionem concurrendo, ſed ad eius repetitionem, quãuis hoc fiat per diuerſam actionem. Hæc de habitibus naturalibus, ſed iam ad ſupernaturales aſcendamus.

SECTIO V.

De Habitibus ſupernatnralibus.

Dantur habitus ſupernaturales. Valent. Fonſeca. Granad.

1 PRima concluſio. Certum omnino eſt dari habitus ſupernaturales. Ita omnes Theologi: quod adeò certum eſt, vt Valentia 1. 2. diſp 4. q. 3. puncto 4. & Fonſ. 9. Met. cap. 5. quæſt. 1. ſect. 1. negatiuam partem condemnent vt hæreticam. Idem docet Granad. tom. 1. in 1. 2. cõtrou. 4. diſp. 1. n. 1. his verbis: *Adeò certum eſt, aliquos habitus ſupernaturales dari, vt citra manifeſtæ hæreſis notam, negari non poſſint, &c.* Quamuis, vt ipſe Author aduertit ibi diſp. 3. ſect. 1. n. 7. bene poſſet Deus de potentia abſoluta concurrere per ſe cum potentia creata ad actus ſupernaturales ſine habitibus.

2 *Secunda concluſio.* Cauſa phyſica habituum ſupernaturalium eſt ſolus Deus. Ita communis Theologorum ſententia, vt videre eſt apud Soar. tom. 3. de Gratia lib. 8. cap. 3. à n. 1. vbi citat Scripturam, PP. & Scholaſticos, & cap. 4. n. 6. Vide etiã Vaſq. 1. 2. tom. 2. ad q. 21 diſp. 79. cap. 10. Gran. 1. 2. cap. 1. controu. 4. diſp. 4. à n. 2. ratio eſt, quia habitus ſupernaturales non ſunt, vt naturales habitus, ſed habent ſe veluti potentiæ, & cauſæ principales reſpectu actuũ, ad quos non tribuunt ſolam facilitatem, vt habitus naturales: ſed tribuunt ſimpliciter poſſe operari: ſed nulla potentia producitur per ſuos actus, imò ècontra, ergo, &c. Sed quæſtio eſt, vtrùm actus ſupernaturales, qui producti fuerunt ab habitibus ſupernaturalibus, relinquãt poſt ſe habitus aliquos ſupernaturales, an ſaltem naturales?

Soarius. Vaſques. Granada.

3 *Tertia concluſio.* Actus ſupernaturales virtutum, ſeu habituũ infuſorum, non generant habitus aliquos ſupernaturales: ita communiter omnes cum D. Thoma 1. 2. q. 51. art. 4. & q. 55. art. 4. Henr. quodlib. 5. q. 25. Sotus lib. 2. de Natura, & Gratia cap. 9. Vega lib. 6. in Trident. cap. 1. Bonauent. in 1 diſt. 17. 2. p. tom. 1. q. 1. Valentia 1. 2. diſp. 4. q. 4. puncto 4. & diſp. 5. q. 1. Vaſq. 1. 2. q. 21. diſp. 79. cap. 10. n. 45. §. *Ego ſanè*: Soar. lib. 8. de Gratia cap. 4. à n. 6. Antonius Perez certamine 7 ſcholaſtico. cap. 4. Aragonius cap. 2 q. 24. art. 6. dub. 2. Bañes ibi. Salas 1. 2. tom. 2. tract. 10. q. 51. diſp. 3 ſect. 6 à num. 53. vbi plures citat, & tract. 11. q. 62 diſp. 6. ſect. 9. n. 74 de hac veritate agit latiſſimé noſter Ripalda de Ente ſupern. lib. 3. d. 51. vbi ſect. 1. allegat. 23 authores: Ratio fundamentalis eſt ſuprá tacta, quia nunquám actus ſecundus producere poteſt actum primum, nam intellectio v. g. non producit intellectum, ſed ècontra: ſed habitus ſupernaturales ſunt potentiæ, & cauſæ principales actuũ ſupernaturalium: ergo actus ſupernaturales nunquàm poterunt producere tales habitus. Confirmatur, quia habitus ſupernaturalis productus ab actu ſupernaturali, eſſet eiuſdẽ, vel diuerſæ rationis, non eiuſdem, ſiquidem eſſet acquiſitus, (vnde non conueniret ſpecificè vniuocè cum infuſo, qui acquiri non poteſt) non diuerſæ, quia inclinaret ad actus ſupernaturales, ſicut habitus infuſus inclinat

Actus ſupernaturales non generat habitus. D. Tho. Henric. Sotus. Vegas. Bonau. Valent. Vaſques. Perez. Aragon. Bañes. Salas Ripalda

4 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet, præter habitus ſupernaturales infuſos à Deo immediatè, dari etiam alios ſupernaturales acquiſitos per actus ſupernaturales, qui non tribuunt potentiæ ſimpliciter operari, ſicut infuſi à Deo, ſed ſolam facilitatem. Ita Petrus Bergomenſis in Cõcordia D. Thomæ diſp. 697. eamque confirmat

relinquũt poſt ſe habitus naturales. *D.Thom. Caiet Soarius. Vaſques. Salas Gilius. Granad. Valent.*

1.2.q 35.art.4.ad 3. Caiet. & Med.ibidem Soar lib.6 de Gratia cap.41 nu.8.vbi multos allegat. Vaſq. 1.2.tom.1. ad 9. 21.diſp. 79.cap.10.n.45.Salas 1.2. ad q.51. tract. 10. diſp.3.ſect.6.nu 56.eandem concluſionem ſupponit Gilius.lib.1.tract.2. cap.7.n.5. vbi alios citat.Granadus item tom.1.in 1.2.controuerſ.4.diſp.4.n.11,vbi citat Valentiam, & alios.Probatur,quia habitus inclinant ad actus ſimiles illis,á quibus geniti ſunt: ſed habitus naturales nõ poſſũt inclinare ad actus ſupernaturales, ſiquidẽ ſunt naturales: imó neque ad actus naturales, ſiquidem producti ſunt ab actibus ſupernaturalibus: ergo ab actibus ſupernaturalibus produci non poſſunt habitus naturales.

Azor. Molina. Ripald. Connick. Bacon. Vaſques.

12 Obijcis pro contraria ſententia,quã tenet Azor.lib.1.cap.21.§.6.*Quæritur.* Mol. 1.p.q.1.art.3.diſp.3.fine,& probabilem credit Vaſq.citatus diſp.79.cap. 10 pro eadem ſẽtẽtia ſtat ex parte Ripald de ente ſupern. lib.3.d. 53 vbi n. 2. citat Ægid. Connick. Bacõ,&c.Obijcis,inquã primo.Hæreticus, qui amittit habitum fidei, adhuc experitur facilitatem in credendo aliqua myſteria: ſed hæc facilitas non prouenit ab habitu quem amiſit : ergo ab habitu naturali, quem per actum fidei ſupernaturalem aliquando acquiſiuit . Reſpondetur negando conſequentiam, talis enim facilitas orta non eſt ab aliquo actu ſupernaturali, ſed ab aliqua naturali ratione, vel humana authoritate,neque enim omnes actus, quos fidelis exercet circa fidem, ſemper procedunt ab habitu fidei, aliquando enim procedunt naturaliter ab authoritate humana, vel ratione aliqua congrua.

13 Obijcis ſecundó. Actus ſupernaturalis continet eminenter actum naturalem circa idem obiectum:ſed actus naturalis poteſt producere habitum naturalem:ergo. & actus ſupernaturalis.Reſpondetur negando maiorem ,quia nobilitas non ſemper arguit continentiam eminentialem,aliter Angelus efficeret omnes humanas actiones , ſiquidẽ nobilior eſt homine, quod eſt falſum, Angelus enim nõ poteſt diſcurrere,ſicut homo.

Species relictæ ab actu ſupernaturali ſunt ſupernaturales.

14 Obijcis tertió. Actus ſupernaturales relinquunt poſt ſe ſpecies memoratiuas naturales:ergo,& relinquent habitus naturales : Antecedens patet,recordatur enim homo,ſe habuiſſe actum fidei . Hoc argumentum ſuam habet difficultatem, conceſſo enim antecedente, conſequentia colligit á paritate rationis:cui antecedenti variè Authores reſpondent: Mihi tamen reſpondendum videtur , relinqui quidem ſpecies [nat]urales memoratiuas,eas veró ſupernaturales eſſe,ſiquidem procedunt ab actu omnino ſupernaturali.

15 Inſtas : ergo etiam actus ſupernaturales producent habitus ſupernaturales:nego conſequentiam,diuerſa ratio eſt, quia actus eſt principalis cauſa ſpeciei : At veró actus ſupernaturalis eſt effectus,& non cauſa habitus ſupernaturalis , vt ſuprà dixi , & ideó poteſt ſpecies cauſari ab actu, non veró habitus.Inſtas iterum , poteſt aliquis naturaliter recordari,ſe habuiſſe aliquando actum ſupernaturalem , ſed hæc recordatio naturalis eſt : ergo per ſpecies naturales relictas.Reſpondetur tamen, talem recordationem nunquàm fieri per ſpecies proprias actus ſupernaturalis: Neque enim quis recordatur certò ſe habuiſſe actum ſupernaturalem, cùm nobis in via certò hoc conſtare non poſſit.

De Intenſione habituum ſupernaturalium.

Habitus ſupernaturales immẽdiate intenduntur moraliter

16 Circa intenſionem habituũ ſupernaturalium infuſorum ſit *Quarta concluſio.* Habitus ſupernaturales infuſi intenduntur per actus ſupernaturales, non quidem phyſicè,ſed meritorié,& moraliter:ita communis Authorum ſententia, quos videre licet apud Soar lib.8.de Gratia. cap.4 nu.17. & lib.9 cap. 1.á n.12.& cap. 2.á n.3. Salas 1.2. tom.1 q.63 art.3.& 4:tract.11.diſp.6. ſect. 9.n.87.vbi citat D.Thom.Caiet.& alios.

Soar. Salas. D.Thomas Caiet.

17 Probatur prima pars, quia actus ſupernaturales non poſſunt producere habitũ ſupernaturalem:ergo neque intendere. Probatur conſequentia, quia intenſio eſt eiuſdem rationis cum ſubſtantia habitus : ergo requirit cauſam non minoris virtutis imó & maioris, cùm intenſior habitus ſit perfectior intra eandem ſpeciem . Probatur ſecunda pars, nam per actus bonos meremur, & impetramus á Deo,vt ipſe immediaté phyſicè intendat habitus,quod mereri poſſumus per quemuis actum,etiam remiſſum, nam etiam actus ſupernaturales remiſſi,meritorij ſunt,& præmij digni.

18 Obijcis primó. Licet actus ſupernaturalis non poſſit primum producere habitum, quia nondum exiſtit ante habitum, tamen poſtea cùm iam habeat exiſtentiam, poterit illum intendere. Reſpond.Negando antecedens, & ratio eſt,quia nulla forma poteſt ſe ipſam intendere per ſe loquẽdo per ſuoſmet actus.

19 Obijcis ſecundò . Si homo fidelis exiſtens in peccato,elicitat actum fidei, per

hunc actum intenditur fides; & tamen cũ ſit in peccato, nihil meretur: ergo &c. Reſpondetur, habitum fidei in eo caſu intendi non quidẽ meritoriè, nec phyſicè, ſed moraliter, quia Deus de lege ordinaria ſtatuit intendere illos habitus in illo, qui illorum habituum actus exercet: quod peculiare eſt in fide, & ſpe.

Suarius,

20 Quæres tamen, vtrùm habitus charitatis, vt quatuor v.g. poſſit ſimul cum potẽtia, cui ineſt, elicere actũ charitatis, vt quinque? Reſpondetur negatiuè cum Soar. in Met. diſp. 44. ſect. 6. n. 5. quia nulla cauſa æquiuoca poteſt operari vltra propriam intenſionem: ideò vero habitus naturalis, vt quatuor, poteſt cum potentia concurrere ad actum naturalem, vt quinque: quia habitus naturalis eleuari poteſt à potentia naturali: cùm verò habitus ſupernaturalis ſit cauſa principalis, non eleuatur, niſi à ſolo Deo. Quapropter ſi potentia cum habitu per ſe infuſo, vt quatuor, elicit actum intẽſiorem, maior concurſus diuinus adhibetur ſupplens defectum habitus.

De Corruptione habituum ſupernaturalium.

Habitus ſupernaturales corrumpũtur demeritoriè.

21 Circa corruptionem habituũ ſupernaturalium ſit *Quinta concluſio* Habitus ſupernaturales non corrumpuntur formaliter, aut phyſicè per habitus; vel actus oppoſitos naturales, ſed demeritoriè. Ita communis ſentẽtia, quam videre licet apud Salas 1.2. tom. 2 tract. 13. q. 71. diſp. 2. ſect. 13. nu. 153. vbi citat D. Thom. Palud. Ochamum, Gabriel, & alios plures, videri etiam poteſt Granadus 1.2. controu. 4. diſp. 11. ſect. 2 à nu. 7. vbi citat Durand. Vaſq. Zumel, & alios.

D. Tho. Salas. Palud. Gabriel. Granad. Vaſquez. Zumel.

22 Probatur prima pars, quia habitus ſupernaturalis non contrariatur habitui naturali, ſunt enim diuerſi ordinis, & generis, at contraria debent eſſe ſub eodem genere proximo. Confirmatur, quia homo adultus vitioſus, qui baptiſatur, recipit habitus ſupernaturales fidei, gratiæ, &c. Et tamen adhuc in eo perſeuerant habitus vitioſi: ergo ſicut habitus ſupernaturales formaliter non expellunt habitus prauos naturales: ita neque habitus naturales expellunt ſupernaturales nec formaliter, neque effectiuè corrũpuntur ab actu naturali oppoſito, quia tũc actus effectiuè corrumpit habitum, quando producit alium habitum formaliter incõpoſſibilem cum primo, ſed habitus naturalis non eſt formaliter contrarius habitui ſupernaturali: ergo actus naturalis non poteſt, mediante habitu naturali, corrumpere habitum ſupernaturalem.

23 Corrumpuntur igitur habitus ſupernaturales (excepto habitu fidei, & ſpei) per actus prauos, nẽpe per peccata mortalia, vt docet Soar. de Grat. lib. 11. c. 7. n. 13. & c. 3. à n. 9. quod attinet ad habitum gratiæ de fide eſt, vt habetur in Concilio Trident. ſeſſ. 6. c. 15. quòad charitatem verò, & reliquas virtutes ſupernaturales, idem probat Soar. ſuprà, quia huiuſmodi virtutes, & dona Spiritus Sancti, ſunt veluti proprietates gratiam conſequẽtes. *Suarius. Trid. ſeſ. 6. cap. 15.*

24 Manet tamen habitus Theologicus, quamuis demus quòd ſit ſupernaturalis, quia bene poteſt peccator eſſe optimus Theologus, ſed hoc nihil facit contra noſtram concluſionem, vel enim hic habitus ſupernaturalis non eſt, vel ſi eſt ſupernaturalis, & manet cum peccato, concluſio noſtra procedit de habitu ſupernaturali infuſo non de acquiſito quibus eſt habitus Theologicus. Habitus tamen fidei, quamuis ſit infuſus, non corrumpitur per quodcumque peccatum mortale, vt docet Trid. cit. canone 28. Idem ex eodem Trid, cap. 6. colligit Soar. lib. 11. de Gratia cap. 5. n. 15. circa habitum ſpei: vtrumque autem peculiari Dei beneficio.

25 Habitus igitur fidei demeritoriè corrumpitur per actum pertinacem hæreſis; ſicut etiam habitus ſpei per actum deſperationis; quòd verò hæc corruptio ſit demeritoriè, non phyſicè, probatur, quia actus deſperationis, & infidelitatis habent eandem phyſicam entitatem, vel deliberati ſint, vel indeliberati: ſed hi actus indeliberati nõ deſtruunt phyſicè habitum fidei, & ſpei: ergo nec deliberati: vnde non approbamus ſententiam Vaſq. 1.2. q. 71. diſp. 91. c. 1. & 4. cui etiam patrocinatur Azor lib. 4. cap. 24. q. 4. quatenus exiſtimant actum peccati phyſicè expellere gratiam, & ſimiliter actum infidelitatis phyſicè expellere fidem. Aduertendũ verò habitus infuſos nec paulatim minui per peccata venialia. Deus enim non aufert huiuſmodi dona, niſi ab inimico; peccatum verò veniale non facit hominem inimicum Dei. *Vaſquez. Azor.*

Qui habitus infundi poſſint à Deo?

26 Sexta concluſio. Omnis habitus virtutis tam intellectualis, vt ſcientiæ, quàm moralis, vt iuſtitiæ, & temperantiæ, infundi poſſunt à Deo: conclu-

concluſio hæc certa,& euidens eſt.

27 *Septima concluſio.* Deus non poteſt infundere habitum ſupernaturalem vitij, vel inclinantem ad errorem, & ratio eſt, quia implicat eſſe ſupernaturalem, ideſt ex motiuo ſupernaturali, & inclinare ad vitium, vel ad errorem.

28 *Octaua concluſio.* Deus non poteſt infundere habitũ naturalem, & per accidens infuſum inclinantem ad vitium, vel errorem. Hæc eſt magis controuerſa, illam tamẽ tenent Victoria in relectione de homicidio à n. 10. Medina 1.2.q.14.§. *Ad argumẽta.* Soar in Met.diſp.44.ſect.13.n.17. Salas.1.2.tract.13.q.71.diſp.1.ſect.3 n.34. Probatur quia omnino repugnat Deo propter ſummam eius ſanctitatem impellere, & facilitare ad malum, quia cenſeretur modo aliquo ſuaſor, & author peccati: Nec obſtat, quòd poſt talem habitum adhuc homo maneret liber:nam, vt quis dicatur cauſa peccati moralis, ſatis eſt, quòd conſulat, & ſuadeat, qui enim ita conſulit, vel facilitat procul dubio inique agit: quamuis enim habitus immediatè non inclinet ad malum, at hoc facit mediatè.

Deus non poteſt infundere habitum erroris, *Victoria. Medina. Soar. Salas.*

29 Confirmatur, quia non minus redditur quis ad malum proclinis per habitum prauum, quàm per qualitates extrinſecas, quibus appetitus ad amorem prophanum excitatur, per potiones, & philtra: ſed per hoc committitur peccatum:ergo, &c. Inde infero contra Salam citatum nu 55. Deum non poſſe infundere huiuſmodi habitus vitioſos, etiam tempore ſomni, vel amentiæ, quia non eſt ſolùm malum inclinare ad actum liberum peccaminoſum; ſed etiam inclinare in actu primo ad actum, & obiectũ intrinſecè prauum; quod tenendum eſt etiã in caſu, in quo Deus abnegat concurſum ad actum prauum, erat enim talis infuſio ex obiecto mala, & vitioſa.

30 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quam defendit Vaſq. 1.2. ad q 71. diſp. 90.cap.4.n.11.§. *Prima quidem.* Obijcis, inquam, primò. Ex eo quòd Deus concurrat cum cauſa ſecunda ad actus malos, non eſt cauſa illorum:ergo neque ex eo quòd infundat habitum prauum. Reſpondetur dando maiorem rationem, quia Deus ad actus prauos concurrit, vt cauſa vniuerſalis; At verò in propoſito caſu concurret, vt cauſa particularis, quia ſaltem eſſet cauſa mediata peccati, aut erroris, vt patet ex dictis.

Reijcitur contraria ſententia. *Vaſq.*

31 Obijcis ſecundò, Deus producit in homine appetitum ſenſitiuum inclinantem ad malum: ergo ſimiliter producere poteſt habitum vitioſum, vterque enim voluntatẽ liberam relinquit in actu ſecundo. Reſpõd. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt quia inclinatio appetitus per ſe naturalis, eſt nec bona, nec mala moraliter, ſed conformis humanæ naturæ, & ita cõceſſus, vt obediat rationi hominis, & per accidens inclinat ad malum: At verò ille habitus moraliter eſſet malus, & ſemper inclinaret ad malũ quamuis voluntatem liberam relinqueret.

32 Obijcis tertiò, & vltimò. Illa actio, per quam à nobis habitus prauus producitur, non eſt otioſa: ergo neque illa, per quam à Deo produceretur: antecedens probatur, quia alioquin, cùm quis facit actum peccaminoſum, peccaret etiam per hanc actionẽ, per quam producitur habitus. Reſpondetur peccantes communiter non aduertere ad productionem habitus, & ideò communiter non peccare in noſtri productione habitus praui, vnde nihil colligit argumentum. Quomodò verò poſſit Deus infundere ſpeciem repræſentantem ens rationis, non verò ſpeciem, aut habitũ vitij, dixi 1. p. tract. 1. diſp. 3 à §. *Tertia concluſio.*

33 Non negamus tamẽ, producere poſſe Deum talem habitum vitioſum, vel extra ſubiectum, vel in ſubiecto ad peccandum incapaci: Eſt enim habitus quædam qualitas phyſica, & realis. Similiter admittimus, poſſe Deum infundere habitus indifferentes.

34 Atque hæc quidem ſatis ſint circa habitus, imò & circa vniuerſam Metaphyſicam.

Hic labor extremus, longarum hæc meta viarũ. Virg. Æn. 3.

Hæc, quæ hîc dedimus, ſi placeant aliquibus, vt à Deo hauſta, gratulabor: ſi diſpliceãt multis, non multùm propterea diſcruciabor.

Scribat carmina circulis Palæmon,
Me raris iuuat auribus placere. Martial. lib. 2.

Nos enim (vt inquit Tullius 2. Tuſcul) *qui ſequimur probabilia, neque vltra id, quod veriſimile occurrit, progredi poſſumus, refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia, parati ſumus, &c.*

Finis vniuerſæ Metaphyſicæ.

LAVS DEO.

Virginique Matri.

V 4 SVMMA

SVMMA PHILOSOPHIÆ

AVTORE P. M. BALTHAZARE TELLES SOCIETATIS IESV.

PARS QVARTA

IN LIB. DE GENER. ET CORRVPT. NECNON IN LIB. DE ANIMA.

TRACTATVS I.

IN LIBROS

DE GENERATIONE, ET Corruptione.

PROŒMIVM.

QVamuis poſt libros Phyſicorum, ac de Cælo ſolemne iam ferme ſit de ſubſtantia corruptibili animata, & inanimata diſputare, quia tamen in noſtra hac alma Conimbricenſi Academia, priùs de Metaphyſicorum libris agitur, deinde de rerum ortu, & interitu, ac tandẽ de libris de Anima, ideo in hac quarta parte SVMMÆ placuit ſubſcribere ordini Conimbricenſi. Multa tamen hic miſſa facio ex induſtria, propterea quòd, vel ex Phyſicorum facula, vel ex Metaphyſico Sole lucem protinus mutuantur: Reliqua, paucis verborum nodulis, qui à quouis facilè abſque Alexandri acinace reſcindi poterunt, obtegentur: potiora, ſi potuero, aliquãtulúm illuſtrabo, ſed maiori etiam, quàm ſoleo breuitate: ſupponendo prius id, quod extra cõtrouerſiam eſt, ſubiectum ſcilicet horum librorum eſſe corpus generabile, & corruptibile.

LIBER

Digitized by Google

LIBER I.

DISPVTATIO LXXI.

De Generatione, & Corruptione, & Alteratione in communi.

SVppoſito, quòd in rerum natura detur veræ generationes, & corruptiones (vt experiẽtia docet, qua videmus res omnes ſublunares continua metamorphoſi, modo interire, iterũ repullulare per veram, & propriam mutationẽ factam, circa formas, quæ vel intereunt, vel renaſcuntur:) In hac diſputatione dicendũ eſt priùs de hac generatione, & corruptione in communi, deinde de alteratione, quæ ignobilior eſt.

SECTIO I.

Quid, & qualis ſit generatio, & quis terminus, & ſubiectũ?

Difinitur generatio *Ariſtotel.*

1 PRima concluſio. Generatio ſubſtantialis *eſt mutatio ſacta in materia à priuatione formæ ſubſtantialis, ad aliã formam ſubſtantialem:* Ita ex Ariſtotele 1. de Gen. cap. 5. in qua definitione conſtat ad generationem præſupponendam eſſe materiam primam, quæ ſit cõmune ſubiectum, hæc enim ingenerabilis cùm ſit, in ſe recipit generationes.

2 Vnde colligitur primò, creationem non eſſe generationem, ſiquidem creatio nõ fit ex præſuppoſito ſubiecto: & propter eãdem rationem neque tranſubſtantiatio in Euchariſtia dicitur generatio; neque itẽ dicitur generatio conuerſio vnius hominis in lapidem, quia in his mutationibus nullum ſubeſt commune ſubiectũ manẽs ſub vtroque termino, ſed potiùs tota vna ſubſtantia in aliam conuertitur.

3 Colligitur ſecundò in omni generatione, præter materiam, dari priuationem, quæ ſit terminus, à quo, & dari etiam formã quæ ſit terminus, ad quem; quæ tria cũ ſint eſſentialia omni generationi, & cùm proptereà in definitione exprimantur, videtur definitio eſſentialis.

4 *Secunda concluſio.* Cõpoſitũ eſt terminus adæquatus generationis, & deinde eſt principalis, & primus ordine intẽtionis: ità communis, & vera ſententia cũ D. Th. 1. p. q. 45. art. 8. Probatur quia quòd priùs natura intendit, eſt producere compoſitum: nam forma, & vnio ſolùm fiunt ratione ipſius compoſiti: ergo, &c:

D. Thom.

5 *Tertia concluſio.* Terminus formalis generationis, & *vt quò*, ſolùmque primarius ordine exequutionis, eſt forma, cũ modo vnionis, per quẽ vnitur materiæ, eſt etiã cõmunis & probatur, quia forma tribuit cõpoſito eſſe ſpecificũ: cũ igitur forma ſit, qua fit cõpoſitũ, ipſa eſt terminus, *quo*, ſeu, mediãte quo, fit compoſitũ: Quòd verò ſit prior ordine exequutionis, probatur, quia partes neceſſariò ſunt priores, quã totũ, quod cõponũt.

6 Ex quibus ſequitur, per eandẽ actionem, qua fit forma, vniri etiã eandẽ formã materiæ, fierique cõpoſitũ, & ratio eſt, quia forma, quæ producitur per generationẽ, educitur de potentia materiæ; non poteſt autẽ educi, quin vniatur in fieri, & conſequẽter per eandẽ actionẽ neceſſariò reſultat cõpoſitũ: vnde in re ipſa eadẽ eſt actio eductiua, & vnitiua licèt, ſub diuerſis formalitatibus, quà eductiua, dicatur generatio, & ſit prior, quã forma (ſiquidẽ quælibet vnio ſupponit partes vniendas) & nihilominùs ipſa vnio, ſub alia formalitate, etiã in facto eſſe, eſt prior cõpoſito, quod cauſat: quia cauſalitas eſt prior, ſuo effectu; vnio autẽ in facto eſſe eſt cauſalitas reſpectu cõpoſiti: cũ igitur illi termini, *forma, vnio, & cõpoſitũ* ſint naturaliter inſeparabiles, per vnam tantùm actionẽ totalẽ, & inſeparabilẽ, fient; quãuis, prout terminatur ad vnionẽ, ad formã, & ad cõpoſitum, habeat diuerſas formalitates.

In quonam conſiſtat formalis ratio generationis?

1 QVarta concluſio. Formalis ratio generationis propriè conſiſtit in actione, qua generans producit vnionẽ inter materiã, & formã, ſeu in actione, qua generãs vnit formã cum materia: ita Patres Conimbr. 1. de Gen. c. 4. q. 13. art. 1. Probatur, quia nõ poteſt cõſiſtere in actione, qua producitur forma, hæc enim producı poteſt à ſolo Dèo, extra materiam: deinde

Generatio propriè conſiſtit in productione vnionis *Patres Conimbr*

Digitized by Google

deinde non conſiſtit in actione, qua producitur cōpoſitum, nā materia imprimis non generatur; deinde forma creari poteſt: ergo totum cōpoſitū non generatur. Confirmatur, quia in reſurrectione dabitur vera generatio ſiue regeneratio; & tamen ibi propriè non producitur forma, ſed vnio: ergo, &c. Et declaratur, quia ſicut verè dicitur dealbare parietē, nō qui producit cādorē, & parietē, ſed qui cōiūgit cādorē parieti, ita verè dicitur generare hominē ſeu viuēs, qui producit vnionē inter materiā & formā viuētis.

Reijcitur contraria primò. Rubius

8 Obijcis primò pro cōtraria ſētētia, quā ſequitur Rub. 1. de Gen c. 4. tract. 1. q 3. à n. 46. Natura nō intendit generare vnionem, ſed formā: ergo hæc eſt proprius, & formalis terminus generationis. Reſp. ad antecedēs, propriè loquēdo, naturā non intendere generare formā, ſed totū cōpoſitum; quare ſicut in ipſo cōpoſito non cōſiſtit propriè formalis ratio generationis, ità neque in productione formæ: cùm tamē vnio ſēper producatur in cōpoſitis materialibus; & in cōpoſito rationali, cū vel vnio producatur à generante, vel ſaltē diſpoſitiones immediatè concurrentes ad hanc vnionē in hac actione formaliter, & in eius termino, nempe vnione, conſiſtet formaliter generatio.

9 Obijcis ſecundò. Forma eſt, quæ educitur, & hæc eſt terminus generationis ergo in eius productione conſiſtet generatio. Reſp. negando conſequentiā, aliquando enim datur vera generatio, quin forma producatur, vt patet in Reſurrectione: ergo formalis ratio generationis conſiſtere non poteſt in productione formæ; ſed potiùs dicendū eſt, conſiſtere in productione vnionis formæ ad materiam.

10 Inſtas Forma dat ſpeciē compoſito: ergo etiā dat denominationē generationi. Reſp. negādo cōſequentiā, quia bene poteſt forma dare denominationē, quin ipſa forma propriè generetur, vt patet in forma rationali, quæ dat denominationem homini, neque tamē generatur: ergo cū ſēper vnio producatur, actio quæ terminatur ad vnionē, vel ſaltē ad diſpoſitiones vnionis, erit vera generatio. Hoc tamē non tollit, quominùs forma materialis verè dicatur generata, & ſit prior, reſpectu generationis in ordine executionis, quāuis cōpoſitum ſit priùs in ordine intentionis: Materia tamen nunquam dicetur generata, ſed mutata: ex quibus etiā colligitur, omnem naturalem generationē eſſe conuerſionem vnius formæ in aliam. Cùm dico formam eſſe priorem in ordine executionis, non eſt ſermo de accidentibus, de quibus infra.

Vtrùm generatio fiat in inſtanti? Et quod ſit eius ſubiectum?

11 QVinta concluſio. Generatio eſt mutatio inſtantanea, per quam educitur forma ſubſtātialis de potentia materiæ primæ: ita cōmuniter cum D. Th. q. 3. de Potentia art. 3. & Scoto in 2. d. 2. q. 9. Probatur, quia ſubſtantia habet totum ſuū eſſe ſimul, & nō per partes, ſicut quantitas, aut per gradus, ſicut qualitas. Neque obſtat, quód forma ſubſtātialis materialis ſit, & habeat partes entitatiuas, adhuc enim eius generatio fieri poteſt in inſtanti, vt conſtat ex dictis 2. p. tract. 1. Phi. l. 5. diſp. 34. ſect. 1 à §. *Obijcis primò*. Quāuis ergo forma ſubſtantialis fiat in inſtanti, dātur tamē actiones aliquæ ſucceſſiuæ antecedentes generationē, quales ſunt alterationes, quæ in materia præcedunt formā introducendā. Ex quibus manifeſtè colligitur, diſtingui generationē ab alteratione, primó, quia generatio eſt actio inſtātanea, ſeu momētanea, alteratio verò eſt actio ſucceſſiuà, cū ſit motus. Secundò diſtinguitur ratione terminorū, nā terminus generationis eſt ſubſtātia, terminus autē alterationis eſt qualitas.

Generatio fit in inſtanti. D. Thom. Scotus

12 *Sexta concluſio*. Subiectū generationis propriū, & immediatū eſt materia prima: ita cōmunis, & vera ſentētia cū D. Th. in 2. diſt. 1. q. 1. art. 2. Tolet. 1 de Gener. q. 5. pro nobis etiā ſtat nouus Curſus Complut. diſp. 2. de Gen. q. 5 à n. 56. vbi citant Soar. Hurt, Rub. & alios. Probatur, quia generatio eſt mutatio ſubſtātialis: omnis autē mutatio neceſſarió exerceri debet in eo, quod mutatur, atqui ſola materia mutatur ab vna forma in aliā (nā forma quæ præerat, corrūpitur, & non mutatur:) ergo, &c. Et declaratur, quia materia prima eſt primū ſubiectum, circa quod verſatur generans, educendo ab illo formā: ergo neceſſariò dicēdū eſt, quòd materia ſit ſubiectū generationis: ad quod munus ſufficit propria exiſtentia, quā verè habet materia, vt probaui 2. p. tract. 1. diſp. 22. ſect. 2. imò etiam habet veram ſubſiſtentiā; vt oſtendi 3. p. tract. 2. diſp. 57. ſect. 2.

Subiectū eſt materia prima. D. Thom. Toletus. Curſus Complut. Soar. Hurtad. Rubius.

SECTIO II.

De generatione naturali, & ſupernaturali viuentium.

1 PRima concluſ. Generatio viuētiū eſt *proceſſio vnius viuentis à principio vitæ coniuncto, ſecundùm ſimilitudinem, ſaltem*

Definitur generatio viuētiū.

Digitized by Google

tem ſpecificam, operante per cognitionem. Definitio ab omnibus recipitur; & in ea cõſtat, neceſſarium eſſe ſimilitudinem, ſaltem ſpecificam, vt detur vera ratio patris generãtis filium: Vnde vermes, & ſimilia animalcula, quæ in nobis progenerãtur, nõ dicũtur filij, quia nõ procedũt ſimilia in natura ſpecifica

2 Colligitur tamẽ hãc definitionẽ propriè conuenire generationi æternæ, quia Filius in diuinis procedit à Patre æterno, tanquàm à principio vitali operante per verã cognitionẽ, in qua generatione procedit Filius ſimilis omnino Patri in natura diuina: quã ſimilitudinem quamuis habeat Spiritus Sanctus, eius tamen proceſſio non dicitur generatio, quia (præterquã quòd eius proceſſio ſit per voluntatẽ, & non per intellectum) nõ euadit Spiritus Sanctus ſimilis, ex vi ſuæ proceſſionis, ſed aliunde, vt latè explicant Theologi in materia de Trinitate. Ex eàdem definitione conſtat requiri ad generationem viuentium, vt generans præditum ſit cognitione, & ſimiliter amore.

3 Sed quæſtio eſt, vtrùm generatio viuentium vniuoca ſit ad generationes naturales, & ad illas, quæ fiunt ſupra vires naturæ, qualis imprimis fuit Generatio Adami, quæ facta eſt ſine patre, & ſine matre: qualis item fuit generatio Euæ, quæ fuit ſine matre: qualis itẽ dicenda eſt generatio Chriſti Domini, quæ fuit ſine patre naturali: & qualis tandem erit noſtra reſurrectio, ſiue regeneratio ſit igitur.

Generatio ſupernaturalis vniocè conuenit cum naturali. *Patres Conimbr*

4 *Secunda concluſio.* Omnes iſtæ generationes ſupernaturales vniuocè conueniunt cum quauis generatione naturali viuentium: ita communius, & vera ſentẽtia, quàm tenẽt Conimbricenſes 1. de Gener. cap. 4. q. 14. art. 2. Probatur concluſio, quia his omnibus conuenit definitio generationis in cõmuni, nempe quòd ſit *mutatio à priuatione formæ, ad formam in materia.* Confirmatur, quia generationes, ſicut reliquæ actiones, ſpecificãtur per terminos materiales: ſed terminus in generatione naturali & ſupernaturali ſemper eſt idem, nempe forma, vel vnio ſubſtãtialis: ergo. Cõfirmatur tandem ex dicẽdis 4 p. tract. 2 diſ. 83. ſect. 4. n. 7 vbi ſtatuemus, conceptum productum à Socrate vitaliter, & à ſolo Deo non vitaliter eductum, eſſe eiuſdem ſpeciei. Nihilominus tamen tales generationes ſunt accidentaliter valdè diſſimiles: Nam imprimis in generationibus naturalibus priùs materia diſponitur ſucceſſiuè antecedenter: At verò in generatione facta ſupernaturaliter, in inſtanti dantur diſpoſitiones, & introducitur forma. Deinde generatio naturalis vitalis eſt: quæ verò ſit diuinitus, talis non eſt: vitalitas verò, vel non vitalitas non variat eſſentiam actionũ, vt ſæpe dixi.

5 Neque obſtat, quòd in materia non detur potentia actiua ad reparandam formã corruptam, ſatis enim eſt ſubſtantialis, & eſſentialis eius potentia, quæ datur ad omnes formas recipiendas, ſiue receptio ſit naturalis, ſiue ſit ſupra vires naturæ. Atque ex dictis colligitur primò generationem Chriſti Domini conuenire ſpecie cum alijs hominum generationibus, ad illam enim concurrit Virgo Beatiſſima, ſicut reliquæ Matres: accidentaliter tamen ab alijs generationibus diſtinguitur, in hac enim mirabili generatione Spiritus Sanctus ſuppleuit defectum patris naturalis. Neque facit contra hãc veritatem, quòd terminus huius generationis ſit ſuppoſitum diuinũ, nam terminus formalis, & immediatus fuit humanitas, vel vnio inter materiam, & formam humanitatis, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei cum alijs. Colligitur ſecundò, hanc conuenientiã inter has generationes genericam eſſe: imò etiam has generationes viuentium operantium per cognitionem, & amorem, vniuocè conuenire, in genere magis remoto, cũ generationibus viuentium, quæ non operantur per cognitionem, quales ſunt plantæ.

6 Aliqua tamen obiter hic ſunt aduertenda; primum eſt, quæſtionem eſſe inter Philoſophos, & Medicos, vtrũ non ſolùm pater, ſed etiam mater actiuè concurrant ad generationes naturales, quam affirmatiuè, & verè reſoluunt Patres Conimbricenſes 1. de Gener. cap 4. q. 17. art. 2. licèt Ariſtoteles aliter iudicare videatur. Eandem etiã quæſtionem ſatis latè & liceniter tractauit Hurt. de Generatione diſp. 2 ſect. 5. & 6. Reſolũ. vtrũ aliq; quot dubia. *Patres Conimbr. Hurtado*

7 Secũdum eſt, diſſidium item eſſe inter eoſdem Philoſophos, & Medicos, quodnam membrum corporis in viuente prius efformetur: Hippocrates enim, & Galenus pugnant pro hepate, deinde poſt hepar generari dicunt cor, ex puriori materia, & poſteà cerebrum. Ariſtoteles verò exiſtimat, priùs cor generari, cui potiùs aſſentimur, primò, quia nullũ mẽbrũ ſuſtẽtari poteſt ſine calore natiuo; ſed hic dimanat à corde: ergo, &c. Secũdò, & principaliter, quia in hepate fit ſanguis quo animal nutritur, in vitæ verò exordio ſufficit matris ſãguis ad alẽdũ fætũ, qui tamẽ fætus etiã tũc requirit ſãguinẽ arterialẽ, qui nõ niſi in corde generatur; hoc tamẽ diſſidiũ non dirimit, ſed auget. P. Hur. latè enim probare intẽdit diſ. 2. de Gen ſect. 7. à n. 97. nullũ dari mẽbrũ, quod ſit priùs, ſed õnia ſimul eſſe principiũ, & õnia finẽ *Hippocrat. Galenus. Ariſtoteles*

non

Digitized by Google

non tamen adeò ſumus excordes, vt primas cordi non attribuamus.

8 Tertium eſt, dubitari item inter eoſdem Authores, quodnam membrum genetur nobilius in animali? Reſpondeo breuiter, cor eſſe quidem magis neceſſarium, ſiquidē in eo vitæ principium continetur, nihilominùs tamen cerebrum nobilius eſt iudicandum, quia eſt principium actionum nobiliſſimarum, quales ſunt actiones ſenſitiuæ, quæ exercentur medio ſpirituum animalium, qui à cerebro dimanant. Quartum eſt, quæri etiam à Philoſophis, cur in generationibus naturalibus filij plerumque parētibus ſimiles euadant? Reſp. cauſam eſſe cōuenientiam natiui temperamenti; licèt aliquando propter cauſas valde occultas filij valde diſſimiles parentibus naſcantur; quã etiã in re præſtat imaginatio, cuius in hac parte vis ſtupenda Philoſophis eſt propè ignota; de qua tamen erudicè ſcripſit noſter. Ioan. Euſeb. de Miraculis Naturæ lib. 2. de Prodigijs imaginationis. *Ioannes. Euſebius*

SECTIO III.

Quid, & qualis ſit corruptio, & quo modo cum generatione ſit coniuncta?

1 PRima concluſio. Corruptio eſt *mutatio facta in materia ab eſſe ſubſtantiali formæ ad non eſſe eiuſdem*. Ita communiter cum Ariſtotele: eſt autē corruptio ſecundū ſe, & formaliter, nō vera, & poſitiua mutatio, ſed negatiua; ſiquidem non terminatur ad terminū poſitiuū, ſicut Generatio, ſed terminatur ad non eſſe formæ: de qua actione philoſophandum eſt iuxta ea, quæ dixi de ſuſpenſione actus, 3. p. tract. 2. diſp. 69 ſect. 1. *Propoſitio d[illegible] co[r]ruptionis*

2 *Secunda concluſio*. Corruptio eſt prior generatione in genere cauſæ materialis, ſed poſterior in genere cauſæ efficientis. Probatur prima pars, quia priùſquàm introducatur noua forma, debet corrumpi forma vetus antecedens, quæ erat in materia: ergo corruptio ex parte materiæ antecedit generationem. Probatur ſecunda pars, quia generatio eſt introductio nouæ formæ: ſed omnis introductio in genere cauſæ efficientis prior eſt, quàm expulſio formæ: ergo, &c. Probatur minor, quia prius eſt rem à loco expellere quàm vt ipſa expellatur.

2 *Tertia concluſio*. Si corruptio comparetur cum compoſito, poteſt in bono ſenſu dici, quòd non ſit naturalis, ſi tamen comparetur cum materia, eſt illi naturalis. Probatur prima pars, quia corruptio tendit ad nō eſſe formæ, & compoſiti; ſed nihil naturaliter ordinatur ad non eſſe (ſiquidem omnia appetunt ſuam conſeruationem.) Ergo, &c. Probatur ſecunda pars, quia materia naturaliter appetit omnes formas; ſed non poteſt admittere ſecundam, quin amittat primam: ergo corruptio formæ, ſiue compoſiti naturalis eſt materiæ ex inclinatione & appetitu eiuſdem materiæ ad habendum omnes formas ſucceſſiuè.

4 Aduertendum tamen eſt, quòd ſi *naturale* accipiatur pro eo, quod ſequitur naturam, & proportionem alicuius rei, corruptio dici poterit naturalis, etiam comparata cum ipſo compoſito. Probatur, quia cōpoſitum conſtat materia, & forma vnitis per vnionem ſeparabilem: ergo non eſt cōtra, vel præter naturam compoſiti, diſſolui, & corrumpi, ſiquidem vniuntur quadam vnione naturaliter diſſolubili, & corruptibili; quapropter tam naturale erit materiæ, ex parte ſui, habere formam præſentem, quã aliam aduentitiam.

5 Declaratur hæc doctrina in viuentibus, quorum vita conſiſtit in calido, & humido. Quod humidum calor continuè depaſcitur: cùm autem omne agens agendo repatiatur, hinc fit vt dum calor agit in humidū calor paulatim conſumatur, donec viuens defectu caloris emoriatur. Vnde mors, quæ prouenit ſine aliquo morbo exteriùs accidente, ex ſolo defectu caloris, naturalis eſt homini, vt probat Hurt. diſp. 1. de Gener. ſect. 10. ſubſ. 5. quamuis videatur ſui immemor, aſſerit enim diſp. 13. de Anima. ſect. 3. n. 12 ſeparationē animæ in fieri, ideſt mortem, ſemper eſſe violentam. Cùm igitur viuens intra ſe habeat principium ſuæ corruptionis, vel ratione vnionis vel ratione caloris, dicendum eſt quòd corruptio naturalis ſit quæ ampliùs patebunt ex dicendis diſp. vlt. in lib. de Anima, ſect. 2. vbi oſtendemus, ſtatum animæ ſeparatæ à corpore, eſſe illi naturalem. *Hurtad.*

6 Obijcis, Corruptio repugnat naturali inclinationi compoſiti, quod ſemper inclinatur ad eſſe: ergo corruptio non poteſt illi naturalis eſſe. Et confirmatur, quia ſæpè mors aduenit, non ex defectu caloris natiui ſed ex aliquo externo calore, vel ex aliqua vehementia, ex qua mors dicitur violenta, quando aliquis interficitur. Reſp. tamen negando conſequentiam, cum enim inclinatio illa ſit ad eſſe deſtructibile per diſſolutionē vnionis, bene ſtare poteſt hæc corruptio naturalis. *Quo pacto corruptio ſit naturalis*

naturalis, cum naturali appetitu, quem habet compoſitum ad ſui conſeruationem. Ad confirmationem reſpondetur, ſimilem mortem dici vulgò violentam, neque primò, & per ſe intentam eſſe à natura, nihilominùs tamen philoſophicè loquendo, naturalis dici poteſt, & per ſe ſecundariò intenta à natura, vt conſtabit ex dicendis loco citato, & ſequẽti concluſione.

7 *Quarta concluſio.* Corruptio non intenditur à natura primaria intentione, quamuis intendatur ſecundariò. Ita D. Tho. in 4. diſt. 36. q. 1. ad 2. Primam partem concluſionis bene probant Conimbricenſes 1. de Gener. cap. 4. q. 6. ar. 5. quia corruptio eſt quoddã malum, ordinatur enim ad non eſſe rei naturalis: nemo autem primaria intentione intẽdit malum, quà malum eſt, vt dixi 3. p. tract. 2. de Libertate, diſp. 67. ſect. 3. Probatur ſecunda pars, quia generatio per ſe primò intenditur à natura: ſed hæc ſtare non poteſt ſine corruptione: ergo corruptio ſecundariò intentione intenditur à natura, vt conſtabit ex libris de Anima, diſp. vlt. ſect. 2. n. 3. Vnde quamuis corruptio ſit aliquod malum naturæ, poteſt tamen ſecundariò intendi, propter bonum, quod inde conſequitur ipſa natura, nempe propter nouam generationem, quæ dari non poteſt, ſine antecedẽte corruptione. Ex quibus colligitur, Corruptionem nũquàm fieri per actionem propriã, & poſitiuam, vt latè proſequitur Soar. in Met. diſp. 18. ſect. 11.

D. Thom. Patres Conimbr. Soarius.

8 *Quinta concluſio.* Quoties datur corruptio vnius formæ, datur generatio alterius naturaliter. Probatur, quia quoties datur generatio vnius, datur corruptio alterius, vt eſt commune axioma: ergo à contrario ſenſu, quoties datur corruptio vnius, datur generatio alterius: illud autẽ axioma intelligendũ eſt ex naturali conexione, ſiue cõcomitanter, vt explicat Fonſ. 5. Met. q. 14. c. 2. ſect. 5. ad 4. nã eſſe vnius formæ in materia neceſſariò infert negationẽ alterius, ſiquidẽ materia nõ poteſt naturaliter habere plures formas ſubſtãtiales totales. Bene tamen poterit aliquando dari vera generatio vnius formæ, ſine corruptione alterius, vt fit in corruptione hominis, in qua generatur forma cadaueris, quin corrumpatur forma ipſius hominis; verùm hic datur ſaltem expulſio formæ rationalis: quapropter illud axioma, *Generatio vnius eſt corruptio alterius*, omnino verum eſt circa ipſum compoſitum, non enim poteſt dari vnum compoſitum de nouo, quin aliud corrumpatur.

Fonſeca.

9 Præterea intelligendum eſt hoc axioma naturali modo, nam ſuppoſito miraculo Euchariſtiæ, poteſt homo augmẽtari vera generatione ſubſtantiali, per ſpecies ſacramẽtales, quin detur corruptio alicuius formæ ſubſtantialis antecedentis, ſiquidem in Euchariſtia, vt docet fides nullã manet forma ſubſtãtialis naturalis, hæc enim mutata eſt in corpus Chriſti Domini. Et poteſt diuinitus etiam dari generatio alicuius formæ, quin præcedens corrumpatur, ſi nimirum plures ſimul formæ conſeruentur in eadem materia, quod fieri diuinitus poſſe, dixi 2. p. tract. 1. lib. 2. diſp. 23. ſect. 3.

SECTIO IIII.

Vtrùm detur corruptio accidentium vſque ad materiam primam?

Quæ accidentia corrũpantur.

1 PRima concluſio. Accidentia, quæ immediatè ſequuntur formã, corrumpũtur ad eius corruptionẽ. De hac concluſione nulla eſt dubitatio: ſolùm declaratur, quia potẽtiæ, & paſsiones, quæ in anima immediatè ſubiectabãtur, anima pereunte, neceſſariò debent naturaliter interire, quia deſinit illarũ ſubiectũ, a quo dependebãt in fieri, & cõſeruari: & idẽ etiã dicendũ eſt de ſenſibus externis; quia quãuis ſubiectẽtur in materia, nihilominùs dependent immediatè ab anima, non enim poteſt dari vita accidentalis ſenſuum, ſine ſubſtantiali animæ vita. Quæ doctrina circa hæc accidentia non minùs certa eſt in compoſito humano, in quo quamuis anima non corrumpatur, deſinit tamen eſſe in corpore; ac proinde ad eius diſceſſũ ſeparantur ſimiliter omnia accidentia, tã illa ſcilicet, quæ immediatè dependebãt ab ipſa anima in genere cauſæ materialis, quàm illa, quæ ab ipſa dependebant immediatè in genere cauſæ efficiẽtis. Magna tamen, & grauis difficultas eſt, vtrùm in corruptione alicuius cõpoſiti, corrũpantur etiam accidẽtia, quæ immediatè ſequuntur materiam, ita vt ſola materia nuda permaneat, cũ forma ſubſequenti, omnia verò accidentia, quæ præſtant, corrumpantur, cum forma corrupta?

Nõ datur reſolutio vſque ad materiam primam.

2 *Secunda concl.* Longè probabilius eſt, in corruptione non dari reſolutionem vſque ad materiã primã, ſed manere in materia quantitatẽ, & alia accidentia, quæ ſunt cõmunia, tã formæ genitæ, quàm corruptæ. Ita Auicẽna, Auerr. Henr. Gregor. Ocbamus, & Gabriel, quos citant Conimbricenſes 1. de Gener. c. 4. q. 18. ar. 1. Idem tenet Pereira in ſua Philoſ. lib. 5. cap. 18. Soar. in Met. diſp. 14. ſect. 3. nu. 19. præcipuè à n. 37. Hurt. item de Generat. diſp. 1. ſect. 6. & alij. Probatur concluſio,

Auicena. Auerroes. Henriq. Gregor. Ocham. Gabriel. Pereira. Soarius. Hurtad.

Digitized by Google

ſaltem in quantitate, nunquam hæc eſt coæua materiæ, ab illa enim immediatè procedit, & in ea immediatè recipitur, vt probauimus 2. p. tract. 1. lib. 1. diſp. 23. ſect. 4. num. 1. ergo cum quantitas non ſubiectetur in forma, neque ab ea dependeat in fieri, non eſt cur ad deſitionem illum formæ corrumpatur. Probatur cõſequentia, quia accidentia, quæ ſunt immediatè in anima rationali, in eâdem anima ſeparata remanent: ergo ſimiliter accidentia, quæ ſunt in materia, remanebunt in eadem materia.

3 Et quamuis dici poſsit, quantitatem pendere ab anima immediatè, quatenus ab ea depẽdet materia, hæc tamen dependentia ſufficienter ſuppletur per formam ſubſequẽtem: & declaratur hoc argumentũ, quia quãtitas non in toto cõpoſito immediatè ſed in materia recipitur, vt probant citati Doctores: ergo quamuis deſtruatur totum, cùm adhuc materia permaneat, in ipſa permanebit quantitas: quod efficaciter probatur exemplo animæ rationalis ſecum deferentis ſuas potẽtias ſpirituales; & in quantitate hominis, quæ in ſola materia ſubiectatur.

4 Confirmatur primò, & probatur etiã in aliis accidentibus, quia quantitas, & multæ aliæ diſpoſitiones præexiſtentes in materia ſimul inſeruire poſſunt ad formã introducẽdã, præcipuè quia ſi omnia accidentia præexiſtentia euaneſcerent, in inſtanti in quo forma noua generatur, nõ darẽtur diſpoſitiones ſufficientes in inſtanti generationis ad formã effectiuè introducendam; cùm enim antecedentes diſpoſitiones in eo inſtanti iã non dẽtur, operari non poſſunt; neque recurrendum eſt ad diſpoſitiones formæ introducendæ: nã etiã hæ non dantur ante formam ad diſponendam materiam: neque recurrendũ eſt ad ſigillationem, vt bene oſtendit Soar. citatus. Confirmatur ſecundò, quia forma cadaueris, quæ ſubſequitur formam viuentis, eſt valde contraria accidentibus, quæ per aliquod breue tempus durant in materia: ergo non habet virtutem ad illa tam celeriter producenda, quandòquidem non poteſt ea conſeruare, vt vel aduerſarij admittũt, & patet in morte hominis, in qua videmus, paruo tempore intercedente, poſt formam cadaueris introductam, corrumpi multa accidentia, quæ repugnant formæ cadaueris; nam pulchritudini ſuccedit deformitas, &c. ergo forma cadaueris, quæ tã cõtraria eſt his accidentibus, nõ illa introduxit in inſtanti generationis.

5 Confirmatur tandé, quia hæc opinio familiarior eſt, & amicabilior ſenſibus, experiẽtiã enim cõſtat, in cadauere hominis demortui manere multa accidentia corporea eadẽ numero, quæ ante fuerãt in viuente, & probatur in calore, cicatrice, &c. aſſerere autem, illa accidentia videri quidẽ eadem, ſed non eſſe eadẽ, hoc ſanè erit noctẽ oculis velle offundere; qua in re non eſt ſenſus corrigendus, vt monent aduerſarij, ſed ipſi potiùs ſunt corrigendi, qui credũt non videre colores, quos ſolus cæcus non iudicabit eſſe eoſdem.

Proponitur, & refutatur contraria ſententia.

6 Obijcis tamen pro contraria ſentẽtia, quæ docet, in corruptione alicuius formæ ſubſtantialis, omnia accidentia corrũpi, ſolamq́ue, & nudam materiam permanere, quæ probabilis eſt, ſaltem propter auctoritatem; illam tenent D. Thom. cum omnibus eius diſcipulis, quos citant, & ſequuntur Conimbricenſes 1. de Generat. cap. 4. quæſt. 18. art. 2. Vaſq. tom. 3. in 3. p. diſp. 87. num. 22. Fonſ. 8. Metaph. cap. 1. q. 2. ſect. 5. Rub. 1. de Generat. tract. 2. q. 4. à num. 91. item noui Complutenſes, diſp. 3. de Gener. quæſt. 6. á num. 52. Obijcis, inquam, primò. Per Ariſtotelem, in corruptione ſubſtantiali nullum manet ſenſibile: ergo non manet quantitas. Reſpond. Ariſtotelem ſolùm voluiſſe ſignificare nullum manere ſubſtãtiale ſubiectũ totale ſenſibile; nam etiam ſubiectum ſubſtantiale dicitur ſenſibile, ſaltem per accidens. *D. Thom. Patres Conimbr. Vaſques. Fonſeca. Patres Diſcalc.*

7 Obijcis ſecundò. Materia cum quantitate eſt ens per accidens: ergo nõ poteſt forma cum illa materia efficere vnum per ſe; ſed neceſſariò, in inſtanti introductionis formæ debet quãtitas antecedẽs expelli. Reſp. negãdo conſequentiã, eſt enim quantitas antecedens neceſſaria ad extendendã materiã, adhuc tamen forma efficit vnum per ſe cum materia, quia quamuis modò dentur plurima accidentia ad conſeruationem compoſiti, nihilominùs compoſitum ſolùm reſpicit eſſentialiter materiam, formam, & vnionem.

8 Inſtas. Forma eſt actus primus reſpectu materiæ: ergo dari non poteſt in materia quãtitas ante formam ſubſtantialem. Reſpond. ad antecedens, formam ſubſtantialem eſſe priorem in ordine intenſionis; in ordine tamen executionis, eſſe poſteriorem quantitate, quod nullum eſt inconueniens.

9 Obijcis tertiò. Subiectum proprium, cui immediatè inhærent accidẽtia, eſt cõpoſitũ, ſed hoc non manet idẽ: ergo neque manẽt accidentia. Reſp. ad maiorem, cõpoſitũ ſolùm

eſſe

Digitized by Google

eſſe ſubiectum, *vt quod*, nihilominùs ſubiectũ immediatum, & inhæſionis, in quo inhærent accidentia materialia, eſſe ſolam materiam, vt patet: ergo ſicut accidentia ſpiritualia, quæ immediate inhærent in animâ rationali, manent in eâ idem anima ſeparata, ita ſimiliter accidẽtia, quæ immediatè inſunt in materia, ibi perſeuerabunt.

10 Obijcis quartò. Forma ſubſtantialis efficit vnum per ſe cum materia, quantitas efficit vnum per accidens: ergo dicendum nõ eſt, quòd hæc permaneat, illa pereunte. Reſp. negando conſequentiã; dantur enim plurima exempla in contrariũ: multa enim accidẽtia, quæ efficiunt vnum per accidens, ſunt diuturniora, vt videtur in ſpeciebus, & habitibus, quæ remanẽt in anima ſeparata. Neque vllum eſt inconueniens, quòd eadem quantitas cum alijs accidentibus maneat, ſub diuerſis ſubiectis denominationis, ideſt, modò ſub vno compoſito, modò ſub alio; nam in vtroque manet idem ſubiectum inhæſionis, nempe eadem materia.

SECTIO V.

Quid ſit Alteratio, & quomodò ad generationem requiritur?

Definitur Alteratio. *Ariſtotel.*

1 PRima *cõcluſio.* Alteratio *eſt motus phyſicus, qui verſatur inter qualitates contrarias*: Ita Ariſtoteles in hoc loco. Ex qua definitione cõſtat, alterationẽ habere terminos poſitiuos, & ſemper eſſe ſucceſsiuam, ſiquidem ſemper habet aliquam contrarietatẽ vincẽdã in termino, vt patet in calefactione, quæ fit ad calorem, expellendo frigiditatẽ. Vnde illuminatio propriè nõ eſt alteratio, ſiquidẽ lux non habet contrarium, nec per ſe acquiritur ſucceſsiuè, quamuis per accidens hoc habere poſsit ratione luminoſi, quòd quo magis approximatur, eò magis luce intendit per motũ. Ex quibus colligitur, ratione termini diſtingui alterationem ab alijs motibus; nam Alteratio terminatur ad Qualitatem, Latio ad Vbi, Augmentatio ad Quantitatem, de quibus dictum eſt 2. p. trac. 1. lib. 5. diſp. 54. ſect 1. Generatio verò propriè non eſt motus, ſiquidem eſt momentanea, & præterea ratione termini differt eſſentialiter ab alteratione, vt dictum eſt.

2 *Secunda cõcluſio.* Alteratio habet partes extenſionis, & intenſionis, pro diuerſitate terminorũ. Hæc etiã certa eſt, quia quẽadmodũ à termino ſumit Alteratio ſpecificationem, ita ſumit extenſionẽ, & intenſionem; & ſicut terminus habet partes vel proportionales infinitas, vel indiuiſibiles, & finitas, iuxta diuerſas ſentẽtias (de quibus dixi in Phyſica, diſp. 35.) vtraque tamen vnitas, ita & Alteratio, &c. Et quemadmodũ in inſtanti nõ datur motus, ita neque in inſtanti datur alteratio; neque item in inſtanti acquiritur aliqua pars Qualitatis. & quamuis partes proportionales motus, ſiue alterationis, ſint infinitæ, nõ propterea partes determinatæ qualitatis, quæ acquiritur, erunt infinitæ; nã vnus gradus Qualitatis reſpondet vni certæ parti Alterationis.

3 *Tertia concl.* Alteratio neceſſariò requiritur ad generationem naturalem. Probatur, & declaratur cõcluſio: quia per Alterationem redditur materia quaſi altera accidentaliter, & ſic diſponitur ad formam ſubſtantialem, quæ eſt introducenda: & præterea, quia dari nõ poteſt generatio naturali modo, quin præcedat corruptio, & cùm non detur corruptio ſine alteratione (hæc enim verſatur circa qualitates contrarias) inde eſt, quòd alteratio neceſſaria ſit ad generationẽ. Neq; obſtat, quòd alteratio, quæ eſt actio, ordinetur ad generationẽ, quæ etiã eſt actio; nõ enim repugnat, vnam actionem terminari ad aliam, quaſi materialiter, & extrinſecè. Dixi, *naturaliter*, quia diuinitus non repugnat dari generationem, quin præcedant diſpoſitiones in materia, poteſt enim Deus illas ſupplere.

De ſubiecto Alterationis.

4 QVarta *concl.* Subiectũ Alterationis immediatũ non eſt totũ cõpoſitũ, ſed eſt materia, mediãte aliquo accidente, v. g. quãtitate, qua priùs materia redditur extenſa. Ita Conimb. 1. de Gener. c. 4. q. 4. ar. 2. eandẽ ſententiã tenent Gregor. Aureol. Marſil. Zimar. & alij, quos citat, & ſequitur Soar. in Met. diſp. 14. ſect 3. n. 10. quatenùs docent, ſubiectum immediatum quantitatis non eſſe totum cõpoſitum, ſed materiam. Concluſio patet ex dictis in 1. p. tract. 3 diſp. 23. ſect. 4. Vbi probaui exemplo compoſiti rationalis, quantitatem, in ſola materia ſubiectari: ergo quãuis totũ cõpoſitum ſit ſubiectum denominationis, nihilominùs ſola materia erit immediatũ ſubiectum quãtitatis, & ea mediante, recipiẽtur in eãdem materia qualitates materiales, & ſimiliter motus, ſiue alterationes tendentes ad qualitates materiales. — Subiectũ Alterationis eſt materia. *Patres Conimbr. Gregor. Aureol. Marſil. Zimara. Soar.*

4 Confirmatur, quia ſicut Intellectus eſt in ſola anima rationali, & denominat totum compoſitum, ita etiam quantitas, & alia accidentia materialia, motuſque ad illa tendẽtes,

 poſſunt

Digitized by Google

poſſunt immediatè eſſe in ſola materia, & denominare totum.

D.Thom. Albert. Magn. Durand. Rubius.

6 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quam tenent D.Thom. 1. p. q. 76. ar. 6 Albert. Magnus, Durandus, & alij plures, quos citat, lateque, & efficaciter ſequitur Rub. 1. de Gener. cap. 4. tract. 3. q. 8. à n. 187. Obijcis, inquã primò. Illud eſt ſubiectũ propriũ, quod propriè in ſe recipit effectũ formalē; ſed ſolũ compoſitũ in ſe recipit effectũ alterationis: ergo ſolũ cõpoſitum eſt proprium ſubiectũ & non ſola materia. Reſp. ad minorē, ſolũ cõpoſitũ recipere talem effectum, vt ſubiectũ, *quod*, ſed hoc non tollit, quominùs materia in ſe recipiat immediatè alterationē, & eius effectum formalem, vt ſubiectũ *quo*.

7 Obijcis ſecundò. Potentiæ materiales vitales ſunt immediatè in toto: ergo & reliqua accidentia. Reſpond. ad antecedens, tales potentias eſſe immediatè in materia, ſicut potentiæ ſpirituales ſunt immediatè in anima rationali.

8 Inſtas. Omnis cognitio etiã ſenſuũ externorũ eſt actio immanens; ſed actio immanens neceſſariò debet recipi in principio, à quo egreditur: ergo ſi tales operationes immediatè eliciũtur ab anima (nã, vt dicam in 4. p. trac. 2. diſ. 80. ſec. 4. anima immediatè cõcurrit ad actus vitales) in ipſa debēt immediatè recipi. Reſp. ſimiles operationes eſſe quidē immanentes ex eo, quòd recipiantur in eādē potentia, à qua fiunt, quamuis hæc potentia non ſubiectetur in anima, ſed in materia: vt tamen actio videndi dicatur immanēs, opus non eſt, vt recipiatur in toto principio adæquato, à quo egreditur, nam mea intellectio eſt actio immanens, quia recipitur in intellectu, quamuis non recipiatur in ipſo Deo, à quo etiam immediatè procedit effectiuè.

9 *Quinta concluſio.* Inter motus accidentales, Alteratio nobilior eſt, ratione termini. Probatur, quia fit ad qualitatē, quæ naturâ ſuâ nobilior eſt quãtitate, ad quã tendit augmentatio; & præterea nobilior eſt quàm Vbi, ad quod tendit Latio. Eſt verò qualitas nobilior quantitate, quia eſt operatiua, & reperitur in Angelo. Si verò alteratio, ratione mobilis, cõparetur cũ latione, tunc certè latio nobilior eſt, ſiquidem latio datur in Angelo, alteratio verò non, niſi in rebus corporeis, ſubiectatur. — Alteratio eſt motus nobilior.

10 Quærendum hîc reſtabat, vtrùm intenſio Qualitatis fieret per nouos gradus? & vtrùm hi gradus ſint diuerſæ, vel eiuſdē rationis? ſed de his actum à me eſt in 3. p. tract. 3 diſp. 66. Similiter diſputandũ erat de terminis qualitatum, ſed de his ſatis egi 2. p. tract. 2. diſp. 42. vbi egi de terminis potentiarum: de his etiam tractat Soar. in Metaph. diſp. 46. ſect. 4.

DISPVTATIO LXXII.

De Nutritione, & Augmentatione.

DIxi de his, quæ pertinent ad generationem in cõmuni: nunc dicendum eſt de Nutritione, & Augmētatione, quæ ſunt quædã veluti generationes particulares, de quibus in hac diſputatione ſecunda, variæ difficultates breuiſſimè ſunt expediendæ.

SECTIO I.

Quid ſit, quomodò fiat, & in quo cõſiſtat Nutritio?

Probatur dari verã nutritionem. Ariſtotel.

1 PRima concluſio. Datur in omnibus viuētibus corporeis vera, & perfecta nutritio ſubſtãtialis. Ita cõmunis, & vera ſententia, duce Ariſtotele, Probatur ratione; conſtat enim, omne viuēs, propter continuã actionem caloris in humidũ, deperdere aliquã ſubſtãtiæ partē (vt præter alia, patet in ægro, cui ſãguis per venæ inciſionē extrahitur) ne igitur corpus citò cõſumatur, neceſſe eſt, quod alia ſubinde ſubſtãtia ſuccedat, loco illius, quæ deperditur, & cũ veteri ſubſtãtia vniatur per vnionē partialē, quæ in cõpoſito materiali erit corporea, in cõpoſito autem rationali, vel erit ſpiritualis, vt aliqui cõtendunt, vel corporea, vt alij volunt, quos citat, & ſequitur Hurt. de Gener. diſp. 21 ſec. 3. à n. 39. Probatur ſecundò experientiâ; — *Hurtad.* cõſtat enim, viuentia omnia creſcere ad certũ tempus: atqui hoc incrementũ fieri nõ poteſt per maiorem rarefactionem: ergo fit per nouã ſubſtantiã, quæ per nutritionem conuerſa eſt in aliũ. Probatur minor, quia viuētia poſt incrementũ habent maius robur, quã habebant ante incrementum (vt patet in homine,

cum

Digitized by Google

cùm ad virilem ætatem accedit) ſed maior rarefactio potiùs debilitat vires, quàm roborat (ſiquidē virtus vnita fortius agit) ergo neceſſariò danda eſt noua ſubſtantia, quæ per nutritionem acquiratur.

Reijcitur contraria ſententia. 5 Obijcis pro contraria ſentētia, quæ falſa eſt, quā tamē ſequutus eſt Magiſt in 2. diſt. 3. q. 2. qui exiſtimauit, nullā dari ſubſtantialē nutritionem, ſed omnē omnino materiā, quæ eſt de veritate naturæ humanæ fuiſſe in Adamo, indeque lege propagationis multiplicatā deſcendere in omnes homines, nulla interim in aliorū ſis facta additione, atque adeò alimētū nō conuerti in virtutē naturæ humanæ, ſed ſolū eſſe quoddā veluti fomētū ne ſubſtātia ipſa ab Adamo recepta calore natiuo cōſumatur.

Magiſt.

Matt. 15 3 Obijcis, inquā, primò. Illud ex Mat. 15. *Omne, quod intrat in os, in ventrē vadit, & in ſeceſſum mittitur, &c.* ergo nihil conuertitur in ſubſtantiā. Cōfirmatur, quia ſubſtātia alimēti nō eſt ſubſtātia hominis. Reſp. negādo cōſequētiā: illa enim verba ſolū intelligūtur de partibus cibi craſsioribus, & minus puris, vt communiter exponunt interpretes. Ad confirmationem reſpondetur, ſubſtantiam alimēti ante nutritionem, nō eſſe ſubſtantiam hominis, fieri tamen poſt nutritionem.

4 *Secunda concl.* Nutritio *eſt conuerſio alimenti facta virtute intrinſeca, & vitali ſecūdùm omnes corporis partes:* ſeu aliter: *Eſt productio partialis ſubſtātiæ viuentis, ex cōverſione ſubſtātiali alimenti:* quæ definitio vt intelligatur, ſciendum eſt primò, quo pacto fiat nutritio, & quot alterationes, & decoctiones antecedētes ſubeat alimentū? Prima igitur cibi alteratio fit in ore, vbi cibus dētiū, & linguæ medio cōteritur, & maceratur, per ſaliuæque admixtionē verè, & propriè alteratur, vēdicat enim calorē, ſaporē, & odorē diuerſum. deinde cibi ſic alterati ab ore dimittūtur ad vētriculū, ſiue ad ſtomachum, in quo peragitur prima ciborū cōcoctio, per quā virtute caloris expurgatur cibus magna parte excremētorū, quæ in inteſtina demādātur, manetque proinde cibus magis defæcatus, ſub forma maſſæ cuiuſdā albæ, quā chylum vocant.

5 Poſteà ex vētriculo hæc maſſa per meſenteriū, ſiue meſarchon, ſiue alio nominē, per venas meſaraicas, procedit ad iecur, ſeu hepar, vbi ſecūda decoctio cōficitur: hic verò expurgatior manet cibus, cuius tamē partes terreſtriores à iecore deſcēdūt in lienē, ex quibus melācholia, & atra bilis procreātur. leuiores tamē partes aſcendunt ad fel, in cuius folliculo aceruātur, fiuntque cholera, & flaua bilis. Aliæ verò partes ſūt mediæ, à quibus progeneratur ſāguis, qui ampla quadam vena excipitur, quæ, *caua magna*, appellatur: vnde per alias minores venas quoquouerſùm diffuſus ſanguis per totum animantis corpus erratico, & multiplici lapſu diſcurrens, ſingulis partibus, prout earum natura poſtulat, nutrimentum prouidè partitur.

6 Sciendū eſt ſecundò, dari in animāli triplicē facultatē, quæ ad nutritionē inſeruit: prima dicitur naturalis, diuiditurque in nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam. Secunda facultas dicitur vitalis, quia ſpirituum vitalium, & ſimiliter natiui caloris officina eſt. Tertia virtus dicitur animalis, ad quam ſpectat ſenſibus externis, & internis vires attribuere, diciturque animalis, quia in ſolis animalibus reperitur. Triplex datur potentia ad nutritionem.

7 Omiſsis igitur varijs Philoſophorū, & Medicorū litis, facultas naturalis, quiuis ſit diſperſa per totum corpus, nihilominùs quòad vim ſāguinis efficiendi, eſt in iecore, à quo aliqua eius pars deriuatur ad cor, in quo reſidet facultas vitalis, in eo enim vitales ſpiritus elaborantur, qui deinde per venas arteriales toto corpore ſparguntur: cor autem aſsidua indiget reciprocatione, tum, vt nimius calor refrigeretur, tum etiam, vt vitales ſpiritus ſimiles aeri ſubintranti meliùs conficiantur.

8 Facultas autē animalis ſedē habet in cerebro, in quo gignūtur ſpiritus animales, & inde per neruos, aliosque meatus diffunduntur ad partes, in quibus operationes animæ ſenſitiuæ exercentur. Sunt autē ſpiritus, ſubſtātiæ quædā tenuiſsimæ, factæ priùs in corde ex puriori ſanguine, in modū vaporis, qui priùs fouetur in ipſo corde, à quo, tāquàm à vitæ fonte, hauriūt vitalitatē: quarū pars quædā per arterias toto corpore diuagatur; pars altera ad cerebrū eleuatur, vbi tales ſpiritus magis attenuantur, & ex vitalibus fiunt animales, atque ita præſtò ſunt ad operationes ſenſuum, quæ longè nobiliores ſūt, quàm operationes purè naturales, aut vitales. Quando igitur ſanguis omnino iā eſt defæcatus, dicitur vltimum alimentū, ſed nōdum eſt conuerſus in ſubſtantiā aliti: per poros igitur diſpartitur hoc vltimū alimentum, ac tandem intra poros, in carnē, oſſa, & neruos, ſubſtantialiter cōuertitur: quæ conuerſio fit per corruptionē ſanguinis, & introductionē formæ viuentis, per vnionē ſubſtantialē in materia præexiſtente, cum qua noua ſubſtantia ſimul producitur noua quantitas, per augmentationem, & qualitates.

9 Atque ex his cōſtat, quid ſit, & in quo nutritio cōſiſtat: neque etiam cōſiſtit in concoctionibus antecedētibus, ſed in cōuerſione ſubſtantiali, per quā forma ſanguinis corrūpitur, & ei⁹ loco, introducitur noua forma, quæ ſubſtātialiter vnitur viuēti. Ex quibus tādē colligitur primò, nutritionē, & augmentationem eſſe duas actiones realiter diſtinctas, ſiquidē In quo præcipuè conſiſtat.

 aug-

augmentatio habet pro termino quantitatẽ, nutritio verò ſubſtantiam. Confirmatur, quia poſſunt diuinitus ſeparari; poteſt enim corpus nutriri per veram ſubſtantiam, & poteſt Deus in eum ſuſpendere augmentationẽ ad quantitatem. Neque obſtat, quòd potentia augmentatiua, & generatiua ſit vna tantùm, vt diximus diſp. 79. ſec. 4. nam ab eâdem potentia prouenire poſſunt actiones realiter, & eſſentialiter diſtinctæ, vt ab eàdem potentia videndi, viſio albi, & viſio nigri.

10 Colligitur ſecundò, neceſſariam eſſe nutritionem in quolibet viuente, quia cùm vita conſiſtat in temperie calidi, & humidi, & cùm calor ſemper humidum depopuletur, neceſſe eſt, vt aliunde animal per nutritionẽ reparetur. Colligitur tertiò, has tres potentias, naturalem ſcilicet, vitalem, & animalem realiter diſtingui. Probatur, quia nutritiua, augmentatiua, & generatiua ex eo eſt vna ſolùm potentia, quia reſidet in toto corpore (licet actum efficiendi ſanguinem habeat in ſolo hepate) at verò potentia vitalis reſidet in ſolo corde, potentia verò, ſiue facultas animalis in cerebro; potentia verò naturalis diſperſa eſt per totum corpus. Vnde ex parte ſubiecti immediati bene probatur realis diſtinctio: & præterea quia vna poteſt eſſe ſine alia, ac tandem, quia habent obiecta diuerſa; potentia enim naturalis habet pro obiecto ſanguinem; potentia verò vitalis pro obiecto habet ſpiritus vitales; at verò ſpiritus animales ſunt obiectum potentiæ animalis.

SECTIO II.

Vtrùm Nutritio ſucceſsiua ſit, & continua?

Nutritio eſt ſucceſſiua.

1 **P**Rima concluſio. Nutritio naturaliter procedens, neceſſariò eſt ſucceſsiua, & non diſcreta per ſola inſtantia. Ita communis ſententia cum D. Thom. 3. p. q. 33. ar. 1. in corpore ad 4. eandem ſequitur Pererius in ſua Phil. lib. 14. cap. 2. Rub. 1. de Gener. cap 5. q. 16. ar. 2. vbi citat Burl. Sotum, & alios; idem ſupponit Soar. de Anima, lib. 2 cap. 6. n. 3. & 4.

D. Thom. Perer. Rubius. Sotus. Soarius.

2 Probatur. Calor naturalis agit in alimentum; ſed agens naturale, quò magis eſt proximum paſſo, eò perfectiùs agit (vt patet in igne, qui intenſiùs calefacit lignum magis proximum, agentia enim naturalia agunt vniformiter difformiter) ergo calor naturalis citiùs, & perfectiùs diſponit partes alimenti proximiores, ac proinde priùs in illis animam introducit, & deinde in partes ſequentes: ergo nutritio fit per ſucceſsionem. Confirmatur primò, quia augmentatio fit ſucceſsiuè (experimur enim corpora paulatim creſcere, & non in inſtanti) ſed non poteſt dari noua augmentatio quantitatis, ſine noua nutritione ſubſtantiæ: ergo quẽadmodum augmentatio continua eſt, & ſucceſsiua, ita & nutritio.

3 Declaratur, & confirmatur, quia alimentũ, quod eſt intra poros, quamuis ſit valde exiguum, conſtat partibus (vel diuiſibilibus, vel indiuiſibilibus) eſt enim extenſum in quantitate; ſed neceſſariò eſt magis approximatum ſecundum vnas partes, quàm ſecundum alias: ergo nutritio fit per ſucceſsionẽ, priùs in vna parte proximiori quàm in alia. Et conſequenter nutritiua priùs agit in partes proximas alimenti, deinde in remotas per ſucceſsionem; nunquàm enim corpus aliquod, quamuis paruum, poteſt naturaliter eſſe approximatum agenti ſecundum omnes ſui partes.

4 Dixi in concluſione, ſi nutritio procedat naturaliter, quia diuinitus bene poterat nutritio fieri in inſtãti, quemadmodùm generatio naturaliter fit in inſtanti; & ratio vniuerſalis eſt, quia ſubſtantia habet totum ſuũ eſſe ſimul, & non, niſi per accidens, poſtulat motum, vt dixi lib. 4. Phyſ. diſp. 34. ſec. 1. §. *Hoc argumentum*: quamuis ergo ſucceſsio ſit per accidens naturæ ſubſtantiæ, nihilominùs tamen aliquando, ratione modi, quo acquiritur, poterit eſſe inſeparabilis.

5 Obijcis pro contraria ſententia quam tenent Auerr. Albertus Magnus & alij, pauci citati à Conimbricenſibus ſuprà ar. 1. quam etiam tuetur, & noſtram ſententiam latè impugnat Hurtad. de Gener. diſp. 3. ſec. 3. ſubſec. 1. & 2. cuius præcipuum argumentum hoc eſt. Vltima diſpoſitio ad nutritionem fit in inſtanti: ergo etiam nutritio fiet in inſtanti. Sed imprimis antecedens huius argumenti falſum omnino eſt; nam diſpoſitio aut fit per augmentationem, aut per alterationem, vtraque autem eſt motus, qui non poteſt fieri in inſtanti. Sed fortaſſe P. Hurt. intendebat dicere, vltimam diſpoſitionem finiendam eſſe in inſtanti, quod verum eſt, dummodò inſtans ſit extrinſecum, motus enim deſinere nõ poteſt per inſtantia intrinſeca, vt dixi in 2. p. trac. 1. lib. 6. diſp 35. ſec. 6. n. 4.

Reijcitur contraria ſententia Auerroes. Albertus Magnus. Hurtad.

6 Quo poſito, ita poteſt confici argumentum. Si mutatio ſucceſsiua eſt, debet incipere per vltimum ſui non eſſe, id eſt, intrinſecè, ita vt verum ſit dicere; nunc in hoc inſtanti non eſt nutritio, ſed immediatè poſt erit in tempore ſubſequenti: ſed non poteſt

fic

ſic incipere: ergo &c. Maior, & conſequentia ſunt bonæ, probatur minor, quia ſi in illo vltimo inſtanti extrinſeco completa erat diſpoſitio, debebat ſtatim in eodem inſtanti fieri nutritio, quia alioqui daretur diſpoſitio neceſſaria ad formam ſine forma, ſed hoc eſt abſurdum: ergo quemadmodùm diſpoſitio deſinit in inſtanti extrinſeco, ita & nutritio incipit in inſtanti.

7 Ad hoc argumentum reſpondetur negando minorem, quia quamuis ſit verum dicere, dari in aliquo inſtanti extrinſeco diſpoſitionem iam finitam, nihilominùs non eſt verum dicere, dari in aliquo inſtanti primum eſſe materiæ ad introductionem animæ, per nutritionem; & ratio eſt, quia quamuis anima in prima generatione poſtulet certam materiam determinatam, & *minimum quod ſic*, nihilominùs circa conuerſionem non poſtulat determinatum aliquod in materia; ſicut neque etiam poſtulant non viuentia, vt dixi 2. p. tract. 1. diſp. 20. ſec. 5. n. 2. Vnde non poteſt dari aliquod inſtans, in quo detur aliqua materia determinata diſpoſita, ſed ſolùm datur aliqua indeterminata, in qua proinde ſucceſſiue introducatur forma, ſiquidem vel eſt diuiſibilis, eſt in infinitum, vel ſaltem conſtat indiuiſibilibus, vt dixi in Phyſ. diſp. 35. & ita non datur inſtans, quod ſit primum eſſe introductionis formæ, per nutritionem, ſed ſolùm datur vltimum non eſſe, atque adeò immediatè poſt, ideſt, tempore indeterminato, introducetur forma per nutritionem.

8 Ex quibus colligitur, non dari vltimā diſpoſitionem adæquatè completam ſine forma, ſed dari diſpoſitionem veluti inadæquatam completi tamen in tempore ſubſequenti; neque vllum eſt inconueniens dari diſpoſitionem in inſtanti extrinſeco, & formam per nutritionem incipere in tempore, aliquādo enim viuens aliquod deſinit in inſtanti, & tamen in eâdem materia non viuens incipit in tempore, & ſucceſſiuè, vt conſtat ex dictis in Phyſic. lib 6. diſp. 35. ſect.

9 Obijcis ſecundò. Generatio fit in inſtanti: ergo etiam nutritio, quæ eſt quædam generatio. Reſp. negando conſequentiam. Diuerſa ratio eſt, quia generatio dicit inceptionem, nutritio autem dicit continuationē, & perſeuerantiam; multa autem incipiunt in inſtanti, quæ durant in tempore ſucceſſiuè, vt patet in Angelo, & in anima rationali. Et declaratur amplius ſolutio; quia ad primam generationem rei requiritur determinata materia, & certū *minimū quod ſic*, in quo forma ſubſtantialis in inſtanti introducatur, quia non repugnat ſubſtantiæ habere totum ſuum eſſe ſimul: at verò ad nutritionem non requiritur certa, & determinata materia (quamlibet enim, quamuis exiguam, conſumere poteſt naturalis calor, vt patet.) Cùm igitur ad nutritionem quælibet materia exigua, & indeterminata ſufficiat, & hæc neceſſariò partes priores, & poſteriores habeat; neceſſariò etiam nutritio ſucceſſiuè fit, vt patet.

10 Obijcis tertiò. Corruptio poteſt fieri in inſtanti: ergo & nutritio. Reſpond. negādo conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia (præterquàmquòd minùs requiratur ad deſtructionem rei, quàm ad eius conſeruationem) in corruptione poteſt deſinere forma ſubſtantialis tota ſimul, ſicut tota ſimul introducitur: nutritio verò fit per partes, & paulatim, vt dictum eſt. Quod ſic confirmatur, quia nutritio ſuccedit decretioni: ſed hæc ſucceſſiua eſt, vt probatur efficaciter experientiā, & quia calor naturalis non requirit determinatam materiam, quam ſimul depopuletur; ſed ſufficiet quæuis exigua, quæ neceſſariò habebit partes priores, & poſteriores, ſecundùm quas priùs, & poſterius deſinat: ergo ſimiliter nutritio, quæ ſuccedit loco decretionis, fiet in tempore.

De continuatione Nutritionis.

11 SEcunda concluſio. Neceſſarium nō eſt, vt nutritio fiat in viuente toto eius vitæ tempore, ſine aliqua interruptione: ita videtur ſentire D.Thom. 2. 2. q. 24. ar. 7. quamuis ibi loquatur de augmentatione, ſed ratio idem valet in nutritione. Eandem concluſionem expreſſè tenent Soar. de Anima, lib. 2. cap. 6. nu. 3. & 4. Rub. 1. de Gener. cap. 5. q. 4. à n. 48. Probatur experientiā, quia ſi homo ceſſet à cibo per dies aliquot, non ſtatim morietur, & tamen tunc non dabitur propria nutritio in tali homine. Et declaratur, quia ad nutritionem duo requiruntur, primum eſt alimētum bene temperatum, ſecundum eſt calor bene diſpoſitus; ſed vtrumque deficere poteſt: ergo tunc deficere poteſt nutritio. Probatur minor, quia alimentum poterit aliquando eſſe noxium, & ineptum conuerſioni. Deinde calor naturalis non minùs ſubditur morbis, quàm cætera membra: ergo ſicut membrum aliquod ita poteſt infirmitate laborare, vt nullum motum efficiat: ita calor, &c. Immò poteſt idem calor nimiā ciborū copia ſic obrui, vt in alimentum non poſſit operari, atque adeò tunc aliquantulum otiabitur.

Nutritio habere poteſt interruptionē. *D.Thom.* *Soar.* *Rubius.*

12 Obijcis primò pro contraria ſententia, quam tenent Conimbr. 1. de Generat. cap. 5. q. 10.

Patres Conimb.

Digitized by Google

q. 10, ar. 2. Subſtantia viuentis perpetuò diſſipatur vi caloris: ergo continuò etiam per nutritionem debet reſarciri. Reſpond. primò negando antecedens; nam illud, *perpetuò*, ſiue ſemper non ita ſtrictè ſumendum eſt, vt nõ poſsit aliquando calor deſinere à deſtructione circa humidum, vt patet ex ratione facta. Reſp. ſecundò, quod quamuis calor ſemper agat in humidum, nihilominùs poteſt aliquando alimentum eſſe adeò malè temperatum, vt calor non poſsit agere in tale alimentum.

13 Obijcis ſecundò. In viuente nũquàm deficit alimentum: ergo neque nutritio. Probatur antecedens, quia ſemper viuens habet ſanguinem in venis, & arterijs. Reſp. negando antecedens; non enim quiſuis ſanguis eſt conueniens alimento, ſed ille tantùm, qui ex cibo nuper aſſumpto, præparatur; quod probatur exemplo eius, qui fame interijt defectu ſcilicet alimenti; & tamen adhuc in venis, & in arterijs habet ſanguinem.

14 *Tertia concluſio.* Quamuis nutritio nõ duret neceſſariò toto continuo vitæ tempore, nihilominùs plerumque datur, & quando fit, continua eſt: ad eum modum, quo motus, cùm datur, continuus eſt, quamuis neceſſe non ſit, vt viuens ſemper moueatur: ita communis, & vera ſententia cum Auctoribus ſupra citatis. Probatur, quia, vt conſtat ex dictis, nutritio eſt ſucceſsiua, ac proinde fit cum motu: ſed motus, cùm fit, habet continuationem: ergo &c.

15 Sed quæſtio adhuc reſtat, vtrùm alimentum priùs vniatur corpori viuẽtis, quàm per nutritionem conuertatur? Reſpondetur negatiuè. Probatur facilè; quia proprium animalis alimentum eſt ſanguis; ſed hic non eſt continuus cum corpore viuentis: ergo alimentum non priùs vnitur corpori, quàm per nutritionem conuertatur in ſubſtantiam viuentis: minor latè probabitur diſp. 78. ſect. 8. n. 7. vbi oſtendemus, ſanguinem non eſſe animatum formâ totius, ſed eſſe diſperſum per totum corpus, ſicut aqua defluens, quæ non vnitur cum terra: ergo continuatio, ſiue vnitio cum corpore viuentis non fit à ſanguine priùs tempore, aut inſtanti, quàm conuertatur in ſubſtantiam aliti.

SECTIO III.

Quid ſit Augmentatio, quomodò, & vbi fiat; & quomodò differat à Decretione?

1 PRima *concluſio. Augmentatio eſt per ſe motus ad maiorem quantitatem de nouo producendam.* Hæc eſt vera Ariſtotelis ſententia lib. 5. Phyſ. cap. 2. tex. 18. & meliorum interpretum, vt videre eſt apud Rubium de Gener. cap. 5. q. 4. Probatur; quia, vt conſtat ex 3 & 5. Phyſic. motus proprius diuiditur in Alterationem, Lationem, & Augmentationem: ſed alteratio eſt ad qualitatem de nouo producendam: Latio ad Vbi, quod de nouo datur: ergo & Augmentatio ad quãtitatem producendã. nõ enim apparet alius terminus: cùm igitur augmentatio fit ad quantitatem, & hæc partes habeat priores, & poſteriores, neceſſariò etiã augmentatio eſt eſſentialiter continua. Augmẽtatio ad quantitatem. *Ariſtot.* *Rubius*

2 Obijcis primò pro contraria ſententia, quam tenet Hurtad. diſp. 3 de Augment. ſect. 3 vbi n. 37 aſſerit, motum ad maiorem quantitatem, fieri in inſtanti, quod omnino falſum eſt; nullus enim motus poteſt dari in inſtanti, ſiquidem eſſentialiter eſt ſucceſsiuus, vt dixi cum communi ſententia lib. 3. Phyſ. diſp. 30. ſect. 1. nu. 7. Obijcis, inquam, primò. Vnio vnius quantitatis ad aliam fit in inſtanti: ergo & acquiſitio quantitatis. Reſp. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia vnio fit per indiuiſibilia: acquiſitio verò quantitatis, ſiue augmentatio, fit per partes extenſas priores, & poſteriores, nam augmentatio eſt ad quantitatem, quæ eſt extenſa. Reijcitur contraria opinio. *Hurtad.*

3 Obijcis ſecundò. In prima generatione non datur augmentatio per motum facta ad quantitatem: ergo neque in adgeneratione. Reſpond. negando conſequentiam. Diuerſa ratio eſt, quia in prima generatione ſupponitur quantitas producta in materia, per emanationem: at verò in augmentatione, vel in adgeneratione paulatim acquiritur quantitas.

4 Inſtas. Nutritio ſolùm eſt ſucceſſiua per accidens: ergo augmentatio non eſt per ſe motus, neque per ſe ſucceſſiua. Reſp. negando conſequentiã. Diuerſa ratio eſt, quia Augmẽtatio eſt motus ad quantitatem, quæ cùm ſit eſſentialiter extenſa, habet contrarietatem incompoſſibilitatis partium ſimul acquirendarum: quapropter neceſſariò acquirendæ ſunt, vna poſt aliam, & ſucceſſiuè, corpus enim, quod naturaliter augetur, priùs debet habere minorem partem, deinde medietatem, poſteà totum: vnde ſequitur, augmentationem ex natura ſua, & non per accidens, eſſe ſucceſſiuam: ſubſtantia verò quæ admodùm habet totum ſuum eſſe ſimul, ita eius acquiſitio, quæ fit per nutritionem, poteraſt eſſe ſimul; nihilominùs tamen ſolùm ra-

Digitized by Google

ratione alterationis præcedentis, & ratione quantitatis (quæ ſimul cum ſubſtantia materiali ſemper acquiritur) eſt ſucceſsiua per accidens.

Quomodò fiat augmentatio. 5 *Secunda concluſio.* Augmentatio fit per intus-ſuſceptionem alimenti ad partes corporis, & per additionem partis conuerſæ, factam media vnione, & continuatione. Quæ concluſio vt intelligatur, ſciendum eſt, in quolibet viuente dari venas, & poros; venæ ſunt capaciores, per quas defertur ſanguis groſsior; pori autē ſunt quidam veluti canales nimiùm anguſti, toto corpore diſperſi, per quos non tam fluit ſanguis, quàm exugitur à venis; qui pori ſapienter à natura ſunt inſtituti, quia cùm corpus debeat eſſe ſolidū; ſi totum foret venis permeabile, eſſet omni ex parte perforatum: ſi verò corpus foret omnino ſolidum, alimentum ſubintrans ſe penetraret cum corpore. Quapropter natura ingenioſa per totum corpus prouidè aperuit poros, non repugnantes corporis ſoliditati, per quos tamen poſſet nutrimentum deferri in partes medias inter poros, in ea igitur parte, in qua pori attingunt partes corporis, fit immediatè conuerſio in ſubſtantiam aliti.

6 Hæc autem augmentatio plerumque fit per intus ſuſceptionem cibi, aliquando verò fieri poteſt per iuxta poſitionem, vt cùm ægro caro aliqua valdè ſubſtantialis ſtomacho adhibetur. Differt autem augmentatio viuentis ab alia augmentatione facta in non viuente, quia hæc nō poſtulat neceſſariò fieri ſecundùm omnes partes, ſicut poſtulat augmentatio viuentis, vt mox videbimus. Præterea augmentatio viuentis fit ad certum terminum; non viuentia verò nullum habent terminum magnitudinis intrinſecum, vt dixi 2.p, tract.1. lib. 1. diſp. 10. ſect. 5. §. *Secunda concluſio*: atque ex dictis patet, quomodò alimentum per poros tranſeat ad partes corporis, quin eas penetret; de quibus videri poteſt Dandin. de Anima, lib. 2. fol. 1064.

Dandin.

Augmentatio fit ſecundùm omnes corporis partes. 7 *Tertia concluſio.* Augmentatio, generaliter loquendo, fit ſecundùm omnes corporis partes, vel etiam ſecundùm partes animæ, quando hæc diuiſibilis eſt. Ita communis, & vera ſententia cum Ariſtotele in hoc lib. cap. 5 tex. 2. & ſupponit Soar. de Anima, lib. 1. cap. 11. n. 3. Et oſtendit Dandin. de Anima, lib. 2. fol. 1064. Probatur, quia certum eſt nutriri totum corpus, vt experientia docet ex eius augmentatione: ſed non poteſt augmētari totum, quin partes, quibus conſtat, ſimul augeantur: ergo &c. Confirmatur, quia naturalis calor diſperſus eſt per omnes corporis partes, per quas conſumit aliquid ſubſtantiæ, quæ non, niſi per nutritionem, & augmentationem, potest compenſari. Conſtat autem hanc augmentationem primò fieri per partes omogeneas, ideò enim manus maior fit, quia eius caro, quæ eſt pars omogenea, priùs maior facta eſt.

Ariſtotel. *Soar.* *Dandin.*

Quo pacto differat augmētatio à decretione. 7 *Quarta concluſio.* Augmentatio differt à Decretione, ex eo quòd decretio ſit motus veluti negatiuus, augmentatio verò poſitiuus; ſicut dixi de Generatione, & Corruptione. Ita Fonſ. 5. Metaph. cap. 13. q. 9. ſect. 4. Probatur, quia per diminutionem non acquiritur noua quantitas, ſed deperditur. Ex quibus colligitur, diminutionem, propriè loquēdo, non tendere ad minorem quantitatem, ſed formaliter conſiſtere in ſola perditione quantitatis. Cùm verò augmentatio ſit actio poſitiua, Decretio verò ſit veluti actio negatiua, eſſentialiter, & pluſquàm genere differunt, vt bene probant Patres Conimbricenſes 1. de Generat. cap. 5. q. 14. ar. 2. Augmentatio tamen à nutritione eſſentialiter differt ratione terminorum, immò & realiter diſtinguuntur, ſiquidem termini ſunt realiter ſeparabiles.

Fonſeca. *Patres Conimbr.*

SECTO IIII.

Quandiu duret Augmentatio, & quomodò id, quod augetur, ſit idem?

Augmētatio durat toto vitæ tempore. 1 PRima concluſio. Augmentatio, ſumpta pro ſolo motu ad quantitatem, durat toto vitæ tempore, iuxta limitationem factam ſect. 2 in 2. cōcl. agendo de nutritione. Probatur, quia nutritio durat ſemper: ergo & augmentatio. Probatur conſequentia; quia vbi datur maior ſubſtantia materialis, datur item maior quantitas.

2 *Secunda concluſio.* Augmentatio ſumpta pro accretione ad maiorem, ſiue longiorē quantitatem, ſolùm durat ad certum vitæ tēpus. Quæ concluſio vt intelligatur, ſciēdum eſt ex Ariſtotele lib 3. de Anima, cap. 12. tex. 59. corpora viuentium ſecundùm nutritiuā, habere triplicem ſtatum, ſcilicet augmenti, conſiſtentiæ, & decrementi. Tempus augmēti, ſecundùm D. Thom. 2. 2. q. 147. ar. 4. ad 2. D. Thom. eſt vſque ad annum vigeſimum primum, vel, vt aliqui volunt, vſque ad annum circiter vigeſimum quintum, eo enim tempore nutritiua robuſtior eſt.

3 Tempus verò conſiſtentiæ, ſiue ætatis floridæ, eſt vſque ad annum trigeſimum quintum,

tum, quo tempore naturalis calor minorem vim habet, adhuc tamen eſt in quadam naturali temperie, in qua tantum alimenti poteſt conuertere, quantum ſubſtantiæ propriæ conſumitur. Ab hac ætate vſque ad vltimam ſenectutem, redditur calor imbecillior, & numeratur tempus decrementi, & propterea ſenectus arida eſt, & ſicca, quia naturalis calor multum humidi conſumpſerat, neque vires habet ad reparandum iam validum humidũ ex alimento: quamuis enim calor perpetuò conuertat alimentum in ſubſtantiam; tamen ſicut ſubſtantia, quæ acquiritur, multò eſt imperfectior, quàm natiua: ita ſimiliter calor naturalis, qui cum ſubſtantia noua acquiritur, cum ea permixtus paulatim hebetatur; ſicut virtus vini magis debilitatur ex permixtione aquæ.

4 Ex quibus declarata, & probata manet concluſio; cùm enim virtus nutritiua limitata ſit, & ſemper ex alimento de nouo adueniente natiuus calor infringatur, inde eſt, quod non poſſit viuens augeri, ſeu maius fieri, niſi ad certum vitæ tempus. De his latè Galenus lib. 1. de Tuenda valetud. cap. 2. *Galenus.*

5 Obijcis primò. In nutritione ſimul datur motus ad quantitatẽ, ſed nutritio ſemper durat, & omnis motus ad quãtitatẽ ſẽper eſt ad maiorem quantitatẽ: ergo ſemper datur augmentatio ſumpta pro accretione. Confirmatur, quia multi in ſenectute fiunt pinguiores. Reſpond. ad minorem non omnem motum ad quantitatem ſemper eſſe ad maiorem quantitatem, poteſt enim in ſenectute deperdi maior ſubſtantia, & maior quantitas, quã ea, quæ acquiritur. Ad confirmationem reſpond. augeri corpus ſimpliciter, quando creſcit ſecundum longitudinem, quod non contingit in ſenectute. Ratio verò, cur potiùs ſenes pingueſcant, quàm creſcant, ea eſt, quia non poſſunt creſcere, quin oſſa augeantur, quæ, quia ſunt duriora, non poteſt in illa agere natiuus calor, niſi cùm robuſtior eſt; caro autem, quia mollior, & flexibilior, ideò facilius dilatatur, & ſucculẽta pulpa ampliatur.

Quomodò corpus quod augetur ſemper ſit idẽ?

6 *Tertia concluſio.* In hominibus, certũ eſt, ſemper perſeuerare idem numero compoſitum, ex parte animæ. Probatur, quia hæc anima indiuiſibilis eſt, & nõ corrumpitur ad corruptionem materiæ. Idem dicendum eſt de animantibus perfectis, in opinione, quæ docet, habere animas indiuiſibiles; & in hoc ſenſu intelligendus eſt Ariſtoteles, quando aſſeruit, compoſitum non corrumpi, ſed ſemper manere idem, quoad partes formales.

7 Tota igitur difficultas eſt in compoſito omnino corporeo, in viuente ſcilicet imperfecto, quod ſine dubio habet animam diuiſibilem: & ſimiliter in noſtra opinione, quã ſequemur in lib. de Anima, diſp. 78 ſect. 6. quæ tenet, etiam animas perfectorum animãtium eſſe diuiſibiles, cùm enim ſimiles animæ omnino commenſurentur materiæ, ſicut partes materiæ paulatim variantur, ita & variantur partes animæ: & ſicut partes materiæ paulatim amittuntur, ita & partes animæ: quapropter ad finem vitæ videtur, quòd nõ perſeuerabit aliquando idem corpus: nam calor naturalis etiã agit in partes oſſeas, quamuis hæ magis reſiſtant: nihilominùs fit.

8 *Quarta concluſio.* In his viuentibus nõ ſolùm variantur partes materiæ, ſed etiam partes animæ. Ita D. Thom. 1. p. q. 119. ar. 1. ad 2. Conimbricenſes 1. de Gener. cap. 5. q. 12. ar. 2. §. *Oppoſitum*, loquentes de animalibus imperfectis, ſed idem ſequitur in animalibus perfectis (præter hominẽ) in noſtra opinione, quæ facit animas illas diuiſibiles. Nõ nego tamen, poſſe aliquas partes perſeuerare eaſdem aliquando vſque ad finem vitæ, qualia ſunt oſſa duriora, in quæ minùs facilè poterit agere natiuus calor: quamuis aliquæ particulæ imperceptibiles varientur. Concluſio patet ex dictis, quia illæ partes animæ cũ ſint materiales, accommodantur materiæ, quæ variatur. *D. Thom. Conimbr.*

9 Dicendum ergo eſt, ſolum manere idem compoſitum, ſaltem cõtinuatione, cùm enim partes illæ non deperdantur omnes ſimul, ſed paulatim, aliæque alijs ſuccedant, ſemper cenſetur, moraliter manere idem numero compoſitum, ſicut fluuius continuatione dicitur idem numero; quamuis corpus magis ſit vnum, quàm fluuius, quandoquidem, vt dixi, habet aliquas partes duriores, quę magis permanent eędem, in quas calor naturalis non, niſi in prima ætate, tam facilè poteſt agere: vide noſtrum Dandinum de Anima, lib. 2. à fol. 1073. *Dandin.*

10 Obſtas. Poteſt aliquando in eo animanti, quod longiſsimam vitam duxerit, ad eius vitæ finem, nullam dari partem, quæ nõ ſit variata per continuam nutritionem: ergo Nutritio non diſtinguitur à Generatione, ſiquidem in vtràque non manet idem compoſitum. Reſpond. negando conſequentiam, adhuc enim valdè diſtinguuntur, accidentaliter tamen, nam Nutritio paulatim procedit, Generatio fit in inſtanti.

De Alimento requiſito ad augmentationem.

11 Circa alimenta, duo ſunt aduertenda: primum eſt, nullum elementum, in ſuo

Digitized by Google

ſuo naturali ſtatu, poſſe per ſe ſolùm eſſe proprium alimentum, ſiue cibum viuentis: quod probatur, propter qualitates in ſummo, quas habent elementa, quæ non, niſi refractæ, per nutritionem poſſunt ſuperari. Vnde aqua non eſt propriè cibus, ſed vehiculum cibi, quæ etiam prætereà requiritur ad concoctionem; nihil tamen vetat, quominùs eleméta extra ſuũ naturalem ſtatum poſita, vt aqua, & terra permixta alimentum præſtent plantis. Aduertendum ſecundò, ex quatuor humoribus, qui in hepate habẽt exordium, ſcilicet ex ſanguine, melancholia, pituita, & flaua bili, ſolùm ſanguinem eſſe propriè nutrimentum, quod ex eo colligitur à poſteriori, quia ſolus ſanguis diſperſus eſt per totum corpus, quod alitur, cùm tamen reliqui humores ſedes habeant peculiares: quamquam oſſa etiã, & medulla nutriantur, & aliqua membra proximiora humoribus, ex illis aliquid nutrimenti exugant, præcipuè cùm pituita moleſta eſt.

12 Ex defectu verò alimenti remoti, ſiue cibi, reſultat in ventriculo dolor quidam, qui dicitur fames, quæ cauſatur ex diuulſione partium ipſius ventriculi, ſiue ex attractione earundem partium, quæ aduocantur ad alias partes corporis, quæ deſtitutæ nutrimento, illud attrahunt à ventriculo. Definitur autem Fames, *Dolor, ſiue ſenſio diuulſionis ventriculi orta ex attractione alimenti.* Sitis autem oritur ex defectu potus, & definiri poteſt: *Dolor reſultans ex attractione potus à faucibus, & à ventriculo.* De his Patres Conimbricenſes 1. de Generat. cap. 5. q. 5. de alimento latè diſputat noſter Dandinus de Anima, lib. 2. à fol. 1010. Quid, & quomodò detur fames? *Patres Conimb. Dandin.*

DISPVTATIO LXXIII.

De Raro, & Denſo.

RArefactio, & Condenſatio adeò ſunt Generationi ſimiles, vt multi Philoſophi falsò exiſtimarint, viuentia, non niſi per rarefactioné, ſumere incrementum: quapropter hîc neceſſariò agẽdum eſt, cum Ariſtotele cap. 5. de Raro, & Denſo: eſt autem Rarefactio *mutatio facta in corpore, per quam partes eius ſub magnis dimenſionibus, magis inter ſe fiunt diſtantes, & maiorem locum occupant*: Denſitas verò datur, cùm ſcilicet *ſub paruis dimenſionibus partes corporis minùs diſtant.*

SECTIO I.

Vtrùm per rarefactionem noua ſubſtantia, vel quantitas, acquiratur?

1 PRima concluſio. Per rarítatem non acquiritur noua ſubſtantia eiuſdem rationis, cum priori. Hæc eſt omnino certa, Probatur facilè: quia ſi noua ſubſtantia acquireretur, non diſtingueretur rarefactio neque à nutritione, neque à Generatione; quod tamen eſt omnino falſum; nam corpus poſt rarefactionem, manet idem. Neque producitur per rarefactionem plus materiæ primæ, hæc enim à ſolo Deo creatur. Reſolutio eſt negatiua.

2 *Secunda concluſio.* Per rarefactionem nulla noua acquiritur quantitas eiuſdem rationis; nec per denſitatem amittitur. Ita D. Thom. Durand. Capreol. Niphus, & Sotus, quos citat, & ſequitur Rub. 1. de Generat. cap. 5. quæſt. 1. num. 128. Conimbric. 1. de Generat. cap. 5. quæſt. 17. art. 3. Hurtad. item de Generat. diſp. 4. ſect. 2. idem ſentiunt noui Complutenſes de Generat. diſp. 7. quæſt. 3. à num. 15. & Arriaga in Phyſica, diſp. 16. ſect. 10. num. 182. & eſt etiam omnino certa. Probatur, quia Quantitas eſt coæua materiæ, & immediatè ſubiectatur in illa; ſed nulla materia de nouo producitur per raritatem: ergò nec producitur quantitas. Probatur conſequentia, quia alioqui quantitas de nouo aduenięns, vel eſſet ſine ſubiecto, vel per denſitatem penetraretur cũ alia quantitate præexiſtente, quod vtrumque naturaliter repugnat. D. Thom. *Durand. Capreol. Niph. Sotus. Rubius. Patres Complut. Hurtad. Complut. Arriaga.*

3 Confirmatur, quia ſi per rarefactionem acquiritur noua pars quantitatis; & per denſitatem deperditur, rarefactio non diſtingueretur ab augmentatione, neque condẽſatio à diminutione, quod eſt contra veri Philoſophiam. Et confirmatur tandè, quia ſi per denſi-

denſitatem corrumperetur quantitas, & per raritatem alia de nouo produceretur, corrumperentur ſimul omnia accidentia corporea, quæ immediatè ſunt in quantitate, quod experientię repugnat, in cera enim, quæ rareſit, manet idem calor, & color, qui anteà inerant. Et declaratur, quia ignis, qui rarefacit aquam, ſolum habet virtutem ad producendum ignem, calorem, & ſiccitatem, non verò ad producendum quantitatem.

4 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet, per raritatem acquiri nouam quantitatem partialem; quam tenent Godofredus, Marſil. & alij, quos citant Conimbricenſes ſuprà ar. 2. *Godofred. Marſil.* Obijcis, inquam, primò. Extenſio ad locum ſolùm prouenit à quantitate; ſed per rarefactionem datur maior, & noua extenſio ad locum: ergo datur etiam noua, & maior quantitas. Reſpondeo tamen extenſionem ad locum non ſolùm prouenire à ſola noua quantitate, ſed etiam à quouis alio corpore; cùm igitur de nouo dilatentur pori corporis rarefacti, per introductionem alienius alterius corpuſculi, mirũ non eſt, ſi detur de nouo maior extenſio, vt mox conſtabit.

5 Obijcis ſecundò. Per nouam intenſionem qualitatis acquiritur nouus gradus; ergo per nouam extenſionem quantitatis acquiritur noua pars quantitatis. Reſpondetur, negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia intenſio eſt intrinſeca qualitati, & ideò dari non poteſt maior intenſio, quin de nouo in eâdem qualitate detur nouus gradus: at verò extenſio eſt per ordinem ad locum extrinſecum, & ideò non ſolum prouenire poteſt ab eâdem quantitate, ſed etiam à quouis alio corpore quãto; cùm verò in rarefactione dentur noua corpuſcula, vt mox dicam, hæc tribuere poſſunt nouam extenſionem, quin detur noua additio facta in eâdem quantitate.

SECTIO II.

In quonam formaliter conſiſtat raritas, & denſitas?

Raritas fit per introductionē corpuſculorum.

1 Sit *concluſio*. Raritas in quolibet corpore quanto fit per introductionem aeris, vel aliquorum ſubtilium corpuſculorum, ex quibus oritur maior occupatio loci; denſitas verò fit per ſubſtractionem, & euacuationem eorundem corpuſculorum. Hanc ſententiam olim inuexere Nominales, cum Ockhamo opuſculo de Eucharistia, Gabriele in Canone, lectione 45. *Ockam. Gabriel.* quæ mihi ſemper valdè placuit, in ea enim rara eſt de raritate difficultas, quæ non facilè diſſoluatur, cùm tamen in alijs ſententijs cum denſitate ipſa plures difficultates addenſentur: quam opinionem poſteà amplexus eſt Valleſius 4. Phyſic. textu 84. & in Controuerſijs ad Tyrones, quæſt. 27. *Valleſius.* eademque hodie placet multis Recentioribus, quos tacito nomine citat & ſequitur P. Arriaga in Phyſ. diſp. 16. ſect. 10. n. 195. *Arriagà.*

2 Vt concluſio intelligatur, ſupponendum eſt in quolibet corpore dari quoſdam poros, ſiue cauitates, vt cernitur in quolibet viuente, in quo cibus per poros diffunditur, cùm viuens nutritur: hi igitur pori non ſunt æquales, nam, vt experientia docet, ſpongia maiores habet diſtantias, quam plumbum, aut vitrum, vt patet. Dico igitur, raritatem tunc dari, quando intra hos poros, amiſsis vnionibus, introducitur aut aer, aut aliud corpuſculum, quod magis dilatat hos poros, quorum ratione, maior occupetur locus à corpore raro: denſitatem verò tunc dari cùm foras eijciuntur hæc corpuſcula, & ideò minor locus ab eodem corpore occupatur.

3 Probatur imprimis hæc doctrina manifeſtâ experientiâ, cùm enim aqua per ignem rareſit, quoſdam concipit tumores aere plenos, & quò magis efferueſcentes, exultanteſque latices æſtu ſaliunt, & ebulliunt, eò magis dilatantur, augeſcuntque poroſæ bullæ aere plenæ, nam calor ſeiungit, & ſeparat partes aquæ, & ideò locum præſtat aeri ſubintranti: ſed nullus niſi cæcus negabit dari in ſimili aquæ rarefactione illas aereas bullas: ergo ſimiliter negari non poteſt quòd raritas in aquâ fiat per introductionem aeris intra poros eiuſdem aquæ. Probatur deinde ex alia experientia, propterea enim caro v. g. & non vitrum rareſcit, quia caro eſt poroſa, & ideò attracto per poros humore intumeſcit, poteſtque rareſcere; vitrum verò non habet ſimiles poros, intra quos aerem, vel alios atomos recipiat, & ideò rareſcere non poteſt.

4 Probatur præterea, quia conſtat in rarefactione dari maiorem extenſionem ad locum, *Probatur à priori.* ſed hæc non prouenit à noua quantitate: deinde prouenire nõ poteſt ab aliqua noua qualitate, neque ab alio modo: ergo talis extenſio neceſſariò prouenire debet ab aliquo corpuſculo quanto, neque enim apparet

paret

Digitized by Google

paret aliud vnde proueniat. Maior huius argumenti certiſſima eſt, etiam inter aduerſarios, qui repugnare non poſſunt experientiæ. Prima pars minoris, quód ſcilicet non proueniat á noua quantitate, ſatis probata eſt, ſiquidem in rarefactione nõ acquiritur noua quantitas. Secunda pars minoris, quód ſcilicet talis repletio loci non proueniat ab aliqua qualitate, vel ab aliquo modo, inde conſtat, quia nulla qualitas, & nullus modus eſt per ſe repletiuus loci; ſola enim corpora quanta poſſunt replere locum.

5 Confirmatur tandem, quia in hac ſẽtentia meliús explicatur quomodò fiat raritas; & quo pacto detur noua repletio loci, quin detur noua quantitas, eiuſdem rationis & quin puncta eiuſdem quãtitatis augeantur, quòad numerum, ſiquidem eadem quantitas ſemper habet eadem puncta: Et prætereà quin eadem puncta per tumorem inflentur, nam punctum eſt indiuiſibile, & omnino inextenſum, & ideò implicat quód dilatari poſſit: Ac prætereà cõſtat nõ fieri raritatẽ per aliquas vacuitates quas admittũt inter partes corporis rari; patet enim dari nõ poſſe vacuum per vires naturæ. Tãdem cõſtat in hac doctrina, cur ferrum, & alia corpora duriora non tam facilè rareſcant, quã aqua, butyrũ, & alia corpora molliora, quia videlicet hæc corpora plures habent poros, & cùm ſint molliora, faciliùs inter has partes diſſoluuntur vniones, vt poſſint ſubintrare ſubtiliores aeris partes, per quas fit raritas, corpora verò dura, quia non tam facilè amittunt vniones, non poteſt aer introduci; & ideò difficilè rareſiunt. Ideò verò vẽto inflatus vter non dicitur rarefieri, quia rarefactio conſiſtit in intromiſſione corpuſculorum, intra partes anteà vnitas, tollẽdo earum vnionem, quod non cernitur in vtre vento inflato.

Proponitur ac refutatur contraria opinio.

6 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quæ docet raritatem, & condenſationem fieri per quaſdã qualitates, ſeu per nouos modos, quibus eadem quantitas occupet maiorem aut minorem locum. Ita Soarius, Fõſ. Sotus, quos citat Arriaga n. 184. Idem tenẽt Conimbr. de Gener. lib. 1. c. 5. q. 17. à 1. 5. *Sit tamen.* Rub. ibidem tract. de rarefact. q. 1. à n. 147. vbi pro ſe intentat adducere D. Th. Capreol. Burlæum, & Caietan. Pro eâdem opinione ſtant Patres Complut. de Gener. diſp. 7. q. 2. à n. 26. Hurtad. de Gener. diſp. 4. ſect. 4.

Soar. Fonſeca. Sotus. Patres Conimb. D. Thom. Capreol. Burlæus. Caiet. Patres Complut. Hurtad.

7 Obijc. inquam, primò. Maior vel minor velocitas nihil eſt aliud, quàm quædam qualitas, ſiue modus quidam: ergo ſimiliter maior, aut minor raritas, erit quædã qualitas. Probatur conſequentia, quia quẽadmodum in velocitate percurruntur breuiùs plures partes ſpatij ita in raritate multiplicantur plures partes per ordinem ad extenſionem ad locum. Reſpond. negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia in raritate datur maior loci occupatio, quæ prouenire non poteſt, niſi ab aliquo corpore quanto, nam effectus formalis in actu requirit cauſam formalem in actu, repletio verò loci, cũ ſit effectus formalis alicuius quãtitatis, & cùm in raritate non detur noua quantitas eiuſdem rationis, quæ ſit ſuperaddita priſtinæ quantitati, neceſſariò recurrẽdum eſt ad aliquot corpuſcula quanta de nouo intromiſſa, quæ maiorem illum occupent locum: at verò cùm velocitas in motu nihil aliud ſit, quàm motus idem minùs interruptus, per morulas imperceptibiles, quæ dantur in motu tardo, ſatis explicatur velocitas per ſolùm aliquem modum additum ipſi motui; ſicut per ſolum modum ſuperadditum, nempe per ſolam diuerſam vbicationem, ſatis explicatur idem corpus quomodo nunc ſit in vno loco, nunc in alio, & modò videri poſſit naturaliter, ſi habeat vbi circumſcriptiuum; modò non videri poſſit, ſi habeat vbi definitiuum.

8 Obijc. ſecundò. Si vas bene obturatum, aquá plenum fortè congeletur, ſtatim rumpitur, ne detur vacuum, vt eſt communis Philoſophia: ſed hoc non ita dicetur, ſi denſitas fieret per ſubtractionem corpuſculorum, nam tunc corpuſcula illa expulſa ab aqua intra vas implere poſſent illud vacuũ, & vaſis fractionem impedire: ergo, &c. Reſpond. admittendo communem illam Philoſophiam, & negando minorem, nam illa corpuſcula, quæ foras expelluntur (quæ plerumque ſunt ſubtiliſſimæ aliquæ exhalationes, vel vapores, aut partes aeris minutiſſimæ) cùm ſint valdè tenuia, minimam habẽt reſiſtentiam, & ideò multæ particulæ horũ corpuſculorum facilè debellãtur, & corrumpũtur á frigore, & ab alijs qualitatibus contrarijs, quæ cauſant effectiuè condenſationem in aqua: atque per congelationem aquæ, & corruptionem talium corpuſculorum, neceſſariò ſequi debet vacuitas in vaſe cui natura occurrit per fractionẽ ipſius vaſis

Y Aduer

Digitized by Google

9 Aduertendum verò eſt probabilem eſſe contrariam ſententiam, quæ tuetur raritatem, & denſitatem quaſdam eſſe qualitates. & ideò illam admiſi in Phyſ. diſp. 35. ſect. 2. num. 30. cum Soar. & alijs; ne difficultatem cuiuſdam argumēti effugere viderer; in hac enim opinione, quam modò ſequor de raritate facta per introductionem corpuſculorum, nullam difficultatem habebat illud argumentum (vt ibidem adnotaui) vnde ſicut calefactio eſt quædā alteratio tendens ad calorem; ita rarefactio dici poteſt alteratio quædam tendens ad raritatem, & ſicut per calorem corpus alteratur, & qualificatur, ita dici poteſt, quòd ſaltē in hoc ſenſu, raritas ſit quædam, qualitas quatenus per eam corpus quodammodò alteratur, & qualificatur: quamuis in re ipſa, & formaliter loquendo, illa maior loci repletio non proueniat ab aliquo modo, vel ab aliqua qualitate, ſed ab illis corpuſculis; vt probatum manet. Et certè qui negauerit non percipi clariùs in hac mea ſententia, quid ſit raritas, & denſitas, hic profectò veritati non applaudit,

Noſtra ſed impugnat, nos, noſtraque liuidus odit. Horat. Epiſt. a Auguſt.

DISPVTATIO LXXIV.

De Actione, & Reactione in ſimile, & diſſimile.

CApite ſexto agit Ariſtoteles de contactu phyſico inter agens, & patiens, qua de re dixi in 2. p. tract. 1. lib. 7. diſp. 36. agendo de indiſtantia. Quapropter cum eodem Philoſopho accedo ad cap. 7. 8. & 9. in quibus acturus Philoſophus de mixtione elementorum, ex qua, reſultant corpora mixta, priùs tractat de Actione, & Paſſione, quibus medijs, admiſcentur elemēta ad componēdum mixtum. Cùm autem Actio, & Paſſio ſint inter ſe contraria, dum mutuò præliantur, dicuntur agere, & reagere, & hæc pugna dicitur actio, & reactio: Exemplum ſit, quando calida aqua frigidæ admiſcetur, & tepida redditur, calida agit in frigidam, hæc verò per reſiſtētiam reagit in calidam; ſed quia prælium hoc exercetur inter qualitates contrarias, quæ nō poſſunt in inſtāti expelli propter reſiſtentiam, agendum priùs eſt de reſiſtentia, & poſteà de actione, & reactione inter res ſimiles, & diſſimiles, de quibus eruditè diſputat noſter Dandinus de Anima lib. 2. à fol. 1005. Dandin.

SECTIO I.

Quotuplex ſit reſiſtentia, & quomodò in quatuor primis qualitatibus reperiatur.

1 PRima concluſio. Datur reſiſtētia purè negatiua, alia poſitiua, quæ vel eſt actiua vel paſſiua, ſiue formalis, ita communis, & vera ſententia. Reſiſtentia purè negatiua eſt omnimoda ſubiecti incapacitas, qualis datur in cælo (ſuppoſito quòd ſit incorruptibile) ad recipiendas qualitates alterantes ad corruptionem. Reſiſtentia poſitiua datur, quando vnum contrarium poſitiuè retardat, vel impedit actionem alterius contrarij: hæc vel eſt actiua, vel formalis, ſiue paſſiua, quod probatur in igne, qui actiuè agit in aquam, reſiſtendo, ne frigiditas aquæ aduerſùs ipſum ignem inſurgat: ipſa verò frigiditas, quæ formaliter eſt in aqua, formaliter etiam, ſiue paſſiuè, reſiſtit introductioni caloris: ſicut albedo per ſe formaliter reſiſtit introductioni nigredinis, nam eō ipſo quòd hæc forma connaturaliter ſit in hoc ſubiecto, cenſetur per naturalem incōpoſſibilitatem cum alia, reſiſtere: quod eſt per ſuammet informationem impedire, ne ſimul introducatur forma contraria.

2 *Secunda concluſio.* Omnes quatuor primæ qualitates ſunt actiuæ; quamuis aliquæ ſint alijs magis actiuæ. Ita communis, & vera ſententia cum D. Thom. & alijs, quos citat, & ſequitur Rub. 1. de Gener. c. 9. q. 2. n. 55. concluſio non indiget probatione circa calorē, & frigus, ſatis enim conſtat, has qualitates actiuas eſſe. De humiditate idē probatur experientiā, humiditas enim nimia res aliquas tandem corrumpit, ſicut etiam ſiccitas conſumit. Ita verò ſunt hæ qualitates actiuæ, vt primū locum calor obtineat, ſecundū frigiditas, tertiū humiditas, quartū ſiccitas, vt videre eſt apud Conimbric. 1. de Generat. cap. 9. q. 3. art. 3. §. *Eſt autem.* D. Thom. Rubius Patres Conimbr.

3 Tertia

3 *Tertia concluſio.* Eodem ordine, quo actiuitas conuenit his qualitatibus, conuenit etiam reſiſtentia actiua. Hæc eſt etiam cõmunis, & vera. Probatur, quia reſiſtentia actiua nihil eſt aliud, quàm actio ipſius agentis, in quantùm per eam frãgitur virtus illius, cuius actio impeditur per hanc reſiſtentiam: ſed calor habet actionem efficaciorẽ: ergo, & reſiſtentiam actiuam fortiorem aduerſùs frigiditatem, cui impedit ne tanta intenſione agat in ipſũ calorẽ, & eodẽ modo philoſophandum circa reliquas qualitates.

4 Quò ad reſiſtentiam verò formalem ſiue paſſiuam, oppoſito modo dicendum eſt: quemadmodùm enim calor eſt actiuior, & deinde frigus, tertiò humiditas, &c. ita in reſiſtentia paſſiua fortior eſt ſiccitas, deinde humiditas, tertiò frigiditas, & omnium imbecilior eſt calor. Probatur, quia corpora denſiora magis reſiſtunt contrariis, quàm, quæ ſunt rara, & minùs denſa; ſed ex elemẽtis, Terra eſt denſior, deinde Aqua, tertiò Aer, ac tandem Ignis: ergo ſecundùm hunc ordinem, illis conuenit reſiſtentia formalis, ſiue paſſiua. Probatur, quia conſtat, ſummã denſitatem terræ prouenire à ſumma ſiccitate eius, ergo eius ſiccitas ex hoc capite magis reſtitiua eſt, ſicut etiam ſummus calor in igne, cauſa eſt eius ſummæ raritatis, & ratio eſt, quia virtus vnita per denſitatem, fortiùs poteſt reſiſtere, ſicut eadem raritas, quia magis ſeparat partes, illas reddit, in reſiſtendo, imbecilliores. Probatur tandem experientiâ. videmus enim terram magis reſiſtere igni, & cuilibet alteri contrario, quod oppoſitum habet ignis, quem citò ſolet aqua extinguere: videmus itẽ humiditatem in aqua magis reſiſtere, quàm reſiſtit frigus, nam aqua calidiſſima non habet frigus, habet tamen humiditatem: ergo quòad reſiſtentiam paſſiuam, magis reſiſtit ſiccitas, deinde humiditas, tertiò frigus, quartò calor.

Calor minimũ reſiſtit, quã uis ſit magis actiuus.

5 Obſtas primò. Si humiditas magis reſiſtat, quàm frigus, aer, qui eſt magis humidus, quã aqua, magis reſiſtet, quã aqua, quæ ſolùm eſt humida in excellenti: ergo falſò dixi elementa, quò denſiora, eò magis reſiſtere (ſiquidem aer, qui eſt rarior, propter humiditatem, magis debet reſiſtere) vel ſaltẽ humiditas non eſt cauſa maioris denſitatis, nec maioris reſiſtentiæ. Reſp. negando cõſequentiam, quia quãuis humiditas ſit cauſa denſitatis, non poteſt tamen reddere aerem nimis denſum, propter calorem aeris, qui, cùm ſit actuoſior, ſeparat partes aeris, nec ſinit aerem eſſe denſum: ſicut quãuis ſiccitas ſit cauſa denſitatis in terra; nihilominùs nullam cauſat denſitatem in igne, propter ſummum calorem, qui cùm ſit valde actiuus, non permittit vt ſiccitas cõdẽſet ignem: at verò humiditas in aqua, cùm non inueniat calorem, ſed frigus, ſimul cum frigore condenſat aquam: atq; ideò humiditas condenſa, & magis vnita fortiùs agit.

6 Inſtas. Frigus magis cauſat denſitatem vt patet in aqua, quæ frigore congelatur, & condenſatur: ergo frigus magis reſiſtit, quàm humiditas. Reſpondeo frigus ex natura ſua denſius eſſe, ſiue potiùs cauſam maioris denſitatis, quia tamen opponitur calori, qui longè actiuior eſt, quàm ſit frigoris reſiſtentia, ideò ſimpliciter dicitur humiditas magis reſiſtere, quàm frigus. humiditas enim non opponitur immediatè calori, neque ita facilè debellatur à calore, vt patet in aqua calida, quæ faciliùs amittit frigus, quàm humiditatem; vnde nõ dicimus, ſolam humiditatem aquæ eſſe cauſam maioris reſiſtentiæ, ſed humiditatem iunctam cum frigore.

7 Obſtat ſecundò. Citiùs expellitur frigus ab aqua, quàm calor ab igne; ergo calor maiorem habet reſiſtentiam formalem. Reſpondeo nẽgando antecedens, dummodò cætera ſint paria, hoc eſt, dummodò frigus ex vna parte ſit multò maius, quàm calor; ſuppoſito enim, quòd calor multò ſit actiuior, maior eius actiuitas compenſari debet per multò maiorem frigoris intenſionẽ, & multiplicationem; quapropter ſi cætera ſint paria, videmus ignem breuiſsimè ab aqua extingui, cùm tamen ignis, non niſi cũ morâ, frigiditatem, & humiditatem debellet. Atque ita circa actiuitatem, & reſiſtentiam harum qualitatum philoſophantur Rub. 1. de Generat. cap. 9 q. 1. n 66. Hurt. in Ph. diſp. 9. ſect. 10 n. 93. conſentit Soar. in Met. diſp 4. ſect. 1. à n. 11. *Rubius. Hurtad. Soarius.*

SECTIO. II.

Quomodò Actio ſemper fiat à vincente?

1 PRima concluſio. Vt vnum contrariũ agat in aliud, neceſſe eſt, vt eius actiuitas ſit maior, quàm reſiſtentia alterius, quod patitur: Ita communior, & vera ſentẽtia, vt videre eſt apud Conimbricenſes 1. de Gener. c. 9. q. 2 Rub. ibidem q. 3. n. 72. Probatur, quia inter agens & patiens datur pugna (vt docet experientia, quando ignis agit in aquam) ſed victoria ſemper eſt à vincẽte: ergo niſi detur maior virtus in agente, quàm ſit reſiſtẽtia paſſi *Patres Conimbr. Rubius.*

nihil operatur agens. Quod veró de actione dicimus, intelligendum etiam eſt eodẽ modo de reactione: hæc enim qua parte reſiſtit actiué, victoriam conſequitur.

2 Obijcis pro contraria ſententia, quã tenet Tolet. 1. de Gener. q. 13. poſt ſecundã concluſionem, & quæſt. 15 ad 1. & alij. Si actio ſemper eſt á vincente, cúm id, quod patitur ſemper ſuperetur ab agente, impoſsibilis eſt reactio ex parte paſsi, quæ non fit ſemper à minori inæqualitate. Probatur cõſequentia, quia reactio habet ſe ex parte paſſi, ac proinde ex parte victi. Reſpondeo negando ſequelam nam agens principale, quamuis ſit fortius in agendo, eſt tamen debilius in reſiſtendo: Vnde comparata virtute actiua agentis cum reſtitiua patientis, maior eſt virtus agentis; comparando veró virtutem actiuam patientis, cum reſtitiua agẽtis, maior eſt virtus patientis: vnde ſemper actio fit à proportione maioris inæqualitatis.

Toletus.

3 Exemplum ſumo à calore, qui agit in frigiditatem intendendo ſe introducere, & frigus expellere áb aqua: quód ſi frigus minimum ſit, ſolùm reſiſtit paſſiuè, ſiue formaliter per incompoſſibilitatem ſimul eſſẽdi cum calore, & propter hanc reſiſtentiã, ſiue contrarietatem, nõ poteſt frigus expelli in inſtanti: ſi verò frigus ſit magnum reſiſtit non ſolùm formaliter, ſed etiam actiuè: vnde quamuis calor vincat frigiditatem, producendo in aqua v. g. quatuor gradus caloris nihilominus quia frigus aquæ reſiſtit calori, ab eo expellit actiuè per reactionem aliquem gradum caloris (frigus enim eſt qualitas actiua,) & in hoc fuit frigus victorioſius, & maius, quàm reſiſtentia caloris. Cùm veró quò plus procedat actio, eó magis infringatur virtus paſſi ad reagendũ, inde eſt, quòd in fine pugnæ potiús corrumpatur paſſum ab agente, niſi aliquando propter virturem paſsi reagentis, maneant inter ſe æqualia, & ex duobus fiat aliquod mixtum v. g. aqua tepida. Ex quibus ſequitur, virtutem actiuam caloris eſſe maiorem, quam reſiſtentiam formalem frigoris; reſiſtẽtiam veró actiuam, ſiue reactionem frigoris maiorem eſſe reſiſtentiã formali caloris: ac tandem conſtat, actionem ſemper eſſe á vincente, quod, vt ait Soar. in Met. diſp. 18 ſect. 9. n. 12. eſt veluti primum principium Philoſophiæ.

Quo pacto actio ſemper fit á vincẽte

Soarius

4 Obijcis ſecũdò, Gutta cauat lapidẽ, & tamen maior eſt reſiſtentia lapidis, quàm ſit actiuitas illius guttæ: ergo actio non ſemper eſt à maiori vincente. Reſp. negãdo minorem, maior enim eſt actiuitas illius guttæ, quàm reſiſtentia illius particulæ lapidis, quæ cedit aquæ, cum qua fieri debet comparatio; & idem dicendum de formica ſæpius iterante greſſus ſuper ſaxum, quæ quidem ſua actiuitate ſuperat aliqualem ſaxi particulam.

5 Atque ex his ſequitur *Secunda Concluſio*. Agens phyſicum, & materiale, quod verſatur inter contrarias qualitates, dum agit, aliquid repatitur per reactionem paſsi. Ita cum Ariſtotele D. Thom. & Gal. Rub. 1. de Gener. cap. 9 q. 9 à n. 146 Conimbricenſes ibidẽ q. 5. art. 2. & 3. Hurt. in Phyſ. diſp. 9. ſect. 11. Probatur experientiã, aqua enim calida ita agit in frigidam per calorem, vt frigida etiam per ſuam frigiditatem, agat in calidam. Confirmatur, quia niſi daretur mutua actio, & reactio, non daretur mixtio elementorum, qua conſtant corpora mixta. Probatur ſequela, quia dari non poteſt mixtio, niſi qualitas in ſummo vnius elementi attemperetur cum alia qualitate contraria alterius elementi.

Agens agendo repatitur.

Ariſtot. *D. Thom.* *Galen.* *Rubius.* *Patres.* *Conimbr.* *Hurtad.*

6 Aduertendum verò eſt, non omne agens á quolibet patiente repati, poteſt enim eſſe adeò debile paſſum, vt ſtatim vincatur ab agente, ita vt non poſſit reagere: & tamẽ vt conſtat ex dictis actio, ſiue reactio ſemper debet eſſe à vincente.

7 Obſtas. Si agens ſimul agit, & repatitur, ſequitur, quod ſecundùm eandem partem, poſſit ſimul eſſe calidum, & frigidum; hoc non eſt dicendum: ergo &c. Probatur ſequela, quia ſi calidum habeat quatuor palmos, in vltimo palmo, per quem agit in paſſum, recipit etiam frigus. Reſpondeo negando ſequelam, quamuis enim agens per quartum palmum immediaté recipiat frigus, non tamen per eam partem, ſed per alias immittit calorem; ita in ſimili ſolui deſũdo lebetis in Phyſ. 2. p. tract. 1. lib. 7. diſp. 36. ſect. 1. n. 6. Illud autem axioma *Nihil agit in diſtans, quin prius agat in proximum*, intelligẽdum eſt de agente totali reſpectu alterius agentis totalis non de partibus ipſius agentis. Ratio autem cûr tres priores palmi calidi non agant in quartum, ea eſt, quia cùm omnino occupentur in vincendo contrarium, illius partis diſpendium tolerãt patienter, donec deuicto hoſte, ipſum agens iterum colligat ſuas vires, partem que illam laborantem in ſuam reſtituat libertatem.

(?)(?)
(?)

SECTIO

SECTIO. III.

Vtrũ ſimile poſsit agere in aliud ſimile?

1 PRima concluſio. Quæ ſunt ſimilia in ſpecie non tamen ſimul in gradu, poſſunt in ſe agere. Ita cõmunis, & vera ſententia, experientiâ comprobatâ, qua videmus vnum calidũ minùs intenſum, ab alio calidiori intendi.

Quæ ſũt omnino ſimilia non poſſunt in ſe inuicem agere.

2 Secunda concluſio. Quæ ſunt omnino ſimilia non ſolùm in ſpecie, ſed etiam in gradu intenſionis, vt duo ignes, vt quatuor, nõ poteſt vnum agere in aliud. Ita communior, & vera ſententia, pro qua videri poſſunt Conimb. 1. de Gener. cap. 9. q. 2. art. 1. §. Hic animaduerſis. Soar. in Met. diſp. 18. ſect. 9. à n. 7. Hurt. in Ph. diſp. 9. ſect. 9. Arriaga diſp. 3 de Generat. ſect. 7. §. Tertia concluſio. Et alij. Probatur breuiter, quia ceſſante fine, ceſſat actio agentis, ſed agens intendit aſſimilare ſibi paſſũ: ergo ſi illud inuenerit omnino ſimile, ceſſat eius finis, & cõſequẽter operatio.

Conimbr. Soarius. Hurtad. Arriaga.

3 Tertia concl. Si duo agentia ſint ſimilia in ſpecie, & in gradu, nõ poteſt vnũ agere in aliud, quãuis vnũ ſit dẽſius, aliud verò rarius. Hæc etiã concluſio, quãuis ſit magis cõtrouerſa, habet eoſdem Authores. Declaratur hoc exẽplo. Detur calidũ vt quatuor in materia denſiori, in ferro v. g. vbi proinde habeat maiorẽ acrimoniã, & detur aliud calidũ in materia nimis rara, v. g. in ſtupa: dicimus ergo, nõ poſſe illud calidũ, vt quatuor, ratione materiæ, in qua eſt, intendere aliud calidum, vt quatuor, quod ſit in materia rariori.

4 Probatur ratione ſuprà facta, quia agẽs ſolũ intendit aſſimilare ſibi paſſũ, ſecundũ ſpeciẽ, & gradũ, non verò ſecundũ denſitatẽ, aut raritatẽ: ergo &c. Probatur deinde à priori, quia repugnat, cauſã efficiẽtẽ producere effectũ, quẽ nõ contineat formaliter, vel eminenter; ſed calidũ, vt quatuor, quãuis ſit in materia magis dẽſa, neutro modo continet calidũ, vt quinque: ergo nõ poteſt illud producere. Maior eſt certa, & declaratur, nã omnis cauſa vniuoca (ideſt, eiuſdẽ ſpeciei) cõtinet in ſe formaliter, ideſt, ſecundũ eandem ſpeciem id, quod cõmunicat: v. g. homo, qui generat aliũ hominem, continet in ſe formaliter naturã humanam, & ignis, qui generat alium ignem, continet ignẽ in ſe formaliter: quãdo verò cauſa efficiens nõ eſt vniuoca, debet in ſe continere naturam effectus eminenter, v. g. lux, quæ eſt cauſa æquiuoca, ideſt, diuerſæ ſpeciei reſpectu caloris, continet calorem eminẽter, & ſimiliter præmiſſæ continent cõcluſionẽ eminenter.

5 Probatur igitur minor, nã certũ eſt calidũ vt quatuor nõ cõtinere formaliter calidũ vt quinque, vt omnes cõcedunt. Deinde probo, quòd neq; eminenter illud cõtineat, quia cõtinentia eminentialis ſolũ inuenitur in cauſa æquiuoca diuerſæ ſpeciei, & perfectioris naturæ: calor autem, vt quatuor, eſt eiuſdẽ ſpeciei cũ calore, vt quinque immò eſt minùs perfectus: ergo non poteſt eminẽter continere calorem, vt quinque. Nec dici poteſt, quòd calor, vt quatuor, in ſubiecto denſiori virtualiter contineat calorem, vt quinque, nã continentia virtualis, prout hìc diſtinguitur ab eminentiali, ſolũ reperitur in aliquo inſtrumento, calidũ autẽ nõ eſt inſtrumentũ, ſed vera cauſa alterius calidi.

6 Obijcis primò pro cõtraria ſententia, quã tenent Tolet. 1. de Gen. c. 9. q. 4. & alij plures apud Soar. ſuprá n. 20. Virtus vnita fortiùs agit: ergo calor eiuſdem intenſionis in materia denſiori, cũ habeat eoſdem gradus ſæpe repetitos fortior eſt: ergo poterit agere in ſui ſimile eiuſdem gradus, intẽdendo illud; ita vt calor, vt quatuor, in ferro, intendat calorem vt quatuor in ſtupa. Reſp. concedendo antecedens, & primã cõſequentiã, negãdo ſecũdã: quãuis enim calor in materia dẽſiori fortior ſit ad producendũ effectũ celeriùs, ac diſtantiùs, non poteſt tamen producere effectũ intenſiorem, quia, vt dictũ eſt, nullomodo continet hanc maiorem intenſionem. Maior igitur denſitas ſolũ præſtat maiorem efficaciã, vel celeritatem actionis, nõ tamen auget gradũ intẽſionis, ſicut quãdo in eodem medio iunguntur plura luminoſa eiuſdẽ gradus, ſemper producitur idẽ gradus lucis repetitus, ac proinde fortior, & multiplicatus in eadem intenſione: & proptereà magis illuminatur mediũ: vnde colligitur, quòd nec denſitas materiæ, nec multitudo agentium eiuſdem intenſionis conferat ad intenſiorem effectum.

Reijcitur contraria ſententia.

7 Inſtas primò. Vnum ſimile agit in aliud ſimile ſecundùm formam ſi ſit diſſimile in gradu: ergo etiã poterit in illud agere, ſi ſit diſſimile in virtute. Reſp. neg. cõſequentiã. Diuerſa ratio eſt, quia maior illa virtus ſolũ eſt extenſiua & nõ prouenit ratione formæ, ſed propter ſubiectũ, ſiue propter quãtitatem, & ideò non eſt diſſimilitudo in forma, ſed in æqualitate quantitatis, vnum autem album non dicitur diſſimile duobus albis, ex eo quòd non ſit plura, ſicut illa; ſed dicitur inæquale: per actionem autem non intenditur hæc æqualitas numerica, ſed ſola ſimilitudo in forma intenditur.

8 Inſtas ſecundò. Calor, qui eſt in ferro, producit ignem in ſtupa: qui tamen ignis

eſſum roboret, vt fortiùs ad pugnam redeat: patet etiam, falſum eſſe hanc maiorem intẽtionem prouenire ob ſpeciebus intentionalibus, vt cum alijs volebat Iacob. de Florib, ſect. 15. Aphor. Hippocr. ad aphor. 15. nã ſpecies intentionales, cũ habeant eſſe adeó diminutũ, nõ poſſunt alterare ſubiectum: præterquã quód hæ ſpecies ſolùm inſtitutæ ſunt à natura, vt ſint principium cognoſcendi.

Iacobus. Floridus.

De Actione reflexa.

Idem non poteſt agere in ſe ipſum actione reflexa

7 **T**Ertia concl. Idẽ nõ poteſt agere in ſe ipſum actione reflexa, atque ita nõ poteſt lux ſeipſã intendere per reflexionem. Hæc cõcluſio quãuis ſit contra Patres Conimb. 1. de Gener. c. 9. q. 1. art. 1 approbatur tamenã Soar. in Met. diſp. 18. ſect. 9. à n. 11. & eſt omnino certa in doctrina Ariſtot. c. 7. huius libri, vbi probat, abſoluté non poſſe ſimile agere in omnino ſimile: ergo neque idẽ in ſe ipſum: ergo lumen lucernæ non poteſt per reflexionem intendere proprium lumen eiuſdem lucernæ, vt volunt Conimb. hoc enim apertè eſt, idem agere in ſe ipſum. Probatur concluſio ratione ſuprà facta, quia impoſſibile eſt, cauſã producere effectum, quem nõ contineat in ſe formaliter, vel eminenter: ſed hæc lucerna v.g. non continet, niſi tantùm quatuor gradus lucis, vt ſuppono: ergo non poteſt ſe intendere, producendo quintum gradum. Minor eſt certa de continentia formali: nec minús certa eſt de eminentiali ſolùm enim cauſæ diuerſæ ſpeciei, & æquiuocæ cõtinent effectus eminenter, lux autẽ lucernæ non eſt cauſa æquiuoca alterius lucis.

Soarius.

8 Obijcis primò pro contraria ſententia. Licèt nemo poſſit agere in ſe ipſũ actione directa, poterit tamen reflexa: ergo &c. Probatur ſequela, quiã conſtat, per reflexionem lucis, medium magis illuminatum manere; ſed non datur alia cauſa efficiens hanc maiorem intenſionem, niſi ipſum luminoſum: ergo eadem lux poteſt intendere ſe ipſã per reflexionẽ; neq; hoc expreſſé negauit Ariſtot. cũ dixit, idẽ nõ poſſe agere in ſe ipſum. Reſp neg. ſequelã: nã ratio Ariſtot. vtrobique eſt eadem, negauit enim, idẽ poſſe agere in ſe ipſum: cùm verò per actionem reflexam idem non maneat diuerſum à ſe ipſo bene ſequitur non poſſe agere in ſe ipſum, neque per actionem reflexam.

Quomodò cauſa operetur per reflexionem?

9 Hoc tamẽ argumentũ exigit à nobis modũ, quo ſit hæc maior lucis in ẽ io per reflexionẽ, quin eadẽ lux agat in ſe ipſã. Dicam igitur id, quòd mihi videtur facilius, & probabilius, quãuis nobiſcũ nõ ſentiat Soar. ſuprà n. 34. Cauſa igitur huius maioris intẽſionis nõ eſt corpus, ad quod lumẽ impactũ retrouertitur, ſed eſt ipſa agẽs principale, ſeu ipſũ principale luminoſũ. Probatur exẽplo pilæ, quæ ideò reflectitur à pariete, non quòd paries illã impellat ſed quia impulſus impreſſus à proiectore, illã vlteriùs ferret, niſi parietem offendiſſet, tunc verò motus ille quaſi permutatur, & à directo ſit reflexus, atque adeò eadem cauſa efficiens motũ directũ, eſt, et motũ reflexũ. ſi enim pila non impelleretur parieti, quãuis parietem offẽderet, non reflecteretur: vnde quãuis in pariete fiat reflexio, cauſa tamen efficiens non eſt paries, ſed proiector. Atque eodem modo fit reflexio lucis, luminoſum enim debebat lucem extendere vſque ad viginti paſſus v.g. ſed propter cryſtallum, vel ſtannũ pellucidum retrocedit lux, & per lineã reflexam, cõficit quod per directã efficere debebat, ſecundùm ſphæram ſuæ actiuitatis.

10 Probatur ſecundò, exẽplo ſpeciei intẽtionalis ab obiecto immiſſæ in ſpeculũ, & inde ad meum oculum, quæ ſpecies ſine dubio cauſatur effectiué ab obiecto, & non ab ſpeculo, à quo reflectitur, (ſiquidem eſt imago obiecti, & non ſpeculi) & confirmatur, quia opacitas corporis, in quo fit reflexio lucis, magis impedit lucem, ſiquidem illam vlteriùs progredi non ſinit: ergo corpus opacum, in quo lux offendit, non poteſt eſſe cauſa maioris intenſionis: & conſequenter etiam dicendum eſt, maiorem Lunæ illuminationem, quàm alterius partis Cæli, prouenire á luce Solis reflexa in Luna.

11 Procedit ergo maior illa lux ab ipſo luminoſo principali, hoc pacto: lux illa procedens à luminoſo, debebat ſe extendere per lineam rectam vniformiter difformiter, vſque ad non gradum, per cẽtum paſſus v. g. tunc inuenit corpus opacũ impediens hãc lucis diffuſionem, & in aliam partem deflectit: quòd ſi contingat, vt reflexio fiat per eandem lineam rectam manet illud mediũ magis illuminatum, non quòd lux retrogrediens, quæ debilior eſt, intendat eoſdem gradus, per lineam rectam procedentes (ſiquidem hi gradus recti neceſſariò ſunt intenſiores, quia ſunt magis propinqui agenti principali) ſed quia gradus remiſſiores vt quatuor v.g. retrogredientes, vniuntur in medio cum alijs gradibus intẽſis, vt ſex v.g. & cùm virtus vnita fortiùs agat, producunt efficaciorem lucem, clariorem, ac veluti extenſiorem, & intenſiorem, quia ſunt quaſi duo agentia (ſuppono enim cum Soar. in Metaph. diſp. 18. ſect. 9. n. 24. maiorem aggregationem plurium ſimiliũ

graduum in eâdem parte ſubiecti non eſſe maiorem intenſionem.

12 Et ecce quomodò per reflexionem multiplicatur lux in medio, non per aliquã reactionem eiuſdem in ſe ipſũ, ſed per vnionem graduum, ita vt nunquam producatur intenſior lux, quàm ea, quæ datur in principali luminoſo, & quin intendatur lux ipſius agentis principalis. Atque hinc patet, quid reſpondendum ſit ad argumentum; & præterea conſtat, quarè duæ, vel tres lucernæ eiuſdem lucis magis illuminent in vno medio, quàm vna tantùm, non quòd ſcilicet vna intendat aliam, ſed quia vniuntur luces in medio, & ſunt veluti plura agentia.

13 Eodem modo, proportione habita, philoſophari poſſumus in radijs ſolaribus, quando ratione vitri producunt calefactionem, & ignem, quem licet illi gradus lucis, & caloris, qui immediatè tangunt vitrum, de ſe producere non poſſent, tamen ratione ſolis, cum quo vitrum virtualiter coniungitur, poſſunt ignem producere; & ex eò quòd radij magis vniuntur in vitro, produci poteſt ignis, per virtutem ſcilicet Solis. Et ita probabiliter ſentit Soar. ſuprà ſect. 9. n. 36. *Soarius.*

SECTIO V.

Vtrùm agens poſſit producere effectum ſibi omnino ſimilem?

1 PRima Concluſio. Agens vniuocum producit per generationem ſubſtantialem, effectum ſibi omninò ſimilem ſecundùm eſſentiam ſpecificam. Concluſio certa eſt, nam Socrates generat Socratem, & ignis alium ignem.

2 *Secunda concluſio.* Agens naturale non poteſt producere circa paſſum effectum ſibi omnino ſimilem in intenſione. Probatur quia omne agens naturale habet limitatã ſphæram ſuæ actiuitatis, quæ quando eſt intenſiua, procedit ab agente vniformiter vſque ad non gradum: cùm igitur paſſũ, quãuis ſit cõtiguũ agenti, nõ ſit illi perfectè approximatũ, inde ſequitur, quód virtus procedens ab agente, iã nõ ſit adeò efficax, quãdo eſt diffuſa extra ipſum agens, ſiquidem quò magis diſtat à cauſa, eò magis vniformiter difformiter debilitatur: ac proinde non poteſt producere in ſubiecto effectum omnino ſibi ſimilem in intenſione. *Nõ poteſt effectus eſſe omnino ſimilis in intenſione.*

3 Neque officit, quòd paſſum poſſit eſſe contiguum: ea enim, quæ non ſunt omnino penetrata, vel cõtinua, aliquo modo diſtant: ergo agens ſaltem in partibus remotioribus paſſi non producet eandem intenſionem, quam agens habet in omnibus ſuis partibus. Neque neceſſe eſt, quòd ad productionem ignis v. g. producatur antecedenter in paſſo calor in ſummo, ſed ſufficit in minori gradu, & poſteà emanabit ſummus calor ab eadem forma ignis iam producta, vt aduertit Rub. 1. de Gener. cap. 9. q. 6. n. 103. *Rubius.*

4 Ex hac cõcluſione deducitur primò: ſi agens fuerit penetratum cum paſſo, tunc quidem non deſinet producere effectũ omninò ſimilem ratione diſtantiæ. Probatur quia virtus agentis ſecundùm totam ſuam intenſionem, quam habet, eſt actiua, & ſimiliter eſt productiua alterius effectus ſibi ſimilis: at qui per penetrationẽ agens eſt omnino approximatum paſſo, & expeditum, vt ſuppono: ergo producet effectum omnino ſimilem. Deducitur ſecũdò, quód neq; agẽs tangens paſſũ per ſuã vltimã ſuperficiẽ, poſſit in ea ſuperficie producere effectũ eiuſdẽ omnino perfectionis, vt contendunt aliqui moderni. Probatur, quia ſuperficies paſſi eſt indiuiſibilis: ergo non eſt alterabilis: & cõſequenter non poterit recipere calorem v. g. per alterationẽ, alteratio enim requirit ſubiectum trinè dimenſum, ſicut etiam calor, frigus, &c. immo & figura, colorque, quamuis appareant in ſola ſuperficie, ſunt tamen in corpore trinè dimenſo: & idem probabile eſt de luce apparente in ſola ſuperficie corporis opaci; ſed noſtra doctrina parùm hìc curat lucem, procedit enim de qualitatibus quæ per alterationem acquiruntur.

5 Obſtas. Vltima ſuper ficies agentis eſt penetrata cũ prima ſuperficie extima paſſi: ergo ibi producet effectum omnino ſimilẽ, etiã in gradu. Probatur antecedens, quia ea penetrantur, quæ reſpondent eidem ſpatio, & quæ ſe tangunt ſecundùm ſe tota, quod contingit his duabus ſuperficiebus. Reſp. negando ãtecedens, primò quia penetratio propria ſolis competit quantitatibus trinè dimenſis, ſicut etiã repletio loci, iuxta ea quæ dixi in Met. diſp. 59. de quantitate ſect. 1. ad finem. Reſp. ſecundò, non omnia quæ ſe tãgunt, ſecundùm omnes partes, ſe penetrare, vt latè oſtendo 2. p. in Phyſica, diſp. 35. ſect. 2. à n. 10.

6 Limitatur concluſio a Patre Rubio 1 de Gen. c. 9. q. 6. a n. 99. in caſu, in quo agens habeat maiorem denſitatem, vel magnitudinem, quàm paſſum; tunc enim bene poterit agens producere effectum eiuſdem omnino intenſionis, quia per eam magnam condenſationem vincitur defectus approximationis.

Hæc

7 Hæc tamen limitatio mihi diſplicet; & ratio eſt, quia quò magis agens efficax eſt, ſiue per intenſionem ſiue per condenſationem, eò fortiorem effectū debet producere, ſed agens naturale priùs, & fortiùs agit in proximum, quàm in remotum: ergo cū paſſum neceſſariò diſtet ab agente, producet quidem agens in tali paſſo effectum validiſsimum, propter ſummam efficaciam agentis, ſed iam neceſſariò erit in minori aliqua intenſione, ſiue determinata, ſiue indeterminata, propter aliquam diſtantiam, quā neceſſariò habet paſſum ab agente.

8 Aliter ego limito concluſionem, ſi videlicet maior illa denſitas, aut magnitudo non ponatur ex parte agentis, ſed ex parte paſſi: tunc enim ratione maioris denſitatis, vel magnitudinis paſsi, poterit effectus æquari omnino virtuti agentis, ſicut ratione maioris materiæ producitur maior ignis à minori igne: Ratio limitationis eſt, quia melior diſpoſitio paſsi ſupplebit diſtantiam agentis: exemplum ſit, ſi lumine ſuo, vt quatuor, illuminet corpus nigrū, & corpus valde candidum, nō dubium eſt, quin ratione ſubiecti magis proportionati, lux illa magis appareat in ſubiecto albo, quàm in nigro: vnde ratione melioris diſpoſitionis, poterit paſſum recipere totam intenſionem agētis, & ſupplere diſtantiam.

9 Contra concluſionem tamē obijcis, Calor v.g. eſt qualitas actiua ſecundùm omnes gradus: ergo producet calorem omnino ſimilem ſecundùm eoſdem gradus. Reſpondeo Negando conſequentiam, quia licèt qualitas, ſecundùm omnes ſuos gradus, ſit operatiua, tamen cum, præter actiuitatē, requiratur ex parte paſſi approximatio, & cùm hæc non poſſit eſſe omnimoda, inde eſt, quòd non poſſit agens imprimere in paſſo totam ſuam perfectionem intenſiuam.

DISPVTATIO LXXV.

De Mixtione.

Corpora, quæ generantur, partim ſunt ſimplicia, vt elementa, partim mixta, quæ conſtāt ex mixtione, & compoſitione elementorum. De hac igitur mixtione, in hac diſputatione agendum eſt.

SECTIO I.

An ſit, quid ſit, & quomodò mixtio diſtinguatur ab alijs mutationibus?

1 Antequàm concluſiones aliquot proponam, aduertendū eſt quid ſit Mixtio? Mixtio igitur generaliter loquendo eſt *duarum rerum inter ſe contiguatio ſiue continuatio ita vt vna cū alia permiſceatur*: ſic dicitur vinū commiſceri cum aqua. Si verò Mixtio philoſophicè accipiatur ſignificat *aliquarū partium inter ſe vnionem, ita vt non ſolū contiguè continuentur, ſed etiā vniantur*. Definitur ergo Mixtio *Vnio duorum corporum alteratorum*. Vnde colligo non dari mixtionem quando vnum corpus aliud ſibi adiungit, illud in ſe cōuertendo, v.g quādo ignis ſtupam deuorando illam ſibi adiūgit, in hoc enim caſu non alteratur ignis, ſed ſtupa: quare tunc datur propria mixtio quādo illa duo corpora, ita ſimul alterantur, vt tranſeant in vnam tertiam ſpeciem, vt quādo ex terra, & ex aqua alteratis progignitur aliquod animalculū. Colligo præterea mixtionem non dari inter accidentia: quia accidentia non tranſeunt in tertiam aliquā ſpeciem, ſed potiùs pereunt, & illorum loco alia de nouo ſuccedunt: corpora verò ſubſtātialia, ratione materiæ cōmunis & perſeuerātis ſub vtraq; forma, propriè, & in rigore philoſophico miſcētur. Quibus poſitis ſit,

Quid ſit mixtio.

2 *Prima concluſio* Datur mixtio vera, & propria in rerū natura. Ita cōmunis ſententia cum Ariſtotele 1. de Gener. c. 10. Idē probāt DD. Theologi cū Magiſtro in 4. diſt. 10. & 11. & cum D. Thoma 3. p. q. 77. art. 8. Probatur imprimis experientiā, videmus enim progigni animalia ex putri materia, propter concurſū, & cōcretionē aquæ cū terra. Probatur deinde ratione quia elementa ordinata ſūt ad cōſeruationē rerū: ſed per ſe ſola nō poſſūt inſeruire ad hāc propagationē ergo neceſſaria eſt mixtio ex ipſis elemētis: minor eſt certa, viuentia enim v.g. non cōſtant ex vno tantùm elemento.

Ariſtotel. Magiſter. D. Thom.

3 Tandem confirmatur ex commixtione duorum liquorum qui producunt aliū diuerſæ ſpeciei. Vbi aduertēdum eſt, quòd ſi iungantur duo liquores eiuſdem ſpeciei, tunc non corrumpuntur inter ſe, nec alius tertius gignitur, ſed manent ſub eādem ſpecie, ſiquidem ſimile nō deſtruit ſimile, neq;

præta-

Digitized by Google

Reijcitur contraria opinio. *Auicen.* *Niphus.*

3 Obijcis pro contraria opinione, quã magno ſtomacho tuetur Medici, duce Auicenna. 1. de Sufficientia cap. 1. Cui etiam adhæret Niphus, & alij leuis armaturæ, quos refert Rubius citat. num. 33. Obijcis, inquam, primò. Forma, quæ corrumpitur, nullo modo manet in materia; ſed elementa ſaltem virtute (vt nos concedimus) manent in mixto, ergo ſignum eſt, quòd non corrumpatur eorum forma, ſed quòd maneat formaliter. Reſpond. Ad maiorem, bene poſſe dici, quòd forma corrupta maneat virtute in materia mixti, quatenus manent aliquæ eiuſdem formæ elementaris qualitates, vel quia non fit reſolutio vſque ad materiam primam, vt dixi diſp. 71. ſect. 4 vel quia ſatis eſt, quòd maneant aliqua accidentia ſimilia in ſpecie illis accidentibus, quæ erant in elemento formaliter.

4 Obijcis ſecundò. Si in mixto nõ manent etiam formæ elementorum, tã ſimplex corpus erit mixtum aliquod, quàm quodvis elementum, vtrumque enim conſtaret materia, cum vna tantùm forma ſubſtantiali: ſed hoc non eſt dicendum: ergo, &c. Reſp. tamen, adhuc corpus dici mixtum quoàd compoſitionem accidentalem, quia conſtat mixtura quatuor primarum qualitatum, cũ tamen corpus ſimplex, id eſt, elementum, ſolùm habeat duas qualitates.

5 Inſtas. Si in quolibet mixto reperiũtur quatuor primæ qualitates, reperiuntur etiam elemẽta. Probatur ſequela, quia quatuor primæ qualitates ſunt proprietates elementorum; vbi autem reperitur proprietas, conſequenter etiam reperitur eſſentia rei. Reſpond. ſequelam bene colligere, ſi probaret, quatuor primas qualitates reperiri in mixtis, eodem modo, quo ſunt in elementis, id eſt, in ſummo gradu, quod tamẽ non ita eſt, ſiquidem reperiuntur refractæ, & aliter attemperatæ.

6 Obijcis tertiò. Primæ qualitates ſũt contrariæ; ergo non poſſunt realiter reperiri ſimul in eodem mixto. Reſpond. primò, ſolùm eſſe contrarias in gradibus intenſis. Reſpond. ſecundò, quamuis ſemper ſint contrariæ, non ſe expellere actu, niſi in ordine ad diſpoſitionem ſubiecti, diſpoſitio verò mixti poſtulat has qualitates ita attemperatas. Quæ ſolutio patebit infrà. Ex quibus colligitur, improbabilem eſſe ſententiam Durandi in 4. diſt. 13. q. 3. exiſtimantis, qualitates elementorum manere virtualiter, quatenus in mixto manet quinta quædam qualitas, quæ eminenter continet quatuor primas, nam ſatis ſunt ipſæ quatuor primæ qualitates attemperatæ eo modo, quo ſuprà dictum eſt.

LIBER II.

DISPVTATIO LXXVI.

De quatuor primis qualitatibus elementorum.

EXplicaui cùm Ariſtotele naturam Generationis in communi, ſimiliter dixi, quid ſit nutritio, augmentatio, & rarefactio. Deinde egi de mixtione; cùm tamẽ ad omnem naturalem generationem, & mixtionem concurrant elementa per ſuas quatuor qualitates diſputandum reſtabat de elemẽtis, ſed quia de his diſſerui in 2. part. tract. 2. lib 3. diſp. 47. reſtat hic agere cum eodem Ariſtotele, à capite primo vſque ad ſextum de Qualitatibus Elementorum.

SECTIO I.

Quid ſint, quot, & quales elementorum qualitates?

1 PRima concluſio. *Primæ qualitates ſunt illæ, quæ nec ex alijs, nec ex ſe mutuò fiunt, ſed ex ipſis cæteræ ſecundæ qualitates oriuntur.* Ita communis, & vera ſententia, quæ ſic explica- *Definitio primarũ quatuor qualitatũ.*

explicatur; quia ſicut impoſſibilis eſt alia actio diſponens prius ad generationem, quā calefactio, exſiccatio, humectatio, & frigefactio, ita impoſſibiles ſūt aliæ qualitates priores, quàm calor, ſiccitas, humiditas, & frigus immò ſi ex alijs fieret, nō eſſent primæ: ſed nec fiunt ex ſe ipſis, quia ſunt omnino contrariæ, immò ex ipſis fiunt aliæ, quæ dicūtur qualitates ſecundæ: Neque calor cauſat per ſe ſiccitatem, ſed per accidens; quatenus humiditatem conſumit. Potentiæ verò naturales, cū nō omnes ordinentur immediatè ad generationes, neque oriantur ex motu, & permixtione primarum qualitatum, ſed immediatè emanent ab anima, ideò non dicūtur qualitates ſecundæ.

2 *Secunda concluſio.* Hæ primæ qualitates ſunt quatuor, nempe calor, frigus, humiditas, & ſiccitas: Ita etiam communis, & vera ſententia experientiā confirmata (quamuis P. Arriaga diſp. 4. de Generat. ſect. 2. §. *ſecundò duco*, contendat humorem, & ſiccitatē non eſſe qualitates diſtinctas, quod parùm curo.) Non ſolùm autem calor, & humor, ſed etiam frigus, & ſiccitas, ſunt qualitates reales, & poſitiuæ, habent enim effectus poſitiuos, nam frigus per ſe frigefacit, & per ſe realiter intenditur, quod non conuenit alicui negationi. Vnde conſtat, falſam eſſe opinionem exiſtimantium, frigus eſſe negationem caloris, quare etiam in febricitante non ſolùm per abſceſſum caloris infrigidātur membra, ſed per veri, & realis frigoris acceſſum. *Arriaga.*

3 *Tertia concluſio.* In elementis præter quatuor primas qualitates, non continentur aliæ virtuales, quæ habeant idem nomen. Eſt etiam communis. Probatur primò, quia neceſſariæ non ſunt. Secundò quia qualitates virtuales mixtorum reſultant ex varia mixtione primarum, cùm igitur talis mixtio non detur in elementis, non dabuntur etiā qualitates virtuales.

4 Obſtas. Aqua nonnunquàm recipit ſummum calorem, & tamen naturaliter reducitur ad ſuam frigiditatem: ergo ex eo eſt quia retinet in ſe frigus virtuale. Reſp. negando conſequentiam, frigus enim immediatè emanat à ſubſtantia aquæ, vt patebit ex dicendis in libris de Anima, vbi oſtendemus, proprietates emanare immediatè ab ipſa ſubſtantia: quapropter quando per qualitatem contrariam expellitur frigus, iterum naturaliter procedit ab ipſa ſubſtātia aquæ, & ideò neceſſaria non eſt in aqua alia frigiditas virtualis.

5 *Quarta concluſio.* Præter has quatuor primas qualitates elementares, dantur aliæ in aliquibus ſubiectis, quæ à primis non oriuntur. Ita communis, & vera ſententia, pro qua videri poſſunt Conimbricenſes 1. de Generat. cap. 3. q. 2. art. 2. §. *At enim.* Rubius ibid. q. 2. à n. 33. Probatur exemplo potentiarum, & ex virtute magnetis, atque ex calore virtuali, qui reſidet in pipere, falſum enim eſt aſſerere, piper non habere calorem virtualem, ſed calefacere per calorem attractum ab ſtomacho. Probatur deinde, quia ſimiles qualitates non producuntur immediatè à primis quatuor (quamuis illas in mixto neceſſariò præſupponant) ſed emanant à ſuis proprijs cauſis, vt virtus magnetis à lapide, potentiæ ab anima: nam virtus magnetis, cùm ſit attractiua alterius corporis, & propterea tali corpori quaſi prædominans, perfectior eſt, quàm ſimplex calefactio, vel frigefactio. Deinde potentiæ vitales ſunt euidenter nobiliores quatuor qualitatibus: Tandem virtus calefactiua piperis nobilior eſt, quàm virtus calefactiua caloris, ſiquidē nobiliori modo producit calorem, & ſiccitatem, quàm terra, aut ignis, quia videlicet habet modum producendi cauſæ æquiuocæ, quæ ſemper nobilior eſt: quod non tollit, quominùs calor piperis ſit eiuſdem ſpeciei cum calore ignis, ſicut lux cæleſtis, & ſublunaris ſunt eiuſdem ſpeciei: poſſunt enim effectus eſſe eiuſdem ſpeciei, quamuis habeant, cauſas diuerſæ naturæ, dummodò non ſint proprietates. *Patres Conimb. Rubius.*

6 Ex quibus colligitur, has quatuor qualitates non dici primas ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſolùm eſſe primas inter qualitates ſenſibiles. Obſtas. Calor poteſt produci à pipere, immò à luce cæleſti: ergo non eſt qualitas prima. Reſp. Negando conſequentiam, quia vt calor dicatur qualitas prima, ſufficit quòd non producatur effectiue ab alia qualitate, quæ talis ſit formaliter (conſtat enim, poſſe calorem produci à motu) piper autem ſolùm habet illam caloris qualitatem virtualiter. Neque obſtat, quòd lux, quæ eſt formalis qualitas, producat calorem: quæſtio enim ſolùm procedit de qualitatibus elemētorum, lux autem qualitas eſt, ex maiori parte, cæleſtis, & ideò non eſt propriè elementaris.

7 *Quinta concluſio.* Primæ quatuor qualitates non ſunt ſubſtantiales formæ elementorum. Probatur, quia hæ qualitates ſunt ſenſibiles, & intenſibiles per ſe ipſas, habentque contraria, quod non poteſt conuenire ſubſtantiæ, vt patet: vnde hæ qualitates ſunt accidentia, & præter illa, dantur ſubſtantiales elementorum formæ, facientes vnum per ſe cū materia, à qua emanāt hæ qualitates.

SECTIO

SECTIO II.

De contrarietate elementorum, & primarum qualitatum.

Elementa non ſunt contraria propter formas ſubſtantiales.

2 PRima concluſio. Elementa non ſunt propriè contraria, ratione ſuarum formarum ſubſtantialiũ. Probatur, quia contraria, per Ariſtotelem, ſũt ea, *quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt*; ſed formæ elementorum non ſe expellũt à ſubiecto, ratione propriæ contrarietatis: ergo &c. Declaratur minor, quia quamuis forma ignis nõ poſſit eſſe cum forma aquæ, hoc non prouenit ratione formarum ſubſtantialiũ (ſiquidẽ ſubſtantia non habet contrarium) ſed prouenit propter incõpoſsibilitatem, quã habent duæ formæ ſubſtantiales totales eſſendi ſimul in eadẽ materia, vna enim, & eadẽ materia non habet naturalẽ capacitatẽ ad habendas duas formas ſubſtantiales totales. Repugnãtia verò duarũ qualitatũ contrariarum non prouenit abſolutè ex ſola incapacitate ſubiecti, ſiquidem ſubiectum poteſt habere ſimul duas formas non contrarias (neque enim tales formæ pugnant in abſtracto, ſed in concreto) Ex quibus conſtat primò, has formas contrarias effectiuè ſe expellere à ſubiecto, cùm tamen duæ formæ ſubſtantiales non, niſi formaliter, ſe remoueant à materia. Conſtat ſecundò, hanc contrarietatem radicaliter prouenire à forma ſubſtantiali elementorum.

2 *Secunda concluſio.* Eſt impoſsibile, quòd duæ qualitates contrariæ naturaliter ſint in eodem ſubiecto, ſecundùm gradus intenſos. Hæc eſt vera Ariſtotelis ſententia. Ante probationem aduerto, gradus intenſos dici ab octauo vſque ad quartum excluſiuè, remiſſos verò à quarto vſque ad primum. Probatur igitur ex definitione contrariorum ſæpe tradita. Probatur ſecundò experientiã, nã quò magis calefit aqua, eò magis ab ea diſcedit frigus.

Quid dicendum de contrarijs ſecundùm potentiam Dei abſolutam?

Reſponſio eſt affirmatiua. Scotus, Paludan. Soarius. Patres Conimb.

3 TErtia concluſio. Diuinitus benè poſſunt aliqua cõtraria eſſe ſimul in eodẽ ſubiecto. Ita cõmunis, & vera ſententia cũ Scoto in 4. diſp. 10. q. 1. art. 1. Paludan 3. diſp. 15. q. 2. Soar. in Met. diſp. 45 ſect. 4. à n. 15. Conimbr. 1. de Gener. cap. 5. q. 8. art. 5. Probatur concluſio, quia calor intenſus, & calor remiſſus non differũt eſſentialiter; ſed calor remiſſus poteſt eſſe naturaliter cum frigore remiſſo, vt mox videbimus: ergo diuinitus poterunt eſſe in gradibus intenſis. Probatur conſequentia, quia hoc ſolùm arguit maiorem capacitatẽ in ſubiecto, quam Deus poteſt ampliare. Confirmatur, quia non minùs poſtulant duæ quantitates ſe formaliter expellere ab eodem loco, quàm duæ qualitates contrariæ ab eodem ſubiecto; ſed duæ quantitates poſſunt ſe diuinitus penetrare in eodem loco, vt dixi in Met. tract. 2. diſp. 60. ſect. 4. ergo &c.

Limitatio concluſio.

4 Limitatur tamen concluſio à Soar. tom. 1. in 3. p. ad q. 8. art. 6. diſp. 38. ſect. 3. limitatur, inquam, in actibus vitalibus, qui verſantur circa idem indiuiſibile obiectum, vt v. g. aſſenſus, & diſſenſus; amor, & odiũ; nam cùm vnus formaliter deſtruat obiectum formale alterius, non poterunt ſimul, etiam diuinitus, reperiri; aliter verò dicendum, ſi vnus non deſtruat immediatẽ rationem formalem alterius, vt contingit in gaudio, & triſtitia Chriſti Domini de eadem morte. immò dari ſimul poterunt in eodẽ intellectu actus vitales contrarij, dũmodò ſint in diuerſis locis, vt dixi in 1. p. tract. 1. lib. 4. diſp. 32. ſect. 4. contra Soarium. Exiſtimo etiã, poſſe ſimul dari actum fidei cum viſione beata circa idem obiectum, per diuerſum mediũ, quamuis oppoſitum ſentiant Patres Conimbricenſes 1. de Generat. cap. 5. q. 8. art. 6. §. *Tradita*, ad finem.

Patres Conimbr.

5 Limitatur ſecundò eadem concluſio ab eiſdem Conimbricenſibus citatis. §. *Aduerte tamen*, in raro, & denſo; videtur enim implicare, quòd idem ſubiectum habeat ſummam raritatem, & denſitatem in eodem loco; nam denſitas dicit partes magis vnitas, raritas verò dicit defectum earundem vnionum; & ideò inducunt rationes contradictorias, ſcilicet habendi, & non habendi plures vniones. Limitatur tandem à P. Rubio 2. de Generatione cap 5 q. 5. num. 66. in ſanitate, & ægritudine in ſummo, tales enim qualitates fundantur in temperamento quatuor qualitatum, quod, quia conſiſtit in indiuiſibili, non poteſt eſſe ſimul bonum, & non bonum.

Rubius.

6 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet, nec diuinitus poſſe hoc fieri, quam tenent Soncinas 10. Metaph. q. 21. Iauel. 10. Metaph. q. 15. Capreol. in 1. diſt. 17. q. 2. art. 1. ad argumenta contra ſecundã concluſionem: pro qua obijcis. Vnum contrarium infert negationem alterius: ergo pũgnant cõtradictoriè: ergo non poſſunt ſimul eſſe, nec diuinitus.

Soncin. Iauel. Capreol.

7 Proba-

Digitized by Google

Probatur antecedens, quia effectus formalis caloris eſt expellere frigus. Reſpondeo ad antecedens, vnum contrarium ſolum mediatè, & ſecundariò inferre negationem alterius. Ad probationem dicendum eſt, effectum formalem primarium caloris nō eſſe expellere frigus, ſed facere calidum, ex quo tamen naturaliter ſequitur alter effectus ſecundarius, nempe expulſio frigoris, bene tamen poteſt diuinitus eſſe effectus primarius, ſine ſecundario, vt latè dixi in 3. p. loquendo de ſubſiſtentia diſput. 58. ſect. 2. & 2.

7 Inſtas. Probabile eſt, non poſſe eandem materiam habere plures formas ſubſtantiales totales: ergo probabile etiam erit, non poſſe habere plures formas accidentales contrarias. Reſpond. permiſſo antecedente, negando conſequentiam: diuerſa ratio eſt quia formæ ſubſtātiales tribuunt materiæ eſſe ſpecificum. Probabile verò erit, non poſſe materiam ſimul habere, niſi vnum eſſe ſpecificum. at verò formæ accidentales, cùm adueniant ſubiecto poſt formas ſubſtantiales, non tribuunt ſpeciem, ſed ſolùm pertinent ad ornatum accidentalem: ergo, ſicut naturaliter reperiuntur plura accidentia non contraria, & multa contraria in gradibus remiſſis, ita diuinitus dari poterunt in gradibus intenſis.

Quid dicendum ſit de his qualitatibus in gradibus remiſſis?

Poſſunt naturaliter ſimul eſſe. *Ariſtot. Patres Conimb. Soar. Rubius.*

8 QVarta concluſio, Qualitates contrariæ poſſunt ſimul naturaliter eſſe in eodē ſubiecto, in gradibus remiſſis. Ita cōmunis, & vera ſententia cum Ariſtotele, & alijs, quos citant & ſequuntur Conimbr. 2. de Gener. c. 3. q. 8. art. 2. Soar. in Metap. diſp. 45. ſect. 4. n. 3. Rub. 2. de Gener. cap. 3. q. 6 à n. 77. Probatur primò experientiâ, quando enim aqua ab igne calefit euidens eſt, in principio calefactionis habere aliquem calorem ſimul cum aliqua frigiditate: quod probatur ratione, quia frigiditas eſt intenſibilis gradualiter: ergo paulatim expelli debet per introductionem caloris. Quod ſic prætereà declaratur, quia ſubiectum eſt capax habendi qualitatem octo graduum, poterit igitur habere vnam qualitatem, vt quatuor, & aliam contrariam, vt quatuor, vt impleatur latitudo capacitatis ſubiecti.

9 Quæ doctrina certa eſt in quatuor primis qualitatibus, in alijs enim non ſemper requiritur capacitas contrarietatis ſubiecti, vt patet in vitio, & virtute, in odoribus, & saporibus, tales enim qualitates ſecundæ nō ſemper implent capacitatem talis contrarietatis; neque enim ſemper quis habet aut vitiū in ſummo, aut quatuor gradus vitij, cum quatuor gradibus virtutis; quod idem cernitur in odoribus. &c.

R. ſ. lli... contraria opinio. *Durand. Gregor. Soncin.*

10 Obijcis primò pro contraria ſententia, quæ docet, qualitates contrarias, neque in gradibus remiſſis ſimul eſſe poſſe in eodē ſubiecto, quam tenent Durand. in 2. diſt. 30. q. 1. Gregor. in 2. diſt. 17. q. 3. art. 3. & Soncin. in Met. q. vltima. qui docent, qualitatem cōtrariam calorem v. g. ita expellere frigus, vt nihil interim ſuæ propriæ formæ introducat, niſi poſtquàm frigus omnino ſit debellatū. Obijcis, inquam, primò. Contraria, per Ariſtotelem, ab eodem ſubiecto ſe mutuò expellunt; ſed adhuc in gradibus remiſſis retinent eandem eſſentiam: ergo cùm, etiam in gradibus remiſſis, eſſentialiter ſint contraria, etiam in gradibus remiſſis expellentur.

11 Reſpondetur primò, ex Rubio citato, ad conſequentiam: expellent ſe in gradibus remiſſis, potentialiter, concedo conſequentiam; actualiter nego conſequentiam; quòd enim actualiter ſe non expellant, non prouenit ex defectu contrarietatis, ſiquidē retinent eandē eſſentiā, ſed prouenit ex capacitate ſubiecti, quod poteſt ſimul habere latitudinē graduū, qui nō ſuperent eius capacitatē. Neque Ariſtoteles vnquàm dixit, quòd contraria in omni gradu ſe expellerent: nā expulſio actualis accidentalis eſt, & ſufficit, quòd in gradibus intenſis ſe poſſint expellere.

12 Reſpondetur ſecundò ex Soario ſuprà num. 6. has qualitates non eſſe præcisè contrarias, ſolùm ratione ſuæ eſſentiæ, ſed etiam ratione ſubiecti, per ordinem ad quod explicantur: vnde cùm ſubiectum habeat capacitatem recipiendi contraria in gradibus remiſſis, non dicentur, neque erunt propriè, & completè contraria, niſi in gradibus intenſis.

13 Obijcis ſecundò. Magis pugnant albedo, & nigredo, quàm magis, & minùs album: ſed idem ſubiectum non poteſt eſſe ſimul magis, & minùs album: ergo neque album, & nigrum, etiam in gradibus remiſſis. Probatur minor, quia album, & nigrum pugnant eſſentialiter, non verò magis, & minùs album. Reſpond. albedinem, & nigredinem magis pugnare ſecundùm ſuas eſſentias, non verò per ordinem ad ſubiectū. Ad minorem danda eſt maior ratio, ideò enim ſubiectum non poteſt eſſe magis, & minùs album, quia vnum dicit negationem alterius immediatè, quam tamen non infert

albedo

Digitized by Google

albedo, & nigredo in gradibus remiſsis, iuxtà ſuprà dicta. Atque ex dictis,

Corollaria ex tradita doctrina.

14 Colligitur primò, poſſe idem corpus naturaliter ſimul habere duos motus contrarios ad ſecundas qualitates ſimul contrarias, quemadmodùm enim poteſt dari calor, & frigus, ita etiam poterit idem ſubiectum ſimul habere duas alterationes contrarias. Secundò colligitur, non poſſe calidum, vt tria, agere in frigidum, vt duo, quia frigidum, vt duo, deberet eſſe calidum, vt ſex (alioqui enim non erit expleta latitudo capacitatis ſubiecti, circa primas quatuor qualitates) manifeſtum autẽ eſt, non poſſe calidum, vt tria, agere in calidum, vt ſex.

15 Colligitur tertiò. Subiectum, quod habet duo contraria in gradibus remiſsis, non habere denominationes contradictorias, calidi, & non calidi v. g. & ratio eſt, quia ſi ſubiectum magis prædominatur ab vno contrario, ab illo ſumit denominationem. Si verò ab vtroque æqualiter afficitur, tunc habet aliquam denominationem ſumptam ab vtriſque generibus, illoſque explicantem, vt v. g. aqua, quæ habet calorem, & frigus in gradibus remiſsis, dicitur tepida, non dicitur verò calida, & non calida.

16 Limitatur verò noſtra quarta concluſio, primò, in aliquibus contrarijs, quorum vnum immediatè alium deſtruit, etiam in gradibus remiſsis, vt ſe habent aſſenſus, & diſſenſus; amor, & odium circa idem medium, hæ enim qualitates ſunt veluti indiuiſibiles, & ſemper inter ſe pugnant, quamuis ſint in gradibus remiſsis.

Patres Conimbr.

17 Limitatur ſecundò, à Patribus Conimbricenſib. 1. de Gener. cap. 5. q. 8. art. 1. §. *Quarta aſſertio*, circa habitus ſcientiæ, & erroris, quos neque in gradibus remiſsis admittunt in eodem intellectu, ſicut etiam aſſerunt de actu ſcientiæ, & habitu erroris. Hæc tamen doctrina non videtur cohærens cum ea, quã tradidere in libris de Poſt. Reſolut. cap. 7. q. 2. ar. 2. §. *Ac ſi* vbi admittunt, poſſe habitum ſcientiæ ſolùm ex parte expellere habitum erroris, in quo caſu neceſſariò ſimul erunt habitus ſcientiæ, cum habitu erroris in gradibus remiſsis; ſicut etiam actus ſciẽtiæ cum habitu erroris, vel è contra.

18 Deinde probatur, quòd poſsint ſimul eſſe tales habitus, nam habitus erroris v. g. poteſt eſſe adeò radicatus in intellectu, vt nõ expellatur per quemuis actum remiſſum ſciẽtiæ: ſed ex quolibet actu ſcientifico, etiam remiſſo, poteſt produci aliquis habitus ſcientificus, vt conſtat ex dictis in Metaph. lib. 9. diſp. 70. ſect. 2. §. *Secunda concluſio*. Ergo habitus erroris, & ſcientiæ poterunt eſſe ſimul in gradibus remiſsis. Maior probatur, quia habitus vitij nõ omnino expellitur per quẽuis actum virtutis: ergo neque habitus erroris expelletur omnino per quemuis actum ſcientiæ. Quòd verò actus erroris poſsit etiam naturaliter ſimul perſeuerare cum habitu ſcientiæ, vel è contrà, patet ex dictis in Logica, circa doctrinam Poſter. diſp. 19. ſect. 2. §. *Secunda concluſio*.

19 Obijcies primò pro Conimbricenſibus. Quilibet actus contrarius deſtruit obiectum actus contrarij: ergo etiam deſtruet obiectum habitus, atque adeò non dabuntur ſimul habitus contrarij, ſiquidem alter illorum non habet obiectum. Reſpõd. ad antecedẽs, actum erroris, vel habitum adhuc habere obiectum apparens, quod ſufficit.

20 Obijcies ſecundò. Duo actus contrarij non poſſunt ſimul eſſe in eodem intellectu, etiam in gradibus remiſsis: ergo neque duo habitus contrarij. Reſpondetur negando conſequentiam. Diuerſa ratio eſt, quia actus, & habitus habent diuerſum modum attingendi obiectum: actus enim fertur in obiectum per modum actualis tendentiæ, & ideò omnino repugnant ſimul duo actus contrarij, nam vnus immediatè deſtruit alium, quia deſtruit eius rationem formalem; habitus verò ſolùm ſunt quædam naturales inclinationes, quæ inclinare poſſunt pro diuerſo tempore; quamuis enim ſimul dentur, inclinare poſſunt ad actus pro diuerſo tempore faciendos: vndè non repugnant ratione actualis tendentiæ in obiectum, ſicut repugnant actus; quarè produci poterunt naturaliter in gradibus remiſsis, ſicut in gradibus remiſsis dari poteſt albedo, & nigredo. & diuinitus dari poſſunt in gradibus intenſis, vt colligitur ex dictis.

SECTIO III.

An, & quomodò cuilibet elemento cõueniant primæ duæ qualitates?

Singula elemẽta habent duas primas qualitates.

21 PRima concl. Singula elemẽta habẽt duas primas qualitates; videlicet ignis calorẽ & ſiccitatem; aer humiditatem, & calorẽ: aqua, frigus, & humiditatẽ: terra & ſiccitatẽ, & frigus. Ita vera, & Ariſtotelica ſententia, & præter experiẽtiã, ratione probatur, quia elemẽta inſeruiũt mixtionibus, & generationibus; ſed non poteſt dari generatio, quin detur corruptio: ergo neceſſariò requirunt elementa has qualitates. Probatur conſequentia, quia ad corruptionẽ

requiritur contrarietas, & pugna; ad Generationem verò requiritur conuenientia, qua inter ſe coniungantur elementa: ergo neceſſariò concedendæ ſunt elementis qualitates aſsignatæ, nam per illas inter ſe, & contrariãtur, & amicantur.

2 Obſtas. Aer facilè à calido fit frigidus; ſed qualitas naturalis non ita facilè amittitur. ergo calor non eſt naturalis aeri. *Reſp.* negando minorem, aliquando enim facilis illa amiſsio actualis prouenire poteſt ab extrinſeco, propter humiditatem cum raritate, & ſubtilitate coniũctam, quarum ratione facilè ſubditur aer alienis impreſsionibus, ſicut facilè mouetur localiter à quocumque impellente, ex quibus non bene deducitur, non eſſe calidum ex ſua propria natura.

8 Neque obſtat, quòd ſiccitas nunquàm ſeparari poſsit ab igne, ſicut aliquando ſeparatur frigus ab aqua, & calor ab aere, neque enim hæc elementa in omnibus ſunt ſimilia, vt ſatis conſtat ex diuerſo modo, quo illis cõuenit actiuitas, & reſiſtentia. Cauſa verò cur aer in media regione ſit frigidiſsimus, eſt, propter vapores prouenientes ab aqua, qui pro natura ſua frigidi ſunt, & per antiperiſtaſim caloris terram ambientis, & propter calorem ignis, qui vicinus eſt ſupremæ aeris regioni, fiunt hi vapores frigidiores, & vicinum aerem refrigerant. Vnde fit, vt in ſuprema, & infima regione aer calidior ſit.

Quoduis elementũ continet qualitatẽ vnam in ſummo.

9 *Secunda concluſio.* Quoduis elementum habet vnam qualitatem in ſummo, aliam in excellenti: videlicet ignis eſt calidus in ſummo, ſiccus in minori gradu; aer in ſummo gradu humidus, calidus in minori. Aqua frigida in ſummo, humida in excellenti. Terra in ſummo ſicca, & in minori frigida, Hæc concluſio certa eſt loquendo de elementis in ſuo naturali ſtatu, ſine permixtione aliarum qualitatum: pro ea videri poſſunt Tolet. 2. de Gener. q. 6. Conimbricẽ. 2. de Gener. cap 3. q. 4. & 5. Rub. ibid. q. 9. à n. 131. vbi pro hac ſententia referunt multos Patres, & Scholaſticos. Conſentit Hurt. de Gener. diſp. 6 ſect. 4

Toletus. Patres Conimb. Rubius. Hurtad.

5 Probo imprimis, quòd habeant elemẽta qualitatem aliquam in ſummo, nam quælibet qualitas habet in aliquo ſubiecto ſummam ſuam perfectionem, & intenſionem: atque adeò calor in ſummo debet eſſe in aliquo ſubiecto, & ſimiliter frigus in ſummo; ſed non apparet aliquod ſubiectum caloris, & frigoris, niſi ignis, & aqua: ergo in illis ſubiectantur in ſummo gradu (& ſic dicẽdũ de humiditate, & ſiccitate reſpectu aeris, & terræ) Probatur minor, quia mixta poſtulãt habere primas qualitates in certo gradu attẽperatas: ergo nõ apparet aliud ſubiectum, in quo ſint in ſummo, niſi in elementis.

6 Probatur deinde, quòd nullum elementum habeat duas qualitates in ſummo, quia impoſsibile eſt quòd duæ formæ ſubſtantiales ſpecie diuerſæ poſtulent eandem proprietatem: ſi autem ignis haberet ſimul calorem, & ſiccitatem in ſummo, haberet etiam proprietatem terræ, nempe ſiccitatem in ſummo, quod tamen impoſsibile eſt, vt patet. Præterea aer non poteſt eſſe calidus in ſummo, quia eſt humidus in ſummo, humiditas verò in ſummo repugnat cum caliditate in ſummo,

Quomodò ſingulæ qualitates ſint in ſingulis elementis?

Ignis eſt ſummè calidus.

7 EST igitur imprimis Ignis ſummè calidus. Probatur primò experiẽtiâ. Probatur deinde, quia cùm calor ſit prima qualitas omniũ contrariarum perfectiſsima, debet conuenire omniũ elemẽtorũ perfectiſsimo, qualis eſt ignis, vt conſtat ex eius velocitate, ſubtilitate, & ex ſupremo loco elementorũ. Deinde, quòd habeat ſiccitatẽ in excellenti, probatur, quia (præterquã quòd ſiccitas ſit amica caloris) experientiâ conſtat, ignem corpora humida exſiccare. Præterea aer eſt humidus in ſummo. Probatur, quia per Ariſtotelem lib. 1. de Gener. cap. 2. Humidum eſt, *quod non bene proprio termino coercetur, ſed alieno inſinuatur*: ſed hoc præcipuè conuenit aeri: ergo &c. Probatur minor; nam ignis, propter ſuam actiuitatem, non ſe intromittit in alienum terminum, ſed illum potiùs deſtruit. Terra deinde, propter ſuam duritiem, & ſoliditatem, ſuo termino continetur; ac tandem aqua denſior eſt, quàm aer, qui maximè fluidus eſt, & liquidus, & ideò faciliùs ſe introducit in terminos aliarum rerum, quòd ſi attenderet P. Arriaga diſp. 4. de Gener. ſect. 2. ſubſect. 2. non adeò incredibilem iudicaret hanc communem ſententiam.

Aer eſt humidus in ſummo.

Arriaga.

Galenus.

8 Obſtas primò cum Gal. lib. 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus, cap. 8 & 32. & cum Arriaga. Aqua plùs humectat, quàm aer; ergo aqua humidior eſt. Confirmatur, quia multa exſiccantur, ſi ventis ſuſpendantur, *Reſp.* tamen, aquam ſolùm per accidens magis humectare, ratione maioris denſitatis, ſub qua humiditas magis vnitur, nam, cæteris paribus, magis humidus eſt aer, quia magis permeabilis eſt. Ad confirmationem reſp. exſiccationem illã non prouenire ex ſolo aere, caret enim omnino ſiccitate,

ſi ſit

ſi ſit in ſuo naturali ſtatu; per accidens tamē exſiccare poteſt, vel ratione ſiccitatis ab igne proximo receptæ, vel ratione caliditatis, quā habet in excellenti. Neque obſtat, quòd aer noctu, & per hyemem refrigeret, hoc enim prouenit, ratione vaporis, & exhalationum à terra, & aqua prouenientium, quorum actionem Solis præſentia retardabat.

9 Obſtat ſecundò. Aqua humectat ipſū aerem, vt cernitur pluuiali tempore: ergo aer non eſt humidus in ſummo, ſiquidem ab alio recipit humiditatem. Reſp. ad antecedēs, aquam propriè non humectare aerem, ſiquidem hic eſt humidus in ſummo, ſed aliquādo aquam ſe intromittere aeri, & per accidens, propter ſuā denſitatē, ipſam aquā efficaciùs, & fortiùs cauſare humiditatem.

Aqua eſt ſummè frigida. 10 Præterea, quòd aqua ſit frigida in ſummo probatur primò experientiā. Secundò, quia frigiditas in ſummo eſſe debet in aliquo elemento, ſed non in igne, vt patet: Deinde non eſt in aere, ſiquidem aer habet caliditatem in excellenti; tandem non eſt in terra, conſtat enim experientiā terram non tam ſri. efacere, quàm aquam; immò ſi terra foret frigida in ſummo, cùm aliunde ſit denſior, procul dubio magis frigefaceret: ergo frigiditas in ſummo eſt in ſola aqua. Quòd verò non aqua, ſed aer ſit frigidus in ſummo, val ſe frigidè probare intentat Arriaga diſp. 4. de Gener. ſect. 2. ſubſect. 3. *Arriaga*

11 Obſtat. Terra magis diſtat à ſummo calore ignis: ergo frigidior eſt, quàm aqua. Reſpond. negando conſequentiam, quia ſicut præter calorem ignis cæleſtis, datur alius calor in rebus ſublunaribus, ita etiam diſtantia ab igne cæleſti non cauſabit, per locum intrinſecum, ſummam frigiditatem; eſt igitur aqua frigidiſſima, quia videlicet eius frigiditas prouenit ab intrinſeco. Neque ex eo quòd aqua ſit frigida in ſummo, ſemper debet eſſe congelata, quia congelatio, præter aquæ frigiditatem, requirit concretionē, ſiue exhalationem terream, cum aliqua permixtione caloris, vt aduertunt Conimbricēſes lib. 1. Meteor. tract. 7. cap. 1. & ideò aqua priùs calefacta poſteà faciliùs congelatur.

Terra eſt ſicca in ſummo. 12 Probatur tandem, quòd terra ſit in ſummo ſicca, primò ex definitione ſicci; *eſt enim ſiccum, quod facilè terminatur termino proprio, difficulter verò alieno.* Quæ definitio maximè congruit terræ, propter duritiem, & ſoliditatem. Secundò quia conſtat, dari ſummā ſiccitatem in aliquo elemento, ſed non in aqua, neque in aere, vt patet. Deinde neque in igne, hic enim calidus eſt in ſūmo, & ideò non poteſt habere ſiccitatem ſimul in ſūmo: ergò reperitur in terra: ac demum conſtat, quòd habeat terra frigiditatem in excellenti, quando enim eſtin ſuo naturali ſtatu, refrigerāt corpora ſibi approximata.

SECTIO IIII.

De conuenientia ſymbolica elementorum.

1 Prima concluſio. Ignis, & aer ſunt elementa ſymbolica: hæc eſt communis, & vera ſententia. Probatur, quia cōueniūt in aliqua qualitate, nēpe in calore, qui in igne reperitur in ſūmo, in aere verò in excellenti. Itē ex eodē principio terra, & aqua dicuntur elementa ſymbolica, quia vtrique cōuenit frigiditas. Atque è . eo, quòd ſiccitas conuenit igni, & aeri, dicitur ſiccitas qualitas ſymbolica; & ſimiliter frigus, reſpectū terræ & aquæ; ac tādem ſiccitas, reſpectu terræ, & ignis. Ex quibus conſtat, elementa diſſymbola eſſe illa, quæ non conueniunt in aliquo, vt aqua, & ignis; terra, & aer. *Ignis, & aer ſunt elementa ſymbolica.*

2 *Secunda concluſio.* Qualitates ſymbolicæ ſunt eiuſdem ſpeciei in vtroque elemento: v. g. calor ignis, & calor aeris eſt eiuſdem ſpeciei. Ita communis, & vera ſententia, pro qua vide Patres Conimbr. 2. de Gener. cap. 5. q. 6. art. 1. & Arriagam diſp. 4. de Gener. ſect. 5. Probatur, quia calor ignis, & aeris mutuò ſe intendunt, ſicut etiam frigiditas aquæ, & terræ: & humiditas aeris, & aquæ: ergo ſunt eiuſdem ſpeciei. Probatur conſequentia, quia cauſæ vniuocæ diuerſæ ſpeciei non poſſunt producere effectus eiuſdem ſpeciei. Neque obſtat, quòd calor ignis ſit intenſior, quàm calor aeris, nam qualitas intenſa, & remiſſa habet eandem eſſentiam. *Patres Conimbr. Arriaga.*

3 Confirmatur primò, quia aliequi non daretur aliqua elemēta ſymbolica, inter quæ mutuus, & faciliot daretur tranſitus. Probatur ſequela, quia ex eo dicūtur ſymbolica, quia ratione qualitatis, in qua cōueniūt, faciliùs inter ſe miſcentur: ergo ſi calor ignis, & aeris ſunt diuerſæ ſpeciei, cùm aliunde ignis, & aer non conueniant in ſiccitate, non erunt elementa ſymbolica, nec in ſe inuicem connectentur, quod eſt abſurdum contra experientiā. Confirmatur, calor cæleſtis conuenit ſpecie cū calore vitali, & elementari: ergo ſimiliter calor ignis, & aeris. Antecedēs latè probatur à Patribus Conimbricenſibus ſuprà, q. 7. art. Et ex eo breuiter deducitur, quia calor cæleſtis intendit vitalem, & ſublunarem. Neque obſtat, quòd calor ſ. bilis natiuū intermittat calorem. hoc enim præſtat, quia per-

permixtas habet noxias qualitates.

4 Obſtas primò. Eadem proprietas non poteſt conuenire duobus compoſitis ſpecie diuerſis: ergo neque eadem qualitas: ergo calor eiuſdem ſpeciei non poteſt conuenire igni, & aeri. Reſpond. antecedens verum eſſe de proprietatibus ſpecificis, vt eſt riſibilitas hominis, quæ conuenire non poteſt equo; falſum verò eſſe de proprietatibus genericis, nam potentia videndi eadem ſpecie cōuenit homini, & equo; atque ita ſe habet calor ſecundùm ſe, qui ſequitur rationem genericam elementorum aliquorum. Dixi, *ſecundùm ſe*, quia calor, vt octo, eſt ſolùm proprietas ſpecifica ignis.

5 Obſtas ſecundò. Qualitas eiuſdem ſpeciei non poteſt producere effectus ſpeciei diuerſos: ſed humiditas aeris in oleo fouet lumen, eadem humiditas in aqua extinguit lumen: ergo tales humiditates ſunt diuerſæ ſpeciei. Reſpond. maiorem eſſe veram de primarijs effectibus, qualis eſt in humiditate humectare, qui conuenit aeri & aquæ: quòd verò ex hac humectatione ſequatur, vel non ſequatur extinctio lucis, per accidens eſt, & ſecundarium, ratione que ſubiecti.

Aer non habet permixtioné frigoris. 6 Maius tamen dubium eſt, vtrùm qualitas illa, quæ in elemento non reperitur in ſummo gradu, ſed in minori, habeat permixtionem contrariæ qualitatis; v. g. vtrùm gradus caloris, qui deficiunt aeri, ad hoc vt calor aeris ſit ſummus, compleantur per gradus frigoris? Sit igitur *tertia concluſio* negatiua, quam tenet Toletus de Gener. q. 6. Alexand. Saxonia, Venetus, quos refert, & ſequitur Rubius 2. de Gener. cap. 3. q. 9. n. 147.

Toletus. Alexand. Saxon. Venetus. Rubius. 7 Probatur concluſio ratione, quia ſecundùm Ariſtotelem, duo dantur elementa ſymbola, duo verò non ſymbola: illa dicuntur non ſymbola, quæ ſunt omnino contraria: ſed ſi habeant qualitatem, in qua conueniant, iam non ſunt omnino contraria: ergo gradus caloris in aere non complentur per gradus frigiditatis. Maior eſt certa, minor probatur, quia ſi ignis, præter calorem, & ſiccitatem, habet etiam humiditatem aeris, cùm hæc humiditas reperiatur etiam in aqua, iam ignis non erit omnino contrarius aquæ, ſed erit etiam elementum ſymbolum, non ſolùm cum aere, ratione caloris, ſed etiam cum aqua, ratione humiditatis; & cùm terra, propter ſiccitatem, atque adeò nulla erunt elementa diſſymbola, quod eſt omnino falſum.

Patres Conimb. Floribius. Boridan. 8 Obijcis pro contraria ſententia, quam tenent Conimbricenſes 2. de Gener. cap. 3. q. 5. art. 4. vbi citant Floribium, & Boridan. Tota latitudo primarum qualitatum debet in ſubiecto eſſe expleta: ergo ſi ſiccitas ignis ſolùm eſt in gradu ſexto, debet hæc gradualis latitudo repleri ex contraria qualitate, ſcilicet humiditate. Reſp. antecedens ſolùm eſſe verum in ſubiecto, quod poſtulat vtrumque extremum contrarietatis; quale eſt mixtum; falſum verò eſſe in elementis, quia cùm ſint corpora ſimplicia, nullo modo poſtulare debent contrarias qualitates: præcipuè quia præterquàm quòd ſit contra experientiam, quòd ignis habeat aliquam humiditatem, impoſsibile videtur concedere in igne talem humiditatem, quæ eſt contra eius naturam, & quæ neceſſariò eius actiuitatem hebetaret.

9 Inſtas primò. Ergo niſi elementum habeat aliquos gradus contrariæ qualitatis, poterit in inſtanti alterari vſque ad ſummum gradum: hoc non eſt dicendum: ergo &c. Probatur maior. Ideò alteratio ſucceſsiua eſt, quia habet contrarietatem vincendam: ergo ſi aer non habet ex ſe aliquos gradus frigiditatis, qui reſiſtant calori ſummo introducendo, poterit in inſtanti intendi vſque ad octauum gradum. Reſpond. concedendo ſequelam, quod nullum eſt inconueniens, ſiquidē alteratio ſolùm ratione contrarietatis vincendæ in ſubiecto, eſt ſucceſsiua. Quapropter tale caloris augmentum in aere non eſt propriè alteratio, quandoquidem fit in inſtāti, ſicut fit illuminatio, ſed erit quædā acquiſitio, & intenſio momentanea.

10 Inſtas ſecundò. Si aer non habet ex ſe aliquam frigiditatem contrariam calori, nunquàm poterit ex ſe expellere ſummum calorem, ſi fortè ab extero igne introducatur in aere, quod eſt abſurdum. Probatur ſequela, quia calor non, niſi à frigiditate, expellitur. Reſpond. negando ſequelam, adhuc enim talis calor expelli poteſt ab aere, vel quia non poſtulatur in ſummo, ab intrinſeca natura aeris, vel quia poteſt ab extrinſeco prouenire aliqua frigiditas in aere: quapropter ille calor in ſummo non erit in aere perpetuus. Ex quibus patet, gratis aſſumi à Conimbricenſibus, citatis, non dici ſymbola, niſi elementa illa, quæ conueniunt in gradu excellenti; enim verò quæcumque conuenientia ſufficit, vt dicantur ſymbola, ſicut diſſymbolitas negat quamcumque diſconuenientiam.

(·?·)

SEC.

SECTIO V.

Vtrùm elementum aliud ſolum ſymbolum poſſit generare?

1 PRima concluſio. Vnum elementum faciliùs in ſe conuertit aliud elementum ſymbolum. Ita expreſsè Ariſtoteles in hoc libro, cap 4. tex. 27. atque illud, *faciliùs* ita intelligendum eſt, vt non ſolùm fiat hæc tranſmutatio cum minori difficultate, ſed etiam breuiori tempore. Ita ex D.Thom. & Toleto interpretatur Rub.2.de Generat.cap.6.q.2.n.41. Probatur, quia illa elementa, quæ maiorem habent conuenientiam in qualitate, magis etiã conueniunt in formis ſubſtantialibus, ſiquidem qualitates elementorum ab ipſis formis oriuntur: ergo quemadmodùm faciliùs, id eſt, cum minori difficultate, & breuiori tempore, vna aqua coniungitur cum alia aqua, propter ſummam conuenientiam, ita vnum elementum faciliùs in ſe conuertet aliud, cũ quo maiorem, id eſt ſymbolicam, habuerit conuenientiam. Probatur conſequentia, quia quò magis aſſimilantur elementa, eò habẽt diſpoſitiones magis ſimiles: ergo faciliùs introducetur forma ſymboli elementi in aliud ſymbolum; & conſequenter ideò ignis faciliùs in ſe conuertet aerem, quàm aquam, quia aer non habet diſpoſitiones omninò contrarias igni, ſicut habet aqua, nam aer conuenit cum igne in calore, & ideò non ita reſiſtit igni: at verò aqua, propter contrarias omninò diſpoſitiones, difficiliùs conuertetur in ignem.

Ariſtot.

D.Thom.
Toletus.
Rubius.

2 *Secunda concluſio.* Nullum elementum poteſt producere aliud ſpecie diuerſum, tanquàm cauſa per ſe effectiua. Ita communis, & vera ſententia. quia cauſa effectiua continet effectum formaliter, ſi eſt vniuoca, vt ignis continet ignem: ſi verò eſt æquiuoca, cõtinet effectum eminenter, vt ſol continet aurum: ſed vnum elementum non poteſt continere in ſe formaliter effectum ſpecie diuerſum, vt patet (ſicut neque homo continet equum) Deinde non continet eminenter: ergo &c. Probatur hæc pars minoris, quia cauſa continens aliam eminenter debet eſſe perfectior: ergo ſaltem elemẽta imperfectiora non poſſunt effectiuè producere alia elementa nobiliora, vt v. g. terra non poterit ignem producere.

Vnũ elementũ nõ poteſt producere aliud ſpecie diuerſum.

3 Probatur deinde vniuerſaliter; quia nulla cauſa poteſt producere effectum, cuius non poteſt diſpoſitionem introducere: ſed ignis non poteſt introducere diſpoſitiones aquæ, vt patet: ergo &c. Probatur hæc minor, quia nullum elementum continet diſpoſitiones ſufficientes alterius elementi ſpecie diuerſi. Ex qua ratione ſequitur, non poſſe vnum mixtum producere aliquod elementum, ſiquidem non continet ſufficientes diſpoſitiones, mixtum enim ſolùm habet diſpoſitiones elementi attemperatas, & refractas.

4 Obijcis primò. Vnum elementum generatur, ex alio vt quando ex aere fit ignis (iuxta primam concluſionem, vbi dixi, poſſe vnum elementum aliud in ſe conuertere) ergo etiam vnum elementum poterit aliud efficere. Reſpond. negando conſequentiam. Diuerſa ratio eſt, quia quando vnum elemẽtum generatur ex alio, potiùs eſt vnum elementum producere aliud eiuſdem ſpeciei (quod fieri poſſe certum eſt) quàm producere aliud diuerſæ ſpeciei, quod nego. in quo ſenſu procedit concluſio: quod in hoc exẽplo declaratur; nam ex materia hominis generari poteſt forma arboris; & tamen homo non poteſt effectiuè producere arborem: ſic igitur ignis poteſt ex aeris materia producere ſuam formam ignis, non poteſt tamen producere aerem.

5 Obijcis ſecundò. Ignis continet ſiccitatem, quæ in terra etiam reperitur: ergo per hanc ſiccitatem poterit materiam diſponere ad introducendam in ea formam terræ. Reſpond. negando conſequentiam, quia ad formam terræ non ſolùm requiritur ſiccitas, ſed etiam frigiditas, quam nullo modo continet ignis. Quapropter ſi aliquando ex igne producatur terra, ex eo, quòd detur alia cauſa producens humiditatem, tunc quidem per accidens ſequetur productio terræ ex igne. Ex dictis ſequitur, quod nec duo elementa poſſint vnum aliud elementum producere, niſi per accidens. Et ratio eſt, quia agens ſolùm intendit aſſimilare ſibi paſſum, & producere aliud ſibi ſimile.

Digitized by Google

DISPVTATIO LXXVII.

De Temperamentis mixtorum, deq; eorum reproductione.

EX dictis ſatis colligitur, mixta omnia generari, & conflari ex elementis, quæ in ſe continẽt virtualiter. Quæ Ariſtoteles cap. 7. & 8. huius libri demonſtrat: quia tamen mixta conſeruari non poſſent, niſi primas elementorum qualitates haberent attemperatas, ideò cum eodem Ariſtotele agendum reſtat de Temperamento; & quia idem Philoſophus cap. 9. 10. & 11. docuit, ita res omnes interire, vt tamen ſemper ad eandem rem, ſecundum ſpeciem, fiat regreſſus, quærendum nobis tandem eſt, vtrùm eadem res numero, quæ ſemel interijt, poſsit iterum reproduci?

SECTIO I.

Quid ſit, & in quonam conſiſtat, & quomodo dari poſsit temperamentum in mixtis?

1 PRima concluſio. Temperamentum eſt congrua diſpoſitio qualitatum, quam forma ſubſtantialis mixti poſtulat, vt introducatur, & ſeruetur in materia. Ita communis, & vera ſententia, quæ non indiget probatione.

Temperamentum cõſiſtit in proportione primarũ qualitatum.
D. Thom.
Patres Conimb.
Rubius.

2 Secunda concluſio. Temperamentum mixti conſiſtit in proportione primarũ quatuor qualitatum. Ita colligitur ex D. Thoma 1. p. q. 76. art. 4. ad 4. & eſt communis & vera, vt videri licet apud Conimbricenſes 2. de Generat. cap. 8. q. 1. art. 1. Rub. ibidem q. 1. n. 13. Probatur ratione, quia temperamentum eſt debita diſpoſitio, qua forma introducitur, & conſeruatur in materia: ſed hæc diſpoſitio in mixtis non eſt aliud, præter ipſas primas quatuor qualitates bene attemperatas: ergo &c. Probatur minor, quia per eaſdem diſpoſitiones conſeruatur forma, per quas introducitur (ſiquidem productio, ſeu introductio ordinatur ad conſeruationem) ſed producitur per primas quatuor qualitates bene attemperatas: ergo per eaſdem conſeruatur.

3 Confirmatur primò, quia conſtat, formam mixti requirere ad ſui introductionem, quatuor primas qualitates attemperatas, vt docet experientia cum Ariſtotele: ergo idem dicendum de conſeruatione. Confirmatur ſecundò, quia ideò omne viuens habet intra ſe principium ſuæ corruptionis, quia eius temperamentum conſtat qualitatibus contrarijs, quæ ſunt in perpetua pugna: ergo temperamentum non eſt ſola vna aliqua qualitas, vt aliqui volebant, quia contrarietas non datur in vna tantùm qualitate.

4 Ex dictis colligitur primò, temperamentum non eſſe aliquam relationem, ſiquidem hæc non eſt actiua. Colligitur ſecundò, temperamentum non eſſe quintam aliquam qualitatem primis quatuor ſuperadditam. Probatur, quia mixtum poteſt operari, & reſiſtere contrarijs per primas quatuor qualitates taliter attemperatas: ergo neceſſaria non eſt quinta: & praetereà poteſt ſe conſeruare cum ſolis quatuor qualitatibus, vt patet ex dictis.

5 Obſtas. Temperamentum conſiſtit in indiuiſibili: ergo vel eſt vna tantùm qualitas, vel per quemcumque exceſſum caloris, in frigoris diſſoluetur, atque adeò paſsim viuentia interibunt. Reſp. negando conſequentiam, quamuis enim fateamur, quòd, in rigore loquendo, temperamentum conſiſtat in diſpoſitione indiuiſibili primarum quatuor qualitatum, & quamuis fateamur etiam propter hanc rationem facillimè diſſolui, nihilominùs tamen loquendo moraliter, in medicina non datur morbus, & diſtemperies, niſi quando temperamentum notabiliter læditur.

Quid ſit Temperamentum Iuſtitiæ, & ponderis?

6 TErtia concluſio. Temperamentum iuſtitiæ, id eſt, *quod naturaliter, & quaſi iure ſuo poſtulat natura mixti*, dari poteſt, & plerumque datur in mixtis. Hæc eſt certa; vt enim vita conſer-

ſeruetur; quæ conſiſtit in permanentia calidi, & humidi, requiritur certa temperies in mixtis, quæ plerumque eſt iuxta naturalem exigentiam, alioqui dabitur mors, quæ eſt extinctio caloris.

In mixtis dari poteſt tempera-mentum ponderis.
Galenus.
Patres.
Conimbr.
Rubius.

7 *Quarta concluſio.* In mixtis dari poteſt aliquando naturaliter temperamentum æquale ad pondus, ideſt habens quatuor primas qualitates ita temperatas, vt neutra aliam excedat. Ita Galen. lib. 1. de Temperam. cap. 9. & lib. 2. cap. 1. Conimbric. 1. de Gener. cap. 8. q. 2. ar. 3. & 4. Rub. ibid. q. 2. n. 18. Probatur, quia naturaliter non eſt impoſſibile, omnes quatuor qualitates attẽperari in gradibus, vt quatuor: ergo &c. Probatur antecedens, quia ſi detur corpus aliquod, in quo vincat calor, & humor, ſi accedant duo agentia, quorum alterum intendat frigus, alterum verò ſiccitatem; neceſſariò dandum eſt punctum, in quo hæ qualitates ita attemperatè iungantur, vt ſint æquales.

8 Confirmatur, quia datur mixta, quæ poſtulant has qualitates in gradibus ſuperioribus, & inferioribus: ergo dabuntur alia, quæ illas poſtulent in gradibus æqualibus, quod præcipuè verum erit de mixto non animato; hoc enim non poſtulat tantum organorum apparatum; non tamen repugnabit dari in aliquo viuente tale temperamentum, & præcipuè in ſpecie humana, præſertimque in Adamo, nã opera, quæ immediatè à Deo condita ſunt, perfectiſsima eſſe debebant; quod à fortiori dicendũ de Chriſto Domino: nam hoc temperamẽtum, vt docet Galenus ſuprà, eſt maximè ſalutiferum: at in Chriſto Domino nullus morbus datus eſt, neque neceſſarius fuit, vt docent Theologi cum D. Thom. 3. p. q. 14. art. 4. nihilominùs cùm qualitates, & humores Chriſti Domini eiuſdem fuerint ſpeciei cum noſtris, bene poterant ab externo agente, præſertim efficaciſsimo, in morbum flecti, niſi impedirentur. Immò ſi Chriſtus Dominus vitam mortalem continuaſſet, tãdem aliquando, deficiente paulatim calore, in ſenium, & naturalem morbum, ſiue mortem abiret: quamuis enim tales qualitates omni ex parte eſſent æquales, poſſunt nihilominùs inuicem ſe perimere, vel quia calor actiuior eſt, vel ratione maioris denſitatis, ſicut etiam plures partes frigoris requiruntur, vt frigus, vt quatuor, ſit æquale calori, vt quatuor.

Chriſtus Dominus habuit tẽperamentum ponderis.
D. Thom.

9 *Quinta concluſio.* In viuente erit naturaliter impoſſibile temperamentum ad põdus, ſecundùm omnes partes, quibus conſtant. Probatur, quia hæ partes ſunt [illegible] *etero-*genea, poſtulantque diuerſas qualitates, nã cor eſt calidiſſimum, & propterea non requirit quatuor gradus frigoris, ſed multò minùs: cerebrum item natura ſuâ frigidiſſimum eſt, debetque propterea eius frigus calorem vincere: vnde in his, & ſimilibus membris ſufficiet temperamentum ad iuſtitiam.

10 Quapropter quando dicimus in Chriſto Domino, & in Adamo datum fuiſſe temperamentum ad pondus, intelligendum non eſt ſecundùm omnes, & ſingulas partes, ſed per eas partes veluti magis externas, in quibus ſenſus tactus præcipuè diſperſus eſt, nam hic ſenſus, cùm ſit magis neceſſarius, & poſſit habere hoc temperamentum, poteſt etiam abſolutè præſtare dominationem viuenti.

Quod tẽperamẽtũ ſit aptius ad ſciẽtiã.

11 De Temperamento humano eruditiſſimè diſputant Conimbr. 2. de Gener. cap. 8. q. 3. Vbi ſimiliter agunt de Temperamento, quod potiùs conducit ad ingeniũ, reſoluuntque tandem, illud temperamentũ ad ſcientias eſſe accommodatius, quod ex bilis, & melancholiæ mixtura coaleſcit; nã propter bilem, quæ actiuior eſt, agilius fit ingenium ad operationes ſenſitiuas; & propter melancholiam, quæ tardior eſt, tenaciùs perſeuerat in rerum meditatione, & maturâ ſtudiorum perſeuerantia.

12 Atque hinc fit, quòd ingenioſiores homines minùs ſint pingues, reddanturque plerumque ſicciores, & aridiores, quia in eis prædominatur calor; & ideò habent ſpiritus tenuiſſimos, quorum miniſterio operationes vitales commodiùs, & ſubtiliùs exequuntur. Ex quibus ſequitur phlegmaticum, & pituitoſum temperamentum, in quo videlicet humiditas maximè dominatur, eſſe omnium incommodiſſimum, habẽt enim huiuſmodi homines, qui tale vendicãt temperamentum, ſarcinoſam humorũ craſſitiem, quæ animales ſpiritus ſuffocat, & interturbat.

13 Obiter notandum eſt, quòd ſit temporum, & ætatum temperamentum: eſt igitur Ver humidum, & calidum; Æſtas calida, & ſicca; Autumnus, ſiccus, & frigidus; Hyems frigida, & humida: Circa temperamenta ætatum, & membrorum, videant Medici Galenum lib. 1. de Temperament.

(?)

SEC-

SECTIO II.

Vtrùm, & quomodò id, quod ſemel interijt, poſſit redire?

Nó poteſt naturaliter.

D.Thom. Ariſtotel. Suarius. Patres Conimb. Rubius. Barthol. Amicus.

1 PRima concluſio. Nulla res, ſeu nullus effectus ſemel corruptus poteſt per vim naturalem idem numero redire. Ita communis, & vera ſententia cum D.Thom. & Ariſtotel. pro qua videri poſſunt Suar. tom. 2. in 3. p. ad q. 53. diſp. 44. ſect. 6. Vbi plures refert Auctores; idem præſtant Conimbricenſes 2. de Gener. cap. 11. q. 1. ar. 3. Rub. ibi. q. 1. num. 18. & P. Barthol. Amicus in Phyſ. tract. 11. q. 8. dubit. 1. ar. 1. num. 5. & ipſe ſequitur hanc ſententiam, art. 2. Difficile tamen eſt rationem reddere huius veritatis, probat Rub. ſuprà num. 24. poſtquàm alias plures rationes refutauit, quia idem numero effectus dependet ab hac numero actione, ſed actio, quæ præterijt, non poteſt iterum redire: ergo neque effectus. Probat minorem quia hæc numero actio dependet non ſolùm à termino, & à principio, ſed etiam à tempore, vt docet Philoſophus 5. Phyſ. ſed idem tempus naturaliter redire non poteſt: ergo neque effectus.

2 Hæc tamen ratio non placet, nam eadem res fieri poterit pluribus actionibus numero diuerſis, vt docet idem Suar. ſuprà §. *Dico quartò*; & probatur, quia idem lumen poteſt vnica actione fieri ab vno luminoſo, & poſteà conſeruari ab alio per aliam actionem, quæ neceſſariò erit diuerſa numero, ſiquidem habet diuerſum principium, à quo actio indiuiduatur; & ſimiliter gratia nunc fit à Deo per Sacramentum, & eadem gratia conſeruatur ſine Sacramento, per diuerſam numero actionem. Et confirmatur ex dicendis in hac 4. p. tract. 2. diſp. 83. ſect. 5. §. *Aduertendum ſecundò*, vbi oſtendemus, poſſe eundem numero conceptum fieri à ſolo Deo per creationem, & à Socrate per eductionem; item eadem natura poteſt habere plures ſubſiſtentias, immò & vnam propriam, & aliam alienam, vt diximus in Met. tract. 2. diſp 58. ſect. 3. & ratio vniuerſalis eſt, quia actio eſt via ad terminum, poſſunt autem ad eundem terminum dari diuerſæ viæ.

3 Probant igitur Conimbricenſes, quia hæc numero actio, & hic numero effectus dependet à cauſa prima determinante cauſas ſecundas quoad indiuiduum, vt dixi in Phyſ. diſp. 27. ſect. 1. num. 13. & 14 ſed cauſa prima ſemper determinat ad effectus diuerſos: ergo &c. Probatur minor, quia ſe accommodat ad imbecillitatem cauſæ ſecundæ, quæ vires non habet ad eundem effectum producendum. Sed hæc ratio petit principium, neque rationem aſſignat huius imbecillitatis cauſæ ſecundæ, neque præterea oſtendit, cur cauſa prima, ex naturali lege non poſſit determinare cauſam ſecundam ad eundem numero effectum?

4 Suarius ergo ſuprà §. *Dico tertiò*, poſt initium, hanc affert rationem, quia hic numero effectus dependet ab hac numero materia; ſed naturaliter dari, & redire nequit eadem numero materia: ergo neque idem effectus. Probatur minor, quia materia propter continuam tranſmutationem, & reſolutionem, facilè diſſipatur. Sed contrà, quia in eo inſtanti, in quo anima ſeparatur, adhuc remanet eadem materia (neque enim in inſtãti diſſipatur, ſed in tempore, & proptereà adhuc remanent in materia eadẽ accidentia per aliquod tẽpus, vt dixi in hac 4. p. diſp. 71. ſect. 2.) ergo, ſicuti de nouo producitur alia forma in materia, ita redire poſſet eadem anima in inſtanti ſequenti. Probo conſequentiam, quia datur eadem materia cum eiſdem diſpoſitionibus.

5 Ex quibus patet, quàm difficile ſit rationem reddere, cur non poſſit redire idẽ numero effectus, præcipuè cum tam virtus ſubſtantialis, quàm accidentalis permaneat poſt effectus reproductionem, neque apparet, an magis limitetur, ad reproducendum, vel ad primò producendum?

Cur non poſſit redire idem numero effectus?

6 Ratio igitur ea eſſe poteſt, quia quãuis materia ſit eadem, & idem numero agẽs, nihilominùs multa concurrunt ad hunc numero effectum, quæ iterum naturaliter coniungi ſimul non poſſunt, qualia ſunt temperamentum, influxus cæleſtis, & multa alia accidentia; immò & materia ipſa in diuerſo tempore iam non eſt eadem, quia continuò variatur: vnde eſt, quòd ipſe naturæ ordo hanc exigat diuerſitatem effectuum: nam diuerſitas effectuum multùm iuuat bonum commune, ex hac enim multiplicatione magis relucet Vniuerſi pulchritudo, neque ſic naturæ theſauro detrahitur, qui re vera exhauſtus videretur, ſi ijdem effectus iterum repullularent: atque hinc eſt mirabilis illa varietas in hominibus, vt facilè experiri poſſumus in faciebus humanis. Additur, quòd diuerſa accidentia, & diuerſa materia requiruntur ad primam productionem, ab illis, quæ ad conſeruationem, vt patet in pro-

Digitized by Google

productione hominis, quæ non fit niſi in materia exigua, conſeruatio verò poteſt eſſe in maiori.

7 Cùm igitur naturalium rerum exigentia, & ordo poſtulet hanc diuerſitatem, ideò Deus nunquam ex naturali lege, cauſas ſecundas determinat ad reproducendũ effectum, & ex hac concluſione deducitur, non poſſe eundem numero hominem, qui ſemel interijt, naturæ viribus reſurgere, vt docent omnes Theologi in 4. diſt. 43. & 44. *Soarius.* & latè oſtendit Soar. tom. 2. in 3. p. ad q. 53. diſp. 44. ſect. 6. Quapropter reunitio animæ rationalis ad corpus eſt ſupernaturalis quoad modum; neque obſtat naturalis potentia materiæ ad omnes formas, hæc enim potentia ad formam præteritam, eſt valde remota, propter rationes aſsignatas.

Vtrùm de potentia Dei abſoluta idẽ effectus redire poſsit?

Concluſio eſt affirmatiua 8 Secunda concl. Diuinitus bene poteſt quælibet numero res permanẽs iterũ reproduci. Ita ſentiũt omnes ferè Scholaſtici in 4. diſt. 43. quorum aliquos citat, & ſequitur Soar. ſuprà §. *Dico quartò*, item Barthol. Amicus in Phyſ. tract. 5. q. 6. dub. 2. art. 2. num. 13. *Soarius. Barthol. Amicus.* Probatur, quia res, quæ præterijt, eadem numero permanet in diuina potentia, quæ integra permanſit: ergo ſicut illam produxit primò ex nihilo, ita poterit reproducere: immò vt ait *D. Greg.* D. Gregor. homil 18. in Euang. *Longè minùs eſt Deo reparare quod fecit, quàm creare quod non fecit.* neque datur repugnantia ex parte rei, quia de ſe creabilis eſt, vel educibilis: ergo ſicut primò potuit creari, vel educi, ita ſecundò.

9 Confirmatur ex Fide catholica, quæ docet, omnes homines reſurrecturos; ſed, quoad potentiam, eadem eſt ratio de cæteris rebus: ergo &c. Probatur minor, quia licèt res omnino corporea corrupta ſit; eius tamen eſſe permanet in diuina potentia, ergo ſicut Deus ex nihilo rem produxit primò, ita ex nihilo poterit reproducere: Immò quamuis neceſſaria foret eadem numero actio, eandem poſſet Deus reproducere, nam diuina actio non dependet à tempore, ſicut actio creata, & ideò non indiuiduatur à tempore.

10 Obijcis primò pro contraria opinatione, quæ docet, eoſdem quidem numero homines reſurrecturos, per diuinam potentiam, ex eo ſcilicet, quòd anima hominis eadem permaneat, & ſimul eadem materia, quamuis permixta, implicare tamen, præter hominem, aliud quidpiam à Deo reproduci. Ita Durand. in 4. diſt. 48. q. 3. Ioannes de Neapoli quodlib. 31. q. 6. Marſil. 2. de Gener. q. 8. Abul. in cap. 2. Matth. q. 238. *Durand. Ioann. de Neapoli. Marſil. Abulenſ.* Obijcis, inquam, primò: eadem res non poteſt habere duas exiſtentias, nec duas durationes: ergo neque bis exiſtere. Reſpond. diſtinguendo antecedens: non poteſt habere ſimul duas exiſtentias, vel durationes; cõcedo: in diuerſis temporibus, nego antecedens: hoc enim propriè loquendo, non eſt habere plures exiſtẽtias, ſed vnam modò, & eandem poſteà: ſicut poteſt eadem res ſimul exiſtere in diuerſis locis.

11 Obijcis ſecundò. Si Deus ageret ex neceſſitate naturæ, cùm ſemper foret determinatus ad vnum, non poſſet iterum reproducere eundem effectum: ergo neque modò agendo libere. Probatur conſequẽtia, quia libertas non auget potentiam. Reſpondeo, permiſſo antecedente, negando cõſequentiam. Ad probationem dicendum eſt, quòd licèt libertas formaliter non addat potentiam Dei, nihilominùs ex illa benè colligi radicaliter potentiam Dei, ſi enim Deus nõ haberet ſummam libertatem, non eſſet etiam ſummè potens (ſicut riſibilitas non eſt rationalitas formaliter, ex negatione tamen vnius altera conſequenter negatur) Vnde ſi Deus ageret ex neceſſitate naturæ, non eſſet ſimpliciter potens, ſed ſecundùm quid. & ideò mirum non eſſet, ſi non poſſet eundem effectum reproducere.

12 *Tertia concluſio.* Poterit Deus iterum reproducere idem ens ſucceſſiuum, quod præterijt. Ita multi, & nobiles Auctores, quos citant, & ſequuntur Conimbricenſes 2. de Generat. cap. 11. q. 3. art. 2. *Patres Conimbr.* Probatur, quia poterit Deus efficere, vt corpora cæleſtia eodem impulſu, eademque actione motiua, per idem ſpatium, & eadem menſurâ, quibus mota ſunt anno præterito, iterum moueantur: ergo tunc redibit idem tempus; neque enim diuina actio dependet à tempore imaginario, quod, vt fatemur, redire non poteſt.

13 Confirmatur, quia Tempus, & motus ſunt entitates reales: ergo non implicat iterum reproduci. Illud autem axioma, Ad præteritum non datur actio, ita intelligendũ eſt, vt res præterita non poſſit non fuiſſe præterita, hoc tamen non tollit, quominùs licèt verè fuerit præterita, iterum fiat præſens.

14 Obijcis primò pro contraria ſententia

tentiæ

Digitized by Google

D. Thom. *Durand.* *Rhodenſ.* *Patres Diſcalc.*

tentia, quæ propter auctoritatem Diui Thomæ valde probabilis eſt; illam præterea tenent Durand. & alij. quos citat. & ſequitur Rhodenſis 1. de Generat. cap. 11. q. 4. n. 5. idem tenent Patres diſcalceati in ſuo Curſu Complut. de Generat. diſp. 13. à nu. 14. vbi citant alios Thomiſtas. Obijcis, inquam, primò. Succeſſiuum non poteſt conſeruari: ergo neque reproduci. Reſpondeo negando conſequentiam. Diuerſa ratio eſt, quia repugnat eſſentiæ ſucceſſiui, quòd detineatur, ſiquidem eius eſſentia eſt in perpetuo motu, & fluxu: vnde reproductio non eſt contra eſſentiam, ſiquidem ſucceſſiuum reproductum poteſt eſſe in perpetuo fluxu.

15 Obijcis ſecundò. Intrinſecum eſt tempori habere partes præteritas, præſentes, & futuras; ſed, ſi producatur, non illas habebit: ergo &c. Probatur minor, quia tale tempus reproductum non poteſt eſſe præteritum; ſiquidem reproducitur tempore præſenti. Reſpond. negando minorem, nam tempus reproductum poteſt habere eaſdem partes, quas modò habet hoc tempus, quod quamuis dicatur præſens, habet tamen aliquas partes præteritas, & futuras, ſiue hæ partes ſint diuiſibiles, ſiue indiuiſibiles.

16 Obijcis tertió, vltimó, & principaliter. Tempus dicit ordinem eſſentialem tempori imaginario; ſed tempus imaginarium reproduci non poteſt: ergo neque tempus reale. Maior eſt certa, minor probatur, quia tempus imaginarium eſt nihil, quod non eſt producibile. Probatur conſequentia, quia motus dicit eſſentialem ordinem ad terminum, & ad tempus imaginarium: ergo ſicut, variato termino, variatur motus, ita variato tempore imaginario, variatur idem motus.

17 Reſpond. negando conſequentiam. Diuerſa ratio eſt, quia reſpectus ad terminum non eſt ſolúm abſolutus, ſed eſt ad talẽ terminum, quia motus, & actio identificantur cum termino, & ideò terminus eſt intrinſecus motui. Tempus autem imaginariũ eſt extrinſecum motui, & quamuis ad illud motus dicat ordinem eſſentialem, ſufficit quoduis tẽpus imaginarium, id eſt, vel hoc, vel præteritum; ſicut accidens dicit eſſentialem ordinem ad ſubiectum, & vt reproducatur, ſufficit quoduis ſubiectum.

18 Hîc igitur finis eſto librorum de Ortu, & Interitu. Reſtat tamen, vt Deo omnipotenti, qui ortum neſcit, & interitum, noſtrum hoc opus de Ortu, & Interitu offeramus, & ſimul imploremus, vt qui ortum habuimus, felicem interitum ſortiamur.

Finis librorum de Ortu, & Interitu.

Laus Deo, & Matri Virgini.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN

Digitized by Google

SVMMA PHILOSOPHIÆ

AVCTORE P. M. BALTAZARE TELLEZ, SOCIETATIS IESV.

PARS QVARTA.

TRACTATVS II IN LIBROS DE ANIMA.

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRÆLOGIVM.

OPVS de Anima, quamquàm in ordine ſit poſtremũ, non vltimum eſt in dignitate, quod propterea ab aliquibus diuinum adpellatur, & quia in eo præcipuè agitur de hominis anima, quam multi *diuinæ particulam auræ* meritó adpellarunt.

Quamuis ergo tanti operis dignitas feſtinantem morari cogebat, quia tamen temporis anguſtiæ receptui canunt, & vt vaſa colligam ſatis admonent, ideó exultantē, & ſpatiari geſtientē ſtylum, *pro noſtro more, modòque*, minimo pomærio coronabo: Et in hac mea quæſita breuitate, dum pro coronide imponenda huic meæ SVMMÆ, sũmo labore contendo, ſi fortè alicui longior videar, ſolatio erit Martialis,

Martial. lib. 10. *Si nimius videar, ſeráque coronide longus*
Eſſe liber, legito pauca, libellus ero.

Poſtquám igitur Ariſtoteles latè egit de ſubſtantia corporea (tam in libris Phyſicorum, quàm in libris de Cælo, & de Generatione, & Corruptione) tres inſtituit libros, in quibus de Anima diſputat, quæ eſt pars ſubſtantiális, cum materia corporeā conſtituens vnum per ſe: nos veró conſultó ſelegimus librum ſecũdum, & tertium, omiſſo primo, qui totus eſt de antiquorum opinionibus.

Digitized by Google

lis, ſed pro illa vita ſubſtantiali, quæ conſiſtit in vnione animæ cum corpore, & opponitur morti; & ratio eſt, quia cùm anima ſit cauſa vitæ, ſiue principium viuendi, non poteſt non vita eſſe aliquid diſtinctum ab ipſa anima. Vita verò accidentalis ſumitur hîc pro ipſa actuali operatione, ſupponente vitã ſubſtantialem.

4 Tandem illa particula, *Potentiâ*, ſignificat ipſum corpus, quod de ſe eſt in potentia ad recipiendum vtrámque vitam, tam ſubſtantialem, quàm accidentalem, & quamuis corpus in inſtanti recipiat vitam, nihilominùs eſt in potentia ad habendum vitam, quia recipiendo actum, non amittit potentiam, licèt amittat carentiam actus.

5 Obijcis contra definitionem. Subiectum, per quod definitur forma, debet eſſe prius, quàm ipſa forma; ſed corpus organicum non eſt prius animâ, ſiquidem anima eſt cauſa organiſationis: ergo &c. Reſpondeo diſtinguendo minorem, non eſt prius, quàm anima in genere cauſæ materialis, quatenus ſumitur organum, adhuc ſinè anima, ſed prout componitur certâ figurâ, & temperie, nego minorem: quatenus ſumitur organum pro ipſo corpore, iam habente ſua inſtrumenta informata cum anima ſubſtantiali, concedo minorem: ſed in definitione ſumitur corpus organicum primo modo, id eſt ſecundùm ſe tantùm. De hac definitione late diſputat Dandin. lib. 2. Cõmẽt. 7. *Dandin.*

6 Hæc definitio conuenit omnibus animabus, quæ verè, & phyſicè corpus informant, quapropter non ſolùm animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ conuenit, ſed etiam animæ rationali, hæc enim non eſt ſolùm forma aſſiſtens, & gubernans, ſicut Intelligentia reſpectu cæli, ſed eſt forma intrinſeca, & informans corpus, vt docet Fides, & facilè probatur, quia forma aſſiſtens non componit eſſentialiter, nec dat eſſentialem differentiam, ſiquidem ſolùm accidentaliter adeſt ad motum; cùm igitur anima rationalis eſſentialiter componat, & præſtet eſſentialem differentiam, non eſt forma aſſiſtens, ſed informans intrinſecè. Aduertendum verò eſt, animam rationalem non ſolùm informare, quà vegetatiua, & ſenſitiua eſt, ſed etiam quà rationalis. Probatur, quia ſi ſolùm informaret ſecundùm gradus vegetandi, & ſentiendi, non eſſet verum dicere, animam rationalem informare corpus per ſe, & eſſentialiter, vt docet Concil. Lateran. ſub Leone 10. ſeſſ. 8. ſed ſolùm diceretur informare per accidens, in quantum ſcilicet eadem entitas animæ informantis, vt vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, eſt etiam rationalis, quod non poteſt dici. Et confirmatur, quia eſt indiuiſibilis, atque adeò informare non poteſt ſecundùm vnum gradum, & non ſecundùm alium. Aduertendum tandem hanc definitionem animæ eſſe eſſentialem, conſtat enim vero genere, & differentia.

Hæc definitio conuenit animæ rationali.

7 *Secunda concluſio*: altera Animæ definitio ſic traditur ab Ariſtotele in hoc lib. cap. 2. tex. 24. Anima *eſt principium, quo primò viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus.* In hac definitione idem eſt definitum, ac in priori, vnde definitio dici poteſt formaliter vna, ſiquidem vnum eſt definitum, ſed materialiter dici poterit duplex: cùm tamen Ariſtoteles definiat animam in communi, particulæ definitionis intelligendæ non ſunt copulatiuè, ſic enim ſola anima rationalis definiretur, quia ſola anima rationalis eſt principium, quo ſimul viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus, quapropter illæ particulæ accipiendæ ſunt disiunctiuè, & ita definitio conueniet animæ in communi, & ſingulis animarum ſpeciebus in particulari: ita Soar. lib. 1. de Anima cap. 5. num. 5. cum communi ſententia interpretum. *Soarius.*

SECTIO II.

De diuiſione animarum, viuentium, & potentiarum in communi.

1 PRima concluſio. Diuiditur Anima in vegatatiuam, ſenſitiuam, & rationalem: ita cõmunis, & certa Theologorum, & Philoſophorum ſentẽtia, & facilè patebit ex dicendis.

2 *Secunda concluſio.* Datur vera anima vegetatiua in plantis; eſt etiam communis, & certa. Probatur, quia viuens eſt illud, quod habet principium motus ab intrinſeco: ſed ita ſe habent arbores, fructices, & plantæ: ergo &c. Probatur minor vel ipſâ experientiâ, videmus enim plantas eſſe in cõtinua actione, qua modò creſcunt, modò dilatantur &c. quod tamen non illis prouenit ab extrinſeco, ſed ab intrinſeco, per veram nutritionem, ſeu vegetationem, vnde ſequitur quòd forma, quæ talium operationũ principium eſt, ſit vera anima. *Plantæ habent animam vegetatiuam.*

3 Neque obſtat, quòd aliquando detur motus in non viuentibus, vt cernitur in elementis, talis enim motus, vitalis non eſt, nec ab intrinſeco; neque enim ignis v.g. inſtitutus eſt à natura vt ſurſum moueatur, aut terra, ut deorſum feratur, ſed talis motus eſt terræ per accidens, & quaſi ab extrinſeco, ratione grauitatis, quatenus non eſt in loco naturali; vnde ſi lapis acquirat centrum non vltrà mouebitur. Confirmatur præterea noſtra ſententia, quia elementa ſunt omogenea, plantæ verò conſtant partibus organicis, habent enim radices, truncos, medulam, &c. quæ ſunt partes diſsimilares, & organicæ, quæ non, niſi in viuentibus, reperiuntur. Eſt verò hæc vita, vegetatiua tantùm, quia, vt experientiâ patet, arbores non ſentiunt, nullum enim doloris ſignum oſtendunt; neque præterea habent ſomnum, & vigiliam; neque ſentiunt dolores, neque ſuccinum, & retinam pro lachrymis emittunt.

Diuiſiones animæ.

4 *Tertia concluſio.* Datur anima ſenſitiua qualis eſt quæ in brutis reperitur, & ſpecie diſtinguitur ab anima vegetatiua; datur præterea anima rationalis, quæ ſpecie etiam diſtinguitur ab alijs duabus animis: ex quibus concluditur, tres dari animas in communi, ita vt vegetatiua conſtituat genus, & ſimiliter ſenſitiua conſtituat aliud genus: at verò anima rationalis conſtituat ſpeciem infimam: & hæc eſt communis Patrum ſententia, pro qua videri poſſunt Conimbric. 2. de Anima, q. 1. cap. 3. art. 1. D. Thom. 1. p. q. 78. art. 1. Rub. 2. Phyſ. cap. 3. q. 1. n. 15.

Patres Conimbr. D. Thom. Rubius.

5 Probatur igitur ſufficientia huius diuiſionis, quia anima ex ſua intrinſeca ratione eſt principium operationum vitalium: ergo tria tantùm dantur genera animarum. Probatur minor, quia vel anima eſt principium vitalium operationum ſibi neceſſarium ad ſui conſeruationem ſine præuia cognitione, vel præuiâ aliquâ cognitione. Si primum eſt anima vegetatiua; ſi ſecundum, vel eſt præuiâ aliquâ cognitione imperfectâ, & conſtituit ſecundum genus, vel præuiâ cognitione perfectâ, & conſtituit tertiam ſpeciem animæ, ſcilicet, rationalis.

6 Obijcis. Quatuor ſunt genera animatorum, ſcilicet genus vegetatiuum, vt plantæ; ſenſitiuum imperfectum, quod moueri non poteſt, vt ſunt imperfecta animalcula lapidibus affixa; tertium eſt habens motum progreſsiuum, vt ſunt animalia perfecta: quartum eſt intellectiuum, vt homo: ergo etiam quatuor erunt genera animarum. Reſpondeo negando conſequentiam. Maior ratio eſt, quia animæ ſumuntur hîc pro eſſentialibus: at verò genera viuentium ſumuntur etiam pro accidentalibus, quatenus dicunt ordinem etiam ad motum, qui, quãuis accidentalis ſit, ſufficiens eſt ad diſtinguendum genus aliquod viuentium per motum, ſcilicet, progreſsiuum, non verò ad diſtinguendum gradum animæ, qui debet eſſe eſſentialis.

7 *Quarta concluſio.* Quatuor ſunt genera animatorum, primum eſt vegetatiuum, in quo ſcilicet reperiuntur potentiæ vegetatiuæ, nempe potentia generatiua, nutritiua, & augmentatiua, ſine cognitione, vel intelligentia, & hoc eſt infimum genus viuentium. Secundum eſt illorum viuentium in quibus reperiuntur potentiæ ſenſitiuæ, ſine loco motiua. Tertium eſt, in quo reperiuntur potentiæ ſenſitiuæ cum potentia loco-motiua, ſed ſine gradu intelligendi. Quartum eſt, vbi reperitur potentia intellectiua, quæ conſtituit hominem.

Quatuor ſunt genera animatorum.

8 *Quinta concluſio.* Quinque ſunt genera potentiarum, ſcilicet potentia vegetatiua, ſenſitiua, appetitiua, loco-motiua, & intellectiua. Ita communis ſententia cum Rub. 2. de Anima, cap. 3. quæſt. 1. num. 21. Probatur, quia tot ſunt genera potentiarum, quot ſunt modi operandi diuerſi; ſed quinque tantùm ſunt modi operandi diuerſi potentiarum vitalium: ergo quinque ſunt genera potentiarum vitalium. Probatur minor. Omnes potentiæ vegetatiuæ habent eundem modum operandi ſine cognitione: ergo conſtituunt primum genus. Deinde omnes potentiæ ſenſitiuæ habent eundem modum operandi imperfectæ cognitionis, per ſpecies admiſſas per organum corporeum, & ita fit ſecundum genus. Deinde potẽtia appetitiua habet diuerſum modum operandi, cùm non attrahat ad ſe obiectum, ſicut potentia cognoſcens, ſed potiùs feratur in illud.

Quinque ſũt genera potentiarum.

9 Quartum genus eſt potẽtia loco-motiua, in qua etiam viſitur diuerſus modus operandi, nam motum progreſsiuum efficit anima præcedente operatione ſenſus, & appetitus, per potentiam motiuam in membris ipſis reſidentem. Quintum tandem genus potentiæ efficit potentia intellectiua, quæ licèt in gradu cognoſcendi conueniat cum potentia ſenſitiua, habet tamen longe diuerſum modum cognoſcendi, vt patet, ſiquidem immediatè non operatur per organum corporeũ, & deinde cognoſcit res ſpirituales,

&

Digitized by Google

& vniuerſales, quas non attingit potentia ſenſitiua.

10 Cùm igitur gradus potentiarum non diſtinguantur per diuerſa ſubiecta, in quibus inueniuntur, ſicut viuentia, ſed per diuerſos modos operandi; & cùm prætereà potentia videndi, vel audiendi conueniant cum reliquis ſenſibus in eodem modo operandi, & generatiua cum reliquis potentijs animæ vegetatiuæ, non conſtituent diuerſa genera potentiarum, ſed generatiua collocabitur ſub genere vegetatiuarum, & viſiua ſub genere ſenſitiuarum.

SECTIO III.

Quo pacto hæ animæ inuicem includuntur?

1 PRima concluſio. Anima ſolùm vegetatiua non includit in ſe neque formaliter, neque eminenter gradum ſenſitiuum: & ſimiliter anima ſenſitiua, & vegetatiua tantùm non includit animam rationalem, ita communis ſententia, vt patebit. Sola igitur quæſtio eſt, vtrùm anima ſenſitiua includat in ſe formaliter non ſolùm ſuum gradum ſenſitiuum, ſed etiam vegetatiuum? & ſimiliter vtrùm anima rationalis formaliter contineat etiã gradum ſentiendi, & vegetandi? Sit igitur.

Anima rationalis eſt formaliter ſenſitiua & vegetatiua. *Rubius* *Patres* *Conimbr* *Dandin.* *Arriaga*

2 *Secunda concluſio.* Anima rationalis formaliter eſt ſenſitiua, & vegetatiua: ita communis Recentiorum ſententia, pro qua videri poteſt Rub. 2. de Anima, cap. 3. quæſt. 2. à num. 34. quam etiam obiter admittunt Conimbricenſ. ibid. quæſt. 1. art. 1. *ſiue quartum.* Idem latè proſequitur P. Dandinus de Anima, lib. 2. *fol.* 799. Et breuiter indicat Arriaga de Anima, diſp. 1. ſect. 3. num. 44. Probatur imprimis à poſteriori, quia homo nõ minùs ratiocinatur, quã ſentiat, & nutriatur: ergo formaliter habet gradum rationalem, deinde gradum ſenſitiuum, & tandem gradum vegetatiuum. Probatur deinde à priori, quia indiuiduum continet in ſe formaliter gradus ſuperiores. v. g. Socrates continet in ſe formaliter gradum animalis, viuentis &c. ergo ſimiliter anima rationalis participabit, in recta ſerie, hos gradus ſuperiores animæ; neque propterea erit triplex anima, ſicut Socrates non dicitur triplex, quamuis in ſe habeat gradum hominis, animalis, & viuentis.

1 Quod, vt meliùs percipiatur, aduertendum eſt primò, gradum vegetandi in equo non differre eſſentialiter à gradu vegetandi in anima rationali, ſicut neque animal equi differt eſſentialiter ab animali hominis: & quemadmodùm animal eſt ſpecies reſpectu huius, & reſpectu illius animalis; & eſt genus reſpectu hominis, & equi: ita gradus vegetatiuus in ſe eſt ſpecies reſpectu huius, & illius gradus vegetandi, eſt verò genus reſpectu plantæ, & bruti. Aduertendum ſecundò, inter has animas fieri etiam contractionem ſuo modo; nam genus animæ vegetatiuæ contrahitur per quandam differentiam, eleuantem illum gradum ad genus animæ ſenſitiuæ: vnde ſicut differentia, quæ contrahit ſubſtantiam, non eſt aliquid in re diſtinctum à ſubſtantia contracta, ita nec gradus ſentiendi eſt diſtinctus in re à gradu vegetandi, ſed ambo conſtituunt vnam animam, ſicut ex differentia, & genere fit vnum compoſitum metaphyſicum.

4 Dixi ergo, animam ſenſitiuam continere in ſe formaliter animam vegetatiuam; & animam rationalem continere in ſe formaliter gradum ſenſitiuum, & vegetatiuum; ita tamen vt hi gradus non ſumantur omnino pro differentijs metaphyſicis, quamuis explicentur per modum differentiarum metaphyſicarum: & proptereá quamuis in differentijs metaphyſicis non detur vera ratio generis, & ſpeciei, nihilominùs tamen datur in his gradibus; eſt enim gradus vegetabilis quoddam genus, vt dixi. Quamuis ergo anima rationalis contineat in ſe formaliter hos tres gradus, poteſt tamen etiam dici continere formaliter gradũ ratiocinandi, & eminenter gradus ſentiendi, & vegetandi, nam continentia eminentialis non tollit aliquando continentiam formalem, quia bene dici poteſt hominem continere eminenter gradum vegetatiuum, ideſt, continere illum nobiliori modo, & in hoc ſenſu bene concedi poteſt hæc continentia eminentialis animæ ſenſitiuæ, & vegetatiuæ in homine.

Proponitur, & reijcitur contraria ſententia.

5 OBijcis tamen pro contraria ſententia, quæ aſſerit animam rationalem virtualiter, ſiue eminenter tantùm cõtinere gradum ſenſitiuum, & vegetatiuum, quam tenent

Digitized by Google

Caiet. Petrus Martin. Tolet. Caietan. 1. p. quæſt. 75. art. 4. & Petrus Martin. 2. de Anima, cap. 12. Tolet. hîc. q. 3. & alij plures. Obijcis, inquam, primò. Falſum eſt dicere animam rationalem eſſe formaliter ſenſitiuam: ergo non continet formaliter animam ſenſitiuam. Reſpondeo ad antecedens, nos non aſſerere animam rationalem eſſe animam ſenſitiuam formaliter, ſed affirmare, animam rationalem continere in ſe formaliter gradum ſenſitiuum; quemadmodùm non eſt verum dicere, hominem ſolùm eſſe formaliter gradum viuentis, & tamen verum eſt dicere, quòd contineat in ſe formaliter gradum viuentis; quapropter illud antecedens in bono ſenſu cõcedi poteſt, ſicut etiam in bono ſenſu homo dicitur viuens, & dicitur animal.

6 Obijcis ſecundò. Vna ſpecies non includitur formaliter in alia, nec de alia prædicatur, vt patet in homine, qui nec formaliter includitur in leone, nec de eo prædicatur: ergo ſimiliter repugnat, vnam animam includi in alia, ſiquidem ſunt diuerſæ ſpecies animarum. Reſpondeo antecedens verum eſſe de ſpeciebus infimis, & attomis, non verò de ſubalternis, quæ adhuc determinari, & contrahi poſſunt, inferiora enim ſubordinantur ſuperioribus, & illa in ſe formaliter continent, vt conſtat ex Logica.

7 Inſtas. Quæ in aliqua ſerie ordinatim diſponuntur non cenſentur efficere plura membra, vnde viuens, animal, & homo non ſunt plura membra diuidentia ſubſtantiam; ſed anima vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis ſunt in recta ſerie: ergo non dicentur tria membra diuidentia, ſiue tres ſpecies animarum. Reſpondeo negando conſequentiam, quia licèt anima rationalis participet ordinatim animam ſenſitiuam, & vegetatiuam; nihilominùs, cùm anima vegetatiua tantùm, inueniatur per ſe ſeparata ab alijs animabus, in plantis; & deinde cùm anima vegetatiua, & ſenſitiua ſimul reperiatur realiter ſeparata à rationali, in brutis: inde eſt quòd in hac acceptione efficiant diuerſa animarum genera; quamuis hi gradus prout reperiuntur in recta ſerie, in anima rationali, ſolùm conſtituant vnum membrum, ſiue vnam ſpeciem animæ.

8 Obijcis tertiò. Si anima rationalis continet formaliter gradum ſenſitiuum, & vegetatiuum, quia hi gradus ſunt in recta ſerie, eodem etiam pacto dicetur anima rationalis formaliter corporea, ſicut dicitur formaliter vegetatiua. Probatur conſequentia: quia quemadmodùm anima rationalis in recta ſerie participat animam vegetatiuam, ita etiam in eâdem recta ſerie participat gradum corporis: atqui non poteſt dici, quòd anima rationalis ſit corporea: ergo &c. Huic argumento reſpondetur primò ex Rubio 2. de Anima cap. 3. quæſt. 2. à num. 48. concedendo animam rationalem formaliter eſſe corpoream, *vt quo*, ideſt, eſſe rationem conſtituentem hominem ſub gradu eſſentiali corporis, quemadmodùm illum conſtituit ſub gradu ſenſitiuo, vegetatiuo, & rationali: quod non tollit quominùs anima ſit in ſe ſpiritualis, & indiuiſibilis, *vt quod*: quemadmodùm albedo, quamuis non ſit in ſe formaliter alba, *vt quod*, eſt tamen formaliter alba, *vt quo*, quia videlicet conſtituit album, tanquàm forma eius: quod probat dupliciter, primò, quia inferior continet in ſe formaliter gradus ſuperiores; cùm verò anima rationalis contineat in ſe formaliter gradus ſuperiores ſenſitiui, & vegetatiui, ſimiliter continere debet gradum corporeum. Probat ſecundo, quia anima rationalis non ſentit per ſe, neque per ſe vegetatur, & tamen dicitur ſenſitiua, & vegetatiua, quia eſt ratio conſtituens hominem ſub his gradibus: ergo ſimiliter dicetur corporea, *vt quo* (quamuis ipſa nihil habeat corporis, *vt quod*) quia eſt ratio conſtituẽs hominem ſub gradu corporeo.

Vtrùm anima rationalis dici poſsit formaliter corporea? Rubius.

9 Quia tamen alicui duriuſculum videbitur aſſerere quocumque modo rationalem animum eſſe formaliter corporeum, reſponderi poteſt ſecundò: animam rationalem eſſe quidem formaliter vegetatiuam, & ſenſitiuam, ſiquidem formaliter continet hos gradus, ſed non eſſe formaliter corpoream, quamuis formaliter participat gradum vegetandi, & ſentiendi, & ratio eſſe poterit, quia hi gradus non ſunt formaliter corporei, ſiquidem ſunt differentiæ contrahentes corpus, differentiæ autem ſunt omnino extra rationem gradus, quem contrahunt, ſicut cernitur in rationali, quod eſt extra rationem animalis. Cùm igitur vegetatiuum ſit differentia contrahẽs corpus, per ſe non eſt corporeum formaliter (& idem dicendum de ſenſitiuo) atque adeò non erit in ſe formaliter corporea anima rationalis, quamuis in ſe formaliter contineat gradum vegetandi, & ſentiendi. Niſi quis velit faciliùs reſpondere aſſerendo animam rationalem nullo modo dici corpoream, quia non ſub corpore, ſed ſub ſpiritu collocatur, in peculiari ſerie.

SEC.

SECTIO IV.

De perfectione harum animarum.

1 PRima concluſio. Anima rationalis eſt omnium perfectiſsima. Hæc eſt certa, & probatur facilè, quia præterquàmquòd contineat in ſe formaliter perfectiones reliquarum animarum) ſpiritualis eſt, incorruptibilis, & immortalis, quod latè probat ex Fide, ex Patribus, & naturalibus rationibus Soar. 1. de Anima, cap. 9. & 10. & probatur ex operatione ipſius animæ; nam modus operandi ſequitur modum eſſendi; ſed modus operandi noſtræ animæ, nempe intellectio, eſt ſpiritualis: ergo neceſſariò ſupponit potentiam ſpiritualem, quæ, vel non diſtinguitur ab ipſa anima, vel ſi diſtinguitur (vt potiùs reor) neceſſariò talis potentia cùm ſit ſpiritualis, & naturaliter emanet ab anima, ſupponere debet animam ſpiritualem, à qua procedat. Quòd verò intellectio ſit actio ſpiritualis, facilè probatur, quia potentia corporea non poteſt reflectere ſupra ſuos actus: at verò intellectus reflectit ſupra ſuam intellectionem: ergo & intellectus, & intellectio ſpirituales ſunt. Vtrùm verò anima rationalis ſaltem diuinitus educibilis ſit, diſputandum eſt in hoc tractat. diſput. vlt. ſect. 1. Vtrùm autem habeat propriam ſubſiſtentiam, reſolui affirmatiuè 3. p. tract. 2. diſp. 57. ſect. 2. à n. 1.

Soarius.

2 *Secunda concluſio.* Animæ rationales omnes ſunt eiuſdem ſpecificæ, & eſſentialis perfectionis. Hæc etiam certa eſt, quã ſupponunt Conimbr. 2. de Anima, cap. 1. q. 1. ar. 1. Probatur, quia habent eadem prædicata eſſentialia, vnde conſequenter omnes animæ rationales conſtituunt eandem ſpeciem.

Patres Conimbr.

3 *Tertia concluſio.* Poſsibiles ſunt animæ rationales diuerſæ ſpeciei. Hæc etiam communis eſt, & probatur breuiter, quia Deus eſt infinitis modis imitabilis circa rerum ſpecies, & ſicut inter Angelos dantur plures, qui de facto ſunt diuerſæ ſpeciei, ita inter animas rationales dari poterunt plures ſpecies de poſsibili: quapropter quando dicimus animam rationalem conſtituere vnam tantùm ſpeciem, non loquimur de poſsibili. Difficultas modò eſt, vtrùm animæ rationales, quæ de facto dantur, habeant omnes eandem perfectionem ſubſtantialem, an diuerſam intra eandem ſpeciem?

4 *Quarta concluſio.* Probabilius exiſtimo, animas rationales plerumque eſſe inæqualis perfectionis indiuidualis, & ſubſtantialis. Ita durand. Magiſt. & alij, quos citat, & ſequitur Rub. 2. de Anima, cap. 5. q. 5. n. 61. & probabilem iudicant Conimb. 2. de Anima, cap. 1. quæſt. 5 art. 3. vbi prætereà allegant plures: atque ita ſtatutum eſt in articulo quodam Doctorum Pariſienſiũ, *quoniam aliàs, inquiunt, anima Chriſti non eſſet perfectior animâ Iudæ.*

Animæ rationales habent inæqualē perfectionē. Durand. Magiſter. Rubius. Patres Conimbr.

5 Probatur primò à priori, quia anima eſſentialiter eſt pars corporis humani, dicitque eſſentialem ordinem ad materiam (vnde hæc anima dicit eſſentialem ordinem ad hanc materiam, cum his diſpoſitionibus; & ſimiliter materia cum talibus diſpoſitionibus eſſentialiter reſpicit hanc animam) ſed aliquando datur materia meliùs diſpoſita: ergo neceſſariò poſtulat nobiliorem animam. Probatur conſequentia, quia illa melior diſpoſitio non ſe habet per accidens, ſed per ſe intenditur ab agente, & à natura, diſpoſitio enim materiæ naturaliter, & eſſentialiter ordinatur ad introductionem formæ: ergo melior diſpoſitio per ſe ordinatur ad meliorem informationem, proindeque ad meliorem formam.

6 Probatur ſecundò à poſteriori ex nobilioribus effectibus, & proprietatibus, quæ naturaliter conſequuntur nobiliorem ſubſtantiam: ſed aliquando vna anima habet nobiliorem intellectum, quàm alia: ergo & ipſa nobilior eſt. Probatur minor: quia aliquando vnus homo nobiliores habet operationes intellectuales, quàm alius nimis rudis: ergo habet nobiliorem intellectum, nam ex nobilioribus effectibus bene colligitur nobilior cauſa: conſequentia rectè infert; quia ſicut ex nobiliori effectu colligitur nobilior cauſa, ita ex nobiliori intellectu rectè colligitur nobilior anima, ſiquidem intellectus eſt effectus ab anima procedens tanquàm à cauſa.

7 Vnde colligitur, vnam animam rationalem nobiliorem, conſtituere vnum hominem ſubſtantialiter nobiliorem alio, nam gradus ille indiuidualis ſubſtantialis eſt, neque diſtinguitur ab ipſa ſubſtantia hominis; quapropter non habet locum communis ſolutio ad noſtra argumenta, perquam ſolùm tribuitur aliquibus animabus maior perfectio accidentalis, nam ex hac maiori perfectione accidentali in materia, rectè colligitur maior perfectio ſubſtantialis in forma, cùm enim materia

 diſpo-

diſpoſita ſit propter animam, hinc eſt, quòd maior illa perfectio materiæ ſit per ſe ordinata ratione animæ introducendæ. Non aſſero tamen omnes animas particulares eſſe inæqualis perfectionis, ſed aliquas intra eandē ſpeciem, quo pacto videmus dari aliquando duas particulares lineas æquales, alias verò inæquales, & tamen omnes ſunt eiuſdem ſpeciei.

Reijcitur contraria ſententia. Argentin. Sotus. Patres Conimbr. Toletus. Fonſeca.

8 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quam tenent Argent. Sot. & alij plures, quos citant Conimbricenſ. 2. de Anima, cap. 1. quæſt. 5. art. 2. & ſequuntur art. 3. Pro eâdem ſententia ſtat Tolet. 3. de Anima, quæſt. 18. idem tenet Fonſec. 5. Metaphyſic. cap. 28. quæſt. 16. ſect. 2. vbi citat plures Patres, ac Theologos. Obijcis, inquam, primò. Differentia indiuiduans emanat ab ſpecifica: ſed ſpecifica eſt in omnibus æqualis: ergo & indiuiduans. Reſpond. tamen ad maiorem, differentiam indiuidu. antem non emanare propriè ab ſpecifica natura, ſiquidem ab ea non diſtinguitur, ſed potiùs præcedere ab agente externo, qui ponit rem extra cauſas: quapropter poteſt cauſa efficiēs producere hominem ſub hac, aut illa differentia indiuiduante diuerſa; neque obſtat quòd homo generans ſit cauſa vniuoca, ad hoc enim ſatis eſt, quòd producat effectum vniuocum, & ſimilem in ſpecie.

9 Obijcis ſecundò. Si vna anima rationalis eſſet aliâ ſubſtantialiter perfectior, ſequeretur, vnum hominem eſſe eſſentialiter magis hominem, quàm alium: hoc non eſt dicendum: ergo &c. Confirmatur, quia quælibet anima rationalis habet, vel habere poteſt eaſdem operationes. Reſpondeo negando ſequelam maioris, quia gradus indiuidualis, quamuis ſubſtantialis ſit, non eſt eſſētialis. eſſentia enim ſolùm eſt communis. Ad confirmationem reſpondetur non omnes animas habere poſſe eaſdem operationes, ſuppoſito quòd non omnes ſint eiuſdem rationis, vt patet, vel ipſâ experientiâ, enim verò, vel illo teſte,

Virgil. Eccl. 8. — *Non omnia poſſumus omnes.*

10 Non nego tamen quòd aliqua indiuidua eiuſdem ſpeciei poſſunt eſſe æqualia, *Arriaga.* & omnino ſimilia (vt bene probat Arriaga de Anima, diſp. 1. ſect. 7. ſubſect. 3.) & conſequenter quòd duæ animæ rationales poſſint habere eandem perfectionis æqualitatem, vt apparet ex ſimilibus operationibus, quas aliqui eodem prorſus modo, vel exercent, vel poſſunt exercere.

SECTIO V.

Quæ animæ ſint diuiſibiles?

1 PRima concluſio. Anima rationalis indiuiſibilis eſt quòad partes integrantes, vel entitatiuas, quales habet materia; vel quò ad graduales, quales habet qualitas: ita communis, & vera ſententia, & contraria perículoſa eſt. Probatur, quia vt patet, anima rationalis eſt ſpiritualis, *vt quod*, neque dependet à materia, neque ab ea educitur, neque materiæ eſt immerſa: ergo eſt indiuiſibilis omnino. Neque in intelligibile eſt, quo pacto anima indiuiſibilis informet corpus diuiſibile; nam, præterquàm quòd in bona opinione vnio ſit diuiſibilis, Deus ipſe indiuiſibilis eſt, & tamen correſpondet toti mundo, qui eſt maximè diuiſibilis; & ſimiliter Angelus poteſt correſpondere loco diuiſibili, immò, & habere poteſt formaliter Vbi diuiſibile, per ordinem ad ſpatium, cui reſpondet, vt dixi 3. p. tract. 2. diſp. 64. ſect. 4. ex quibus bene colligitur, animam rationalem habere partes virtute diuiſibiles, quibus correſpondere poteſt partibus materiæ, & diuerſis locis inadæquatis, quas tamen partes nō admittimus in aliquo puncto Quantitatis; punctum enim eſt omnibus modis indiuiſibile, vt patet. Admittimus tamen in anima rationali partes metaphyſicas, & potentiales, eſt enim anima rationalis vera ſpecies, atque adeò quoddam totū reſpectu inferiorum. *Quo pacto anima rationalis correſpondeat toti corpori*

2 Obijcis primò. Aliquando abſciſa parte corporis, mouetur eadem pars: ſed nihil ab intrinſeco mouetur, niſi ſit viuens: ergo ſignum eſt, quòd moueatur ex eo quòd habeat aliquā partem animæ. Reſpondeo. Illum breuem motum prouenire ab ſpiritibus vitalibus corporeis, ibi perſeuerantibus.

3 Obijcis ſecundò. Forma debet proportionari ſubiecto: ergo ſi materia eſt diuiſibilis, talis debet eſſe ipſa forma. Reſpondeo ad antecedens negando omnem formam debere proportionari ſubiecto: de ratione enim formæ in communi ſolùm eſt, quòd informet ſubiectum, per accidens verò eſt ad rationem formæ, quā talis, commēſuratio cum ſubiecto, quamuis hoc ſit de ratione formæ materialis: & declaratur ſolutio, anima enim ſpiritualis informet materiam corpoream.

Obijcis

Digitized by Google

4 Obijcis tertiò. Vnio animæ rationalis diuiſibilis eſt,& tamen identificatur cum anima: ergo & ipſa anima erit diuiſibilis. Reſpondeo permiſſo antecedente, iuxta ea, quæ dixi 2. part. tractat. 1. lib. 1. diſput. 45. ſect. 2. negando conſequentiam, nam vnio animæ, ſi diuiſibilis eſt in partes entitatiuas, ſolùm eleuata attingit animam ſpiritualem: quamuis in opinione, quæ aſſerit, talem vnionem eſſe entitatiuè diuiſibilem, negandum ſit identificari cum anima rationali. Quapropter abſolutè admitti poteſt, vnionem animæ rationalis eſſe diuiſibilem, non quidem entitatiuè; ſed per reſpectum ad materiam, cui correſpondet, ſicut dixi de Vbi Angelico. Noſter Arriaga de Anima, diſput. 1. ſect. 4 latè probare intendit non repugnare, rei ſpirituali habere partes integrantes (vt probat ex vbi Angelico,& vnione animæ rationalis) & nihilominùs ſubſec. 8. docet animam rationalem non habere partes.

5 *Secunda concluſio.* Animæ animalium imperfectorum omnes ſunt diuiſibiles. Hæc etiam communis eſt, & probatur experientiâ, qua deprehendimus partes talium animantium ſeparatas, ac diuiſas à toto, adhuc per breue tempus viuere (quæ experientia etiam manifeſta eſt in plantis) ſed ibi de nouo non datur alia anima: ergo viuunt per partes illius animæ diuiſibilis. Probatur minor: quia ſi daretur alia anima corrumperetur prior, quod tamen non ita euenit: ergo &c. Hæc concluſio magis patebit ex dicendis.

Animæ perfectorum animantium ſunt diuiſibiles.

6 *Tertia concluſio.* Probabilius eſt, animas perfectorum animalium, vt equi, bouis, &c. eſſe diuiſibiles entitatiuè. Ita Scotus, Durand. & alij, quos citat, & ſequitur Rubius 2. de Anima, cap. 3. quæſt. 5. numero 120. & in hanc partem magis inclinant, Conimbricenſ. 2. de Anima, cap. 1. quæſt. 8. art. 3. idem ſequitur Soar. in Metaphyſic. diſp. 15. ſect 10. num. 32. vbi retractauit ſententiam, quam in gratiam D. Thom. tenuerat, lib. 1. de Anima, cap. 13. à num. 9. idem docet Arriaga de Anima, diſput. 1. ſect. 4. ſubſect. 10. à num. 148. & num. 149. citat Ægyd. Gabriel. Tolet. Pereir. Hurtad. & Licentiatum Murſiam. Probatur, quia tales animæ educuntur de potentia materiæ: ergo ſunt diuiſibiles, ſicut materia. Probatur conſequentia, quia educi de potentia alicuius rei, eſt pendere ab illa per omnimodam commenſurationem, vt patet exemplo vnionis materialis, quæ educitur de potentia materiæ, illique omnino commenſuratur: ergo ſi hæ animæ commenſurantur materiæ, ſunt diuiſibiles entitatiuè, ſicut materia.

Scotus. Durand. Rubius. Patres Conimbr. Soarus. Arriaga Ægyd. Gabriel. Tolet. Pereira. Hurtad. Murſian.

7 Obijcis pro contraria ſententia, quam tenent D. Thom. & alij citati à Rubio ſuprà num. 116. Obijcis, inquam, primò. Partes perfectorum animalium ſeparatæ à toto ſtatim corrumpuntur, quod tamen non contingit partibus animalium imperfectorum: ergo ſignum eſt, animas imperfectorum animarum diuiſibiles eſſe, perfectorum verò indiuiſibiles. Reſpondeo negando conſequentiam. Diuerſa ratio eſt, quia partes animalium perfectorum, cùm ſint perfectiores, indigent maiori organorum apparatu, quem non retinent niſi in toto, & cùm extra totum non habeant hæc inſtrumenta, ſtatim ex hoc capite corrumpuntur, non autem ex eo quòd ſint indiuiſibiles.

D. Thom.

8 Obijcis ſecundò. Poteſt forma indiuiſibilis dependere à ſubiecto, & ab eo educi, vt patet in gratia, quæ eſt ſpiritualis, & indiuiſibilis; & tamen dependet ab anima, à cuius potentia educitur: ergo ſimiliter, quamuis anima equi educatur de potentia ſubiecti, poterit eſſe indiuiſibilis. Reſpondeo negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia propterea gratia eſt indiuiſibilis, quia educitur de potentia animæ indiuiſibilis; vnde retorquetur argumentum, quia ideò forma animalium perfectorum erit diuiſibilis, quia educitur de potentia materiæ diuiſibilis, eductio enim eſt quædam commenſuratio cum ſubiecto.

9 Neque obſtat, quòd gratia, & alia accidentia ſpiritualia educi poſſint de potentia materiæ, talis enim eductio foret de potentia materiæ obedientiali, ad quam non requiritur omnimoda proportio; dixi enim poſſe quoduis accidẽs ſpirituale ſubiectari diuinitus in ſubiecto corporeo. Ex quibus colligitur, impoſſibile eſſe formã materialẽ naturâ ſuâ independentem à materia, & indiuiſibilem. Probatur, quia impoſſibilis eſt forma materialis, quæ non ſit educibilis: ergo ſimiliter impoſſibilis eſt forma materialis, quæ ex natura ſua non poſtulet eſſe diuiſibilis: maior igitur perfectio ſimilium animarum in eo conſiſtit, quòd poſtulent maiorem organorum apparatum (quàm poſtulent animæ animalium imperfectorum) & quòd habeant nobiliores operationes.

10 Obijcis tertiò. Si tales animæ forent diuiſibiles in partes, vel tales partes eſſent eiuſ-

Digitized by Google

eiuſdem vel diuerſæ rationis: neutrum dici poteſt: ergo &c. Hoc argumentum tangit non leuem difficultatem in ſectione ſequenti reſoluendam.

SECTIO VI.

Vtrùm in quolibet compoſito ſit vna tantùm anima?

In quolibet compoſito datur vna tantùm anima totalis.

1 PRima concluſio. In quolibet compoſito datur vna tantùm anima totalis, vel notabilis ita vt in quauis planta detur vna tantùm anima vegetatiua; & in quolibet animali non detur duplex anima vegetatiua, & ſenſitiua, nec in homine triplex, vegetatiua ſcilicet, ſenſitiua, & rationalis, ſed vna, quæ formaliter hos gradus contineat; & ſimiliter in eodem homine non datur duplex anima rationalis, neque in eodem equo pluſquàm vna anima ſenſitiua totalis, vt ita dicam, & notabilis: inter omnes hæc concluſio certa eſt, adeò, vt contraria ſit periculoſa in Fide. Vide noſtrum Dandinum de Anima, lib. 2. fol. 787.

Dandin.

2 Probatur ratione, quia imprimis repugnat naturaliter plures formas eſſe in eadem materia: deinde, quia vel illæ duæ formæ efficerent vnum, vel plura compoſita; non plura quia aduerſarij dicunt plures animas eſſe in eodem compoſito; non vnum, quia multiplicatâ formâ, quæ eſt pars præcipua, & diſtinctiua, multiplicatur compoſitum; quapropter cùm compoſitum per primam animam conſtituatur vnum per ſe, per ſequentem animam, vel fieret vnum per accidens, vel pertineret ad aliam ſpeciem, & ita vnum indiuiduum fieret multiplex. Confirmari poteſt argumentum, quia Concilia, & Sancti Patres in humanitate Chriſti Domini duas partes tantùm agnoſcunt, vnam ſcilicet animam, & vnum corpus. Neque me ab hac veritate deterrebit Herilus Prænestinus,

Virgil. Æn 8.

Naſcenti cui tres animas Feronia mater,
Horrendum dictu, dederat &c.

Tale enim monſtrũ inter ſplẽdidiſſima Græcorum mendacia numerandum.

Galenus.

3 Galenus tamen lib. 8. de Vſu partium cap. 1. gloriatur, ſe inueniſſe plures animas, contra Ariſtotelem, exiſtimat enim in homine eſſe quatuor animas, intellectiuam ſcilicet in cerebro, iraſcibilem in corde, concupiſcibilem in iecore, ſenſitiuam verò, & vegetatiuam in toto corpore: ſed Galenus potiùs conſulendus circa quatuor corporis humores, quàm circa quatuor hominis animas, cùm enim rationalis anima informet totum corpus, & eius partes, & ſimul ſenſitiua ſit, & vegetatiua, in omnibus etiam poteſt eſſe principium ſenſitiuæ, & nutritiuæ operationis; quapropter ab ea prouenire poteſt omnis illa operatio diuerſa, ſcilicet nutritio, ſenſatio, & intellectio.

4 Obijcis contra concluſionem. Dum formatur fœtus in vtero matris, priùs viuit vita plantæ, deinde vita animalis, tandem vita hominis: ſed vita ſenſitiua non expellit vegetatiuam, nec rationalis ſenſitiuam: ergo in eodem homine perſeuerat triplex anima totalis. Probatur minor. Quia inter has animas nulla eſt oppoſitio, ſed naturalis ſubordinatio. Reſpondeo neglecta maiori, negando minorem: Ad probationem dicendum eſt, quòd licèt illæ tres animæ non ſint propriè contrariæ, quia tamen poſtulant diuerſas diſpoſitiones in materia, cùm ad introductionem vnius, iam detur diuerſa organiſatio, naturaliter ſequitur corruptio, & deſitio alterius; & cùm natura procedat ab imperfectis ad perfectiora, primò tribuit diſpoſitiones valde imperfectas, & ſolùm ſufficientes ad animam vegetatiuam; mox paulatim perficitur illa materia, donec introducatur anima ſenſitiua totalis, quæ in ſe continet gradum vegetatiuæ, & expellit animam vegetatiuam ſolùm, &c. neque neceſſaria eſt poſitiua contrarietas, inter has formas, ſed ſufficit, quòd ſubiectum non poſſit ſimul plures habere. Reſponderi etiam poteſt cum Arriaga diſp. 1. de Anima, ſect. 12. non infundi corpori ante animam rationalem aliam formam viuentis, ſed ſolam rationalem, quæ pro diuerſitate diſpoſitionum, modò ſolùm vegetatur; modò iam ſentit, ac tandem intelligit.

Arriaga.

5 Maius dubium eſt, vtrùm ſuppoſito quòd in eodem viuente non dentur plures animæ totales, dentur ne ſaltem plures animæ partiales, ſaltem in compoſitis materialibus, quæ habent animas diuiſibiles? Pro quo ſit *Secunda concluſio*. Partes animæ diuiſibilis ſunt eterogeneæ, id eſt, diuerſæ rationis. Vtrùm verò hæ diuerſæ partes ſint diuerſæ ſpeciei, & vtrùm ſint dicendæ diuerſæ formæ, infrà dicendum. Hæc concluſio colligitur ex Soario in Metaphyſic. diſput. 15. ſectio. 10. num. 3. eandem latè probat Hurt. de

Soarius. Hurtad.

de anima, diſput. 2. à ſect. 5. Pereira in ſua Phyloſoph. lib. 6. cap. 6. Probatur, quia illa pars animæ diuiſibilis exiſtens in capite determinatè petit diſpoſitiones capitis, illique repugnant diſpoſitiones oculi: ergo quemadmodùm ex ſimili argumento dixi ſectione antecedente, argui diuerſitatem animarum; ita modò ex eàdem diſpoſitione, rectè arguitur diuerſitas partium in eâdem anima.

Pereira.

6 Confirmatur, quia diuerſitas proprietatum, & accidentium, quæ poſtulantur ab intrinſeco, bene probant diuerſitatem naturæ; atquí oculus poſtulat ab intrinſeco diuerſa inſtrumenta ab illis, quæ poſtulat manus; hoc verò non prouenit à materia, hæc enim in omnibus eſt eiuſdem ſpeciei, & indifferens ad manum, vel ad oculum: ergo prouenit à diuerſitate ipſius animæ, nullum enim aliud aſſignabitur principium intrinſecum (neque enim vnquàm admittenda eſt natura, quæ ab extrinſeco poſsit determinari ad producendum in ſuo ſubiecto hanc potiùs proprietatem, quàm illã) Quapropter diuerſitas proprietatum ſemper eſt apertum ſignum diuerſitatis principij ſubſtantialis.

Patres Conimbr. Sotus. Greg. Durand. Caiet. Arriaga

7 Stio Patres Conimbricenſ. lib. 1. de Generat. quæſt. 7. art. 4. cum Soto, Gregor. Durand. & Caietan. quos citant; & ſimiliter P. Arriag. exiſtimare eſſe has partes homogeneas: verùm exemplum animæ rationalis, quo vtitur hic Doctor, non habet vim, cùm enim anima rationalis ſit nobiliſsima, quamuis ſit indiuiſibilis, poteſt eminenter habere virtutem ad poſtulandas illas diuerſas diſpoſitiones, ac proprietates: quod dicendum non eſt de materiali, & imperfecta anima.

Vtrùm partes animæ ſint diuerſarum ſpecierum?

8 SEd multò maius dubium eſt, vtrùm hæ partes animæ materialis ſint non ſolùm ſubſtantialiter, & numero diuerſæ, ſed etiam ſpecie, atque adeò vtrùm forma capitis ſpecie differat à forma oculi? Negatiua reſponſio ſatis probabilis eſt: affirmatiua placet aliquibus, inter quos eſt Pereir. in ſua Phyl. cap. 6. q. 3. Eandem etiam ſequitur Hurtad. de anima, diſp. 2. ſect. 6. num. 61. & ſect. 7. quæ ſic probatur. Quia ſicut potentia viſiua ob diuerſas operationes, quas habet, ſpecie differt à potentia auditiua; ita etiam pars animæ diuiſibilis, quæ reſpondet potentiæ viſiuæ, ſpecie differre debet à parte animæ, quæ reſpondet potentiæ auditiuæ, propter diuerſos effectus, quos cauſat, & diuerſas diſpoſitiones, quas poſtulat. Et confirmatur, quia perpetua carentia alicuius formæ, quæ non prouenit ab extrinſeco, ſatis eſt ad deprehendendam diſtinctionem ſpecificam inter duas res, quando vna non poteſt habere proprietates alterius: ſed oculus nunquàm poteſt audire, neque forma oculi poteſt inſeruire ad formam auditus, immò habebit perpetuam carentiam alterius potentiæ: ergo dicendum eſt, quòd non ſolùm oculi potentia, ſed ipſa ſubſtantia formæ oculi differat ſpecie à partiali forma auditus.

Pereira. Hurtad.

9 Obijcis tamen primò contra hanc ſententiam pro oppoſita, quàm à fortiori ſequitur Arriaga ſuprà citatus. Non minùs ſunt diuerſæ inter ſe partes eterogeneæ hominis, quàm equi: ſed tales partes in homine non ſupponunt partiales animas ſpecie diuerſas, ſiquidem anima hominis indiuiſibilis eſt: ergo &c. Reſpondeo negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia anima rationalis, propter ſummam perfectionem gradus ſpiritualis, continet eminenter quidquid formæ extéſæ præſtare poſſunt per ſuas partes diuiſibiles, & diuerſas ſpecie: & roboratur ſolutio, concedunt enim aduerſarij in anima diuiſibili partes eterogeneas, quas tamen nemo concedit in anima rationali: ergo ſicut anima rationalis eminenter continet virtutem partium eterogenearum animæ materialis, ita etiam mirum non eſt ſi contineat in ſe virtutem partium diuerſæ ſpeciei.

10 Obijcis ſecundò. Datur aliquis homo adeò rudis, vt nunquàm poſsit intellectiuas operationes exercere, quas alius ingenioſus exercet: ſed ex hoc non colligitur diuerſitas in ſpecie, ſed tantùm diuerſitas ſubſtantialis numeralis, vt dixi ſectione antecedente: ergo licèt pars animæ, quæ eſt in pede, nunquàm poſsit exercere munus potentiæ viſiuæ, ab ea non differet ſpecie. Reſpondetur negando conſequentiam. Diuerſa ratio eſt, quia diuerſitas illa operationum in illis hominibus ſolùm eſt accidentalis, v. g. melior, vel peior intellectio, ex qua tamen bene colligitur diuerſitas ſubſtantialis ſolo numero, ſub eàdem ſpecie: at verò in his partibus animæ datur diuerſitas eſſentialis, nam oculus,

oculus, ſiue forma oculi eſſentialiter ordinatur ad videndum, non ad audiendum, & ſicut viſio, & auditio ſpecie differunt, ita & ipſa principia, à quibus poſtulantur tam diuerſæ actiones, & tam diſsimiles organiſationes.

11 Obijcis tertiò. Ex hoc ſequeretur equum v.g. non componi ex vna tantùm forma, ſed ex pluribus, neque habere formam vnius tantùm ſpeciei, ſed habere plures formas diuerſarum ſpecierum, & conſequẽter non eſſe vnum per ſe, ſiquidè habet plures animas diuerſæ ſpeciei. Reſp. adhuc equũ eſſe vnum per ſe, illæ enim plures animæ ſũt partialiter tantùm diuerſæ, non totaliter: & declaratur, quia materia, & forma ſunt diuerſæ ſpecies partiales, & tamen faciunt vnum per ſe completum, & vnius ſpeciei totalis.

12 Inſtas. Anima equi ſimpliciter dicitur vnius ſpeciei: ergo non componitur ex pluribus, ideſt, ex partibus diuerſarum ſpecierum. Reſpond. negando conſequentiam: Dico enim partes animæ corporeæ eſſe diuerſæ ſpeciei incompletæ ſiue partialis, cùm ſint ex natura ſua vnibiles ad componendum vnam totalem ſpeciem; & nihilominùs dico, equum conſtituere vnam tantùm ſpeciem notabilem, ac veluti totalem, nam in communi, & materiali hominum æſtimatione, non veniunt ſub nomine ſpecierum, niſi illa, quæ habent differentiam eſſentialem, veluti totalem, & notabilem ab intellectu creato. Quarè anima equi dicitur vna ſpecies notabilis, licèt in ſe contineat plures ſpecies partiales, & imperceptibiles, ſicut homo ſimpliciter dicitur vnius ſpeciei, quamuis aliunde habeat potentias accidentales diuerſarum ſpecierum. Neque obſtat, quòd ipſa anima ſit ſpecies partialis, nam per ordinem ad has partes ipſius animæ poteſt dici ſpecies totalis. Neque prætereà obſtabit, quòd gradus qualitatis ſint inter ſe ſolo numero diuerſi, vt dixi 3. p. tract. 3. diſput. 66. ſect. 2. & ratio eſt, quia non cernitur tanta diuerſitas in his gradibus qualitatis, quanta cernitur in diuerſis partibus animarum.

Corollaria ex præcedente doctrina.

13 Ex dictis ſequitur primò, equum integrum, & equum mutilum eſſe diuerſæ ſpeciei integraliter, quamuis eſſentialiter cenſeantur eiuſdem ſpeciei, quia conſeruantur præcipuæ partes. Sequitur ſecundò has partes diuerſas vniri inter ſe ſua peculiari vnione, ſicut etiam vnitur materia, & forma ad faciendum vnum per ſe. Sequitur tertiò, animam rationalem talis eſſe naturæ, vt cùm ſit indiuiſibilis ſecundùm ſe totam, magis, aut minùs perfectè informet diuerſas corporis partes, meliuſque officium formæ exequatur in quibuſdam, quàm in alijs; quamuis enim anima rationalis habeat vnam, & eandem perfectionem, quoad entitatem, nihilominùs habet maiorem, vel minorem ſecundùm modum informandi, diuerſo enim modo informat cor, & pedem, eſt enim vnio animæ rationalis, aut diuiſibilis, aut ſaltem non eſt omnino ſpiritualis, vt dixi in 2. part. tract. 1. diſput. 25. ſect. 2. §. *Sed quæſtio eſt*, aut ſi eſt omnino ſpiritualis, continet anima ſpiritualis eminenter quod reliquæ animæ continent per diuerſas partes. Sequitur quartò ex propoſitis argumentis, quàm probabilis etiam ſit oppoſita ſententia, quæ docet, animas diuiſibiles eſſe eiuſdem ſpeciei, ſolo numero, ſed ſubſtantialiter diuerſas. Ac tandem ſequitur, quòd reſpondendum ſit ad argumentum propoſitum in fine ſuperioris ſectionis.

14 Circa formarum multitudinem in eodem corpore latè diſputat noſter Dandinus de Anima, lib. 2. à fol. 738. Dandin.

SECTIO VII.

Vtrùm, & quomodò Anima informet omnes partes corporis?

1 PRima concluſio. Qualibet anima informat omnes partes corporis, quæ habent aliquam operationem vitalem ſenſus, aut motus, ita tamen vt, ſi anima indiuiſibilis ſit, tota ſit in toto corpore & tota in qualibet parte; ſi verò ſit diuiſibilis, tota ſit in toto corpore, & pars in partibus corporis. Hæc eſt cõmunis, & vera ſententia, & probatur vniuerſaliter, quia omnes partes corporis exercent aliquam operationem vitalem: ergo informantur anima, non enim poſſunt viuere, niſi animentur, quia anima eſt principium vitæ. Diligenter verò aduertendum eſt, animam rationalem totam eſſe in qualibet parte corporis totalitate eſſentiali, quia in qualibet habet totam ſuam eſſentiam, non tamen eſſe in qualibet parte corporis totalitate integrali, ſiquidem non habet partes integrantes; neque prætereà eſſe in qualibet parte, totalitate operationis, vt mox patebit, animam verò diuiſibilem eſſe

Quo pacto anima rationalis ſit in corpore.

eſſe in toto corpore totalitate integrali, quamuis non ſit tota in qualibet parte, quia non eſt in ea ſecundùm omnes partes integrantes nec ſimiliter eſt in toto totalitate potentiali, aut totalitate operationis quia ſcilicet habet potentias ſuas diuiſas,& partitas per corpus.

2 Qua propter os, caro, & nerui verè dicuntur viuere, & informari anima: quamuis enim non ſint partes per ſe organicæ, hoc eſt, diſſimilares, nihilominùs tamen dici poſſunt organicæ, quatenus componunt corpus organicum, & diſſimilare.

3 Obijcis Si anima rationalis ſit in qualibet parte corporis, cùm intellectus ſit in anima. & cùm ſit indiuiſibilis, ſicut eſt ipſa anima, cùm anima ſit in manu, & in pede, ſimul etiam ibi erit intellectus, & conſequenter omnes ſcientiæ in manu, & in pede erunt, ac proinde manus, & pes dicentur intelligere: ſed hoc eſt falſum: ergo &c. & confirmatur, quia cùm partes corporis diſcontinuæ ſint, ſi anima eſt in omnibus partibus, ſimul eſt in diuerſis locis. Reſpondeo concedendo intellectum dici poſſe eſſe in manu,& in pede, non ex eo quòd per intellectum conſtituatur anima in eſſe rationali (vt vult Hurtadus de Anima diſput. 5 ſect. 1. num. 9. §. *Dico tertio* (Quod tamen dicendum non eſt, anima enim eſt rationalis per ſuammet ſubſtantiam, non per aliquod accidens, qualis eſt intellectus) ſed quia, cùm intellectus priùs naturâ emanet ab anima, quàm anima vniatur corpori (ſiquidem eſt proprietas ſolius animæ,) non eſt in anima cum aliqua dependentia ab organis corporeis, ſed eſt in anima ſecundùm ſe & cùm anima ſit indiuiſibilis in tota anima eſt intellectus.& ſimiliter manet in toto corpore, ſicut ipſa anima; neque eſt cur intellectus ſe recipiat ad aliquam partem corporis ad cerebrum v. g. vt multi volunt Nihilominùs tamen, quamuis intellectus ſit in manu, non dicetur manus intelligere, quia denominatio eſt circa totũ,& non circa partē: neq; intellectio dicetur eſſe in toto corpore, licèt anima,& intellectus ſint in toto corpore.

Intellectus in ſolo cerebro exercet intellectionem.

4 Inſtas primò. Anima non intelligit in toto corpore; ergo non habet intellectum in toto corpore. Reſpondeo negando conſequentiam, non enim valet conſequentia á negatione actus, ad negationem potentiæ; quantitas enim cœli habet potentiam ad diuiſionem,& tamen actus huius diuiſionis impeditur: ſufficit ergo intellectus alicubi ſuam operationem exercere, ſcilicet in cerebro, vbi habet præparata organa corporea, á quibus intellectio, ſaltem indirectè, dependet. ſicut enim anima non exercet actum ſentiendi in oſſibus ita neque habet actum intelligendi in manu v.g. ſed in cerebro.

5 Inſtas ſecundò. Intellectio eſt in toto intellectu, vel in tota anima indiuiſibili: ſed intellectus eſt in toto corpore, ſicut anima: ergo intellectio ſimiliter. Reſpondeo conſequentiam non eſſe bonam, vt patet multis inſtantijs: nam humanitas Chriſti eſt in Verbo Diuino, & quamuis Verbum ſit vbique, non inde ſequitur, humanitatem eſſe vbique:& ſimiliter creatura eſt in Deo,& Deus eſt vbique, neque tamen inde ſequitur, creaturam eſſe vbique; Ita enim humanitas eſt in Verbo, vt non ſit in eo totaliter, ideſt, ſecundùm omnem correſpondentiam, quam habet Verbum ad vniuerſum; dicitur tamen verè,& realiter humanitas eſſe vnita Verbo, quia vnitur Verbo eo loco, vbi eſt humanitas; & ſic ſuo modo philoſophandum eſt de creatura, quæ dicitur eſſe in Deo in eo loco, vbi eſt ipſa creatura; quod tamen non tollit quominùs Deus per ſuam immenſitatem ſit vbi non eſt creatura: atque hoc pacto, licèt intellectio ſit in toto intellectu,& in tota anima, non tamen ibi eſt totalitate operationis, ſiquidem anima correſpondet alijs partibus, in quibus non datur intellectio.

6 Ad confirmationem reſpondetur, non ſequi animam eſſe in diuerſis locis, partes enim corporis animatæ omnes interſe ſunt continuæ, quibus correſpondet anima per vnam totalem vnionem.

Vtrùm Anima informet humores, capillos, &c.

7 SECVNDA *Concluſio.* Neque ſanguis, neque Spiritus vitales, aut animales, aut humores reliqui informantur anima, ſed proprias habent formas materiales, & inanimes: ita communior, & verior ſententia, vt videre eſt apud Rubium 2. de Anima capite 3. quæſtio 8. á num. 207. vbi citat. Scot & alios plures. Idem tenet Soar. 2. de

Sanguis non eſt animatus. *Rubius. Scotus. Soarius.*

Digitized by Google

carni, vt non poſſint ab ea ſine dolore maximo auelli. Neque obſtat, quòd capilli, & vngues minùs puro alimento nutriantur, ſunt enim partes valde ignobiles, quòd verò ſine dolore præſcindi poſſint, hoc prouenit ex eo quòd ſint partes magis remotæ à carne, cum qua continuantur: quia tamen diuelli non poſſunt ſine doloris ſenſu, ſignum eſt, quòd per aliquam ſui partem carnem contingant, & cum eâ continuentur: licèt quòd attinet ad capillos, valde probabile ſit, eos non animari forma totius, vt tenet Soar. de Anima lib. 2. cap. 11 num. 5. & *Soarius.* Toletus 2 de Anima quæſt. 4. qua de re egregiè diſputant pro vtrâque parte P P. Co- *Toletus.* nimb. 1. de Gener. cap. 4. quæſt. 23. De ma- *Patres Conimbr.* teria verò capillorum, videri poſſunt ijdem Patres in Paruis naturalibus à fol. 75.

DISPVTATIO LXXIX.

De Potentijs Animæ in Generali.

POSTQVAM ea, quæ ad eſſentiam, & ſubſtantiam animæ in communi pertinent, quamuis breuiter, diſputaui, reſtat agere de potentijs eiuſdē animæ, quæ ſunt accidētia immediatè in ipſa animæ ſubſtantia reſidentia: ſed priuſquàm ad potentias in particulari deſcendam, in hac diſputatione ſecunda pertractabo ea, quæ ſpectant ad potentias animæ in communi.

SECTIO I.

Vtrùm potentiæ Animæ ab ea realiter diſtinguantur?

Reſolutio eſt affirmatiua. SIT *vnica Conclusio.* Potentiæ vitales, vt nutritiua, intellectiua, volitiua &c. ſunt accidentia realia, animæ ſuperaddita, & ab ea realiter diſtincta: ita communior, & verior ſententia Thomiſta-
D.Thom. rum cum D.Thom. 1. parte quæſt. 77. art 1.
Patres Conimbr. quem ſequuntur Conimbr. 2. de Anima c. 3. quæſt. 4. art. 2. Soar. de Anima lib. 2. cap. 1.
Soarius. num. 5. Rubius 2 de Anima cap 3. quæſt 14
Rubius. idem tenent Murſia in Log. ca. de Proprio,
Marſil diſp. vnica. quæſt. vnica. §. *Secunda pars*: & D.
Franciſc. Franciſcus Amicus in ſuo curſu Theol. t. 2.
Amicus. diſput. 8 ſect. 14 num. 27. vbi citat. 18. Au-
Valent. tores. Item Valēt. tom. 1. diſp. 6. quæſt. 3. pū-
Vaſques cto 1. Vaſquez tom. 1 in 1. 2. diſp. 14. cap. 3. Probatur, quia ſubſtantia non eſt per ſe immediatè operatiua, cùm enim Anima ſit limitata, non videtur poſſe eſſe immediatum principium tam diuerſarum actionum; ergo indiget potentijs accidētalibus, quibus mediantibus operetur: antecedens euidens eſt, inductione facta per omnia elementa, ignis enim calefacit, medio calore. Deindè ſol illuminat, mediante luce, vt docet experientia: ergo idem dicendum eſt de Anima, ſiue ſit vegetatiua, ſiue ſenſitiua, ſiue rationalis. Confirmatur primò, quia, vt docet ipſa experientia, Anima non videt per ſe ipſam, ſed per potentiam videndi & per inſtrumentum corporeum, nempe oculum, & ſic de reliquis ſenſibus: ergo ſimiliter nō intelligit per ſe ipſam, id eſt, ſine adiutorio alicuius potentiæ. Confirmatur ſecundò: quia naturalis potentia conſtituit ſecundam ſpeciem qualitatis: ſed qualitatis ſpecies, præter figuram, realiter diſtinguuntur; ergo & ipſæ potentiæ. Declaratur tandem, quia ars ad ſuas operationes indiget inſtrumentis: ergo & natura.

2 Obijcis tamen pro contraria ſententia, quam ſequuntur omnes Nominales, inter quos eſt P. Hurtad. de Anima *Hurtad.* diſputat. 4. ſect. 4. qui docent potentias non diſtingui realiter ab Anima, ſed tantùm virtualiter, in quam partem magis inclinat noſter Dandinus de Anima lib. 2. *Dandin.* à fol. 880. & abſolutè ſequitur Arriaga de *Arriaga.* Anima diſp. 3. ſect. 3. ſubſect. 4. vbi citat. *Henric.* Henriq. Bonauenturā, & Scotū. Obijcis. in *Bonau.* quā, primò. Per Ariſt. Anima eſt principiū, *Scotus.* quo primò viuimus, ſentimus, & c. ergo ſupponit Ariſtoteles, Animam per ſe ipſam exercere has operationes. Reſpondetur negando conſequentiam, ex Ariſtotele enim ſolùm colligitur, Animam eſſe principium radicale, & remotū, vt concedimus, nō verò formale

Digitized by Google

formale, & proximum, vt negamus.

3 Obijcis ſecundò: Materia prima nulla indiget ſuperaddita potentia ad recipiendum: ergo neque forma ad agendum. Probatur conſequentia, quia inter agens & paſſum datur mutua correſpondentia. Reſpondeo, dato antecedente, negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia eſſe principium paſſiuum non dicit perfectionem, & ideò neceſſaria non eſt potentia ſuperaddita: at verò *agere* eſt maxima perfectio: quam creatura per ſe ipſam habere nõ poteſt, ſolius enim Dei proprium eſt agere per ſuammet ſubſtantiam. Dixi, *dato antecedente* quia retorqueri poteſt argumentum, nam ſicut materia indiget quantitate ad recipienda accidentia corporea, ita & anima indiget potentijs ad efficiendos ſuos actus.

4 Inſt. Accidentia ſunt longè imperfectiora, & tamen operantur per ſuammet entitatem: ergo à fortiori operatur anima. Reſpondeo negando conſequentiam. Diuerſa ratio eſt, quia accidentia operantur in virtute animæ, cùm verò non poſſint operari, mediante alio accidente, ne detur proceſſus in infinitum, operantur per ſuam entitatem, quæ operatio, cùm fit in virtute Animæ, nullam maiorem perfectionem arguit in accidentibus, ſed in ſola Anima, in cuius virtute operantur.

5 Obijcis tertiò. Anima operatur immediatè ſuas potentias: ergo eſt per ſe immediatè operatiua. Reſpondeo diſtinguendo antecedens; operatur ſuas potentias per veras, & proprias actiones, nego antecedens, per emanationes, concedo antecedens. Dicitur autem vera actio inter Philoſophos illa, quæ fit, mediante aliqua potentia realiter diſtincta: at veró actio, quæ immediatè procedit ab anima, ſine omni alio inſtrumento, non dicitur vera actio, ſed dicitur emanatio, & hæc eſt communis Thomiſtarum ſententia, vt videre licet in curſu Thomiſt. in Phyſ. quæſtio 12. de cauſa efficiente, art. 4. in appendice, vbi citat. Caietanũ, Sotũ, Conrad. et alios, quamuis videatur aliquibus quæſtio de vocabulo, vtrùm dicenda ſit vera actio? Illud tamen nobis certum eſt, animam immediatè per ſe ipſam efficere ſuas potentias, ne detur proceſſus in infinitum, reliquas verò actiones, non immediatè per ſe ipſam, ſed per ſuper additas potentias exercere, quæ ſententia conformis eſt cum ea, quam tradidi 3. parte tractatu 2. diſput 58. ſect. 1. à num. 2. vbi dixi ſubſiſtentiam non à generante, ſed immediatè procedere ab ipſa natura, quamuis generans dici poſſit cauſa remota ſubſiſtentiæ, proprietatum, potentiarum, &c.

Curſus Thomiſt. Caiet. Sotus. Conrad.

6 Inſt. Anima, præter potentias, quas efficit immediatè, concurrit ad actus vitales: ergo eſt immediatè operatiua. Reſpondeo, permiſſo antecedente, de quo infrà, negando conſequentiam, bene enim poteſt anima concurrere immediatè ad actus vitales, præſtando illis vitalitatem, & nihilominùs concurrent potentiæ ſimul cum ipſa Anima ad actus, ſicut cauſa prima concurrit immediatè ad effectum creatum, ſimul cum cauſa ſecunda.

7 Atque ex tradita concluſione infero primò implicare fieri à Deo ſubſtantiam per ſe ipſam operatiuam, vt colligitur ex D. Thom. 1 parte, quæſtio 54. art. 3 quia eſſet, & nõ eſſet ſubſtãtia creata: eſſet, quia ita ſupponitur: nõ eſſet, quia habet proprietatẽ Dei, ſolus enim Deus per ſe ipſum, & ſine adminiculo accidentium, eſt operatiuus. Infero ſecundò, poſſe diuinitus intellectum, vel quamlibet animæ potentiam ab ea ſeparari, & ſeparatam exiſtere, vt oſtendit Soarius. 2. de Anima cap. 1. num. 7 Probatur, quia potentiæ ſunt veræ entitates, quæ non habent immediatam dependentiam ab anima, procedunt enim ab illa per veram emanationem. Et confirmatur efficaciter ex reali ſeparatione quantitatis Euchariſtiæ à materia, cuius materiæ quantitas eſt proprietas, ſicut intellectus, reſpectu hominis, in caſu verò, in quo Anima maneret ſine intellectu, adhuc radicaliter eſſet intellectiua, quamuis talis non foret formaliter.

Non poteſt dari ſubſtantia creata per ſe operatiua. D. Thom.

Soarius.

SECTIO II.

Vtrùm, & quomodò potentiæ vitales emanent ab anima?

1 PRIMA *Concluſio*. Potentiæ vitales naturaliter procedũt ab Anima, tanquam à cauſa efficiẽte minùs principali, nã cauſa principalis eſt ipſum generans, vel ipſum agens; ita communior, & verior ſentẽtia cum D. Th. 1. p.

D. Thom.

Digitized by Google

1. p. q. 77. art. 5. & 7. Soarius ſuprà cap. 3. num. 9. Conimbr. 2. de Anima cap. 3. q. 4. art. 2. Probatur quia operationes vitales procedunt ab anima, tanquàm à prima radice, & principio vitæ: ſed tales operationes, cùm ſint propriæ, & reales actiones, prodire non poſſunt ab Anima ſine potentijs vitalibus: ergo ſicut operationes vitales fiunt radicaliter ab Anima, ita & potentiæ vitales ab ea effectiuè dimanant; fit autem hæc emanatio immediatè ab ipſa Anima, id eſt, ſine concurſu alicuius accidentis, ne detur proceſſus in infinitum.

Soarius. Patres Conimbri.

2 Confirmatur primò: Quia frigus ita eſt potentia aquæ, ſicut intellectus eſt potentia Animæ: ſed frigus effectiuè dimanat ab aqua (experimur enim aquam calidam redire iterum ad priſtinum frigus per ſe ipſam) ergo idem dicendum eſt de potentijs Animæ. Confirmatur ſecundò, quia anima eſt prior ſuis proprietatibus: ergo poterit illas producere, vt dixi de ſubſiſtentia in Metaphiſica: non nego tamen has potentias remotè, & principaliter tribui generanti, quia generanti pertinet non ſolùm rem producere, ſed etiam illi tribuere omnia neceſſaria ad conſeruationem.

3 Obijcis primò cum Ægyd. diſput. 3. quæſt. 18. Si potentiæ naturaliter emanant ab anima, ſequitur quòd ſi ab ea auferatur intellectus, poſſit iterum ab eadem Anima naturaliter emanare, ſicut contingit in aqua, cuius frigus, etſi tollatur per calorem, iterum emanare poteſt. Reſpondeo, negando ſequelam, diuerſa ratio eſt, quia potentiæ non emanant ab anima, niſi poſita congruenti organi diſpoſitione, qua ſemel corrupta, non datur agens naturale potens iterum producere tales diſpoſitiones, quas tamen ſemper retinet aqua reſpectu frigoris. Vnde colligo, quòd ſi Deus auferret per miraculum intellectum ab Anima rationali ſeparata à corpore, & Deus concurreret adhuc cùm Anima concurſu vniuerſali, quòd iterum emanaret intellectus alter, quia, cùm intellectus non ſit potentia organica, non poſtulat eaſdem diſpoſitiones in ſubiecto in ſtatu ſeparationis; aliter verò dicendum dum anima eſt in corpore.

Quo pacto potentiæ procedant ab Anima.

4 *Secunda Concluſio.* Potentiæ procedunt ab anima per actionem diuerſam ab ea, quà fit à generante ipſa anima, vel ipſum compoſitum: ita communis ſententia, vt videre eſt apud Soarium in Met. diſputat. 18. ſect. 3. num. 4. & 5. & 2. de Anima capit. 3. num. 10. Probatur, quia creatio & eductio ſunt actiones diuerſæ; ſed Anima rationalis creatur, potentiæ educuntur ab eadem Anima: ergo actio terminata ad Animam eſt diuerſa ab actione terminatâ ad potentias Animæ. Idem argumentum fieri poteſt ad potentias corporeas, quæ fiunt etiam per actionem realiter diſtinctam à generatione, hæc enim eſt productio ſubſtantiæ, emanatio verò potentiarũ eſt eductio accidentalis: quapropter, cũ ii termini ſint realiter diſtincti, & eſſentialiter diuerſi, tales etiam conſtat futuras actiones.

Soarius.

5 Obijcis cùm Ban. 1. parte q. 77. art. 2. dub. 3. Si Anima produceret ſuas potentias per emanationem, talis emanatio foret alteratio, cùm ſit ad qualitates, & cùm aliunde foret inſtantanea, daretur alteratio in inſtanti; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo &c. Reſpondetur admittendo fore alterationem, non tamen propriam, qualis datur inter qualitates contrarias, ſed impropriam, quatenus eſt ſimplex quædam actio ad qualitatem, quæ fieri poteſt in inſtanti, quemadmodùm illuminatio, quæ dicitur impropriè alteratio quædam, & fit in inſtanti. *Bannes.*

6 *Tertia Concluſio.* Omnes potentiæ, omneſque paſſiones immediatè emanant ab anima, v. g. intellectus, & voluntas ita immediatè procedunt ab Anima, vt voluntas non procedat ab intellectu, & intellectus ſolùm immediatè ab Anima, ſed tam intellectus, quàm voluntas immediatè producuntur: ita communis, & verior ſententia apud Soariũ 2. de Anima cap. 3. num. 17. Rubius. 2. de Anima cap. 3. quæſtio 7. fol. 263. num. 105. Barthol Amic. in Phyſ. tract. 11. quæſt. 10. dub. 1. art. 3. num. 9. Hurtad. in Phyſica diſput. 9. §. 11. Arriaga in Phyſica diſp. 10. à num. 11. Probatur, quia quælibet potentia vitalis eſt virtus animæ ad eliciendam operationem vitalem: ſed ſola anima eſt principium totius vitæ: ergo ab ea immediatè dependet omnis potentia vitalis cuiuſque animæ.

Soarius. Rubius. Barthol. Amicus. Hurtad. Arriaga.

7 Confirmatur quia imprimis potentiæ perfectiores non poſſunt emanare, medijs imperfectioribus, quia ſequetur, potentias imperfectiores propinquiores eſſe ſubiecto. Deinde neque potentiæ imperfectiores poſſunt præſupponere potentias perfectiores, quaſi in ſuis operationibus ab illis dependeant, quod manifeſtè probatur, neque enim potentiæ vegetatiuæ dependent à ſenſitiuis (ſiquidem reperiuntur in plantis, quæ nõ ſunt ſenſitiuæ) neque ſenſitiuæ depen-

Digitized by Google

dent ab intellectiuis, vt patet in brutis; quæ habent potentias ſenſitiuas ſine intellectiuis: immò in eodem homine poſſunt ſenſus operari ſine dependentia ab intellectu, & voluntate: ſimiliter etiam inter ſenſus non cernitur talis dependentia, quia nec viſus procedit, mediante auditu, vel è contrà: ergo &c.

8 Neque obſtat, quòd accidentia materialia educantur, mediante quantitate: ſolùm enim quæſtio eſt de potētijs, & paſſionibus vitalibus, quæ debent immediatè fūdari in principio radicali vitæ: vbi aduertēdum eſt, potentias vitales corporeas, quāuis immediatè procedant ab anima, id eſt, quin vna procedat mediante alia, nihilominùs tamen præſupponere corporeum organum, quia ſunt potentiæ organicæ: vnde ſequitur priùs dari in materia quantitatem cum diſpoſitionibus, quàm dentur ipſæ potentiæ: atque hinc eſt, quòd tales potentiæ corrumpantur in morte, quia corrumpitur organum corporeum: at verò potentiæ ſpirituales immediatè inhærentes animæ, permanent, deſtructo compoſito, ſicut etiā permanet ipſa anima.

9 Non nego tamen, potentias animæ ab ea ordine quodam, tanquàm à fonte, dimanare, ita ſcilicet vt alia alias, ſecundùm quandam naturæ anteceſſionem, præcedāt, atque hinc eſt, quòd voluntas ſupponat intellectum ad ſui operationem: vnde etiam prætereà fit, quòd vna paſſio per aliam poſſit demonſtrari, perfectiora enim ſunt naturà priora imperfectioribus: quod non tollit immediatam proceſſionem, quemadmodùm primus, & ſecundus filius dicuntur immediatè prodire à ſuo patre, licèt vnus poſt alium.

SECTIO III.

Vtrùm, & quomodò potentiæ per actus, & obiecta ſpecificentur?

1 PRima concluſio. Potentiæ habēt ſuam intrinſecam eſſentiam, & diſtinctionem à ſuis proprijs, & intrinſecis differentijs quibus conſtituuntur ſub tali, vel tali ſpecie. Concluſio certa eſt, & cōſtat ex ijs, quæ dixi 1. p. tract. 3. in prædicamento relationis ſect. 1. n. 1. & probatur facilè, quia cùm actus & obiecta ſint res extrinſecæ potentijs, non poſſunt conſtituere eſſentiam intrinſecè. Quæſtio igitur procedit de extrinſeca diſtinctione, ſiue ſpecificatione, & tanquàm à ſigno: pro qua ſit,

2 *Secunda Concluſio.* Omnes potentiæ ſumunt vnitatem, & ſpecificam diſtinctionē ab actibus, & obiectis, ita communis, & verior ſententia apud D. Th. 1. p. q. 77. art. 3. Soar. ſup. cap. 2. a n. 8. Conimbr. 2. de Anima cap. 3. q. 5. art. 2. Probatur, quia quæuis potētia eſſentialiter, & tranſcendentaliter dicit ordinem primarium ad ſuos actus, & obiecta. Atque hinc eſt, quòd non poſſit potentia rectè definiri, niſi per actus, & obiecta; vnde etiam ſequitur, quòd habitudo potētiæ ad ſuos actus, & obiecta, intrinſeca ſit, & eſſentialis. Neque obſtat, quòd potentia ſit qualitas abſoluta, hæc enim ordinatio, de qua loquimur, nō eſt ſuperaddita, ſed trāſcendentalis. Reſpicit igitur potentia ſuos actus proximè, obiectū verò remotè, vtrūque tamen per ſe, & eſſentialiter, immò & ad vtrumque habet vnam tantùm relationem prædicamentalem, vt dixi in prædicamento relationis, ſect. 6. n. 12. & propterea potentia per ordinem ad vtrumque ſumit diſtinctionem ſpecificam.

Potentiæ ſpecificantur ab obiectis. *D. Thom. Soarius. Patres Conimb.*

3 Quia tamen obiecta poſſunt eſſe plura, videndum eſt, quo pacto potentiæ ſumant ſpecificationem ab obiectis: ſuppoſito ergo, quòd generica diſtinctio potentiarum ſumatur ex diuerſis modis operandi, & tendendi in obiecta, vt dixi diſp. ſuperiori ſect. 3. §. *Quarta concluſio.* Specificatiua diuerſitas deſumenda eſt ab obiecto formali: tunc verò datur diuerſa ratio formalis in obiecto, quando in obiecto datur diuerſa ratio immutandi, ſeu mouendi potentiam: quapropter multa obiectá, quibus cōuenit eadem ratio mouendi potentiam, conſtituunt formaliter idem obiectum, vnde omnia entia, quibus conuenit ratio formalis intelligibilis, conſtituūt obiectum intellectus; & ſimiliter idem obiectum materiale, prout habet diuerſas rationes formales, ſiue diuerſos modos mouendi potentias, conſtituit diuerſa obiecta formalia, vnde ens, quà audibile, ſpecificat potentiam audiendi, quà viſibile, potentiam videndi. &c.

Quo pacto potentiæ ſpecificentur ab obiectis.

4 Obijcis primò. Potentia, habitus, & actus verſantur circa idem obiectum formale: & tamen ſūt diuerſarum ſpecierum: ergo non ſpecificantur ab obiectis. Reſp. Negando maiorem: modus enim, quo potentia tēdit in obiectum, eſt valde diuerſus à modo, quo actus attingit idem obiectum; potentia enim attingit, mediante actu, actus verò immediatè. Deinde potentia reſpicit obiectū ſecundùm ſe, & vt poſſibile: actus verò tendit

Digitized by Google

dit in obiectum, vt actualiter exiſtens Quæ omnia indicant diuerſitatem in obiecto formali potentiæ, & actus: & idem cernitur in habitu, qui tantùm tribuit facilitatem actibus, & non eſt cauſa per ſe, ſicut potentia; loquimur enim de habitibus naturalibus: & ſimiliter intellectus Angeli ſpecie differt ab intellectu humano ex parte obiecti formalis, quia diuerſo modo attingitur ab Angelo, & ab homine. vt videri poteſt apud Soar. 4. de Anima. cap. 1. n. 8.

5 Obijcis ſecundò. Potentiæ ſpecie diuerſæ habere poſſunt idem obiectum: ergo potentiæ non diſtinguuntur ſpecie per obiecta. Probatur antecedens. Nam potentia viſiua hominis, & equi, ſiquidem procedũt à diuerſis animabus, ſunt diuerſæ ſpeciei: & tamen habent idem obiectum formale, nẽpe viſibile. Reſp. Negando antecedens, & ad probationem dicendum eſt, potentiam viſiuam hominis, & leonis, eſſe eiuſdem ſpeciei, non ſolùm; quia tendunt eodem modo in idem obiectum viſibile, ſed quia procedunt ab eodem principio, ſcilicet, ab anima quà ſenſitiua eſt, ſequuntur enim gradum animalis qui in homine, & leone eſt eiuſdẽ ſpeciei: quamuis Soar. 4. de Anima. cap. 1. n 8. verius exiſtimet ſenſus internos hominis differre ſpecie à ſenſibus brutorum; immò, & circa ſenſus externos probabilius credit dari ſpecificam diſtinctionem inter ſenſus hominis, & ſenſus brutorum, propterea quòd procedunt à diuerſis ſubiectis, nihilominùs tamen in hac re magis placet oppoſita ſententia, quam ſequor.

6 Ex quibus tandem concluditur, potentias ſpecificari per obiecta formaliter ſumpta, id eſt, per obiecta, prout conueniunt in vna ratione ſpecifica. Neque obſtat, quòd poſſit eadem potentia habere actus ſpecie diuerſos, vt intellectus v.g. qui poteſt habere ſcientiam, errorem, & opinionem, nam tales actus ſolùm materialiter diuerſificantur, formaliter enim induunt eandem rationem intelligibilem, vt dixi de obiectis.

SECTIO IIII.

Vtrùm potentiæ Animæ vegetatiuæ inter ſe realiter diſtinguantur?

Nutritiua augmentatiua, & generatiua eſt eadem potentia.

1 SIT vnica concluſio. Nutritiua, augmentatiua, & generatiua eſt vna, & eadem realis potentia Animæ vegetatiuæ, habens tria munera, ſcilicet nutriẽdi, quod pertinet ad cõſeruationem indiuidui; augmentandi, quod pertinet ad perfectionem eiuſdem indiuidui; tertium munus eſt generandi aliud ſimile, quod pertinet ad propagationem. Ita Ariſtoteles cum Conimbr. 2. de Anima cap. 4. q. vnica art. vlt. Rub. ibid. q. 1 n. 33. & Soar. 2. de Anima cap. 10 à n. 10. loquens de Generatiua, & Nutritiua, in quibus eſt maior difficultas: Probatur concluſio à Conimbr. quia nutritio, augmentatio, & Generatio ſunt actus ſubordinati, ad quos ſufficit eadem potentia, vt patet in calefactione, & illuminatione Solis, quæ fiunt per eandẽ potentiam. Sed contra: quia etiam volitio ſubordinatur intellectioni: & tamen volitio, & intellectio requirunt duas potentias diuerſas: quapropter alia ratio quærenda eſt ad probationem concluſionis.

Ariſtotel. Patres Conimbr. Rubius. Soarius.

2 Probatur igitur quia potentiæ ſpecificantur per obiecta: ſed nutritio, augmẽtatio, & generatio habent idem obiectum: ergo &c. Probatur minor, quia verſantur circa idem alimentum, operando diuerſis tranſmutationibus ordinatis ad conuerſionem alimenti in ſubſtantiam corporis viuentis; vel ſecundùm idem indiuiduum in nutritione, & augmentatione: vel ſecundũ n eandem ſpeciem in generatione alterius. Quapropter eadem virtus Animæ habere poteſt hos tres actus inadæquatos, circa idẽ alimentum, nutriendo, ſcilicet, & augendo idem corpus, generandóque nouum ſibi ſimile, ſiquidem idem intellectus habet tres actus inadæquatos, quibus apprehendit, iudicat, & diſcurrit: quod alio exemplo confirmat, Soar. ſup. n. 5. eadem enim eſt virtus ignis, qua auget ſe, & alium generat, ſunt enim hi actus eiuſdem rationis, & quaſi per accidens diuerſi, nam augmentatio eſt quædam nutritio, & generatio eſt etiam quædã noua nutritio: loquimur autem de virtute generatiua, quæ ineſt in ipſo viuente, non de ea, quæ reſidet in certa aliqua parte corporis.

3 Obijcis pro contraria ſententia, quã tenẽt Albertus, Caiet. & alij apud Conimb. 2. de Anima cap. 4. q. vnica. art 1. pro eadẽ contraria ſententia pugnant Patres diſcalceati, diſp. 8. de Anima, q. 1. à n. 15. vbi alios citant. Virtus generatiua ſeparatur à nutritiua, vt patet in infante, qui nutriri poteſt, non tamen poteſt alium generare: ergo generatiua, & nutritiua realiter diſtinguũtur. Reſpondetur negãdo antecedens, vbi enim datur nutritiua, datur etiam generatiua, nutritio enim eſt quædam continuata generatio, per accidens verò eſt quòd hæc poten-

Albertus. Caietan. Patres Conimb.

tia prodire non poſſit in actum externum generandi alium, ſicut eadem potentia eſt ad videndum lucidum, & coloratum, licèt aliquando ex defectu organi non poſſit potentia videndi prodire in actum externum aſpiciendi aliud obiectum valde lucidum: quamuis ergo actus ſeparentur, potentiæ ipſæ ſeparabiles non ſunt.

4 Obijcis ſecundò. Nutritiua habet pro obiecto ſubſtantiam, in quam conuertit alimentum; augmentatiua habet pro obiecto quantitatem, in quam conuertit alimẽtum: ergo diſtinguuntur inter ſe. Confirmatur, quia augmentatio, & generatio ſũt motus diuerſi. Reſp. obiectum eſſe idem, ſcilicet idem alimentum, quod, quia per nutritionem conuertitur in ſubſtantiam aliti, naturali conſequutione ipſum animal nutritũ cenſetur fieri quantum, ſine indigentia alterius potentiæ. Neque ex diuerſitate obiectorum bene colligitur realis diſtinctio, nam omnipotentia, & ſcientia diuina nõ diſtinguuntur realiter, quamuis obiecta creata ad quæ tendunt inter ſe diſtinguantur. Ad confirmationem reſpondetur, augmentationẽ, & nutritionem inadæquatè eſſe motus diuerſos, ſicut viſio nigri, & viſio albi ſũt duo actus inadæquatè ſpecie diuerſi, qui tamen prodire poſſunt ab eadem potentia.

5 Ex his conſequenter negandum eſt, quòd nutritiua, & augmentatiua ſeparari vnquam poſſint ab eodem viuente: quia, licèt verum ſit nutritiuam durare toto vitæ tempore, ita etiam verum eſt, augmentatiuã durare, quamuis à ſuo actu aliquantulùm impediatur, ſicut non cenſetur deficere potentia viſiua in ſene, ex eo quòd non poſſit ita perſpicaciter videre, propter organi debilitatem. Aduertendum verò eſt, potentiã nutritiuam habere pro ſubiecto totum viuens, quia quemadmodùm quælibet pars viuentis nutritur, & augetur, ita in qualibet parte debet eſſe potentia nutritiua. Cùm tamen potentia nutritiua diſperſa ſit per totum corpus, pro diuerſitate membrorum & organorum, exercet effectus diuerſæ ſpeciei, quales ſunt caro, oſſa, ſanguis, &c. Immò quamuis generatiua ſit, tanquàm pars quædam integralis potentiæ nutritiuæ, bene ſtare poteſt, quòd generatiua habeat ſuum actum generandi aliud viuens externum, nõ in toto corpore, vbi reſidet, ſed in parte certa, & determinata, ſicut dixi ſuprà de Anima rationali, quæ quamuis ſit in toto corpore, actum tamen intelligendi non habet, niſi in capite.

DISPVTATIO LXXX.

De ſpeciebus, & actibus potentiarum.

DIXI de potentijs in cõmuni, dicendum reſtat de his, quæ requiruntur ad conſtituendam potẽtiam in actu primo, & prætereà de effectibus eiuſdẽ potentiæ, per quos ponitur in actu ſecundo. Suppono igitur, cùm communi ſententia, omnem ſenſum, omnemque potentiam cognoſcitiuam ſimul actiuam, & paſſiuam eſſe; paſſiuam ſcilicet, quatenus in ſe recipit ſpeciẽ, & poſteà ſuum actum (nam actio immanens, qualis eſt non ſolùm intellectio, ſed etiam quælibet ſenſatio, in eodem principio, à quo elicita eſt effectiuè, recipitur ſubiectiuè) actiuam deinde, quatenus producit ſuum actum. His ſuppoſitis, quærendum eſt.

SECTIO I.

Vtrùm requirantur ſpecies ad operationes potentiarum, & quænã ſit illarum natura?

1 PRima Concluſio. Potentiæ cognoſcitiuæ requirunt naturaliter ſpecies, quibus obiectum, quãdo eſt abſens, fit præſens ipſi potentiæ: quæ ſpecies effectiuè ſimul concurrunt cũ potentia, ita ut ex ſpecie, & potentia fiat vnũ totale principium compoſitum ex duplici partiali: Ita communis, & vera ſententia cũ D. Thom. 1. p. q. 56. art. 1. & ſæpe alibi, Conimbr. 2. de Anima cap. 6. q. 2. art. 2. vbi quatuordecim Authores citantur. Idem ſequitur Soar. de Anima lib. 3. cap. 1. à n. 4. & lib. 2. de Angelis cap. 3. pro qua etiam videri poteſt

Potentia cognoſcẽs requirit ſpecies ad ſuam operationem.

D. Thom.

Patres Conimbr.

Suarius.

eſt

Digitized by Google

Rubius. *Arriaga.*

teſt Rub. 1. de Anima. cap. 5. q. 2. n. 28. & q. 3. a nu. 42. vbi citat multos ex Patribus, & Scholaſticis. De quibus latè noſter Dandinus de Anima. lib. 2. a fol. 1140. & Arriaga de Anima diſp. 4. ſect. 2.

2 Probatur, quia potentia cognoſcens de ſe eſt indeterminata ad plura obiecta cognoſcenda: Deinde obiectum plerumq; eſt extra potentiam: ergo potentia indiget ſpeciebus, quæ ſint veluti vicariæ obiecti, ipſamque potentiam determinent, conſtituantque in actu primo ad operandum. Confirmatur, quia modus cognoſcendi fit per aſſimilationem, in qua potentia intra ſe format imaginem obiecti: ſed obiectum non poteſt vniri potentiæ per ſe ipſum, cùm ſit extrinſecum, & remotum: ergo indiget ſpeciebus, quibus obiectũ intentionaliter vniatur ipſi potentiæ cognoſcenti.

3 Non eſt autem ſpecies per ſe ſolùm, neque ſola potentia cauſa adæquata actus, ſed quælibet eſt principium partiale, & cõplent vnum adæquatũ, itaut tota actio cognoſcendi progrediatur ſimul ab ſpecie, & à potentia ſicut, proportione habita potẽtia, & habitus concurrunt ad eundem effectũ, & cauſa prima cum cauſa ſecunda: & ſicut cauſa prima dicitur principalis, & vniuerſalis, cauſa verò ſecunda dicitur particularis, ita, ſuo modo, intellectus eſt cauſa vniuerſalis ſpecies verò eſt cauſa particularis, & minùs principalis, quamquàm ſi propriè loquendum ſit, potentia, & ſpecies potiùs dicendæ ſint cauſæ inſtrumentales animæ.

Reijcitur contraria ſententia. *Durand.* *Dandin.* *Henric.* *Nominal.*

4 Obijcis primò pro contraria ſententia, quæ tenet neceſſarias nõ eſſe ſpecies potentijs cognoſcitiuis. Quam ſequuntur Durand. Henr. & alij, quos citat. Rub. ſup. q. 3. n. 40. quæ ſententia magis placet noſtro Dãdino de Anima lib. 2. fol. 115 3. vbi §. *Et Lactantius*, pro ſe affert Nominales. Obijcis, inquam, primò. Sentire, & cognoſcere ſunt actiones vitales: ergo debent procedere à principio vitæ, ſed ſpecies non eſt vitalis, ſiquidem producitur ab obiecto inanimi, vt eſt color v. g. ergo ſpecies non concurrit ad actiones vitales. Reſpondeo concedendo operationem vitalem, qualis eſt ſenſatio, & intellectio, debere procedere á principio vitæ coniuncto, vt reuera procedit á potentia, quæ immediatè eſt coniuncta Animæ: neque requiritur, quód totum principium adæquatum, à quo procedit actio vitalis, ſit etiam vitale, vt patet multis exemplis, nam ad eandem actionem vitalem concurrit habitus, qui non eſt vitalis &c. eſt igitur vitalis illa actio, quia denominatio ſumitur a potiori parte, nempe à potentia.

5 Obijcis ſecundò cum Durand. Species non cognoſcuntur; ergo non poſſunt eſſe imagines, ſiue rationes cognoſcendi obiectum. Probatur conſequentia, quia imago debet priús cognoſci, vt ducat in cognitionem ſui ſignificati. Reſpondeo negando cõſequentiam, ſunt enim ſpecies ſigna formalia, proindeque neceſſe non eſt, quòd priús cognoſcantur, ſed incognitæ ducent potentiam in obiecti cognitionem, vt latè cõſtat ex ijs, quæ dixi 1. p. tract. 2. agendo de ſignis formalibus. Inſtas. Species eſt diuerſæ naturæ ab ipſo obiecto; ergo non poteſt eſſe ſimilitudo obiecti. Hæc inſtantia ſoluetur ex dicendis.

Species ſũt diuerſæ naturæ ab obiectis. *Fonſeca.* *Soarius.*

Secunda Concluſio. Species ſunt diuerſæ naturæ ab obiectis, eiſque ignobiliores: hæc etiam communis eſt. Prima pars traditur à Fonſ. 2. Met. cap. 2. q. 2. ſect. 5. in fine & art. Soar. de Anima lib. 3. cap. 9. n. 9. Probatur, quia obiectum externum eſt aliquod ſenſibile: at verò ſpecies propriè loquendo ſẽſibilis non eſt, ratione ſui, quamuis, ratione obiecti, dici poſſit ſenſibilis, modo explicãdo. Confirmatur primò. Quia in eádem potentia conſeruari poſſũt ſpecies albi, & ſpecies nigri, & tamen in eodem ſubiecto naturaliter eſſe non poſſunt albedo, & nigredo: ergo ſpecies albedinis, & nigredinis nõ ſunt eiuſdem naturæ cum albedine, & nigredine, ſiquidem hæ ſunt contrariæ, illæ verò minimè.

7 Confirmatur ſecundò. Quia ſpecies intelligibiles ſunt accidentia ſpiritualia, res autem repræſentata per has ſpecies ſæpe eſt ſubſtantia, vel aliquid materiale. Atque ex his conſtat, poſſe ſpeciem eſſe diuerſæ naturæ, & tamen eſſe ſimilitudinem rei, non in eſſendo ſed in repræſentando, ad rationem enim creatæ imaginis, non requiritur identitas in natura ſpecifica, vt patet in imagine depicta Cæſaris quæ Cæſarem repræſentat. Vtrùm verò ſpecies ſint formaliter, an tantùm virtute repræſentatiuæ obiecti reſolui affirmatiuè in Logica diſp. 2. ſect. 1 à n. 12.

8 Obijcis, Species, quæ procedit ab obiecto corporeo, & materiali, eſt etiam materialis, & corporea: ergo eſt eiuſdem naturæ cum obiecto. Reſpondetur explicando antecedens, talis enim ſpecies propriè loquendo, & ſimpliciter, non dicitur corporea; dicetur tamen corporea intentionaliter & in repræſentando, habet enim eſſe valde diuerſum ab obiecto, & valde defectibile, quapropter ſpecies obiecti ſenſibilis, & materialis non eſt ſenſibilis, ſicut obiectũ, quãuis ſit medium, quo ſentitur, obiectum; vnde ſequitur ſpecies obiecti viſibilis, viſibiles nõ

eſſe

Digitized by Google

eſſe,neque enim in ſpeculo videntur ſpecies,vt ſæpe,& bene probat Soar.ſup.cap.2. à n 14. *Soarius.*

9 Ex his ſequitur ſecunda pars concluſionis,ſpecies videlicet,eſſe deterioris naturæ,ac perfectionis,quàm ſint obiecta, quorũ ſunt imagines. Probatur,quia ſunt effectus procedentes ab obiecto,tanquàm á cauſa æquiuoca principali:omnis autem cauſa æquiuoca principalis nobilior eſt ſuo effectu.Confirmatur,quia ſpecies non habent eſſe quod ſit phyſicum,propriè loquendo, ſed habent quoddam eſſe intentionale , & degenerans,diminutumque, & imperfectũ: dicuntur autem ſpecies habere eſſe intẽtionale quia ſunt quaſi intentiones quædam, ſiue attentiones Animæ ad cognoſcẽda obiecta.

10 Quapropter falſò ab aliquibus dicuntur ſpecies eſſe quædam corpuſcula ſubtilia,vel quædam ſubſtantiæ,nam imprimis ſpirituales ſpecies nihil habẽt corporis.Deinde ſpecies rerum ſenſibilium producuntur ab obiecto aliquo ſenſibili; ſed obiectũ per ſe ſenſibile,non eſt ſubſtantia, ſed accidens:ergo non poteſt producere, tanquàm principalis cauſa,ſpeciem ſubſtantialẽ:Educuntur igitur hæ ſpecies de potentia ſubiecti,in quo recipiuntur, quæ ſubiecta ſunt potentiæ,oculus v.g.vel quoduis medium, aer v.g. educuntur verò per actum eiuſdem obiecti quod effectiuè illas producit,& intentionaliter mutare poteſt ſubiecta harum ſpecierum. *Species educuntur à potentia ſubiecti.*

11 Probatur,quia ſi ſpecies non educerentur de potentia ſubiecti, non haberent vnionem materialem,ac proinde crearẽtur, quod eſt falſum. Confirmatur quia nihil eſt aliud educi, quam pendere in fieri, & conſeruari;ſed ita ſe habent ſpecies per reſpectum ad potentiam,vel medium : ergo &c. Neque ad eductionem harum formarum intentionalium requiritur in ſubiecto præuia alteratio,ſed ſatis eſt naturalis potentia ad illas recipiendas,cum dependẽtia à ſubiecto in fieri,& conſeruari.

SECTIO II.

De extenſione , & intenſione ſpecierum?

1 PRima Concluſio. Species obiectorũ ſenſibilium receptæ in potentia corporea,uel in medio quouis diuiſibili,ſunt extenſæ,& diuiſibiles ad extenſionem,& diuiſibilitatem ſubiecti, in quo recipiuntur.Ita Rub.2.de Anima c. 6.q.8.num.79.& breuiter probat Soar. de Anima lib.3.cap.2.n.18.idem etiam docent Conimbr.2.de Anima cap.6 q.2.art.2.§. *Ad tertium.* Probatur,quia repugnat accidens corporeum receptũ in ſubiecto,media quãtitate,non extendi eidem ſubiecto:ſed ſpecies obiecti corporei educitur de potentia ſubiecti corporei,& in eo recipitur,media quantitate:ergo ſuo modo diuiſibilis eſt, & extenſa ſecundùm diuiſibilitatem,& extẽſionem ſubiecti.Confirmatur, quia ex hoc argumento probauimus diſp.79.ſect.6.animas materiales eſſe diuiſibiles.Confirmatur ſecundò,Quia ſpecies ſunt imagines naturales obiectorum,& procedunt ab obiectis ſecundùm ſuam extenſionem: quod ãpliùs ex ſequenti concluſione conſtabit. *Sunt ex ẽ & intentionaliter, ſicut obiectum ex ẽ dicitur materialiter.* *Rubius.* *Soarius.* *Patres Conimb.*

2 *Secunda Concluſio.* Species ſenſibiles nõ ſolùm habent diuiſionem extenſiuã ex parte ſubiecti,ſed etiam ex parte obiecti, itaut tota ſpecies repræſentet totum obiectum, & pars ſpeciei partem obiecti.Probatur manifeſtã experientiã,conſtat enim,ſi occultetur,vel auferatur pars obiecti, auferri illius partis ſpeciem,neque tunc ab oculo videri talem partem obiecti. Confirmatur, & explicatur,quia ſpecies repræſentat obiectum per modum imaginis,& propterea debet ſe accommodare obiecto, quod repræſentat, itaut tota repræſentet totum,pars verò partem:quod euidentiùs cernitur in obiectis eterogeneis,ſpecies enim, quæ eſt imago capitis,non poteſt eſſe imago brachij,& ſimiliter ſpecies,quæ à ſolo brachio procedit,repræſentare non poteſt totum hominẽ:quapropter,ſicut ex diuerſis actionibus partialibus,fit vna totalis,ſic ex diuerſis ſpeciebus partialibus vna totalis componitur.

3 Neque obſtat , quòd hic ignis procedat à toto hoc igne,& à tota eius parte, cùm enim ignis ſit omogeneus, & cùm ſeparatus à toto,iam maneat totum, & non pars à qualibet parte ignis,à qua recipit eſſe recipit illud,tanquàm ab aliquo toto: quod longè aliter euenit in effectibus intenſionalibus,nam cùm ſpecies ſit imago naturalis obiecti,debet ſe illi omnino accommodare,ſi non in eſſendo,ſaltem in repræſentando,itaut pars repræſentet partẽ obiecti, & tota totum obiectum.

4 Quapropter neceſſe eſt,quòd in toto ſubiecto,& in qualibet eius parte,tot reperiantur partes obiectiuæ extenſionis ſpecierum,quot ſunt partes eiuſdem obiecti in ordine,ad quod accipitur extenſio obiectiua.Huiuſmodi autem partes obiectiuæ extenſionis

tenſionis vniuntur, & continuantur ſuis indiuiſibilibus, quemadmodùm partes extenſionis ſubiectiuæ; quælibet enim partes continui habere debent ſua indiuiſibilia, ſuaſque vniones ſecundùm modum ſuæ extenſionis, iuxta ea quæ dixi in Phyſ. diſp 35.

5 Obijcis cum Perſpectiuis. Species procedunt ab obiecto per modum pyramidis, vt deſinant in indiuiſibili: ergo ſpecies, per quam fit viſio eſt indiuiſibilis, ſiquidem terminatur ad cétrum oculi, quod eſt indiuiſibile. Reſpondetur ex argumento Perſpectiuorum non rectè colligi ſpeciem eſſe indiuiſibilem in ſua entitate, immo retorqueri poteſt argumentum, nam ſaltem baſis, & medium huius pyramidis intentionalis diuiſibilia ſunt; quamuis ergo actu concedamus centrum oculi, & verticem pyramidis eſſe indiuiſibilia, non inde ſequitur, ſpeciem ipſam recipi in indiuiſibili, aut ipſam in ſe indiuiſibilem eſſe, ſicut non ſequitur, partem aliquam quantitatis, ſiue lineā aliquam eſſe indiuiſibilem ſecundùm longitudinem, quamuis deſinat in aliquo indiuiſibili.

6 Confirmatur, quia ſi tota ſpecies foret indiuiſibilis repræſentaret totum obiectum, & quamlibet eius partem: & ſimiliter per ſpeciem emiſſam á qualibet parte obiecti, videretur totum obiectum, quod tamen non ita euenit, vt patet experientiā ſuprà factā. Neque obſtat, quód D. Auguſtinus lib. 12. ſup. Geneſ. ad liter. cap. 16. ſpecies ſenſuum vocet ſpirituales, nam eo loco, vt communiter interpretes loquuntur, dicuntur ſpirituales, eo quòd aliquantulùm à materia emergunt, cùm non adeò ſint materiales, ſicut eſt ipſum obiectum, neque adeò cadant ſub ſenſum, vt cadunt ea obiecta, quorum ſunt ſimilitudines. D. Aug.

De intenſione Specierum.

7 TERTIA *Conclusio*. Species impreſſa diuiſibilis eſt ſecundùm gradus intentionis, ita vt ſicut albedo v. g. per additamentum noui gradus fit intéſior, ita & ſpeciei repræſentanti hunc gradū albedinis, addatur nouus gradus, tātò perfectior, aut intenſior in repræſentando, quantò perfectior & intenſior facta eſt albedo repræſentata; atq. adeo ſi in fine intenſionis eadem numero albedo habet octo gradus, ita & ſpecies ipſam albedinem repræſentans: & ſicut gradus intenſionis in albedine vniuntur ſuis indiuiſibilibus, ita & gradus ſpeciei. Probatur, quia ſpecies eſt imago obiecti: ergo ſicut pars ſpeciei repræſentat partem extenſiuam obiecti, & tota totum obiectum, ita & pars eiuſdem ſpeciei repræſentabit partem intenſiuā eiuſdem obiecti, ac proinde habebit ſpecies gradus intenſionis, non quidem phyſicos, ſed intentionales: probatur conſequentia, quia obiectum non minùs eſt diuiſibile ſecundùm partes extenſiuas, quàm ſecundū partes graduales, & intenſiuas.

8 Atque hinc prouenit, quòd ſpecies, quæ procedit ab vna albedine magis intenſa repræſentet obiectum clariùs, & intenſiùs, vnde pars ſpeciei, quæ procedit ab albedine exiſtente in facie Socratis, intenſior eſt ea parte ſpeciei, quæ procedit ab albedine eiuſdem Socratis exiſtente in manu, ſuppoſito, quód albedo faciei ſit intenſior eá, quæ eſt in manu; cùm igitur ſpecies ſit naturalis quædam imago intentionalis obiecti, repugnat variari obiectum, quin ipſa imago varietur.

9 *Quarta concluſio* Species non ſolùm habet intenſionem gradualem, ex eo quòd repræſentet plures gradus obiecti, ſed etiā ex eo quod poſſit eoſdem, vel eundem gradum, magis, vel minùs expreſſè repræſentare: vnde quamuis obiectum nullam habeat intenſionem, poteſt ſpecies illam habere maiorem, vel minorem. Probatur imprimis experientiā, experimur enim idem obiectū per ſenſus immutatum, nunc magis, nunc minùs perfectè repræſentari potentiæ per ſpeciem productam ab obiecto, ſecundùm maiorem, vel minorem diſtantiam, quam habet obiectum à potentia cùm igitur potentia ſit eadem & obiectum ſimiliter idem, & immutatum, ſequitur, quòd illa maior intenſio ſolùm data ſit ex parte ſpeciei, quæ modò clariùs repræſētat obiectū, quàm anteà. Species præter intenſionem gradualē, habet aliā ſecundùm perfectionem.

10 Quod declaratur in caſu, in quo obiectum ſit diſtans à potentia videndi, ad quam potentiam obiectum primò ſolùm pertingat per vnum gradum, ſpeciei, vnde quó obiectum propinquiùs fiat potētiæ, cò magis intendetur ſpecies, clariùſque repræſentabit obiectum; & explicatur exemplo ignis, qui quò magis manui appropinquat, cò magis gradus caloris intenduntur in manu. Ex quibus conſtat, ſpeciem intentionalem, præter gradum intenſionis obiecti habere in ſe alios gradus, reſpectu potentiæ, quemadmodùm repugnat, perfici qualitates phyſicas reſpectu ſubiecti ſine additione noui gradus, vt dixi in Met. tract. 3. diſp 66 ſect 1.

11 Neque recurrendum eſt ad maiorem vel

Occurritur obiectioni.

vel minorem diſtantiam obiecti, quam aliqui dicunt eſſe cauſam, propter quam obiectum minùs, aut magis perfectè videatur, nam ſola maior, vel minor diſtantia nō poteſt hoc præſtare, ſed requiritur ſpecies, quæ magis, aut minùs clarè proponat obiectum, quò enim agens naturale minùs diſtat à paſſo, eò perfectiùs, & fortiùs agit in illud, (vt patet in igne, qui quò magis appropinquat ligno, eò vehementiùs agit in lignum) ergo quó obiectum minorem habuerit diſtantiam, ſeu quò propinquius fuerit potentiæ, eò intenſiorem, & efficaciorē ſpeciem producet in ipſa potentia: quapropter ſola maior, vel minor diſtantia obiecti non eſt cauſa viſionis perfectioris, aut imperfectioris: ſed ſuppoſitâ indiſtantiâ prouenit intenſior viſio ab ſpecie intenſiori.

12 Confirmatur, quia perfectior operatio prouenire non poteſt niſi à perfectiori principio: atqui perfectior ſenſatio non poteſt ſolùm prouenire ex parte ſēſus, quia hic ſemper eſt idem: ergo prouenit ex parte ſpeciei, quæ quando eſt intenſior, & perfectior facit ſimul, cum potentia, perfectius quoddam principium, à quo prouenit ſenſatio, ita ut inadæquatè procedat tam ab ſpecie, quàm à potentia, quia licèt vtraque in ſuo genere ſit cauſa totalis, nihilominùs propter talem applicationem concurrunt, vt cauſæ partiales, ex quibus conflatur vna totalis. Ex quo tandem concluditur, habere ſpeciem has duas diuiſibilitates intenſiuas: prima eſt plurium graduum, ratione obiecti; ſecunda eſt ratione maioris vel minoris perfectionis, ſecundùm quam ſuppoſita maiori, vel minori indiſtantia repræſentare poteſt eundem, vel diuerſos gradus intenſionis.

13 Vtrùm verò ſpecies ipſæ ſint per ſe viſibiles; iā reſolui negatiuè: nec me mouet aliquorū experientia, qui ſibi fingunt videre ſpecies, quando per exiguū foramen lux ingreditur in obſcurū cubile, verū ſic exiſtimantes omnino in hac luce cæcutiunt, contra quos bene diſputat Arriaga de Anima, diſp. 4. ſect. 3. ſubſect. 2.

SECTIO III.

Vtrùm dentur ſpecies ſenſibilium communium?

1 ANTEQVAM quæſtioni reſpōdeam, ſciēdum breuiter eſt, quid, & quotuplex ſit ſēſibile cōmune. Aduertendum igitur eſt, quòd præter ſenſibile proprium, quale eſt lucidum, & coloratum, reſpectu potentiæ vidēdi, & ſonus reſpectu potentiæ audiendi: & præter ſenſibile per accidens, quale eſt illud, quod per ſe nullo modo ſentitur, ſed ſolùm per accidēs & ratione accidentium externorum, vt ſe habet ſubſtantia. Aduertendum, inquā, eſt, dari quædam ſenſibilia communia, quæ dicuntur illa obiecta materialia, quæ à pluribus ſenſibus percipi poſſunt; vnde quamuis detur aliquod ſenſibile commune, quod ab omnibus ſenſibus percipiatur, hoc tamen non requiritur.

2 Sunt verò hæc ſenſibilia quinque, nimirum motus, quies, numerus, figura, magnitudo. Ad numerum autem reducuntur diſcretio, & vnitas, numerus enim diſcretionem ſecum affert, vnitas verò principium eſt numeri; acutum verò, & obtuſum, aſperum, & lene, curuum, & rectum reducūtur ad figuram; diſtantia verò, & ſitus ad magnitudinem; tempus verò ad motum. Sumitur hîc figura non formaliter pro qualitate, quam non percipit ſenſus, ſed pro materiali terminatione quantitatis: ſimiliter numerus, materialiter ſumitur: item motus non ſumitur formaliter prout eſt via ad terminum, ſed pro ſola ratione materiali conſiſtēte in variatione ſitus, & loci: quies verò ſumitur pro conſiſtentia rei ſenſibilis in eodem loco. Per magnitudinem autem intelligitur, extenſio quæuis quantitatiua. De his late Rub. 2. de Anima cap. 6. q. 51. Conimb. ibi. q. 4. Soar. 3. de Anima cap. 8.

Quinque ſunt ſenſibilia communia.

Rubius, Patres Conimbr. Soarius.

3 His ſuppoſitis petit titulus ſectionis, vtrùm ſenſibile commune percipiatur per ſolam ſpeciem ſenſibilis proprij, aut per diſtinctam ſpeciem ab ea, per quam percipitur ſenſibile proprium? ſic igitur *vnica Concluſio*. Senſibile commune percipitur per ſpeciem emiſſam à ſenſibili proprio, ſed modificatam à ſenſibili communi. ita Diuus Thom. 1. parte q. 78. art. 3. & alij plures, quos citat, & ſequitur Rubius ſup. à num. 137. Item Soarius ſup à num. 7. Quod latè oſtendit noſter Dandinus de Anima lib. 2. à fol. 1226. Explicatur, & probatur concluſio. Ita enim hoc coloratum à ſe immittit ſpeciem in oculum, vt ſi præditum ſit figura quadrata diuerſimodè prodeat ſpecies, quàm ſi habeat figuram rotundam: nam ſenſibilia propria, vt lux, & color. v. g. non videntur ab oculo in abſtracto, ſed in concreto: atqui in concreto naturaliter ſunt coniuncta cum ſenſibilibus communibus; ergo ex ſenſibili proprio, & communi fit vnum obiectum,

D. Thom. Daddin.

Digitized by Google

obiectum, quod per modum vnius immutat ſenſum: cùm igitur albedo non, niſi in concreto reperiatur coniũcta cũ tali, vel tali magnitudine, vel figura, inde eſt, quòd illa figura immutet ſpeciem albedinis: atque hinc fit, quòd ſpecies, per quam repræſentatur ſenſibile proprium, duo habeat, ſcilicet entitatẽ, & medium, ratione entitatis repræſentat proprium ſenſibile; ratione modi repræſentat ſenſibile commune.

4 Quamuis igitur ſenſibile commune, & ſenſibile proprium differant ſpecie: immò & genere (nam ſenſibile proprium eſt qualitas; at verò ſenſibile commune poteſt eſſe quantitas) nihilominùs tamen in eſſe obiectiuo conuenire poſſunt in eâdem ratione mutandi potentiam, vbi aduertendum eſt primò, tam ſenſibile proprium, quàm commune, eſſe ſenſibile per ſe, nam ſenſibile per accidẽs nullo modo per ſe debet ſentiri. Aduertendum ſecundò, in caſu, in quo variato ſenſibili communi maneat ſenſibile propriũ, manereꝗ eandem ſpeciem quòad entitatem, non tamen quòad modum. Aduertendum tertiò. Senſibile commune percipi non poſſe ſine ſenſibili proprio. Probatur, quia obiectum ſecundarium non percipitur ſine primario; ſed ſenſibile proprium eſt obiectum primarium ſenſus, ſenſibile verò cõmune eſt ſecundarium: ergo &c. Confirmatur, quia ſenſibile commune eatenus pertinet ad ſenſum, quatenus modificat ſenſibile proprium; ſed modus percipi non poteſt ſine re, cuius eſt modus: ergo &c.

Obiectum nõ eſt tãgibile, niſi per ſpecie tactus.

5 Obſtas. Siquis cælo manum injiceret: ſentiret eius magnitudinem reſiſtentem; & tamen cælum non habet aliquod ſenſibile proprium tactus: ergo bene poteſt percipi ſenſibile commune, quin percipiatur ſenſibile proprium. Reſp. negando maiorem, manus enim cælo admota non perciperet eius magnitudinem, ſuppoſito quòd nullam habeat qualitatem tangibilem, ſicut nec videri poteſt, ſiquidem non eſt lucidum, nec coloratum: nihilominùs tamen impediretur, ne vlteriùs progrederetur per quantitatem cæli, quæ naturaliter penetrari non poteſt, ſoluſꝗ; ſenſus internus perciperet dari aliquod impedimentum extrinſecum propterquod manus non poſſet vltrá progredi.

6 Reſtabat hîc quærere, an ſenſibile proprium indiuiſibiliter exiſtens poſſet ſaltem diuinitus percipi à ſenſu externo? Sed hanc quæſtionem negatiuè reſoluam diſp. 84. ſect. 4. a num. 23. Præterea quærendum erat, vtrùm ſenſus externus poſſit abſtractiuè cognoſcere obiectum, quod ſaltem intentionaliter præſens non ſit per ſpeciem à Deo conſeruatam? quam etiam quæſtionem reſoluam ibid. negatiuè ſect. 2. n. 15. In caſu verò in quo Deus conſeruaret in oculo ſpeciem obiecti abſentis, Deus non deciperet hominem ſic videntem, quamuis permitteret eius deceptionem: obiectum namꝗue veram ſui ſpeciem diuinitus immitteret, videns autem ſe ipſum falleret, credendo, ſiue iudicando obiectum ſibi adeſſe realiter, cùm tamen præſens ſit ſolùm intentionaliter: & conſequenter dicendum eſt, poſſe ſenſum guſtus ſentire dulcedinem mellis abſentis, per ſpeciem eius conſeruatam in ſenſu. quãuis talis homo non nutriretur per illam ſpeciem, quia nutritio requirit ſubſtantiam, aut quantitatem. Vtrùm verò ſenſus errare poſſit circa ſua ſenſibilia? dixi 1. p. trac. 2. diſp. 11. ſec. 2. à n. 7.

Nõ poteſt percipi obiectũ quod nõ ſit præſens vel per ſe, vel per ſpeciẽ.

7 Modò verò addo, non poſſe à ſenſu externo, immò neque ab intellectu percipi obiectum, quod non ſit præſens potentiæ, vel per ſe, vel per ſpeciem, etiam de potentia Dei abſoluta. Probatur, quia Deus per concurſum diuinum ſupplere non poteſt cauſam formalem intrinſecam (neque enim poteſt album facere ſine albedine) ergo ſimiliter non poterit ſupplere cauſam formalem externam per ſuum concurſum: atqui obiectum concurrit formaliter, ſiue exemplariter, vel per ſe, vel ſui ſpeciem; concurſus verò diuinus non poteſt hoc præſtare formaliter: ergo quamuis poſſit Deus ſupplere concurſum effectiuum ſpeciei, & obiecti, non tamen poterit ſupplere concurſum formalem obiecti, vel ſpeciei. Confirmatur, quia implicat dari cognitionem ſine obiecto: ergo implicat Deum poſſe ſupplere concurſum formalem obiecti: nam actus ſecundus, qualis eſt actualis cognitio ſupponit eſſentialiter actum primum, ſcilicet obiectum præſens potentiæ, ſiue per ſe, ſiue per imaginem ſui: atqui concurſus diuinus non eſt obiectum, neque imago obiecti (neque enim ſufficit virtualis obiecti ſimilitudo ad quam recurrit Rub. qui tenet oppoſitam ſententiam 2. de Anima, q. 6. q. 14. à num. 192. à §. *Nihilominùs.*

Rubius.

SECTIO IIII.

Quid ſit actus potentiæ, & quomodo ad illum concurrat anima?

1 **P**Rima concluſio, Actus cognoſcendi eſt qualitas quædam diſtincta ab ſpecie,

Cc

Digitized by Google

ſpecie, & procedens tamquàm à principio integro à potentia iam informata ab ſpecie, qui actus eſt verus terminus actionum immanentiũ, & in intellectionibus dicitur verbum. Hæc concluſio communis eſt, & nobis omnino certa, de ea videri poteſt Soar. de Anima, lib. 3. cap. 4. & 5. Quòd verò realiter diſtinguatur ab ſpecie, ex eo conſtat, quia ſpecies fit ab obiecto, actus verò cognoſcendi non producitur ab obiecto, ſed à potentia. Probatio huius concluſionis ſecundùm omnes partes, quas habet petenda eſt ab ijs quæ 3. lib. dicenda ſunt diſp. 83. à ſect. 1.

Anima immediatè concurrit ad actus vitales. *Suarius. Hurtad. Vaſquez Barthol. Amicus. Arriaga.*

2 *Secunda concluſio.* Anima immediatè concurrit ad ſuos actus vitales. Ita Soar. in Metaphyſ. diſp. 18. ſect. 5. à num. 2. Hurt. de Anima, diſp. 4. ſect. 2. vbi citat Vaſquez, idem tenent Barthol. Amicus in Phyſ. tract. 9. quæſt. 3. num. 12. & Arriaga de Anima, diſp. 3. ſect. 2. ſubſect. 1. Probatur, anima immediatè operatur actum vitalem: ergo immediatè ad illum concurrit, ac proinde ſola potentia non eſt immediata, & adæquata cauſa actus vitalis. Probatur antecedens, quia anima, ſeu natura viuentis eſt, quæ formaliter, & immediatè viuit per actum vitalem, hoc enim lumine naturæ ſatis notũ eſt, ego enim ſum qui viuo per meos actus, & qui immediatè cognoſco per meam cognitionem; atqui viuere immediatè, eſt formaliter, & immediatè elicere actum vitalem: ergo natura ſubſtantialis, ſeu anima immediatè elicit actum vitalem: ergo immediatè ad illũ concurrit.

3 Cùm dico, *immediatè*, non reijcio conſortium potentiæ, quamuis enim anima immediatè, & formaliter intelligat, non hoc præſtat per ſe ipſam formaliter, ſed per ſuum intellectum realiter ab anima diſtinctum: neque enim repugnat duas cauſas ſubordinatas immediatè concurrere ad eundem effectum, vt patet in cauſa prima, quæ non reijcit immediatum conſortium cauſæ ſecundæ, & prætereà conſtat hoc ex ijs, quæ dixi 2. part. tractat. 1. diſput. 27. ſect. 3. à num. 1. vbi oſtendi ſubſtantiam immediatè concurrere ad productionem alterius ſubſtantiæ, quamuis admittat conſortium accidentium: ſicut ergo ignis verè, & immediatè calefacit per calorem, ita anima verè, & immeddiatè intelligit per intellectum.

4 Confirmatur concluſio. Primò, quia non minùs formaliter, & immediatè viuit noſtra anima intelligendo obiectum, quàm ipſum obiectum à nobis intelligatur, ſicut enim ſe habet cognitio ad obiectum, quod denominat immediatè cognitum, ſic ſe habet ad ſubiectum, quod denominatur cognoſcens; ſed obiectum quod denominatur immediatè cognitum, terminat immediatè cognitionem: ergo ſimiliter ſolùm illud ſubiectum denominabitur immediatè cognoſcens, quod immediatè, & primariò intelligit. Probatur conſequentia, quia propter eà ſola accidentia ſenſibilia, non verò ſubſtantiæ, denominantur immediatè cognita ab oculis, quia ſola hæc accidentia immediatè ab oculis percipiuntur: cùm igitur anima dicatur immediatè intelligẽs, ſignum eſt, quòd ipſa immediatè eliciat actũ, nam ſi aliquod accidens ſolùm immediatè eliceret actum vitæ, ſolùm accidens diceretur immediatè, & formaliter viuere, non verò ſubſtãtia animæ, ſicut neque ipſa ſubſtãtia animæ dicitur immediatè videri ab oculis.

4 Confirmatur ſecundò, quia Perſonalitas Verbi non dicitur viuere formaliter, & immediatè per actus humanos, niſi per communicationem Idiomatum, quamuis verè ſit vnita humanitati, quia videlicet Perſonalitas Verbi diuini non elicit formaliter, & immediatè actus humanos, ſed ipſa humanitas: ergo ſimiliter licèt anima ſit vnita ſuis potentijs, ſi ipſa immediatè non operatur vitaliter, non diceretur viuere immediatè, ſed ſolùm ſecundùm potentias; & neque hac ratione quidem, quia potentia ipſa, propriè loquendo, non dicitur viuere, alioqui cum ſit accidens, ipſum accidens vteretur libero arbitrio, peccaret, aut bene operaretur, quæ cùm ſint ridicula, dicendum neceſſariò eſt, ad actiones vitales immediatè cõcurrere animam.

5 Confirmatur tertiò. Quia neceſſitas immediati concurſus animæ ad actum vitalem videtur eſſe cauſa, cur intellectus ſeparatus ab anima, nec de potentia Dei abſoluta poſſit exercere ſuum actum intelligendi, cum tamen calor ſeparatus ab igne poſſit agere; actiones enim vitales requirunt eſſentialiter prodire à principio vitæ ſubſtantiali, cùm tamen calor, & reliqua inſtrumenta ſubſtantiæ non requirant hunc immediatum ſubſtantiæ concurſum, ad operationem non vitalem. Confirmatur tandem, quia ſiquis ad ſe ipſum attendat dum operatur, experietur eſſe principium immediatum operationum vitalium, præſertim liberarum, immò & reliquarum; nam licèt oculus præſens habeat obiectum, ſi tamen anima non aduertat, non videbit obiectum: ergo vel ipſa experientiâ comprobatum eſt, animam immediatè concurrere ad actus vitales.

Obijcis

6 Obijcis. Actus charitatis immediatè elicitùr ab habitu ſupernaturali, quin anima concurrat immediatè: ſed talis actus vitalis eſt: ergo &c. Reſpondeo tamen ad maiorem, ita elici immediatè actum ſupernaturalem ab habitu, vt etiam immediatè procedat ab anima, à qua accipit vitalitatem; non quòd anima concurrat virtute propria, ſed eleuata per virtutem obedientialem, nè dicamus animam moueri ad actus ſupernaturales, tanquàm inanime aliquod inſtrumentum, vt ſe habet lapis, quando ſurſum iaculatur. Sic infers: ergo anima eſt per ſe immediatè operatiua. Reſpondeo illud, *immediatè*, non reijcere conſortium alicuius potentiæ, vel habitus ſupernaturalis, vt ſuprà dictum eſt: neque repugnat, hoc modo, formam ſubſtantialem influere in actionem veram, & realem, ſi habeat principium accidentale, à quo proximè determinetur ad ſimilem actionem: ex quo tandem conſtat ratio diſcriminis inter actiones vitales, & non vitales, ad has enim non concurrit anima neceſſariò immediatè, ad illas verò maximè: quidquid in oppoſitum ſentiat Sala 1.2.q.5. tract. 2. diſp. 5. ſect. 6. §. *Probabilius*.

7 Obſtat. Anima non recipit in ſe immediatè actus vitales materiales, ergo ſaltem ad hos non concurrit immediatè; antecedēs patet in anima rationali, quæ eſt ſpiritualis, & recipere non poteſt ſenſationem materialem: conſequentia probatur, quia cùm vita conſiſtat in actione, & paſſione non minùs requirit immediatam actionem, quàm immediatam receptionem. Reſpondeo negando conſequentiam, vt enim dico diſp. 83. ſect. 5. à num. 12. vt actio ſit vitalis non requirit, vt recipiatur immediatè in omni eo principio, à quo egreditur (atque adeò poteſt anima rationalis immediatè concurrere effectiuè, quin ipſa immediatè recipiat actum) ſed ſufficiet quòd actio vitalis recipiatur in potentia à qua egreditur: immò poteſt dari vera actio vitalis, quin recipiatur in eâdem potentia à qua egreditur, vt probo loco citato. (Vide quæ dixi in Phyſica, diſp. 23. ſec. 5. n. 4.) cùm ergo ſenſatio materialis ſit recipi non debet in anima ſpirituali.

DISPVTATIO LXXXI.

De Senſibus externis.

DIXI de potentijs in communi, quæ latiùs patent, quàm ſenſus, quamuis enim omnis ſenſus ſit potentia, non tamen omnis potentia eſt ſenſus, vt patet in intellectu &c. Modò agendum eſt de ſenſibus externis, & in prima ſectione diſputabo de ſenſibus in cōmuni, in reliquis de ſenſibus in particulari.

SECTIO I.

Quot ſint, & quales ſint ſenſus externi?

Senſus externi ſunt quinque.

1 PRima concluſio. Senſus externi ſunt quinque, vt patet. Hæc eſt communis, & certa Patrum, Theologorum, & Philoſophorum ſententia. Quam veritatem probat Ariſtoteles ex ſolis quinque externis organis, quæ dantur in animalibus perfectis, & progreſſiuis. Probatur deinde, quia experientiâ conſtat, nos non cognoſcere plures actus ſentiendi, præter eos, quos iſti quinque ſenſus eliciunt ſed diſtinctio ſpecifica potentiarum ſumitur ex diſtinctione ſpecifica actuum: ergo bene ſequitur, non dari plures, nec pauciores ſenſus. Eandem concluſionem probant Conimbricenſ. 3. de Anima, cap. 1. quæſt. vnica, artic. 3. §. *Ac ſuperius*, probant inquam, ex diuerſa ratione ſpecifica obiectorum.

2 Obijcis cum Galeno, & cum reliqua medicorum turba. Eadem virtus intellectiua ſufficiens eſt ad apprehendendum, iudicandum, & diſcurrendum: ergo ſimiliter eadem virtus ſenſitiua proueniens à cerebro in oculis præſtabit actum videndi, in audimedet actum audiendi: &c. Reſpondeo negando conſequentiam, diuerſa ratio petenda eſt, vel à diuerſitate ſpecifica obiectorum, vel à diuerſitate ſpecifica actuum, quæ vtraque diuerſitas non viſitur in intellectu, omnia enim obiecta, omneſque intellectus noſtri actus conueniunt in vna ratione ſpecifica immutandi potentiam, vt dixi ſuprà, non ita tamen

Digitized by Google

conueniunt tactus, & obiecta ſenſuum.

3 Inſtas. Sicut intellectus poteſt percipere omnia obiecta intelligibilia, ita etiam vnus ſenſus omnia ſenſibilia: ergo ſufficiet vna virtus ſentiendi à cerebro profecta. Reſpond. negando ſequelam. Diuerſa ratio eſt, quia cùm intellectus ſit potentia multò altioris ordinis, poteſt habere obiectũ formale tam longè latèque diſperſum, ſcilicet omne intelligibile: ſenſus verò eſt potentia valde limitata, & propterea habet ſuam rationem ſpecificam magis contractam.

4 Quamuis autem ſenſibile commune, ſit etiam ſenſibile per ſe, non requirit tamen aliam ſenſum præter vulgatos, quia ſola ſenſibilia propria per ſe primum mouent, & immutant ſenſum. Non eſt tamen negandum poſsibiles eſſe plures alios ſenſus, quos Deus poteſt efficere, non enim eſt impoſsibile quòd producat Deus alias qualitates diuerſas ab his, quæ de facto dantur, & propterea habentes diuerſum modum mutandi ſenſum, quia poteſt Deus producere alios ſenſus corporeos, à quibus perciperentur occultæ quædam qualitates corporeæ.

5 *Secunda concluſio.* Senſus externi in omnibus animantibus ſunt eiuſdem perfectionis eſſentialis, & ſpecificæ. Hæc concluſio probata eſt, propterea quòd omnes ſenſus ſequuntur gradum animalis, qui in omnibus eſt eiuſdem perfectionis ſpecificæ.

6 *Tertia concluſio.* In perfectione accidentali homo ſuperat cætera animantia, præcipuè in tactu, & guſtu: ita Conimbricenſ. 3. de Anima, cap. 1. quæſt. vnica, art. 2. Rub. ibid. quæſt. 2. Probatur, quia quò temperamentum melius eſt, eò tactus, & guſtus (qui tactus quidam eſt) præſtantiores ſunt: atqui temperamentum in homine perfectius eſt accidentaliter: ergo &c. Declaratur minor, quia homo ex eo quòd ſit animal omnium perfectiſsimum, requirit perfectiſſimum temperamentum; quemadmodùm enim, vt ſupràdixi, nobiliori materiæ, & perfectiùs diſpoſitæ debetur nobilior anima, intra eandem ſpeciem, ſic nobiliori animali, qualis eſt homo, & nobiliori organo, quale habet homo, debentur nobiliores ſenſus.

Patres Conimbr. Rubius.

Cur aliqua animantia habeãt re- bilior ſẽſus?

7 Quamuis ergo hæc ratio optima ſit in tactu, & guſtu, & ſecundùm ſe videatur militare in reliquis ſenſibus, in quibus etiam homini debetur nobilius temperamentum, nihilominùs tamen quia ad temperiem aliorum ſenſuum requiritur prima aliqua qualitas prædominans, vt v. g. humiditas ad viſionem, inde eſt, quòd viſus non ſit in homine adeò perfectus, vt in Lynce v. g. quarè propter ſimilem rationem admittimus hominem ſuperari à vulture in odoratu, hoc enim, vt patet, per accidens eſt, & ratione illius qualitatis; quæ, quia alioqui neceſſaria eſt, non ſinit ſenſum prodire in actum ita perfectum, in viſu enim, & auditu prædominatur humidum, in olfatu ſiccum; quas qualitates ita efficaces vendicant aliqua animantia, vt propterea hominem ſuperent in dictis ſenſibus: quia tamen guſtus, & tactus nullam habent qualitatem primam prædominãtem, propterea homines ſuperant eoſdem ſenſus in quouis animali. Vnde nullum habet fundamentum, quod dicitur de nobilitate guſtus Simiæ, & tactus cocleæ, & araneæ.

Tactus eſt ſenſus vniuerſalior: viſus verò nobilior.

8 *Quarta concluſio.* Tactus eſt omnium ſenſuum vniuerſalior, & fundamentum cæterorum, licet ſit hebetior; viſus verò nobilior eſt omniũ. Probatur prima pars experientiâ atque hinc eſt, quòd in omnibus animalibus etiam imperfectionis detur ſaltem tactus, & guſtus, quia ſunt omnino neceſſarij ad conſeruationem vitæ animalis. Probatur ſecunda pars de præſtantia, & excellentia viſus: probatur, inquam, primò, ratione organi, quod nobiliſsimum eſt: probatur deinde ratione obiecti, quod comprehendit colores, & lucem, quæ eſt præſtantiſsima omnium naturalium qualitatum: nobilitas verò reliquorum ſenſuum conſtabit ex ordine ſectionum ſequẽtium.

Qui ſẽſus requir. medium?

9 *Quinta concluſio.* Viſus, & auditus, vt præſtent ſuas ſenſationes, requirunt medium extrinſecum, per quod tranſmittant ſpecies. Probatur in oculo ipſâ experientiâ, non enim percipit colorem nimis contiguum, atque hinc eſt, quòd potentia viſiua non videat ſuam pupillam in qua fit viſio. De auditu probatur, quia ſonus nunquàm poteſt immediatè tangere potentiam audiendi, cùm hæc ſit valde intercluſa; & deinde probatur experientiâ, quia ſi in aure ſit magnus ſtrepitus, læditur potentia, & nihil clarè percipitur; atque in his duobus ſenſibus præcipuè verum eſt illud Ariſtotelis effatum, *ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem.*

10 *Sexta concluſio.* Tactus, Guſtus, & Olfatus per ſe non requirunt medium externum, quamuis per accidens aliquod intrinſecum medium habeat aliquis illorum. Probatur de tactu, quia non ſolùm nerui, ſed etiam caro ipſa eſt organum tactus, & immediatè præſtat ſuam ſenſa-

tio-

Digitized by Google

ſaniorem; idem cernitur in guſtu, qui tactus quidam eſt, in quo quantò propinquior eſt eſca, tantò meliùs ſentitur. De olfatu idem probatur, quia exhalationes ad nares vſque peruenientes per ſe attingũt receſſus mamillares, in quibus eſt potentia olfaciendi, & fortè vſque ad cerebrum pertingunt. Quòd verò aliquando per accidens detur medium intrinſecum, probatur. nam nerui, in quibus præcipuè eſt tactus, habent intermediam carnem, & pellem. Hæc de ſenſibus in communi, mox dicendum de ſingulis in particulari, de quibus eruditiſsimè ſcribit noſter Dandinus de Anima, lib. 2. à fol. 1305.

SECTIO II.

De organo, & obiecto potentiæ viſiuæ.

De ſtructura oculorum.

1 P*Rima concluſio.* Oculorum ſtructura, ad ſuum munus præſtandum, eſt accommodatiſsima. Hæc concluſio certiſsima eſt, quæ probabitur explicando mirabilem huius ſenſus fabricã, & pulcherrimum apparatum: conſtat igitur hæc potentia tribus humoribus, ſeptem muſculis, & quinque tunicis: ipſa verò compoſitio ſic peragitur. Imprimis oculus figurã habet globi, ideóque aptiſsimam, vt poſsit ex omni parte quoquouerſùs inſpicere; deinde vt conſtat ex obſeruatione anatomica (quam tradit Ariſtoteles lib. 2. de Hiſtor. animal. cap. 1. & Galen. lib. 8. de Vſu partium, cap. 6.) in centro oculi eſt humor quidam cryſtallo ſimilis, qui proptereà dicitur cryſtallinus, & figuram vendicat cuiuſdam lenticulæ, quam, vt infra videbimus, dicimus pupillam.

Ariſtot. & Galenus.

2 Hunc verò cryſtallinum humorem circumdat tenuiſsima quædam tunica, dicta ſpecularis, propter ſplendorem: prætereà humor cryſtallinus quaſi immerſus eſt alteri humori, qui vocatur vitreus à ſimilitudine vitri; quia tamen cryſtallinus humor diaphanus eſt, adiunctum habet à tergo nigrorem quendam, ſicut in ſpeculo ponitur ſtaneum bitumen, vt ita poſsint ſpecies reflecti à pupilla, per quas poſſet quiſque in oculo alterius, velut in ſpeculo ſe videre. Humorem ſubinde vitreum circumligat ſecunda tunica, retina nuncupata, quia propter tenuiſsimas venulas, & arterias, modum refert cuiuſdam retis: vtrumque prætereà humorem ambit tertia tunica, quæ vuea appellatur, quia vuæ folliculo ſpeciem præbet. Hæc tunica non tegit pupillam ex anteriori parte, vt proſpectum liberum relinquat, nec eodem in omnibus afficitur colore: immò hinc diuerſa nomina oculi ſortiuntur; alij enim proptereà cæſij dicuntur, virides, nigri, ruſi, aut glauci; quamuis etiam vocari ſoleat eadem tunica nigrum oculi.

3 Hanc tertiam tunicam ſubſequitur tertius humor, qui aqueus, vel albugineus dici ſolet, ſimilis albo oui, à quo aqueo humore humectatur, & attemperatur pupilla, ne propter ſiccitatem viſus deficiat, atque ita habili hac mixtura accipitur circumiecto candore lux, vt temperato repercuſſu non obſtrepat. Hunc humorem ſequitur quarta tunica, quam corneam dicunt, quia ſimilis eſt laminæ corneæ, ſed ſplendida eſt, ac diaphana, ambienſque totum oculum. Sequitur deinde quinta tunica alba quodam prædita foramine, per quod pupilla aſpiciatur, & per quod poſſint ſpecies ad pupillam tranſmeare, appellaturque album oculi, quæ calida eſt, vt calore ſuo prædictos foueat humores, ne congelentur, aut organum deſtruatur. De munere tunicarum videantur Patres Conimbricenſ. citati.

4 Totus hic oculi globus ligatus eſt ſeptem muſculis, ſiue ligaminibus: ad eandem prætereà fabricam concurrunt duo nerui dicti optici, aut viſorij, qui à cerebro originem ducunt, per quos viſorij ſpiritus deſcendunt; atque hinc fit quòd malè affecto cerebro, quamuis oculi nihil aliunde incommodi patiantur, hebeſcit viſus, vt patet in ebrijs, & phræneticis, è quorum cerebro deſcendunt ſpiritus nebulis obducti, minùs que puri. Situs denique oculorum, qui eſt in altiori capitis parte, ac veluti in ſpecula aptiſsimus eſt ad obeundas operationes videndi: ac ne oculi externis paterent iniurijs à natura ipſa palpebris, cilijs, & ſuperſilijs, tamquam munitionibus protecti, intùs reſeruantur.

5 Atque ex his tandem patet, quomodò potentia viſiua definiatur: eſt igitur *hæc potentia ſenſus quidam externus in pupilla reſidens inſtituta ad videndum*: ſeu aliter clariùs, *eſt potentia ſenſitiua externa recepta in pupillà oculi, inſtituta ad percipiendum lucem, & per illam colores, ſub ratione formali viſibilitatis, receptis ſpeciebus impreſsis, quas per corpus diaphanum traijcit obiectum*: quæ deſcriptio ſatis explicat naturam huius potentiæ, & modum quo fit in ea viſio,

Digitized by Google

quæ tamen lentiùs aliquantulùm ſunt explicanda.

Vbi, & quomodò fiat viſio?

Viſio fit in humore cryſtalino. Ariſtotel. Galenus. Conimbr. Soarius. Arriaga.

6 SEcunda concluſio. Viſio fit non in neruis opticis, ſed in humore cryſtallino, quem, pupillam, dicimus. Ita ex Ariſtotele, & Galeno probat Conimbr. 2. de Anima, cap. 7. q. 7. art. 2. Soar. 2. de Anima, cap. 18. à n. 4. Arriaga de Anima diſput. . . ſect. 2. ſubſect. 2. §. *Organum viſus.* Probatur à poſteriori, quia læſo hoc humore, læditur viſio: probatur deinde veluti à priori, quia pupilla eſt in centro oculi, quò directè pertingunt & ſpecies ipſæ, quæ deſinunt in pyramidem, & deinde nerui optici; & quia eſt in centro oculi, ideò reliquæ partes videntur à natura ordinatæ ad tuendam, & ornandam pupillam, ex eo quòd in ea reſideat potentia: eſt autem pellucida, quamuis nullum propriè vendicet colorem, vt ita meliùs recipiat ſpecies omnium colorum, appareat autè plerumque nigricans, quia propter humoris copiam, penetrari non poteſt à viſu. Ex quibus reiecta manet ſententia Auicennæ exiſtimantis fieri viſionem in neruis opticis, quod ſimiliter tenuerunt Patres diſcalceati in ſuo Curſu Complut. diſput. 10. de Anima, q. 6. n. 95.

Auicenna. Patres Diſcalc.

7 *Tertia concluſio.* Viſio non fit per immiſſionem aliquorum ſpirituum, ſiue radiorum ab oculo, ſed per immiſſionem ſpecierū ab obiecto, & receptionem intra potentiam: ita communis, & peripatetica ſententia, de qua Soar. ſup. cap. 17. no. 2. Rubius 2. de Anima, cap. 7. q. 7. d. 100. Probatur, nam ad ſenſationem aliorum ſenſuum nihil aliud requiritur, quàm vt coniunctio potentiæ cognoſcentis cum obiecto, medijs ſpeciebus, & tunc in ipſa potentia formatur ſenſatio: ergo ſimiliter dicendum de potentia viſiua. Confirmatur primò: nam reflexione facta in ſpeculo, manifeſtè conuincitur, non fieri viſionem, niſi per ſpeciem immiſſam ab obiecto, & reflexam in ſpeculo, quia viſorij ſpiritus, ſiue radij viſuales, quos aduerſarij fingunt immitti ab oculis, retrò nequeunt commeare, & obiectum oſtendere, quod à tergo poſitū eſt.

Soarius. Rubius.

8 Confirmatur ſecundò. Quia alioquì, ſi viſio fieret per radios immiſſos ab oculis, etiam in tenebris viderentur obiecta, ſi oculi eſſent aperti, quia nec deſūt ſpecies obiectorū, neque deeſt radius lucis ab oculis immiſſus. Quapropter fulgor ille, qui ab oculis aperti noctu egreditur, nō probat, viſionem fieri per radios productos à potentia viſiua, ſed diriuatur lux illa ab aliqua parte oculi luminoſa, vt contingit in felibus qui oculos habent valde lucidos, & propterea, vt aiunt philoſophantur, noctu vident obiecta: quia lux immiſſa à claritate oculorum, medium illuminat, & obiectum, & ita obiectum cernitur per immiſſionem ſpecierum ab eodem obiecto, facta viſione in eodem oculo, quod tamen peculiare eſt in oculis huius, vel ſimilis animalis, experientiâ enim conſtat, neque ſimiles radios immitti à noſtris oculis (alioquí etiam in tenebris videremus) immò neque experientia illa de felibus probat viſionem fieri per illos radios, viſio enim fit per ſpecies receptas in oculis, quæ prodeūt ab obiecto, per medium illuminatum aliquātulùm, ſicut diximus.

De obiecto potentiæ viſiuæ.

Obiectum viſus eſt lux & color.

9 QVarta concluſio. Obiectum adæquatum viſus eſt lumen, & quidquid ex vi luminis manifeſtatur, vt ſunt omnia lucida, & colorata, ita cùm communi ſententia concludit Soar. ſup. cap. 16. n. 6. Arriaga de Anima, diſp. 5. ſect. 3. ſubſect. . . loquimur autem, non de obiecto formali, quod eſt omne viſibile, ſed de obiecto materiali. Vt probetur concluſio ſciendum imprimis eſt quid ſit lux, & color? Eſt igitur lumen, ſiue lux (differunt enim tantùm accidentaliter, eadē enim qualitas prout eſt in medio dicitur lumen, prout verò eſt in cauſa, dicitur lux) eſt, inquam, quoddam accidens, non ſolùm intentionale, ſed reale, & phyſicum, ac pertinens ad prædicamentum qualitati.

Soarius. Arriaga.

10 Probatur, quia accidentia intentionalis, cùm habeant eſſe valde diminutum, nō poſſunt naturales effectus producere, nec ſentiri, nec videri, vt conſtat in ſpeciebus intentionalibus aliorum obiectorum: ſed experientia docet lumen productum in medio calefacere aerem, & reliqua corpora exiſtentia ibi: ergo ſignum eſt, quòd lumen non ſit aliqua qualitas intentionalis, & ideò imperfecta, & imminuta. Quòd verò lumen non ſit corpus aliquod, probatur, quia cùm lumē penetrat totum corpus diaphanum, ſi lumē eſſet corpus, duo corpora naturaliter ſe penetrarent. Eſt autem effectus formalis luminis reddere obiectum perſpicuum, & clarū, quod non tollit quominùs lumen in aere ſit obiectum viſibile, non per ſe ipſum, ſed per ſpeciem ſui, vt latè probat Soar. ſup. à cap. 14. num. 5.

Prima

Digitized by Google

11 Prima pars, quòd ſcilicet lumen ſit obiectum viſibile, probatur experientiâ, viſus enim non ſolùm percipit obiectum coloratum, in quod tendit, ſed etiam percipit medium ipſum, quod nunc magis, nunc minùs lucidum intuetur. Probatur ſecunda pars eiuſdem aſſerti, quòd ſcilicet lumen non per ſe ipſum immediatè, ſed per ſpeciem videatur (quod eſt contra Scot. & alios, quos citat Suar. ſup. n. 3.) Probatur, inquam, quia lumē non eſt ſimilitudo obiecti: atqui obiectum non videtur, niſi per ſpeciem, quæ ſit obiecti ſimilitudo: ergo &c. Probatur maior, quia ſi lumen eſſet obiecti ſimilitudo, quoties lumē videmus, videremus etiam obiectum, quod repugnat experientiæ.

Lumē indiget ſpecie, vt videatur.

12 Confirmatur, quia ſi lumen per ſe ipſum videretur, ſanè poſitum ſupra ſenſum cauſaret ſenſationem, quod etiam repugnat experientiæ, quia quamuis lumen immediatè tangat oculum, & quamuis pupillam ipſam, quia diaphana eſt, pertingat, nihilominùs non videtur illud lumen exiſtens intra oculum, ſed videtur lumen exterius, per ſui ſpeciem in oculo exiſtentem, euidens enim experientia docet nullum prorſus videri obiectum, niſi aliquali medio interiecto inter ipſum, & potentiam: vnde lumen in oculo exiſtens videri non deſinit ex defectu præſentiæ, cùm ſit intimè præſens oculo, ſed ex defectu præſentiæ accommodatæ, quæ fieri debet per ſpecies: neque obſtat, quòd Deus videatur à Beatis ſine ſpecie impreſſâ, nam eſſentia diuina agit vicem ſpeciei, & eſt accommodatè præſens, lumē verò non eſt ſpecies, eſt enim qualitas phyſica, ſpecies autem eſt qualitas intentionalis. Et declaratur, quia potentia prodire non poteſt in actum ſecūdum, quin prius ponatur in actu primo: ſed per ſpecies ponitur in actu primo, ergo hæ ſunt omnino neceſſariæ.

13 Vbi aduertendum eſt, obiectum lucidum, Solem v. g. non ſolùm lumen, ſed ſpeciem etiam diſtinctam à lumine à ſe immittere, quamuis ſpecies longiùs pertingant, quàm lumen, vt probatur experientiâ lucis alicuius exiguæ, quæ videtur à loco longè diſtanti, quò pertingere non poteſt lux per ſe ipſam, vt cernitur quando in tenebris videtur parua aliqua lux longo diſſita interuallo. Ex quo etiam colligi poteſt, neceſſarium non eſſe medium illuminatum ad videndum aliquod obiectum, ſed per medium omnino tenebroſum videri poſſe, atque adeò lumen ad viſionem ſolùm requiri ex parte obiecti, non eſſe verò omnino neceſſarium ex parte medij, niſi ſolùm, vt obiectum clariùs percipiatur; quod bene ex Ariſtotele probat Rub. 2. de Anima, cap. 7. q. 4. n. 69. quamuis oppoſitum non improbabiliter teneant Patres Conimb. ibid. cap. 7. q. 4. art. 2. Eſt autem lumen omnino neceſſarium vt colores videantur, de quibus etiam aliquid prægustandū eſt.

Ariſtot. Rubius.

Patres Conimb. Dandin.

Quid ſit color, & quomodò à lumine diſtinguatur?

14 Color eſt *qualitas permanens in corpore colorato, diſtincta à lumine, reſultans ex elementorum mixtione*, cuius propria definitio hæc eſſe poteſt. *Eſt extremitas perſpicui in corpore terminato.* De colore, eiuſque definitione late Suar. de Anima, lib. 3. ca. 15. num. 2. cuius naturam, proprietates, & prærogatiuas latè, & doctè proſequuntur Conimbr. ſup. q. 2. & 3. quòd autem color diſtinguatur à lumine, ſiue luce, ſic probatur primò experientiâ, viſus enim diſtinguit in obiecto lucem, & colorem, videt enim duo obiecta æqualiter illuminata, & æqualiter à luce diſtantia, quorum vnum eſt album, & alterum nigrum: ergo ſignum eſt, quòd color non ſit lux, ſi quidem cum æquali diſtantia à luce, datur vnus color albus, & alter niger.

Suarius. Patres Conimbr.

Color diſtinguitur à luce.

15 Confirmatur, quia ſi veri colores nō diſtinguerētur à luce, non eſſent ita permanentes: immò incredibile omnino eſt, ex ſola Solis abſentia, colores omnes ſubitò euaneſcere, ita vt in tenebris omnes ſimus eiuſdem, vel nullius coloris, ſiquidem, vt aduerſarij aſſerunt,

— *Rebus nox abſtulit atra colores.*

Virg. Æn. 6.

Confirmatur tandem experientiâ, res nam quæ eadem eundem ſeruat colorem, niſi ab intrinſeco alteretur: color autem ſi verus eſt, nō, niſi in corporibus mixtis inuenitur; quod ſignum eſt, reſultare illum ex mixtione, & intrinſeca alteratione. Eſt autem ſermo de veris coloribus, colores verò apparentes in nubibus, & in collo columbæ non diſtinguimus à luce ſic, vel ſic affecta: ad diſcernendū autem colorem verum ab apparente, norma eſt cuiuſque perſeuerantia, ſi enim diu perſeueret, eſt color verus: quamuis non ſemper ex eo quòd breui tranſeat ſit apparens, vt videre eſt in pallore, & rubore.

16 Requiritur autem lux ex parte obiecti colorati, tanquā conditio, vt color actū, & completè videatur, ita tamen vt tam lumen, quàm color ſuam producant ſpeciem diſtinctam, vtrumque enim eſt ſenſibile proprium, & per ſe repræſentabile. Inter colores duo ſunt extremi, albedo ſcilicet, & ni-

gredo: conſurgit albedo ex prædominio lucis, maioríque conuenientia cum aere, & aqua, quoad tranſparentiam, & claritatem; inde prouenit, quòd res aqueæ, vt nix, & grando albæ ſint; nigredo verò conſurgit ex prædominio terræ, & illius opacitate, atque etiam ex defectu lucis. Inter has extremas ſpecies, plures ſunt mediæ, quæ ad ſex reducuntur, ſcilicet pallidum, fuſum, flauum, rubeum, viride, ac liuidum.

17 Hi colores nô dicuntur medij ex eo quòd ex coloribus extremis formaliter componantur, ſed potiùs ſunt qualitates ſimplices, quæ reſultant per ſe ex propria elementorum mixtione, dicuntur ergo medij propter ſimilitudinem quam habent ad colores extremos; quamuis aliquando ex mixtione duorum colorum vnus euadat, qui ſimplex non eſt, vt ex mixtione albedinis, & nigredinis prouenit color fuſcus: atque ex his tandem conſtat, quomodò obiectum potentiæ viſiuæ ſit lux, & color, ex quibus facilè probari poteſt quarta concluſio.

SECTIO III.

De Auditu, deque eius organo, & obiecto.

Definitur Auditus, & explicatur eius fabrica.

1 Prima concluſio. *Auditus eſt potentia ſenſitiua externa recepta in auribus, ſeu potiùs in quodam corpore aereo incluſo in tympano aurium, instituta ad audiendum ſonũ, per ſpecierum receptionem.* Quæ definitio, vt melius intelligatur, & probetur, explicanda eſt huius potentiæ officina. Ad notandum igitur eſt, aures exteriùs apparentes non eſſe organum auditus, ſed dari à natura, vt illis, tanquàm muris, circundata ſit, & vallata pars illa, in qua reſidet potentia audiẽdi; habent verò aures anfractus quoſdam, veluti cochleares, varios flexus, diuerſoſque aditus, in modum labyrinthi, vt ſonus ſuauiùs refrangatur, ne aliqua aſperitate ſua ſenſum lędat; quo etiam fine auris ipſa dura eſt, & cartilaginea, ideſt, ex partibus carneis, & oſſeis conſtructa eſt; nec minùs etiam auris data eſt à natura, vt ſonum excipiat, & quodammodò vniat, vt inde in potentiam blandiùs intromittatur.

2 Atque ex medio aurium, ingenioſâ naturæ prouidentiâ, quædam via ad auditum aperitur, quæ anguſta eſt, & anfractuoſa, ne fortè aqua, dum aliquis mergitur, vel noxiũ aliquod externum, per eam viam incautè ingrediatur; & proptereà in eâdem via reſidet humor quidam veluti cereus, vt beſtiolæ, quæ ingredi fortè tentauerint, veluti à viſco capiantur: hoc idem foramen tendit versùs cerebrum, deſinitque in cauitatem quandam orbicularem, cuius medietatem operit membrana, ſiue tenuiſsima pellicula, quæ dicitur tympanum auditus; hæc autem membrana tribus oſsiculis ſuſtentatur, quorum vnum ſimilitudinem habet incudis, ſecundum malleoli, tertium ſtapedæ. Prætereà à cerebro deſcendit neruus quidam in hanc auditus cauitatem, per quam ſpiritus animales auditus communicantur: prædictâ verò cauitas plena eſt certa quadam ſubſtantia animata, ſubtiliſsima, ac veluti aerea, & ſpirituoſa, quæ proptereà *vitalis aer* nuncupatur, ſicut ſubtiliſsimus ſanguis dicitur ſpiritus vitalis, & animalis. Cohibetur autem huiuſmodi aer, ne foras erũpat, ſupradictâ membranâ, quâ, veluti vallo, aer hic circundatus continetur. Ex quibus ſatis explicata manet definitio potentiæ auditiuæ: modò quærendum reſtat in qua parte, ex prædictis, reſideat hæc potentia?

Vbi reſideat auditus?

3 *Secunda concluſio.* Potentia audiendi ſedem habet in hac ſubtiliſsima ſubſtantia, quæ eſt ſimilis aeri, ac tympano prædicto contegitur. Ita Soar. 3. de Anima, cap. 25. n. 3. Conimbr. 2. de Anima, cap. 8. q. 4. art. 2. Rub. ibi. q. 6. n. 119. qui citat Galenum, & alios. Probatur, quia pars illa eſt multùm ſimilis aeri, aer verò eſt maximè receptiuus ſoni, vt mox videbimus. Et confirmatur, quia ſicut dixi viſionem fieri in pupilla, ex eo quòd pars illa oculi ſit magis intrinſeca, & à natura veluti muris circunuallata, ſic etiam pars hæc aerea, præ cæteris, à natura cuſtoditur. &c.

Soarius. Patres Conimbr. Rubius

4 Neque obſtat membrana illa, ſiue tympanum circundans ſubtiliſsimam hanc ſubſtantiam, neque enim ſufficiens eſt, vt impediat ſonum, ne perueniat ad auditum; nam cùm primùm ſpecies ſoni attingit tympanum, aliam ſimilem multiplicat, quæ pertingit auditum, quod non impedit tympanum, quia eſt pellicula quædam tenuiſsima, per quam vnus realis ſonus poteſt alterum producere.

De Obiecto auditus.

Obiectum auditus eſt ſonus.

5 Tertia concluſio. Obiectum materiale auditus, eiuſque ſenſibile proprium eſt ſonus: vt probetur concluſio, quæ certa eſt, ſciendũ eſt, quid ſit ſonus? Eſt igitur ſonus, *qualitas*

quædam

Digitized by Google

quædam ſenſibilis proueniens ex violenta percuſſione, diuiſione, vel colliſione facta in corpore apto ad ſonum recipiendum. Ita communis ſententia pro qua videri poteſt Soar. ſup. c. 19. nu. 1. Vnde colligo, ſonum non eſſe motum aeris, nam ſonus eſt ſenſibile proprium, motus autem eſt ſenſibile commune. Deinde motus habet diuerſas proprietates, & denominationes à ſono: dicitur enim motus velox, tardus, &c. at verò ſonus dicitur acutus, grauis, &c.

Quomodò fiat ſonus? 6 Reſultat verò ſonus ex colliſione, vel diuiſione duorum corporum comprimentium, aut diſsipantium aerem medium, & quia aer oppreſſus à corpore percutiente, & à percuſſo egreditur magna vi à loco vbi opprimitur, ſonum cauſat; vnde ad ſonum efficiendum plerumque tria corpora requiruntur, ſcilicet duo ſe collidentia, ſonumque efficientia, & medium, per quod ſe collidunt: impulſus autem ſolùm eſt inſtrumentum requiſitum, vt ſonus efficiatur. Dixi, *plerumque requiri tria corpora*, quia aliquando ſufficiet vnum corpus percutiens aerem præcipuè ſi aer reſiſtat, in quo caſu ſufficit corpus percutiens, & aer reſiſtens, neque requiritur tertium corpus.

Soarius. Rubius. Patres Conimbr. 7 Aduertendum prætereà eſt, ſonum præcipuè inhærere in corpore medio, qualis eſt aer. Ita Soar. 3. de Anima, cap. 19. num. 8. Rub. 2. de Anima, c. 8. q. 3. n. 45. Conimb. q. 2. art. 1. Probatur, quia ſonus fit per actionẽ tranſeuntem: ergo recipi non debet in cauſa effectiua, qualia ſunt corpora ſonantia, ſed in paſſo, ſcilicet in aere, qui mouetur. Confirmatur hac experientia, quia ſæpe experimur, quòd flante vento in contrarium non percipitur ſonus ita diſtinctè intra ſphæram auditus, quod ex eo prouenit, quia ſonus reſidet in aere, qui defertur à vento; quamuis enim ventus impedire non poſsit ſpecies intentionales ſoni, quia tamen aliò defert aerem, in quo ſubiectatur ſonus, ideò ſpecies intentionalis ſoni valde remiſſæ accedunt ad auditum. Ex quibus patet, proprium ſubiectum ſoni à quo dependet in fieri, & conſeruari, non eſſe corpora ſonantia, hæc enim ſunt cauſæ effectiuæ, ſed eſſe ipſum aerem.

8 Aduertendum verò eſt primò, aerem requiſitum ad ſonum, non ſolùm eſſe externum, ſed etiam internum reſidentem in poris rei ſonantis, ad quem etiam ſonum multùm conducit materia rei ſonantis, diuerſitas figuræ, & diſpoſitio, ſecũdùm quam aer colliditur, vnde quamuis ictus ſit æqualis, poteſt ſonus eſſe maior, vel minor, vt patet in cymbalo, magis enim ſonat, ſi concauũ ſit, quàm ſi expãſum. Aduertendum ſecundò, ſonum non ſolùm in aere, ſed etiam in aqua generari. Probatur, quia ſonus fit per colliſionem corporum ſonantium circa medium ac per diruptionem medij: ſed aqua in profundo, vbi nullus eſt aer, vno ictu poteſt diſrumpi, violenterque reſilire: ergo &c. Probatur deinde experientià, nam piſces grandes intra vndas ſonos edunt: neque ad aerem ibi incluſum recurrendum eſt, cùm non ſit credibile ibi ſemper contineri aerem, qui locum poſtulat ſupra aquas: non eſt tamen hic ſonus adeò acutus, quia aqua eſt ſubiectum minùs aptum: immò & in igne fieri ſonum probat ratio, & experientia; eſt enim ignis rarus, & facilis, vt diuidatur. Patet deinde experientià flammæ, quæ ſi violenter diuidatur, ſonum edit: de his videri poteſt Soar. 3. de Anima, cap. 19. Neque me mouent Patr. Diſcalceati oppoſitum tenentes in ſuo Curſu Complut. de Anima, q. 3. n. 12. *Soarius. Patres Diſcalc.*

9 Atque ex his tandem patet, quo pacto ſonus perueniat ad auditum, nam ſonus primò productus differtur ad aliquam diſtãtiam per aerem commotum, ſecundùm maiorem, aut minorem aeris reſiliẽtiam, ex quo ſono immittuntur ſpecies intentionales ad auditum; cùm verò hæc reſilientia aeris fiat per motum, & motus non poſsit eſſe in inſtanti, inde fit, quòd ſpecies intentionales in tempore, & ſucceſsiuè perueniant ad auditum: atque hinc eſt, quòd prius res videatur, quàm audiatur eius ſonus, quia lux, eiuſque ſpecies producuntur in inſtanti, ſonus autem requirit tempus, cùm fiat per motum, quem lux non requirit ad ſui generationem.

De Voce, & Echo.

10 Q*Varta concluſio. Vox eſt ſonus animalis factus per colliſionem aeris attracti cum aere in gurgulione, vel laryngè retento accedente imaginatione.* *Definitur Vox.* Ita Ariſtoteles 2. de Anima, cap. 8. fine. Quæ definitio, vt explicetur, ſciendum breuiter eſt, gurgulionem, ſiue gargarium eſſe carunculam rotundam in extremo palato dependentem: laryngem verò eſſe caput, ſiue finem ſuperiorem aſperæ arteriæ, quod caput ſurſũ fertur, quando aliquid deglutitur: habet igitur pulmo virtutem attrahendi ad ſe aerem, eundemque à ſe emittendi, per arteriam aſperam, quæ, quia inſeruit ad efformandam vocem, dicitur arteria vocalis, & cùm ſit anguſta ea via, aer per illam emiſſus magna vi percutit aerem retentum in larynge, vel in gurgulione, ipſumque ad fauces allidit, & per hanc colliſionem aeris attracti, & emiſſi fit ſonus, qui alijs ſubinde inſtrumentis reſidentibus *Ariſtot.*

tibus in ore, qualia ſunt lingua, palatum, dentes, & labia, fit vox polita, compoſita, & dearticulata, ac tandem accedente imaginatione proferuntur voces, pro libito loquentis.

11 Hæc vox ſolis competit animalibus, & ideò minùs latè patet, quàm ſonus: immò non reperitur niſi in animalibus habentibus pulmonem, & arteriam vocalem; nihilominùs tamen vox latiús patet quàm ſermo, qui, propriè loquendo, in ſolis hominibus reperitur, quo ſolent homines non ſolùm naturales affectus, ſicut bruta per vocem, ſed etiam liberos mentis conceptus explicare.

12 *Quinta concluſio.* Echo *eſt ipſe ſonus reflexus ad auditum*: explicatur hæc reflexio ſoni per reflexionem pilæ ad parietem impactæ, retròque reſilientis: vnde à Perſio ſat. 1. dicitur *reparabilis* — *Reparabilis adſonat Echo*, Perſ. Id eſt, quæ repercuſſu, ſeu reuerberatione reparatur, & reſarcitur. Fit autem hæc reflexio, vel per ſolas ſpecies intentionales ſoni, quæ propter corpus obſiſtens, retrocedunt (ſicut etiam in ſpeculo videtur obiectum per ſolas ſpecies intentionales, quæ reflectuntur) vel etiam poteſt fieri Echo ex eo quòd ſpecies illæ intentionales ſimul cum aere deferantur, & cùm per motum inueniant obſtaculum, quaſi alliſæ, reſiliunt in oppoſitam partem, atque ita mouetur aer, ſecum deferens eaſdem ſpecies vſque ad auditum; ita tamen vt per Echo ſemper concipiatur idem numero ſonus, qui ſemel, atque iterum percipitur á potentia audiendi.

13 Et quamuis his duobus modis poſſit fieri Echo, tamen cùm magna fuerit diſtantia, ad quam reſiliens aer non poteſt accedere, tunc quidem ſufficient ſpecies intentionales: atque hinc poteſt erui ratio quarè in Echo ſola vltima verba audiantur, quia ſcilicet reflexio illa retrograda eſt, cùm autem ſonus ſucceſſiuus ſit, quando vltima verba percipiuntur, ſonus primorum verborum, vltimis á tergo inſtantibus, ſaltem ſecundùm dearticulationem vocis, euaneſcit. A Latinis dicitur imago, ſic Horat. lib. 1. Od. 12. Horat.

Quem Deum cuius recinit iocoſa
Nomen imago.

Et meritò eſt enim Echo, quædam vocis repræſentatio, ſiue imitatio, hanc vocis imitationem rectè imaginem dicas, eſt enim imago dicta, ſubſtractis verbis, quaſi imitago.

(*)

SECTIO IIII.

De Olfactu, eiuſque obiecto.

1 Prima concluſio. Potentia olfaciendi reſidet in proceſſibus, ſiue tuberculis mamillaribus, quæ naribus obteguntur. Ita communis ſententia, pro qua videri poteſt Rub. 2. de Anima, cap. 9. q. 3. n. 40. Conimbr. ibid. q. 4. art. 2. Soar. 3. de Anima, cap. 25. n. 2. Vt intelligatur concluſio ſciendum eſt, diriuari á cerebro duos veluti canales, vſque ad oſſa foraminoſa narium, quæ ſunt prope oculorum cauitates: præterea ſciendum eſt, in ſuperiore narium extremitate duo eminere tubercula, ſimilitudine mamillarum, quæ proptereà dicuntur carunculæ mamillares; per hos igitur canales demittit cerebrum excrementa ſua in naſum, & per eoſdem canales, vſu reſpirationis, aſcendunt exhalationes odoriferæ ad cerebrum. Explicatur vbi reſideat. *Rubius* *Patres Conimbr.* *Soarius.*

2 His poſitis probatur concluſio, quia olfactus non reſidet in cerebro, aut in eius anterioribus ventriculis (quidquid reclamet Galen. lib. de Vſu partium cap. 6.) ergo reſidet in proceſſibus mamillaribus. Probatur antecedens, quia cùm cerebrum ſit fons omnium ſenſuum, nullius ſenſus eſt organum: præterea, quia cùm vapores odoriferi aſcendant ad confortandum cerebrum, conſentaneum rationi fuit, vt olfactus, quaſi explorator odorum, ante cerebrum locaretur, vt malus odor diſcerni poſſit, foraſque propulſari, antequàm cerebrum lædatur, ſicut in guſtu obſeruatùm eſt, reſides enim in ore, quaſi in ianua, vt poſſit iudicare de cibis, priuſquàm in ventriculùm emittantur. *Galenus.*

3 Confirmatur tandem experientiâ, & communi omnium loquutione; non enim experimur, neque dicimus per cerebrum, ſed per nares olfacere; alioquin etiam reliqui ſenſus reſiderent in cerebro, quod eſt falſum: atque ex his colligi poteſt definitio potentiæ olfaciendi, Eſt, enim, *facultas quædam reſidens in dicto ſenſorio, apta vt immutetur ab odoribus, illeſiq; ſentiat.*

4 *Secunda concluſio.* Obiectum olfactus eſt odor. Hæc non indiget probatione, ſolùm explicare oportet, quid ſit odor? Sciendum igitur breuiter eſt, odorem non eſſe aliquam ſubſtantiam, aut fumoſam euaporationem, ſed eſſe qualitatem quandam ſecundam, ortam ex permixtione primarum qua- Odor eſt obiectum olfactus.

litatum

Digitized by Google

litatum in mixtis corporibus, in quibus ſiccũ ſuperat humidum; quæ qualitas pertinet ad tertiam ſpeciem, nempe ad paſsibilem qualitatem, ſiquidem eſt per ſe ſenſibilis. Quod verò reperiatur in corporibus mixtis, probatur experientiâ, nullum enim elementum in ſuo naturali ſtatu eſt odoriferum.

5 Deinde, quòd reſultet odor ex temperamento, in quo ſiccum comprehendatur, ſiue ſuperet humidum, ex eo probatur, quia res odoriferæ plerumque dum caleſiunt, attemperato calore, magis redolent, quia ſcilicet calor excitat ſiccitatem, magiſque decoquit humiditatem: atque hinc eſt, quòd res omnes verno tempore magis redoleant, quã hyberno.

6 Diffunditur autem plerumque odor à re odorata, per ſubſtantiam quandam fumeam, & ſubtiliſsimam in qua odoris qualitas ſubiectatur, & ad certam ſphæram pertingit, atque hæc eſt cauſa, cur cerebrum odoribus confortetur, quia videlicet ſæpe defertur odor in illa ſubtili ſubſtantia, ſiue in illa exhalatione ſubſtantiali; hoc tamen non tollit quominùs odor communicari poſsit extra illam fumeam exhalationem, per ſolũ eſſe intentionale, quia ſcilicet fumeus ille vapor, nequit aliquando ad longiſsimum ſpatium pertingere, quò ſæpe odor defunditur; vnde tunc temporis fit odoratio per ſpecies intentionales ſubiectatas in aere, vel in aqua, vtrumque enim hoc medium accõmodatiſsimum eſt, vt in eo ſubiectetur odor, vel ſecundùm eſſe reale, vel ſecundùm eſſe intẽtionale.

7 Aduertit autem Soar. lib. 3. de Anima, cap. 24. ſpecies intentionales odoris incipere quidem ſtatim à principio multiplicari à re ipſa odorifera, & ſimiliter etiam incipere exhalari ſubſtantiam illam fumeam, & tenuem, in qua, quia ſubiectantur ſpecies intentionales, ideò vento flante in contrariũ, non ſentitur odor, quia ventus ita ſecum defert exhalationem illam, vt non ſinat ſpecies intentionales peruenire ad ſphæram actiuitatis, quam alioquin habere poſſent, vt ſuprà dixi de ſono. Ex quibus colligitur, olfactum non ſemper requirere medium externum, & nihilominùs ad ſui ſenſationem ſemper poſtulare ſpecies intentionales, vt magis ex ſequenti ſectione patebit. Colligitur tandem ſimul cum ſpeciebus intentionalibus odoris concurrere alias qualitates, quæ procedunt à corpore odorifero, & hæ qualitates ſunt illæ, quæ lædunt, aut iuuant ſenſum.

SECTIO V.

De Guſtu, & Tactu.

1 *Prima concluſio.* Organum guſtus eſt lingua: ita communis ſententia pro qua videri poteſt Soar. 3. de Anima, cap. 27. Vt percipiatur concluſio, aduertendum eſt, à cerebro vſque ad linguam diriuari duos neruos, qui linguam mediam interſecantes, ex ſe alios minutos neruos, tanquàm ramuſculos diffundunt, per quos potentia guſtãdi dillatatur. Sed quamuis hæc facultas vſque ad palatum extendatur, nihilominùs tamen præcipué reſidet in ipſa linguæ cuſpide. Caret autem hic ſenſus medio externo, vt dixi ſect. 1. huius diſp. Quibus poſitis, probatur concluſio, teſte ipſa experientiâ quæ rem ſatis confirmat. Guſtus reſidet in lingua. *Soarius.*

2 *Secunda concluſio.* Obiectum guſtus eſt ſapor: hæc etiam certa eſt, vt tamen meliùs intelligatur, ſciendum eſt, quid ſit ſapor? Eſt igitur, ſapor, *qualitas quædam ſecunda reſultans ex tali permixtione primarum qualitatum, in qua humidum ſuperet ſiccum, & ita moueat, & immutet guſtum.* Species autem ſaporum variantur, videlicet dulce, amarum, ſalſum, acre, auſterum, acerbum, aridum, &c. Eius obiectum eſt ſapor.

3 *Tertia concluſio.* Sapor mouet guſtum non per ſe immediatè, ſed per ſpeciem intentionalem productam in organo: ita verior ſententia, de qua Soar. lib. 3. de Anima, cap. 26. præcipué n. 5. Vt intelligatur concluſio ſciendum eſt primò, certum imprimis eſſe, hunc ſenſum nullum habere medium externum, ſicut habet viſus & auditus. Sciendũ ſecundò dubium eſſe, vtrùm guſtus habeat medium aliquod internum, aſſerunt enim aliqui, carnem illam ſpongioſam, quæ tegit neruos linguæ, in quibus eſt guſtus, eſſe medium internum; alij tamen negant tale medium, cùm enim caro illa nimis ſit poroſa, facilè poteſt ſapor per tales poros realiter, & immediatè attingere neruos: dato igitur, quòd hic ſenſus nullum habeat medium internum, & quòd realiter, & immediaté attingatur à ſapore, nihilominùs aſſerendum eſt non ſufficere hanc realem præſentiam, ſed requiri ſpeciem intentionalem per quam ſapor conuenienter fiat præſens potentiæ in eſſe obiectiuo, & intentionali, vt ita ex illa potentia & ſpecie fiat vnum. *Soarius.*

4 Quod ſic poteſt declarari, quia ſola diuina eſſentia propter ſuum eſſe infinitum

poteſt

contactum naturalem. eſt valde materialis, ſimilitudo autem potentiæ cum obiecto debet eſſe immaterialior, quia conſtituit potētiam in ratione cognoſcitiui.

11 Confirmatur primò, quia ſæpe obiectum tangibile diſtans à potentia percipitur, vt ſi impoſita charta, vel lana tangas lapidem, procul dubio eius duritiem ſenties; ſed non per ſe immediatè: ergo per ſpecies. Confirmatur ſecundò exemplo reliquorũ ſenſuum, & potentiarum, quæ requirunt ſpecies impreſſas, vt potentia, quæ ſecundùm ſe eſt vniuerſalis, fiat particularis, & ponatur in actu primo, quod in ſenſu tactus fieri nō poteſt per qualitates tangibiles, & reales, quia ſunt nimis materiales, neque ad hoc munus à natura ſunt inſtitutæ.

12 Quamuis hæc doctrina vera ſit, addo nihilominùs requiri à ſenſu tactus, præter ſpecies intentionales, naturalem, & immediatam approximationem obiecti (quamuis hæc aliquando non detur per accidens, vt patet exemplo appoſito illius, qui tangit lapidem interpoſita charta.) & ratio eſt, quia, vt obiectum cuiuslibet ſenſus producat ſpeciem ſui, per quam percipiatur, requirit ſufficientem approximationem, & quò ſenſus eſt ignobilior, eò minorem poſtulat diſtantiam, vt patet inductione facta per ſenſus, viſus enim in maiori diſtantia percipit obiectum, quàm auditus, quia eſt nobilior &c. ſed conueniens approximatio, quam in ſuo obiecto requirit ſenſus tactus, vt producat ſuas ſpecies, plerumque eſt naturalis, & realis: ergo hæc neceſſaria eſt, quod probatur ex maxima imperfectione huius ſenſus.

13 Et declaratur à contrario, quia ſicut obiectum viſibile non poteſt producere ſpeciem, quin medium aliquod intercedat inter ipſum, & ſenſum viſus; ita ex oppoſito, obiectum tangibile nequit producere ſpeciẽ intentionalem, niſi ſit immediatum ſenſui; & in hac immediatione quæuis qualitas tangibilis producit aliam naturalem ſibi ſimilē, & ſimiliter aliam intentionalem, nempe ſpeciem ſine qua obiectum non ſentitur: & conſequenter ad hanc doctrinam dicendum eſt, quòd ſi homo poneretur in igne, & Deus impediret productionem ſpecierum intentionalium ignis, non ſentiret homo talem combuſtionem, quamuis reuera combureretur, ac ſi eſſet lignum aliquod inſenſibile; & ratio eſt, quia deeſſet vnio intentionalis obiecti, id eſt ignis, cum potentia, vt ita combuſtio illa materialis vniretur tactui in eſſe ſenſibili, & cognoſcibili.

Vtrùm Tactus ſit vnus tantùm ſenſus?

14 Septima concluſio. Senſus tactus eſt vnus tantùm ſpecie, non multiplex: ita verior ſententia pro qua videri poſſunt Conimbric. de Anima, cap. 11. q. 2. Rub. ibid. q. 6. num. 71. Probatur: quia potentiæ diſtinguuntur per diuerſos modos tendendi in obiecta, ſeu per obiecta formalia: ſed tactus eodem modo immutatur in omni, & in quauis parte corporis: ergo &c. Probatur minor, quia omnis qualitas tangibilis eodem modo per contactum naturalem tangit organum, & producit in eo ſpeciem intentionalem ſuo modo repræſentantem talem qualitatem: ergo &c. Confirmatur, quia eadem potētia vidēdi percipit omnia viſibilia: ergo & eadem potentia tangendi ſentiet omnia obiecta tangibilia. Probatur conſequentia, quia viſibile, & tãgibile poſſunt conuenire in eàdem ratione formali immutandi ſuos ſenſus, ita vt viſibile ſit ratio diſtinctiua viſus, & tangibile ſit etiam ratio ſpecificatiua tactus. *Senſus tactus eſt vnus tãtùm in ſpecie. Patres Conimb. Rubius.*

15 Obijcis primò, Dolor, voluptas, fames, & ſitis ſunt ſpeciales qualitates diuerſimodè à tactu perceptibiles: ergo ſufficiētes ad diſtinguendos diuerſos ſpeciē tactus. Reſpond. tamen, dolorem non pertinere formaliter ad ſenſationem tactus, ſed hanc ſenſationem ſolùm concurrere ad dolorem, tanquàm conditionem materialem, dolor enim propriè, ac formaliter conſiſtit in diuiſione continui, vel diſtemperie, cum aduertentia cognitionis internæ; & cum proportione philoſophari debemus in voluptate, fame, & ſiti, ad quas materialiter tantùm concurrit ſenſatio tactus, quæ ſolùm propriè exercetur circa primas qualitates tangibiles, & per actus eiuſdem ſpeciei.

16 Obijcis ſecundò. Vnus ſenſus externus reſpicit vnã tantùm contrarietatē, ſcilicet auditus reſpicit graue, & acutũ; Guſtus amarũ, & dulce; odoratus fragrans, & fœtens; viſus lucem, & vmbram; (nigredinem enim & albedinem ſecundariò reſpicit, & dependenter à luce) ergo ſimiliter erit vnus tactus ſentiens contrarietatem caloris, & frigoris; alius verò ſentiens ſiccitatem, & humiditatem: immò etiam dabitur alius diuerſus tactus ſentiens grauitatem, & leuitatem, & ſubinde alius ſentiens mollitiē, & duritiē &c. Vnde quãuis ſenſus tactus ſit in vno ſubiecto realiter, tamē erit multiplex per ordinē ad ob iectũ. Reſp. tamē, illas diuerſas cōtrarietates ma-

materialiter tantùm differre inter ſe, & conuenire in vna ratione formaliſsima, ſub qua omnes conueniunt in tangibilitate, quæ nõ minùs eſt ratio diſtinctiua reſpectu tactus, quàm viſibilitas reſpectu viſus.

LIBER III.

DE ANIMA.

DISPVTATIO LXXXII.

De Senſibus internis.

POſtquàm egi cum Ariſtotele de Anima in communi, deque eius ſenſibus externis, qui nobis notiores ſunt, reſtat nunc de ſenſibus, ac potentijs internis cum eodem Philoſopho diſputare; ſed quia multa hac de re explicata ſunt trac. 1. primæ partis, & 3. p. trac. 2. proptereà illa tantùm modò prælibabo, quæ omnino fuere omiſſa; & in hac diſputatione agendum eſt de ſenſibus internis; ſed quia ex actibus rectè cognoſcuntur potentiæ, proptereà ſectione ſequenti, antequàm ſtatuam numerum ſenſuum internorum, eorum operationes inueſtigabo.

SECTIO I.

Quotuplex ſit ſenſus internus?

Dãtur ſeptem ſenſationes.

1 PRima concluſio. Dantur in nobis ſeptem ſenſationes, ſiue ſeptem actus ſenſitiui interni, ita cõmunis, & vera omnium Philoſophorum ſententia. Probatur concluſio experientia, datur enim in nobis quædam ſenſatio, qua percipimus omnium ſenſuũ internorum munia, aduertimus enim obiectum ſenſatũ per viſum, non eſſe ſenſatum per auditum &c. facultas verò ſenſitiua interna, quatenus præſtat hoc efficium, dicitur ſenſus cõmunis, eò quòd omnibus ſenſibus externis tanquàm communis præſes patrocinetur.

2 Secunda operatio ſenſitiua, quæ in nobis datur eſt illa, qua non ſolùm percipimus functiones ſenſuũ externorum in præſentia, ſed qua in abſentia concipimus eadẽ illa obiecta ſimplicia, vt contingit dormientibus, vel etiam vigilantibus, qui ſæpe cogitant de aliquibus rebus ſimplicibus, quas tunc non cognoſcunt ſenſus externi; potentia verò interna ſenſitiua, quatenus ſic operatur dicitur phantaſia. Tertia operatio, ſuo modo diuerſa ab his prioribus eſt, quando non ſolùm percipimus obiecta illa ſimplicia, ſed etiam ex duobus componimus vnũ tertium, vt cum ex homine, & albedine componimus hominem album; potentia verò ſenſitiua interna, quatenus ſic operatur, apellatur imaginatiua, & per hanc poſsibilia, & impoſsibilia confingimus.

3 Quarta operatio eſt, quando percipimus obiecta illa ſenſata ſub noua quadam ratione conuenientiæ, aut diſconuenientiæ per ordinem ad appetitum, & proptereà potentia ſic operans practica eſt. & ab illa proximé mouetur appetitus, & prout ſic, dicitur æſtimatiua. Quintus actus, qui in nobis datur eſt ille, per quem recordamur de ſenſatione præterita; potentia verò ſenſitiua interna, prout hoc præſtat, dicitur memoria ſenſitiua.

4 Præter hæc quinque munia, quæ cõmunia ſunt homini, ac bruto, datur in homine alia operatio ſenſitiua procedẽs à potẽtia ſenſitiua interna, quæ prout ſic, nuncupatur cogi-

cogitatiua, & eſt illa, quæ proximè miniſtrat intellectui rationali, poteſtque ſuo modo cõponere, diuidere, & ratiocinari, vt mediãte illa, homo intellectuali, & ſpirituali modo hæc eadẽ obiecta, & has operationes percipiat: quatenus verò hæc eadẽ potẽtia reminiſcitur de his actibus præteritis, dicitur reminiſcentia, per quã intellectus ſuo modo poſteà recordetur de actionibus præteritis: atque ita probata manẽt ſeptẽ diuerſa munera ſenſationũ, ſeptẽque nomina potentiarũ ſenſitiuarũ internarum; nunc verò quærendũ reſtat, vtrùm omnes iſtæ ſenſationes habeant diuerſas potentias realiter diſtinctas, an ab vna tantùm proueniant, cũ ſola virtuali diſtinctione, pro munerum diuerſitate.

5 *Secunda concluſio*. Probabilius eſt phantaſiam, imaginatiuam, & æſtimatiuam non diſtingui realiter inter ſe, ſed eſſe vnam, & eandem potentiam cũ virtuali, & inadæquata diſtinctione: ita colligitur ex Soar. 3. de Anima, cap. 30. & ex Rhodenſi 3. de Anima, cap. 3. q. 1. à num. 40. idem tenet Arriaga diſp. 5. ſec. 4. qui vnicum ſenſum internum admittit. Probatur, quia ex eo imaginatiua eſſet diſtincta à phantaſia, quia phantaſia ſolùm apprehenderet terminos ſimplices, imaginatiua verò illos componeret: ſed imaginatiua vtrumque præſtare poteſt: ergo non eſt duplex, ſed vna tantùm potentia, fruſtrà enim fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora. Probatur minor, quia prius impoſſibile eſt, imaginatiuam componere tertium actum ex duobus ſimplicibus, quin prius apprehendat ipſos terminos ſimplices per ſpecies proprias: ergo ſi eadem potentia hoc præſtare poteſt, neceſſaria non eſt alia.

Phantaſia, & æſtimatiua non diſtinguũtur realiter.

Soarius. Rhod. Arriaga.

6 Probatur imprimis antecedens exemplo intellectus, qui non poteſt componere propoſitionem ex terminis ſimplicibus, quin prius idem intellectus cognoſcat eoſdem terminos ſimplices per ſpecies proprias. Probatur deinde vniuerſali ratione, quia omnis potentia, quæ cognoſcit abſtractiuè, cognoſcit etiam intuitiuè, & ratio eſt, quia nulla in nobis datur naturalis cognitio, quin fiat per aliquam ſpeciem, & quamuis hæc ſpecies ſit impropria reſpectu vnius obiecti, & propterea inſeruiat ad cognitionẽ abſtractiuã, neceſſariò tamen eadẽ ſpecies eſt propria reſpectu alterius obiecti (vt quando concipimus Deum per modũ lucis; hæc ſpecies eſt impropria, & abſtractiua reſpectu Dei, eſt verò propria, & intuitiua reſpectu lucis) atqui ſpecies propria alicuius obiecti non poteſt ab eo produci, niſi in præſẽtia obiecti (& præcipuè in cognitionibus ſenſibilibus) obiectũ enim ſenſibile non poteſt mouere ſenſum, neque ex ſe ſpeciẽ mittere, niſi ſit præſens) ergo neceſſariò omnis potentia, quæ cognoſcit abſtractiuè, debet etiã cognoſcere intuitiuè. Quapropter cùm imaginatiua, & æſtimatiua efficiãt id, quod phantaſia præſtat, nõ eſt cur multiplicentur, ſed ad hæc omnia munia ſatis erit phantaſia.

7 *Tertia concluſio*. Nõ datur ſenſus communis, qui realiter à phantaſia diſtinguatur. Ita Soar. de Anima, lib. 3. cap. 30. n. 13. Rhodenſ. 3. de Anima, cap. 3. q. 1. n. 40. Probatur ſuppoſitâ doctrinâ ſuperioris concluſionis, quia ex eo phantaſia diſtingueretur a ſẽſu communi, quia hic ſolùm perciperet res in præſentia, phantaſia verò cognoſceret in abſentia: ſed hæc ratio non eſt ſufficiens: ergo &c. Maior ita proponitur ab aduerſarijs: probatur minor, phantaſia non ſolùm cognoſcit in abſentia, ſed neceſſariò etiã cognoſcit in præſentia: ergo ſuperflua eſt alia potẽtia, quæ percipiat ſolas res præſentes, quod probatur argumento ſupra facto, nam omnis potentia, quæ percipit obiectum in abſentia, & abſtractiuè poteſt etiam cognoſcere intuitiuè; immò nullus Philoſophorum negauit vnquàm phantaſiam cognoſcere etiam præſentia: quapropter, ſi propterea æſtimatiua non diſtinguitur realiter à phantaſia, quia eadem obiecta ſimplicia, quæ percipit phantaſia, poteſt etiam percipere æſtimatiua, ſimiliter dãdus non eſt ſenſus communis ad percipiendas ſolas res præſentes, ſiquidem illas etiam percipit phantaſia.

Nõ datur ſenſus cõmunis realiter diſtinctus à phãtaſia.

Soarius. Rubius

8 Confirmatur ex Ariſtotele in hoc lib. cap. 3. qui ſic definit phantaſiam. *Eſt motus factus à ſenſu in actu*: ergo ex mente Philoſophi, phantaſia immediatè recipit ſpecies, & mouetur à ſenſibus externis; atque adeò neceſſarius non eſt ſenſus communis, ad hoc munus peragendum. Plures alias confirmationes affert Soar. cit. ſed ex prædicto fundamento ſatis à communi conſenſu, relegatus manet ſenſus communis: immò addo non diſtingui ſenſum communem à phantaſia virtualiter, ſiue formaliter adæquatè, ſed tantùm virtualiter inadæquatè, ſed tantùm virtualiter inadæquatè ad eum modum, quo intellectus practicus, & ſpeculatiuus ſunt idẽ à parte rei, & ſolùm virtualiter, & inadæquatè diſtinguuntur, ratione actuũ, propter quos inadæquatis definitionibus circũſcribuntur.

Ariſtot.

9 Ex dictis etiam ſequitur, memoriã ſenſitiuam in bruto, vel in homine non eſſe potentiã diſtinctã ab æſtimatiua, ſiue phantaſia, ſiue cogitatiua, nihil enim aliud eſt memoria ſenſitiua, quàm eadẽ phantaſia, prout reminiſcitur de re præterita, ſicut de memoria, & in-

Memoria ſenſitiua nõ diſtinguitur à phantaſia.

intellectu infrà philoſophabimus. Neque ſufficiens eſt ratio, qua mouentur aliqui dicentes, potentiam conſeruantem ſpecies, nẽpe mememoriam, diſtingui debere à non cõſeruante; enim verò nulla potentia ponitur pro ſola conſeruatione: ſed omnis potentia eſt ad operationem ad quam neceſſaria ſæpe eſt conſeruatio ſpecierum. Hæc igitur vnica potentia ſenſitiua interna, phantaſia iam cõmuni nomine appellatur, reſpectu cuius, omnes actus, quos ſuprà memorauimus, ſunt inadæquati, quẽadmodùm intellectus eſt vnus tantùm ad percipiẽda omnia obiecta intelligibilia, ſiue ſint vniuerſalia, ſiue particularia, ſiue præſentia, ſiue præterita.

Soluuntur aliquot argumenta pro cõtrarijs ſententijs.

10 OBijcis tamẽ pro primo, & cõtraria ſententia, quæ docet, quatuor eſſe potentias internas ſenſitiuas, nẽpe ſenſum cõmunẽ, phantaſiã,
D. Thom. æſtimatiuã, & memoriã quam tenent D. Th.
Caiet. 1. p. q. 78. art. 4. Caiet. Ban. & alij Thomiſtæ
Bañez. ibid. cũ quibus nuper fœdus pepigẽre Fratres
Curſus Diſcalc. in ſuo Curſu Cõpl. diſp. 15. de Ani-
Carmel. ma, q. 4. n. 80. Obijcis, inquã primò. Diuerſus cognoſcẽdi modus arguit diuerſã potentiã: ſed ſenſus cõmunis habet diuerſũ modũ cognoſcẽdi à phãtaſia, & hæc ab æſtimatiua, & à memoria: ergo &c. Probatur minor; quia ſenſus cõmunis ſolùm percipit, & admittit ſpecies ſenſatas, id eſt, productas in ſe à ſenſibus externis; phantaſia verò recipit ſpecies inſenſatas, id eſt, non productas immediatè à ſenſibus externis; & ſimiliter æſtimatiua habet diuerſum modum cognoſcendi à memoria, vt conſtat ex ſuprà dictis.

11 Reſpõdetur negãdo minorẽ vtràſque enim ſpecies percipit, & admittit phantaſia: neque illa diuerſitas cognoſcẽdi per ſpecies ſenſatas, & inſenſatas arguit diuerſã potẽtiã, ſolùm enim arguit actũ perfectiorẽ, eiuſdẽ potẽtiæ, qualis eſt ille, quo percipit rẽ abſentẽ per ſpecies inſenſatas; ſicut perfectior eſt actus intellectus, quo quis diſcurrit, quã quo apprehẽdit, & tamẽ procedit vterque ab eãdem potentia: immò, vt ſuprà dixi, non poteſt phãtaſia circa res abſentes, & inſenſatas verſari, niſi medijs ſpeciebus inſenſatis, quas primò habet, & per quas primo operatur: cùm igitur eadem potentia vtramque admittat ſpeciem; non eſt cur multiplicetur.

12 Obijcis ſecundò, argumento dicto ex arte anatomica, qua probãt medici, quatuor in cerebro ſellulas reperiri, quæ cõmuniter dicũtur eſſe ſubiecta harum quatuor potentiarũ; nihilominus tamen cùm nõ ſatis cõſtet ad quænã munera ſint hæ de munculæ concellæ non habet vim hoc argumentum, nam
medicorum princeps Galenus lib 8 de Vſu *Galenus.*
partium, cap. 6. his munera valde diuerſa attribuit prædictis ſellulis.

13 Obijcis tertiò pro alia ſecũda, & communi ſententia, quæ docet, duos eſſe ſenſus internos, nẽpe ſenſũ cõmunẽ, qui immediatè admittat ſpecies ſenſatas à ſenſibus externis, & deinde phantaſiã, quæ cognoſcat per ſpecies inſenſatas abſtractiuè, & in abſentia: quã ſententiã tenent Fonſ. 5. Met. c. 28. q. *Fonſeca.*
7. ſec. 4. cui poſtea adhæſerunt Conimbr. 2. *Patres*
de Anima, cap. 3. q. 1. art. 3. & eandem ſententiã *Conimbr.*
ſupponunt in Logica, q. 5. de Vniuerſalib. *Curſus*
in genere, art. 2. in principio. Pro eãdẽ ſentẽ- *Carmel. e.*
tia, tãquàm pro Thomiſtica veritate propugnant Patr. Diſcalceati de Anima, d. 15. q. 1. à num. 8. Obijcis, inquam, tertiò. Si ex eo quòd phantaſia percipiat id, quod percipit ſenſus communis, non eſt hic neceſſarius, ſimiliter etiam ex eo quòd eadem phantaſia percipiat quidquid præſtant ſenſus externi, ſufficiet hæc pro omnibus, ac proinde neceſſarij non erunt ſenſus exteriores. Reſpond. tamen, non ideò à nobis tolli ſenſum communem, quia ſcilicet phantaſia percipit eius operationes, ſed ex eo quòd illas poſſit edere, quãuis poſſit etiam aliquid ampliùs: quapropter licet percipiat operationem ſenſuum externorum, cùm nõ poſſit illas efficere, neceſſarij omnino ſunt ſenſus externi, qui immediatè mouentur ab obiecto.

14 Inſtas. Propterea neceſſariò dantur ſenſus externi diuerſi à phantaſia, quia phantaſia non mouetur immediatè ab obiecto, ſi tamen ſenſus externi immediatè immutentur ab illo: ergo etiam dandus eſt vnus ſenſus cõmunis, qui immediatè immutetur ab ſpeciebus ſenſatis, & alter ſenſus, nempe phantaſia, qui mediatè, & remotè immutetur. Probatur conſequentia, quia ſicut non poteſt idem ſenſus immediatè immutari, & ſimul ab ſpeciebus ſenſatis, & inſenſatis, ita impoſſibile videtur, quòd eadem potentia immediatè ſimul, & proximè immutetur ab ſpeciebus ſenſatis, & remotè, & mediatè ab ijſdem immutetur.

15 Reſpond. negando conſequentiam, quia mutatio immediata ab obiecto ſemper eſt extrinſeca, & ideò ſufficiens ad inducendã diuerſitatẽ inter ſenſus externos, & internos, ſiquidem ſenſus internus non poteſt immediatè moueri ab obiecto externo, ſicut mouentur ſenſus externi: immutatio autem proxima, vel remota ab ſpeciebus eſt

eſt intrinſeca, ideſt, per ordinem ad ſenſum internum, vnde ſufficiens non eſt ad diuerſificandas potentias internas, quibus per accidens eſt mediata, vel immediata dependentia ab ſpeciebus. Declaratur concluſio exēplo, nam prima operatio noſtri intellectus eſt immediatior ſpeciebus, quam ſit tertia operatio, ideſt, diſcurſus, & tamen nō ideò ad has operationes requiritur diuerſa potentia ab intellectu.

16 Obijcis quartò. Phantaſia eſt potentia materialis, & ideò maximè limitata: ergo non poteſt vna tantùm tot efficere functiones, eaſque percipere. Probatur conſequentia exemplo ſenſuum externorū, qui propterea multiplicantur, quia cùm ſint materiales, non poteſt vnus tantùm tot exercere actus: quapropter inualidum videtur exemplum intellectus, cùm enim hic ſit potentia ſpiritualis, quid mirum, ſi poſsit apprehendere, iudicare, ac diſcurrere? Reſpond. diſtinguendo anteced. eſt maximè limitata comparatione intellectus, concedo antecedens (nam intellectus percipit vniuerſalia, quæ nullo modo cadunt ſub cognitionem ſenſus interni, vel externi) phantaſia eſt limitatā comparatione ſenſuum externorum, nego antecedens, eſt enim reſpectu illorum potentia vniuerſalis; quapropter non valet exemplum ſenſuum externorum, ſunt enim potentiæ particulares, & ideò magis limitatæ, at verò phantaſia potentia eſt magis vniuerſalis, vt conſtat ex dictis.

17 Inſtas. Etiam intellectus percipit nō ſolùm obiecta vniuerſalia, ſed etiam particularia, quæ percipit phantaſia: ergo ſi obiectum particulare, quamuis percipiatur à phātaſia, poteſt vlteriùs percipi ab intellectu, non bene argumentamur, quòd ex eo quòd phantaſia percipiat obiectum immediatè ſenſatum, neceſſaria non ſit alia potentia (ideſt, ſenſus communis) quæ illud percipiat. Reſpondeo negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia, quamuis intellectus percipiat quidquid percipit phantaſia, nihilominùs modus cognoſcendi phantaſiæ, cùm ſit materialis, eſt maximè diuerſus à modo cognoſcendi intellectus, eſt enim phantaſia corporea, & intellectus immaterialis, quæ diuerſitas non datur in modo cognoſcendi phantaſiæ, & ſenſus communis, quem fingunt, cùm vterque modus ſit materialis, & cùm impoſsibile ſit, quod phantaſia cognoſcat abſentia, quin etiam cognoſcat præſentia, iuxta ſuprà dicta.

SECTIO II.

De Obiecto, operatione, & ſubiecto ſenſus interni.

1 PRima concluſio. Obiectum adæquatum ſenſus interni eſt omne ſenſibile per ſenſus externos, vel immediatè, vel remotè. Ita communis, & vera ſententia pro qua videri poteſt Suar. 3. de Anima, cap. 31. & Rub. 3. de Anima, cap. 3. q. 4. à n. 109. Probatur, quia obiectum debet adæquari potentiæ: ſed ſenſus internus eſt potentia in ſuo ordine vniuerſalis: ergo habet in ſuo genere obiectum valde vniuerſale, quod eſt prædictum ſenſibile. Quæ cōcluſio, vt meliùs percipiatur, aduertendum eſt primò, quoduis ſenſibile, colorem v. g. vel poſſe accipi, quà color eſt, vel quà ſenſibile, vel quà intelligibile; ſi concipiatur quà color eſt, eſt obiectum viſus; quà intelligibile eſt obiectū intellectus; quà ſenſibile verò per ſenſus externos eſt obiectum phantaſiæ. Obiectum phantaſiæ eſt omne ſenſibile. Conimb. P. Anton. Rubius.

2 Aduertendum ſecundò, ſenſibile per ſenſus externos ita eſſe rationem diſtinctiuā ſenſus interni, vt nō ſolùm nomine huius ſēſibilis intelligatur quod propriè, & immediatè cadit ſub ſenſus externos, ſed etiā id quod modo aliquo cadit ſub tales ſenſus, & ratio eſt, quia ratio conuenientis, & diſconuenientis ſunt actus æſtimatiuæ, & propterea pertinent ad obiectum phantaſiæ; & tamen ratio conuenientiæ, vel diſconuenientiæ nō cadit propriè ſub ſenſus externos: quaré obiectum ſenſibile adæquatum ſenſus interni eſt quodlibet obiectum ſenſatum à ſenſu externo, aut idem obiectum, quod aliquo modo dependet à ſenſatione ſenſus externi, vel immediatè, vel remotè.

3 Secunda concluſio. Senſus internus cognoſcit non ſolùm obiecta ſenſuum externorum, ſed etiam ipſorum ſenſuum ſenſationes, v. g. phantaſia non ſolùm cognoſcit, & percipit colorem, qui eſt obiectum proprium viſus, ſed etiam cognoſcit ipſam viſionem. Ita D. Th. 1. p. q. 78. art. 4. ad 2. & q. 84. art. 3. ad 3. Scot. Tolet. quos citat, & ſequitur Rub. 3. de Anima, cap. 3. q. 3. num. 79. Probatur euidenter experientiā, qua conſtat, percipere nos cognitione ſenſitiua, quòd videamus, & audiamus; ſed ne quis confugiat ad intellectum, conſtat eādem experientiā, brutas animantes pertimeſcere quædam loca, vbi fuerant percuſſæ, & alia quæritare vbi cibū inuenere: ergo ſignum eſt, percipere illorum phan- D. Thom. Scotus. Toletus. Rubius

phantaſiam non ſolùm obiectum illud ſenſibile, ſed etiam ipſam operationem, vel doloris, vel commeſtionis.

4 Fit autem hæc repræſentatio operationis non per ſpeciem aliquam diuerſam ab ea, qua repræſentatur obiectum, ſed eadem ſpecies repræſentat ſimul obiectum, & operationem, ſeu potiùs repræſentat obiectum vt ſenſatum, ſiue modificatum iam per ſenſus externos, ad eum modum quo dixi diſp. 85. ſec. 3. per eandem ſpeciem cognoſci ab externo ſenſu ſenſibile proprium, & commune, ita vt ſenſibile proprium imprimat ſuam ſpeciem: at verò ſenſibile commune illam modificet: quapropter ſpecies expreſſa, per quam oculus cognoſcit colorem, eſt medium cognoſcendi reſpectu oculi, & eſt obiectum reſpectu phantaſiæ, cui ſe, ſuumque obiectum, vt iam ſenſatum, & per modum vnius repræſentat; atque ita phantaſma impreſſum, quod producitur ab ſpecie expreſſa oculi, repræſentat phantaſiæ obiectum, vt etiam repræſentet illi ſuam ſpeciem expreſſam oculi, tanquàm obiecti mediū: cùm autem ex re, & ex modo fiat vnum modificatum, inde eſt, quòd ab illa ſenſatione externa producatur vna tantùm ſpecies repræſentans ſe, & obiectum per modum vnius. Non cognoſcit autem ſenſus internus proprium actum per reflexionem, quia reflectere ſupra ſe eſt modus operandi perfectiſsimus, & immaterialis.

Phantaſia reſidet in cerebro. *Galenus. Patres Conimbr. Soarius. Ariſtot. Auicena.*

5 *Tertia concluſio.* Organum ſenſus interni eſt in cerebro. Ita Galen. lib. 8. de Vſu partium, cap 3. & 4. pro qua etiam vide Conimbr. 3. de Anima, cap. 3. q. 1. art. 4. Soar. l. 3. de Anima, cap. 3. Probatur experientiâ, nam ex vehementi applicatione phantaſiæ læditur, & delaſſatur cerebrum, quod non ita fieret, ſi ibi non reſideret phantaſia; eâdem verò experientiâ comprobatum eſt, non defatigari cor ex aliqua diuturna apprehenſione: ergo ſignum eſt non in corde, vt volebant Ariſtoteles, & Auicena, ſed in cerebro reſidere.

6 Cùm autem in cerebro reperiantur tres, vel quatuor diſtinctæ ſellulæ, in vltima eſt collocanda phantaſia; imprimis, quia ita exiſtimat Galenus, deinde, quia eò ſubordinantur, & concurrunt nerui ex ſenſibus externis prodeuntes. Neque obſtat pro Ariſtotele, quòd appetitus ſenſitiuus ſit in corde, quamuis enim appetitus, ſine phantaſiæ operatione, nihil poſsit agere, & quamuis ſint in diuerſis partibus corporis, ſufficit quòd ſint hi ſenſus radicati in eâdem anima, vbi ſufficit naturalis ſympathia, & ſubordinatio. Neque etiam facit pro Ariſtotele illud Matthæi 9. *De corde exeunt cogitationes*, nomine enim cordis intelligitur mens interior. *Matt. 9.*

Reperitur in quouis animâte.

7 *Quarta concluſio.* Subiectum, *vt quod* phantaſiæ eſt quodlibet animal, etiam imperfectiſsimum. Probatur, nam tale animal neceſſariò habere debet ſaltem duos ſenſus externos, guſtum ſcilicet, & tactum: ergo etiā neceſſariò habere debet phantaſiam, quæ diſcernat inter vtrumque, nam ſenſus externi neceſſariò ſubordinantur interno, qui illis præſidet. Confirmatur, quia neque imperfectiſsimis animalculis denegari poteſt aliquis appetitus: cùm euidens ſit, appetere ſibi cōuenientia; ſed hic appetitus immutari non poteſt proximè, niſi à phantaſia: ergo &c. minor eſt certa, quia nihil poteſt eſſe volitū, quin ſuo modo ſit præcognitum.

De Actibus, & Speciebus ſenſus interni.

Phantaſia nō iudicat propriè, neque diſcurrit. *D. Thom.*

8 Q*Vinta concluſio.* Senſus internus non habet verum, & proprium iudicium, nec proinde verum, ac proprium diſcurſum: ita cōmunis, & vera ſententia cum D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1. & 2. hæc concluſio conſtabit ex iis, quæ dicam diſp. 85. ſect. 4. à §. *Tertia concluſio*: & breuiter probatur ex D. Thom. quia ad formale iudicium, & proprium diſcurſum requiritur non quæcumque cognitio extremorum, ſed præſupponitur etiam cognitio proportionis formalis inter extrema, cum collatione vnius cum alio; ſed hæc proportio ita formaliter ſumpta, cùm ſit quædam relatio, non eſt ſenſibilis: ergo non poteſt ſenſus internus propriè diſcurrere, neque iudicare.

9 Quæ ratio non eſt minùs efficax circa ſenſum internum bruti, quàm etiam circa phantaſiam hominis, ſunt enim eiuſdem ſpeciei; vnde probabilius eſt, quòd neque circa ſingularia materialia detur proprius diſcurſus, aut proprium iudicium in phantaſia hominis: quando igitur phantaſia componit vnum ex duobus, vt cùm ex monte, & auro fingit montem aureum, hoc facit per materialem coniunctionem, non cognita proportione, neque facta collatione inter talia extrema: immò phantaſia, quā æſtimatiua eſt, non propriè percipit conuenientiam, vel diſconuenientiam formalem obiecti, ſed fertur in rem ſenſibilem, prout ſibi materialiter repræſentatur, vt conueniens.

10 Addo prætereà, ſenſum internum nullum cognoſcere obiectum ſub ratione præteriti, vel futuri, præterito enim, vel futuritio

turitio nullo modo cadit ſub ſenſum; quarè brutum non recordatur de percuſsione præterita, ſub illa ratione præteriti, ſed tantùm in confuſo reminiſcitur de illo obiecto vt ſibi aliquando diſconuenienti; neque etiam cognoſcit obiectum præſens, ſub ratione præſentis, quia formalis ratio temporis dicit ordinem prioris, & poſterioris, dicitque formalem rationem durationis, neutrum verò ſenſibile eſt. Confirmatur, quia formalis ratio temporis difficilè percipitur ab ipſo intellectu. Quapropter quemadmodùm motus materialiter ſumptus eſt ſenſibile commune, ita & tempus, ſolùmque materialiter percipitur à phantaſia.

Phantaſia ad ſuas operationes requirit ſpecies.

11 *Sexta concluſio.* Senſus internus ad ſuas operationes requirit ſpecies intentionales. Concluſio certa eſt, & probatur imprimis ex dictis diſp. ſuperiori de ſpeciebus ſenſuum exteriorum. Deinde confirmatur experientiâ, conſtat enim non ſolùm homines, ſed etiam bruta, abſente obiecto, & nullo externo ſenſu operante, phantaſiari circa idem obiectum, vt contingit in ſomnis, & aliquando in vigilia: ergo euidens eſt poſt primam ſenſationem obiecti, manere in nobis aliquam eiuſdem obiecti ſimilitudinem, vel imaginem intentionalem, quæ nihil eſt aliud quàm ſpecies. Sunt verò tales ſpecies diuerſæ à ſpeciebus ſenſuum externorum. Probatur imprimis, quia diuerſæ potentiæ poſtulant diuerſa comprincipia: probatur deinde, quia ſenſus interni habent diuerſum modum operandi, ergo & diuerſas ſpecies.

D. Thom. Fonſeca. Molina. Patres Conimb.

12 Sed quæſtio eſt à quo principio producantur immediatè hæ ſpecies in phantaſia? Reſpondeo cum D. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. ad 2. Fonſ. 1. Metaphyſ. cap. 2. quæſt. 3. ſect. 8. Molin. 1. p. quæſt. 1. art. 2. diſp. 4. & cum Conimbricenſ. in Logica in præfatione Porphyrij, quæſt. 5. art. 2. & cum alijs communiter, reſpondeo, inquam, ſpecies intentionales ſenſus interni produci ab ipſo obiecto externo, mediante cognitione ſenſus externi, ſeu mediante ſpecie expreſſa ſenſus externi, quæ ſpecies eſt veluti virtus eiuſdem obiecti, à quo immediatè procedit phantaſma impreſſum repræſentans obiectum ſenſatum per ſpeciem expreſſam ſenſus externi; ita tamen vt hæc ſpecies expreſſa, reſpectu ſenſus externi, ſit vitalis, reſpectu verò phantaſmatis impreſſi non ſit productio vitalis, vt conſtabit ex his, quæ dicemus diſp. ſequenti circa intellectum agentem.

13 Ex dictis colligitur primò, nullum dari ſenſum agentem, & ratio eſt, quia obiectum ſenſibile proportionatum eſt ſenſui interno, vnde non requiritur ſenſus agens eleuans ſpeciem, ſicut requiritur intellectus agens, qui eleuet ſpeciem corpoream, vt ita reddatur proportionata intellectui ſpirituali. Colligitur ſecundò phantaſiam non ſolùm vti ſpeciebus ſenſatis, ſed etiam inſenſatis, dummodò aliquo modo dependeant à ſenſu externo. Quod vt faciliùs intelligatur, aduertendum eſt cum D. Thom. omnem potentiam quò ſuperiorem, eò perfectiorem, & nobiliorem habere cognoſcendi modum, quod probat exemplo intellectus, qui licèt per ſenſus hauriat principia ſuæ cognitionis, nihilominùs ipſe intellectus plura cognoſcit in eâdem re, quàm ſenſus externus, quo mediante habuit cognitionem talis rei.

14 Atque ita procedendo in hac vera doctrina Angelici Doctoris, quamuis phantaſia dependeat ab ſpeciebus ſenſatis ſenſuū externorum, nihilominùs poteſt per alias ſpecies inſenſatas aliquid ampliùs, quàm poterant ſenſus externi; quod explicatur hoc exemplo: videt ouis lupum, ſed oculus ouis non habet virtutem cognoſcendi conuenientiam, aut diſconuenientiam talis obiecti, eius tamen ouis phantaſia (cùm ſit potentia perfectior) ex illa ſpecie ſenſata lupi, producit aliam expreſſam, & inſenſatam diſconuenientiæ lupi; in homine verò poſteà idem obiectum per intellectum, perfectiori modo, & abſtractiori percipitur.

15 Hactenus diſputaui de ſenſibus externis, & internis cognoſcitiuis, circa appetitum, qui eſt ſenſus appetens, breuiter dico, illum in corde reſidere, eſſeque potentiam ſenſitiuam, quæ bonum ſenſibile vel malum (præcognitum ſenſu cognoſcente) proſequitur, aut fugit, cuius natura, & proprietates colligi poſſunt ex his quæ dicemus circa voluntatem, & ex illis, quæ diximus in Met. 3. p. tract. 1. diſp. 67. agentes de libertate.

(†)

Digitized by Google

DISPVTATIO LXXXIII.

De Potentijs ſpiritualibus, & de illarum operationibus in communi.

ACCEDIMVS ad præcipuam partem huius tractatus, vbi de potentijs ſpiritualibus noſtræ animæ diſputandum eſt: quarè nemo mihi iure poterit ſuccenſere, ſi longiſculi in hac parte videamur, cùm grauitas, & rerum tractandarum magnitudo, vel feſtinantem in ſe morari compellat, ſed, vt ſpero, impoſitas breuitatis metas nullatenus tranſiliemus.

SECTIO I.

De Intellectu Patiente, & Agente.

Quid ſit intellectus?

1 PRima concluſio. In homine datur intellectus patiens, qui eſt potentia ſpiritualis inhærens animæ, & á natura conceſſus ad res intelligendas, ita vt communicata animâ corpori, cōmunicetur etiam intellectus, vt verum ſit dicere, hominem per animam, & per intellectum intelligere. Huic concluſioni nemo omnium tam eſt barbarus, & immanis, vt audeat contradicere; & propterea vnanimi conſenſu illam amplectitur vtraque Scholaſticorum familia, cum ducibus D. Thom. 1. p. q. 79. art. 1. & 2. & Scot. in 1. diſt. 3. quibus omnes PP. communiter patrocinantur. Hæc veritas adeò eſt perſpicua, vt non indigeat probatione. Definitur autem noſter intellectus, *Virtus ſpiritualis, & accidentalis, cognoſcitiua per diſcurſum.*

D. Thom. Scotus.

2 Aliqua hîc breuiter ſunt adnotanda: primum eſt obiectum materiale adæquatum noſtri intellectus eſſe omne ens, ſiue reale, ſiue rationis, ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum. Obiectum verò formale, *ſub quo*, eſſe ipſam intelligibilitatem, quæ nihil aliud eſt, quàm veritas ipſius obiecti, ſeu ipſum obiectum, prout eſt aptum intelligi. Aduerto ſecundum: Dici noſtrum intellectum poſsibilem, & patientem; poſsibilem quidem per reſpectum ad ſpecies, & actus, quos poſsibiliter habere poteſt: patientem verò, quia, vt ait Philoſophus, *intelligere eſt quoddam pati*, tum etiam ratione ſpecierum, & actuum, quæ in ſe recipit. Vtrùm verò intellectus realiter ab anima diſtinguatur? Reſolui affirmatiuè in hoc tract. diſp. 79. ſec. 1.

An detur Intellectus Agens?

Reſolutio eſt affirmatiua.

3 SEcunda concluſio. In homine præter intellectum poſsibilem, datur intellectus agens, cuius virtute fiunt ſpecies intelligibiles; ita cum communi ſententia Theologorum Soar. lib. 4. de Anima, cap. 2. num. 3. (vbi hanc ſententiam dicit eſſe Ariſtotelis, & omnium Philoſophorum) Fonſ. 5. Metap. cap. 24. q. 8. ſec. 1. Vaſq. 1. p. diſp. 45. cap. 2. vbi ſupponit tanquàm certum dari intellectum agentem, il ſi tamen non diſtinguit realiter á poſsibili, quo inferius videbimus.

Soarius. Fonſeca. Vaſquez.

4 Probatur concluſio. Quia nulla potentia cognoſcens producit in ſe primū ſuæ cognitionis principium (vt patebit diſcurrēti, neque enim oculus v.g. producit in ſe ſuā ſpeciem, ſed obiectum eam producit &c.) atqui intellectus poſsibilis eſt potentia cognoſcens; & deinde principium ſuæ cognitionis, per quod ponitur in actu primo, eſt ſpecies: ergo non eam producit in ſe primò. Minor declaratur, quia cùm intellectus noſter ſit veluti tabula raſa, vt inquit Ariſtoteles, in qua nihil eſt depictum, indiget ſpeciebus, à quibus determinetur, hæ prouenire debebant á phantaſia, quæ proximè miniſtrat intellectui; cùm tamen hæc ſit corporea; nequit producere niſi ſpecies corporeas, quæ non poſſunt inſeruire potentiæ ſpirituali, proindeque neceſſariò fuit eleuandæ, & illuſtrandæ tales ſpecies ab aliqua virtute ſpirituali, vt reddantur intelligibiles: ſed hæc potentia eleuans non poteſt eſſe intellectus patiens, quia prima ſimulque potentiæ cognoſcentis operatio neceſſariò debet eſſe cognitio: ergo datur alia potentia ſpiritualis, quæ meritò dicitur intellectus agens.

Prædi-

Digitized by Google

Quo pacto eleuetur phantaſma. *Caietan.*

5 Prædicta verò illuminatio phantaſmatis, ita fit ab intellectu agente, vt phātaſma non concurrat effectiuè ad productionem ſpeciei intelligibilis (vt cum alijs Thomiſtis volebat Caiet. 1. p. q. 55. art. 2. in fine) & ratio eſt, quia inſtrumentum non poteſt naturaliter attingere effectum diuerſi ordinis ſe ipſo nobiliorem, alioquin ſi phantaſma corporeum poteſt naturaliter, ſeu cum ſola naturali virtute attingere effectiuè ſpeciem intelligibilem ſpiritualem, ſuperuacaneus eſt intellectus agens.

6 Intellectus ergo agens concurrit effectiuè, & principaliter agendo in intellectum poſsibilem: at verò phantaſma concurrit tanquàm cauſa materialis, & exemplaris, ad cuius imitationem intellectus agens producit ſpecies, ita vt, cùm phantaſia aliquid cognoſcit, intellectus agens quaſi dipingat eandem rem in intellectu poſsibili, producendo, ſeu efficiendo ſpeciem ſpiritualem, quæ repræſentat eandem rem, quam repræſentabat phantaſma, quod ſe habet tanquàm exemplar determinans intellectum agentem, qui cùm ſit agens vniuerſale debet neceſſariò ab alio determinari.

7 Hæc illuminatio phantaſmatis nulla actio eſt, vt patet, circa ipſum phantaſma, ſed circa intellectum patientem, producendo ſcilicet tranſeunter in intellectum poſsibilē ſpeciem intelligibilem. Dicitur tamen illuminatio, quia per hanc actionem intellectus agentis repræſentatur ſpiritualiter in intellectu, quod materialiter tantùm in phantaſmate relucebat. Eſt hæc doctrina de mente Soarij cit. n. 12. & 13. & 18. quamuis ſit contra Conimbric. 3. de Anima, cap. 5. q. 6. art. 2. qui dicunt phātaſma concurrere effectiuè.

8 Obijcis pro contraria ſententia, quæ negat intellectum agētem: quam acriter defendit Durand. in 1 diſt. 3. q. 5. (vbi latè probare intendit ſuam opinionem, & lit. A. fictitium appellat intellectum agentem) Hurt. item diſp. 5 de Anima, ſec. 1. quatenus § 6. negat neceſſarium eſſe intellectum agentem ad ſpiritualitatem ſpeciei. Obijcis, inquam, primò: in opinione, quæ docet vnionē animæ humanæ cum corpore eſſe ſpiritualem, potentia generandi abſque eleuatione attingit illam vnionem ſpiritualem: ergo etiam phantaſma licèt ſit corporeum producet ſpeciem ſpiritualem, abſque eleuatione. Reſpondeo negando antecedens, quia dici poteſt illam eleuationem fieri ab anima matris, quæ in inſtanti generationis eleuat potentia.

Durand. *Hurtad.*

9 Inſtas. Anima poteſt eleuare potentiam generatiuam ad productionem vnionis ſpiritualis: ergo etiam poterit immediatè, & per ſe ſolam eleuare phantaſma expreſſum, proindeque neceſſarius non erit intellectus agens. Reſpond. permiſſo antecedente, negando conſequentiam. Maior ratio eſt, quia anima poteſt immediatè concurrere cum principio productiuo ſubſtantiæ, & cum actionibus ſubſtantialibus, qualis eſt generatio, quia ſubſtantia non poteſt prodire ab accidente, ſi verò daretur aliud inſtrumētum ſubſtantiale, præter animam, admitteretur proceſſus in infinitum. Productio verò ſpeciei intelligibilis non eſt ſubſtantialis, vt patet, & ideò prodire poteſt ab accidente, qualis eſt intellectus agens.

10 Inſtas iterum. Anima immediatè concurrit ad productionem ſuarum potentiarum, quæ non ſunt ſubſtantiales; deinde immediatè concurrit ad actus vitales: ergo etiam immediatè concurret cum phantaſmate. Reſpond. concedendo, animam immediatè concurrere ad productionem ſuarū potentiarum; & admittendo cum Soar. in Met. diſp. 18. ſec. 5. n. 11. animam immediatè concurrere ad actus vitales (ſaltem vt eſt cauſa vniuerſalis, non verò, vt particularis, quia cauſa particularis, & immediata etiam, eſt intellectus, v. g.) dando tamen maiorem rationem, quia anima, cùm ſit principium vitæ, debet immediatè concurrere cum rebus vitalibus, quales ſunt potentiæ vitales, & actus ſimiliter vitales: at verò phantaſma (licèt vitaliter producatur à phantaſia, & ad hanc productionem concurrat anima immediatè, & vitaliter) in ſe non eſt principiū vitale, reſpectu productionis ſpecierum, ſed habet ſe tanquàm obiectum aliquod, quod vitaliter non producit ſpecies, vt omnes fatentur: at verò intellectus agēs etiam in productione ſpecierum, vitalis eſt, quia non illas producit tanquàm obiectum, ſed operando tanquàm potentia.

Phātaſma expreſsū non eſt principiū vitale.

11 Obijcis ſecundò. Deus poteſt immediatè eleuare phantaſma: ergo neceſſarius non eſt intellectus agēs. Confirmatur, quia, vt aliqui exiſtimant, Deus immediatè eleuat potentiam generatiuam hominis ad productionem vnionis ſpiritualis. Reſpond. permiſſo antecedente, dataque, & non conceſſa confirmatione; negando, Deum de facto eleuare phantaſma. Maior ratio eſt, quia quemadmodùm anima à ſolo Deo creatur, ita mirùm non erit ſi eius vnio à ſolo Deo producatur: at verò intellectio fit ab homine, & ideò in eo dari debet ſufficiens principium ad intellectionem. Neque recurrendum eſt ad cauſam primam, ſi in rerū natura dari poteſt ſufficiens principium.

Obijcis

Digitized by Google

12 Obijcis tertiò. Chriſtus Dominus non habuit intellectum agentem: ergo neque reliqui homines. Probatur antecedens, quia ideò Angeli non habent intellectum agentem, quia habent ſpecies infuſas à principio ſuæ creationis: ſed ita ſe habuit Chriſtus Dominus, propter ſcientias, quas habuit infuſas: ergo &c. Reſpondeo negando antecedens, quia Chriſtus Dominus habet intellectum agentem, tum quia eſt naturale inſtrumentum hominis; tum, quia neceſſarius erat ad producendas ſpecies experimentales. Angeli verò ideò non habent intellectum agentem, quia quamuis vtantur ſpeciebus, illas non accipiunt à rebus decurſu temporis, ſed immediatè à Deo initio ſuæ creationis, vt eſt communis ſententia Thomiſtarum.

13 Obijcis quartò. Non datur voluntas, neque ſenſus agens: ergo &c. Reſpondeo negando conſequentiam. Maior ratio in voluntate eſt, quia potentiæ appetentes ſunt in ſe completæ, & ſufficientes ad ſuas operationes, tantùmque ſupponunt cognitionem antecedentem, vt conditionem; at verò potentiæ intelligentes in operando complentur per ſpecies, per quas ad ſe trahunt obiectum, & ideò neceſſarius eſt in homine intellectus agens ad eleuandas ſpecies corporeas. Non datur verò ſenſus agens, quia ſenſus tam externi, quàm interni, cùm ſint corporei, non indigent ſpecie aliqua eleuata, quam tamen requirit intellectus etiam ad intelligendas res ſpirituales, quia dum anima eſt vnita corpori, nequit percipere res ſpirituales, niſi mediantibus ſenſibus.

Vtrùm Intellectus Agens realiter diſtinguatur ab Intellectu Patiente?

14 Tertia concluſio. Probabilius exiſtimo, intellectum agentem diſtingui realiter à patiente: ita cum D. Thom. Scot. Valent. 1. p. diſp. 6. q. 5. pun. 1. §. *Porrò ex dictis.* Rub. 3. de Anima, trac. de Intellectu Agente, q. 4. nu. 70. vbi citat Caiet. Ferrar. Banh. Conimbr. item lib. 3. de Anima, cap. 5. q. 1. art. 2. &c. & in hoc mecum cohærent Patres Diſcalceati de Anima, d. 20. q. 1. à n. 10.

Reſolutio eſt affirmatiua.
D. Thom.
Scotus.
Valent.
Rubius.
Caietan.
Ferrar.
Bañes.
Patres Conimb.
Patres Carmel.

15 Probatur concluſio: Quia nulla eſt potentia, quæ per ſe ipſam ponatur in actu primo: oculus enim v. g. ponitur in actu primo per ſpeciem productam ab obiecto, quod obiectū realiter diſtinguitur ab oculo: ſed intellectus agens producendo ſpeciem intelligibilem conſtituit intellectum poſsibilem in actu primo ad intelligendum: ergo realiter ab illo diſtinguitur. Probatur deinde, quia prima, & immediata potentiæ cognoſcitiuæ operatio, debet eſſe cognitio. Probatur tandem, quia intellectus poſsibilis, cùm ſit potentia cognoſcens, ſimul eſt operatiuus, & receptiuus: at verò potentia agens, qualis eſt intellectus agens, ſolùm eſt operatiua, quod ſignum eſt diſtinctionis realis.

16 Obijcis pro contraria ſententia, quæ docet ſolùm virtualiter diſtingui intellectū agentem, à patiente, quam ſequuntur aliqui apud Conimbr. cit. §. *Poſteriorem*. Toletus item lib. 3. de Anima, q. 13. cap. 5. concl. 9. Vaſq. 1. p. diſp. 42. cap. 2. quam ſententiam probabiliorem credit Soar. lib. 4. de Anima, cap. 8. nu. 13. & abſolutè ſequitur Dandinus de Anima, lib. 3. digreſ. 29. fol. 1973. Arriaga de Anima, diſp. 6. ſec. 5. n. 1. Obijcis, inquā, primò. Omnia, quæ dicuntur de vtroque intellectu, de duplici intellectus poſsibilis virtute dici poſſunt: ergo ſicut diſtinguimus virtualiter tantùm intellectum practicum à ſpeculatiuo, ita ſimiliter agentem à patiente. Reſpondeo negando antecedens, quia illa duo munia intellectus agentis, & patientis non poſſunt attribui eidem potentiæ, propter repugnantias aſsignatas, quæ non cernuntur in eo, quòd eadem potentia cognoſcat practicè, & ſpeculatiuè: idē enim intellectus poteſt cognoſcere rem vniuerſalem, circa quā verſatur, quà ſpeculatiuus, & rem particularem, circa quam verſatur quà practicus, vt patet, & docet Soarius lib. 4. de Anima, cap. 9.

Reijcitur contraria ſententia.
Toletus.
Vaſquez.
Soarius.
Dandin.
Arriaga.

17 Obijcis ſecundò. Intellectus poſsibilis producit ſuam ſpeciem expreſſam, id eſt ſuum conceptum: ergo etiam poterit producere ſpeciem impreſſam. Reſpondeo negando conſequentiam, quia productio ſpeciei expreſſæ, eſt cognitio: at verò productio ſpeciei intelligibilis impreſſæ, non eſt cognitio, vt patet, & ideò non eſt attribuenda intellectui poſsibili, qui eſt potentia cognoſcens.

18 Inſtas. Productio ſpeciei memoratiuæ non eſt vitalis, neque eſt cognitio: & tamen fit ab intellectu patiente; ergo ſimiliter ſpecies intelligibilis producetur ab intellectu poſsibili, licèt eius productio non ſit cognitio. Reſpondetur negando conſequentiam, & maior ratio eſt, quia ſpecies memoratiua non procedit immediatè à potentia, ſed à conceptibus, à quibus producitur, non vitaliter,

liter, ſed tanquàm ab obiectis, ſolùm autem inconueniens eſt, quòd prima actio, quæ procedit immediatè ab intellectu, nõ ſit vitalis, & non ſit cognitio.

19 Obijcis tertiò. Vt intellectus patiens ſit potentia cognoſcens, ſufficit, quòd reliquæ operationes ſint cognoſcitiuæ, nec videtur requiri, quòd prima actio, per quam conſtituitur in actu primo, ſit cognoſcitiua, quemadmodùm illud effatum, *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, non intelligitur de illis emanationibus, per quas res, ſeu ſuppoſitum ponitur in actu primo ad operandum. Reſpondeo negando antecedens; quia cùm intellectus patiens ſit eſſentialiter potentia cognoſcens, eius primus actus neceſſariò debet eſſe cognitio. Neque obſtat illud effatum, quia (Prætterquàmquòd non ita ab aliquibus explicetur) cùm res conſtituatur completè ſuppoſitum per ſuas emanationes, meritò non numerantur hæ emanationes, inter actiones ſuppoſitorum: at verò intellectus patiens iam eſſentialiter, & completè conſtitutus eſt in eſſe potentiæ cognoſcitiuæ, quamuis non habeat ſpecies; quarè prima intellectus poſsibilis actio debet eſſe cognitio: ſicut etiam operationes ſuppoſiti, quà ſuppoſitum eſt, iam dicuntur veræ, & propriæ actiones.

Vtrùm Intellectus Agens ſit potentia vitalis?

Reſponſio eſt affirmatiua.

20 QVarta concluſio. Intellectus agens eſt potentia vitalis. Hæc cõcluſio facilè colligitur ex doctrina Auctorum, quos ſuprà citaui. Quæ tamen, vt probetur, aduertendum eſt primò, illud eſſe viuens, quod habet in ſe principium ſui motus versùs omnes loci partes. Aduertendum eſt ſecundò, vitam vel eſſe eſſentialem, nimirum ipſum eſſe, ſeu ipſam animam ſubſtantialem viuentis, quæ dicitur principium motus: vel eſſe vitam accidentalem; quæ vel eſt per modum principij quales ſunt potentiæ (quæ vita accidentalis definitur, *Principium vitæ coniunctum, immediatè emanans à viuente*.) Vel eſt per modum actus, & eſt quælibet actio procedens à potentia vitali, quæ definitur, *Actio elicita à principio vitæ coniuncto*: Hæc doctrina colligitur apertè ex Philoſopho 2. de Anima, cap. 1. quem ſequuntur Conimbr. 1. de Gener. cap. 4 q. 10. art. 1. & 2. & q. 24. art. 1. & q. 26. art. 2. colligitur etiam ex Mol. 1. p. q. 18. diſp. vnica, & ex Vaſq. 1. p. diſp. 46. n. 4. & ex alijs communiter.

Ariſtot. Patres Conimbr. Molina. Vaſquez.

21 Poſitâ hac doctrinâ, ita probatur concluſio: Intellectus agens eſt potentia, ſeu principium vitæ coniunctum: ergo eſt potẽtia vitalis. Conſequẽtia patet ex dictis. Probatur antecedens, quia intellectus agens eſt potentia emanans ab anima, quæ eſt vita eſſentialis, eſtque illi immediatè coniunctus; idest, non mediante aliqua entitate reali: ergo eſt potentia vitalis. Confirmatur, quia actiones elicitæ ab intellectu agente ſunt vitales: ergo ipſe intellectus eſt potentia vitalis: patet conſequentia: probatur antecedens, quia actio vitalis eſt illa, quæ naturaliter procedit à principio vitæ coniuncto: ſed illæ actiones ita ſe habent, vt cogitanti patebit: ergo ſunt vitales.

22 Obijcis pro contraria ſententia, quæ ait intellectum agentem non eſſe potentiam vitalem, quæ placet aliquibus Recentioribus. Potentia vitalis immanenter operatur: ſed intellectus agens operatur tranſeunter: ergo non eſt potentia vitalis. Minor certa eſt, conſequentia rectè colligit. Probatur maior, quia omnes potentiæ cognoſcentes, & appetentes ſunt vitales, & operantur immanenter: ergo ſimiliter ſi intellectus agens eſt potentia vitalis debet immanenter operari. Reſpondetur negando abſolutè maiorem cũ Soar. lib. 1. de Anima, cap. 4. nu. Fonſ. lib. 9. Met. cap. 9. tex. 16. in comm. Hurtad. de Anima, diſp. 3. ſect. 1. § 6. quia quamuis omnis actio immanens ſit vitalis, non tamen è conuerſo, omnis actio vitalis eſt immanens; & probatur exemplis, quia potentia nutritiua & augmentatiua eſt potentia vitalis (vt omnes Philoſophi fatentur, duce Ariſtotele lib. 2. de Anima, cap. 3. & tamen non operatur immanenter, quia actio nutritiua e. g. v. g. recipitur in nouis partibus alimenti, ſeu materiæ, quæ de nouo acquiritur: & ſimiliter actio augmentatiua recipitur in nouis partibus quantitatis, quæ de nouo adueniunt: ergo potentia nutritiua, & augmẽtatiua, à qua tales actiones procedunt, non operantur immanenter, ſed tranſeunter.

Non omnis potentia vitalis operatur immanenter.

Soarius. Fonſeca. Hurtad.

Ariſtot.

23 Probatur eadem doctrina exemplo potentiæ motiuæ, quæ vitalis eſt, & tamen ſuapte natura, operatur tranſeunter, quia actiones huius potentiæ non recipiuntur in ſe ipſa, ſed in corpore eiuſdem viuentis, vel in alijs externis partibus in quibus recipitur motus, & impulſus. Probatur tandem exemplo potentiæ generatiuæ, quæ eſt vitalis, & tamen tranſeunter operatur, nam illa actio qua mediante producit vnionem inter materiam, & formam, vitalis eſt, cùm tamen nõ recipiatur in eâdem potentia generatiua, ſed in materia, vel in forma. Quaproptet, vt aliqua

Digitized by Google

qua potētia ſit vitalis, ſatis eſt, quòd ſit principium immediatè coniunctum vitæ, quo mediante ſuppoſitum ſe ipſum moueat. Quamquàm etiam dici poſſit, ſufficere quòd illa ſpecies recipiatur in eodem ſuppoſito, vt aliquo modo dicatur intellectus agens potentia immanens, vt colligitur ex Soar. citat. eodem num. & in Met. diſp. 48. ſect. 6. n. 10. & ita abſolutè Molina ſentit 1. p. quæſt. 51. diſp. 3.

24 Obijcis ſecundò. Productio ſpeciei memoratiuæ, quæ fit á conceptis non eſt vitalis: ergo neque productio ſpeciei intelligibilis, quæ fit ab intellectu agente. Reſpond. negando conſequentiam: maior ratio eſt, quia productio ſpeciei intelligibilis eſt á principio vitæ coniuncto, nempe ab intellectu agente, ſicut productio ſpeciei expreſſæ vitalis eſt, quia procedit immediatè ab intellectu poſſibili: at verò productio ſpeciei memoratiuæ non procedit immediatè á principio vitæ coniuncto, ſed ab ſpecie expreſſa, ſeu á conceptu, qui non eſt principium vitale, ſed terminus eiuſdem cognitionis vitalis; ſicut dixi phantaſma expreſſum non concurrere vitaliter ad productionem ſpeciei intelligibilis, quia habet ſe per modum obiecti. Similiter ſe habet ſpecies expreſſa intellectus, ſeu conceptus in productione ſpeciei memoratiuæ. Solùm igitur illa actio dicitur vitalis, quæ immediatè procedit á principio vitæ coniuncto, non verò illa, quæ procedit à terminis alicuius potentiæ, quia iam non procedit immediatè á potentia, ſed a termino potentiæ.

Deus poteſt producere nō vitaliter cōceptū, vel ſpeciem.

25 Obijcis tertiò. Productio ſpeciei intelligibilis poteſt fieri á ſolo Deo: ergo non eſt vitalis, quia actio eſſentialiter vitalis poſtulat eſſentialiter produci á potentia vitali. Reſpond. diſtinguendo antecedens, poteſt fieri á ſolo Deo productio ſpeciei intelligibilis, eadem ſaltem in ſpecie, & non vitaliter; concedo antecedens: poteſt fieri á ſolo Deo eadem numero productio, & vitaliter, nego antecedens: non enim procederet á Deo tanquàm á principio naturali vitæ coniūcto, quod ſcilicet viueret per eam actionem: ſicut nemo negabit productionem conceptus ab intellectu patientem eſſe vitalem cùm tamē conceptus non vitaliter poſſit fieri á ſolo Deo: ita negandum non eſt, productionem ſpeciei intelligibilis eſſe vitalem, licèt hæc ſpecies produci poſſit á ſolo Deo per aliam actionem non vitalem; quod non implicat, quia conceptus quilibet, vel ſpecies, cùm nō pendeant á cauſa immediatè, & per ſe, ſed media actione, poſſunt fieri à Deo per aliam actionem, quæ tamen vitalis non ſit, vt eſt communis ſententia, & docet Hurt. de Anima, diſp. 6. ſect. 3. á §. 35. Atque ita in ſe ſimili docet Soar. lib. 4. de Angelis, cap. 38. á n. 6. quatenus explicat modum, quo Angeli in aſſumptis corporibus poſſunt exercere humanas actiones.

26 Obijcis quartò. Phantaſma expreſſum non eſt principium vitale, licèt ſuo modo concurrat ad productionem ſpeciei intelligibilis: ergo neque intellectus agens, quamuis concurrat effectiuè ad eandem ſpeciem. Reſpondeo negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia phantaſma expreſſum non eſt principium coniunctum vitæ, cùm non ſit potentia, neque actio alicuius potentiæ, ſed terminus, qui habet ſe, vt dixi per modum obiecti: at verò intellectus agens concurrit operando, tanquàm principium vitæ coniunctum: vnde productio phantaſmatis expreſſi á phantaſia vitalis eſt, ſicut productio ſpeciei intelligibilis ab intellectu agente; quamuis enim phantaſma, & ſpecies quæuis expreſſa non ſint principia vitalia, nihilominùs actiones, per quas producuntur, poſſunt eſſe vitales, quia denominatio vitalitatis ſumitur á principio à quo actio egreditur. Non negamus tamen phantaſma, & conceptus poſſe dici terminos vitales, ſed negamus eſſe principia vitalia ſuarum operationum, iuxta ea quæ hîc dicta manent.

SECTIO II.

De Speciebus requiſitis ad Intellectionem.

1 *Prima concluſio.* Intellectus Patiens ad ſuas operationes requirit ſpecies impreſſas, & expreſſas: vtraque pars communis eſt: prima pars traditur á D. Thom. 1. p. q. 51. art. 1. quam ſequuntur omnes Theologi, ſi Durand. & Gotfred. excipias, & videri poſſunt Conimb. lib. 2. de Anima, cap. 5. q. 3. ar. 2. Soar. 3. de Anima, cap. 1. & 2. Arriaga de Anima, diſp. 4. ſec. 1. ſubſec. 9. á n. 93.

Intellect. poſtul. ſpecies impreſſ. & expreſſ. *D. Thom. Durand. Gotfred. Patres Conimbr. Soarius. Arriaga.*

2 Ratio concluſionis breuiter eſt, quia cognoſcere eſt exprimere imaginem rei cognitæ: cùm ergo intellectus non ſit immediatè vnitus rei cognoſcendæ, neceſſario danda eſt ſpecies, quæ conſtituat rem præſentem & faciat aſſimilationem quandam, per quam res ſit præſens intentionaliter, quando non poteſt eſſe præſens realiter; vnde quando res fuerit

Digitized by Google

fuerit immediatè, & realiter præſens, vt Deus eſt intellectui Beatorum, non requirit ſpeciē intentionalem impreſſam, vt eſt communis multorum ſententia; ſicut etiam aliqui probabiliter dicunt de noſtro intellectu circa cognitionem ſuorum actuum. Hæ ſpecies impreſſæ quamuis ſint reales, dicuntur intentionales, quia ſeruiunt ad cognitionem, quæ dicitur intentio animæ.

3 Requiritur ergo ſpecies, vt obiectum ſit intentionaliter præſens, adeò, vt Angelus non cognoſcat alium Angelum ſibi præſentem per intimum illapſum, niſi habeat eius ſpeciem, per quam reddatur intentionaliter præſens, quod non cernitur in Deo reſpectu intellectus Beatorū, quia cùm Deus ſit Omnipotens, ſupplet dependentiam illam præſentiæ intentionalis.

4 Probatur ſecunda pars, quæ certa eſt omninò, id eſt, requiri ſpecies impreſſas, ſeu conceptus, quia intellectio, eſt actio de prædicamento Actionis: ſed omnis actio requirit terminum: ergo omnis intellectio habet ſpeciē expreſſam, id eſt cōceptū, qui ſit terminus actionis: hic conceptus dicitur Verbū mētis, per quod fit præſens actualiter res, quæ per ſpeciē erat tantùm habitualiter præſens. Diſtinguitur autē Verbū modaliter ab actione intelligēdi, & eſt expreſſa obiecti ſimilitudo, nō quidē in eſſendo, ſed in repræſentādo, vt dixi 1 p. trac. 1. diſp. 2. ſec. 2. n. 12 & 13.

5 Ex dictis colligo, ad intellectionem plerumque neceſſariam eſſe ſpeciem impreſſam, quando ſcilicet obiectum non fuerit ſufficienter præſens. Colligo præterea, ſpeciem expreſſam, ſeu Verbum ſemper eſſe neceſſarium, quia non poteſt dari actio intelligendi ſine termino intellectionis. Colligo deinde, ad intellectionem, ſemper eſſe neceſſariam actionem ipſam intelligendi, quia intelligere, eſt agere. Colligo tandem, neceſſariam ſemper eſſe paſsionem, ſeu receptionem intellectionis in ipſo intellectu, quia intellectio eſt actio immanens.

Vtrùm ſpecies intelligibiles repræſentent Vniuerſale?

Species repræſentat rem ſingularem. *Scotus. Ocham. Durand. Greg. Tolet. Valent. Rhodenſ. Soarius.*

6 S*Ecunda concluſio*. Probabilius exiſtimo, speciem productam ab intellectu agente per ſe, ac directè repræſentare res ſingulares, & materiales: ita Scot. in 4. diſt. 45. q 3. Ocham. Durand. Greg. Tol. Valent. & alij, quos citat. & ſequitur Rhodenſ. 3. de Anima, cap. 5, q 3. n. 100. & hāc ſententiā veriorem dicit Soar. in Met. diſp. 6. ſec. 6. n. 7. Probatur, quia intellectus non poteſt producere vllam ſpeciem, niſi ſolùm illius rei, cuius habuit phantaſma antecedens: ſed nullum datur phantaſma expreſſum in phantaſia reſpectu Vniuerſalis: ergo neque dabitur naturaliter vlla ſpecies producta ab intellectu agente, quæ repræſentet rem vniuerſalem.

7 Confirmatur primò. Phantaſma, & intellectus agens ſunt agentia naturalia: ſed omne agens naturale de ſe eſt determinatum ad vnum: ergo &c. Confirmatur ſecundò. Species intelligibilis procedit ſimilis obiecto in eſſe obiectiuo, & intentionali: ſed obiectum eſt ſingulare: ergo & repræſentatio ſpeciei. Neque obſtat, quòd ſpecies ſit ſpiritualis, bene enim poteſt ſpecies impreſſa, & expreſſa ſpiritualis repræſentare rem corpoream, habereque ſimilitudinem intentionalem. Confirmatur tertiò, quia hæc opinio facilior eſt, & magis intelligibilis, ita enim directè, & per proprias ſpecies cognoſcit noſter intellectus res ſingulares, non verò indirectè, & per alienas ſpecies. Confirmatur quartò ex dictis in Phyſic. diſp. 20. ſec. 2. §. *Secunda concluſio*; vbi ſtatui primum cognitum à noſtro intellectu eſſe aliquid ſingulare.

8 Obijcis tamen primò pro contraria ſententia, quæ docet ſpecies productas ab intellectu agente repræſentare res vniuerſales: ita D. Thom. 1. p. q. 86. art. 1. & ibidem Thomiſtæ. Fonſ. 2. Metaph. cap. 2. quæſt. 3. ſect. 5. & eandem probabiliorem iudicant Conimbric. 3. de Anima, cap. 5. q. 4. art. 3. Obijcis, inquam, primò, & principaliter. Intellectus noſter eſt omnino immaterialis: ergo non poteſt in ſe habere ſpecies repræſentantes res ſingulares. Probatur conſequētia, quia, quò res eſt vniuerſalior, eò magis eſt abſtracta à materia. Reſpondetur negando conſequentiam, & ad rationem immaterialitatis noſtri intellectus, ſatis eſt, quòd in ſe admittat ſpecies ſpirituales, quamuis hæ repræſentent res ſingulares, nam Angeli ſunt maximè ſpirituales, & tamē ſpecies intellectus Angelici repræſentāt res ſingulares, vt docet Soar. de Angelis, lib. 2. c. 8 n. 13.

Reijcitur contraria ſententia. *D. Thom. Fonſeca. Patres Conimbr.*

Soarius.

9 Inſtas. Intellectus agens poteſt eleuare phantaſma corporeum, & ex eo producere ſpeciem ſpiritualem: ergo etiam poterit eleuare illud ad productionem ſpeciei repræſentantis rem vniuerſalem. Reſpondeo negando conſequentiam, diuerſa ratio eſt, quia prima eleuatio neceſſaria eſt, vt ſpecies fiat ſpiritualis, & accommodetur intellectui ſpirituali: ſecunda verò neceſſaria non eſt, ſiquidem poteſt intellectus ſpiritualis vti ſpecie repræſentante rē ſingularem,

vt de Angelis notum eſt, virtus autem intellectus agentis ſolùm eſt attributa à natura ad eleuandam ſpeciem ad eum ſtatũ, in quo poſsit inſeruire ſubiecto ſpirituali.

10 Obijcis ſecundò: fruſtra fit per plura, quod æquè fieri poteſt per pauciora: ſed ſpecies rerum vniuerſalium ſufficiunt ad cognitionem rei vniuerſalis, & rei particularis, mediantibus phantaſmatibus: ergo &c. Reſpond. ad maiorem ſupponere falſum, quòd dentur ſpecies intelligibiles productæ ab intellectu agente, & repræſentantes res vniuerſales, præcipuè, quia indignum videtur intellectus noſtri nobilitate, quòd poſt receptionem ſpeciei intelligibilis mynîſterio phantaſmatis, & intellectus agentis, non habeat in ſe ſufficiens comprincipium ad intellectionem rei ſingularis, ſed quòd dependère debeat à phantaſmate: faciliùs ergo erit aſſerere, ſpecies illas intelligibiles repræſentare res ſingulares; ex quarum cognitione, poſsit intellectus eruere cognitionem rerum vniuerſalium.

11 Obijcis tertiò ex Fonſ. Intellectus noſter medium habet inter ſenſum, & intellectum Angelicum: ſed ſpecies Angelorum repræſentãt vniuerſalia ſimul, & ſingularia: ergo ſpecies noſtri intellectus repræſentant ſola vniuerſalia. Ad hoc argumentum imprimis reſponderi poteſt, negando minorem, nam, vt docet Soar. de Angelis, lib. 2. cap. 8. num. 3. & 4. Angeli nullas habent ſpecies infuſas rerum vniuerſalium. Deinde, vt intellectus noſter dicatur medium habere inter ſenſum, & intellectum Angelicum, ſatis eſt, quòd ſenſus cognoſcat ſola ſingularia, & quòd Angelus cognoſcat omninò independenter à phantaſmatibus: at verò noſter intellectus cognoſcit vniuerſalia, in quo excedit ſenſum, dependet tamen à phantaſmatibus, in quo exceditur ab intellectu Angelico, & ideò medius eſt inter vtrumque. Soarius.

12 Ex quibus colligitur, abſtractionem Vniuerſalis nullo modo relucere in ſpecie intelligibili impreſſa, ſed ſolùm in expreſſa, quam intellectus producit ſuppoſita cognitione multorum ſingularium, quam habuit mediantibus ſpeciebus impreſsis. Et deinde mediante hac ſpecie expreſſa, ſiue hoc conceptu poteſt intellectus imprimere ſibi aliã ſpeciem intelligibilem repræſentantem rem vniuerſalem, quam ſibi reſeruat habitualiter ad vſum futurum ſimilis cognitionis.

(✣)

SECTIO III.

In quo nam conſiſtat intellectio?

1 *Sit concluſio.* Probabilius exiſtimo, intellectionem cõſiſtere in actione, & termino, id eſt, in conceptu ſimul, & in actione immanente, hoc eſt, vitaliter producta, & recepta in intellectu. Ita D. Th. in 1. diſt. 27. q. 2. Hurt. de Anima, diſp. 6. ſec. 1. à §. 4. & pro hac ſententia citat Soar. tom. 1. in 3. p. diſp. 24. ſec. 2. §. *Dico tertiò.* Sed Soar. non ibi clarè eam ſequitur, in quã tamẽ inclinare videtur Patres Conimb. lib. 3. de Anima, c. 8. q. 3. loquentes de Verbo mentis: & eſt communis ſententia inter Recentiores, qui rem exactè tractarunt. Conſiſtit in actione & in termino. D. Thom. Hurtad. Soarius. Patres Conimbr.

2 Probatur ex definitione intellectionis, quia *intelligere*, ſecundùm Philoſophum, *nihil eſt aliud, quàm potentiam vitalem in ſe vitaliter exprimere imaginem rei cognoſcendæ*: ſed conceptus eſt imago, & hæc exprimitur per actionem: ergo intellectio formaliter, & eſſentialiter integratur ex actione, & verbo per eam producto. Confirmatur primò, quia intellectio, eſt actus vitalis, per quem ſuppoſitũ viuit accidentaliter: ſed vita intelligi nequit ſine actione ipſius viuentis: ergo intellectio eſſentialiter requirit actionem: cùm tamen intellectio debeat eſſe imago obiecti, & intellectus non reddatur perfectè, & expreſſè ſimilis obiecto in eſſe intentionali per ſolam actionem (quia actio non eſt imago, ſed fieri ipſius imaginis) inde eſt, quòd vltra actionẽ, requiratur conceptus, qui ſit terminus ipſius intellectionis in actu ſecundo.

3 Quod verò intellectio non conſiſtat in ſolo conceptu, probatur: quia ſi Deus ponat in meo intellectu conceptum Socratis, nihil mihi repræſentabit talis conceptus, ſine concurſu meo actiuo: ergò ſignum eſt, nõ in ſolo conceptu repræſentatiuo conſiſtere intellectionem, ſed in conceptu cũ actione.

4 Obijcis primò pro prima, & contraria ſententia, quæ docet intellectionem conſiſtere formaliter in ſola actione, quam defendunt Mol. 1. p. q. 12. art. 2. diſp. 1. §. *Tertia concluſio*, ad finem. Caiet. 1. p. q. 27. ar. 1. dub. 1. & 3. Ferrar. & alij Thomiſtæ. Intelligere eſt formaliter agere: ergo ſolam actionem includit. Reſpondeo negando conſequentiã, quia intelligere eſt formaliter agere, exprimendo imaginem obiecti, quare formaliter inclu- Reijcitur prima ſententia contraria. Molina. Caiet. Ferrar.

includit vtrumque, actionem ſcilicet, & terminum receptum in eâdem potentiâ, quia includit actionem vitalem immanentē. Vnde obiter colliges, idem dicendū eſſe de qualibet alia ſimili actione, nempe de loquutione, tam vitali, quàm mentali, calefactione, frigefactione, &c. ex actione enim, & calore v. g. fit integra ratio calefactionis.

5 Inſtas. Volitio conſiſtit formaliter in ſola actione: ergo & intellectio. Probatūr antecedens, quia volitio debet eſſe libera; at verò productio termini reſpectu volitionis nō eſt libera. Reſpond. negando anteced. conſiſtit enim volitio tam in actione, quā in termino; & ad hoc vt ſit libera talis actio, ſatis eſt, quòd partialis ratio volitionis, nēpe actio ipſa volendi, libera ſit; quāuis enim terminus neceſſariò proueniat ſuppoſita actione volendi, cùm tamen actio ſit libera, tota volitio denominabitur libera, vt patet.

6 Obijcis ſecundò. Intellectio diuina eſſentialis conſiſtit in ſola actione, ſeu veluti actione, nec producit terminum: ergo ſimiliter intellectio creata conſiſtet in ſola actione. Reſpondetur, hoc argumentum nullam habere vim, Deus enim per intellectionem eſſentialem non producit terminum, ideſt Verbum, ex indigentia, ſicut contingit in noſtra intellectione; vnde ſola intellectio notionalis, ideſt, ipſamet intellectio eſſentialis, prout eſt in Patre, producit Verbum ex fœcunditate: immò retorqueri poteſt argumentum, quia non poteſt percipi intellectio eſſentialis Dei, etiam in Filio, & in Spiritu Sancto, quin concipiatur á nobis aliquis terminus; quem Theologi dicunt Verbum eſſentiale. Qua de re videri poteſt Soar. lib. 3. de Anima, cap. 5. n. 19. & de Trin. lib. 1. cap. 7. n. 10.

7 Obijcis tertiò, & directè contra concluſionem: ex duobus entibus per ſe, fit vnum per accidens: ſed actio eſt vnum ens per ſe, pertinens ad prædicamentum Actionis, terminus verò, nempe Verbum, pertinet ad prædicamentum qualitatis: ergo intellectio, quæ eſt vnum ens per ſe, non poteſt componi ex duplici forma, quæ pertineat ad duo prædicamenta diuerſa. Reſpondetur primò, nullum eſſe inconueniens, intellectionem eſſe vnum ens complexum, ſi adæquatè ſumatur.

8 Reſpondetur ſecundò, bene poſſe intellectionem concipi vt vnum ens per ſe, quod tamen inadæquatè componatur ex actione, & termino, ſicut prædeſtinatio prouenit ab actu intellectus, & voluntatis diuinæ, vt tenet Soar. in Sum. lib. 1. de Prædeſt. cap. 17. num. 22. & declaratur, quia actio non eſt vnum ens completum ſi comparetur cum termino, tunc enim eſt pars termini, ſeu complementum termini: ſed ſolùm eſt ens per ſe, ſi comparetur cum agente, & tunc efficit cum agente vnum per accidens. Vnde cùm intellectio formaliter dicat terminum intelligendi completum (ideſt, conceptum cum ſua actione, per quam completur, ſicut ſubſtantia per ſubſtantiam) dicendū eſt, quod intellectio poſſit concipi tanquàm vnū ens per ſe.

Soarius.

Proponitur ſecunda ſententia contraria.

9 Obijcis quartó pro alia ſententia probabili quæ docet, intellectionem formaliter conſiſtere in ſolo conceptu, quam tuentur Vaſq. 1. p. diſp. 42. cap. 4. & diſp. 14. c. 4. à n. 17. Fonſ. 7. Met. c. 8. q. 2. ſec. 5. §. *Dicimus ergo* vbi dicit intellectionem conſiſtere in Verbo cum receptione in intellectu (ſed hic doctor ſi attentè legatur ſtare videtur pro noſtra ſententia) fauet etiā huic ſententiæ Soar. in Met. diſp. 48. ſec. 2. n. 25. poſt medium, & in Sum. tract. 1. lib. 2. cap. 11. n. 7. & 9. quatenus aſſerit beatos conſtitui formaliter intelligentes per Verbū productum per viſionem beatam. Pro eâdē ſententia ſtat Licētiatus Murſia in Log. circa Perih. cap. 1. d. 2. q. 2. à §. *Tertia ſententia.* (qui citat Vegam, Palud. & alios) idem tenet Arriaga de Anima, diſp. 6. ſec. 2. ſubſec. 4. vbi citat Scot. Durand. & alios. Hanc etiam ſententiam ſequitur Sal. tom. 1. trac. 2. diſp. 2. ſec. 4. §. *Et ſal em*, & §. *Prior loco.* Ægyd. Luſ. tom. 1. de Beat. lib. 4. q. 2. num. . Valent. 1. p. diſp. 6. q. 1. pun. 1. §. *Secundò ſeque.* Rub. de Anima, lib. 3. cap. 4. & 9. tract. de Actu intellectus poſſibilis, q. 3. à num. 76. quamquàm hic Author, & ſimiliter Vaſq. & Fonſ. non multùm diſſentiant à noſtra ſententia, licèt enim non requirant ad intellectionem actiones reales, nihilominùs vocant, cum Scoto, conceptus noſtros actiones grammaticales pertinentes ad prædicamentum Qualitatis. Hæc ſecunda ſententia, ſi contendat, intellectionem conſtituendam eſſe in conceptu, ſupponendo actionem, tanquám conditionem ſine quá non, valde probabilis eſt. Pro ea igitur

Vaſquez. Fonſeca. Soarius. Murſia. Vega. Paludan. Arriaga. Scotus. Durand. Salm. Ægyd. Luſit. Valent. Rubius.

10 Obſtas. Intellectus, nihil eſt aliud, quàm actualis repræſentatio alicuius obiecti: ſed hæc repræſentatio formaliter inuenitur in cōceptu: ergo intellectio cōſiſtit in ſolo cōceptu, ſupponendo tamen actionem vitalem. Reſpōdetur ad maiorē, intellectionē

eſſe quidem repreſentationem, ſed non excludere actionem, quia non poteſt concipi aliquis actualiter cognoſcens, quin actualiter viuat accidentaliter: ac proinde, cùm vita accidentalis ſit actio, neceſſariò interuenit talis actio, in ratione formali intellectionis.

11 Obijcis quintò. Petrus redditur formaliter albus per ſolam albedinem: ergo intellectus reddetur intelligens per ſolum conceptum. Reſpondetur negando conſequentiam: diuerſa ratio eſt, quia intelligere eſt agere, & viuere accidentaliter: vnde præter conceptum, requirit actionem, quod nõ cernitur in albedine, quæ per ſolam informationem, ſine aliqua ſubiecti efficiẽtia reddit lapidem formaliter album: quæ ſolutio mihi maximè placet quamuis fruſtrà reclamet Arriaga citatus.

Arriagà.

12 Atque ex dictis colligo, inhærentiam conceptus in ſubiecto, ſeu receptionem eius paſsiuam in intellectu non ingredi rationem formalem intellectionis, quia ratio formalis huius receptionis, non eſt reddere intellectum intelligentem, ſed reddere conceptum inhærentem.

13 Confirmatur, quia formalis libertas non conſiſtit in receptione volitionis, nam libertas conſiſtit in potentia ad agendum, & non agendum, non verò in receptione, ſeu in potentia ad receptionem, quia talis potentia eſt neceſſaria, non libera. Erit tamẽ hæc receptio, tam reſpectu actus intellectus, quàm reſpectu voluntatis, conditio ſine qua non; neque enim poteſt quis intelligere, niſi recipiat in ſe immanenter conceptum; ſicut ſubiectum non poteſt eſſe album, ſine receptione albedinis, & propter hanc receptionẽ, ſeu paſsionem dixit Philoſophus, *Intelligere eſſe quoddam pati.*

14 Obijcis. Actio immanens, quà talis, includit formaliter receptionem: ſed intellectio eſt actio immanens: ergo formaliter includit receptionem. Reſpondeo negando maiorem: nam actio immanens non includit formaliter receptionem, alioqui iam non eſſet ſolùm actio, ſed etiam paſsio. Includit igitur receptionem tanquàm conditionem, ſine qua non, eo modo, quo voluntas requirit cognitionem antecedentem.

(V)

SECTIO IIII.

Vtrùm Deus poſsit ſe ſolo producere intellectionem?

1 PRima concluſio. In opinione, quæ aſſerit, intellectionem conſiſtere formaliter in ſola actione, implicat poſſe Deũ ſe ſolo producere cognitionẽ, vel volitionẽ creatam. Probatur, quia talis intellectio, cùm ſit actio creata vitalis immediatè, & intrinſecè depẽdet à principio vitæ creato: ergo ſi fieret à Deo ſolo, iã nõ eſſet actio immediatè dependens à principio creato, & conſequenter non eſſet intellectio creata.

Si conſiſtit in actione, nõ poteſt Deus producere intellectionem.

2 *Secunda concluſio.* In noſtra opinione, in qua rationem formalem intelligendi, conſtituimus in actione vitali, & in termino, nõ poterit Deus ſe ſolo producere intellectionẽ. Hanc concluſionem colligo ex Vaſq. tõ. 1. in 1. 2. diſp. 9. cap. 5. Qui quamuis doceat intellectionem conſiſtere in conceptu, negat abſolutè poſſe conceptum, ſeu intellectionẽ produci à ſolo Deo: & in eâdem ſententia eſt Rub. de Anima, lib. 3. cap. 4. & 5. trac. de actu intellectus poſsibilis, q. 4. à n. 299. Eandem ſequitur Caiet. 1. p. q. 26. art. 3 & ſupponit vt certam Hurt. de Anima, diſp. 6. ſec. 3. §. 17. Torres, & alij.

Vaſquez.

Rubius.

Caietan. Hurtad. Torres.

3 Probatur concl. Quia intellectio includit eſſentialiter actionẽ vitalẽ cũ termino, ac proinde eſt vita actualis: ergo implicat cõtradictionẽ poſſe produci à principio, niſi vitali, quod ſcilicet actualiter, & accidẽtaliter viuat, & intelligat per talem actionem; ſed Deus non viuit accidentaliter, nec intelligit per talem actionem; ergo implicat, poſſe Deum ſe ſolo producere intellectionem.

4 Neque ſoluet argumentum qui dixerit, adhuc intellectionem à ſolo Deo productam habere ordinem habitualẽ ad potentiã vitalẽ, quod ſufficiet, vt dicatur intellectio, ſicut ſufficit ordo habitualis ad ſubſtantiam, qui datur in accidente phyſico poſito extra ſubiectum. Non, inquam, ſoluet, quia accidens phyſicum proptereà poteſt poni extra ſubiectum, quia non dependet immediatè per ſe ipſum à ſubiecto, ſed mediante modo, nempe inhærentia: at verò intellectio, cùm eſſentialiter, & formaliter includat actionem vitalem, & actio ipſa ſit immediata dependentia, non poteſt pendere, nec fieri mediante alia actione, vt eſt certum, & modò

modò ſuppono ex Metaphyſica, diſp. 63. ſec. 5.

Reijcitur contraria opinio. Ocham. Gabriel. Soncin. Holchot. Patres Conimb. Aegyptan. Salas. Vega. Valent. Caſar Recupit.

5 Obijcis pro contraria ſententia, quam ſequuntur Guil. Ocham. Gabr. Soncin. Holchot. & alij graues Theologi, quos referunt, & ſequuntur Conimbr. 1. de Gener. cap. 4. q. 10. art. 2. §. *Pro explicatione* (pro qua etiam allegari poſſunt omnes illi, qui tenent, operationem intellectus clarè videntium Deum fieri à ſolo Deo ſine concurſu effectiuo eiuſdem intellectus, vt cum Scot. in 1. diſt. 13. §. *Ad tertiam quæſtionem*, aſſerunt nominales quos citat, ſed non ſequitur Rub. de Anima, lib. 3. cap. 4. & 5. tract. de Actu intellectus poſsibilis, q. 4. n. 295. idem latè probat Ægyptanenſis de Beatit. tom. 2. lib. 10. q. 1. art. 4 à § 2. Sal. Vega, Valent. quos citat Recup. tom. 1. in 1. p. lib. 6. quæſt. 9. §. *Secunda via*, & ipſe ſequitur à num. 5. Obijcis, inquam, primò. Deus poteſt ſe ſolo producere terminum actionis vitalis, ſcilicet conceptum: ergo & ipſam intellectionem. Reſpondeo negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia conceptus non eſt immediata dependentia, qualem eſſentialiter includit intellectio, ſiquidem conflatur ex actione, & termino.

6 Inſtas primò. Actiones ſpecificantur per terminos materiales (vt ſuppono certum ex Metaphyſica) ſed illa actio, per quam Deus produceret illum conceptum, haberet eundem terminum, nempe conceptum vitalem: ergo foret intellectio. Reſpondeo negando minorem, quia intellectio vltra terminum, ideſt vltra conceptum, dicit actionem vitalem immediatè procedentem à principio vitæ; vnde vt actio illa diuina haberet eundem terminum, & diceretur intellectio, debebat terminari ad actionem ſimul, & ad terminum, quod tamen non ita fit, ſolùm enim terminaretur diuina actio ad conceptum: cùm tamen intellectio dicat, & terminum, & actionem, inde eſt, quòd talis conceptus per ſe ſolum, non diceretur intellectio.

7 Inſtas ſecũdò. Terminus illius actionis, nempe cõceptus, eſt vitalis: ergo & actio ipſa vitalis eſt. & cõſequenter eſt intellectio. Reſp. concedendo antecedens, ſi velit conceptũ ex eo eſſe vitalẽ, quia dicit eſſen ialem, & aptitudinalẽ ordinem ad intellectũ, à quo poſtulabat fieri naturaliter: negando tamen talem conceptum eſſe actualiter vitalem, hoc eſt vitaliter produci à Deo. Vnde conſequentia ſolùm probat, illam actionem, per quam Deus ſe ſolo educeret conceptũ, poſſe eſſe eiuſdem ſpeciei, cum quàuis alia actione, per quam naturaliter producatur conceptus, quod concedimus; nunquam tamen talis diuina actio erit vitalis, quia vitalitas eſt denominatio accidentalis, quæ prouenit nõ à termino, ſed à cauſa ſecũda, quæ accidentaliter vinit per talẽ actionẽ; ſic etiã cõſequenter dicimus, intra eandẽ ſpeciẽ actionũ poſſe dari vnã, quæ ſit vitalis, alterã verò, quæ non ſit vitalis, vt patet ex prædicamẽto Actionis, ſicut in eâdem ſpecie hominis datur vnus albus, & alter niger.

8 Obijcis ſecundò. Deus poteſt ſupplere concurſum cauſæ effectiuæ: ſed intellectio dependet ab intellectu effectiuè: ergo &c. Reſpond. ad maiorem, poſſe Deum ſupplere omnem cauſam efficientem, quando dependentia non eſt immediata, & eſſentialis ab ipſa cauſa effectiua, vt contingit in omnibus actionibus, quæ quàuis dependeant efficienter à cauſa ſecunda, nõ poteſt Deus per ſe ſolùm eas ſupplere, quia implicat, iam enim nõ forent immediatæ dependentiæ, ſi fierent per aliam actionem.

9 Obijcis tertiò. Actio eſt modus termini faciens cum illo vnum per ſe: ergo ſi Deus poteſt producere conceptum ſe ſolo, poterit illum producere cum ſuo complemẽto, ideſt, cum actione. Vnde ſequitur, producere poſſe intellectionem, quia intellectio nihil eſt aliud, quàm conceptus cum ſua actione. Confirmatur, & declaratur, quia Deus producit naturam cum ſubſiſtentia, quæ eſt complementum naturæ: ergo & poterit producere conceptum cum ſuo complemento, nempe cum actione.

10 Reſpondetur, actionem ita facere vnum per ſe cum termino, vt terminus non poſtulet neceſſariò hanc numero actionem, ſed vel hanc, vel aliam ſupplentem hãc; ſicut natura ita facit vnum per ſe cum ſubſiſtentia, vt poſsit naturalis ſubſiſtentia ſuppleri per diuinam, atque ita euenit, vt ſuppleat Deus naturalem actionem vitalem, per quã conceptus debebat naturaliter fieri, & cum qua faciebat vnum per ſe; & deinde conceptus fieri poterit per diuinam actionem, cum qua etiam facit vnum per ſe. Vnde ſequitur, non poſſe conceptum fieri à ſolo Deo eâdem actione vitali; ſicut implicat creari formam materialem à ſolo Deo cum vnione ad materiam, quamuis vnio ſit aliunde modus identificatus cum forma, quemadmodũ actio identificatur cum termino: vnde patet, quid dicendum ſit ad confirmationem, nam intellectio poſtulat eſſentialiter actionem vitalem, natura verò nõ poſtulat eſſentialiter ſubſiſtentiam creatam.

11 Ex dictis colligo primò, idem dicendum eſſe in opinione valde probabili, quæ

 ponit

Digitized by Google

ponit intellectionem formaliter in cõceptu, & requirit actionem vitalem, tanquàm conditionem logicam, quia talis actio nunquàm poterit produci à ſolo Deo, vt patet ex dictis.

12 Colligo ſecundò, nullam actionem vitalem creatam fieri poſſe à ſolo Deo, ſiue ſit ſpiritualis, qualis eſt intellectio, ſiue ſit ſenſitiua, quales ſunt operationes ſenſuum, & appetitus; ſiue ſint merè corporales, quales ſunt nutritio, generatio, augmentatio, &c. quia implicat dari actiones vitales, quæ non fiant à principio vitali, quod per illas viuat accidentaliter.

13 Quid tamen dicendum ſit de terminis harum actionum, & de intellectione, in opinione, quæ ill..n conſtituit ex ſolo conceptu, patebit ex ſequenti ſectione.

SECTIO V.

Vtrùm Deus poſsit ſe ſolo producere conceptum?

Reſponſio eſt affirmatiua.
Soarius.
Molina.
Hurtad.
Ægydius
Arriaga

1 P*Rima concluſio.* Deus ſe ſolo poteſt producere conceptum, quem ſimul producebat cum intellectu creato. Ita Soar. in Met. diſp. 4. ſec. 2. n. 12. Molin. 1. p. q. 12. art. 2. diſp. 1. §. *Quamuis autem:* Hurtad. de Anima, diſp. 6. ſec. 3. n. 30. Tenet præterea hanc ſententiam Egyranenſis de Beatit. tom. 1. lib. 10. q. 1. art. 4. à §. 2. cum alijs. Item Arriaga de Anima, diſp. 6. ſec. 1. n. 47. Probatur, quia talis conceptus diſtinguitur realiter ab intellectu, nec pendet ab illo per ſe, & immediatè, ſed per actionem realiter diſtinctam ab intellectu: ergo poterit Deus actionem ſupplere, & ſe ſolo efficere talem conceptum, qui ab intellectu efficienter pendebat.

2 Confirmatur, quia Deus per ſuam omnipotentiam poteſt efficere quidquid cõtradictionem non implicat, quæ certè nulla hîc cernitur; quamuis enim conceptus naturaliter producatur, & immanenter ab intellectu, hoc tamen non tollit quominùs produci poſsit per aliam actionem; ſicut accidẽs phyſicum naturaliter poſtulat eſſe in ſubiecto, & tamen diuinitus poni poteſt extra ſubiectum.

Vaſquez.
Rubius

3 Obijcis primò pro contraria ſententia, quam ſequitur Vaſq. tom. 1. in 1. 2. diſp. 9. cap. 5. vbi conceptum vocat intellectionem: eandem ſententiam defendit Rub. de Anima, lib. 3. cap. 4. & 5. tract. de Actu intellectus poſsibilis, q. 4. n. 299. Quibus adhæret Murſia in Log. ſuper lib. Perih. diſp. 2. q. 2. §. *Dico* 5. Actio, per quam producitur conceptus, debet eſſe vitalis, & immanens; ſed illa actio per quam Deus ſe ſolo produceret talem conceptum, non eſſet vitalis, & immanens, vt patet: ergo &c. Reſpond. ad maiorem; ſolam actionem, per quam naturaliter producitur conceptus, debere eſſe vitalem, & immanentem, non verò illam, per quam ſupernaturaliter produceretur; & vt ille conceptus dicatur terminus vitalis, ſatis eſt, quòd dicat ordinem ad intellectum creatum, cui poteſt inſeruire. Murſia.

4 Obijcis ſecundò. Verbum creatum, ſeu conceptus ex ſua intrinſeca ratione eſt factus, ſeu conceptus mentis: ergo ex ſua intrinſeca ratione poſtulat fieri per mentem vitaliter: ergo non poteſt fieri à ſolo Deo. Reſpond. diſtinguendo primum cõſequẽs: poſtulat fieri ab intellectu ſaltem aptitudinaliter, concedo conſequentiam: poſtulat fieri actualiter, nego conſequentiam. Sicut accidens, quod ex ſua intrinſeca ratione poſtulat pendere à ſubſtantia non actualiter, ſed aptitudinaliter.

5 Obijcis tertiò cum Vaſq. Deus non poteſt ſe ſolo producere actum voluntatis creatæ, nempe amorem: ergo neque actum intellectus, nempe conceptum. Probatur antecedens, quia actus voluntatis poſtulat neceſſariò fieri ſuppoſita cognitione intellectus: ſed ille actus productus à ſolo Deo nõ ſupponeret cognitionem intellectus creatis ergo &c. Reſpond. negando antecedens & ad illius probationem dicendum eſt, tunc ſolùm amorem fieri ſuppoſita cognitione, quando fit naturaliter à voluntate, ne voluntas feratur in incognitũ: vnde quando amor produceretur à ſolo Deo, non præſupponeret cognitionem, ſed ſatis eſſet, quòd talis amor diceret ordinem ad voluntatem creatam, à qua poſtulabat fieri, præeunte cognitione: ſicut dixi de ordine aptitudinali in conceptu.

6 Ex ſuppoſita concluſione colligo, poſſe Deum ſe ſolo producere conceptum tam in ſubiecto, nempe intellectu, educendo illum; quam extra ſubiectum, creando ipſum conceptum: quia ſi Deus poteſt ſupplere cõcurſum effectiuum, qui in his actibus videtur ſpecialis: à fortiori poterit ſupplere dependentiam materialem, quam hi actus habent à cauſa materiali, ſicut ſupplet dependentiã quam habent accidentia ſacræ Euch[aria]ſtiæ à cauſa materiali.

7 Quæſtio tamen hîc eſſe poterat, vtrũ

poſsit

poſſit Deus ponere conceptum Petri non ſolùm in alio ſubiecto proportionato v. g. in intellectu Pauli, ſed etiam in quolibet ſubiecto improportionato v. g. in lapide? Hæc quæſtio affirmatiuè reſoluenda eſt, iuxta ea, quæ dixi lib. 1. Phyſic. diſp. 15. ſec 5.

8 Et quidem ſecundùm hanc ſententiam non repugnabit, conceptum poni in ſubiecto inepto ad intelligendum, quod tamen non dicitur intelligens, ſed habens conceptum. Colligo præterea Deum poſſe non ſolùm ſe ipſo, ſed etiam mediante aliquo inſtrumento facere ſimiles conceptuum productiones.

Actio per quā producitur conceptus extra ſubiectū eſt creatio,

9 Duo hic aduertenda ſunt. Primum eſt, ſi Deus ſe ſolo, vel medio aliquo inſtrumento producat conceptum extra ſubiectum, actionem, per quam Deus hoc faceret, fore ſpecie diuerſam ab ea, per quam produceret eundem conceptum in aliquo ſubiecto, quia hæc actio foret eductio, illa verò creatio; inter actionem autem creatiuam, & eductiuam datur ſpecificum diſcrimen; nam materiales termini ſpecie etiam diſtinguuntur; terminus enim creationis, in communi opinione, eſt conceptus cum modo per ſe exiſtendi; terminus verò eductionis, eſt conceptus cum inhærentia. Actio verò, per quam Deus ſe ſolo produceret conceptum in ſubiecto aliquo, erit eiuſdē ſpeciei cum ea, per quam ſimul cum intellectu producere t conceptum, quia vtraque eſt eductio, & terminus materialis eſt idem, licèt actio, quæ procederet á ſolo Deo nō foret vitalis; ſed vitalitas non inducit ſpecificum diſcrimen, vt dixi ſec. 4 n. 7.

10 Aduertendum ſecundò, poſſe eundem conceptum ſimul terminare duas actiones totales, & ſpecie diuerſas, nempe creationem, ſi producatur á Deo extra ſubiectum, & eductionem ſi producatur in ſubiecto, ſicut idem accidens poteſt ſimul habere modum inhærentiæ ad ſubiectum, cum modo exiſtendi per ſe. & ſicut eadem natura poteſt diuinitus habere ſubſiſtentiā propriam, & alienam, ſi fuerit increata: quāuis hoc exemplum neget Soar. tom. 1. in 3. p. diſp. 4 ſect. 1. à 5. *Contraria verò*: ſed de his in Metaphyſica egi diſp. 9. ſect. 3. á n. 1.

Ad [illegible] intelligendum requiritur actio vitalis. *Soarius.*

11 *Secunda concluſio* Licèt ratio formalis intelligendi conſiſtat in ſolo conceptu, ſi Deus ponat conceptum Petri in intellectu Socratis merè paſſiuè ſe habentis, non intelliget Socrates, niſi etiam effectiuè, & vitaliter concurrat. Ita Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 10. n. 7. & lib. 2. de Angelis, cap. 10. nu. 7. vbi loquitur de actu vitali voluntatis. Mol. 1. p. q. 12. art 2. diſp. 1. §. *Quamuis autem*: quam etiām tuentur meliores Theologi, qui aſſerunt, Viſionem beatam fieri etiam ab intellectu creato. Probatur concluſio, quia intellectio, licèt conſiſteret in ſolo conceptu neceſſaria tamen eſſet logicè actio vitalis ex parte intellectus: nam vita actualis ſupponit actualem efficientiā in viuente. *Molina.*

12 Obijcis primò pro contraria ſententia, qnam tenet Vaſq. tom. 1. in 1. 2 q. 2. diſp. 9. cap. 4. n. 19. & Fr. AEgyd. de Beat. tom. 2. lib. 10. q. 1. art 4, §. 6. Cauſa formalis poſita in ſubiecto facit ſuum effectum formalem: ſed conceptus eſt cauſa formalis intellectionis, intellectus eſt ſubiectum aptum ergo &c. Reſpondetur ad maiorem, cauſam formalem cum omnibus requiſitis ſtatim producere ſuum effectum formalem, non verò ſine requiſitis: cùm verò conceptus requirat etiam actionem logicè, non eſt per ſe ſolùm ſufficiens ad intellectionem: ſicut relationes in opinione, quæ illas virtualiter tantùm diſtinguit à fundamentis, licèt ſimul cum fundamentis producantur, vt tamen formaliter dentur requirunt poſitionem termini. Vnde effectus formalis talis conceptus eſſet reddere intellectum aptitudinaliter intelligentem (ſicut ſpecies reddunt intellectum habitualiter intelligētem) non redderet veró intellectum actualiter intelligentem, quia deeſt actio. *Vaſquez. AEgyd. Luſitan.*

13 Obijcis ſecundò cum Rub. Impoſſibile eſt formam tribuere effectum formalem genericum, quin tribuat ſpecificum, vt patet in albedine, quæ non poteſt efficere formaliter coloratum, quin efficiat album: ergo ſimiliter impoſſibile erit, conceptum informare intellectum, ſub ratione qualitatis, quin informet etiam ſub ratione imaginis, ſeu intellectionis actualis. Reſpondeo negando antecedens, iuxta ea, quæ dixi lib. 1. Phyſ. diſp. 23 ſec. 5 á n. 5. quia poteſt albedo communicare Angelo effectum genericum accidentis, & reddere illum habētem albedinem, non verò reddere album: concedo tamen non poſſe albedinem communicare effectum genericū colorati, quin communicet effectum ſpecificum albi quia ſubiectum, quod eſt capax colorati, eſt etiā capax albedinis, ſeu albi, quia ad hoc nulla requiritur efficientia ex parte ſubiecti: at verò ad intellectionem vltra receptionem materialem, requiritur actio vitalis: quapropter niſi intellectus vitaliter concurrat, non redderur actualiter intelligens. *Rubius.*

14 *Tertia concluſio.* Si Socrates effectiuè, & vi-

Digitized by Google

enim tam intellectus, quam phantaſia; quòad applicationem dependent à noſtra voluntate. Tota igitur difficultas eſt, quando memoria ipſa præuenit voluntatem, & quin velimus de re aliqua recordamur.

Cur potiùs vnius rei, quàm alterius recordemur.

5 Huius ergo excitationis ſpecierum in memoria cauſa, aliquando eſt merè extrinſeca, bonus nimirum, & malus Angelus, qui per motum localem excitare poteſt ſpecies in phantaſia, quæ per naturalem ſympathiam mouent intellectum: aliquando verò ratio eſt magis intrinſeca, nimirùm talis diſpoſitio corporis, vel organi, aut etiam humoris prædominantis, quæ naturaliter mouent phantaſiam, à qua, propter naturalem ſubordinationem potentiarum in eâdem animâ mouetur, & excitatur memoria.

6 Sed quæro vlteriùs, cur non ſemper ſimus in perpetuo actu recordandi, ſiquidè ſemper habemus in intellectu ſpecies reſeruatas rerum præteritarum? Reſpond. hoc ſemper prouenire ex parte corporea, quia videlicet phantaſia, aut ſenſus externi ita, vel ita afficiuntur, nihil enim intelligere poſſumus, vel recordari, quin ſpeculemur phantaſmata. Occaſione huius reſolutionis inquirendum eſt, quid ſit *ſpeculari phantaſmata?* quod nihil eſt aliud, quàm vt eo tempore, quo intellectus operatur circa aliquod obiectum, phantaſia ſimul circa illud, vel aliud ſimile, ſuo modo, operetur, vt cùm de Deo cogitamus, quem phantaſia non agnoſcit, fingit idolum aliquod circa illum.

Neceſſariò requiritur conuerſio ad phantaſmata.

D. Thom.

7 *Tertia concluſio.* Sine conuerſione ad phantaſmata nullam operationem naturaliter habere poteſt noſter intellectus: ita verior, & probabilior ſententia cum D. Thom. 1. p. q. 84. art. 7. quem ibi Theologi hodie ſequuntur: quam concluſionem bene probat à poſteriori idem Sanctus; conſtat enim experientiâ, quòd læſâ, vel impedita phantaſia humore aliquo noxio, vel ſomno conſopita, impeditur etiam omnino intellectus à ſuis operationibus, tam circa res corporeas, quàm etiam circa ſpirituales. Confirmatur autem aliâ experientiâ, quotiès enim aliquid intelligimus, formamus idolum aliquod in phantaſia.

Cur detur tanta dependentia à ſenſu.

8 At enim vnde nam prouenit tã magna hæc intellectus dependentia? non enim prouenit ab anima, ſiquidem hæc in ſtatu ſeparationis exercet ſuas operationes intellectuales ſine tali dependentia: deinde nec ratione corporis, cum quo eſt vnita, videtur hoc prouenire, ſiquidem in ſtatu corporis beatifici poterit intellectus operari, ſine tali dependentia. Reſpondet Scotus prouenisse

Scotus.

hoc in homine in pœnam peccati. Reſpond. tamen ex mente D. Thom. prouenire ex modo imperfecto naturalis compoſitionis, quã habet anima cum corpore, ita enim anima corpus informat, vt illi ſe ſe omnino accommodet, & illi quaſi ſubiiciatur; hinc eſt, quòd nec ſe mouere poſſit anima, nec quieſcere ſine dependentia à corpore, vnde etiam intelligere non poteſt, quamuis habeat apud ſe ſpecies, niſi ſimul phantaſiâ operetur circa idem, vel ſimile obiectum; quâpropter in ſtatu beatifico, cùm modus informandi ſit perfectior, & ſublimior, & cum pleno dominio in ipſum corpus, liberum erit animæ intelligere cum phantaſmatibus, vel ſine illis; eadè independentia datur in eo, qui operatur per ſcientiam per ſe infuſam, de qua dixi in 1. p. trac. 2. diſp. 14. ſec. 2.

D. Thom.

9 Obijcis primò. Poteſt ſenſus internus operari ſine actuali dependentia ab operatione ſenſus externi: ergo etiam poterit intellectus ſine actuali dependentia à phantaſia. Reſpondetur negando conſequentiam, oppoſitum enim conſtat experientiâ; neque enim decebat, vt internæ facultates, quæ abſtractiores ſunt adeò dependerent ab externis, cùm ſatis ſit dependentia, quam habent, quò ad acquiſitionem ſpecierum.

10 Obijcis ſecundò. Sæpe intellectus in ſe habet aliquas ſpecies, quæ non dependent à phantaſia, quales ſunt ſpecies rerum vniuerſalium, quas ſibi reſeruat: ergo poterit illis vti, ſine operatione phantaſiæ. Reſpondetur negando conſequentiam, tales enim ſpecies, quamuis ſint independentes à phantaſia in fieri, & conſeruari, ſunt tamen dependentes quòad vſum, hæc enim dependentia, non tam procedit ex parte ſpeciei, quàm ex parte modi operandi noſtri intellectus in hoc ſtatu mortali, per ſpecies proximè aut remotè à ſenſibus dependentes. Quapropter etiam dabitur conuerſio ad phantaſmata, vel in altiſsima contemplatione, aut extaſi naturali; quamuis fateamur, quòd nimia animæ attentio ad operationem intellectus nõ ſinat phantaſiam ſe diſtrahere & ratio naturalis eſt, quia maxima applicatio vnius potẽtiæ non ſinit in reliquis niſi minimam applicationem; in quo patet minorem dependẽtiam habere intellectum à phantaſia, quàm voluntas habeat ab intellectu, hæc enim dependentia logica eſt, & ab intrinſeco voluntatis, vt diximus 3. p. trac. 3. diſp. 67. ſec. 4. dependentia verò intellectus à phanphantaſia eſt ſolùm ratione imperfecti ſtatus animæ cum corpore mortali.

SEC.

SECTIO VII.

De Voluntate.

Datur appetitus rationalis & ſenſitiuus.

1 PRima concluſio. Præter intellectum, & phantaſiam datur in anima duplex appetitus; primus appetitus ſenſitiuus, ſecundus rationalis, qui inter ſe eſſentialiter, & realiter diſtinguuntur: ita communis, & vera ſententia, quæ probatur experientiâ; experimur enim in noſtra anima appetitum rationalem, & irrationalem; quòd verò differant eſſentialiter, probatur ex diuerſitate obiectorum: nam appetitus ſenſitiuus fertur in res materiales, & ſingulares, ſuppoſita cognitione ſenſitiua: at verò appetitus rationalis (ideſt voluntas) fertur in bonum commune, & ſpirituale, ſuppoſita cognitione intellectuali. Quòd diſtinguantur realiter probatur, quia voluntas eſt in tota anima; appetitus verò eſt potētia organica reſidens in corde.

2 Præterea voluntas habet libertatem quòad indiuiduum, quòad ſpeciem, & quòad exercitium, vt dixi in Met. trac. 3. diſp. 68. appetitus verò neceſſariò fertur in obiectum, habet tamen voluntas imperium in illum iuxta illud Geneſ. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*: & licèt appetitus ſæpe reſiſtat, & reclamet, poteſt tamen à voluntate reprimi, & compelli, propterea que error appetitus attribuitur volūtati. Diuerſo modo obediunt voluntati membra corporis, & appetitus, manus enim v. g. niſi aliunde impediatur ſeruiliter, ac deſpoticè obedit; appetitus verò, quia non pro libito voluntatis, ſed cum reſiſtentia mouetur, & obedit, dicitur obedire ſeruiliter, non enim tanquàm ſeruus, ſed tanquàm cliens reginæ voluntatis imperium exequitur.

Voluntas diſtinguitur realiter ab intellectu. D. Thom.

3 *Secunda concluſio.* Voluntas diſtinguitur realiter ab intellectu: eſt communis, & vera ſententia cum D. Thom. in quæſtionibus de Veritate, q. 22. art. 10. Probatur primò ex valde diuerſo modo operandi vtriuſque potentiæ, nam intellectus ad ſe trahit obiectum, voluntas trahitur ab illo. Probatur ſecundò quia voluntas eſt potentia libera, intellectus eſt neceſſarius. Probatur tertiò. Intellectus non pendet logicè à voluntate, voluntas verò maximè, vt diximus in Metap. trac. 3. diſp. 67. ſec. 4. quidquid in oppoſitum ſequantur Conimbr. 3. de Anima cap. 13. q. 3. art. 2. § *Ad tertium.*

Patres Conimbr.

Durand.

4 Obijcis cum Durand. in 3. diſt. 3. q. 4. Eadem ſolis virtus ſufficiens eſt ad illuminandum, & calefaciendum: ergo eadem animæ facultas ad intelligendum, & volendum. Reſpond. negando conſequentiam: diuerſa ratio eſt, quia illi actus reſpectu Solis ſunt materialiter ſubordinati, ſemper enim lux Solis, & illuminat, & calefacit: at verò voluntas non ita ſubordinatur intellectui, nam ſæpe operante intellectu, voluntas pro ſua libertate poteſt ſuos actus cohibere.

5 Inſtas. Actus voluntatis non poteſt ſeparari ab operatione intellectus: ergo ſignum eſt, quòd voluntas non diſtinguatur ab intellectu. Reſpond. negando conſequentiam, quia imprimìs ſufficit, quòd actus intellectus poſsit ſeparari ab actibus voluntatis; deinde, quia non omnis inſeparabilitas eſt ſignum identitatis, cùm talis inſeparabilitas prouenire poſsit ex aliqua extrinſeca connexione rerum diſtinctarū, vt patet in duobus relatis. Ex dictis colligitur intellectū, & voluntatem non ſolùm realiter, ſed eſſentialiter differre.

Dandin. Soarius. D. Thom.

6 *Tertia concluſio.* Intellectus eſt nobilior voluntate: hanc concluſionem breuiter probauimus in Met. trac. 3. diſp. 68. ſec. 2. n. 3. quam latè oſtendunt Dand. de Anima, lib. 3. digreſ. 29. à fol. 2011. Soar. de Anima, lib. 5. cap. 9. probatque cum D. Thom. ex modo operandi intellectus, qui eſt independens à voluntate, ipſámque dirigens; & præterea eſt abſtractior, non enim neceſſariò fertur in rerum exiſtentiam, ſicut voluntas, & quāuis obiecta intellectus, & voluntatis ſint æquè perfecta, nihilominùs ſufficit, quòd obiectum intellectus nobiliori modo attingatur ab ipſo intellectu: additur, quòd obiectū intellectus, nempe *verum*, eſt nobilius *bono*, quod eſt obiectum voluntatis, eſt enim entitati magis propinqua veritas, quàm bonitas. Neque dicendum eſt, amorem voluntatis, vel etiam in patria nobiliorem eſſe viſione Dei, quæ fit ab intellectu.

7 *Quarta concluſio.* Voluntas & appetitus mouent reliquas potentias, non quidem phyſicè, ſed per quandam naturalem ſympathiam, ac ſubordinationem, quam habent potentiæ in eâdem animâ radicatæ, quod ſic declaratur, v. g. Vult Socrates ſe mouere ab vno loco in alium, tunc verò quin voluntas imprimat aliquid phyſicum potentiæ motiuæ, ſed per ſolum naturale imperium excitat, & applicat potentiam motiuam ad motum.

8 Procedit concluſio non circa motus omnino naturales, & neceſſarios, qualis eſt motus cordis, arteriarum, &c. ſed de motu pro-

progreſſiuo, qui fit præcedente cognitione, & appetitu. Ex quibus conſtat præter appetitum, & intellectum diligentem motum localem, ponendam eſſe potentiam loco motiuam, diſtinctam realiter, vt latè probat Soar. de Anima, lib. 5. cap. 10. quod experientiâ comprobatur, ſæpe enim quis mouetur, quin præcedat actus cognitionis, vel appetitionis, vt patet in dormientibus, & in illis, qui indeliberatè mouent pedes, aut oculos. Confirmatur, quia non minùs requiritur diuerſa potentia ad audiendum, quàm ad ſe mouendum localiter. Reſidet hæc potentia præcipuè in muſculis, & neruis oſſi copulantibus; diriuatur tamen à corde. Quæ ceſſant hîc de Voluntate diſputaui in Metaph. diſp. 67. & in Phyſica, diſp. 29.

Datur potētia locomotiua.

DISPVTATIO LXXXIV.

De prima intellectus noſtri operatione.

DIxi de his, quæ pertinent ad intellectionem noſtrā in communi, nunc ad ſingulas intellectus noſtri operationes accedo: Suppono igitur tanquàm omnino certum, tres eſſe intellectus noſtri operationes, nempe ſimplicem apprehenſionem, Iudicium, & Diſcurſum: in hac diſputatione agendum eſt de prima operatione, quæ ita latè patet, vt comprehendat omnes intellectus noſtri actus, ſiue obiectum ſit ſimplex, ſiue ſit complexum, vt eſt totum enunciabile; & demonſtratio; modò Intellectus, per hanc ſimplicem apprehenſionem, ſolùm apprehendat hæc obiecta; nihil interim iudicando.

SECTIO I.

Quid ſit prima operatio, & quomodò diuidatur in intuitiuam, & abſtractiuam?

1 PRima concluſio. In hominibus datur prima apprehenſio diſtincta à iudicio, quæ nihil eſt aliud, quàm *actus, quo res primò vitaliter concipitur, & apprehenditur*: Hæc vel eſt omnino ſimplex, vel compoſita ex obiectis ſimpliciter coniūctis; de quibus videri poteſt Soar. de Anima lib. 3. cap. 6. n. 1. & eſt adeò certa concluſio, vt non indigeat probatione.

Angeli nō apprehendunt ſicut homines.

2 *Secunda concluſio.* In Angelis non datur ſimplex apprehenſio diſtincta à iudicio circa obiectum euidenter cognitum, ſed vno ſimplici intuitu cognoſcit, ſeu iudicat Angelus tale obiectum: poteſt tamen dari apprehenſio diſtincta à iudicio, circa obiectum ineuidens. Ita communis ſententia; & videri poſſunt Soar. de Angelis, lib. 2. cap. 12. n. 6 Hurtad. diſp. 1. de Anima, ſec. 1. §. 8. Franciſcus Amicus in Curſu Theol. tom. 1. de Angelis.

Soarius. Hurtad. Franciſcꝰ Amicus.

3 Probatur prima pars ex magna excellentia luminis Angelici, quia vnico intuitu certificatur de obiecto, cognoſcendo effectū in cauſa: vnde nec pro libitò poterit Angelus iudicare per vnum actum, & per alium apprehendere, quia non poteſt variare ſuum cognoſcendi modum.

4 Secunda concluſionis pars. probatur ab eodem Soar. cit. n. 17. quia ideò datur in homine apprehenſio, quia non poteſt vnico intuitu iudicare, quin priùs apprehendat, ſed Angelus circa ineuidentia ita ſe habet, vt nō poſſit vnico intuitu percipere tale obiectum: ergo &c. Atque hæc eſt ratio, cur non poſſint diſcurrere circa obiecta creata, qui vtuntur ſcientia per ſe infuſa; quia ſcilicet talia obiecta ſunt euidentia: de qua re videri poteſt Soar. de Incarnat. diſp. 28. ſec. 2. §. *Dices*: ex quibus ſequitur à fortiori non habere Deum cognitionem apprehenſiuam, cum ſit imperfecta, & non certificet de obiecto.

5 *Tertia concluſio.* Prima apprehenſio diuiditur in intuitiuam, & abſtractiuam; ita communiter Theologi, ac Philoſophi. Notitia intuitiua definitur, *Cognitio rei præſentis, vt præſens eſt.* Abſtractiua definitur, *Cognitio rei, non vt præſens eſt*: ex quibus patet, diuiſione eſſe adæquatam, ſiquidem fit in membra cōtradictoriè oppoſita: vel enim notitia eſt rei præſentis, vel non: ſi primum, eſt intuitiua: ſi ſecundum, non eſt intuitiua, & conſequenter

Prima apprehenſio diuiditur in intuitiuā & abſtractiuam.

vt

vel eſt abſtractiua, vel continet vtramque notitiam eminenter, & non eſt formaliter intuitiua.

6 Suppoſita hac diuiſione, quæ communis, & certa eſt, dubium reſtat, verùm notitia intuitiua ſit ſolùm illa, quæ fertur in rem actualiter præſentem, ſecundùm præſentiam realem, an ſufficiat quælibet exiſtentia, & præſentia rei, licèt non ſit realis, & actualis? Sit igitur.

Sufficit quæuis præſentia ad notitiã intuitiuã.

7 *Quarta concluſio.* Ad notitiam intuitiuam ſufficit quæuis differentia temporis præteriti, præſentis, vel futuri, dummodò res cognoſcatur in ſe, vel per ſuam eſſentiam, vel per proprias ſpecies, ſi illas habuerit. Ita D. Thom. 1. p. q. 12. art. 2. Soar. in Sum. lib. 2. de Anima cap. 8 à n. 4. Vaſq. 1. p. diſp. 64. cap. 5. n. 2., & diſp. 13. cap. 1. n. 2. & alij. Probatur primò. Quia cognitio ſenſuum externorum ſemper eſt intuitiua: & tamen oculus poteſt videre obiectum, quod non ſit actualiter, & realiter præſens: ergo actualis, & realis præſentia non requiritur ad notitiam intuitiuam. Maior eſt certa: probatur minor, quia Deus poteſt conſeruare in meo oculo ſpeciem coloris non exiſtentis, vel eam de nouo producere; in quo caſu oculus intuebitur colorem non exiſtentem realiter (vt teſtatur D. Thom. 3. p. q. 76. art. 8. in corpore. Vaſq. 1. p. diſp. 208. cap. 3. poſt num. 8. Mol. 1. p. q. 15. art. 2. diſp. 2. mem. 5. & aduertit Recupit. 1. p. lib. 2. q. 5. cap. 2. & tamen ille color non habet actualem præſentiam realem: ergo actualis, & realis præſentia rei, neceſſaria non eſt ad notitiam intuitiuam; & hoc pacto fiunt miraculoſæ apparitiones per ſpecies in oculis impreſſas, vt eſt communis ſententia cum D. Thom. & Scot. quos citat, & ſequitur Rub. de Anima, lib. 2. cap. 6. tract. de Speciebus, & Obiectis ſenſibilibus, q. 13. n. 175. Vbi agit de miraculo Scalabitano, in noſtra Luſitania, vbi in hoſtia conſecrata, diuinitùs aſſeruata diuerſæ Numinis imagines, multoties aliquibus mirabiliter apparent,

D. Thom: Soarius. Vaſquez.

D. Thom, Vaſquez. Molina. Recup.

Scotus. Rubius.

Inq; nouum diuinus amor ſe Protheа vertit.

Immo aliquando videt naturaliter oculus obiectum apparenter tãtùm præſens, vt cùm intuetur colores in Iride, qui tamen non exiſtunt à parte rei: ergo ad notitiam intuitiuã non requiritur realis præſentia rei.

8 Probatur ſecundò. Quia Deus cognoſcit intuitiuè per ſcientiam viſionis præterita, & futura contingentia, quæ non habent præſentiam realem actualem: ergo &c. Probatur aſſumptum, quia cognitio diuina non mutatur, ſed Deus cognoſcit res, quãdo ſunt realiter præſentes, intuitiuè: ergo intuitiuè etiam cognoſcit futura, & præterita.

9 Obijcis pro contraria ſententia, quæ requirit ad notitiam intuitiuam, actualem, & realem præſentiam rei: quam defendit Scot. in 1. diſt. 2 q. 7. & ibid. Franciſc. à Chriſto; quam etiam ſententiam ſequitur Durand. Ferrar. Argent. Mol. 1. p. q. 1. art. 1. diſp. 4. §. *Præcipua ergo:* pro quibus etiam pugnat Curſus Thomiſt. in Log. q. 23. de notitijs, art. 2. §. *Prima eſt.* Obijcis, inquam: quia notitia intuitiua eſt cognitio rei præſentis, vt præſens eſt: ergo requiritur realis, actualis, & experimentalis præſentia. Reſpond. negando cõſequentiam, quia etiam res dicitur præſens per ordinem ad tempus præteritum, vel futurum, immò etiam per ordinem ad præſentiam apparentem.

Scotus. Franciſc. à Chriſto. Durand. Ferrar. Argent. Molina. Curſus. Thomiſt.

10 Quarè falſum eſt, omnem notitiam intuitiuam debère eſſe experimentalem: hinc eſt, quòd in noſtra ſententia ſit intuitiua nõ ſolùm ea notitia, qua video roſam facialiter præſentem, ſed etiam ea, quam clauſis oculis continuatem de eâdem roſâ: erit etiam ſimul intuitiua notitia de amico abſente, vel de mortuo, cuius adhuc ſpeciem propriam habeo, quia adhuc eſt cognitio rei præſentis in eá differentiâ temporis præteriti, quo extitit: futuras verò res, vel etiam præteritas, quarum non habeo proprias ſpecies, abſtractiuè cognoſcam; quia licèt ſint præſentes, pro eo tempore præterito, vel futuro, non habeo tamen talium obiectorum ſpecies proprias, vt ſupponitur. Ex quibus patet, latiùs patère notitiam intuitiuam, quàm experimẽtalem, quia omnis notitia experimentalis eſt intuitiua, non tamen omnis intuitiua eſt experimentalis.

11 Aduertendum eſt, ad notitiam intuitiuam non ſemper requiri, vt cognoſcantur omnes circunſtantiæ rei, quales ſunt tempus, locus, exiſtentia, &c. quia oculus cognoſcit intuitiuè, & tamen non percipit tempus. Oppoſitum tamen ſentit Valent. 1. p. diſp. 4. q. 7. pun. 3. §. *Neque obſtaret*, ad medium: ſed forté non diſſentit á noſtra ſententia; loquitur enim ibi de notitia intuitiua omninó clara, & perfecta, per quam Angelus Deum videret; ſed perfectio talis viſionis non oritur ex præſciſa ratione notitiæ intuitiuæ, ſed quia eſt viſio beata, in qua Deus faciáliter cernitur, iuxta illud Pauli 1. ad Cor. cap. 13. *Tunc autem facie ad faciem. &c.*

Valent.

1. ad Corinth. 13.

12 In vtrâque tamen ſententia, exiſtentia purè poſsibilium, non erit ſufficiens ad notitiam intuitiuam, quia talis exiſtentia, non eſt exercita, neque exercenda; hinc eſt, quód vel Deus ipſe cognoſcat poſsibilia abſtractiué; prætereа cognitio effectus per cauſam, vel cauſæ per effectus, abſtractiua eſt,

quia

Digitized by Google

quia eſt in alio: idem etiam dicendum de cognitione, quæ habetur per fidem; quia licèt obiectum ſub ratione exiſtentiæ attingitur, non tamen attingitur in ſe, ſed per reuelationem.

Quomodò inter ſe differant notitia intuitiua, & abſtractiua?

Differunt eſſentialiter. *Suarius.* *Durand.* *Capreol.*

14 Q*Vinta concluſio.* Notitia intuitiua eſſentialiter differt ab abſtractiua: Ita communis ſententia, & ſupponitur á Suar. tom. 1. in 3. p. q. 13. art. 5. ſec. 2. diſp. 28. §. *Sed obijcis*; ad medium. Eandem ſententiam ſequitur Durand. q. 3. prologi. art. 2. Capr. diſt. 23. q. 1. art. 3. ad tertium. Probatur, quia intellectiones, ſeu notitiæ eſſentialiter differunt, quando habent obiecta formalia diuerſa, vt patet: ſed hîc dantur diuerſa obiecta formalia: ergo &c. Probatur minor, nam obiectum notitiæ intuitiuæ eſt res ſub ratione exiſtētiæ cognitæ in ſe, & per ſolas proprias ſpecies ſi illas habuerit; obiectum verò notitiæ abſtractiuæ eſt res non cognita ſub ratione exiſtentiæ.

Reijcitur contraria opinio. *Hurtad.*

15 Obijcis pro contraria ſententia (in quam videtur inclinare Hurtad. de Anima, diſp. 10. ſec. 1. §. 13. dum aſſerit inter cognitionem abſtractiuam, & intuitiuam nullam eſſe oppoſitionem.) Species, quæ concurrunt ad notitiam intuitiuam non differunt eſſentialiter ab ſpeciebus intentionalibus, quæ concurrunt ad notitiam abſtractiuam: ergo neque ipſæ notitiæ differunt eſſentialiter. Reſpond. negando antecedens: quia huiuſmodi ſpecies differunt formaliter, propter diuerſas repræſentationes formales: nam ſpecies intuitiua repræſentat rem ſub ratione exiſtentiæ, at verò ſpecies abſtractiua repræſentat rem ſolùm ſecundùm eſſentiam; qualis eſt ſpecies, quæ datetur in intellectu Aſtrologi de futura ecclypſi. Bene tamen poterit eadem ſpecies materialiter concurrere, & inadæquaté ad notitiam intuitiuam, & abſtractiuam, vt ſi vna ſpecies intuitiua repræſentans eſſentiam, & exiſtentiam Petri, concurrat inadæquatè ad ſolam cognitionem eſſentiæ Petri, & idem contingit, quando per ſpeciem cauſæ deuenio in cognitionem abſtractiuam effectus; in quibus caſibus licèt ſpecies ſit eadem materialiter, eſt tamen diuerſa formaliter, vt patet ex dictis.

Eadē ſpecies materialiter

16 Neque obſtat, quòd ſpecies, cùm ſint indiuiſibiles, ſaltem in repræſentando, concurrant ſecundùm ſe totas ad ſuas notitias, adhuc enim non concurrent totaliter, ideſt, ſecundùm omnem ſuam virtutem, & adæquaté. Neque enim requiritur tāta diſtinctio in principijs actionum, quanta in ipſis actionibus reperitur, vt patet in noſtro intellectu, qui cùm ſit vnus producit actiones ſpecie diuerſas: ergo ſimiliter eadem materialis ſpecies inſeruire poterit ad notitiam intuitiuam, & abſtractiuam.

ſumpta cō currere ad vtramque notitiam.

17 Inſtas. Species intentionalis eſt cauſa naturalis: ſed cauſa naturalis ſemper producit nobiliorem effectum, quem poteſt: ergo ſemper ſpecies concurret adæquatè ad ſolam notitiam intuitiuam. Reſpond. minorem veram eſſe, quando cauſa naturalis non impeditur: at verò hîc impeditur â voluntate applicante illam ſpeciem ad notitiam abſtractiuam.

Notitia intuitiua nō producet ſpeciē abſtractiuā.

18 Ex tradita ſolutione colligo, poſſe etiam ſpeciem abſtractiuam concurrere ad notitiam intuitiuam, vt patet in ſpecie intelligibili, quæ ſecundùm ſententiam D. Tho. abſtractiua eſt (ſiquidem repræſentat res vniuerſales, quarum cognitio abſtractiua eſt) nihilominùs tamen inſeruire poteſt talis ſpecies ad cognitionem intuitiuam alicuius rei ſingularis, non quidem per ſe ſolam, ſed ſi determinetur ab intuitiuo phantaſmate; & ratio eſt, quia ſpecies rerum communium nō cenſentur alienæ à ſingularibus, ſicut neque ipſæ naturæ communes ſunt diuerſæ à ſingularibus.

19 Sed quæſtio hîc eſſe poteſt, vtrùm quemadmodùm ſpecies intuitiua concurrere poteſt ad notitiam abſtractiuam, ſic etiam notitia intuitiua poſsit producere ſpeciem abſtractiuam, vel è contrario? Reſpond. negatiuè, quia ſpecies intuitiua, cùm non ſit per ſe ſolam cauſa cognitionis abſtractiuæ, ſed ſimul cum intellectu, bene poteſt ab eo, & á voluntate applicari ad notitiam abſtractiuam: at verò notitia intuitiua per ſe ſolam eſt cauſa adæquata ſpeciei, ac proinde non poteſt non producere ſpeciem eiuſdem rationis: vnde ſpecies memoratiua relicta á cognitione intuitiua, neceſſariò eſt intuitiua, quidquid in oppoſitum ſentiat Mol. 1. p. q. 1. art. 2. diſput. 4. §. *Notitia verò.* *Molina.*

Quomodo poſsit eadē notitia ſimul eſſe intuitiua & abſtractiua

20 *Sexta concluſio.* Eadem notitia non poteſt eſſe ſimul intuitiua, & abſtractiua reſpectu eiuſdem obiecti materialis, poterit eſſe tamen reſpectu diuerſarum formalitatum eiuſdem obiecti formalis. Prima pars concluſionis colligitur ex Auctoribus ſuprá citatis, & ex ratione facta pro quinta concluſione: eadem enim intellectus notitia non poteſt ſecundum eandem

formalitatem attingere, & non attingere exiſtentiam rei. Probatur ſecunda pars, quia de eodem obiecto materiali poteſt ſimul dari notitia confuſa, & diſtincta per eundem actum intellectus, vt patet in hoc obiecto, ſeu in hoc exemplo, *Homo eſt animal rationale*, poſſum enim per vnicum actum apprehendere totam hanc propoſitionem, qui actus, dum cadit ſupra, *hominem*, eſt confuſus, dum verò cadit ſupra, *animal rationale*, eſt diſtinctus: ergo &c.

21 Confirmatur primò. Nam eadem viſio beata eſt vna tantùm cognitio; & tamē, prout tendit in Deum, eſt intuitiua, & diſtincta: at verò, prout tendit in poſſibilia, abſtractiua eſt, & confuſa. Confirmatur ſecundò. Quia idemmet actus contritionis continet formaliter deteſtationem peccati, & Votum formalis amoris Dei, vt eſt communis ſententia, & docet Soar. in 3. p. tom. 4. diſp. 4.
Suarus. ſec. 3. num. 16. & ſimiliter actus amoris Dei continet formaliter deteſtationem peccati.

22 Obijcis contra ſecundam partem huius concluſionis, Notitia intuitiua, & abſtractiua ſunt diuerſæ ſpeciei: ergo non poſſunt componere vnam notitiam, quæ formaliter ſit intuitiua, & abſtractiua, conſtaret enim oppoſitis differentijs. Confirmatur, quia duæ ſpecies infimæ non diuiduntur in aliam ſpeciem, alioquí iam non eſſent infimæ. Reſpond. ſpecies atomas, hoc eſt, infimas, & indiuiſibiles, non diuidi in alias ſpecies, vt bene probat argumentum, poſſe tamen in aliquo caſu coniungi duo indiuidua diuerſarū ſpecierum ad producendum vnum tertium indiuiduum, ſeu vnam tertiam ſpeciem, ad quam inadæquatè concurrunt: quæ tamen tertia ſpecies non ſit inferior, ſed ſit ſpecies quædam diſparata, vt contingit ex coniunctione Leonis, & Pardi, qui producunt Leopardum, qui eſt ens per ſe, & habet ſuam peculiarem differentiam eſſentialem: ac proinde illa tertia notitia, licèt inadæquatè componatur ex intuitiua, & abſtractiua, quæ erūt veluti materia, habebit ſuam eſſentialem differentiam peculiarem innominatam: & ſecundùm hanc reſponſionem, diuiſio in intuitiuam, & abſtractiuam non erit omnino adæquata; niſi quis dicat, hanc tertiam ſpeciem notitiæ reduci ad abſtractiuam, iuxta ea, quæ dixi in hac ſectione §. *Tertia concluſio.*

(?)

SECTIO II.

De Potentijs, quæ cognoſcunt intuitiuè, & abſtractiuè.

1 PRima concluſio. Intellectus creatus poteſt cognoſcere intuitiuè, & abſtractiuè. Hæc concluſio certa eſt, *Intellect. notit. habet vtramque notitiam.*
eam tradit Scot. in 4. diſt. 45. q. 3. & ſupponit Mol. 1. p. q. 1. ar. 2. diſp. 4. § *Notitia verò*: & Fonſ. 5. Met. cap. 28. q. 7. ſec. 5. § *Primum autem*; & ab omnibus cōmuniter recipitur. *Scotus. Molina. Fonſeca.*
Probatur experientiâ, quia cōſtat intellectū abſtrahere res cōmunes, quas cognoſcit abſtractiuè, & ſine aliqua earū exiſtentia. Deinde eâdem experientiâ certum eſt, quando ſenſus externi cognoſcunt obiecta intuitiuè, intellectū cognoſcere eadē obiecta intuitiuè, quāuis enim ſpecies intelligibiles repræſentent res, vniuerſales, determinantur tamen à phantaſmate intuitiuo ad concurrendū ad cognitionē intuitiuam: vnde etiam erit intuitiua cognitio, quam intellectus continuaret, clauſis oculis, de obiecto præſenti, quamuis enim intellectus in eo caſu non ſit omnino certus de præſentia obiecti: ad notitiam intuitiuam ſufficit exiſtentia obiecti per proprias ſpecies, nec requiritur neceſſariò, vt hæc notitia certificet de actuali præſentia obiecti, iuxtâ ſuprá dicta.

2 *Secunda concluſio.* Intellectus noſter cognoſcit intuitiuè, & abſtractiuè per primā, & ſecundam operationem. Hæc etiam concluſio certa eſt; de cognitione intuitiua per primam operationem nulla poteſt eſſe dubitatio, vt patet ex prima concluſione. Probatur etiam de cognitione abſtractiua, quia apprehendimus naturas communes per conceptum ſimplicem, quæ cognitio abſtractiua eſt, vt patet.

3 Probo deinde dari notitiam intuitiuā in ſecunda operatione, quia cognitio intuitiua, eſt cognitio rei exiſtentis per propriā ſpeciem: ſed connexio prædicati cum ſubiecto, ſupra quam formaliter cadit iudicium, poteſt cognoſci in ſe, vt exiſtens: ergo ea notitia erit intuitiua. Declaratur in hoc exemplo, quia ſiquis intuitiuè videat hoc album in lacte, & ſimiliter ſentiat intuitiuè hoc dulce in eodē lacte, intuitiuè iudicabit hoc dulce eſſe coniunctum cum hoc albo, formabitque iudicium intuitiuum in hunc modum, *hoc dulce eſt hoc album.*

4 Neque opus eſt, vt iudiciū formaliter attin-

Digitized by Google

attingat formalem connexionem prædicati cum ſubiecto; hæc enim cùm ſit formaliter quædã negatio, nõ poteſt intuitiuè cognoſci, nec mittere poteſt ſui ſpeciẽ, ſed ſufficit quòd attingat intellectus materialem cõnexionẽ, ideſt, ipſa extrema coniuncta.

5 Aduertendum tamen eſt neceſſariò attingendam eſſe hanc materialem cõnexionem intuitiuè: poſſum enim cognoſcere duo extrema intuitiuè, & tamen connexionem illorum inter ſe abſtractiuè tantùm attingã, quia poſſum cognoſcere hoc album, & hoc dulce intuitiuè, quin intuitiuè cognoſcam rationem affirmandi vnum de alio: quamuis fieri non poſsit, vt intuitiuè cognoſcam connexionem ipſam, quin etiam intuitiuè cognoſcam extrema, ſicut non poteſt cognoſci vnio ſine extremis vnitis.

6 Obijcis. Bene poteſt intuitiuè cognoſci viſio beata D. Petri, quin obiectum eius viſionis cognoſcatur intuitiuè: ergo bene poterit connexio prædicati cũ ſubiecto intuitiuè cognoſci, quin extrema intuitiuè cognoſcantur. Reſp. negando conſequentiam. Maior ratio eſt, quia viſio beata diſtinguitur realiter ab obiecto, nempe Deo; at verò connexio inter prædicatum, & ſubiectum non diſtinguitur realiter, immò nihil eſt aliud, quã ipſa extrema. Et ſimiliter bene poterit intuitiuè cognoſci, extra viſionem beatam, vnio hypoſthatica, quin Verbum intuitiuè cognoſcatur, quia vnio diſtinguitur realiter à Verbo: quamuis negandum non ſit cognoſci aliquo modo Verbum in hoc caſu, ne dicamus dari cognitionem vnionis ſine extremis vnitis, debet ergo cognoſci Verbum ſaltem, quà extremum eſt vnionis.

7 De cognitione abſtractiua in ſecunda operatione, nulla etiam poteſt eſſe dubitatio, vt patet, quando per actum iudicatiuum affirmo naturam cõmunem de inferioribus, & quando rem aliquam futuram, vel non præſentem per iudicium aliquod attingo, ſine proprijs ſpeciebus.

In diſcurſu non datur notitia intuitiua.
Soarius.

8 *Tertia concluſio.* In tertia operatione intellectus noſtri, hoc eſt in diſcurſu formali, ſola datur notitia abſtractiua. Ita Soar. de Angelis, lib. 2. cap. 13. num. 11. & alij communiter. Probatur, quia notitia intuitiua debet eſſe cognitio rei in ſe, & per proprias ſpecies, vel per aliquid ſupplens ſpecies: at verò notitia tertiæ operationis eſt in alio, & ex alio, cognoſcitur enim effectus, ſeu concluſio per cauſam, vel cauſa per effectum, ac proinde in alio: ergo &c.

9 Obijcis. Cognitio in alio poteſt eſſe intuitiua, nam Beati in Deo cognoſcunt intuitiuè creaturas aliquas exiſtentes: ergo etiam cognitio effectus per cauſam erit intuitiua. Reſpond. diſtinguendo antecedens: cognitio in alio poteſt eſſe intuitiua, ſi talis effectus non cognoſcatur ſolùm ex vi cauſæ, ſed etiam in ſe ipſo, concedo antecedens: ſi cognoſcatur ſolùm ex vi cauſæ, ſeu in cauſa, nego anteced. Vnde cùm Beati cognoſcant creaturas præſentes, vel etiam futuras non ſolum in Deo, ideſt, in Verbo, ſed etiam in ſe ipſis, ideò talis cognitio creaturarum dici poteſt intuitiua: nos tamen ſupponimus cõcluſionem alicuius diſcurſus ſolùm cognoſci in alio, ideſt, ex vi cauſæ, hoc eſt in præmiſsis, vel ex præmiſsis.

10 Dixi, *in diſcurſu formali*, quia exiſtimo poſſe dari vnum actum, qui ſit diſcurſus virtualis, cadens ſupra totam demonſtrationem, in quo actu ſimul dari poterit notitia intuitiua, & abſtractiua, prout cadit ſub præmiſsis, & ſub concluſione, iuxta ea, quæ dixi tract. 3. Logicæ in lib. Poſter. diſput. 18. ſec. 2.

De cognitione intuitiua, & abſtractiua ſenſuum.

Phantaſia hominis habet veram cognitionem.
Molina.
Fonſeca.
Patres Conimbr.
Salas.
D. Thom.
Caietan.
Marſil.
Cameraſ.
Ferrar.
Auerroes.

11 Q*varta concluſio.* Phantaſia humana cognoſcit intuitiuè, & abſtractiuè: ita ſupponunt Mol. 1. p. q. 1. art. 2. diſp. 4. §. *Notitia verò* Fonſ. 5. Met. cap. 28. q. 6. art. 2. § *Tertium genus*: Vbi admittit, phantaſiam poſſe componere, & diuidere, & cognoſcere res abſentes: eandem ſuppoſitionem admittunt Conimb. 2. de Anima, cap. 6. q. 3. art. 1. §. *Denique*, ad mediũ. Sal. tom. 1. in 1. 2. q. 2. art. vnic. 1. diſp. 4. ſec. 4. Eandem ſententiam tenẽtur ſequi, qui admittunt diſcurſum in phantaſia humana circa ſingularia quod tenet D. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. ad 5. Caiet. Marſil. Cameraſen. Ferrar. Auerr. quos citant, & ſequuntur Conimbric. de Anima, lib. 3. cap. 3. q. 1. art. 2. § *Secunda concluſio.*

12 Ratio concluſionis breuiter eſt, quia phantaſia humana poteſt componere, & fingere entia rationis impropria, quorum non habet proprias ſpecies, & quæ nõ cognoſcit ſub aliqua exiſtentia. Auctores citati, & ratio facta probat cognitionẽ abſtractiuam phantaſiæ, nam de intuitiua nemo dubitat.

Capreol.
Patres Conimbr.
Curſus in Thomiſt.

13 *Quinta concluſio.* Senſus externi, & cõmunis, ſi datur diſtinctus, ſolùm intuitiuè cognoſcunt; vnde nec diuinitus cognoſcere poſſunt abſtractiuè. Prima concluſionis pars traditur à Capreol. in 4. diſt. 10. quæſt. vl. & à Conimbricenſ. de Anima, lib. 2. cap. 6. q. 2. art. 1. eandem tenet Curſus Thomiſt.

in Logica, quæſt, 13, art. 2. § *Secunda concluſio*. Probatur, quia tales ſenſus ſolùm percipiunt obiectum per ſpeciem productam naturaliter ab ipſo obiecto, & dependentem ab eodem obiecto in fieri, & in conſeruari, vt patet experientiâ; nam remoto obiecto, cùm non dentur ſpecies, non datur viſio.

14 Secunda pars concluſionis traditur ab eiſdem auctoribus, & à Soar. de Sacram. tom. 3, in 3. p. diſp. 5. ſect. 4. §. *Supereſt probandũ*; & probatur breuiter, quia quemadmodùm obiectum intellectus eſt res præſẽs, vel abſens, vniuerſalis, vel ſingularis; & quemadmodùm obiectum phantaſiæ eſt res ſingularis præſens, vel abſens, ita etiam obiectum adæquatum ſenſuum internorum, vel communis, eſt res ſingularis præſens realiter, vel apparenter: ſed nulla potentia poteſt ferri extra ſuum obiectum adæquatum: ergo &c.

15 Obijcis. Oculus, ſaltem diuinitus, poteſt videre obiectum, quod neque exiſtat, neque ſit præſens: ergo cognoſcet abſtractiuè. Probatur antecedens. Quia Deus poteſt conſeruare ſpeciem in oculo, ſupplendo efficientiam obiecti: ergo &c, Reſpondetur ad antecedens, oculum in eo caſu videre obiectum, ſaltem intentionaliter, & apparẽter præſens: quamuis enim notitia ſenſuum externorum requirat naturaliter realem præſẽtiam obiecti, hæc tamen diuinitus poteſt suppleri: & videri poteſt de hac re Rub. de Anima, lib. 2. cap. 6. tract. de Obiectis, & Speciebus ſenſibilibus, q. 13. à num. 174. &. P. Cæſar Recupit. tom. 1. in 1. p. lib. 6. q. 10 n. 27.

Rubius. *Iulius Cæsar. Recup.*

16 Hinc eſt, quòd res ſingularis abſens, quæ non ſit præſens ſaltem apparenter, magis diſtet ab oculo in ratione obiecti, quàm Deus ab intellectu humano; & conſequenter dicendum eſt in ſentẽtia Soarij, bene poſſe lapidem eleuatum producere gratiam, non poſſe tamen oculum corporeũ elicere viſionem de obiecto abſente, quia potentia non poteſt vitaliter ferri extra ſuum obiectum.

17 Obijcis ſecundò. Quamuis ab oculo tollatur luminoſum adhuc per breue tempus eius ſpecies naturaliter conſeruatur in oculo: ſed tunc videt oculus obiectum abſens: ergo &c. Reſpondetur primò concedendo probabiliter maiorem cum D. Auguſtino, quem citant Conimbric. 2. de Anima, cap. 6. q. 2. art. 3. §. *ſecundò Albedo*; quam etiam tenet Vaſq. 1. p. diſp. 38. cap. 2. n. 9. & negando minorem, nam oculus in eo caſu, ſi datur, adhuc intuetur obiectum non realiter, ſed apparenter præſens.

Patres Conimbr. D. Aug. Vaſquez.

18 Reſpondetur ſecundò cum probabiliori ſententia, & veriori experimento, negando maiorem cum Conimbr. citatis, quia ſpecies ſenſuum externorum dependent naturaliter ab obiectis in fieri, & conſeruari; vnde nemo vnquàm expertus eſt, ſe videre obiectum luminoſum clauſis oculis, vel ablato obiecto, ſed errat intellectus iudicando adhuc perſeuerare viſionem in oculo, cui errori occaſionem tribuit phãtaſia, quæ adhuc perſeuerat in tali cognitione.

19 In quo differunt hæ ſpecies ab alijs qualitatibus, quæ habent naturam magis dependentem ab obiecto, vt patet in impulſu, qui, remota cauſa impellente, perſeuerat; impulſus enim eſt ad ferendum proiectũ ad locum diſtantem, vnde conueniens fuit, vt remota cauſa, perſeueraret; ſpecies autem ſenſuum externorum ſolùm ſunt ad videndum obiectum præſens, quarè nec diuinitus dari poterit in oculo ſpecies illi repræſentans obiectum abſtractiuè, quia cùm talis ſpecies ſit eſſentialiter ſignum, poſtulat eſſentialiter potentiam, cui repræſentet, ſed impoſsibilis eſt talis potentia viſiua: ergo, & ſpecies: quod non tollit quominùs ſupernaturaliter ſubiectari poſsit in oculo ſpecies aliqua phantaſiæ, vel intellectus, per quam tamen oculus nihil videat, iuxtà ſuprá dicta.

SECTIO III.

De obiectis naturalibus, quæ intuitiuè, & abſtractiuè cognoſcuntur.

1 Prima concluſio. Intellectus noſter non poteſt in hoc ſtatu corporeo naturaliter cognoſcere Angelum intuitiuè, quãuis poſsit habere proprios eius conceptus, per ſpecies alienas. Ita D. Th. 3. contra Gent. c. 45. & ibid. Ferrar. & 1. p. q. 88. art. 1. & ibid. Caiet. & Bañ. Scot. in 1. diſt. 3. q. 2. §. *Quintò dico*: Soar. de Anima, lib. 4. cap. 6. Hæc concluſio patebit ex infrà dicendis, & probatur breuiter, quia non habemus ſpecies proprias ſubſtantiarũ immaterialium, vnde Angelus ſe cognoſcit intuitiuè, nõ quidem per ſpeciem (quamuis hæc impoſsibilis non ſit) ſed per ſuammet eſſentiam intimè præſentem intellectui, vt docet Soar, de Angelis, lib. 2. cap. 4. a n. 7. & idem etiam dicendũ de Anima ſeparata, cum eodem Soar. de Anima, lib. 6. cap. 5. à n. 1. Cùm verò dicimus poſſe nos fingere proprios harũ rerũ cõceptus, intel-

Noſter intellectus in hac vita nõ poteſt cognoſcere res ſpirituales intuitiuè. *D. Thom. Ferrar. Caiet. Banhez. Scotus. Soarius.*

Digitized by Google

intelligendum eſt de conceptu proprio negatiuè ideſt, qui non conueniat alijs rebus: ita Soar. de Anima, lib. 4. cap. 4. n. 2. & videri poteſt Rub. de Anima, lib. 3. cap. 4. & 5. trac. de Intellectu poſsibili, q. 5. à n. 157. de quo etiam dixi in Met. trac. 1. diſp. 49. ſec. 2. n. 21. & 22.

Rubius.

2 *Secunda concluſio.* Anima rationalis non cognoſcitur ab intellectu intuitiuè in hac vita. Ita D. Tho. 1. p. q. 87. art. 1. & ibid. Caiet. & Banh. Soar. de Anima, lib. 4. cap. 3. à num. 2. & in Metaph. diſp. 35. ſec. 2. num. 7. Probatur breuiter, quia non dantur ſpecies propriæ alicuius ſubſtantiæ immaterialis, quibus vti poſsimus pro hoc ſtatu corporeo: nam modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi.

D. Thom. Caietan. Banh. Soarius.

3 Obijcis pro contraria ſententia, quam probabiliorē iudicat Valent. 1. p. diſp. 6. q. 7. punc. 2. §. *Sed videtur.* cum alijs. Anima eſt intimè præſens intellectui noſtro, ſicut eſſentia Angeli intellectui Angelico: ergo vterque intellectus cognoſcet ſuam eſſentiam intuitiuè. Reſpond. conſequentiam veram eſſe in ſtatu ſeparationis, non verò in ſtatu corporeo, quia prout ſic, habet modum intelligendi corporeum, neque ſe ipſam intelligere poteſt, niſi per alienas ſpecies emendicatas à rebus materialibus.

Valent.

4 *Tertia concluſio.* Subſtantia, etiam materialis cognoſcitur abſtractiuè in hac vita, naturali cognitione: ita Scot. in 1. diſt. 3. q. 1. & 3. Richar. Heruæ, Iand. Val. quos citat, & ſequitur Rub. de Anima, lib. 3. cap. 4. & 5. trac. de Intellectu poſsibili, q. 4. nu. 237. quatenus aſſerunt, nullam nos habere ſpeciem propriā ſubſtantiæ materialis, & videri poteſt Soar. de Anima, lib. 4. cap. 4. n. 1.

Subſtantia cognoſcitur abſtractiuè. Scotus. Richard. Herueus Iandun. Valent. Rubius. Soarius.

5 Probatur concluſio. Quia cognitio, quæ fit per alienas ſpecies, eſt abſtractiua: ſed intellectus noſter non habet propriam ſpeciem ſubſtantiæ: ergo &c. Probatur minor, quia intellectus noſter cognoſcit primò accidens coloratum, & lucidum, quod ſe offert ſenſui externo, & ex hac cognitione arguit latentem ſubſtantiam; cùm enim nulla ſubſtantia cognoſci poſsit à ſenſu externo, ſiquidem non eſt immediatè ſenſibilis, non poteſt ſenſus externus mittere propriam ſpeciem ſubſtantiæ in phantaſiam, vnde neque ipſa phantaſia poteſt mittere in intellectum ſpeciem propriam ſubſtantiæ.

6 Obijcis pro contraria ſententia, quam ſequuntur Soncin. 7. Metaph. q. 14. Fonſ. 2. Metaph. cap. 2. q. 2. ſec. 6. & lib. 5. cap. 28. q. 4. ſec. 4. Conimbr. de Anima, cap. 5. q. 5. ar. 9. §. *Secunda aſſertio*: quatenus admittunt ab intellectu agente produci proprias ſpecies ſubſtantiarum corporearum, vbi multos allegant. Obijcis, inquam, primò. Poſſumus formare proprium ſubſtantiæ conceptum: ergo ſignum eſt, poſſe nos habere propriam eius ſpeciem, ſiquidem conceptus fit mediante ſpecie. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: habemus proprium ſubſtantiæ cōceptū negatiuè, & conuertibiliter, cōcedo anteced. & hoc modo habemus in hac vita etiā proprium Dei conceptum, qui conceptus repræſentat nobis rationē quandam cum Deo cōuertibilem, & quæ alteri conuenire non poteſt (ſed hic conceptus datur per alienas ſpecies:) habemus cōceptum proprium, qui immediatè, & proximè repræſentet ſubſtantiā, nego antecedens, vt patet ex dictis.

Soncin. Fonſeca Conimbr.

7 Ex quibus etiam conſtat non dari in nobis ſpeciem propriam repræſentantem compoſitum ex ſubſtantia, & accidente, nam conceptus ſubſtantiæ formantur in nobis medijs accidentibus, quarè omnes ſubſtantiæ conceptus format intellectus per diſcurſum factum, vel à phantaſia, vel ab ipſo intellectu.

8 Obijcis ſecundò. Species rei vniuerſalis, quæ eſt abſtractiua, poteſt concurrere ad notitiam intuitiuam: ergo etiam ſpecies ſubſtantiæ, quamuis ſit abſtractiua, poterit concurrere ad notitiam intuitiuam ſubſtantiæ. Confirmatur, quia idolum proprium ſubſtantiæ, quod format phantaſia, in bona opinione, poteſt ex ſe immittere ſpeciem propriam ſubſtantiæ. Reſpondeo negando conſequentiam, maior ratio eſt? quia ſpecies abſtractiua rei vniuerſalis determinari poteſt ab intuitiuo phantaſmate, cum quo adæquatè concurrit ad cognitionem intuitiuam: at verò ſpecies abſtractiua ſubſtantiæ non habet aliam intuitiuam, neque phantaſma aliquod intuitiuum, à quo determinetur, quia phantaſia ad ſummum cognoſcit ſubſtantiam materialem arguitiuè.

9 Ad confirmationem reſpondendum eſt, idolum ſubſtantiæ, quod format phantaſia, ſolùm eſſe proprium negatiuè; vnde ſpecies, quæ producitur ex hoc phantaſmate, eſt ſpecies propria huius phantaſmatis: at verò ſubſtantiæ ſolùm eſt propria negatiuè, & abſtractiuè.

Proponuntur aliæ concluſiones.

10 QVarta concluſio. Intellectus non cognoſcit ſe ipſum, ſuos habitus, & ſpecies, neque etiam voluntatem, & eius habitus intuitiuè. Ita D. Thom. 1. p. q. 87. art. 3. in corpore,

Intellect. non cognoſcit intuitiuè. D. Thom

Caiet. Toletus. Patres Conimbr. Suarius. Valent.

Caiet. ibidem. Tol. 3. de Anima, q. 11. Conimbr. 3. de Anima, cap. 8. q. 7. art. 2. §. *Quod autem*. Soar. de Anima, lib. 4. cap. 5. Quidquid oppoſitum ſentiat Val. 1. p. diſp. 6. q. 7. punc. 2. §. *ſed videtur*

11 Probatur hæc concluſio: quia hæc omnia attingit intellectus per alienas ſpecies, & arguitiuè ex operationibus, propter impedimentum corporis, & dependẽtiam, quam pro hoc ſtatu habent vires animæ à corpore. Confirmatur, quia multi dubitant, vtrùm dentur tales habitus, tales ſpecies, &c.

12 Maior dubitatio eſt circa actus intellectus, & voluntatis, vtrùm ſcilicet intuitiuè cognoſcantur ab eodem intellectu? circa actus voluntatis affirmant Conimbricenſes citati, de vtriſque tamen negat abſolutè Soar. cit. n. 5. Dicendum tamen exiſtimo, poſſe intellectum cognoſcere aliquos ex ſuis actibus, *quòad an ſint* intuitiuè; & deinde dico confusè, & abſtractiuè cognoſcere entitatẽ talium actuum.

13 Probatur prima pars, quia intellectus habet immediatam, & experimentalem notitiam talium actuum: experimur enim, nos intelligere, amare, &c. ſed notitia experimẽtalis immediata, eſt intuitiua: ergo &c. Neque obeſt, quòd actus voluntatis non ſint immediatè in intellectu, ſufficit enim, quòd ſint radicati in eâdem anima. Probatur ſecunda pars, cognoſci videlicet tales actus abſtractiuè ſecundum ſuam ſubſtantiam, quia experimur nunquam cognoſcere intuitiuè entitatem talium actuum, alioqui cognoſceret homo, quando habet actum ſupernaturalem contritionis, vel amoris Dei.

14 Obijcis primò, Anima eſt in eodem ſuppoſito, & in eodem etiam ſunt potentiæ, habitus, & ſpecies: ſed intellectus ſolùm abſtractiuè cognoſcit hæc omnia: ergo etiam abſtractiuè cognoſcet ſuos actus: vel ſaltem abſtractiuè cognoſcet actus voluntatis, quãuis ſint radicati in eâdem animâ. Reſpond. negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia tam anima, quàm potentiæ, quàm etiam habitus, & ſpecies cognoſcuntur arguitiuè ex actibus: at verò operationes voluntatis, licèt non ſint immediatè in intellectu, immediatè tamen, & experimentaliter illas attingit intellectus.

15 Inſtas. Etiam intellectus experimentaliter cognoſcit animam, potentias, & ſpecies, immò experitur habere habitus, quia ſentit aliquando maiorem facilitatem circa operationes aliquas. Reſpond. intellectum cognoſcere hæc omnia experimentaliter mediatè, id eſt mediantibus actibus in ratione obiecti, non cognoſcere tamen hæc omnia experimentaliter immediatè, vt ex dictis patet; quæ ſola cognitio immediatè experimentalis dici poteſt intuitiua, ſaltem, *quòad an ſint*.

16 Obijcis ſecundò. Si intellectus cognoſceret ſuos actus intuitiuè, deberet hoc facere per alium actum, & ſic daretur proceſſus in infinitum. Reſpond. negando ſequelam, quia intellectus imprimis habet limitatam virtutem. Deinde nec ſemper producet omnes actus, quos poteſt, quia applicari poterit á voluntate indirectè ad alia obiecta: neceſſarium enim non eſt, vt intellectus efficiat quantùm poteſt.

17 Obijcis tertiò, Intellectus, dum anima eſt vnita corpori, operatur dependenter à phantaſia; ſed phantaſia nullo modo attingit actus intellectus: ergo neque ipſe intellectus. Reſpondeo negando conſequentiã, quia dependentia intellectus à phantaſia nõ ſemper in eo eſt, quòd intellectus ad omnẽ ſui cognitionem requirat ſpeciem miſſam à phantaſia (vt patet in cognitione diſcurſiua, quæ non pendet immediatè ab ſpeciebus) ſed in eo ſita eſt hæc dependentia, vt quidquid intellectus cognoſcit, cognoſcat etiam phantaſia ſuo modo, quod dicitur *ſpeculari phantaſmata*: vnde etiam quando intellectus cognoſcit Angelum, phantaſia format ſuum idolum corporeum iuuenis alati. Cùm igitur tales actus ſufficienter ſint præſentes intellectui, eos cognoſcet intellectus, ſine alia ſpecie impreſſa ſuperaddita, ita tamen vt intellectus reflexè per alium actum cadat ſuper hos actus, vt in obiectum, *quod*: ideò verò oculus non cognoſcit intuitiuè ſuam viſionem, quia non eſt potentia reflexiua, ſicut intellectus. Dixi in concluſione, poſſe intellectum cognoſcere aliquos ſuos actus intuitiuè, & non omnes, quia dari poteſt actus adeò remiſſus, vt non certificetur intellectus de eo.

SECTIO IIII.

De Obiectis ſupernaturalibus, quæ intuitiuè, vel abſtractiuè cognoſci poſſunt.

1 PRima concluſio. Deus à nullo intellectu creato, vel creabili poteſt naturaliter intuitiuè cognoſci: ita cõmuniter Theologi, & videri poteſt Val. Deus non poteſt naturaliter intuitiuè cognoſci.

Digitized by Google

Valent. Val. 1. p. diſp. 1. q. 12. punc. 3. vbi docet hãc concluſionem eſſe de fide, iuxta illud Ioan. cap. 1. *Deum nemo vidit vnquam*: eandem veritatem nuper eruditè tractauit P. Iul. Cæl. *Recup.* Recupit. tom. 1. in 1. p. lib. 6. q. 3. Probatur facilè, quia intellectus creatus nequit naturaliter aſſequi viſionem Beatam, vt experimur; deinde non eſt creabilis intellectus, qui naturaliter poſſit habere talem viſionem, quia eſſet ſupernaturalis, proindeque emanaret à ſubſtantia ſupernaturali, quæ impoſsibilis eſt, vt patet ex Metaph. diſp. 54. de Subſtantia: ergo &c.

2 Obijcis pro contraria ſententia (cui fauere videtur Molin. 1. p. q. 12. art. 5. diſp. 2. (quatenus non tam facilè negat de poſsibili dari poſſe aliquem intellectum, qui Deum naturaliter videre poſſit) Obijcis, inquam, compoſitum ex intellectu, & lumine gloriæ eſt finitum: ergo poterit Deus creare intellectum, qui adæquet tale coniunctum; atqui hic intellectus naturaliter Deum videret: ergo &c. Reſpondetur negando conſequentiam, quia talis intellectus ſemper foret naturalis, ac proinde non poſſet adæquare tale coniunctum ex intellectu, & lumine gloriæ, quod ſupernaturale eſt.

3 Inſtas. Maiorem proportionem habet intellectus cum viſione Dei, quia vitalis eſt, ſicut viſio beata; quàm lapis v. g. ergo ſignum eſt, quòd intellectus noſter poſſit aliquo modo Deum videre. Reſpond. negando antecedens: nam intellectus noſter ad videndum naturaliter Deum clarè, tam improportionatus eſt, quàm lapis: ſolùm igitur habet intellectus noſter proportionem, vt poſſit eleuari ad videndum Deum, quam tamen proportionem non habet lapis; at verò proportio, ſeu aptitudo, vt eleuetur, non eſt proportio, neque aptitudo ad videndum Deum; & declaratur exemplo, ſi enim Deus velit producere gratiam mediante aqua, neceſſariò aſſumet aquam exiſtentem, & non aquam futuram, aut præteritam, & tamen nõ ideò aqua exiſtẽs habet proportionem cum gratia.

4 *Secunda concluſio.* Deus poteſt abſtractiuè cognoſci ab intellectu creato naturaliter intellectione euidenti, *quòad an ſit*? quidditatiua, imperfecta, & confuſa: ita latè probat Soar. in Met. diſp. 30. ſec. 11. & 12. & lib. 4. de Anima, cap. 6. n. 3. & lib. 2. de Attrib. cap. 2. Probatur breuiter, quia Deus demonſtratur à Philoſopho naturali per effectus, *quoad an eſt*: cùm verò nullus effectus creatus ita Deo adæquetur, vt totam Dei quidditatem, & eſſentiam demonſtret, inde eſt, quòd non poſſit Deus ab intellectu creato cognoſci perfectè, quidditatiuè.

Vtrùm Deus cognoſci poſſit quidditatiuè, quin cognoſcatur intuitiuè.

5 **T**Ertia concluſio. Deus poteſt quidditatiuè cognoſci ab intellectu creato, quin cognoſcatur intuitiuè. Ita Scotus in 4 diſt. 49. q. 11. *Scotus.* & in 2. diſt. 3. q. 9. & Nominales cum alijs, quos citat Vaſq. infrà citandus: fauet etiam *Molina.* huic ſententiæ Mol. 1. p. q. 1. ar. 2. §. *His præmiſsis*, (vbi admittit dari poſſe euidentẽ cognitionem abſtractiuam Sanctiſsimæ Trinitatis) Sal. tom. 1. in 1. 2. q. 3. trac. 2. diſp. 1. ſec. *Salas.* 7. n. 32. (quamuis rem probet ex alio fundamento) idem tenent Granad. tom. 1. in 1. p. *Granad.* trac. 7. diſp. 3. n. 3. Palat. in 1. diſt. 1. q. 4. Ga- *Palat.* briel in 2. diſt. 3. q. 2. ar. 1. & alij ſequentes *Gabriel.* Scot. Probatur igitur concluſio, quia cognitio quidditatiua eſt illa, quæ omnis rei quidditas, ſeu eſſẽtia attingitur: ſed hæc poteſt cognoſci in Deo abſtractiuè: ergo dari poteſt cognitio quidditatiua Dei, quin ſit intuitiua. Probatur minor, quia ſi Deus communicet intellectui alicuius viatoris cognitionẽ viſionis beatæ D. Petri, cùm illa viſio ſit naturalis imago Dei, clarè, & euidenter intuebitur viator in ea imagine omnia Dei attributa, vt patet; & tamen hæc cognitio non erit intuitiua, quia eſt in alio, tanquàm in medio cognito; ergo poterit dari cognitio Dei quidditatiua, quin ſit intuitiua.

6 Obijcis primò pro contraria ſententia, quam defendunt D. Thom. & Durand. quos citat, & ſequitur Vaſq. 1. p. diſp. 154. cap. 3. nu. *D. Thom.* 6. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 18. num. 4. & alij *Durand.* communiter, quos nuper ſequutus eſt P. Cæ- *Vaſquez.* ſar Recupit. tom. de Deo, lib. 2. q. 5. cap. 2. & *Soarius.* 3. Obijcis, inquam. Notitia quidditatiua Dei *Recupit.* debet attingere exiſtentiam ipſius Dei, nam exiſtentia eſt de quidditate Dei; ſed notitia quæ attingit exiſtentiam, eſt intuitiua; ergo &c. Reſpond. diſtinguendo minorem, notitia, quæ attingit exiſtentiam in ſe ipſa, eſt intuitiua, concedo minorem; quæ attingit exiſtentiam in alio, tanquàm in medio cognito, eſt intuitiua, nego minorem, vt patet ex dictis; cùm igitur in eo caſu diuina exiſtentia, non immediatè, ſed in viſione alterius cognoſcatur, non terminabit notitiam intuitiuam; niſi quis conſtanter aſſerat, non eſſe notitiam quidditatiuam, niſi eam cognitionem, quæ habetur de obiecto immediatè, & per propriam ſpeciem, & hoc poſito

Digitized by Google

hæc ſententia valdè probabilis eſt.

7 Obijcis ſecundò. Cognitio, quam de me habeo in ſpeculo, eſt intuitiua, & tamen eſt in alio nempe in imagine, quæ me repræſentat in ſpeculo: ergo ſimiliter cognitio viſionis beatæ erit intuitiua Dei, licèt ſit in alio, nempe in viſione alterius, quæ viſio eſt quædam imago Dei. Reſpondeo negando minorem, neque enim video imaginem meã in ſpeculo, ſed me ipſum, ſpecies enim, mediante ſpeculo per reflectionem, ita ad oculum perueniunt, vt me mihi repræſentent, vel illo teſte, qui canebat,

Virg. Eclog. 2 ——— *Nuper me in littore vidi*
Dum placidum ventis ſtaret mare. —

Teſtes tamen hac de re habemus firmiores,
Scotus. nempe Soar. in Sum. lib. 2. de Attrib. cap. 25.
Vaſquez. n. 44. ad medium, Vaſq. 1. p. diſp. 30. cap. 4. n.
Hurtad. 26. Hurt. de Anima, diſp. 10. ſec. 2. § 8. vbi refutat Molin. oppoſitum exiſtimantem: cùm igitùr in noſtro caſu immediatè videatur viſio Dei, & Deus mediatè, talis cognitio erit intuitiua viſionis, & abſtractiua Dei; Viſio verò, quæ fit in ſpeculo, intuitiua eſt tam ſpeculi, quàm etiam obiecti, quia vtrumque cernitur immediatè.

8 Inſtas: Cognitio, quam habeo de D. Petro ex eius imagine, quæ eſt in templo, nõ eſt quidditatiua: ergo neque cognitio, quam habeo de Deo in eius imagine, nempe viſione beata. Reſpondeo negando conſequentiam; maior ratio eſt, quia imago illa depicta, eſt valde imperfecta, comparatione viſionis Dei, quæ eſt imago perfectiſsima, & repræſentatiua omnium diuinarum perfectionum.

9 Obijcis tertiò. Creaturæ exiſtentes cognoſcuntur à Beatis intuitiué; & tamen cognoſcuntur in alio, nempe in Verbo: ergo licet Deus cognoſcatur in alio, nempe in viſione Beati, cùm tamen cognoſcatur eius exiſtentia, talis cognitio erit intuitiua. Reſpondeo negando conſequentiam; maior ratio eſt, quia licèt creaturæ cognoſcantur à Beatis in Verbo, etiam videntur eædem creaturæ formaliter, & immediatè in ſe ipſis, vt colligo ex Soar. de Attrib. lib. 2. cap. 25 n. 7. & cap. 27. à nu. 10. & 11. Vnde bene poteſt ea cognitio reſpectu creaturarum eſſe intuitiua; ſicut idem Deus ita cognoſcit creaturas in ſua Omnipotentia, vt etiam eas cognoſcat intuitiué in ſe ipſis. Quare conſequenter dicendum eſt, ſi aliquis Beatus videat Deum in viſione alterius Beati, ſimpliciter dicendum eſſe, videre Deum intuitiuè, quia ſimul illum videt in ſe immediatè, quamuis aliunde videat Deũ in viſione alterius Beati, hoc eſt in conceptu, quẽ Beatus format de Deo,

Vtrum diuina eſſentia videri poſsit intuitiuè, quin perſonæ intuitiuè videantur?

10 QVarta concluſio. Non poteſt diuina eſſentia cognoſci intuitiuè, quin etiam Perſonæ diuinæ intuitiuè cognoſcantur. Sed antequàm probetur concluſio, ſciendum eſt de Fide conſtare per viſionem beatam videri de facto diuinam eſſentiam, & tres diuinas perſonas, quia cognitio quidditatiua, & intuitiua Dei debet attingere obiectum in ſe, ſecundùm omnes perfectiones, quas habet à parte rei abſolutas, & relatiuas, ſed diuina eſſentia exiſtit à parte rei terminata tribus diuinis Perſonis; ergo, qui quidditatiué, & intuitiuè cognoſcit Deum, cognoſcit etiam tres diuinas Perſonas; vt probat Soar. in Sum. trac. 1. lib. 2. de Attribut. cap. 23. Herice 1. p. trac. 4. diſp. 50. cap. 2. num. 19. & patet ex Ioann. 1. cap. 3. *Quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* *Reſolutio eſt negatiua.* *Recupit.* *Ioan Epi. 1. cap 3.*

11 Quæ doctrina certiſsima eſt ſiue diuinæ Perſonæ pertineant ad obiectum primarium viſionis beatæ (vt ſentiunt Mol. 1 p. q. 12. art. 8. diſp. 4. §. *Secunda concluſio*, Ægydius Luſit. lib. 5. de Beat. q. 14. art. 3. §. 9. Herice 1. p. tract. 4. diſp. 50. cap. 2. n. 31.) Siue Perſonæ diuinæ pertineant ad obiectum ſecundarium (vt admittunt Soar. de Attrib. lib. 2. cap. 11. n. 24. ad finem, & cap. 25. num. 2. Salas tom. 1. in 1. 2. trac. 2. quæſt. 3. diſp. 4. ſect. 3. n. 32.) *Molina.* *Ægyd. Luſitan.* *Herice.* *Soarius.* *Salas.*

12 Suppoſitâ hac doctrinâ, quæſtio modò eſt, vtrùm ſaltem de poſsibili videri poſsit intuitiuè diuina eſſentia ſine Perſonis? Concluſio ſit negatiua cum Soar. in Sum. tract. 1. *Soarius.*
lib. 2. cap. 28. n. 8. Valent. 1. p. q. 12. punc. 6. *Valent.*
Ad primum argumentum ſecundæ quæſtionis. Vaſq. 1 p. diſp. 48. cap. 2. Mol. 1. p. q. 12. *Vaſquez.* *Molina.*
art. 8. diſp. 4. Herice 1. p. tract. 4. diſp. 50. *Herice.*
cap. 2. n. 21. Idem tenet noſter Ioannes Præpoſitus 1. p. ad q. 12. art. 8. dubio 5. à nu. 65. *Præpoſit.*
& Arrubal ibidem, diſp. 24. cap. 4. vbi alios *Arrubal.*
citat. Item Recupit. tom. 1. in 1 p. lib. 6. q. 3. *Recup.*
à n. 2. vbi citat Tol. Probatur, quia diuinæ *Toletus.*
perſonæ ſunt formaliter in Deo; ergo qui Deum videt intuitiué, neceſſariò videtur etiam quidquid in Deo formaliter eſt, quia illa viſio, licèt non ſit comprehenſiua, eſt tamen quidditatiua, & intuitiua perfectiſsimè: ergo implicat non attingi per eam omnia, quæ ſunt formaliter in Deo; neque etiam ſufficit ad Viſionem quidditatiuam, & intuitiuam,

Digitized by Google

tiuam, videre ſolùm, quæ pertinent ad eſſentiam Dei, non enim diceretur Petrus cognoſci perfectè intuitiuè a Platone, niſi Plato etiam cognoſceret differentiam indiuiduantem Petri, quæ non pertinet ad eſſentiam Petri: vnde quamuis Perſonæ non pertineāt ad eſſentiam Dei, non poterit tamen Deus cognoſci perfectè quidditatiuè, & intuitiuè, quin Perſonæ eodem modo cognoſcantur.

13 Obijcis primò pro contraria ſententia, quam ſequuntur Scot. in 1. diſt. 1, q. 2. Salm. tom. 1. in 1. 2. trac. 2. q. 3. diſp. 4. ſec. 3. num. 1. Ægyd. de Beat. lib. 5. q. 14. art 3. à §. 2. vbi numero. 1. citat Scotiſtas: idem vt valde probabile ſequitur Granad. 1. p. tom. 1. controu. 1 tract. 5. d. 7. vbi n. 2. citat Palud, Ouand, & alios: idem in tract. de Deo manuſcripto docet Lugo diſp. 3. ſec. 2. & alij. Diuina eſſentia ſine relationibus eſt principale obiectū Beatorum: ſed obiectum primarium, & principale videri poteſt ſine ſecundario; ergo &c. Reſpond. diuinam eſſentiam ſimul cum relationibus diuinis conſtituere primarium obiectū viſionis beatæ, quia ea pertinent ad tale obiectum, quæ ſunt formaliter in Deo: vnde creaturæ, quæ non ſunt formaliter in Deo, ſed eminenter, pertinent ad obiectum ſecundarium. Et dato quòd Perſonæ diuinæ pertineant ad obiectum ſecundarium, cùm tamen ſint formaliter in Deo, vt omnes concedunt, adhuc viſo Deo intuitiuè, & quidditatiuè, neceſſariò videbuntur Perſonæ, vt patet ex dictis.

Scotus. Salm. Ægyd. Granad. Paludan. Ouand. P. Lugo.

14 Obijcis ſecundò, Non repugnat ex ſumma identitate Patris cum diuina eſſentia, vt communicari poſſit eſſentia diuina Filio, quin communicetur Paternitas: ergo ſumma identitas inter Deum, & diuinas relationes non tollit quominùs videri poſſit Deus ſine Perſonis. Reſpondeo negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia eſſentia diuina tota communicatur, quantùm eſt communicabilis, id eſt, ſecundùm ſua prædicata abſoluta, (relatiua enim communicabilia non ſunt) at verò per viſionem beatā videtur Deus, quātùm in ſe formaliter viſibilis eſt, non ſolùm autem abſoluta, ſed etiam relatiua in Deo ſunt viſibilia.

15 Obijcis tertiò. Oculus poteſt videre intuitiuè colorem, quin videat etiam eius differentiam indiuiduantem, quæ virtualiter tantùm diſtinguitur: ergo bene poterit videri diuina eſſentia, ſine relationibus vel vnū attributum ſine alio, ſiquidem attributa inter ſe, & diuinæ Perſonæ diſtinguuntur virtualiter ab eſſentia. Reſpondeo negando cōſequentiam: maior ratio eſt, quia oculus videt colorem intuitiuè tantùm, & imperfectè: at verò viſio beata non eſt ſolùm intuitiua, ſed etiam quidditatiua, & perfecta.

16 Obijcis quartò. Actus liberi Dei ſunt formaliter in Deo: & tamen non videntur neceſſariò à Beatis: ergo licèt relationes ſint formaliter in Deo, ſaltem de potentia abſoluta poterant non videri. Reſpondeo diſtinguendo minorem, actus liberi Dei non vidētur ſecundùm entitatem intrinſecam, quam includunt formaliter, nego minorem: ſecundùm extenſionem ad obiectum, concedo minorem; cùm enim obiecta, ſeu creaturæ ad quas actus liberi dicunt ordinem, non ſint formaliter in Deo, neque proptereà videantur à Beatis creaturæ omnes in Deo, mirùm non eſt, ſi decreta libera, quæ ſunt in Deo, quā libera ſunt, non videantur intuitiuè, ſecundùm illam terminationem extrinſecam ad obiectum, vt enim inquit D. Paul. ad Romanos. 11. *Quis cognouit ſenſum Domini &c.* & de hoc modo inexplicabili cognoſcēdi actus Dei, quin cognoſcantur, quā liberi, videri poteſt Soar. in Sum. tract. 1. lib. 2. cap. 24. per totum, de quo etiam dixi in Metaph. lib. 9. trac. 2. diſp. 69. ſec. 1. à n. 8.

Vtrum vna Diuina Perſona poſſit intuitiuè videri ſine alia?

17 Quinta concluſio. Non poteſt vna diuina Perſona intuitiuè videri, etiam de potētia abſoluta, quin etiam aliæ perſonæ videantur intuitiuè. Ita Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 25. n. 25. Val. 1 p. q. 12 pun. 6. Vaſq. 1. p. diſp. 48 ca. 3. n. 1. Caiet. Zum. Bāh. & alij, quos citat, quamuis non ſequatur Ægyd. tom. 1. de Beatit. lib. 5. c. 14. art. 4. §. 1. n. 2. Probatur concluſio: quia licèt ex eo, quòd perſonæ ſint realiter diſtinctæ, bene poſſit videri vna ſine alia; quia tamen ſunt idem realiter cum eſſentia, & in ea ſunt formaliter, non poterit eſſentia videri perfectè, & intuitiuè, quin tres diuinæ Perſonæ videantur intuitiuè.

Reſolutio eſt negatiua. Soar. Valent. Vaſq. Caiet. Zum. Bañes. Ægyd.

18 Obijcis primò, pro contraria ſententia, quam ſequitur Scot. in 1. diſt. 1. q. 2. art. 2. §. *Quartum*, & reliqui Scotiſtæ Lichet, Ouand. Landulf. Velloſillus, quos citat Ægyptanent. ſuprà cit. n. 3. & n. 5. & magis inclinat in hanc ſententiam, quam etiam ſequitur Sal. tom. 1. in 1. 2. tract. 2. q. 3. diſp. 4. ſect. 3. concl. 2. n. 26. pag. 252. & Lugo in tract. manuſcripto de Deo, diſp. 3. ſect. 2. Obijcis, inquam, primò, Bene poteſt vna Perſona diuina

Scotus. Lichet. Ouand. Landulf. Velloſillus. Ægyptan. Salm. Lugo.

Digitized by Google

na terminare naturam humanam, quin alia terminet, vt patet in myſterio incarnationis: ergo bene poterit videri vna, ſine alia. Reſpond. negando conſequentiam: maior ratio eſt, quia vnio, cùm ſit ad terminum immediatè, & termini realiter inter ſe diſtinguantur, bene poterit vnio fieri ad vnum terminum, & non ad alium: at verò viſio intuitiua perfecta tendit ex natura ſua ad omnia illa, quæ formaliter ſunt in obiecto, ſiue realiter, ſiue virtualiter tantùm diſtinguantur, alioquin iam non eſſet viſio intuitiua perfecta.

19 Inſtas. Perſona diuina virtualiter tantùm diſtinguitur ab eſſentia, & tamen Perſona poteſt immediatè terminare humanitatē, quin eſſentia diuina terminet immediatè: ergo licèt diuinæ Perſonæ virtualiter tantùm diſtinguantur ab eſſentia, cùm tamen inter ſe realiter diſtinguantur, bene poterit videri vna ſine alia. Reſpondetur, negando conſequentiam: maior ratio eſt, quia vnio eſt ad ſubſiſtentiam, non verò ad naturam (nam ſubſiſtentiæ munus eſt terminare immediatè, licèt identicè etiam natura ipſa terminet) at verò viſio poteſt immediatè tendere tam ad eſſentiam, quám ad relationes diuinas, quia omnia hæc ſunt immediatè viſibilia, quarè ſi vtrumque poteſt videri, neceſſariò videtur vtrumque, per notitiam perfectiſſimam, qualis eſt notitia intuitiua Beatorum.

20 Atque hinc eſt, quòd eſſentia diuina, quá talis, vniatur de facto intellectui Beatorum in ratione ſpeciei (ſupplendo videlicet ſpeciem impreſſam) non verò relationes diuinæ, quá tales, quia relationes, quà tales, nō poſſunt eſſe principia effectiua viſionis, poſſunt tamen eſſe obiecta viſibilia, vt patet ex dictis.

21 Obijcis ſecundò, Pater in priori origine, quà præcedit Perſonas procedentes, videt ſe ſine alijs perſonis: ergo ita videri poteſt. Reſpondetur, nunquàm propriè dici poſſe Patrem videre ſe in aliquo priori ſine Filio, quia prioritas originis, ſolùm eſt prioritas ſigni à quo, non veró ſigni in quo. Vide Mol. 1. p. q. 12. art. 8. diſp. 4. §. Ad *primam probationem*.

Vtrùm corpus definitiuè exiſtens videri poſſit intuitiuè?

Reſolutio eſt negatiua. Suarius. 23 SExta concluſio. Corpus definitiuè exiſtens in loco, non poteſt etiam diuinitus videri oculo corporeo. Ita Soar. de Sacram. diſp. 53 ſect. 4. vbi allegat Palud. Capr. Deza, & alios. Probatur, quia oculus nec diuinitus poteſt ferri extra ſuum obiectum: ſed ſi videret corpus definitiuè poſitum in loco, ferretur extra ſuū obiectum: ergo &c. Probatur minor, quia illud corpus vel videretur cum ſua præſentia, vel ſine illa: non poteſt videri ſine illa, ne dicamus oculum cognoſcere poſſe abſtractiuè, non poteſt etiam videri tale corpus cū illa præſentia; quod ſic probo: Illa præſentia, ſeu illud vbi non eſt viſibile corporeum; ergo non poteſt videri ab oculo corporeo; probatur antecedens, & explicatur, quia tribus modis poteſt aliquid eſſe viſibile, ſeu obiectum viſus. Primò, vt eſt ſenſibile propriū, v. g. lux, & color, ſed Vbi illud non eſt viſibile hoc modo, quia non eſt lucidum, nec coloratum. Secundo modo dicitur aliquid viſibile per accidens, quo pacto videtur ſubſtantia, in quantùm oculus videt aliqua accidentia, quæ inhærent ſubſtantiæ, ſed hoc pacto videri non poteſt illud Vbi, quia non eſt ſubiectum lucis, aut coloris. Tertio modo dicitur viſibile quodlibet ſenſibilè commune, qualia ſunt quies, & motus; ſed neque etiam hoc modo viſibile eſt illud Vbi, quia ſenſibilia communia, vt videantur, requirunt extenſionem quantitatis affectæ accidentibus viſibilibus; quamuis ergo illud Vbi in re ſit materiale, eſt tamen quòad modum ſpiritualē, & omnino extra obiectum ſenſus; ſicut obiectum materiale commune, eſt extra obiectum ſenſus, quamuis in re ſit materiale.

Paludan. Capreol. Deza.

23 Obijcis pro contraria ſententia, quæ probabilis eſt quam ſequuntur D. Thom. in 4. diſt. 10. q. 1. art. 4. (vbi ait oculum clarificatum poſſe diuinitus videre Chriſtum Dominum in Euchariſtia) Vaſq. tom. 3 in 3. p. diſp. 191. cap. 2. n. 10. Alenſ. 4. p. q. 40. memb. 3. art. 8. §. 2. vbi piè aſſerit conceſſum fuiſſe Virgini Beatiſſimæ videre oculo corporeo Chriſtum Dominum in Euchariſtia. Marſil. in 4. q. 7. art. 1. ad quartum, vbi cenſet oculū Chriſti Domini videre ſuum corpus in Euchariſtia, & ita hanc partem defendunt Thomiſtæ recentiores.

Contraria ſentētia eſt probabilis D. Thom. Vaſquez. Alenſ. Marſil.

24 Obijcis, inquam, primò. Quantitas, & color corporis Chriſti Domini ſunt entia materialia; & tamen poſſunt diuinitus effici illo modo ſpirituali; ergo licét oculus ſit corporeus, poterit informari ſpecie, quæ repræſentet corpus definitiuè poſitum in loco. Reſpond. negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia entia materialia non poſtulant eſſentialiter actualem extenſionem in loco, ac proinde poſſunt diuinitus eſſe in puncto, vel habere illum modū indiuiſibilē: at verò

ue verò oculus, cùm ſit potentia, quæ eſſentialiter fertur in obiectum, non poteſt nec diuinitus ferri extra illud: ſed ſi cognoſceret tale Vbi definitiuum, ferretur extra ſuum obiectum adæquatum, quod debet eſſe ſenſibile: ergo &c.

25 Ex quibus ſequitur, non poſſe Deum imprimere in oculo ſpeciem repræſentantem tale corpus: quia ſuppoſito quòd ſit impoſſibilis oculus, qui poſſit videre tale corpus, etiam impoſſibilis eſt talis ſpecies, cùm dicat eſſentialem ordinem ad potentiam: vnde ſimiliter non poterit Deus imprimere in oculo ſpeciem repræſentantem modum, quo accidentia ſacræ Euchariſtiæ ſunt extra ſubiectum, quod certius eſt, quàm ſit hæc concluſio.

26 Obijcis ſecundò. Oculus definitiuè poſitus in loco poteſt videre corpus in loco extenſum: ergo oculus naturaliter extenſus poterit videre corpus nõ extenſum. Reſpõd. negando antecedẽs: quia illa ſpecies procedens a corpore extenſo eſt diuiſibilis, non in repræſentando, ſed in eſſendo, ac proinde nõ poteſt concurrere cum oculo poſito indiuiſibiliter in loco. Ex quibus colligo, neque ipſum oculum in loco poſitum definitiuè, poſſe videre corpus definitiuè etiam poſitũ, quia licèt in modo eſſendi foret proportionatus oculus cum tali obiecto, nihilominùs non poſſet obiectum ipſum ex ſe mittere ſpeciem ſenſibilem, quam poſtulat oculus, cùm ſit ſenſibilis, & corporeus. Vnde neque Chriſtus Dominus prout eſt in Euchariſtia ſe ipſum, vel alia obiecta intuetur, quòd nullum eſt inconueniens, cùm aliunde idem oculus prout eſt in cælo ſe, & omnia intueatur.

27 Obijcis tertiò. Phantaſia humana poteſt cognoſcere corpus Chriſti Domini in Euchariſtia; & tamen eſt potentia corporea: ergo & oculus, &c. Reſpondetur diſtinguẽdo maiorem: poteſt illud cognoſcere abſtractiuè, & præſcindendo à præſentia ſacramẽtali (quo pacto Dæmones in vita mortali cognoſcebant humanitatem Chriſti Domini, quin cognoſcerent eius ſubſiſtentiam) concedo maiorem; poteſt illud cognoſcere ſimul cum præſentia definitiua, nego maiorem, & de hoc erat quæſtio.

28 Ex quibus omnibus patet, non omnem notitiam intuitiuam eſſe quidditatiuã, quia viſio huius albi eſt intuitiua, & poteſt non eſſe quidditatiua, ſi videlicet non cognoſcam eius eſſentiam. Conſtat prætereà, non omnem notitiam quidditatiuam eſſe intuitiuam: certum prætereà eſt, notitiam abſtractiuam ſemper ſupponere aliquam imperfectionem, vel ex parte potentiæ, vt nobis contingit, vel ex parte obiecti, vt contingit in Deo, reſpectu poſſibilium, quæ abſtractiuè cognoſcit. Ac tandem conſtat, nos in his notitijs nimiùm fuiſſe extenſos, quarè hæc ſint ſatis, iam enim in his Theologicis quæſtionibus,

Maiores pennas nido extendiſſe videmur. *Horat. Ep. 20. lib. 1.*

DISPVTATIO LXXXV.

De ſecunda, & tertia intellectus noſtri operatione.

ACCEDIMVS iam ad ſecundam, & tertiam intellectus noſtri operationem, vbi de Iudicio, ac de Diſcurſu nobis diſputandum eſt: & occaſione tertiæ operationis, quæ eſt diſcurſus, quærendum eſt, vtrùm in Deo, in Angelis, & in ſenſibus reperiatur?

SECTIO I.

De Notitia iudicatiua.

1 PRima concluſio. Iudicium eſt actus intellectus cognoſcitiuus connexionis prædicati cum ſubiecto: ita communis ſententia, & videri poteſt Soar. 3. de Anima, cap. 6. n. 4. Probatur, *Soar.* quia iudicium eſt actus intellectus, per quem aliquid debet cognoſci: ſed nõ apparet quid aliud cognoſcatur, niſi connexio inter extrema: ergo &c. Probatur minor, quia ipſa extrema,

Digitized by Google

trema, nempe prædicatum, & ſubiectum, iam erant cognita per apprehenſionem. Hoc iudicium ſimul eſt repræſentatiuum, & dictiuum: quatenus repræſentatiuum ſemper eſt verum, cùm ſit quædam imago: quatenus dictiuum poteſt eſſe falſum, ſi non conformetur cum obiecto, prout eſt à parte rei, vt patet ex his quæ dixi 1. p. trac. 2. lib. 1. Perihər. diſp. 11. ſec. 2. §. *Tertia concluſio.*

Iudicium eſt ſimplex qualitas. *D. Thom. Durand. Patres Conimbr. Arriaga. Sanctacr. Hurtad. Caſilius. Toletus. Soar.*

2 *Secunda concluſio.* Iudicium in ſe eſt ſimplex qualitas: ita D. Thom. 1. p. q. 58. art. 2. Durand. & alij, quos referunt, & ſequuntur Conimbr. in Log. cap. 4. de Oratione, q. 4. art. 2. à §. *Tertia ſententia*, & nos probauimus loco ſuprà cit. ſec. 5. idem mecum ſentit Arriaga de Anima, diſp. 6. ſec. 4. §. *Tertia concluſio*, & Sanctacruzan. in ſua Log. 1. p. diſp. 8. q. 2. ſec. 2. §. *In qua quæſtione*, vbi citat Hurtad. Caſilium, Toler. idem docet Recupit. tom. 1. lib. 6. q. 27. n. 2. Oppoſitum verò tenet Soar. de Anima, cap. 6. n. 5. Vt tamen noſtra ſententia declaretur ſciendum eſt, quadrupliciter poſſe aliquam operationem intellectus noſtri dici compoſitam: primò, formaliter: ſecundò, virtualiter: tertiò, obiectiuè: quartò, præſuppoſitiuè. Iudicium imprimis non componitur formaliter ex multis conceptibus diſtinctis, quia eſt ſimplex nutus, vel abnutus intellectus. Secunda compoſitio virtualis tunc datur, quando vnus tantùm actus æquipollet multis propter varia obiecta, quæ attingit, vnde hæc compoſitio virtualis ſemper cõiungitur cum obiectiua, quæ datur ratione obiectorum.

De cõpoſitione, quæ reperitur in iudicio.

3 In omni igitur iudicio tam Angelico, quàm humano ſemper reperitur hæc compoſitio virtualis, & obiectiua, ratione cuius dicitur iudicium reſolui in prædicatum, & ſubiectum. Quæſtio tamen eſt, vtrum in omni iudicio detur compoſitio præſuppoſitiua? quæ tunc datur, quando actus intellectus, licèt in ſe vnus tantùm ſit, ſupponit tamen plures actus antecedentes in apprehenſione. Reſpondeo igitur in iudicio humano plerũque dari hanc compoſitionem, & ſecundùm eam diſtingui noſtrum iudicium ab Angelico: probatur, quia iudicium humanum præſupponit apprehenſionem: ſed apprehenſio habet in ſe vnum, vel plures actus: ergo iudicium humanum habet compoſitionem præſuppoſitiuè. Probatur maior, quia intellectus eſt potentia de ſe indeterminata ad iudicandum: ergo indiget apprehenſione, à qua determinetur, tanquàm à cauſa partiali, ſicut ipſa apprehenſio determinatur ab ſpecie.

4 Explicatur in hoc exemplo; vt intellectus iudicet *Petrum eſſe album*, cognoſcit priùs mediantibus ſpeciebus intelligibilibus per vnum ſimplicem conceptum, vel per plures apprehendendo Petrum, & eius albedinem in ipſo exiſtentem: poſteà per alium conceptum formaliter ſimplicem, repræſentantem primariò, & expreſsè cõnexionem inter prædicatum, & ſubiectum, ſecundariò verò ipſum Petrum, & albedinem, affirmat in actu exercito per quendam nutum intellectualẽ, *Petrum eſſe album*: & ratione huius compoſitionis præſuppoſitiuæ, dicitur propriè ſecunda operatio diſtingui à iudicio Angelico, quod non habet compoſitionem præſuppoſitiuam, vt patebit.

5 Obijcis. Illa compoſitio eſt antecedens in apprehenſione: ergo prima operatio dicetur componere, & diuidere, non verò ſecunda, ſiquidem iudicium nihil componit, ſed tantùm approbat, vel reprobat, quod prima operatio compoſuit, & diuiſit. Reſpond. in prima operatione ſolùm dari compoſitionem, & diuiſionem materialem, non verò formalem, nam componere, & diuidere formaliter, idem eſt atque iudicare; cùm igitur ſecunda operatio iudicet approbando, vel reprobando, non verò prima; ideò ſecunda operatio ſola dicitur componere, & diuidere formaliter.

Poteſt dari iudiciũ ſine apprehenſione diſtincta. *D. Thom. Scotus. Ægyptan. Soarius. Valent. Molina. Salas.*

6 *Tertia concluſio.* Iudicium humanum non requirit logicè hanc compoſitionẽ præſuppoſitiuam conceptuum; ſeu non requirit apprehenſionem per actum diſtinctum, ſed poteſt aliquando per plures, vel per vnum actum, qui ſit formale iudicium, apprehendere, & iudicare. Ita D. Thom. q. 8. de Veritate, art. 1, Scot. in 4. diſt. 49. & alij, quos citat Ægyptanenſ. tom. 1. de Beat. q. 9. art. 3. §. 2. n. 10. & ipſe ſequitur n. 9. Soar. in Sum. lib. 2. de Attrib. cap. 18. n. 8. Val. tom. 2. diſp. 1. q. 3. punc. 4. in fine. Mol. 1. p. q. 12. art. 8. diſp. 6. §. *Quoad ſecundum*: Sal. tom. 1. in 1. 2. q. 3. trac. 2. diſp. 1. ſec. 3. à n. 22. pag. 218. Quatenus omnes docent, viſionem beatam, nullam ſupponere compoſitionem præter obiectiuam, ſeu virtualem, & nihilominùs eſſe perfectiſsimè iudicatiuam.

7 Probatur concluſio. Ex eo requiritur ſimplex apprehenſio ad formandum iudiciũ per alium actum, quia lumen noſtri intellectus eſt adeò debile, vt non poſsit per vnicũ actum apprehendere, & iudicare, certificãdo ſe de connexione prædicati, cum ſubiecto; ſed poteſt diuinitus ita augeri hoc lumen, vt intellectus poſsit hoc præſtare, per vnicum actum: ergo &c. Probatur minor exemplo viſionis beatæ, & ſcientiæ per ſe infuſæ, in quibus propter luminis excellentiam, datur cognitio iudicatiua formaliter, quin dentur conceptus præſuppoſitiui, ſeu apprehenſio diſtin-

Digitized by Google

diſtincta, quod probatur, nam viſio beata perfectior eſt, quàm cognitio Angelica, ſed hæc ſaltem circa euidentia non ſupponit apprehenſionem diſtinctam: ergo &c.

Soluuntur argumenta contra hanc opinionem.

8 OBijcis primò pro contraria ſententia (quæ communis eſt inter modernos) & docet iudicium formale eſſentialiter requirere apprehenſionẽ. Obijcis, inquã. Iudicium præſupponit logicè apprehenſionem: ergo non datur iudicium formale ſine apprehenſione diſtincta, vel ſi datur vnus actus, qui virtualiter contineat, iudicium, & apprehenſionem, qualis eſt viſio beata, non erit iudicium formale, de quo loquimur, ſed tantùm virtuale, de quo ſermo non eſt. Reſpondeo argumentum ſupponere falſum; ſupponit enim illud ſolùm eſſe iudicium formale, quod præſupponit apprehenſionem, per vnum, vel per plures actus diſtinctos, quæ ſuppoſitio falſa eſt, dicimus enim viſionem beatam eſſe formale, & perfectiſsimum iudicium, quin præſupponat apprehenſionem, per diuerſum actum, quia iudicare formaliter, nihil eſt aliud, quàm affirmare, vel negare, quod verò poſſit hoc fieri per vnicum actum, non ideò deſinet eſſe iudicium formale: immò ex hoc colligitur etiam diuinum iudicium dicendum formale iudicium.

9 Inſtas. Diſcurſus formalis præſupponit eſſentialiter iudicium per diuerſum actum (vnde ſi vnico actu eſſentiamur toti demonſtrationi, non erit diſcurſus formalis) ergo ſimiliter quando per vnum actum intellectus apprehendit, & iudicat, tale iudicium non dicetur formale, ſed virtuale. Reſpondeo negando conſequentiam, maior ratio eſt, quia Philoſophi, ac Theologi ſolùm appellarunt diſcurſum formalem illum, qui fit ex antecedente cognitione iudicatiua, per alium actum realiter diſtinctum, quia diſcurſus formaliter loquendo, eſt curſus, ſeu progreſsio ab vna cognitione in aliã: ad formalitatem verò iudicij ſolùm requirũr, vt intellectus componat, & diuidat affirmãdo, vel negando: quòd verò poſsit hoc fieri per vnicum actum, non tollit rationem iudicij formalis, cùm non tollat affirmandi, vel negandi rationem.

10 Obijcis ſecundò. In eo diſtinguitur cognitio Angelica ab humana, quòd Angelica non præſupponat apprehenſionem: ergo humana cognitio ſemper illam præſupponit. Reſpondeo diſtinctionem in eo eſſe, quòd Angelus circa obiecta euidentia naturaliter habeat iudicium, quin præſupponat apprehenſionem per actum diſtinctum: at verò homo, tam circa euidentia, quàm circa ineuidentia, non poteſt naturaliter habere iudicium, quin præcedat apprehenſio, & ſolùm ſupernaturaliter (in quo ſenſu procedimus) vtrũmque habere poteſt per vnicum actum.

11 Vnde conſequenter dicendum eſt, nõ diſtingui iudicium formale à virtuali, ſed idẽ iudicium, quatenus formaliter attingit connexionem prædicati cum ſubiecto, dici iudicium formale, quatenus verò virtute cõtinet plures actus, dici virtuale; quarè iudicium Angelicum non dicitur virtuale, ex eo quòd nõ ſupponat apprehenſionem, ſed dicitur iudicium verè formale, ſicut etiam iudicium humanũ verè dicitur iudiciũ formale; in eo tamen diſtinguuntur, quia, vt dixi, iudicium humanũ ſemper naturaliter habet præſuppoſitiuam conceptuum compoſitionem, quam tamen iudiciũ Angelicũ non admittit, circa euidentia, vt probat Soar. de Angelis. lib. 2. cap. 33. n. 6. & 17.

12 Obijcis tertiò. Voluntas neceſsitate logica præſupponit cognitionem intellectus: ergo & iudicium præſupponet apprehenſionem. Probatur conſequentia, quia ſicut in notitia intellectiua antecedente repræſentatur motiuum propter quod voluntas debet ferri in obiectum, ita in apprehenſione &c. Reſpondetur negando conſequentiam: maior ratio eſt, quia voluntas eſt potentia cæca, & logicè indiget cognitione determinante & proponente obiectum at verò intellectus eſt potentia cognoſcens, & ſolùm ob defectum maioris luminis requirit apprehenſionem: vnde quando ſuppletur hoc lumen, non requiritur apprehenſio per actum diſtinctum.

13 Obijcis quartò. Tertia operatio ſupponit ſecundam logicè: ergo ſecunda ſupponit etiam logicè primam. Reſpondetur ſecundam operationem, quà ſecunda eſt, ſupponere primam, quia non poteſt dari ſecundum ſine primo at verò, quà iudicium formale eſt, non ſupponit apprehenſionem per diſtinctum actum, ſicut tertia operatio, quatenus diſcurſus formalis eſt, ſupponit iudicium, vt patet ex dictis.

14 Obijcis quintò. Ad primam apprehenſionem neceſſariò præſupponuntur ſpecies, & habitus: ergo ad ſecundam neceſſariò præſupponuntur apprehenſiones. Reſpond. præſuppoſitionem ſpecierum, quoad

Digitized by Google

primam operationem ſolùm eſſe phyſicam, & naturalem, cùm poſsit ſuppleri à Deo cõcurſus effectiuus ſpecierum, & ſimiliter dicimus iudicium præſupponere naturaliter apprehenſionem. Quod attinet ad habitus falſum eſt, eos requiri ad apprehenſiones, ſolùm enim dantur habitus in ijs potentijs, quæ habent aliquam indifferentiam, ſeu difficultatẽ in operando, qualis eſt voluntas, quæ fertur in bonum priùs cognitum, & intellectus quando diſcurrit, quia fertur in concluſionem ratione medij, vel etiam quando iudicat, quia fertur in obiectum, in ratione veritatis priùs apprehenſæ; aliæ verò ſunt potẽtiæ, quæ immediatè feruntur in obiecta, quales ſunt ſenſus externi, & intellectus, cùm ſimpliciter apprehẽdit, in quibus neceſſarius non eſt habitus, cùm nulla detur difficultas circa actus; quod non tollit quòminùs intellectus, etiam in iudicio ſit potentia determinata ad verum euidenter cognitum; quia tamen ipſa veritas aliquando magis, vel minùs manifeſtatur intellectui, indiget habitu ad vincẽdam hanc difficultatem. Vnde colligo nullum iudicium falſum eſſe neceſſarium, cùm enim ſemper ſit de obiecto ineuidente, ſemper intellectus manet liber in hoc aſſenſu.

15 Obijcis ſextò. Si hoc ita foret, ſequeretur, non ſolùm ſupernaturaliter, ſed etiã naturaliter poſſe dari iudicium ſine apprehenſione diſtincta. Probatur ſequela: naturaliter poteſt dari vnus actus, qui cadat ſupra totam demonſtrationem, vt probabile, dixi in Logica tract. 3. diſp. 18. ſect. 2. §. *Secunda concluſio*, ergo poterit naturaliter dari vnus actus iudicatiuus, quem non præcedat apprehenſio. Reſpondeo tamen negando ſequelam, quia intellectus in eo actu diſcurſiuo virtualiter, determinatur ab apprehenſione præmiſſarum, quarum iam intellectus habuit iudicia antecedentia: at verò vt detur iudicium formale, non habet intellectus vnde determinetur, niſi ab apprehenſione; quare hæc naturaliter ſemper debet præcedere.

Apprehẽſio ſemper debet naturaliter præcedere iudicium.

16 Inſtas. Quemadmodùm intellectus determinari poteſt naturaliter ad diſcurſum ex ſola apprehenſione præmiſſarum, ita etiã iudicium determinari poterit immediatè ab ſpeciebus: Reſpondetur negando inſtantiam. Ratio eſt, quia ſpecies non ſunt proportionatæ ad concurrendum immediatè ad iudicium (ſolùm enim naturaliter concurrunt ad apprehenſionem, deinde apprehẽſio ad iudiciũ) niſi quãdo intellectus format iudicium ſupernaturaliter, tunc enim ſuppletur concurſus effectiuus apprehenſionis, per lumen ſupernaturale. Vnde ſimiliter meræ apprehenſiones, non concurrunt ad diſcurſum formalem, ſed vel concurrer iudicium, vel apprehenſio, quæ ſit recordatio iudicij, nam hæc recordatio eſt inſtrumentum naturale iudicij: quòd verò apprehenſiones poſſint naturaliter concurrere immediatè ad diſcurſum virtualem, hoc nihil obſtat, cùm talis diſcurſus non ſit ſimpliciter diſcurſus: at verò iudicium, ſiue dicatur formale, ſiue virtuale, ſi tamen affirmat, aut negat eſt iudicium ſimpliciter, & ſic naturaliter poſtulat apprehenſionem antecedentem obiecti.

17 Obijcis ſeptimò. Iudicare eſt componere, vel diuidere: ergo licèt in ſe ſit qualitas ſimplex, dicetur componere, vel diuidere ratione conceptuum præſuppoſitorum: ergo omne iudicium ſupponit apprehenſionem. Reſpondetur negando conſequentiam: nam iudicium ita eſt ſimplex qualitas, vt ſit compoſitum virtualiter, & obiectiuè, id eſt, vt æquipolleat pluribus actibus, & habeat plura obiecta materialia; & ideò dicitur reſolui in prædicatum, & ſubiectum obiectiuè ſcilicet; vt igitur dicatur, iudicium virtualiter componi, non indiget pluribus conceptibus præſuppoſitis, ſed ſufficiunt obiecta: Vnde quamuis iudicium non habeat compoſitionem præſuppoſitiuam conceptuum, quia tamen formaliter affirmat, vel negat, erit formale iudicium, cum ſola virtuali compoſitione: niſi quis diſtinguat hæc iudicia appellando complexum illud iudicium, quod fit præſuppoſita apprehenſione; ſimplex verò illud, quod non præſupponit apprehenſionem, quod nihil moror, dummodò vtrumque ſit verè iudicium formale, & in ſe ſimplex aſſenſus.

Proponitur aliæ Concluſiones.

18 Tertia *concluſio* Ad iudicium naturale concurrit prima operatio effectiuè. Probatur, quia ſpecies cõcurrũt effectiuè ad apprehẽſionẽ: ergo quẽadmodùm intellectus eſt potẽtia incõpleta ad primã operationẽ, & ideò indiget ſpeciebus, ita etiã ad ſecũdã, & ideò indigebit apprehẽſione, quare etiã ad iudicia ſupernaturalia, quæ in hac vita formamus de actibus Fidei cõcurrũt apprehẽſiones naturales, ſed eleuatæ. Cum tamẽ ſpecies reſpectu apprehẽſionis, & apprehenſio reſpectu iudicij nõ ſint cauſę æquiuocæ principales, ſed inſtrumẽtales, mirũ non eſt, ſi ignobiliores ſint, quã effectus immè-

immò neque ſunt cauſæ per ſe, & eſſentiales, ſiquidem poteſt dari apprehenſio diuinitus ſine ſpeciebus, & diuinitus etiam dari poteſt iudicium ſine apprehenſione diſtincta, vt ſatis ex dictis patet.

In nullo ſenſu datur propriè iudicium. *Suarius.*

19 *Quarta concluſio.* In omnibus ſenſibus inuenitur ſimplex apprehẽſio: in nullo datur proprium, & formale iudicium: ita communis doctrina cum Suar. lib. 3. de Anima, cap. 6. à n. 6. & 7. Prima pars concluſionis patet experientiâ. Secunda probatur ex imperfectione ſenſuũ, nam cõſerre vnum cum alio, & iudicare eſt operatio potentiæ perfectioris, quam ſit ſenſus.

20 Dixi, *in nullo ſenſu*, reperiri proprium, & formale iudicium, quia vt dicemus infra, probabile eſt phantaſiam humanam poſſe diſcurrere circa ſingularia materialia, ac proinde exercere poſſe iudicium ſaltem improprium; quod non negat Suar. cit. neque Rub. 3. de Anima, cap. 3. trac. de ſenſibus internis, q. 5. n. 120. & ratio huius probabilis opinionis eſſe poteſt, quia phantaſia humana radicata eſt in anima, & proximè inſeruit intellectui, miniſtrando illi ſpecies; neque ad hoc iudicium neceſſaria eſt formalis cognitio copulæ inter prædicatum, & ſubiectum: neque obſtat, quòd phantaſia in homine ſequatur gradum ſentiendi, qui gradus prior eſt, quàm gradus rationalis, nam in actu exercito vterque eſt ſimul; & ideò hanc ſententiam ſequuntur Conimbricenſ. 3. de Anima, cap. 3. q. 2. art. 2, nec diſſentit Fonſ. 5. Metap. cap. 18. quæſt. 6. ſect. 2. §. *Quamquàm*: & alij, quos citat Rub. ſupra cit. n. 118. præter quos videri poteſt Sal. tom. 1. in 1. 2. q. 1. art. 1, & 2. tract. 1. diſp. 4. ſect. 4. pag 47. vbi plus æquo tribuit phãtaſiæ brutorum, quibus tamẽ nullum proprium iudicium tribuimus.

Rubius.

Probabile eſt phantaſiam poſſe diſcurrere circa materialia.

Patres Conimbr. Fonſeca. Rubius, Salas.

SECTIO II.

Quid ſit diſcurſus, & vtrùm in Deo reperiatur?

Diſcurſus formalis requirit ſaltem duas cognitiones.

1 **P**Rima *concluſio.* Diſcurſus formalis requirit ad minimum duas cognitiones realiter diſtinctas, quarum vna ab altera dependeat: hæc concluſio cõmunis eſt, nec indiget probatiõne; in eo enim diſtinguitur diſcurſus formalis à diſcurſu virtuali; quia diſcurſus virtualis dari poteſt cum vno tantùm actu, qui virtute plures contineat, cum aliqua dependentia eiuſdem actus, prout tendit in diuerſa obiecta, at verò diſcurſus formalis logicè præſupponit diuerſum actum antecedentem.

2 Obijcis. Iudicium eſt quædam ſimplex qualitas, quamuis plerùmque præſupponat apprehẽſionem diſtinctam: ergo ſimiliter diſcurſus erit vnus tantùm actus, & non requiret eſſentialiter plures cognitiones realiter diſtinctas. Reſpondetur concedendo, diſcurſum ſecundùm cauſalitatem, ſeu iudicium diſcurſiuum eſſe tantùm vnum actum ſimplicem, quo intellectus approbat connexionem conſequentis, quà conſequens eſt, cum reſpectu ad antecedens, vt probat argumentum, & bene obſeruat Sanctacruzan. in ſua Log. p. 3. diſp. 9. q. 1. ſect. 1. §. *Colligo ſecundò.* Vnde quando dicimus ad diſcurſum requiri duos actus diſtinctos formaliter, intelligimus radicaliter, & præſuppoſitiuè, vt explicat Serna in Log. diſp. 4. ſect. 1. quæſt. 1. art. 4.

Sanctacr.

Serna.

3 Aduertendum verò hoc iudicium diſcurſiuũ non cadere formaliter ſupra connexionem antecedentis cum conſequente, hoc eſt non cadere formaliter ſupra copulam illatiuam, *ergo*, ſed ſupra conſequens, quà cõſequens eſt, ideſt ſupra connexionem prædicati, & ſubiecti conſequentis, & virtualiter etiam ſupra antecedens, quia concluſio eſt effectus dependens eſſentialiter ab antecedẽte: & ratio eſt, quia illa copula rationalis, *ergo*, inter præmiſſas, & concluſionem eſt quædam forma ſyllogiſmi, & non eſt forma iudicij diſcurſiui: quia tamen concluſio dependet eſſẽtialiter à præmiſſis, hinc eſt, vt diſcurſus varietur, variato antecedente.

Vtrùm in Deo detur aliquis diſcurſus?

Reſolutio eſt negatiua

D. Thom. Scotus. Suarius. Molina. Hurtad. Præpoſit.

4 **S**Ecunda *concluſio.* Probabilius eſt, Deum non diſcurrere, nec virtualiter. Ita D. Thom. q. 14. art. 7, ad primum. Scot. in 1. diſt. 39. quæſt. 1. §. *Ad iſta.* Suar. lib. 3. de Attrib. cap. 1, num. 11. Mol. 1. p. q. 14. art. 7. Hurt. de Anima, diſp. 7. ſect. 3. n. 19. idem ſatis indicat P. Præpoſ. 1. p. q. 14. a. 7. n. 25. Vt probetur concluſio aduertẽdum eſt in diſcurſu virtuali neceſſariò duo reperiri. Primum eſt diſtinctionem virtualem actuum, ita vt concipiamus vnum in plures diuiſum, cum fundamento in re. Secundum eſt, dependẽtiam virtualem inter tales actus, quæ ſub conditiones requiruntur in actu, qui formaliter caderet ſupra totã demõſtrationẽ, nam idem actus, prout tendit in concluſionẽ dependẽt à ſe obiectiuè, prout tendit in præmiſſas: & ratione obiectorum multiplex eſt;

& ideò conſtituere poteſt diſcurſum virtualem.

5 His poſitis, ſic probatur concluſio. In cognitione diuina nulla datur dependētia: ergo nullus datur diſcurſus. Probatur antecedens: ex eo daretur dependentia, ſaltem virtualis, quia cognitio diuina, prout tendit in creaturas, eſſet aliquo modo dependens à ſe ipſa, prout tendit in diuinam eſſentiam (eo modo, quo obiectum ſecūdarium, nempe creaturæ dependent ab obiecto primario, nempe á diuina Omnipotentia) ſed hæc ratio nulla eſt: ergo nulla datur dependentia. Probatur minor, quia cognitio diuina ex ſua intrinſeca ratione terminatur ad creaturas; hoc eſt, non ex eo quòd Deus cognoſcat ſuam Omnipotentiam, cognoſcit creaturas: ergo cognitio diuina, quatenus attingit creaturas, non eſt dependens à ſe ipſa, quatenus cognoſcit eſſentiam; quod ſic probo, quia ſi per impoſſibile diuina cognitio non terminaretur ad eſſentiam, & adhuc darentur creaturæ, adhuc diuina cognitio attingeret creaturas; & ratio eſt, quia ſcientia diuina ex ſua intrinſeca ratione poſtulat terminari ad omne ſcibile: ergo ideò cognoſcit creaturas, quia ſunt cognoſcibiles, nō verò ex eo quòd priùs tendat in eſſentiam: cùm igitur in hac diuina cognitione nulla detur dependentia, nullus etiam dabitur diſcurſus, vel etiam virtualis.

Reijcitur ſententia admittens in Deo diſcurſum virtualem.

6 OBijcis primò pro contraria ſententia, quam ſequūtur aliqui inter quos videri poteſt Henr. 1. p. tract. 1. diſp. 10. c. 3. n. 11. Vbi ſe allegat eodē tract. diſp. 5. c. 3. & 5. eandem ſententiā probabilē credit Soar. in Sum. lib. 3 de Attrib. ca. 3. n. 12. §. *Alia* fine. Obijcis, inquam, primò. In diuina cognitione datur diſtinctio virtualis, & ſimiliter dependentia virtualis: ergo & diſcurſus virtualis. Probatur antecedens quoàd diſtinctionem virtualem, nam ſcientia viſionis virtualiter diſtinguitur á ſcientia ſimplicis intelligentiæ: quoàd dependentiam probatur, quia ideó Deus cognoſcit creaturas, quia cognoſcit ſe ipſum: ergo in diuina cognitione datur dependentia virtualis.

Henrice.

Soarius.

7 Reſpondetur primò, permittendo diſtinctionem virtualem in cognitione diuina; negando tamen dari diſcurſum virtualem, hic enim requirit aliquam dependentiam, quæ non reperitur in diuina cognitione: & ad probationem negandum eſt, ideò Deum cognoſcere creaturas, quia cognoſcit ſe ipſum: hoc eſt, negamus cognitionem creaturarum dependere á cognitione Dei, tanquàm à cauſa, quamuis enim Deus cognoſcat dependentiam ex parte obiecti, id eſt, quamuis cognoſcat creaturas pendere á ſe ipſo, & quamuis non darentur creaturæ, niſi daretur diuina omnipotentia; tamen cognitio creaturarum non dependet eſſentialiter à cognitione omnipotentiæ, quia licèt Deus non cognoſceret ſuam òmnipotentiam (ſi illa per impoſſibile cognoſcibilis non eſſet) adhuc ex eo quòd diuina cognitio eſſet comprehenſiua terminaretur ad creaturas, ex eo ſolùm quòd creaturæ ſint cognoſcibiles. Vnde bene poteſt diuina cognitio dici virtualiter multiplex, quia ſcilicet obiecta, ad quæ tendit ſunt multiplicia; non tamen dicetur dependens virtualiter, quamuis obiecta ipſa realiter ſint dependentia ab omnipotentia: & maior ratio eſt, quia diuinus actus reuera ſecundùm ſe multis æquipollet: at verò diuina cognitio nullam á ſe ipſa habet dependentiam, vt patet ex dictis.

Cognitio creaturarū non dependet in Deo á cognitione omnipotentiæ.

8 Dixi, *permittendo diſtinctionem virtualem in cognitione diuina*, quia diuina ſcientia, ſi reduplicatiuè ſumatur, quatenus comprehenſiua eſt, neque virtualiter diſtinguitur á ſe ipſa. Probatur, quia ſi talis cognitio adæquatè ſumatur, quatenus comprehenſiua eſt, eſſentialiter eſt ſimul intuitiua, prout tendit in ipſum Deum & abſtractiua, prout tendit in poſſibilia: ergo quemadmodùm Socrates adæquatè ſumptus non diſtinguitur à ſe ipſo, neque virtualiter, ita neque diuina cognitio; quia nihil eſt aliud eſſe notitiam comprehenſiuam, quàm terminari ad omne cognoſcibile: ſi verò ſumatur inadæquatè, diſtinguitur ſcientia diuina intuitiua ab abſtractiua, ſicut in Socrate rationale diſtinguitur virtualiter ab animali: ſed tunc adhuc non dabitur diſcurſus in Deo, ex defectu dependentiæ.

9 Inſtas. Vnum attributum diuinum formaliter, vel ſaltem eſſentialiter includit alia, & tamen diſtinguuntùr virtualiter: ergo licèt cognitio comprehenſiua Dei formaliter, & eſſentialiter dicat extenſionem ad creaturas, adhuc diſtinguitur virtualiter á tali extenſione. Reſpondeo permiſſa maiori, & dando maiorem rationem; quia vnum attributum etſi includat alia eſſentialiter, non illa tamen includit expreſſè, ſed confuſè: nam miſericordia verbi grat. non dicit expreſſè iuſtitiam, licèt illam includat eſſentialiter, vt ſentit Soar.

Digitized by Google

Soar. in Sum. lib. 1. de Eſſentia Dei, c. 13. Vnde adhuc miſericordia diſtinguitur virtualiter à juſtitia, ſecundùm cōceptum magis expreſſum: at veró cognitio comprehenſiua Dei, formaliter, eſſentialiter, & expreſsè includit illam extenſionem ad creaturas, quia quamuis obiectum ſit ſecundarium, tamen ex ſuppoſitione quòd detur, impoſsibile eſt quòd diuina cognitio comprehenſiua ad illud non terminetur expreſsè, ſiquidem eſt comprehenſiua.

10 Obijcis ſecundò. Datur dependentia virtualis inter attributa: ergo etiam dabitur in cognitione diuina. Reſpondeo negando conſequentiam: maior ratio eſt, quia ſcientia diuina ex ſua intrinſeca ratione poſtulat extendi ad omne cognoſcibile; quarè ſi per impoſsibile cognitio diuina non terminaretur ad diuinam eſſentiam, ſi adhuc darentur creaturæ poſsibiles, adhuc diuina cognitio ad illas terminaretur, quia adhuc eſſent intelligibiles; vnde bene ſequitur ſcientiam diuinam, prout terminatur ad creaturas non dependere à ſe ipſa, prout terminatur ad eſſentiam: at veró vnum attributum dicitur cauſa virtualis alterius, quia ſi in Deo daretur dependentia, proculdubio æternitas penderet ab immortalitate.

11 Obijcis tertiò. Deus vtitur ſigno inſtrumentali naturali, vt dixi in Logica diſp. 9. ſect. 4. num. 16. ergo poteſt diſcurrere virtualiter. Reſpondeo negando conſequentiam iuxta ea, quæ dixi loco citato à §. *Reſpondetur ſecundò*, quia ſcilicet ad diſcurſum virtualem requiritur neceſſariò multiplex actus, ſaltem virtute, cum dependentia, & neutrum reperitur in diuina cognitione ſumpta adæquatè: Primum ſatis ibi fuit explicatum, & colligitur ex Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 2. num. 1?. poſſe ſcilicet Deum vti ſigno inſtrumentali, id eſt, cognita omnipotentia cognoſcere creaturas, quin virtualiter diſcurrat.

Poteſt Deus vti ſigno inſtrumētali, quin diſcurrat.

Soarius.

12 Quod ſic confirmatur, quia in ſimili vſu ſigni inſtrumentalis nulla datur in diuina cognitione dependentiam, quæ tamen neceſſariò requiritur ad diſcurſum: & ratio eſt, quia quamuis Deus etiam cognoſcat creaturas ex vi omnipotentiæ cognitæ, adhuc tamen eas cognoſcit in ſe ipſis, licèt non cognoſceret omnipotentiam, ſiquidem ex ſe ſunt cognoſcibiles. Vnde talis cognitio creaturarum non dependet à cognitione omnipotentiæ, & ideò talis cognitio diſcurſiua non eſt.

13 Inſtas. Ergo etiam non erit cognitio per ſignum. Nego ſequelam, quia ad rationem ſigni non requiritur, vt cognitio dependeat à ſigno, tanquam à cauſa, ſed ſatis eſt, quòd ſignum ſit ratio, ſiue medium cognoſcendi, vt patet quando vnum ouum eſt ſignum alterius oui, quin ſit eius cauſa: at verò, vt detur diſcurſus, neceſſariò debet dari dependentia, tanquam à cauſa: hinc eſt, vt etiam in diſcurſo virtuali Angeli, concluſio dependeat eſſentialiter à præmiſsis, non quidem effectiuè, ſiquidem actus eſt vnus tantùm, ſed eſſentialiter à præmiſsis obiectiuis, quæ ſunt cauſæ formales illius concluſionis.

14 Facilè tamen admitterem diſcurſum virtualem ſecundùm ſucceſsionem, quando Deus vtitur ſigno inſtrumentali, ſiquidem ille actus diuinæ cognitionis, licèt vnus tantùm, nihilominùs, ſi inadæquatè ſumatur æquipollet pluribus, & prout tendit in diuinam Omnipotentiam, eſt intuitiuus, prout tendit in creaturas poſsibiles, eſt abſtractiuus, quod ſufficit ad diſcurſum virtualem, ſecundùm ſucceſsionem, ſiquidem datur actus virtualiter multiplex, ſine dependentia cauſalitatis; & defectu huius dependentiæ non datur diſcurſus virtualis ſecundùm cauſalitatem, de quo procedit quæſtio. Circa prædictam concluſionem aduertendum eſt, aliud eſſe cognoſcere rem in alio, aliud verò cognoſcere ex alio: primum non ſufficit ad diſcurſum, quamuis ſufficiat ad ſignum: ſecundum neceſſarium eſt ad rationem diſcurſus. Ac tandem aduertendum eſt, non bene argui ex dependentia, quam habent creaturæ à Deo, dependentiam à cognitione Dei ad cognitionem creaturarum, nam etiam creaturæ dependent realiter à Deo, & tamen in diuina cognitione non admittenda eſt realis dependentia. Ex quibus concluditur non poſſe dari in Deo diſcurſum formalem, ſiquidem nec virtualem admittimus.

Datur in Deo diſcurſus virtualis ſecundū ſucceſsionē.

SECTIO IIII.

De Diſcurſu, qui datur in Angelis, & hominibus.

1 Prima concluſio. Angeli non diſcurrunt formaliter circa obiecta naturalia, ſed tantùm virtualiter. Ita D. Thom. 1. p. q. 58. art. 3. Caiet. & Ferrar. ibi. Soar. de Angelis, lib. 2. cap. 33. à n. 9. Granad. tom. 3. in 1. p. tract. 7. diſp. 3. n. 6. Vaſq. 1. p. diſp. 212. à cap. 2. vbi alios Auctores refert nu. 7. idem docet Alarcon. 1. p. tract,

D. Thom. Caiet. Ferrar. Soarius. Granad. Vaſq. Alarcon.

tract.6.d.2. c.5.n.2. Probatur breuiter, quia Angeli, propter luminis excellentiã, per eundem actũ cognoſcũt cauſam naturalẽ, & eius effectũ, ita tamen vt cognitio priùs terminetur ad cauſam, & ſecundariò ad effectũ, & ſic cognitio effectus depẽdeat à cognitione cauſæ, quod ſufficiens eſt ad diſcurſum virtualẽ, ſi fiat per eandẽ cognitionẽ. Quarè non poterit Angelus, quamuis velit, diſcurrere formaliter circa obiecta materialia, quia mutaret ſuum cognoſcendi modum: vnde conſequenter dicendum eſt, eandem materialem cognitionem Angeli eſſe intuitiuam, & abſtractiuam; intuitiuam, prout tendit in cauſã, & abſtractiuam, prout tendit in effectum: & ſimiliter eſſe immediatam, prout tendit in cauſam, & mediatam prout tendit in effectum mediante cauſa, vt latè proſequitur Soar. cit. à n.12.

2 Obijcis pro contraria ſententia, quam tenent Scot. in 2. diſt.7, q.1. §. *Contra concluſionem:* Ocham. in 2. q.16. Gabriel. in 2. diſt.3. q.2. art.3; p.1. art. concl. 9. Angelus poteſt, ſi velit, vti inadæquatè ſpecie aliqua repræſentante ſibi cauſam, & effectum, ita vt per vnam cognitionem attingat cauſam, per aliam realiter diſtinctam attingat effectum, ſicut ſuprà dixi, poſſe nos vti inadæquatè ſpecie aliqua intuitiua: ergo tunc diſcurret formaliter. Reſpondetur ad antecedens, poſſe quidem Angelum in eo caſu per vnum actum attingere cauſam, & per alium realiter diſtinctum attingere effectum, ita tamen vt notitia effectus non dependeat à notitia cauſæ, ſed vt determinetur veluti ad duas res diſiunctas, cognoſcendo vnam pòſt aliam, ſicut Beatus poteſt per vnum conceptum cognoſcere vnum attributum, & per alium aliud attributum attingere, quamuis attributa non ſint realiter diſtincta; tales igitur cognitiones in Angelo efficient diſcurſum ſecundùm ſucceſſionem, non verò formalem, ſiquidem vna notitia non colligitur ex alia, ſed immediatè procedit ex ſpeciebus effectus, vel cauſæ: quod ſi Angelus velit cognoſcere effectum ex vi cauſæ, vel cauſam ex vi effectuum, eâdem cognitione vtrumque attinget ſine diſcurſu formali, propter perfectionem ſui luminis; ita in ſimili ſoluit Soar. hoc argumentum tom.1. in 3.p. q.11. art.5. diſp. 28. ſect.2. §. *Dico ſecundò*, ad medium: non enim poteſt Angelus mutare ſuũ cognoſcendi modum.

3 *Secunda concluſio.* Angelus poteſt diſcurrere formaliter circa res ſibi inuidentes, qualia ſunt obiecta ſupernaturalia, & ſecreta cordis, & futura contingentia &c. Ita Soarius de Angelis, lib.2. cap.33. n.18. vbi citat alios Patres. Idem tenet Vaſq. 1.p. quæſt. 58. art.3. diſput. 222. cap.3. Mol. 1.p. quæſt. 58. art.3. §. *Ex alio capite.* Gran. to.3. in 1.p. tr.7. diſp.2. n.9. Peſant. 1.p. q.58. art.1. & 3. idem tenent P. Franc. Amic. in ſuo Curſu Theolog. tom.2. diſp.14. ſect.1. num.3. & Alarcon. citatus n.3.

Scotus. Ocham. Gabriel. Soarius. Vaſquez. Molina. Granad. Peſant. Franciſc. Amicus. Alarcon.

4 Probatur concluſio: Quia talia obiecta cognoſcit Angelus per coniecturam, inferendo vnum ex alio, per diuerſos actus, quorum vnus poteſt, vel etiam tempore, præcedere alium, & eſſe cauſa alterius: neque propterea non diſtinguitur intellectus Angelicus ab humano, nam homines ad ſummum circa prima principia, & circa aliquam demonſtrationem euidentiſsimam diſcurrunt ſolùm virtualiter: at verò Angelorum cognitio plerumque fit ſine diſcurſu formali, vt contingit circa obiecta omnia naturalia, & ſolùm circa ſupernaturalia obiecta poſſunt vti diſcurſu formali, vt v.g. quando Dæmones ex tot miraculis inferebant Chriſtum Dominum eſſe Deum; cùm verò procedant ex coniecturis, & diſcurſu, inde eſt quòd aliquando decipiantur, vt obſeruat D. Thom. 1. p. q.58. art.5.

De Diſcurſu humano.

5 Tertia concluſio. Intellectus humanus diſcurrit formaliter. Hæc concluſio certa eſt, nec indiget probatione, experimur enim procedere nos ex vna cognitione ad aliam, per copulam rationalem. Extra perfectum vſum rationis, nõ diſcurret noſter intellectus circa res morales, & actus honeſtos, alioqui liberè tũc homo ageret, & ſufficiẽter ad peccatũ: in pueris verò recèns natis ita cõſopitus eſt vſus rationis, vt nõ poſsint diſcurrere, ſicut cõtingit in illis, qui ſũt graui veterno cõſepulti; & idẽ dicendũ eſt de amẽtibus, vt doctè, & latè, inter alios, proſequitur Sal. to.1. in 1.2. q.1. art. 1. & 2. tract.1. diſp.4. ſec.1. à n.14.

Sala.

6 In ſtatu beatifico diſcurret etiam formaliter noſter intellectus per ſcientiam per accidens infuſam, quia illa ſcientia, etiã quò ad modum operandi, eſt eiuſdem ſpeciei cum noſtra: at verò perfectio gratiæ non deſtruit perfectionem naturæ, vt in ſimili de ſcientia naturali Chriſti Domini aduertit Soar. tom. 1. in 3.p. quæſt. 9. art.4. diſput. 25. ſect. 2. §. *In hac quæſt.* Neque hinc ſequitur, dari ignorantiam in Beatis, quia prætérquamquòd ex ratione formali diſcurſus non ſit ignorantia, ſed vt vnum inferatur ex alio; hæc ignorantia ſolùm daretur ratione ſcientiæ naturalis; cùm verò Beati per ſcientiam beatam

Soar.

Digitized by Google

beatam cognoſcant euidenter ipſum obiectum, quod per diſcurſum attingebant ex ſcientia naturali, non dicentur abſolutè habere ignorantiam.

8 Non diſcurrit tamen formaliter noſter intellectus per ſcientiam beatam, ſed ſolùm virtualiter, vt notat Soar. lib. 2. de Attrib. negatiuis, cap. 18 n. 7. quia cùm hæc ſcientia ſit perfectiſsima, & participatio diuinæ, attingit effectum in cauſa. Idem dicendum de noſtro intellectu cum ſcientia per ſe infuſa, quidquid oppoſitum ſentiat P. Ripalda de Ente ſupernaturali. lib. 3. diſput. 55. ſect. 8. num. 57. cuius rationes ſolutæ manent ex dictis.

Ripalda.

Nõ datur diſcurſus circa fidẽ.

9 *Quarta concluſio.* Intellectus noſter non diſcurrit formaliter circa Fidem diuinã, quod idem eſt, ac dicere, aſſenſum fidei non fieri per diſcurſum, ſed eſſe ſimplicem aſſenſum veritatis reuelatæ propter auctoritatem diuinam: ita D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 1. Caietan. Capr. Ocham. & alij quos citat, & ſequitur Soar. de Fide, diſp. 6. ſect. 4. à n. 4. Cano. lib. 12. de Locis, cap. 3. concl. 3. Faſſol. 1. p. q. 1. art. 2. dubit. 2. n. 16.

D. Thom. Caiet. Capreol. Ocham. Soarius. Canus. Faſolus.

10 Probatur primò. Quia cognitio, quæ habetur per diſcurſum, eſt cognitio ſcientificè tantùm certa (non enim poteſt concluſio habere maiorem certitudinem, quàm illam, quæ ex vi diſcurſus acquiritur) ſed fidei certitudo eſt maior, quàm ſit certitudo ſcientifica, ſiquidem ſcientia eſt naturalis, certitudo verò Fidei eſt ſupernaturalis: ergo non poteſt acquiri per diſcurſum.

11 Probatur ſecundò. Quia ſi daretur diſcurſus ad actum Fidei, fieret ex duobus illis principijs: *Quidquid Deus dixit verum eſt: ſed Deus hoc dixit*: ergo &c. ſed ex hoc non ſequitur dari poſſe diſcurſum in Fide: ergo &c. Probatur hæc minor; quia illa principia ſunt de Fide, & tamen non habita ſunt per diſcurſum, vt patet, nam alioqui daretur proceſſus in infinitum: ergo &c. Quæ ratio conuincit etiam in ſcientijs danda eſſe aliqua principia cognita ſine diſcurſu. Confirmatur, quia Fides fundatur in diuina auctoritate, non verò in aliquo medio, id eſt in connexione medij termini cum aliquo extremo. Vnde colligo neque etiam dari in fide diſcurſum virtualem, ſiquidem actus fidei nullã habet dependentiam, neque à præmiſsis obiectiuis, ſeu à medio, ſed à ſola diuina auctoritate.

Reijcitur contraria ſententia.

12 Obijcis primò pro contraria ſententia, quam ſequitur Durand. in 3. diſt. 24. q. 1. Almain. Marſil. & alij, quos citat Soar, ſuprà num. 2. Idem tenet Vaſq. 1. p. quæſt. 1. art. 2. diſp. 5. cap. 3. num. 5. §. *Cæterùm*, item P. Lugo in Manuſcriptis de Fide, diſp. 3. ſect. 2. Obijcis, inquam, primò. Homo credit propter reuelationem diuinam: ergo præbet aſſenſum rei reuelatæ, quia per alium actum credit auctoritatem diuinam: ideò enim credo Deum eſſe Trinum, quia priùs credo Deum hoc dixiſſe. Confirmatur, nam aſſenſus Fidei humanæ haberi poteſt per diſcurſũ: ergo aſſenſus Fidei diuinæ haberi poteſt per diſcurſum.

Durand. Almain Marſil. Vaſques.

Lugo.

13 Reſpondetur præbere nos aſſenſum rei reuelatæ, quia præbemus aſſenſum diuinæ auctoritati; ſed negandum eſt hoc fieri neceſſariò per duos actus realiter diſtinctos, nam per eundem poſſumus aſſentiri alicui propoſitioni, propter diuinam auctoritatem, implicitè contentam in tali actu, vt patet in actu, quo diligimus proximum, propter Deũ, qui eſt vnus tantùm: non negamus tamen fieri poſſe prædictum diſcurſum, & illam cõcluſionem euidenter ſequi in eo qui habuerit euidentiam atteſtantis: negamus verò illum diſcurſum eſſe rationem formalem aſſentiendi propoſitioni de Fide: erit igitur ille diſcurſus per accidens, & tanquàm manuductio, quia certitudo ſupernaturalis Fidei non poteſt eſſentialiter pendere à certitudine naturali diſcurſus.

14 Ad confirmationem reſpond. proptereà in fide humana dari poſſe diſcurſum, quia auctoritas humana non eſt totalis ratio aſſentiendi, ſed etiã eſt aliqua coniectura, ſeu probabile motiuũ (non enim credimus impoſsibilia) at verò in Fide diuina, tota ratio aſſentiendi eſt diuina auctoritas, nam rationes probabiles, quibus fides diuina redditur credibilis, ſunt tantùm veluti manuductiones. Quòd ſi in fide humana tota ratio aſſentiendi ſit humana auctoritas, tunc quidẽ ſine diſcurſu dabitur aſſenſus.

15 Obijcis ſecundò. Quamuis cognitio primorum principiorum diſcurſiua non ſit, hoc tamen non tollit quominùs in ſcientia humana dentur veri diſcurſus; ergo licet illæ duæ propoſitiones, *Deus dixit*, *Quidquid Deus dixit verum eſt*, diſcurſiuæ non ſint, adhuc tamen reliquæ propoſitiones fidei erunt diſcurſiuæ. Reſpondetur negando conſequentiam. Maior ratio eſt, quia omnes actus fidei ſunt eiuſdem ſpeciei, cùm omnes nitantur in diuina auctoritate, vt in motiuo totali: vnde ſi illæ primæ propoſitiones diſcurſiuæ non ſint, ita nec reliquæ: at verò actus humanæ ſcientiæ variantur pro varietate motiui, vnde aliqui ſunt diſcurſiui, alij verò minimè.

16 Obijc. tertiò. Cõcluſio illata ex duabus

Digitized by Google

de fide, eſt etiam de fide: ſed talis propoſitio infertur ex vi diſcurſus: ergo in fide dari poteſt diſcurſus. Reſpondetur negando maiorē, quia ſolus actus, qui immediatè fundatur in auctoritate diuina eſt de fide, non verò ille, qui mediatè fundatur in diuina auctoritate, & immediatè colligitur per diſcurſum. Vnde illa concluſio, quæ infertur ex duabus de fide non erit de fide, ſed dicetur Theologica, & qui talē propoſitionē negaret non ex eo eſſet immediatè hæreticus, ſed quia cogeretur negare præmiſſas de fide, ex quibus bene inferebatur talis concluſio. Vide Faſſol. 1. p. q. 1. art. 2. dubit. 2. n. 16.

Faſolus.

SECTIO IIII.

Vtrùm in aliquo ſēſu inueniatur diſcurſus ſecundùm cauſalitatem?

1 PRima concluſio. Senſus externus non poteſt formaliter diſcurrere. Hæc concluſio cōmunis eſt, & vera, nā formalis diſcurſus ſupponit iudiciū formale, vel ſaltē recordationem iudicij: ſed nullus ſenſus iudicat formaliter: ergo &c. Cōfirmatur, quia diſcurſus eſt modus cognoſcēdi abſtractiuus, qui in nullo ſenſu externo, nec diuinitus, dari poteſt. Videri poteſt Soar. de Anima, lib. 3. cap. 6. à n. 6. Rub. de Anima, lib. 3. cap. 3. trac. de Senſibus internis, q. 5. a n. 120. vbi negat diſcurſum omni ſenſui interno, ne dum externo.

Soarus. Rubius.

2 *Secunda concluſio.* Phantaſia brutorum non diſcurrit formaliter: ita communis doctrina cū D. Th. & Scot. & alij communiter; Conimb. 2. Phyſ. cap. 9. q. 3. Tol. 3. de Anima, q. 7. Delrius lib. 2. de Mag. q. 10. Vbi oppoſitā ſententiā iudicat errorem in fide. Probatur breuiter, quia phantaſia brutorū non iudicat formaliter: ergo nec diſcurrit formaliter: antecedens verum eſt, quia ad iudicium requiritur cognitio cōnexionis prædicati cū ſubiecto, quā ſola potentia ſpiritualis attingere poteſt. Cùm igitur brutæ animantes nō cognoſcant habitudinē formalē antecedentis ad cōſequens, non diſcurrunt formaliter, & multò minùs virtualiter, nam diſcurſus maiorem requirit perfectionem.

D. Thom. Scotus. Patres Conimbr. Delrius.

3 Obijcis pro contraria opinatione, quā defendit Laurent. Valla, qui dum vltra vallos grāmaticales voluit tranſilire, ſolæciſmū immanem in Philoſophia cōmiſit, docens in libello de Dialect. c. 9. brutas animātes habere rationem, & diſcurſum; verùm ipſe Laurent. nullā in hac ſentētia habuit rationem, nullo vſus eſt diſcurſu, cùm enim homo differat à bruto propter diſcurſum, ſeu propter rationē, qui facit brutum rationale, facit hominē brutum: cui Grammatico modo non peperci,

— Solitus quia parcere nulli eſt;

Sic enim in eius tumulo quidam non illepidè exarauit;

Obe Valla ſilet, ſolitus qui parcere nulli eſt:
Si quæris quid agat? nunc quoque mordet humū.

In tumulo Valla.

4 Obijcis, inquam, primò. Multa efficiunt bruta, quæ ab homine fieri non poſſunt; vnde aliqui cum Anaxagora Philoſopho, non ſolùm diſcurſum, ſed etiam partem diuinitatis apibus tribuebant, iuxta illud,

Eſſe apibus partem diuinæ mentis, & hauſtus
Æthereos dixere. —

Virg. Georg. 4.

Et videri poſſunt hac de re mirabilia, quæ afferunt auctores inter quos Plin. multa tradit lib. 9. cap. 4. de Solertia, & aſtutia animātium, & lib. 8 cap. 12. & alijs in locis: ego tamē cum communi, & vera ſententia,

Plin.

Haud equidem credo quia ſit diuinitus illis
Ingenium. ———

Virg. Georg. 4.

Vnde ad argumentum reſpond. illa omnia mirabilia procedere ex naturali inſtinctu, & ex ſimplici cognitione. Hinc eſt, quòd, vt notat D. Th. 1. 2. q. 13. art. 2. ad 3. ſemper, & vbique ſeruent eundem modū operandi, niſi ab extrinſeca cauſa, & impedimento diuertātur: ſic videmus mirabiles etiam effectus prodire ex arboribus, metallis, & herbis, quæ tamen carent omni cognitione: inde eſt quòd brutorum inſania non ſit carentia vſus rationis, ſed ſit ſolùm carentia vſus naturalis inſtincti bene ordinati.

D. Thom.

5 *Tertia concluſio.* Certum eſt, phantaſiam humanam, neque diuinitus diſcurrere formaliter circa vniuerſalia, vel circa ſingularia immaterialia; deinde probabilius eſt, nō poſſe naturali virtute diſcurrere formaliter circa ſingularia, etiam materialia. Hanc cōcluſionem, licèt non ſub his terminis, abſolutè tamen docent Auctores quatenus abſolutè dicunt, phantaſiā non poſſe diſcurrere: ita Rub. de Anima, lib. 3. c. 3. tract. de Senſibus internis, q. 5. à n. 120. Bened. Per. lib. 3. Philoſ. c. 23. Tolet. 3. de Anima, cap. 3, q. 3. concl. 2. Vaſq. tom. 1. in 1. 2. diſp. 104. cap. 1. nu. 3. (vbi refutat Caiet. tribuētem appetitui noſtro aliqualem libertatem) Idem tenet Soar. de Anima, lib. 3, cap. 6. à n. 8. quatenus docet, non poſſe phātaſiam humanam iudicare formaliter, & alij, quos citat Rub. ſuprà, pro eâdem concluſione. Vallius in Log. tom. 2. lib. 1. diſp. 2. par. 1. q. 2. cap. 3. citat Barg. & D. Thom. &c.

Phantaſia non poteſt diſcurrere circa res immateriales.

Benh. Pereira. Vaſquez. Toletus. Soar. Vallius. Scotus. Bargius. D. Thom.

6 Prima pars cōcluſionis probatur, quia ſi phantaſia poſſet diſcurrere circa vniuerſalia, vel ſingularia immaterialia ferretur extra

ſuum

ſuum obiectum. Probatur ſecūda pars, quia phantaſia humana eſt eiuſdem ſpeciei cum belluina: ſed hæc nō diſcurrit formaliter, etiā circa ſingularia materialia vt omnes concedunt: ergo &c. Probatur conſequentia, quia operationes potentiæ ſequuntur eſſentiam potentiæ: ergo ſi potentia eſt eadem ſpecie, operationes erunt eiuſdē ſpeciei. Vnde operationes brutorum omnium formaliter ſunt eiuſdem ſpeciei, id eſt, omnes ſunt non diſcurſiuæ, hoc eſt, omnes ſunt apprehenſiuæ.

7 Confirmatur, quia ſi phantaſia humana poſſet naturaliter diſcurrere, nulla eadē aſsignabitur repugnantia, quarè phātaſia brutorum nō poſſit diſcurrere ſaltem diuinitus. Quod tamen circa ſingularia materialia præſtare poterit humana phantaſia diuinitus, propter rationes mox faciendas, adhuc enim ſingularia materialia continentur ſub obiecto phantaſiæ: nec inde ſequitur libertas aliqua in appetitu, cùm hic ſit maximè reſiſtatiuus.

8 Obijcis pro contraria ſententia, quæ probabilis eſt, & docet ſaltem circa ſingularia materialia poſſe diſcurrere humanā phātaſiam, propter cōſortium animæ rationalis, & proximam intellectui miniſtrationem: in quam ſententiam inclinat Valent. 1. p. diſp. 6. q. 4. pun. 2. §. *Æſtimatiua*: & abſolutè ſequūtur Conimbr. 3. de Anima, cap. 3. q. 2. art. 2. §. *Secunda concluſio.* Cameracenſ. q. 3. prol. art. 1. Niphus in Met. diſp. 7. Eandem ſequitur Fōſ. 5. Met. cap. 28. q. 6. ſec. 2. & alij plures quos referunt Conimbr. ſuprà, idem tenent Nominales Gegor. in 1. diſt. 3. q. 1. Gabriel. q. 1. prologi. ar. 2. Marſil. in 2. q. 16. art. 1.

Valent. Patres Conimbr. Camerac. Niphus. Fonſeca Gregor. Gabriel. Marſil.

9 Obijcis, inquam, primò. Phantaſia eſt radicata in anima rationali, & proximè miniſtrat intellectui: ergo participabit aliquid boni propter vicinum bonum: ſicut nutritiua hominis, licèt ſit eiuſdem ſpeciei, cum nutritiua arboris, hæc produ it lignum, illa verò carnem. Reſpond. negando conſequentiam, quia appetitus humanus eſt in eàdem anima rationali, & tamen nihil participat libertatis: ergo licèt phantaſia ſit radicata in anima rationali, non ideò diſcurret: nec obeſt proxima miniſtratio intellectui, ſiquidem ſemper phantaſia humana eſt eiuſdem ſpeciei cum belluina, ac proinde ſicut nihil participat immaterialitatis, nihil etiam participabit diſcurſus formalis.

10. Ad probationem danda eſt maior ratio, quia nutritiua hominis cùm ſit merè inſtrumentum animæ, poteſt in virtute cauſæ principalis producere carnē in homine (quā tamen virtute propria nō poteſt producere, quia nutritiua cùm ſit accidens, non poteſt producere ſubſtantiam:) at verò phātaſia eſt cauſa principalis, licèt particularis, ſuarum operationum; nihil enim producit, quod ſit nobilius ipſa phantaſiâ: quarè cùm virtute propria operetur, licèt anima ſimul, & immediatè concurrat, non poterit ſe extendere extra ſuos limites. Prætereà hæc probatio nullam habet vim, nā licèt gratis demus carnem eſſe nobiliorē ligno, nihilominus tamē diſcurſus formalis eſt omnino ſuperior phantaſiā, ac proinde extra illius obiectum.

11 Obijcis ſecundò. Phantaſia humana cognoſcit arguitiuè latentem ſubſtantiā materialem, eiuſque proprium fingit idolum: ergo etiam diſcurrit. Confirmatur, quia poteſt efficere chymeram, & alia entia rationis impropria. Reſpondetur primò. Negando antecedens, quia phantaſia cùm ſit maximè materialis, non poteſt cognoſcere obiectum, niſi ſub velamine accidentiū: nec poteſt formare proprium, & poſitiuum ſubſtantiæ materialis idolum, ſiquidem vt experiuntur peritiores, etiam per intellectum, talem conceptum difficilimé formant.

Verū phātaſia cognoſcat latentē ſubſtantiam?

12 Ad confirmationem reſpond. facilius eſſe fingere chymeram, quàm formare conceptum, ſeu idolum ſubſtantiæ latentis ſub accidentibus Reſpond. ſecundò negando conſequētiam, quia difficilius eſt diſcurrere, propter formalem habitudinem, quā vendicat diſcurſus formalis vnius ad aliud. nā cognitio arguitiua poteſt fieri ex ſola apprehenſione præſuppoſita; at verò diſcurſus formalis ſupponit iudicium formale.

13 Qui verò deffendunt, poſſe phantaſiam diſcurrere circa ſingularia materialia, cōcedunt illi compoſitionem aliquam formalem, & cognitionem ſubſtantiæ materialis, &c. quæ priuilegia habet phantaſia non ſolùm ex radicatione in anima rationali (nam etiam appetitus humanus habet ſimilem radicationem, neque tamen participat aliquid libertatis, vt neque oculi humani propter ſimilem radicationem acutiùs intuentur) ſed ex radicatione ſimul cum miniſtratione proxima intellectui, idque cum maxima cōcordia inter intellectum, & phantaſiam; cùm tamen appetitus ſæpe reſiſtat.

14 Obijcis. Siquidem probabile eſt, poſſe phantaſiam naturaliter diſcurrere circa ſingularia, ita probabile erit poſſe diuinitus diſcurrere circa Vniuerſalia materialia, quia potentia, quæ poteſt aliquid naturaliter, poteſt aliquid ampliùs ſupernaturaliter in eodem genere. Reſpondetur ſolùm ſequi poſſe phātaſiam diuinitus diſcurrere faciliùs circa eadem ſingularia materialia; quemadmodùm oculus poteſt diuinitus videre obiectum lōgiùs

giùs diſtans: & ſicut oculus non poteſt diuinitus intueri obiectum abſens, quia ferretur extra ſuum adæquatum obiectum, ita ex eodem principio non poteſt phantaſia diſcurrere circa Vniuerſalia etiam materialia.

DISPVTATIO VLTIMA.

De Anima ſeparata.

HACTENVS de noſtra anima, prout illam in hoc mortali ſtatu

Noxia corpora tardant
Terreniq; hebetant artus, moribundaq; membra. (Virgil. Æn. 6.)

Nunc breuiſsimè de eâdē loquendum eſt, prout à corpore ſoluta *Concretam exemit labem.* Suppoſito igitur, quòd anima rationalis præter ſtatum, quem habet coniunctum corpori, habeat alium ſeparationis ab ipſo corpore, neceſſariò fatendū eſt immortalem eſſe, nec ſimul cum corpore mortali deficere: quapropter de hac animæ immortalitate, pauca ſunt in hac prima ſectione aduertenda: in reliquis de ſtatu ſeparationis aliqua ſunt diſputanda.

SECTIO I.

De Immortalitate Animæ rationalis.

1 *Sit prima concluſio.* Conſtat ex fide, & ratione naturali, animam rationalē immortalem eſſe, non ex aliqua gratia, aut priuilegio, ſed ex propria natura. Primam partem concluſionis latè oſtendunt Soar. de Anima, lib. 1. cap. 10. à n. 1. Conimbr. tract. de Anima ſeparata, diſp. 1. art. 5. Rhodéſ. ibi q. 5. probatur ex Eccleſiaſt. 12. *Reuertatur puluis in terram ſuam vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum &c.* (Soarius. Patres. Conimbr. Rubius.)

2 Secunda pars concluſionis, quòd ſcilicet conſtet hæc veritas naturali ratione à nobis probata eſt diſp. 78. ſect. 5. à n. 1. ex modo ſcilicet operandi noſtræ animæ, qui eſt omnino incorporeus, vnde neceſſariò ſupponere debet animam incorpoream, & immortalem, nam modus operandi, ſupponit modū eſſendi: dicitur autem noſter intellectus independens in ſuis operationibus, quia non reſidet in aliquo organo corporeo, ſicut viſus in oculo; quamuis enim intellectus noſter ſaltem remotè dependeat à ſenſibus, nihilominùs tamen hoc per accidens eſt, & ſolùm ratione ſtatus imperfecti, quemadmodùm enim poteſt per ſe intellectus cognoſcere Dei, cuius non habet propriam ſpeciem per ſēſus hauſtam, ita &c.

3 Probatur deinde morali, ac naturali ratione, conſtat enim in hac mortali vita, iuſtos multos multa iniuſtè pati, multoſque aliquando præmijs affici: ergo vel neceſſe eſt fateri, Deum eſſe iniuſtum, ſiquidem nō tribuit vnicuique ſecundùm opera ſua, quod aduerſatur lumini naturali: vel neceſſariò fatendum eſt, aliam dari vitam, poſt corporum mortem, vbi mali & iniuſti exerceantur pœnis *veterùmquè malorum ſupplicia expendant*, at verò homines iuſti præmia pro meritis capiant. Tandem probatur eadem pars concluſionis ex inſito in nobis ad Beatitudinem affectu; & ſimiliter ex cura, quam etiam ex futuro habemus; ac denique ex inquietudine noſtræ animæ circa res mortales. Reliqua argumenta pro hac parte luculenter proſequūtur Conimbr. tract. de Anima ſeparata, diſp. 1. art. 3. nec non Arriaga de Anima, diſp. 10. ſect. 1. (Patres Conimbr. Arriaga.)

Vtrum Anima rationalis poſsit fieri dependenter à materia?

4 *Secunda concluſio.* Anima rationalis nec diuinitus educi poteſt de potētia materiæ. Hanc concluſionem huc remiſi ex 2. p. lib. 1. Phyſ. diſp. 23. ſect. 2. nu. 9. & præter auctoritatem Conciliorum, & Patrum multi ex Scholaſticis eādem tradidere, inter quos videri poſſunt D. Thom. 1. p. q. 73. art. 6. in corpore. Val. 1. p. diſp. 6. q. 1. pun. 3. ſub titulo *de Immortalitat. Animæ.* Soar. in Metap. diſp. 15. ſect. 2. à n. 10. Mol. 1. p. q. 45. art. 1. § *Productio hominis.* Tolet. lib. 3. de Anima, cap. 5. q. 26. Hurtad. in Phyſ. diſp. 12. ſect. 6. n. 39. Qui omnes ſatis inſinuāt nec de potentia abſoluta educi poſſe animā rationalem: idem præſtat P. Franciſc. Amicus (Reſolutio eſt negatiua. D. Thom. Valent. Soarius. Molina. Toletus. Hurtad. Franciſc. Amicus.)

tom.

Digitized by Google

tom. 2. qui eſt de Angelis, diſp. 2. ſec. 10. á n. 177. & inſtar omnium Præceptor meus P. Iacobus Pereira vir in Philoſophia primus, & in Theologia primarius, qui oppoſitã opinationem, tanquã m damnatam, inutilem & inuenuſtam impatienter reſpuebat.

Iacobus Pereira.

5 Probatur concluſio. Id quod eſt per ſe, & eſſentialiter immortale, nec diuinitus fieri poteſt mortale: ſed anima rationalis eſt per ſe, & eſſentialiter immortalis, & indepẽdẽs á materia: ergo nec diuinitus fieri poteſt mortalis, ſeu dependens á materia, & conſequenter nec diuinitus educi poteſt, nam id, quod educitur dependet in fieri, & in conſeruari, vt ſatis liquet ex dictis. Maior huius demonſtrationis certiſsima eſt; nam id, quod eſt per ſe tale, nec diuinitus poteſt non eſſe tale: Deus enim mutare non poteſt eſſentiã rei, quia implicat contradictionem. Minor expreſſé traditur á Concilio Lateranenſi habito ſub Leone 10. ſeſſ. 8. quod celebratum fuit Romæ 19. Decembr. Anno 1513. vbi dãnantur, vt hæretici quidam Pomponatius, & alij Philoſophi temere exiſtimantes, animam rationalem, quamuis de facto ſit immortalis, tamen ſuaptè naturá eſſe mortalem. In eo igitur concilio ſtatuitur, animam rationalem per ſe, & eſſentialiter eſſe immortalem. ex quibus ſatis conſtat, conſequentiam eſſe optimam.

6 Declaratur præterea minor, quia ideò ſubſtantia non poteſt inhærere, quia non per aliquid ſuperadditum, ſed per ſe, & eſſentialiter eſt exiſtens & ideò accidens poteſt non inhærere actualiter, quia non eſt inhærens per ſe, ſed per aliquid ſuperadditum, nempe per inhærentiam: atqui anima rationalis per ſe ipſam, hoc eſt non per ſubſiſtentiam, neque per negationem dependentiæ, ſed per ſuammet eſſentiam eſt independens à ſubiecto; ergo cùm eſſentia mutari non poſsit, anima nec diuinitus poterit educi. Confirmatur, quia anima rationalis non poteſt naturaliter educi de potentia materiæ (vt concedũt omnes, qui admittunt eſſe ſpiritualem) quarè ſi diuinitus educeretur, iam non efficeret vnũ per ſe, ſed inhæreret per modum accidentis, quod tamen impoſsibile eſt. Hæc ratio certa etiam eſt, & patet ex lib. 5. Met. vbi oſtendi, neque ſubſtantiam poſſe inhærere, neque poſſe fieri vnum per ſe, niſi ex proprio actu, & propria potentia, quæ naturaliter inter ſe dicant ordinem: non enim loquimur modo de ente per ſe in genere ſuppoſiti, qualis eſt Chriſtus Dominus, qui quamuis habeat ſubſiſtentiam increatam eſt ens per ſe.

Reijcitur contraria ſententia.

7 Obijcis primó pro contraria ſententia, (cui, neſcio quá mercede conducti, iuniores aliqui Philoſophi iudicio malè pertinaci adhæſerunt.) Anima equi eſt dependens á materia, & tamen creari poteſt, reddi que independens: ergo etiam anima rationalis, quæ eſt independens à materia, & immortalis, poterit diuinitus fieri dependens & mortalis per eductionem. Ad hoc argumentum, petitum ex anima equi, velut in equum Troianum confugiunt aduerſarij; verùm enim verò

— *Equo ne credite Teucri*, perſpeſſo enim inſidioſo latere, fallaciæ adparebunt. Reſpond. igitur negando conſequentiam; maior ratio eſt, quia anima equi ita eſt dependens á materia, vt non per ſe immediaté, & eſſentialiter ſit dependens, ſed per aliquid à parte rei diſtinctum, & ſuperadditum, nẽpe per vnionem, vel paſsionem, quá diuinitus priuari poteſt: ſicut etiam accidens reale non eſt inhærens per ſe actualiter, ſed per modum, nempe inhærentiam, à qua etiam diuinitus poteſt ſeparari, at verò anima rationalis, nõ per aliquid ſuperadditum, ſed per ſeipſam, ideſt, per ſuam eſſentiam eſt independens à materia.

Virgil. Æn. 2.

8 Inſtas. Sicut accidens dependet actualiter à ſubiecto per inhærentiam, ita etiam anima rationalis eſt actualiter independens per ſubſiſtentiam: ſed ſubſiſtentia non eſt de eſſentia ipſius animæ (immò in opinione nõ omnino improbabili ſeparari poteſt diuinitus, ita vt maneat ſubſtantia aliqua ſine omni ſubſiſtentia) ergo tunc temporis anima rationalis ſi maneat ſine ſubſiſtentia, fiet, etiamque, dependens. Reſpond. negando maiorẽ, neque enim anima rationalis independens eſt à ſubiecto propter ſuam ſubſiſtentiam, ſed per ſuam exiſtentiam per ſe, quæ formaliter excludit dependentiam à ſubiecto informationis, ſeu ſuſtentationis.

9 Quæ doctrina, vt meliùs intelligatur, ſupponendum á nobis eſt exiſtentiam per ſe, vel eſſe imperfectam, qualis eſt exiſtentia per ſe modorum ſubſtantialium, & formæ materialis, quæ tantùm excludit dependentiam á ſubiecto inhæſionis, per modum accidentis: alia eſt exiſtentia per ſe perfecta, quamuis incompleta, qualis eſt exiſtentia animæ rationalis, & materiæ primæ, & hæc excludit non ſolùm primam dependentiam á ſubiecto inhæſionis, ſed etiam aliam, ſcilicet à ſubiecto ſuſtentationis, ſeu eductionis: tandem datur alia exiſtentia per ſe perfecta, & completa, qualis eſt exiſtentia Socratis, quæ non ſolùm excludit dependentiam á ſubiecto inhæſionis, & à ſubiecto eductionis, ſed etiam excludit dependentiam partis à toto: cùm igitur anima rationalis habeat veram, & perfectam exiſtentiam per ſe ſecundo modo, per ipſam for-

Quomodi ſumatur exiſtentia?

formaliter redditur independens à ſubiecto inhæſionis,& à ſubiecto ſubſtentationis, ſeu eductionis,atque hæc omnia meliùs conſtabunt ex dictis Met.diſp.57.

10 Obijcis ſecundo. Anima rationalis poteſt à Deo anihilari: ergo non eſt per ſe,& per ſuam eſſentiam immortalis: antecedens eſt certum,quia ſi Deus ceſſet à conſeruatione animæ rationalis,definet à ſuo eſſe. Conſequentia probatur, quia id, quod eſt de eſſentia,nec diuinitus auferri poteſt:ergo cùm Deus poſsit deſtruere animæ immortalitatē, ſignum eſt quòd immortalitas non ſit de eius eſſentia. Hoc argumētum, quia multùm probare intentat,nihil probat, nam Angelus ex natura ſua immortalis eſt,neque educi poteſt,vt omnes admittunt, & tamen anihilari poteſt a Deo. Reſpondetur igitur,in anihilatione, ſi daretur, non deſtrui eſſentiam animæ, quarè ſi Deus ceſſaret à conſeruatione animæ, ſolùm deſtrueret eius exiſtentiam in rerum natura,quæ accidentalis eſt:ſi verò illam educeret deſtrueret eius eſſentiam,quòd implicat,quia redderet illam actualiter depēdentem,cùm tamen eius natura poſtulet actualiter non pendere à ſubiecto.

11 Inſtas. Si anima rationalis educeretur,adhuc eſſet aptitudinaliter creabilis, & independens à ſubiecto eductionis, ſicut accidens, quamuis creetur, eſt aptitudinaliter dependens à ſubiecto inhæſionis: ergo &c. Reſpond. negando antecedens,& maior ratio eſt, quia accidens cùm inhæreat per aliquid ſuperadditum, nempe per inhærētiam, definitur,ens in alio aptitudinaliter: at verò cùm anima non per aliquid ſuperadditū exiſtat per ſe, definitur, *ſubſtantia per ſe exiſtens incompletè, eſſentialiter immortalis.* Vnde non poteſt addi particula, *aptitudinaliter*, ſiquidem eſt actualiter independens per ſe ipſam: alioquì dicamus hominem definiri,animal rationale aptitudinaliter,quod eſt maximum abſurdū.

12 Obijcis tertiò. Non repugnat in valde probabili opinione, quod eadem natura ſimul ſit in ſe ratione propriæ ſubſtantiæ, & ſimul in alio,ratione ſubſiſtentiæ alienæ,præcipuè diuinæ: & idem accidens poteſt habere modum exiſtendi per ſe cum modo inhærentiæ: ergo ſimiliter eadem anima erit per ſe independens ratione ſui, & ſimul erit dependens ratione modi ſuperadditi,nempe ratione actionis eductiuæ, vnde non erit ſine ſua eſſentia, ſed erit per ſe independens, & dependens per alium modum ſuperadditum, quod non implicat,quia ſunt termini poſitiui. Reſpond.negando conſequentiam. maior ratio eſt,quia cùm de eſſentia naturæ non ſit vna tantùm ſubſiſtentia,nō repugnat habere plures,quia vna non infert negationem alterius:at verò cùm de eſſentia animæ ſit independentia,habet annexam rigoroſam negationem dependentiæ; ſicut rationale habet negationem irrationalis: & ſicut Socrates nō poteſt ſimul eſſe rationalis, per vnam differentiam,& irrationalis per aliam,licèt ſint termini poſitiui,ita ſimiliter anima &c.

13 Inſtas. A quantitate diuinitus poteſt auferri negatio penetrationis:ergo etiam auferri poterit ab anima rationali negatio dependentiæ. Reſpond. negando conſequentiam:maior ratio eſt,quia negatio penetrationis in quantitate non eſt rigoroſa negatio,ſiquidem non fundatur in eſſentia quantitatis,ſed eſt quædam priuatio,ad eum modum, quo in ſubiecto albo datur negatio nigredinis,& vtraque hæc negatio diuinitus tolli poteſt,nam negatio penetrationis,nō fundatur in ipſa quantitate,ſed in Vbi circunſcriptiuo; per quod quātitas habet negationem actualiter penetrationis; negatio nigredinis non fundatur in eſſentia ſubiecti,ſed in albedine, quæ eſt in ſubiecto: at verò negatio dependentiæ in anima rationali fundatur immediatè in eſſentia ipſius animæ,ſicut negatio irrationalis fundatur immediatè in homine, & ideò hæ negationes tolli non poſſunt vel diuinitùs.

14 Obſtas. Cæli ſunt incorruptibiles,in communi opinione;& tamen educūtur:item noſter intellectus eſt immortalis,& tamen educitur: ergo etiam noſtra anima poterit eſſe immortalis,licèt educatur. Reſpond.negando conſequentiam:diuerſa ratio eſt in cælis, quia cæli in meliori opinione ſolùm ſunt incorruptibiles ab extrinſeco, nempe ratione qualitatum, ac proinde non per ſe,ſed per aliquid ſuperadditum:anima verò immortalis eſt per ſuam eſſentiam.

15 In communi verò opinione, quæ docet, materiam cæli eſſe diuerſæ ſpeciei, dicitur cælum educi ſolùm ratione vnionis, quæ dependet ab extremis;in anima autem rationali nulla cernitur talis dependentia. Noſter verò intellectus propterea educitur, quia nō eſt immortalis ratione ſui, & per ſe, ſed per accidens ratione animę rationalis,& immortalis:anima verò noſtra non ratione alterius, ſed per ſe eſt immortalis,id autem quod per ſuam eſſentiam eſt immortale, per ſuam etiā eſſentiam eſt independens à ſubiecto,& ideò non poteſt fieri dependens, quia tolleretur talis eſſentia.

16 Inſtas. Anima rationalis eſt dependēs per actionem, qua creatur à Deo: ergo per aliquid ſuperadditum. Reſpond. concedēdo animam rationalem eſſe dependentē in fieri

per

Digitized by Google

per actionem ſuperadditam, hanc tamen dependentiam non tollere eius creationẽ. quia non eſt á cauſa materiali, ſed á cauſa efficiẽte: negando verò in facto eſſe dependere per aliquid ſuperadditum actioni efficientis: exẽplum ſit in ſubſtantia, quæ per ſe, ideſt, per ſuam eſſentiam eſt formaliter exiſtẽs, quamuis aliunde fiat per actionem

Anima rationalis neque in fieri poteſt eſſe dependens à ſubiecto.

17 Inſtas adhuc: ergo anima rationalis poteſt eſſe dependens à ſubiecto, ſaltem in fieri. Probatur ſequel. Quia propterea anima equina creari poteſt, quia dependens eſt per aliquid ſuperadditum, nempe per vnionem: ergo etiam anima rationalis ſaltẽ in fieri poterit eſſe dependens à ſubiecto, ſiquidem in fieri eſt dependens per aliquid ſuperadditũ, nempe per actionem, qua creatur. Reſpond. negando ſequelam: Diuerſa ratio eſt, quia illud, per quod anima equina dependet, nempe vnio, ſeparabile eſt in fieri, & in facto eſſe, (neque enim pertinet ad eſſentiam animæ equi, quód actualiter ſit mortalis, & dependens á ſubiecto, vt patet (at verò id, per quod anima rationalis eſt dependens in fieri, nempe actio creatiua, eſt ab ea omnino inſeparabile, ſi enim tolleretur, redderetur anima dependens a ſubiecto per eductionem, & cõſequenter fieret mortalis, quod eſt cõtra eius eſſentiam.

18 Inſipidum verò, & ridiculum eſt aſſerere, animam rationalem dependere poſſe á ſubiecto in fieri, non verò in facto eſſe; nulla enim datur dependentia á ſubiecto in fieri, quin etiam detur aliqua in facto eſſe; nam generatio, quæ eſt dependentia in fieri, vel quæuis vnio in fieri, tam eſſentialiter poſtulat vnionem in facto eſſe, quàm actio poſtulat terminum, quia ſicut actio eſſẽtialiter eſt fieri termini, ita generatio, ſiue eductio eſt eſſentialiter fieri ipſius vnionis in facto eſſe, ſiue fieri ipſius formæ vnitæ.

19 Nec minùs inurbanum eſt dicere, animam rationalem reddi poſſe actualiter immortalem, & adhuc eius eſſentiam ſaluari, ex eo quòd immortalitas illi debeatur, vt enim dixi, eodem modo dici poterit, hominẽ poſſe actualiter deſinere eſſe rationalem: & quod inde ſequitur, poſſet actualiter homo eſſe brutum, quod ne compellamur aſſerere, fatendum neceſſariò eſt, ſiquidem anima, vt docet fides, eſt eſſentialiter immortalis, eam non ſolùm aptitudinaliter, ſed etiam actualiter ſemper futuram immortalem.

SECTIO II.

Vtrùm Anima in ſtatu ſeparationis habeat violentiam, vel appetitum ad corpus?

Status ſeparationis nõ eſt animæ violẽtus.

1 PRima concluſio. Status animæ ſeparatæ nec eſt violentus, nec contra, aut præter naturam animæ, ſed ſimpliciter naturalis: hæc eſt contra Conimbr. tract. de Anima ſeparata, diſput. 3. art. 2. §. *Sit igitur* & § *Ex duobus*: non eſt tamen contra Soar. de Anima lib. 1. cap. 9 n. 6. ibi enim ſolùm aſſerit, magis naturale eſſe animæ permanere in corpore, inde verò infertur ſtatum extra corpus etiam dici poſſe naturalem, quamuis ſit minùs naturalis.

Patres Conimbr. Soar.

2 Probatur tamen concluſio. Quia anima rationalis ex natura ſua immortalis eſt, & perpetua: ergo naturaliter illi debetur perpetua conſeruatio in proprio eſſe; ſed nõ poteſt naturaliter conſeruare ſuum proprium eſſe permanendo in corpore, cùm illud informet ſeparabiliter; ergo talis conſeruatio debetur illi extra corpus, & conſequenter naturalis illi eſt ſtatus ſeparationis, per quem conſeruatur. Declaratur hoc fundamentum, nam anima rationalis eſt forma corporis corruptibilis, ideſt, aliquando corrumpendi, atque adeò vnitur corpori per vnionem naturaliter finiendam; ergo naturale eſt, quòd anima ſine corpore perſeueret, ſiquidem eſt immortalis.

3 Quod ampliùs declaratur, quamuis enim natura per ſe primò non intendat mortem & corruptionem totius corporis, nihilominùs eadem corruptio ſecundariò, per ſe tamen, intenditur à natura, nam natura primariò intendit generationem alicuius, cùm verò hæc dari non poſſit ſine corruptione alterius, inde eſt quód corruptio per ſe intendatur á natura, licet ſecundariò, ſic igitur anima rationalis, cùm per ſe ſit forma corporis, naturaliter, & per ſe, ac primariò includit ſtatũ vnionis cum corpore, cùm tamẽ corpus corruptibile ſit, neque in eo poſsit anima perpetuò durare, cùm illud informet ſeparabiliter, bene ſequitur, quòd ſtatus ſeparationis, quãuis ſecundariò, per ſe tamẽ, & naturaliter intendatur ab anima, & in hoc ſenſu dixit D. Thom. 1. p. q. 89. art. 1. ſtatum ſeparationis animæ eſſe contra eius naturam, ſolùm enim vult Sanctus Doctor, talem ſtatum non eſſe naturalem per ſe primò, ac directè ab anima inten-

intentum, ſed ſolùm ſecundariò, & quaſi indirectè, in quo ſenſu non negat eſſe ſimpliciter naturalem.

Reijcitur contraria ſententia. D.Thom. Caiet. Ferrar. Henriq. Hurtad.

4 Obijcis primò pro contraria ſentẽtia, quæ docet ſtatum ſeparationis eſſe præternaturalem animæ, & violentum in fieri, eam tenent Conimb. ſup. cit. qui pro ſe adducũt D.Thom. Caiet. Ferrar. & Henriq. ſed D.Th. loquitur in ſenſu à nobis explicato: eandem contrariam ſententiam tuetur Hurt. de Anima, diſp. 18. ſect. 3. à n. 1. & quamquàm n. 19. dicat ſtatum ſeparationis non eſſe præternaturalem in facto eſſe, loquitur in alio ſenſu diuerſo. Obijcis, inquam, primò. Vnio ad corpus naturalis eſt animæ rationali: ergo illi nõ poteſt eſſe naturalis, corporis ſeparatio. Probatur conſequentia, quia eidem rei conuenire non poſſunt affectiones adeò oppoſitæ. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: animę rationali naturalis eſt vnio ſeparabilis, concedo antecedens: vnio inſeparabilis, nego antecedens. Quarè cùm vnio ſit naturaliter diſſolubilis, bene poteſt naturalis eſſe per ſe primò. Et deinde bene poteſt ſeparatio eſſe naturalis per ſe, & ſecundariò. Ad probationem reſpondetur affectiones illas pro diuerſis temporibus non eſſe contrarias, ſed potiùs naturales animæ, ſuppoſito quòd ſit immortalis, & eius vnio ſeparabilis.

5 Obijcis ſecundò. Separatio animæ à corpore cadit in malum totius compoſiti: ergo non poteſt eſſe naturalis animæ, neque intendi à natura, quæ non intendit malũ. Reſpond. conceſſo antecedente, diſtinguendo conſequens: non poteſt intendi à natura per ſe primò, concedo conſequentiam: per ſe ſecundariò, nego conſequentiam. Quamuis enim natura primò non intendat mortem, cùm ſit malum totius compoſiti, eſt tamen bonum reſpectu totius naturæ, quæ, ſuppoſito hoc rerum ordine, non poteſt primariò intendere generationem vnius, quin ſecundariò intendat corruptionem, ſiue mortem alterius.

6 Neque dicenda eſt violenta, etiam in fieri, mors illa, quæ naturaliter euenit, immò naturalis eſt, non quidem ex perfectione naturæ, ſed ex naturali imperfectione, quo pacto naturale eſt materiæ ex eius imperfectione, appetere formas. Metus verò, & horror mortis, non probant, quòd ſit contra, vel præter naturam, ſed prouenniunt ex multis alijs cauſis, quæ cum maximo dolore dantur in animalibus, propter ſeparationem totius cõpoſiti: immò quamuis mors ſit malum alicuius compoſiti, poteſt eſſe in commodum alterius, vt patet ex dictis. Quãpropter valdè miror Conimbr. in doctrina Ariſtotelis peroptimè verſatos, & Hurt. aſſerentes, mortem, prouenientem per cauſas naturales, eſſe violentam, quod patet falſum eſſe, ſiquidem talis mors prouenit ab intrinſeca ratione vnionis ſeparabilis, & ſecundariò intenditur à natura: neque obſtat quòd vulgò dicatur violenta mors repentina, quæ ferro v. g. prouenit, eſt enim etiam naturalis, ſiquidem prouenit ab intrinſeca vnione ſeparabili; quamuis per accidens magis acceleretur, & aliquo modo ab extrinſeco proueniat, & dicatur acceleratior.

7 Obijcis tertiò. Naturale eſt animæ rationali materiam actualiter informare: ergo ſaltem eſt præter eius naturam eſſe in ſtatu, in quo non informat corpus. Probatur cõſequentia; quia non poteſt eſſe naturale alicui rei carere perfectione ſibi debita, qualis perfectio eſt reſpectu animæ eſſe principium actionum vitalium in corporibus. Reſpond. explicando antecedens: ita enim eſt naturale animæ informare corpus, vt illud informet ſeparabiliter, vnde non poteſt eſſe cõtra, vel præter eius naturam ceſſare ab hac informatione. Ad probationem dicendum eſt, animã in ſtatu ſeparationis non priuari perfectione ſibi debita pro eo ſtatu, neque enim tum temporis illi debetur eſſe principium actuale actionum vitalium, quia iam periere diſpoſitiones neceſſariæ: immò potiùs ex ſeparatione animæ à corpore, prouenit animæ aliqua maior perfectio, nimirum modus operandi ſimilis modo operandi Angelorum, quamuis, vt docet Suar. de Anima, lib. 6. cap. 9. n. 3. anima in eo ſenſu non perficiatur ſubſtantialiter. *Suar.* Ex quibus tandem colligitur magis naturale eſſe animæ eſſe vnitam corpori, licèt non ſit contra, aut præter eius naturam, ſed ſimpliciter naturale extra corpus ſeparatam exiſtere.

Anima ſeparata habet appetitũ informãdi corpus.

8 *Secunda concluſio.* Anima ſeparata habet innatum appetitum iterum corpus informãdi: ita D.Th. q. 79. art. 1. p. 1. Suar. de Anima, lib. 6 cap. 10 à n. 2. Conimbr. tract. de Anima ſeparata, diſp. 2. art. 3. contra Scotum, & alios. Probatur, quia appetitus informandi nõ diſtinguitur ab ipſa anima: ergo non eſt ſeparabilis ab illa. Confirmatur exemplo materiæ primæ, à qua non poteſt ſeparari appetitus ad formam.

9 Obſtas pro Scoto. Id, quod naturaliter acquiri non poteſt, naturaliter nõ poteſt appeti; ſed reunio non poteſt naturaliter acquiri ab ipſa anima: ergo &c. Reſpond, negãdo maiorem: appetit enim cæcus viſum, quẽ naturaliter non poteſt acquirere; & materia appetit naturaliter formam amiſſam, quam naturaliter habere nõ poteſt. Ad talem enim appetitũ, ſufficit, quòd prima vice ſit ſatiatus.

Ex

Digitized by Google

Ex quibus patet carnis reſurrectionem naturalem eſſe, quòad entitatem, & ſupernaturalem quóad modum.

10 *Tertia concluſio.* Anima non habet appetitum elicitũ naturalem efficacem reunionis ad corpus: ita Soar. de Anima, lib. 6. cap. 10. n. 3. Probatur, quia talis reunio eſt impoſsibilis naturaliter: ſed circa impoſsibile nõ datur amor, ſiue appetitus elicitus efficax, vt dixi in Met. trac 3. diſp. 67. ſec. 3 nu 16. ergo &c. Cõfirmatur, quia ex tali vnione aliquod malum prouenit animæ, quia reuertitur ad ſtatum mortalem: animæ tamen beatæ, vt conſtat ex Apocalypſi efficaciter appetunt vnionem, quam ſupernaturaliter cognoſcũt poſsibilem, perpetuam, ac beatam futuram.

SECTIO III.

De modo cognoſcendi animæ ſeparatæ.

Potentiæ, & ſpecies ſpirituales remanent in anima. *Soarius. Rubius. Patres Conimbr. D. Thom.*

1 PRima concluſio. Omnes potentiæ ſpirituales permanent in anima ſeparata, item omnes ſpecies & habitus ſpirituales, quibus in vita erat inſignita: ita communis ſententia pro qua videri poteſt Soar. de Anima, lib. 6. c. 3. Rub. trac. de Anima ſeparata, q. 8. á n. 105 Conimb. de Anima ſeparata, diſp. 3. art. 3. cum D. Th. & alijs. Probatur, quia omnia hæc ſunt in anima, tanquàm in ſubiecto proprio, ſuntque ſpiritualia ſicut anima, neque ſunt potentiæ aliquæ organicæ dependentes á coniunctione animæ cum corpore.

2 Ex peculiari tamen prouidentia Dei, non permanent habitus vitioſi in intellectu Beati, ſi quos fortè habuit in hac vita, quamuis facilè concedam vitiorum habitus permanere poſſe in anima damnata, licèt illo ſũ nullum poſsit habere vſum: in anima tamen beata, quamuis habitus vitioſus nullum vſum habere poſsit, nihilominùs magis conueniẽs eſt ſtatui beatifico, vt neque quòad vſum, neque quòad ſubſtantiam tales habitus reperiantur. Ex dictis col igitur primò, non perſeuerare in anima ſeparata potentias corporeas, & ſenſitiuas. Colligitur ſecundò permanere intellectum agentem, non quidem ad illuſtrandum intellectum, neque ad producendas ſpecies intelligibiles ex phantaſmatibus, ſed ad ornatum animæ, cuius ille intellectus eſt pars accidentalis, ad eum modum, quo permanebunt habitus multarum virtutum, quæ pro illo ſtatu nullum habebũt vſũ, vt cernitur in habitu virtutis, tẽperãtiæ, & pænitentiæ.

3 *Secunda concluſio.* Anima ſeparata, præter ſpecies rerum, quas ſecum affert ex hac vita, alias ſubinde accipit, vel á Deo immediatè, tanquam ab auctore naturæ (quod iudico probabilius) vel aliquando ab ipſis obiectis, quod nõ eſt improbabile. Pro hac cõcluſione poſſunt videri Soar. de Anima, lib. 6. c. 4. Rub. de Anima ſeparata, q. 8. Conimb. diſp. 3. art. 3. vbi citant Mol. Fonſ. & alios negantes has ſpecies immediatè prodire ab ipſa anima. Probatur concluſio, quia tales ſpecies prouenire non poſſunt miniſterio intellectus agentis, vt volebat Scot. in 4. diſt. 45. q. 1. & ratio eſt, quia intellectus agens ex ſe eſt indeterminatus, & proptereà ad ſimilem productionem determinatur à phantaſmate expreſſo, ſed in ſtatu ſeparationis nullum datur phantaſma: ergo &c.

Soar. Rubius. Patres Conimbr. Molina. Fonſeca. Scotus,

4 Deinde tales ſpecies connaturaliùs infundentur ab ipſo Deo, quemadmodum Angelis á principio ſuæ creationis infundũtur ſpecies rerum creatarum, quæ tamen ſpecies non emanant ab ipſo Angelo, ſed á Deo, tanquàm ab auctore naturæ infunduntur. Probabile etiam eſt, poſſe has ſpecies prodire ab aliquibus obiectis, poſſunt enim Angeli, vel aliæ animæ ſeparatæ immediatè imprimere has ſpecies, ad eum modum, quo albedo naturaliter imprimit ſpecies in viſu, ſicut enim albedo viſibilis eſt, ita Angelus, vel anima intelligibilis eſt: neque vllũ eſt inconueniens ſubſtantiam aliquam immediatè per ſe producere, vel efficere has ſpecies, cùm enim ſint intentionales, & imperfectæ bene produci poterunt per emanationem.

5 *Tertia concluſio.*, Anima ſeparata cognoſcere poteſt Angelos intuitiuè & quidditatiuè. De hac etiã concluſione legatur Soar. de Anima, lib. 6. c. 6. n. 6. Probatur, quia anima ſeparata habet ſpecies proprias Angelorum, quibus vtitur ſine aliqua conuerſione ad phantaſmata. Probabilius tamẽ exiſtimo, non poſſe animam per has ſpecies cognoſcere Angelum comprehenſiuè, quia ad cognitionem comprehenſiuam requiritur cognitio non ſolùm eſſentiæ, ſed omnium proprietatum, quæ non ita facilè innoteſcent animæ ſeparatæ, quia cùm Angelus ſit excellentior, quàm anima, longè etiam excedit animæ capacitatem; vnde à fortiori dicendum eſt, non cognoſci ab anima cogitationes cordis Angelorum.

Quæ obiecta cognoſcat intuitiuè anima ſeparata.

6 Bene tamẽ poterit anima cognoſcere ſe ipſam ſine aliqua ſpecie, propter ſummam ſpiritualitatem, quam ſecum habet: alias verò animas, vel Angelos, quamuis ipſi animæ, per ſummam præſentiam illabantur, non intelliget ſine ſpeciebus intentionalibus, quia, vt dixi

dixi diſp. 81. ſect. 5. hæc præſentia eſt valde materialis, & veluti extrinſeca; & præterea ſubſtantia finita non poteſt per ſe actuare intellectum alterius, & cũ illo concurrere modo intelligibili, hoc enim ſoli Deo poteſt cõuenire: quod tandem ex eo conuincitur, quia ſi anima ſeparata ad cognitionem alterius animæ, vel Angeli, requireret neceſſariò immediatè illorum præſentiã, ſequeretur quòd anima ſeparata non intelligeret hæc obiecta, quando vellet, ſed quando anima, vel Angelus vellet illi præſentes fieri. Circa loquutionem animarum ſeparatarum [habent enim inter ſe vrbanum, & politicum loquendi vſum] ſufficiunt illa, quæ dixi de Angelorum loquutione in 1. p. tract. 2. diſp. 10. ſec. 1. à n. 19.

7 *Quarta concluſio.* Abſolutè loquendo perfectiùs res intelligit anima ſeparata, quã coniuncta corpori: hanc concluſionem latè proſequitur Suar. de Anima, lib. 6. cap. 8. ratio illius eſt, quia pro eo ſtatu habet ſpecies proprias rerum creatarum; immò eædem ſpecies, quas ſecum attulit ex hac vita perfectiùs obiectum repræſentabunt, quia ſtatus ille liberior eſt, lumenque illius expeditius; res tamen ſupernaturales extra viſionem beatam, ſolùm cognoſcet arguitiuè, quòad eſſentiam; & aliquas euidenter, quòad an ſint? Quæ doctrina colligi poteſt ex dictis in 1. p. tract. 2. diſp. 14. ſect. 1. & præterea ex dictis circa cognitionem intuitiuam, & abſtractiuam in hoc tract. diſp. 84. ſec. 2.

8 Tandem pro anima ſeparata aduertẽdum eſt, illam ſe localiter mouere poſſe (in qua propoſitione negando errauit Durand.) *Durand.* vt videre eſt apud Conimbr. tract. de Anima *Patres* ſeparata, diſp. 6. vbi latè, & doctè probant *Conimbr.* hanc veritatem, non ſolùm ex naturali ratione, ſed etiam ex principijs fidei; conſtat enim animam Chriſti Domini ſeparatam à corpore realiter ad inferos deſcendiſſe: quod præterea confirmari poteſt ex multis apparitionibus, quarum aliquæ certiſsimæ fuere, de quibus Conimbr. ibi. diſp. 6. art. 3. ad 7.

Hæc ſuper libris de Anima, & ſuper vniuerſa Philoſophiæ SVMMA ſcribebã. Hîc tandem vela traho. Tibi ergo, Beatiſsima Virgo mea, totum hoc opus, cum libris de Anima, ex animo dico, dedico, & conſecro,

Hanc tu iure tuo ſume Animam, atq; animum. *Scal. in Crit.*

Hæc igitur ſint ſatis pro Philoſophiæ tomo, in quo pro hac SVMMA, ſummo labore, breuitati ſummæ velificaui: qui longiorem deſiderat commentarium, eos adeat, qui totos ſapientiæ ſinus, in hoc immenſo Artium pelago, lentiùs & lætiùs expandunt;

Non ego velifera tumidum mare findo carinâ; *Propert. lib. 3.*
Tota ſub exiguo flumine noſtra mora eſt.

Nunc verò eâdem breuitatis ſemitâ pergo ad aliam Summæ Theologiæ SVMMAm. Si quod tamen nomen, aut decus geſsimus in hoc opere, id quidem Sanctiſsimæ Virgini meæ dicatum velim, cuius totum eſt, ſi quid placeo, aut ſpiro.

Vos igitur riuos claudite, & plaudite.

Finis ſecundi voluminis, & vniuerſæ SVMMÆ Philoſophiæ.

LAVS DEO,
ac Matri Virgini.

INDEX RERVM MEMORABILIVM HVIVS SECVNDI VOLVMINIS.

A.

Accidens.

Non eſt vniuocum ad nouem ſumma genera accidentium. p.24.n.1.
Accidens prædicamentale, & phyſicum ad quantitatem, & qualitatem eſt vniuocum. p.24.n.3.
Eſt verum genus. p.25.à n.8.
Accidens reale, & realiter diſtinctum à ſubſtantia, poteſt ab ea diuinitus exiſtere ſeparatum. p.40. à n.1.
Actualis inhærentia non eſt de eſſentia accidentis. ibid.
Accidens diuinitus poſitum extra ſubiectum habet modum per ſe exiſtendi. p.41. à n.3.

Accidens extra ſubiectum.

Actio per quam accidens ponitur extra ſubiectum eſt diuerſæ ſpeciei ab ea qua produceretur in ſubiecto. p.32.à n.11.
In eodem accidente dari ſimul poteſt modus per ſe exiſtendi, cum modo inhærendi. p.44. à n.24.
Accidens poſitum extra ſubiectum non poteſt reproducere ſuam vnionem ad ſubiectum. p.44.n.26.
Nullum accidens aſſumi poteſt ad vnionem hypoſthaticam. p.88.n.4.

Actio.

Omnis actio dicit eſſentialem ordinem ad principium. pag. 148.à n.1.
Actio eſt vnus tantùm reſpectus. p.148.n.2.
Hæc numero actio dicit eſſentialem ordinem ad hoc numero agens. p.148.n.4.
Actio cauſæ ſecundæ non poteſt fieri à ſolo Deo. pag. 149. n. 7.
Actiones indiuiduantur per agentia. p.149.n.10.
Omnis actio eſſentialiter poſtulat terminum. pag. 149. à n. 11.
Actiones immanentes habent terminos. p.149. à n.2.
Per viſionem beatam producitur terminus intellectionis. p. 151.n.9.
Actio non reſpicit terminum, tanquàm ſubiectum inhæſionis. p.151. à n.10.
Neque actio eductiua reſpicit eſſentialiter ſubiectum. pag. 151.n.12.
Actiones ſpecificantur, tanquàm à ſigno per terminos intrinſecos, & materiales. p.152.à n.2.
Actio vitalis, & non vitalis circa eundem terminum non differunt eſſentialiter. p.152.n.8.
Actio libera, & neceſſaria circa eundem terminum non differunt ſpecie. ſicut nec actio miraculoſa, & naturalis circa eundem terminum. p.153. à n.9.
Omnis actio diſtinguitur modaliter à ſuo termino. pag.154. n. 1.
Actio facit vnum per ſe cum termino. p.154.à n. 2
Probabilis eſt ſententia quæ docet actionem non efficere cum termino vnum per ſe. p.154. à n. 1.
Actio per ordinem ad principium conſtituit prædicamentũ. p.154.n.8.
Vna actio nec diuinitus poteſt eſſe terminus alterius actionis. p.155.à n.1.
Quomodò actio fiat à vincente. p.155.à n.1.
Per plures actiones non poteſt naturaliter fieri idem effectus. p.157.à n.1.
Actio eductiua, & conſeruatiua eiuſdem termini eſt eiuſdem ſpeciei. p.158.n.9.
Per plures actiones totales poteſt diuinitus fieri idẽ effectus. p.159.à n.13.

Actio vitalis.

Datur actio vitalis, quæ non eſt immanens. pag.333. nu. 22. & 23.

Actio reflexa.

Idem non poteſt agere in ſe ipſum actione reflexa. pag. 259. à n. 7.

Actus.

Actus cognoſcendi eſt qualitas quædam diſtincta ab ſpecie. &c. pag.311. n.1.

Aer.

Aer non habet permixtionem frigoris. p.270.

Ætas.

Quandiu duret ætas florida. p.249.n.3.

Æternitas.

Quid ſit æternitas? p.176.à n.2.

Alimentum.

Non priùs vnitur corpori, quàm per nutritionem cõuertatur. p.248. n.15.
De alimento requiſito ad augmentationem. p.250.n.11.
Ex quatuor humoribus ſolus ſanguis propriè eſt alimentum. p.251.n.11.

Agens.

Quomodò agens agendo repatiatur? p.256. à n.5.

Alteratio.

Quid ſit Alteratio? p.243. n.1.
Habet partes intenſionis, & extenſionis pro diuerſitate terminorum. p.243.n.2.
Alteratio neceſſaria eſt ad generationes naturales. p.243.n.3.
Subiectum Alterationis eſt materia mediante quantitate. pa 243. n.4.
Alteratio nobilior eſt inter motus accidentales. p.244.n.9.

Angelus.

Angelus ſolùm virtualiter diſcurrit circa obiecta naturalia. p.363.à n.1.
Angelus poteſt diſcurrere formaliter circa ineuidentia. pag. 363.n.3.& 4.
Vtrùm in Angelis admitti poſſint habitus? p.226.à n.23.
Non ſunt in loco formaliter, & immediatè per ſuam ſubſtantiam. p.166.n.9 & 10.
Neque item ſunt formaliter in loco per operationem. pag. 166. à n.11.
Item non ſunt in loco formaliter per qualitatem. pa.167. n. 14.
Angelus exiſtens abſolui non poteſt ab omni Vbi. pag.167. à n.1.
Cur Angelus dicatur creari, non verò compoſitum quodlibet? p.73. n.11.

Verùm Vbi Angelicum ſit diuiſibile, an indiuiſibile quòad ſpatium? p.168. à n.2.
Habent verum, & proprium Vbi. p.165. à n.6.

Analogia.

De Analogia Entis. pag.19. n.5.
Quæ Analogia ſit in accidente prædicamentali ad nouem genera ſumma accidentium. p.24. n.1.

Anima.

Anima ſolùm vegetatiua non includit in ſe neque formaliter, neque eminenter gradum ſenſitiuum: & ſimiliter anima ſenſitiua, & vegetatiua tantùm non includunt animam rationalem. p.281. n.1.
Anima rationalis formaliter eſt ſenſitiua, & vegetatiua. pag. 281. n.2.
Anima rationalis eſt omnium perfectiſſima. p.283. n.1.
Animæ rationales omnes ſunt eiuſdem ſpecificæ, & eſſentialis perfectionis. ibidem. n.2.
Poſſibiles ſunt animæ rationales diuerſæ ſpeciei. p.283. n.3.
Animæ rationales habent inæqualem perfectionem. pag.283. n.4.
Anima rationalis indiuiſibilis eſt. p.284. n.1.
Animæ animalium imperfectorum omnes ſunt diuiſibiles. p. 285. n.5.
Animæ etiam animalium perfectorum ſunt diuiſibiles. ibidē n.6.
In quolibet compoſito datur vna tantùm anima totalis. pag. 286. n.1.
Quo pacto anima rationalis ſit in corpore? p.288. n.1.
Dantur tres animæ. p.280. n.4.
Quatuor ſunt genera animatorum. p.280. n.7.
Anima immediatè concurrit ad ſuos actus vitales. p.312. n.2.
Quid ſit anima? p.278. n.1.
Quid ſit corpus organicum? ibidem. n.2.
Animæ diuiſio. p.279. n.1.
Plantæ habent animam vegetatiuam. ibidem. n.2.

Anima rationalis.

Eſt per ſe immortalis. p.368. à n.1.
Nec diuinitus educi poteſt de potentia materiæ. ibidem. à n.4.

Anima ſeparata.

Non habet appetitum elicitum reunionis ad corpus. pag p.373. n.10.
Quæ potentiæ, vel ſpecies permaneant in anima ſeparata. pag. 373. à n.1.
Quas ſpecies, & quas cognitiones habeat anima ſeparata. pag. 373. à n.5.
Status animæ ſeparatæ non eſt illi violentus. pag. 371. à nu. 1.
Anima ſeparata habet appetitum informādi corpus. p. 372. n.8.

Antiperiſtaſis.

Idem non poteſt agere in ſe ipſum per antiperiſtaſim. p.258. à n. 2.

Appetitus.

Quid ſit, & vbi reſideat? p.329. n.15.
Appetitus innatus ad ſcientiam datur in homine. p.2. n.1.
Datur etiam appetitus elicitus naturalis ad ſcientias. pag. 2. n. 3.
Ad ſcientiam tam in communi, quàm in particulari datur appetitus elicitus. p.2. n.5.
Vita diligitur ab hominibus appetitu elicito naturali. pag. 3. n. 6.
Appetitus innatus naturalis non datur in nobis ad ſcientiam ſupernaturalem. p.3. n.1.
Datur tamen naturalis elicitus ad viſionem beatam. p.4. n.6.
Appetitus. Vide Voluntas.

Apprehenſio.

Quid ſit prima apprehenſio, & quomodò in hominibus, & Angelis detur? p.345.
Prima apprehenſio diuiditur in intuitiuam, & abſtractiuam. p.345. n.5. & 6.
Semper ſimplex apprehenſio naturaliter præcedit iudicium. p.360. n.15.

Aqua.

Aqua non eſt propriè cibus, ſed vehiculum cibi. pag. 250. n.11.
Aqua eſt ſummè frigida. p.269. n.10.

Aſſumptio hypoſtatica.

Diuina ſubſtantia aſſumi non poteſt hypoſtaticè ad ſubſiſtentiam creatam. p.89. n.13.
Diuina eſſentia aſſumi non poteſt hypoſthaticè ad ſubſiſtentiam creatam. p.89. n.12.
Modi aliqui ſubſtantiales poſſunt immediatè hypoſthaticè terminari. p.89. nu.13.
Nulla natura quà talis poteſt aliam ſibi hypoſthaticè vnire. p.90. à n.14.
Sola natura, quæ habet propriam ſubſiſtentiam poteſt terminari per alienam ſubſiſtentiam. p.88. n.1. Vide Accidens.
Irrationalis natura poterat aſſumi à Verbo diuino. p.88. n.2. & 3.

Auditus.

Definitur auditus, & explicatur eius fabrica. p.318. n.1.
Vbi reſideat auditus? p.318. n.3.
Obiectum auditus eſt ſonus. p.318. n.5.

Augmentatio.

Quid ſit augmentatio? pag.248. n.1.
Eſt eſſentialiter continua. ibi.
Non poteſt fieri in inſtanti. ibi. n.2. & 4.
Augmentatio quomodò fiat. p.249. n.5.
Quomodò id quod augetur ſemper ſit idem? pag.250. nu. 6. 7. &c.
Fit per omnes corporis partes. p.249. n.7.
In quo differat à Decretione? p.249. n.7.
Quandiù duret augmentatio? p.249. n.1. & 2.

Auxilium. ſufficiens.

Cur voluntas non ſit operatura cum ſolo auxilio ſufficiente. p.204. n.8. & 9.

B.

Bonitas.

De Bonitate tranſcendentali. pag.21. à n.7.

C.

Cauſa.

Idem effectus preuenire poteſt à pluribus cauſis totalibus. p.159. à n.13.
Quomodo duæ cauſæ totales concurrant ſimul ad producēdum eundem effectum? p.160. n.14. & 24.

Chriſtus Dominus.

Chriſtus Dominus habet intellectum agentem. p.332. n.12.
Chriſti Dñi humanitas per quā exiſtentiā exiſtat. p. 17. n.21.
Hic homo, oſtenſo Chriſto Domino, quid dicat de formali? p. 95. n.18. & 19.
Quid ſignificet de formali hoc nomē Chriſtus? p.96. à n.27.
Hæc propoſitio Chriſtus, & Deus quo pacto ſit eſſentialis? p. 97. n.30.

Digitized by Google

Hoc nomen Chriſtus ſignificat formaliter compoſitum ineffabile ex vtraque natura. p.97.n.33.& 34.
Vtrùm Chriſtus Dominus poſſit dici plures in numero pluraliſ? p.99.n.11.& 12.
Refertur ad Virginem matrem per relationem creatam. pag. 146. n.25.
Quæ relatio realis eſt. p.146. n.29.
Per ſe ponitur in prædicamento ſubſtantiæ. p.52.à n.1.
Cur potiùs ponatur ratione naturæ humanæ, quàm reijciatur ratione diuinæ. p.53.à n.5.
Chriſtus Dominus quo pacto ſit vnum ens per ſe. p.54.n.11.
Eſt per ſe,& eſſentialiter homo. p.54.à n.14.

Colores.

Quid ſit color,& quomodò à lumine diſtinguatur? pag.317. n. 14.

Cognoſcere.

Difficultas cognoſcendi res ſuperioris ordinis prouenit à noſtro intellectu. p.6.n.1.
Difficultas cognoſcendi res minimæ entitatis prouenit ab ipſis rebus,& modo aliquo à noſtro intellectu. p.6.n.4.

Cognitio. Vide Voluntas.

Cognitio eſt tantùm conditio reſpectu voluntatis. p.196.n.4. item p.197.à n.10.
Non ſufficit cognitio ſenſitiua ad actus voluntatis. pag. 196. n. 5.
Cognitio apprehenſiua ſufficit ad actus primò primos voluntatis. p.196.n.7.

Cognitio diuina.

In cognitione diuina nulla datur dependentia,nec diſtinctio. p.362.à n.8.
Non datur cognitio de Deo in hac vita per conceptum quidditatiuum eiuſdem,operando naturaliter. p.6.n.1.
Quæ cognitio de Deo detur in hac vita. p.7.n.3.
Cognitio animæ à nobis in hac vita quæ ſit. p.10.n.20.
Quæ cognitio Angelorum detur in nobis. ibidem.n.21.

Conceptus.

Deus ſe ſolo poteſt producere conceptum. p.340.à n.1.
Actio per quam produceretur conceptus extra ſubiectum eſt creatio. p.341.n.9.
Idem conceptus poteſt creari,& educi. p.341.n.10.
Per conceptum productum à ſolo Deo non intelliget homo, niſi actiuè concurrat. pag.391.n.11.

Contraria.

Duæ qualitates contrariæ non poſſunt ſimul eſſe naturaliter in eodem ſubiecto. p.265.n.1.
Diuinitus poſſunt ſimul eſſe aliquot contraria in eodem ſubiecto. p.265.n.3.n.6.& 7.
Vtrùm actus vitales contrarij poſſint eſſe in eodem intellectu? p.265. n.4.
An poſſint ſimul eſſe duo habitus contrarij? p.267.à n.17.
Qualitates contrariæ poſſunt ſimul eſſe naturaliter in eodem ſubiecto,in gradibus remiſſis. p.266.à n.8.
Poteſt idem corpus ſimul habere duos motus contrarios.pag. 267.n.14.

Conuerſio ad phantaſmata

Quid ſit, & quomodò requiratur conuerſio ad phantaſmata? p.343.à n.8.

Cor.

Cor eſt prius membrum,quod generatur in animali.pag. 239. n. 7.
Cor eſt membrum magis neceſſarium , cerebrum tamen eſt nobilius. p.240. n.8.

Corruptio.

Quid ſit corruptio? p.240.n.1.
Eſt prior generatione in genere cauſæ materialis , ſed poſterior in genere cauſæ efficientis. ibi,n..2.
Quo pacto Corruptio dici poſſit naturalis? p.240. à n.3.
Corruptio non intenditur à natura primaria intentione , ſed ſecundaria. p.241.n.7.
Quoties datur corruptio vnius formæ datur generatio alterius. p.241. n.8.
Accidentia quæ immediatè ſequuntur formam corrumpuntur ad eius corruptionem. p.241.n.1.
Non datur corruptio. ſine reſolutio vſque ad materiam primam. p.241. à n.2.
Soluuntur contrariæ ſententiæ. ibi. à n.6.

D.

Deus.

DEus poteſt demonſtrari per effectus. p.7.n.2.
Deus non poteſt,perfici intrinſecè per formam ſuperadditam. p.9.n.14.
Deus amat poſſibilia. p.12.n.10.
In Deo quæ diſtinctio detur inter eſſentiam , & exiſtentiam. p.15.n.12.
Poteſt vti ſigno inſtrumentali,quin diſcurrat virtualiter.pag. 363.à n.11.
Deus habet diſcurſum virtualem ſecundùm ſucceſſionem. p. 363.n.14.
Poteſt cognoſci quidditatiuè, quin ſimul intuitiuè cognoſcatur. p.354.à n.10.
Probabilius eſt nec virtualiter diſcurrere. p.361.à n.4.
Deus habet ſuum peculiare Vbi , nempe diuinam immenſitatem. p.165. à n.1.
Non poteſt creatura vbicari per immenſitatem Dei. pag.165. n.4. & 5.
Deus eſt ſubſtantia ſupernaturalis. p.49. à n.25.
Deus nec per ſe,nec reductiuè ponitur in prædicamento ſubſtantiæ. p.50.à n.1.
Deus habere non poteſt compoſitionem ex genere,& differentia. p.50. n.5.
Deus ponitur in prædicamento per communicationem idiomatum. p.51.à n.9.
Oppoſitum probabile eſt,& quomodò defendi poſſit? pag.52. n.14.
Deus habet veram , & propriam durationem. pag. 176. n. 1. 6. & 7.
Deus non habet ſubſiſtentiam abſolutam. p.65.à n.2.
Deus ſine ſubſiſtentijs relatiuis concipitur perfectiſſimè terminatus in genere naturæ. p.66.n.10.
Deus non communicatur quà ſubſiſtens eſt , ſed quà eſſentia eſt. p.67.n.20.
Deus dicitur cauſa,non formaliter, per relationē. p.135.n.14.
In Deo non datur relatio prædicamentalis , ſi relatio ſit nodus. p.136.à n.1.
Quamuis relatio ſolùm virtualiter diſtinguatur non datur in Deo relatio realis ad creaturas. p.136.n.5.
Si Deus haberet relationem de nouo , mutaretur ſaltem logicè. p.136.à n.6.

Diſcurſus. Vide Deus

Intellectus humanus diſcurrit formaliter. p.364. n.4.
Intellectus humanus non diſcurrit formaliter per ſcientiam per ſe infuſam. p.365. n.8.
Non datur diſcurſus formalis circa fidem diuinam. pag.365. à n. 9.
Senſus non diſcurrunt. p.366.à n.1.
De diſcurſu qui inueniri poteſt in Phantaſia. p.366.à n.5.
Diſcurſus formalis requirit ad minimùm duas cognitiones realiter diſtinctas. p.361.à n.1,
Deus non diſcurrit nec virtualiter. p.361.à n.4.

Digitized by Google

Diſpoſitio. Vide Qualitas.

Diſtinctio.

Quotuplex detur diſtinctio? pag.30.n.1.
Quid ſit ſignum realis diſtinctionis? p.31 n.2.
Multa realiter diſtinguentur, quæ non poſſunt exiſtere ſeparata. pag. ibidem.
Præter diſtinctionem realem, datur diſtinctio virtualis. pag. 31. à n.3.
Non decipitur noſter intellectus efficiendo virtualem diſtinctionem. p.31 n.6.
Ad diſtinctionem rationis ratiocinantis nullum requiritur fundamentum in re. p.31.n.7.

Dotes corporis glorioſi.

Ad quam ſpeciem qualitatis pertineant dotes corporis glorioſi: p.122.n.32.

Duratio.

Quid ſit Duratio? pag.173. n.1.
Diſtinguitur ſolum virtualiter ab exiſtentia. pag. 173. à num.2.
Res in priori inſtanti ſolùm dicitur durare inchoatiuè. pag. 174.n.7.
Diuiditur in ſucceſſiuam, & permanentem. p.174. à n.9.
In primo inſtanti ſuæ creationis non dicitur Angelus propriè durare. p.175. n.14.
Sola duratio diuina continet in ſe omnes differentias temporis præteriti, præſentis, & futuri. p.175. n.15.
Duratio permanens etiam reperitur in rebus corruptibilibus. p.175.n.16.
Duratio permanens, & ſucceſſiua differunt eſſentialiter. pag. 176.n.17.
Deus habet propriam durationem, quæ dicitur æternitas. pag. 176. à n.1.
Diuina duratio nihil poſitiuum addit, ſed aliquid formaliter negatiuum. p.177. à n.12.
Reijciuntur contrariæ ſententiæ. p.178. à n. 15.
Diuina duratio eſt menſura cæterarum durationum. p. 179. n.20.
Ratio formalis durationis non conſiſtit in hac menſura. ibidem n.21.

E.

Echo.

Echo eſt ipſe ſonus reflexus ad auditum. p.320. n. 12.

Effectus.

Idem effectus fieri poteſt diuinitus per plures actiones totales. p.159. à n.13.
Verùm idem numero effectus prouenire poſſit naturaliter à pluribus cauſis ſucceſſiuè operantibus? p.159.n.10. & 11.
Effectus ſecundarius reſpectu alicuius formæ eſt primarius reſpectu alterius. p.78. n.8. & 9.
Idem effectus prouenire poteſt à pluribus cauſis. pa.80.n.12. & p.81 n.14.

Elementa. Vide alimentum.

Elementa non ſunt propriè contraria, id eſt ratione ſuarum formarum. p.265.n.1.
Singula elementa habent duas primas qualitates. pag.267. n.21.
Quoduis elementum habet vnam qualitatem in ſummo, & aliam in excellenti. p.268. n.9.
Ignis, & aer ſunt elementa ſymbolica. Item terra, & aqua dicuntur elementa ſymbolica. p.269. n.1.
Qualitates ſymbolicæ ſunt eiuſdem ſpeciei in vtroque elemento. ibidem.n.2.
Vnum elementum faciliùs in ſe conuertit aliud elementum ſymbolum. p.271.n.1.
Nullum elementum poteſt producere aliud ſpecie diuerſum. p.271. n.2.
Nullum elementum in ſuo naturali ſtatu poteſt per ſe ſolum eſſe proprium alimentum. pag.250.n.12.

Ens.

Quid ſignificet Ens. pag.10.n.1.
Quis ſit conceptus formalis Entis. p.18.n.1.
Ens habet vnum conceptum obiectiuum ibidem n.2.
Ens in communi eſt analogum ad creatum, & increatum, ad ſubſtantiam, & accidens. p.19.n.4.
Entis analogia quæ ſit. p.19.n.5.6.& 7.
Entis contractio ad inferiora quomodò fiat ibidem n.8.
Entis abſtractio quæ ſit. p.20.n.10.
De Entis proprietatibus. p.20.n.1. & 2.
Entis diuiſio in decem prædicamenta. p.22. in præfatione libri.
Diuiſio ipſa non eſt vniuoca. ibidem n.1. & 2.
Ens vniuocum non eſt ad quantitatem, & qualitatem. p.23.n. 7.8.& 9.
Quo pacto Ens ſit vniuocum. p.24.n.12.

Eſſentia.

Quid ſint rerum eſſentiæ ante exiſtentiam. p.11.à n.4.
Circa rerum eſſentias reperitur Cauſalitas cauſæ exemplaris ſine cauſalitate efficientis. p.13.n.16.

Exiſtentia.

Eſſentia quomodò diſtinguatur ab exiſtentia. p.14.n.1. & 2.
Eſſentia diuina quomodò diſtinguatur ab exiſtentia. p.15.n.13
Eſſentia creata non poteſt habere alienam exiſtentiam. p. 16. n.17.& 18.
Eſſentia conſeruata propria exiſtentia non poteſt exiſtere per alienam. p.18. n.30.
Quotuplex detur exiſtentia? p.70.n.1.& 2.
Opponitur inhærentiæ. p.70. n.6.
Formæ materiales non habent exiſtentiam perfectam. p.70.n.4.
Exiſtentia eſt per ordinem ad ſubiectum, ſubſiſtentia per ordinem ad terminum. p.71.n.9.
Exiſtentiæ ſubſtantiarum non ponuntur per ſe in prædicamento ſubſtantiæ, reductiuè tamen collocantur p.36.à n.15
Quot modis ſumatur exiſtentia? p.369.n.9.

Extenſio.

Quæ extenſio ſit de eſſentia quantitatis? p.105.n.2.
Extenſio ad totum eſt ratio formalis generica, non verò diſtinctiua quantitatis. p.106. n.5.

F.

Fames.

Quid ſit fames, & ſitis? pag.250.n.1.

Forma materialis.

Formæ materiales habent veram, & propriam ſubſiſtentiam. p.70.à n.4.
Forma materialis aſſumi poteſt hypoſtaticè. p.70.n.6.
Poteſt Deus conſeruare formam materialem extra materiam cum eadem ſubſiſtentia, quã habebat ſub materia p.71.n.14.

Forma ſanguinis.

Forma ſanguinis Chriſti Domini per ſe immediatè, ſed inadæquatè aſſumpta eſt. p.71.n.13.

G.

Generatio.

Quid ſit generatio? p.237.à n.4.
Terminus generationis eſt Forma. ibidem n.5.
Formalis ratio generationis conſiſtit in productione vnionis. p.237.à n.1.
Generatio fit in inſtanti. p.233. n.11.
Quod ſit ſubiectum generationis? ibidem n.12.
Quid ſit generatio viuentium? p.235. à n.1.
Generatio naturalis conuenit vniuocè cum ſupernaturali. p. 239. à n.4.
Quodnam membrum corporis priùs generetur? p.239.n.7.

Gradus Metaphyſici.

Quo pacto gradus Metaphyſici diſtinguantur in diuerſis indiuiduis? p.33.n.1.

Gradus

Digitized by Google

Gradus Metaphyſici in eodem indiuiduò diſtinguuntur virtualiter. ibid. à n.1.
Soluuntur argumenta,quæ contrarium probare intendunt. p. 34. à n. 11.
Cur gradus Phyſici diſtinguantur realiter,non verò gradus Metaphyſici. p.35.n.4.
Vnde deſumantur gradus Metaphyſici? p.35.n.17.
Gradus ſubſtantiæ generis ſummi non habet Phyſicam, nec Metaphyſicam compoſitionem. p.36.n.14.

Gratia efficax.

Vt detur gratia efficax non requiritur Præmotio phyſica.pag. 204 n.7.

Guſtus.

Guſtus reſidet in lingua p.321.n.1.
Obiectum guſtus eſt ſapor. p.321.n.2.
Sapor quomodò moueat guſtum? p.321.n.3.
Guſtus,& tactus differunt ſpecie. p.322.n.6.

H.

Habitus.

HAbitus formaliter corrumpitur à contrario habitu. pag. 229.n.13.
Effectiuè concurrit cum potentia ad actum.p.230.n.2.
Potentia cum habitu non poteſt efficere actum intenſiorem, quàm ſine habitu. p.230.n.4.
Habitus remiſſus poteſt cum potentia concurrere ad actus intenſiores ipſo habitu. p. 230. n.6.

Habitus ſupernaturales.

Certum eſt dari habitus ſupernaturales. p.231.n.1.
Cauſa phyſica habituum ſupernaturalium eſt ſolus Deus.ibi, n. 2.
Habitus ſupernaturales non generantur ab actibus ſupernaturalibus. p.231.à n.3.
Habitus ſupernaturalis tribuit etiam facilitatem potentiæ. p. 232.n.8.
Probabile eſt hanc facilitatem prouenire ab habitu ſupernaturali acquiſito. p.232.n.10.
Actus ſupernaturales non relinquunt poſt ſe habitus ſupernaturales. p.232.n.11.
Habitus ſupernaturales intenduntur per actus ſupernaturales non phyſicè,ſed meritoriè. p.233.à n.16.
Habitus ſupernaturales corrumpuntur demeritoriè per actus oppoſitos naturales. p.234.à n.21.
Poteſt poſt peccatum mortale manere habitus fidei, & ſpei. p.234.n.23.
Sicut & manere poteſt habitus theologicus. ibidem,n.24.
Habitus fidei corrumpitur per actum pertinacem hæreſis. p. 234. n.23.
Poteſt Deus infundere omnes habitus virtutum. pag. 234. n. 26.
Non poteſt Deus infundere habitum ſupernaturalem vitij,vel erroris. p.235.n.27.
Non poteſt item infundere habitum inclinantem ad vitium. p.235.n.28.
Vtrùm in Angelis admitti poſſint habitus? pag. 226. à n.23.
Cauſa effectiua habituum eſt actus. p.227.n.1.
Actus non eſt formalis productio habitus. p.227.n.5.
Per quemcumq; actum poteſt produci habitus ſecundùm ſuã eſſentiam. p.227.n.6.
Vt producatur habitus ſecundùm ſuam intenſionem, & perfectionem requirit plures actus,vel aliquem actum valde intenſum. p.227.n.7.
Actus æquè,vel minùs intenſus non poteſt producere habitũ. p.228. à n.1.
Quomodò habitus dependeat à motiuis? p.229.n.9
Habitus per accidens corrumpuntur per ceſſationem actus. p. 229.n.10.& 11.
Quid ſit Habitus? p.222. à n.1.
Non ſunt repræſentatiui. p.223. à n.2.
Potentiæ purè apprehenſiuæ non habent habitus. pag.223. n. 5.
Potentia motiua non eſt capax habituum. p.223.n.6.
In phantaſia,& appetitu brutorum non dantur habitus. pag. 224. n.10.
Quomodò admitti poſſint habitus in phantaſia, & appetitu hominis? p.224.à n.15.
In intellectu humano,præter ſpecies,dantur habitus. p. 225. à n.18.
In voluntate humana dantur habitus. p.226.n.21.
Habitus ſupernaturales non corrumpuntur per corruptionem ſubiecti. p.229.n.12.
An poſſint ſimul eſſe habitus contrarij ſcientiæ,& erroris? p.267.à n. 18.

Humanitas Chriſti Domini.

Habet appetitum ad propriam ſubſiſtentiam. p.96. n.27.
Patitur aliqualem violentiam,quia caret propria ſubſiſtentia. pag. 75. à num.20.

I.

Ignis.

IGnis eſt ſummè calidus. pag.168.n.7.
Aer eſt humidus in ſummo. ibidem.

Impenetratio. Vide Penetratio.

Cauſa formalis impenetrationis non eſt ipſum Vbi circumſcriptiuum,ſed eſt aliquid negatiuum. p.110.à n.3.
Negatio penetrationis cur tolli poteſt à quantitate? p.110. à n. 6.

Impenetrabilitas.

Impenetrabilitas prouenit radicaliter, ſed minùs remotè ab Vbi circunſcriptiuo. p.109.n.2.
Non poteſt tolli à quantitate. p.111.n.8.

Intellectio.

Intellectio conſiſtit in actione, & in termino. p.336.à n.1.
Proponuntur, & confutantur probabiles ſententiæ in contrarium. p.336.à n.4.
Intellectio non conſiſtit in ſolo conceptu. p.337.à n.9.
Quo pacto poſſit Deus ſe ſolo producere intellectionem?pag. 338. à n.1.

Intellectus.

Intellectus eſt nobilior voluntate. p.344.n.6.
Intellectus non eſt potentia formaliter libera. p.192. à n.4.
Eſt radicaliter liber. p.192. à n.9.
Ad ſuas operationes requirit ſpecies. p.334.à n.1.
In homine datur intellectus patiens. p.330.n.1.
De obiecto intellectus. p.330.n.2.

Intellectus agens.

Datur in homine intellectus agens. p.330.à n.3.
Realiter diſtinguitur ab intellectu patiente. p.332. à n.14.
Eſt potentia vitalis. p.333.à n.20.

Indiuiduatio.

Principium indiuiduationis cuiuſque rei eſt ipſa rei entitas. p.36.n.20.& 21.

Digitized by Google

INDEX RERVM.

Indiuiduum.

Vnum indiuiduum poteſt collocari ſub diuerſis ſpeciebus,nō tamen eadem ſpecies ſub diuerſis generibus.pag.55.n.17.

Intenſio. Vide remiſſio.

Intenſio formarum accidentalium fit per maiorem additionē partium.p.183.à n.1.
Quando intenditur qualitas non interit qualitas remiſſa. pa. 184.à n.4.
Qualitas non intenditur per accidens. p.184.n.7.
Qualitas non intenditur per maiorem radicationem in ſubiecto.p.184.à n.8.
Gradus per quos intenditur qualitas ſunt diuerſæ rationis.p. 186.à n.1.

Iudicium.

In nullo ſenſu reperitur proprium,& formale iudicium. p. 361.n.19.
Quid ſit iudicium? p.357.n.1.
Eſt in ſe ſimplex qualitas. p.358.à n.2.
Iudicium formale non requirit eſſentialiter apprehenſionem. p.359.à n.8.
Non poteſt determinari immediatè ab ſpeciebus. p.360.n.16.
Ad iudicium naturaliter concurrit effectiuè prima operatio. p.360.n.18.

Iudicium diſcurſiuum.

Cadit formaliter ſuper conſequens. p.361.n.3.

L.

Libertas Dei.

Vtrùm detur in Deo libertas contradictionis? p.219.à n.5.
In Deo datur libertas formalis. p.212. à n.1.
Hæc libertas in Deo non eſt per modum potentiæ. pag.213. n.7.
Actus liber diuinæ voluntatis nihil addit intrinſecum. pag. 213. à n.9.
Actus neceſſarius quo Deus ſe amat,quo pacto ſe extendat ad volendum libere creaturas? p.214.n.6.
Quomodò actus liber potuit non eſſe in Deo? p.215. n.23.
Actus liber in Deo eſt ipſe actus neceſſarius prout terminatur ad creaturas. p.214.n.11.& 12.
Nulla poteſt dari mutatio in diuina voluntate.p.216.à n.1.
Si Deus aliquid de nouo vellet,non mutaretur phyſicè,ſed tãtùm moraliter. p.217.à n.9.
Idem dicendum ſi Deus aliquid de nouo ſciret. ibi.à n,10.

Libertas.

Ad libertatem ſatis non eſt quòd obiectum proponatur indifferenter. p.201. n.9.
Sufficit neceſſitas ab extrinſeco ad tollendam libertatem. p.201. n.20.
Quid ſit libertas in actu primo? p.188.à n.1.
Libertas in actu ſecundo eſt denominatio extrinſeca. p. 189. à n.1.
Libertas in actu primo eſt aliquid intrinſecum. p.190.n.8.
Quomodò diſtinguatur actus liber à voluntario, & ſpontaneo? p.191. n.16.
Libertas actualis eſt accidentaria potentiæ. p.191 n.17.
Libertas formalis reperitur in ſola voluntate. p.191 .à n.1.
In appetitu humano nulla datur libertas formalis. pag. 192. n.7.

Liberum arbitrium.

Non eſt aliqua realis potentia diſtincta à voluntate. pag. 192. n.8.

Linea,& ſuperficies. Vide Quantitas.

Luminoſum.

Quid dicendum ſit quando ſimul applicantur duo luminoſa ad producendam eandem lucem? p.158. nu.6. & 7.

M.

Materia.

Qvamuis materia ſit ſubſtantialiter extenſa, poteſt vlterius accidentaliter extendi. p.109. n. 20.

Malitia.

De Illius diuiſione,& quid ſit. p.21. n.10.

Memoria.

Memoria ſenſitiua non diſtinguitur à phantaſia.ſiue ab æſtimatiua. p.325. n.9.
De Memoria intellectiua. p.342. à n.1.
Cur potiùs vnius rei, quàm alterius recordamur? pag. 343. n.5.

Mixtio, Mixtum.

Quid ſit mixtio,& quomodo detur? p.261. à n.1.
Quo pacto formæ elementorum maneant in mixto? p. 263. à n.3.
Formæ elementorum virtualiter perſeuerant in mixto. pag. 266. à n.1.

Modus.

Modus poteſt vniuocè conuenire cum realitate. p.25. n.6.
Modi non habent proprium, & diſtinctum Vbi, præter Vbi ſuarum realitatum. p.163. à n.7.
Modus poteſt ſolùm inadæquatè ſe communicare. pag. 88. n.10.

Modus per ſe exiſtendi.

Non dicit ordinem ad aliquam ſubſtantiam, & tamen eſt accidentalis,quia identificatur cum quantitate. p.41. n.8.
Hic modus poteſt probabiliter ſuppleri per actionem creatiuam. p.42.n.10.
Talis modus eſt ſupernaturalis in entitate. p. 42. à nu.14.
Angelus non cognoſcit naturaliter hunc modum. p.43.n.19.

Motus.

Motus quo pacto ſit ſpecies quantitatis continuæ? pag. 103. n.2. 3. & 4.
Probabile eſt motum non eſſe ſpeciem quantitatis. pag. 103. à n.6.
Motus eſt eſſentialiter extenſus. p.104.n.10.
Motus pertinet ad prædicamentum quantitatis quà extenſio quædam eſt. p.104.num.12.

N.

Negatio.

Eadem negatio prouenire poteſt à multiplici forma. pag. 78.n.13.
Negatio alterius ſubſiſtentiæ ſolùm eſt phyſica.p.83.n.25.

Nomina concreta.

Quid dicant de formali nomina concreta ſecundarum ſubſtãtiarum. p.82. à n.4.
Nomina concreta appellatiua primarum ſubſtantiarum dicũt de formali ſolam naturam. p.94.à n.12.
Quid dicendum ſit de concretis proprijs primarum ſubſtantiarum? p.96.à n.22.
Ad multiplicationem nominis concreti ſubſtantialis ſufficit multiplicatio naturæ. p.98. à n.1.
Tres humanitates cum vna ſubſiſtentia, ſimpliciter dicendæ tres homines.p.98. n.5.
Nomina concreta ſecundarum ſubſtantiarum dicunt de formali naturam,in obliquo ſubſiſtentiam. p.92.à n.4.

Idem

Digitized by Google

Idem dicendum de concretis appellatiuis.p.94.à n.14.
Concreta propria primarum ſubſtantiarum,vt Petrus,Paulus &c. ſignificant in recto naturam ſingularem,& in obliquio ſubſiſtentiam. pag.96. à n.2.

Notitia intuitiua.

Eſſentialiter differt ab abſtractiua. p.347.à n.14.
Notitia intuitiua non poteſt producere ſpeciem abſtractiuā. p.347.n.19.
Eadem notitia non poteſt ſimul eſſe intuitiua, & abſtractiua, reſpectu eiuſdem. p.347.à n.20.
Intellectus creatus poteſt cognoſcere intuitiuè , & abſtractiuè. p.348.à n.1.
In tertia operatione noſtri intellectus ſola datur notitia abſtractiua. p.349.n.8.
Non omnis notitia intuitiua debet eſſe experimentalis. pag. 346.n.12.
Non requiritur ad hanc notitiam cognitio omnium circumſtantiarum. p.346. n.11.
Ad notitiam intuitiuam ſufficit quæuis differentia temporis. p.346. à n.7.

De obiectis notitiæ intuitiuæ.

Vna perſona diuina non poteſt intuitiuè cognoſci ſine alia. p. 355. à n.7.
Corpus definitiuè exiſtens non poteſt videri oculo corporeo. p.356.à n.23.
Angelus non cognoſcitur intuitiuè à noſtro intellectu in hac vita mortali. p.350.n.1.
Idem dicendum de noſtra anima. ibid. n.2. & 3.
Subſtantia etiam materialis cognoſcitur abſtractiuè.pag.351. à n.4.
Intellectus non cognoſcit ſe ipſum,neque ſuas ſpecies, & habitus intuitiuè. p.351.à n.10.
Cognoſcit intellectus aliquos ſuos actus intuitiuè quòad an ſint? p.352.à n.12.
Deus à nullo intellectu creato, vel creabili poteſt naturaliter intuitiuè cognoſci. p.352.à n.1.
Deus cognoſci poteſt quidditatiuè, quin cognoſcatur intuitiuè. p.353. à n.5.

Nutritio.

In omnibus viuentibus datur vera,& propria nutritio ſubſtātialis. p.244. à n.1.
Quid ſit nutritio? p.245.n.4.
Quo pacto fiat nutritio? ibi.à n.4.
Triplex datur potentia requiſita ad nutritionem , & in qua parte corporis reſideat? p.245. n.7. & 8.
In toto vitæ decurſu neceſſaria eſt nutritio.p.246.n.10.
Nutritio non fit in inſtanti , ſed requirit aliquod tempus. p. 247.n.9.& 10.
Nutritio habere poteſt aliquam interruptionem. p.247. n.12.
Quando datur nutritio eſt continua. p.248. n.14.

O.

Obiectum.

NOn poteſt percipi obiectum , quod non ſit præſens vel per ſe,vel per ſpeciem. pag.311.n.9.

Obiectum diuinæ voluntatis.

Attributa diuina non ſunt obiecta diuinæ voluntatis liberæ. p.220. n.1.
Quo pacto poſſibilia ſint obiecta diuinæ voluntatis? pag.220. n.4.

Oculi.

De Structura oculorum. pag. 315.n. 1.

Olfactus.

Explicatur.vbi reſideat potentia olfaciendi. p.320.n.1.
Odor eſt obiectum olfactus. pag.320. n.4.

P.

Paſſio.

QVid ſit paſſio,& quo pacto poſtulet ſubiectum? pag.161. n.26.& 27.

Penetratio. Vide impenetrabilitas.

Poſſunt duo corpora conſtitui in eodem loco per vbicationes definitiuas. p.113.n.22.
Vt penetrentur duo corpora opus non eſt vt ab illis auferatur aliquid poſitiuum. p.113.n.24.
Non datur penetratio niſi inter corpora quæ ſunt in loco circumſcriptiuè. p.113.n.25.& 26.
Vt duo corpora penetrentur ſufficit quod tollatur aliquid negatiuum. p.113.à n.24.
Impenetratio immediatè procedit à negatione. p.114.n.28.
Quando penetrantur duo corpora aliquid poſitiuum à Deo producitur. p.114. n.30.
Actio per quam fit penetratio ſolùm eſt ſupernaturalis quòad modum.p.114. à n.31.
Si duo corpora diuinitùs penetrentur, non poſſunt naturaliter ab inuicem ſeparari. p.115.n.34.
Penetratio corporum glorioſorum fit per qualitatem , quæ dicitur dos ſubtilitatis. p.111.à n.13.
Cur corpora glorioſa ſe inuicem non penetrent? p.113.n.21.
Actio per quam penetrantur corpora eſt ſupernaturalis quò ad modum. p.114.n.31.
Vt duo corpora penetrentur ſufficit quod tollatur ab illis aliquid negatiuum.p.113.à n.24.
Vt duo corpora penetrentur,vtrumque debet habere Vbi circumſcriptiuum. p.113. n.26.

Perfectio ſimpliciter.

Quæ conditiones requirantur ad perfectionem ſimpliciter ſimplicem? p.129. n.13.
Quid ſit in Deo perfectio ſimpliciter ſimplex? p.129.à n.11.
Perfectio ſimpliciter ſimplex non ſemper debet eſſe melior, quàm oppoſita. p.132.n.27.
Aliquæ perfectiones ſimpliciter ſimplices abſolutæ non ſunt formaliter Deo. p.132. n.29. & 30.

Perſonæ diuinæ.

Quo pacto Perſonæ diuinæ ſint æquales,& ſimiles? pag.126. nu. 14.
Perſonæ diuinæ non habent inter ſe relationes reales ſimilitudinis& æqualitatis. p.139. à n.21.
Perſonæ diuinæ per ſe ipſas ſunt ſimiles,& æquales.pag.139. n.24.
Cognoſci poteſt vna Perſona quidditatiuè,quin ſimul intuitiuè cognoſcatur. p.354.à n.10.
Non poteſt intuitiuè videri vna ſine alia.p.355. à n.7.

Phantaſia.

An poſſit diſcurrere,& cognoſcere arguitiuè latentem ſubſtātiam. p.367.à n.8.
Poteſt probabiliter diſcurrere circa ſingularia materialia. p. 361.nu.20.
Phantaſia recipit in ſe ſpecies ſenſatas,& inſenſatas. pag.326. n.10. & 11.
Phantaſia humana cognoſcit intuitiuè,& abſtractiuè. p.349. n.11.

Phantaſma.

Quo pacto phantaſma eleuetur , ad productionem ſpeciei intelligibilis? p.332.à n.5.

Digitized by Google

Phantaſma non producit effectiuè ſpeciem intelligibilem. p. 331.n.6.
Phantaſma expreſſum non eſt principium vitale.p.334.n.26.

Poſsibilia.

Deus amat neceſſariò poſſibilia ſecundùm ſuum eſſe eminẽtiale. p.220.n.4.
Deus amat poſſibilia in ſe ipſis non neceſſariò, ſed libere. pag. 220.à nu.5.
Soluuntur contraria argumenta. ibidem, à n.7.
Poſſibilia ponuntur in prædicamento. p.12. n.9.
Poſſibilia ſunt entia poſitiua. p.11. à n.4.
Poſſibilia à Deo amantur. pag.12.n.10.

Potentia.

Nulla datur de facto potentia purè paſſiua. p.119.n.11.
Nec de poſſibili dari poteſt potentia purè paſſiua. p.120.n.14.
Datur aliqua potentia ſimul actiua, & paſſiua. p.120.à n.15.
Potentiæ vitales, vt intellectiua, volitiua. &c. ſunt accidẽtia realia animæ, & ab ea realiter diſtincta. p.301.n.1.
Potentiæ vitales naturaliter procedũnt ab anima, tanquàm à cauſa efficiente. p.302. n.1.
Quo pacto potentiæ procedant ab anima. p.303.n.4.
Potentiæ ſpecificantur ab obiectis. p.304. n.2.
Nutritiua, augmentatiua, & generatiua eſt vna, & eadem realis potentia. p.305.n.1.
Quomodò potentia viſiua definiatur? p.315. n.5.
Potentia cognoſcens requirit ſpecies ad ſuam operationem. p.306. n.1.
Quinque ſunt genera potentiarum. pag.280.n.8.

Potentia obedientialis.

Potentia obedientialis non eſt qualitas phyſica ſuperaddita. p.121. n.21.
Virtualiter diſtinguitur à rebus. p.121.n.24.& 25.
Hæc potentia non pertinet ad qualitatem phyſicam. pag.121. à n. 16.
Tranſcendentaliter reſpicit ſuum obiectum. p.122. n.28.
Potentia obedientialis non eſt qualitas phyſica pertinens ad ſecundam ſpeciem qualitatis. p.120.nu.19.

Pori.

Quo pacto dentur, & ad quid ſint neceſſarij? pag.249.n.5.

Prædicamenta.

Quo pacto Prædicamenta inter ſe diſtinguantur? pag. 32. à n.8.
Sufficit diſtinctio virtualis. ibidem.
Subſtantia realiter diſtinguitur à quantitate. p.33.n.14.
Quo pacto diſtinguantur prædicamenta accidentium? pag. 33.n.15.
Cur cauſalitas formæ in fieri non efficiat Prædicamentum? p.30. n.12.
Cur modus quo exiſtunt accidentia Euchariſtiæ non efficiat nouum Prædicamentum? pag.30.n.13.
Prædicamenta de facto ſunt decem, de poſſibili nec plura, nec pauciora eſſe poſſunt. p.28. à nu.1.
Prædicamenta colliguntur per modos denominandi primam ſubſtantiam. p.28. n.2.
Quomodò, & quare ſex vltima prædicamenta dicantur afficere extrinſecè? p.28. nu.2.& 3.
Soluuntur argumenta contra numerum prædicamentorum. p.29. à n.5.
Cur non poſſit Deus efficere de nouo alia prædicamenta? p. 29. n. 9.
Vt aliquid efficiat Prædicamentum accidentis debet denominare primam ſubſtantiam, tanquàm ſubiectum. p.27. n.5.

Praxis, & ſpeculatio.

Quid ſit praxis? pag.180.n.2.
Quot actus habeat habitus practicus? p.180.n.3.
Operationes potentiarum, quæ regulantur ab intellectu ſunt praxes. p.180. n.5.
In Deo circa operationes ad extra dantur veræ praxes. pag. 180.n.5.
Notitia practica verſari debet circa obiectum operabile, & modo operabili. pag.180. n.6.

Præmotio phyſica.

Non eſt neceſſaria vt voluntas libere operetur. p.199. à n.5.
Ea poſita tollitur libertas in actu ſecundo. ibidem.
Contraria ſententia proponitur ac refutatur. p.203. à n.1.

Proprietas.

Quot ſint Entis proprietates. pag.20.n.2.

Q.

Qualitas. Vide intenſio, & remiſſio.

QVomodò definiatur? p.115.n.1.
Propriè perficit ſubſtantiam. p.115. n.2.
De diuiſione qualitatis in quatuor ſpecies, nempe in habitum, & diſpoſitionem, naturalem potentiam. & impotentiam, p.116.n.4.& 5.
Quomodò inter ſe diſtinguantur hæ ſpecies qualitatis? pag. 116. à n.6.
Quænam qualitates pertineant ad patibilem qualitatem, & ad paſſionem? pag.122.à n.29.
Quid dicendum de forma, & figura, pro vt ſunt ſpecies qualitatis? p.123. n.33.
Quomodò Qualitas intendatur, & remittatur? Vide intenſio, & remiſſio.
In ſecunda ſpecie qualitatis, id eſt ſub naturali potentia, collocantur potentiæ à natura inditæ, ordinatæ ad operandum. p.119.n.8.& 9.
Quæ qualitates ordinentur primò ad agendum? p.119.n.9.
Datur qualitas purè actiua. p.118.n.10.
Inter ſpecies qualitatis requiritur diſtinctio ex natura rei. p. 117. à n.12.
Maior diſtinctio requiritur inter ſpecies qualitatis, quàm inter prædicamenta. p.117. à n.16.
Quæ ſpecies qualitatis collocentur ſub habitu? p.118.n.4.
Quæ qualitates pertineant ad diſpoſitionem? p.118. n.4.
Aliquæ qualitates immediatè ſubiectantur in ſubſtantia. pag. 25.n.7.

Qualitates primæ.

Quomodò definiantur? p.263.n.1.
Sunt quatuor, nempe calor, frigus, humiditas, & ſiccitas. pag. 264.n.2.
Non continentur in elementis aliæ qualitates virtuales, præter primas quatuor. p.265.n.3.
Præter primas quatuor qualitates dantur aliæ, quæ non oriuntur à primis. p.264.n.5.
Primæ quatuor qualitates non ſunt ſubſtantiales formæ elementorum. p.264.n.7.
Omnes quatuor primæ qualitates ſunt actiuæ, & quomodò? p.254.n.2.
Quo pacto ſe expellant à ſubiecto? p.265. n.6.

Quantitas.

Quantitas permanens realiter diſtinguitur à ſubſtantia. pag. 100.à n.1.
Sine quantitate conſeruari diuinitus poteſt ſubſtantia. pag. 101.n.6.
Quãtitatis ſpecies ſunt linea, ſuperficies, & corpus. p.102.à n.1.

Digitized by Google

Lineæ, & ſuperficies ſunt entia completa, & quomodò? p.102. n. 10.
Quo pacto lineæ, & ſuperficies realiter diſtinguantur, & repleant locum? p.102. n.11. 12. & 13.
Motus eſt vera ſpecies quantitatis ſucceſſiuæ. p.103. à n.1.
Tempus eſt ſpecies quantitatis ſucceſſiuæ. p.104. à n.13.
Ratio formalis diſtinctiua quantitatis quæ ſit? p.105. à n.2.
Ratio formalis diſtinctiua quantitatis non eſt aptitudinalis extenſio ad totum. p.106. à n.5.
Ratio formalis adæquata quantitatis eſt extenſio ad totū per aptitudinem ad occupandum locum. p.106. n.6.
Quis ſit effectus formalis adæquatus quantitatis. pag.108. à n. 16.
Quantitas propriè non perficit ſubſtantiam. pag.115. in cap. diſput.
Per quid redditur quantitas formaliter impenetrata? pag.110. nura.3.
Quantitas eſt cauſa remota impenetrationis. pag.109. n.1.

R.

De Raro, & Denſo.

PEr raritatem non acquiritur noua ſubſtantia eiuſdem rationis. p.251. n.1.
Neque item acquiritur noua quantitas, nec per denſitatem amittitur. ibi, n.2.
Raritas fit per introductionem aliquorum corpuſculorum. Denſitas verò per euacuationem eorundem corpuſculorum. p.252. n.1.
Cur corpora molliora facilius rareſcant? p.253. n.5.
Cur raritas non fiat per ſolam aliquam qualitatem? ibi, n.7.
Probabile eſt raritatem, & denſitatem eſſe quaſdam qualitates. p.254. n.9.

Relatio.

Dantur à parte rei relationes reales, & prædicamentales. pag. 123. à n.1.
Ex diuinis Relationibus bene probantur relationes creatæ. p.124. n.3.
Relationes diuinæ non ſunt propriè tranſcendentales. p. 125. à n. 8.
Quot modis conſiderari poteſt relatio Patris in diuinis? pag. 125. n.10.
Relationes tranſcendentales non ſunt relationes ſuperadditæ. p.126. n.16.
Quid ſit relatio prædicamentalis? p.127. n.9.
Quot modis diſtinguatur relatio prædicamentalis à tranſcendentali? p.127. à n.10.
Relatio eſt accidens intrinſecum. p.127. n.23.
Relationes dicunt aliquam perfectionem. p.127. à n.24.
Relationes diuinæ ſecundùm id quod dicunt de formali, dicunt perfectionem. p.128. à n.3.
Hæc perfectio eſt ſimpliciter ſimplex. p.129. à n.11.
Refutatur contraria ſententia, quæ probabilis eſt. pag. 130. à n.15.
Relationes diuinæ quatenus ſunt perfectiones comparandæ ſunt cum eſſentia diuina. pag.130. n.18. & p.131. n.23. & n. 25.
Quo pacto relationes diuinæ ſint formaliter in Deo. pa.132. n.31.
Relatio diſtinguitur modaliter à fundamento remoto. p.132. à n.1.
Mihi non eſt probabile relationem realiter diſtingui à fundamento remoto. p.134. n.6.
Probabile eſt relationem virtualiter diſtingui à fundamento remoto. p.134. à n.8. & n.16.
Poſita vna albedine reſultant plures relationes. p.135. n.1 5.
Vtrùm in Deo detur Relatio prædicamentalis? Vide Deus.
Vna relatio quo pacto non poſſit eſſe ſubiectum alterius relationis? p.137. n.12.
Vna relatio materialiter ſumpta poteſt eſſe fundamentum alterius relationis. p.138. à n.15.
Ex eo quòd vna relatio fundetur in alia non ſequitur proceſſus infinitus. p.138. à n.16.
In opinione probabili non dantur relationes reales diſſimilitudinis, & inæqualitatis. p.139. n.23.
Facilè admitti poteſt proceſſus infinitus relationum. p.140. n.26.
Poteſt dari relatio realis inter modum, & realitatem. p.140. n. 27.

De fundamento proximo Relationum.

De fundamento proximo relationum. p.140. à n.1.
Quo pacto vnitas, & multitudo ſit prima ratio fundandi relationes? p.141. à n.2.
Quæ conuenientia in natura ſit fundamentum proximum relationum? p.141. n.5.
De relationibus quæ fundantur in actione, & paſſione. p.141. à n.6.
Quod ſit fundamentum relationis Patris ad Filium? p.141. n. 7. & 8.
Relatio cauſæ efficientis ad effectum, tranſacta actione, eſt eadem numero. p.141. n.9.
De relationibus quæ fundantur in menſura, & menſurato. p. 142. n.10. & 11.
Quomodo relationes ſint ſimul natura? p.142. n.7.
Relationes menſuræ ad menſuratum ſunt non mutuæ. p.142. à n.12.

De Termino Relationis.

Relatio prædicamentalis requirit terminum realiter exiſtentem. p.143. à n.1.
Terminus relationis creatæ eſt aliquid abſolutum. pag. 143. à n. 4.
Relatio logicè poſtulans plures terminos eiuſdem rationis, per vnam tantùm relationem omnes reſpicit. p.144. à n.12.
Quando ſatis eſt vnus terminus, ſi dentur plures termini, plures dabuntur relationes. p.145. à n.18.
Exiſtente termino non poteſt Deus impedire relationem ne reſultet. p.146. n.22.
Relationes non ſpecificantur à terminis; ſed à fundamentis remotis, prout ſtant ſub proximis. p.147. à n.28.
Relationes etiam ſpecificantur à terminis. p.147. n.31.
Cur non poſſit dari Relatio ſubſtantialis creata? pag.168. n.10. & 11.

Reproductio.

Nullus effectus ſemel corruptus poteſt per vim naturalem idem numero redire. p.274. n.1.
Cur non poſſit redire idem numero effectus? p.274. n.8. & 9.
Diuinitus bene poteſt quælibet numero res permanens iterum reproduci. p.275. n.1.
Poterit Deus iterum reproducere idem ens ſucceſſiuum, quod præterijt. p.275. n.12.

Reſiſtentia.

Datur reſiſtentia poſitiua, & negatiua. p.254. n.1.

S.

Senſatio.

DAntur in nobis ſeptem ſenſationes. pag.314. à n.1.

Senſus communis.

Non diſtinguitur realiter à Phantaſia. p.315. à n.7.

Senſ.

Senſus internus.

Quodnam ſit obiectum adæquatum ſenſus interni? pag. 327. à n.1.
Organum ſenſus interni eſt in cerebro. p.328. n.5.& 6.
Non habet verum,& proprium iudicium, nec verum,& proprium diſcurſum. p.328. à n.8.
Ad ſuas operationes requirit ſpecies intentionales. pag.329. n.11.

Senſus.

Qui ſenſus requirant medium? pag.314. n.9.

Senſus compoſitus.

Voluntas adhuc in ſenſu compoſito habere debet libertatem. p.202. à n.23.
Quomodò ſenſus compoſitus tollat libertatem. ibidem. n.24.

Senſus.

Senſus externi ſunt quinque. pag.313. n.1.
Senſus externi in omnibus animantibus ſunt eiuſdem perfectionis eſſentialis,& ſpecificæ. p.314. n.3.
Cur aliqua animantia habeant nobiliores ſenſus? p.314. n.7.
Senſus externus, & communis ſolùm cognoſcunt intuitiuè. p.349. n.13.

Simile.

Agens non poteſt producere effectum omninò ſimilem. pag. 260. à n.1.
Verùm,& quando poſſit vnum ſimile agere in aliud ſimile? p. 255. à n.3.

Situs.

Quid ſit Situs,& quomodò diſtinguatur ab Vbi? pag. 172. à n.25.

Species.

Lumen indiget ſpecie, vt videatur. p. 317. à n.7.
Species ſunt diuerſæ naturæ ab obiectis, eiſque ignobiliores. p.307. n.6.
Species educuntur de potentia ſubiecti. p.308. n.10.
Species ſunt extenſæ intentionaliter, ſicut obiectum extenditur materialiter. p.308. n.1.
Datur ſpecies in noſtro intellectu relicta ex conceptu proprio, quem de Deo formare poſſumus. p.7. n.5.
Species impreſſa Deum intuitiuè repræſentans de facto non datur. p. 7. n.6.
Poſſibilis eſt ipſa ſpecies impreſſa. p.8. n.10.
Species ſenſibiles non ſolùm habent extenſionem ex parte ſubiecti, ſed etiam obiecti. p.308. n.2.

Species intelligibilis.

Species intelligibilis non repræſentat Vniuerſale. pag. 335. à n.6.
Quo pacto poſſit produci à Deo. Vide p.338. à n.1.

Species intentionales.

Quomodò requirantur ad intellectionem? p.335. à n.3.
Species expreſſa magis neceſſaria eſt, quam ſpecies impreſſa. p.335. n.5.
Species intelligibiles repræſentant res ſingulares. p.335. à n.6.

Sonus.

Quomodò fiat ſonus. pag.319. n.6.

Subſiſtentia.

Quomodò definiatur? p.57. in principio diſput.
Effectus primarius Subſiſtentiæ eſt complere, & terminare naturam in genere ſuppoſiti. p.77. à n.3.
Effectus primarius ſubſiſtentiæ non eſt facere ſubſtantiam independentem à ſubiecto inhæſionis. p.77. n.4.
Non item eſt reddere ſubſtantiam incommunicabilem alteri. ibidem.
Effectus ſecundarius eſt reddere naturam independentem à ſuppoſito alieno. p.78. à n.7.
Quis ſit tertius effectus formalis magis remotus ſubſiſtentiæ. p.78. n.10.
Eadem natura creata poteſt diuinitus habere plures ſubſiſtẽtias proprias. p.79. à n.2.
Poteſt eadem natura habere plures ſubſiſtentias alienas. pag. 80. à n.10.
Poteſt eadem natura habere ſubſiſtentiam propriam, & alienam. p.81. à n.16.
Subſiſtentia diuina non excludit logicè ſubſiſtentiam creatã. p.83. n.28. & 29.
Natura creata nec diuinitus conſeruari poteſt ſine aliqua ſubſiſtentia. p.83. à n.30.
Poteſt Deus impedire reſultantiam ſubſiſtentiæ. p.74. n.13.
Non poteſt ſubſiſtentia creata terminare naturaliter naturam propriam,& alienam. p.85. n.1.
Diuinitus poterit creata ſubſiſtentia terminare naturam propriam,& alienam. p.85. à n.2.
Natura ſine ſubſiſtentia, adhuc operaretur. p.85. n.40.
Soluuntur obiectiones contra hanc opinionem. p.86. à n.8.
Subſiſtentia non ab agente extrinſeco, ſed immediatè emanat à natura ſubſtantiali. p.73. à n.1.
Cauſa materialis ſubſiſtentiæ eſt ipſa ſubſtantia. p.77. n.30.
Subſiſtentia non eſt propriè principium effectiuum actionũ. p.77. n.1.
Tres ſubſiſtentiæ cum vna humanitate non efficerent tres homines. p.99. n.6.
Prius naturâ producitur Vbi, quàm ſubſiſtentia. p.74. n.12.
In ſubſiſtentia virtualiter diſtinguitur modificatio,& terminatio. p.85. n.4.
Nulla ſubſiſtentia poteſt hypoſtaticè aſſumi. p.89. à n.8. Vide aſſumptio. Vide nomen concretum.
Impoſſibilis eſt ſubſiſtẽtia creata, quæ virtualiter tantũ diſtinguatur. p. 61. à n.1.
Impoſſibilis eſt ſubſiſtentia creata realiter diſtincta. p.62. n.9.
Oppoſitum tamen probabile eſt. p.62. n.10.
Subſiſtentia creata componitur Metaphyſicè ex genere,& differentia. p.63. n.1.
Subſiſtentia rei ſpiritualis eſt omnino ſimplex integraliter. 63. n.2.
Subſiſtentia rei materialis completæ phyſicè, eſt etiã integraliter completa. p.63. n.4.
Dantur ſubſiſtentiæ partiales. p.63. n.4.5.&c.
Partiales ſubſiſtentiæ materiæ, & formæ vniuntur particularibus vnionibus. p.64. n.8.9.& 10.
In Deo non datur ſubſiſtentia abſoluta. p.65. à n.2.
Diuinæ ſubſiſtentiæ ſunt poſitiuæ. p.58. à n.1.
Dantur in Deo tres ſubſiſtentiæ relatiuæ. p.58. n.3.
Subſiſtentia creata eſt aliquid poſitiuum. p.58. à n.5.
Reijcitur ſententia Scoti exiſtimantis ſubſiſtentiam dicere aliquid negatiuum. p.59. à n.9.
Subſiſtentia creata diſtinguitur modaliter à natura. pag. 59. n. 13.
Reijcitur ſententia exiſtimantium diſtingui realiter. pag.60. à n.15.
Cur ſubſiſtentia ſuppleri poſſit à Deo, non verò Vbi, aut figura? p.60. n.18.

Subſiſtentia. In quibus ſubiectis detur?

Anima rationalis habet ſubſiſtentiam propriam partialem. p. 68. à n.1.
Materia prima habet veram ſubſiſtentiam partialem? pag.69. nu. 7.
Partes integrantes habent partiales ſubſiſtentias. p.67. nu.9.
Aliqui modi ſubſtantiales habent ſuas ſubſiſtentias. pag. 67. n. 10.
Accidens non habet ſubſiſtentiam. pag.67. n.12. Vide formã materialis.
Formæ materiales habent veram, & propriam ſubſiſtentiam. p.70. à n. 4.

Subſi-

Digitized by Google

Subſiſtentia Dei abſoluta.

Probabilius eſt non dari talem ſubſiſtentiam. p.65. à nu.1.

Admiſſa in Deo tali ſubſiſtentia per illam aſſumi poteſt creata natura. p.90. à n.19.

Subſtantia.

Subſtantia eſt ens per ſe exiſtens; & quomodò hoc ſit intelligendum? p.36. à n.1.

Habet annexam negationem inhærendi, ſiue exiſtendi in alio. p.37. n.3.

Quo pacto contrahatur Ens ad ſubſtantiam, & ad accidens? p.37. n.4.

Eſſentia ſubſtantiæ conſiſtit in exiſtentia per ſe. p.37. n.6.

Subſtantia neque diuinitus poteſt inhærere, & quare? pag.38. à n.1.

Eſſentia ſubſtantiæ eſt aliquid poſitiuum. p.38. n.5.

Non eſt formaliter exiſtens per ſe per ſubſiſtentiam. ibidem. n. 6.

Cur eſſentia ſubſtantiæ conſiſtat in actuali exiſtentia per ſe, eſſentia verò accidentis in aptitudinali inhærentia? pag. 39. nu.8.

Cur non poſſit tolli à ſubſtantia negatio inhærendi? pag.39. n. 10.

Dari poteſt prima ſubſtantia, quæ non ſit ſuppoſitum. pag.91. n. 24. & 25.

Subſtantia prædicamentalis eſt ens per ſe ſubſiſtens: quomodò hoc ſit intelligendum? p.92. in capite diſput.

Subſtantia materialis habet extenſionem aptitudinalem per ordinem ad totum. p.106. n.8.

Subſtantia denudata quantitate habet Vbi, & locum. pag.107. à n.10.

Impoſſibilis eſt ſubſtantia naturâ ſuâ completa, nec per ſe ſubſiſtens, nec inhærens. p.55. n.1.

Subſtantia inhærens, ſi daretur, non poneretur in prædicamento. p.55. n.4.

Impoſſibilis eſt ſubſtantia extra Deum infinita. p.55. n.6.

Impoſſibilis eſt ſubſtantia intellectiua, quin ſit volitiua, aut libera, quin ſit intellectiua. p.56. n.8.

Impoſſibilis eſt ſubſtantia relatiua. p.56. n.17.

Impoſſibilis eſt ſubſtantia creata ſimplex. p.56. n.10.

Subſtantia ſupernaturalis. Vide Deus.

Nulla eſt poſſibilis quæ ſit creata. pag.45. à n.1.

Refutantur varij modi explicandi ſubſtantiam ſupernaturalē. p.46. à n.2.

Idem eſt ens ſupernaturale, atque ens ordinis diuini. pag.46. à n. 5.

Probatur efficaci ratione non dari ſubſtantiam ſupernaturalem creatam. p.47. à n.14.

Poteſt dari accidens ſupernaturale, non verò ſubſtantia ſupernaturalis. p.47. n.17.

Non eſt poſſibilis ſubſtantia creata cui debeatur viſio beata. p.48. n.18.

Non eſt poſſibilis ſubſtantia creata quæ ſit nobilior cō conjunctum ex intellectu, & ex lumine gloriæ. pag.48. n.23. & 24.

Deus eſt ſubſtantia ſupernaturalis. p.49. à n.25.

Si daretur ſubſtantia ſupernaturalis non poneretur in prædicamento ſubſtantiæ. p.49. n.30.

Suppoſitum.

Omnis prima ſubſtantia ſubſiſtens eſt etiam ſuppoſitum. pag. 87. n.22.

Suſpenſio. Vide Voluntas Dei.

In voluntate diuina non poteſt dari pura ſuſpenſio. pag.218. à n. 1.

T.

Tactus.

AD ſenſum tactus requiritur immediata approximatio. p.325. n.12.

Senſus tactus eſt vnus tantùm in ſpecie. 325. à n.14.

Tactus eſt omnium ſenſuum vniuerſalior, viſus verò nobilior. p.314. n.8.

Tactus, Guſtus, & Olfactus per ſe non requirit medium externum. p.314. n.10.

Ad ſenſationem tactus requiruntur ſpecies intentionales. pa. 322. n.10.

Quid ſit organum tactus? p.322. n.8.

In perfectione accidentali homo ſuperat cætera animantia præcipuè in Tactu. & Guſtu. p.314. nu.6.

Temperamentum.

In viuente erit naturaliter impoſſibile temperamentum ad pondus ſecundùm omnes partes, quibus conſtat. p.273. n.9

Quòd temperamentum ſit aptius ad ſcientias? p.273. n.11.

Temporum, & ætatum temperamentum. p.273. n.13.

In mixtis dari poteſt temperamentum iuſtitiæ. p.272. n.1.

Temperamentum ponderis dari poteſt in mixtis. p.273. n.7.

Chriſtus Dominus habuit temperamentum ponderis. p.273. n. 8.

Quid ſit temperamentum? p.272. n.1.

Temperamentum mixti conſiſtit in proportione primarum quatuor qualitatum. ibidem. n.2.

Tempus.

Tempus eſt vera ſpecies quantitatis? p.104. à n.13.

Eſt ens per ſe. p.105. n.18.

Datur tempus ſpirituale. p.105. n.19.

Terra.

Terra eſt ſicca in ſummo. pag.269. n.12.

V.

Vbi.

VBi diſtinguitur modaliter à re vbicata. pag.162. nu.1. 2. & 3.

Subſtantiæ corporeæ habent Vbi intrinſecum, & peculiare. p. 162. n.4. & 5.

Accidentia realia, & realiter diſtincta habent peculiares vbicationes. p.163. n.6.

Entitates modales non habent peculiares vbicationes. p.163. à n. 7.

Deus habet proprium Vbi, nempe diuinam immenſitatem. p. 164. à n.1.

Vbi Angelicum.

Vbi rerum ſpiritualium eſt in ſua entitate immateriale. pag. 168. n.1.

Vbi rerum ſpiritualiū habet partes formaliter extenſas per ordinem ad ſpatium. p.168. à n.2.

Reijcitur contraria opinio. p.170. à n.10.

Angeli habent proprium Vbi. p.16[illegible]. à n.6.

Omnes vbicationes Angelorum poſſunt dici eiuſdem ſpeciei, quamuis Angeli ſint diuerſæ ſpeciei. p.172. n.23.

Vbi Sacramentale.

Vbi ſacramentale in Euchariſtia eſt omnino ſupernaturale. p. 472. n.23.

Veritas.

Quid ſit Veritas tranſcendens. p.20. n.4.

Quid addat ſupra eius. p.21. n.5.

Veritas cognitionis diſtinguitur à veritate tranſcendentali. p. 21. n.6.

Violentum.

Ad violentum non eſt neceſſarium vt per contrariam formā introducatur. p.75. n.18. & 19.

Humanitas Chriſti Domini priuata naturali ſubſiſtentiâ patitur aliqualem violentiam. p.75. à n.20.

Viſio.

Vbi, & quomodò fiat viſio? p.316. n.6. & 7.

Viſus.

Obiectum viſus eſt lux, & color. p.316. n.9.

Virgo

Digitized by Google

Virgo Deipara.

Cur verè dicatur Mater Dei. pag.17.n.18.& p.18.n.19.

Vnio.

Verùm vnio animæ rationalis ad corpus ſit materialis? p.171. n.15.& 16.

Vniuerſalis abſtractio.

Vniuerſalis abſtractio non fit per ſpeciem intelligibilem.pag. 336.n.12.

Vox.

Definitur Vox. pag.319.n.10.

Voluntas.

Voluntas non poteſt à Deo cogi circa actus,quos elicit. pag. 207. n.1.& 2,

Poteſt tamen cogi circa actus quos imperat. ibidem.n.3.

Poteſt à Deo neceſſitari. p.208.à n.9.

Poteſt Deus neceſſitare voluntatem per qualitatem creatam, & per concurſum actualem. p.12. & 13.

Non poteſt Deus neceſſitare voluntatem per eundem numero concurſum. p.209.à n.1.

Soluuntur contraria argumenta. ibi à n.9.

Non ſufficit externa Dei voluntas ad neceſſitandam creatam voluntatem. p.209.n.7.

Voluntas creata in hac vita eſt libera quoàd exercitium. pag. 193.à n.1.

Voluntas circa bonum in communi neceſſitatur in hac vita, quò ad ſpeciem. p.193.à n.5.

Nullum bonum particulare poteſt in hac vita neceſſitare voluntatem. p.193.n.7.

Si proponantur voluntati duo obiecta æqualiter bona ad illorum electionem manet libera. p.194 n.10.

Voluntas non poteſt appetere malum ſub ratione mali. p.194. n.12. & 13.

Poſita efficaci volitione finis neceſſitatur voluntas ad electionem medij. p.194. n.15.

Voluntas non poteſt efficaciter amare obiectum impoſſibile. p.194.n.17.

Poteſt tamen habere actum in efficacem , circa obiectum impoſſibile. n. 10.

Non poteſt voluntas operari ſine præuia cognitione.pag.195. à n.1.

Quo pacto voluntas ſe determinet ad ſuum actũ:p.203. à n.3.

Quo pacto appetitus,& voluntas moueant reliquas potentias. p.344.à n.7.

Quæ cognitio requiratur antecedenter ad actus voluntatis? p. p.195.à n.1.

Non ſufficit cognitio ſenſitiua. p.196.n.5. & 6.

Cognitio non concurrit effectiuè ad actus voluntatis. p. 197. à n.10.

De voluntate, deque eius diſtinctione ab intellectu. pag.344. à n.1.

Cur voluntas non ſit operatura cum ſolo auxilio ſufficiente? p.204.n.8.& 9.

Non datur voluntas agens.p.332.n.13.

F I N I S.

A. PANDIMIGLIO
RESTAURO - CODICI
PERGAMENE - STAMPE
Via Po... 154

Digitized by Google